Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

C. Baronio
Annales
Ecclesiastici

1599

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Piura
Biblioteca

29087

ANNALES ECCLESIASTICI

AVCTORE

CÆSARE BARONIO

SORANO

EX CONGREGATIONE ORATORII

S·R·E·PRESBYTERO CARD·

TIT· SS·NEREI ET ACHILLEI

ET

SANCTAE APOSTOLICAE SEDIS

BIBLIOTHECARIO·

TOMVS OCTAVVS

ROMAE. ex Typographia Vaticana·M·D·XCIX·

De Superiorum concessione.

SVBEGIT GE~TES

VICIT HÆRESES

IN PETRA EXALTAVIT ME·ET NVNC EXALTAVIT CAPVT MEVM SVPER INIMICOS MEOS

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTECA COLLEGII LAUDATI SOCIETATIS JESU

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI ET D. N. CLEMENTI VIII. PONTIFICI MAXIMO

CAESAR BARONIVS S. R. E. PRESB. CARDINALIS TIT. SS. MARTYRVM NEREI ET ACHILLEI APOSTOLICAE SEDIS BIBLIOTHECARIVS SEMPITERNAM FELICITATEM.

NON eadem celeritate, BEATISSIME PATER, qua cœptus est cudi, octauum Annalium tomum prosequi licuit & absoluere: etenim quæ vel cogitare nec potuissem, impedimenta interceſſere. Siquidem importuno repente excitati clasico, e prœlo ad prœlium euocati, vna cum sacro Collegio longe diuersas ab instituto subire curas coacti sumus ex imminenti bello, quod dissimulari, aut euitari non potuit: legitima enim præcedente causa non nodo iustum, sed & necessarium iudicatum fuit: [illegible]od & sanctificatum [a], sacerdotalibusq. tubis, more maiorum [b] indictum est, cum in sacro illo

[a] *Hierem. 6. Ioel. 3.*
[b] *Num. 10.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quirinali Patrum conſeſſu, quot ſunt ea de re dicta ſententiæ, tot auditæ ſunt tubæ, immo tonitrus atque vibrata cælitus fulmina; in promptu omnes habentes (quod monet Apoſtolus[a]) omnem vlciſci inobedientiam.

a 2.Cor.10.

Quis vmquam ex nobis æquo animo paſſurus eſſet, antiquam Petri hereditatem inuadi? Renuit penitus Naboth[b] paternam tradere hereditatem Regi, eam æqua licet compenſatione poſcenti, dicens: Propitius ſit mihi Deus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.] eligens lapidibus magis obrui quam pecunijs. Quod egregie factum meruit ſanctorum Patrum præconijs celebrari; quin & S. Ambroſius[c] voluit illud etiam imitari, cum in Romanum Imperatorem Eccleſiam inuadentem, ita eſt ſacerdotali libertate locutus: Abſit a me, vt tradam Patrum hereditatem, hoc eſt hereditatem Dionyſij, qui in exilio in cauſa fidei defunctus eſt, & hereditatem Euſtorgij confeſſoris, hereditatem Myroclis & omnium retro Epiſcoporum. Reſpondi quod ſacerdotis eſt: quod Imperatoris eſt, faciat Imperator] paratus nimirum & ipſe pati, quod Naboth, ſi faceret ille, quod Achab.

b 3.Reg.21.

c Ambroſ. in Auxent.

At quomodo non magis ſolers ac promptus vindex deberet exurgere (vt fecit) Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius, vt Chriſti ſimul & Petri atque omnium prædeceſſorum Pontificum, antiquitus oblatam, recens ablatam vendicaret hereditatem? Quomodo non vel eiuſdem Petri accenderetur exem-

exemplo, qui non ob occupatum ampliſsimum patrimonium, ſed ob nummulos quoſdam de vendito agro fraude retentos, in Ananiam [a] atque Saphiram ſeuerus vltor exurgens, eoſdem mox quot verbis, tot vltricibus iaculis confoſſos, mortuos proſtrauit in terram?

[a] Act. 5.

Exurrexit ipſa Sanctitas tua, vt debuit, duplicibus potens armis, quibus tamen terrorem incuteret potius quam feriret, non ſanguinem, ſed ſalutem ſitiens animarum, debellare tantum ſtudens iniquitatem, ſubigere culpam, ſuperare peccatum, atque fugare diſcordiam, vindicare vero iuſtitiam, eamq. ſolutis compedibus reddere liberam, vt ſuum vnicuique libere redderet. Quod vt præſtaret, omnem in primis fiduciam in Eccleſiæ precibus atque lachrymis collocauit, probe ſciens, ſanctos [b] per fidem viciſſe regna, armorum vero, ſi ſola ſint, inutilem eſſe vſum, nec ſatis digna quibus victoria adſcribatur: nam & apud antiquos Romanos illud loco prouerbij eſſe vſurpatum, auctor eſt Varro [c]: Romani ſedendo vincunt.] apud Chriſtianos vero illa frequentiori vſu recepta parœmia: Eccleſia lachrymis ſuperat aduerſarios, ſecundum illud Apoſtoli [d]: Cum infirmior, tunc fortior ſum.] in quam ſententiam idem dicit [e]: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed Deo potentia ad deſtructionem munitionum.] quod plane [illegible]nta, quæ vidimus, perſpicue declararunt.

[b] Hebr. 11.

[c] Varro de re ruſt.

[d] 2. Cor. 12.

[e] 2. Cor. 10.

Accidit quaſi miraculum a Deo (his libenter

Universidad de Deusto
Biblioteca

a 2.Reg.14. vtar diuinæ Scripturæ [a] verbis) vt Ferraria, ferrea plane ciuitas ſine ferro fuerit expugnata, ipſo to-
b Iſa.45. tum id agente, qui dixit [b]: Ego ante te ibo, glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, ve-
c Act.12. ctes ferreos confringam.] vt plane idem qui Petro [c] aperuit portam ferream, Ferrariæ portam Petri patefecerit ſucceſſori. Grande opus, ac plane diui-
d Pſal.59. num, ſecundum Dauidicum illud [d]: Quis, inquit, deducet me in ciuitatem munitam? Nonne tu Deus?] cuius facti magnitudine ſuperatus, mentis quodam exceſſu præ admiratione captus, cum ad-
e Iſai.66. mirante Propheta clamare compellor [e]: Quis audiuit vmquam tale? Quis vidit huic ſimile? Antequam veniret partus eius, peperit maſculum.] cum videlicet nullis præcedētibus doloribus partus, quibus in bello ex cædibus, rapinis, incendijs, alijsq. innumeris malis vix tandem pari victoria conſue-
f Iob.26. uit: admirabili Dei manu obſtetricante [f], eadem læta atque iucunda omniq. ex parte perfecta ſit parta victoria; adeo vt etiam qui viſus eſt vinci, vicerit, & de ſuperata a ſe iniuſtitia, ſumma gloria triūpharit:
Sed quid amplius? (excuſet ſi longius exultans neſcia freni excurrit oratio) quaſi tanta hæc parua atque exigua eſſent; idem benignus Dominus, qui
g 2.Cor.9. (vt ait Apoſtolus [g]) multiplicat ſemen noſtrum, & auget incrementa frugum iuſtitiæ noſtræ; ex copioſe fuſa ab Eccleſia lachrymarum ſemente (ſe-
h Pſalm.125. cundū illud Dauidicum [h]: Qui ſeminat in lachrymis in exultatione metet) auxit mirum in modum,

eodem

eodem anno, publicæ prouentus hilaritatis, cumulauitq. aceruos frugum lætitiæ, tum ob multiplices aduersus Turcas obtentas victorias, tum etiam ob maximum donum illud quod optari tantum, sperari vix quidem aliquando potuisset, cum sancita est pax perpetua inter Christianos potentissimos Reges immortali atque implacabili odio inter se hactenus dimicantes, quo nomine iuges sunt Deo ab vniuerso Christiano Orbe gratiæ persoluendæ.

Sed habenis iam oratio coercenda, atque tandem, sero licet, eo vnde digressa est, reuocanda, ad excusationem videlicet de tardiori editione octaui huius Annalium tomi, non tam tui causa institutam, qui omnia melius nosti, quam eorum qui me debitorem meo scripto conueniunt, quo promiserim, annis singulis singulos tomos edere. Iustam meam excusationem ipsi accipiant, auctam supplici rogatione verbis Euangelici debitoris dicentis[a]: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. De his vero quæ tuæ debeo Sanctitati, quod adeo magna sint, vt nulla spes sit quouis tempore, vel quibusvis officijs a me posse dissolui, venia mihi prorsus roganda est; ita tamen, vt signum aliquod memoris & grati animi sit interdum præstandum. [a] *Matth. 18.*

Cuius rei gratia, ob recẽs in me collatum honorificũ Bibliothecarij Apostolicæ sedis munus, ei congruũ donum offero, Librum scilicet, veluti fructum perceptum ex latifundio, quod excolendũ accepi, primitias[b] ipsas debitas sacerdoti, qui eas primum [b] *Num. 9.*

offerat Deo omnium bonorum auctori, deinde vero in ſuum conuertat vſum, parans ex ijs lautiſſimam ſibi menſam, ex rebus præclare geſtis ſanctiſsimorum prædeceſſorum Pontificum, præſertim vero eius qui in limine primus occurrit, Magni Gregorij, atque Martini prærogatiua martyrij ter Maximi nuncupandi, quibus veſcens epuleris opipare, & de reliquijs diſpertiendis in populos cumules Apoſtolicos cophinos fragmentorum.

Accipiat igitur Sanctitas tua a me oblatum, Clemens Octaue, Octauo anno tui Pontificatus, Octauum hunc Annalium tomum eodem myſtico numero, ita Deo diſponente, tertium repetito feliciter conſignatum. Repende Apoſtolicam benedictionem: qua roboratus reliquos etiam tomos annis ſingulis pro numero reliquorum annorum longæuæ tuæ excreſcentis ætatis poſsim abſoluere, & Sanctitati tuæ pari numero, tributi ratione perſoluere. Vale Beatiſsime Pater, teq. Deus vniuerſæ Eccleſiæ ſemper profuturum conſeruet.

CAE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAESARIS BARONII

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
TIT. SS. MART. NEREI ET ACHILLEI
ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ
BIBLIOTHECARII

Pro Annalibus Ecclesiasticis

BEATO PATRI PHILIPPO NERIO
CONGREGATIONIS ORATORII FVNDATORI
GRATIARVM ACTIO.

QVOD de his quæ spectant ad Ecclesiasticorum Annalium scriptionis primam originem atque progressum, vix pauca hactenus attingere licuit; vt inuoluisse obscuritate potius ea, quam explicasse visi fuerimus, eo quod adhuc superstes is esset, de quo dicendum erat, qui non solum suarum laudum esset contemptor, sed acerrimus hostis: eo iam ad superos euocato, ipsa quibus detinebatur compedibus oratio libera, secura per latum campum acceptorum ab ipso beneficiorum excurrat.

Est enim maiorum nostrorũ iucunda memoria, a quibus tamquam ex vberrimo fonte innumera nobis bona copiose fluxere. Sed & est proficua ipsa Patrum nostrorum, sanctorum virorum recordatio, quod admoneat nos non debere ab eorum virtutibus esse degeneres, secundum diuinum illud oraculum [a]: Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum & ad Sa- rim, quæ peperit vos.] Verum quæ iucunda atque pro- fua, eadem est & necessaria commemoratio eorumdem, a quibus sumus & maxima beneficia consecuti, ne ex silentio vel obliuione turpiter redarguamur ingrati.

[a] Isai. 51.

Sane

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sane quidem, generatim cuncta quæ filijs prospere, feliciterq. obueniunt, ea accepta ferenda esse parentibus, sæpe diuinis litteris admonemur, potissimum vero illa a magno Patriarcha Iacob[a] impertita Ioseph benedictione, qua inter alia ista diuinitus dicta narrantur: Sedit in fortitudine arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob; inde pastor egressus est, lapis Israel.] Cum igitur cuncta prospera Ioseph potenti manui Iacob adscribantur, qui non solum abesset quam longissime, sed iam eum deploraſſet mortuum, planxissetq. occisum: quid nobis de Patre illo dicendum, qui in omnibus præsens & adiutor existens, in primis Apostolico spiritu[b] nos sæpe parturijt, & ab ipsa adolescentia eiusdem spiritus freno coercuit, cohibuitq. a lubrico iuuenilis ætatis procurrentis ad malum, atque reddidit indomitum pullum diuinis legibus obsequentem, super quem & Christum[c] fecerit considere?

[a] Genes. 49.

[b] Galat. 4.

[c] Matth. 21.

At cum nos multiplici nomine ipsi longe plurimum debeamus: de his modo, quæ spectant ad Annalium, quam habemus præ manibus scriptionem, extet ei tamquam institutæ omnis lucubrationis nostræ auctori, ista semper viuens, semper loquens Gratiarum actio monumentis perpetuis consignata. Aequum est enim, & animi humiliter de se ac modeste sentientis, per quem profecerit, profiteri; iniquum vero & arrogans suis viribus plus satis adscribere. Qui enim magis quam par erat sibi tribuit atque dixit[d]: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi] acerbum illud accepit a Deo vltore responsum: Numquid gloriabitur securis in eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur?] moxq. addita est comminationi vindicta, quam & ille quoque infelix[e] expertus est, qui eadem de causa, e regio solio deiectus, inter bestias exulauit.

[d] Isai. 10.

[e] Dan. 4.

Quamobrem quod mortales omnes æterna Sapientia Christus ipse Redemptor noster edocuit, cum de Patre

ad

ad Philippum ſic locutus eſt, dicens[a]: Pater in me manens, ipſe facit opera] de Patre Philippo & nos ingenue profitemur : non quod gloriemur in homine & non in Deo, ſed vt per quẽ tanta beneficia largitus eſt Deus, Dei cooperatorem hominem demonſtremus; ſicq. vt Deo, ita & hominibus grati ſimus. Ipſe enim diuini quodã impulſu Spiritus iſta facienda præcepit, non ſecus ac Moyſes qui quod vidit[b] Tabernaculi exemplar in monte, faciendum illud indixit opifici. Eiuſdem namque Patris noſtri iteratis ſæpius iuſsionibus, ſumus nos tantum opus aggreſſi, inuiti licet ac renitentes, proprijsq. diffiſi viribus; ſuſcepimus tamen, tamquam diuino parentes imperio, quo quidem ipſe adeo opus vrgebat, vt ſi quando nos tantæ molis pondere ſuperati, deſiſteremus a cœptis, ſtimulis acerrimæ reprehenſionis impelleret.

[a] Ioan. 14.

[b] Exod. 25.

Exæſtuans tu quidem (ad te enim, Pater, orationem conuerto) exæſtuans, inquam, zelo Eccleſiæ laborantis: vbi mente illa tua diuino perfuſa lumine, ac prophetico (dicere liceat) afflata ſpiritu vidiſti e portis inferis in Eccleſiæ detrimentum progreſſas eſſe Centurias ſatanæ: ex aduerſo conſurgens pro domo Iſrael prœliaturus prœlia Domini, non maiori vel pari ſaltem numero militum, compenſato certamine, decernendum putaſti; ſed probe ſciens, quod quæ[c] infirma mundi ſunt, eligit Deus, vt confundat fortia: puerum tuum, fratrum minimum, & hebetioris ingenij delegiſti, quem vnum, eumdemq. inermem tot obijceres armatis hoſtibus. Et aliud agere ſimulans, non latum campum ad prœlium, ſed ad experiendas vires anguſtum ornaſti locum paleſtræ, ipſum videlicet ſacrum Oratorium S. Hieronymi, vbi inter quotidianas de rebus diuinis collationes, illud a nobis ſymbolum exegiſti, quo res geſtas Eccleſiæ in medium afferremus. Quod tua iuſſione ſemel cœptum, ad triginta annorum ...atia eſt feliciter propagatum, ipſa integra rerum geſtarum ſerie, dicendo, iam ſeptiesin Oratorio repetita.

[c] 1. Cor. 1.

Aſtabas iugiter operi, vrgens præſentia, inſtabas verbis,

bis, durus ſemper (ignoſcas ſi hoc dixero) diurni penſi exiſtens exactor, adeo vt piaculum putares, ſi interdum ad alia enarranda diuertiſſem, dum nec minimũ quidem ab inſtituto deflectere patereris. Sæpe vero & in eo humani aliquid paſſus ſum, fateor, cũ nondum intelligens rem ipſam occulte abs te apud Deum precibus confici, meas ipſe metiens vires, quererer, mecum ferme agi tyrannice, quod non ſolum aliquis non iungeretur ex fratribus, qui ad collaborandum eidem ſubijceret collum iugo, ſed mul-
a Exod. 5. tiplicato labore, nec datis paleis[a], multiplex opera exigeretur; cum inquam & adhuc alij ad ſuſceptum munus negotiorum faſces imponerentur, cura videlicet animarũ, publicum de ſuggeſtu miniſterium verbi Dei, præfectura domeſtica, præter alia quamplurima, quæ inopinate & importune moleſtiores quotidie ingererent interuentores. Adeo vt tu vel iſta faciens, vel fieri ab alijs patiens, nihil minus velle videreris, quam quod plurimum velles.

b 3. Reg. 18. In quo quidem viſus es imitatus Eliam[b], dum congreſſus cum ſacerdotibus Baal, eos expugnaturus per ignem cælitus implorandum, qui propoſitam victimam inflammaret atque conſumeret; in contrarium niſus, eamdem quatuor aquæ hydrijs tertio voluit affluenter aſpergi, quo magis ſumma Dei potentia innoteſceret. At vero alia ex parte cum prompto animo idem tu ipſe ad præſtandum auxilium precibus tuis manũ fortiſsime
c 4. Reg. 13. admouiſti[c], viſus es ſecutus Heliſæum, qui manum ſuam Regis manui ſuperimponens in emiſsione ſagittæ, fecit eum eſſe totius Syriæ percuſſorem. Quo pariter ſymbolo tu mecum agens, manui meæ debili tuam validiſsimam iungens, obtuſum ſtylum in ſagittam ſalutis Domini, contra inſultantes Aſſyrios conuertiſti. Quod ſicut verum, ita pulchrum ac iucundum eſt mihi de te publice profiteri.

Pugnaſti tu quidem, ſed aliena manu, vſitato more tuo, qui cum admiranda operari conſueueris, mirandi tamen numquam volueris apparere, nihil tam ſollicite cauens, quam ne quid de te magnifice diceretur, operi-

mento

mento ſtultitiæ ſæpe operiens ſapientiam, iuxta peruulgatum illud & celebratum, mentiq. tuæ infixum penitus Apoſtolicum paradoxum [a]: Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat. Ita quidem vt nullis compedibus blandientis ſæculi tenereris, exemplo Dauid [b] ad tempus ora mutantis, magna dona ſpiritus occultares, quæ ſunt infirmitatis humanæ foris oſtentans; ſciresq. ſecundum Apoſtolum [c], abundare & penuriam pati, vt cum ipſo dicere poſſes [d]: Siue mente excedimus, Deo; ſiue ſobrij ſumus, vobis] atque exẽplo cognominis tui Philippi [e] diaconi, pro ratione temporis, vel inhæreres hominibus, ipſorum ſaluti conſulens, vel magno impetu ſpiritui venienti vela panderes.

[a] 1. Cor. 3.
[b] 1. Reg. 21.
[c] Philip. 4.
[d] 2. Cor. 5.
[e] Act. c. 8.

Sed quam tu viuens in Chriſti ærarium gloriam copioſiſsime intuliſti, poſt migrationem ex hac vita, aucto multiplici fœnore, ipſe rependit. Siquidem vbi laguncula [f] terrea fracta eſt, quæ latebat intus ſua claritate refulgens lampas apparuit; & quæ abſconſa erat ſub modio lucerna ardens & lucens, ſuper æternitatis altum candelabrum exaltata, perſpicua facta eſt, miraculorum fulgore coruſcans. Tunc enim & quæ viuens ediderat, ſed occultaueras, mirifica ſigna, ſunt cognita, & alia quamplurima recens edita patuerunt. Splendet vile licet adhuc, vtpote temporarium, ſepulchrum tuum votiuis tabellis, & ex pretioſo metallo ſignis affixis, tuorum miraculorum indicibus, quibus magis quam pretioſorum marmorum cruſtis, vel Aegyptijs pyramidibus & obeliſcis effulget, maius decoris in dies accipiens incrementum ab ijs, qui noua beneficia conſecuti, inferunt noua ſigna.

[f] Iudic. 7.

Detur & mihi locus (vos fratres appello, qui pia ac nobili corona eius cingitis monumentum) vt hæc mea gratiarum actio, tametſi acceptis beneficijs longe impar, eidem adhæreſcat affixa ſepulchro; ita tamen, vt per orbem terrarum, quocumque ijdem feruntur Annales, exarrat. Mobilis ſit ipſa atque vocalis ſculpta columna, amplis notis ipſum prædicet Annalium primum auctorem & architectum; vt ſi quem ex eis mortales fru-

ctum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum cœperint, ipsi in primis omnes gratias agant. Stet, inquam, mea ista professio velut indelebile eidem sepulchro inditum epitaphium, cupiens & ego ipse eidem inhærere viua tabula, quæ formata penicillo ipsius precum, integram referat eius sanctitatis imaginem.

Age iam Pater (te rursum tanquam præsentem alloquor, dum eum vides, qui præsens vbique adest) age inquam, faue operi tuo: & vt tibi in omnibus victoria adscribatur (quod Ioab scripsit ad Dauid[a]) veni & quod reliquum est, confice prœlium; cælestem desuper tuis precibus moue militiam, vt debellatis tandem penitus hostibus, triumphale carmen Deboræ[b] concinamus: De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine suo aduersus Sisaram pugnauerunt] Me vero filium tuum, quem degens in terris assiduo fouisti præsidio, vigilantia custodisti, consilio gubernasti, patientia tolerasti, viuens in cælis fortioribus protege patrocinijs: ampliora mihi crescant de tua iam perfecta & in omnibus consummata charitate subsidia; Sed & quod a Basilio se Gregorius[c] Theologus consecutum affirmat, vt eum etiam post obitum habuerit monitorem: hoc nobis abundantius præsta; vt te ipso adhuc etiam vitæ meæ moderante habenas, quod reliquum est labilis huius curriculi senectutis, inoffenso pede percurram, perueniamq. tandem post labores bene perfunctos ad beatam illam requiem, qua tu modo frueris in Patre & Filio & Spiritu sancto, quibus in vnitate perfecta semper sit laus, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

a 2. Reg. 12.

b Iud. 5.

c Gregor. Naz. in laud. Basil.

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN ANNALES ECCLESIASTICOS

Epigramma.

ALOYSII VALMARANAE VICENTINI
Societatis IESV Professoris.

EERT, fluuium tranans, sua Commentaria CÆSAR,
Nec, sua ne pereant, ipse perire timet:
Tu tamen Annales committis, cautior illo,
Non tibi, sed PETRI, dum furit vnda, rati;
Quid si iterum tumidis PETRVS titubaret in vndis?
Hos, mihi crede, sua nollet abire manu.



Universidad de Deusto
Biblioteca

Octauus Annalium tomus incipiens ab anno Domini quingenteſimo nonageſimo, perueniens vſque ad ſeptingenteſimum decimumquartum, complectitur annos centum vigintiquatuor, nempe a Gregorio Magno Romano Pontifice, vſque ad Gregorium ſecundum.

Habes ad calcem fragmenta ſuis locis, vt in eis notatum inuenies, inſerenda.



ANNALES ECCLESIASTICI.

IHS

CX superaddita oneri consueto Ecclesiasticorum negotiorum sarcina ad optatam quietem longe positam cum magis anhelem atque suspirem: magna tamen octaui Annalium tomi scriptionem aggrediendi ex eo mihi fiducia comparatur, quod pro foribus Gregorius Magnus occurrit, patronus idem noster duplici subsidio profuturus, adminiculo precum scilicet, quibus diuinum concilietur auxilium, & suorum scriptorum copia, ex quibus tamquam ex locupletissima cella penaria, quæ primum erunt scribenda, ipse abunde suppeditat. Verum non progreditur solus, cum in occursum egreditur; sed quæ præcedit in titulo, prima procedit D in via, nobis opitulatura præcurrens Virgo Deipara. Amborum etiam nomine, nempe Mariæ, atque Gregorij, nostra nobilitatur ecclesia, apud quam ijdem Annales nostri sunt elaborati, scripti, recitati, ac sæpius repetiti, atque hactenus in lucem editi. Quæ igitur prior ordine & maior est meritis, nobis occurrat potior in auxilio, atque virtute potentior adsit: Ipsa mater foueat partus suos, atque faueat natis suis. Vt enim quos ad genua Rachelis pariebat eius ancilla, ipsa eos suos filios esse dicebat[a]: ita suos hac lege esse dicat oportet nostros Annales ipsa Virgo sanctissima, quos summo labore, ad eius genua prouoluti, enixis precibus consueuimus parturire.

Sed & inde erigitur magis animus, quod creuerint nobis diuina ex recenti collata dignitate subsidia: glorioſi enim martyres patrocinij quoque titulo accesserunt, Petri discipuli, conciliatores regiæ virginis nuptiarum cum sponso cælesti, atque eiusE dem ad coronam martyrij promotores, eunuchi fratres, concupiscentia steriles, spiritali prole fœcundi, potentes gratia, gloria celebres, decori purpura, coronis fulgidi, insignes palmis Nereus & Achilleus vna cum martyre æque & virgine Flauia Domitilla. Quibus cum Magno Gregorio in auxilium iunctis, erit mihi in sancta quadriga ista, cui insideat auriga Deipara, magna fiducia: adeo vt illud ex Cantico secure occinere liceat[b]: Quadrigæ tuæ saluatio.] qua cum vectus fuero, ardua quæque accessu & transitu difficilia facile superabo: sperans insuper Dei beneficio dandum, vt vna cum Annalium meorum quoque vitæ bene perfunctus, iam non amplius in circi istius vitæ periodis e calce rursum reducendus ad carceres, sursum cælum versus curru isto cælesti, adminiculo scilicet Sanctorum precum, sublimis tollar, atque ex optato in Domino tandem perpetuo requiescam.

PRAEFATIO AVCTORIS CVM IMPLORATIONE DIVINI AVXILII.

a *Genes.* 30.

b *Habac.* 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca



VIGENTESIMI nonagesimi Christi anni res gestæ maiori ex parte in superiorem tomum relatæ sunt, vsque videlicet ad electionem Gregorij Magni in Romanum Pontificem: iam vero reliqua prosequamur de rebus ab eo præclare gestis post electionem vsque ad finem præsentis anni, qui & Imperij Mauritij Augusti quintus numeratur, octaua Indictione ad mensis Septembris terminum decurrente, & nona tunc inchoante.

DE ORDINATIONE S. GREGORII PAP.

Sed antequam ista aggrediamur, quod in primis ad tempus spectat, scias errare eos qui diuersam ineunt rationem annorum Mauritij Imp. ab hac nostra assertione, qua ponimus S. Gregorij creationem sub anno quinto eiusdem Mauritij. Præter id enim quod superius dictum est anno primo eius Imperij: qui huius temporis, suæq. ætatis breuiter res gestas conscripsit Ioannes fundator monasterij Biclarensis (hoc enim titulo eius perbreuis historia inscribitur) asserit istud ipsum, anno videlicet quinto eius Imperij S. Gregorium esse creatum Pontificem: quo pariter anno Theodosium Mauritij filium a patre tradit Cæsarem esse dictum. Hæc de anno Imperatoris, & promotionis Gregorij in Pontificem Maximum.

Quod autem ad diem ordinationis eius spectat, nihil est quod reuocari possit in dubium, vtpote quæ ob excellentiam tanti Pontificis relata fuerit singulari prærogatiua in tabulas Ecclesiasticas, annis singulis in memoriam ac cultum Fidelibus reuocanda ipsa die qua contigit, nempe tertio Nonas Septembris, eiusmodi præclaro elogio[a]: Romæ ordinatio incomparabilis viri sancti Gregorij Magni in Summum Pontificem: qui onus illud subire coactus, e sublimiori throno clarioribus sanctitatis radijs in orbe refulsit.] hæc de eius ordinatione, cum videlicet est consecratus in Romanum Pontificem: qui & ante, cum ex præscripto sacrorum canonum a clero electus fuit, re vera Pontifex dici potuit, cum ab eo tempore a Deo acceperit Pontificium, absque alia expectata de consecratione ab Imperatore licentia.

[a] *Martyrolog. Rom. die 3. Septembris.*

GREGORII ELECTIO QVALIS.

Iam vero in hunc vnum Gregorium conuersi oculi omnium erant, vtpote qui ceteris omnibus vitæ sanctitudine, claritudine generis, scientia, atque vsu rerum præstaret; quiq. non in Occidentali tantū orbe, sed & in Orientali quoque, vbi diu in functione legationis, siue Apocrisarij muneris versatus fuerat, omnibus optime notus, ab omnibus Pontifex expeteretur; vt quæ de ipso inferius dicēda erunt, ostendunt. Qui enim in orbis theatro præfecturæ Vrbanæ fascibus iam antea, qualis quantusve esset, innotuisset, contemptu mundi in trabea monachali magis enituit: clarior vero redditus, ex quo assumptus est in Cardinalem: sed fulgore maiore resplenduit ex legatione Constantinopoli bene perfuncta. Tot igitur splendorum radijs illustratus, etsi nollet, ac vitaret licet (quod non possit abscondi ciuitas supra montem posita) in se omnium animos traxerat & obligarat, hoc ipso potissimum tempore, cum (vt diximus tomo superiori) ingens lues Vrbem depasceretur; quo vt qui omnium esset sanctissimus eligeretur, necessitas impellebat: vrgebat vero magis, dum super Vrbem barbaricus Longobardorum gladius immineret, diraq. fames ingrueret atque sæuiret: vnde quærendus ab omnibus fuit sanctus, qui pestilentiam propulsaret; fortis, qui defenderet Vrbem; & qui esurientem populum pasceret, deligendus pastor amator pauperum: nonnisi illud propheticum eidem occinentibus cunctis [b]: Princeps esto noster: ruina autem hæc in manu tua,] ad hoc præelectus a Deo, vt ædifices, & plantes, & dispersa colligas, atque infirma consolides. quæ cuncta ipse nauiter (vt suo loco dicemus) impleuit, atque abundantius præstitit.

[b] *Isai. 3.*

ADVERSVS INVASORES ROM. ECCLESIAE IMMVNITATIS.

At non simulac Pontifex Romanus electus est, in Petri cathedra sedit, neque sedere licuit: etenim quod sub Arianis Gothorum Regibus præsumptum diximus superioribus tomis, vt electus Pontifex, nonnisi persoluta pecunia confirmatus a Principe sederet; vindicata postea Vrbe cū vniuersa Italia a Gothorum tyrannide per Iustinianum Imperatorem, non minore ille tyrannide idem ius confirmandi Romanum Pontificē, & pro confirmatione pecuniam exigendi sibi retinuit. Deplorat ista idem S. Gregorius, dum illud Psalmi pœnitentialis elucidat: Qui laudabant me, aduersum me iurabant] cum Si-

A moniacam hæresim insectatur, & ait [a]: Hæc est, inquam, hæresis, quæ prima nascentis Ecclesiæ rudimenta tentauit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cuius erroris vesania licet ex tunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulauit, nostris vero maxime temporibus malitiæ suæ virus exercuit, & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aduersus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem multitudinem, verum etiam regiam (si fas est dicere) potestatem. Nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius, quam regat Imperium; & quoscumque habere potest peruersitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate allectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere, & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam Saluator noster voluit esse liberam, hanc ipse, po-
B testatis regiæ iura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret, si dominam suam esse agnosceret, eiq. religiosorum Principum exemplo deuotionis obsequium exhiberet, nec contra Deum fastum extenderet dominationis, a quo suæ dominium accepit potestatis? ipse est enim qui ait [b]: *Per me Reges regnant*. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino (vt patet) ingratus beneficio, & contra Deum fastuosus, terminos quos posuerunt patres nostri, contempto diuino timore, transgreditur, & contra Catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur.

In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet: quod omnino *ille fieri* prohibuit, qui hanc beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens [c]: *Tibi dabo* Ecclesiam meam. Obstruatur ergo os loquentium iniqua, &
C omnis hæreticorum acies obmutescat: quia nullas vires habet mendacium, quod ipsius voce veritatis inuenitur destructum.] hucusque Gregorius, qui (vt vides) Regis nomine indignum eum habet, qui Romanam Ecclesiam suis spolians iuribus & libertate, quoquo modo subiugare & sub tributo ipsam redigere conabatur: quē & contra Catholicam agere veritatem proclamat. Qui & inferius in eiusdem Psalmi expositione eo versu: Initio tu Domine terram fundasti] inter diros Ecclesiæ persecutores adnumerat Imperatorem talia præsumentem, dum ait: Quid enim Nero? Quid Diocletianus? Quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? Numquid non omnes portæ inferi?] cum tamen siue de Mauritio, siue eo qui ipsi successit, Phoca, vel Tiberio, vel Iustino, qui hos præcesserunt, Augustis (cuiusuis horum temporibus velis scripsisse Gregorium commentarium illum) omnes reperiantur fuisse fide Catholica Orthodoxi, hacq. tantum ex parte
D damnandi, quod confirmationē electi in Rom. Pontificem sibi (vt vidimus) vendicarent.

Tam grande malum licet Gregorius adeo sit detestatus, tolerandum tamen ipsi in tanta temporum iniquitate fuit, cum iugi bello Longobardi Italiam infestarent, Romamq. ipsam obsidione sæpe vallarent atque perstringerent: vnde periti nautæ more turgentis maris vndas haud prora findentis, sed clauo potius declinantis, electionem suam irritam reddere laborauit, sicq. anteuertere malum illud, quod sibi imminere cognosceret. Quamobrem qui clero ipsum eligenti non posset obsistere, neque resistere populo postulanti: ad vnicum illud remedium sibi confugiendum esse putauit, vt bene vtens occasione illa, & ex veneno sibi parans antidotum, ad Mauritium Imperatorem, ad quem de electione facta mittebatur a clero populoq. Romano decretum, litteras daret, quibus ipsum pluribus dehortaretur ab electionis confirmandæ sententia.

E *Ista* præsentiens Germanus [d] Præfectus Vrbis, occurrens malo, nesciente ipso Gregorio, eius ad Mauritium Augustum datas litteras intercepit; suas vero addidit ad eumdē, quibus eum certum redderet, nihil his perditissimis temporibus opportunius contingere potuisse, quam vt Gregorius nobilis genere, vita sanctissimus, scientiaq. ceteris præstans, Romanus Pontifex esset electus; rogans ipsum pariter, vt petenti clero & populo postulanti, eius confirmando electionem, annuere vellet. Quod ei perfacile fuit suadere, vtpote [illegible] ipsum Gregorium degentem olim Constantinopoli satis perspectum habuisset, eoq. [illegible] familiarissime vsus; quem & compatrem delegisset, cum genitum a se filium ab [illegible] electi lauacri regeneratione suscipi voluit [e]. Hic autem admonendum lectorem putamus, quod quem Præfectum Vrbis Ioannes diaconus Germanum nominat, aliter habet Gregorius Turonensis ex relatione sui diaconi, qui tunc in Vrbe erat: non enim Germanum dictum nomine Præfectum Vrbis fuisse, sed eumdem fuisse germanum ipsius

[a] *Greg. in Psal. 4. Pœnit.*

PERSECVTORES ECCLESIAE QVI DICANTVR.

GREGOR. ELECTVS PONT. SCRIBIT AD IMP.

[d] *Ioan. diac. in Vit. S. Gregor. lib. 1. c. 39. 40.*

GERMANVS AGIT PRO PONTIFICATV GREGORII.

[e] *Greg. Turon. histor. Franc. lib. 11. c. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. Gregorij significat. sunt hæc verba ipsius: Præfectus vrbis Romæ germanus eius, anticipauit nuncium, & comprehenso distuptis epistolis, &c.] A

Degebat interea Gregorius in Vrbe securus, quod adeo efficaces se sciret dedisse litteras ad Imperatorem, quibus redderetur omnino a confirmatione suæ electionis auersus. Mihi enim & illud facile persuadeo ipsum non siluisse, quod exigeret argumentum, de tyrannice vsurpata electionis Romani Pontificis confirmatione, immo vt ingens malum detestatum esse, contestationem adiecisse, interminatumq. aduersus eum diuinum iudicium, si non sineret Romanam Ecclesiam liberam, iamdiu in seruitutem eo modo tyrannice vindicatam: vt cum Mauritius ista legisset, longe longius abhorreret vt missum a clero & populo decretum electionis probaret, eidemq. subscriberet. Haud enim æquo animo Principes, dominari alijs assueti, pati rigidos sacerdotes solent, quibus in ijs quæ ad Deum sunt, cogantur obtemperare, vel eos, si renuant, experiantur vltores. Ista, in- B quam, fretus securitate Gregorius vna cum comministris in Vrbe degebat.

Sed quomodo se habere soleret administratio Romanæ Ecclesiæ, dum qui electus erat vetabatur tyrannice ab Imperatore ea quæ sunt Pontificis munia exercere, donec accedente Imperatoris consensu, Pontificio initiari daretur: colligi facile potest ex epistola [a] Romani cleri ad Scotos reddita, cum sedes vacaret morte Seuerini Pontificis, electusq. in locum eius esset Ioannes huius nominis Quartus, sed nondum consecratus. Videre est in litteris illis, curam Romanæ Ecclesiæ non electum Pontificem solum gessisse, sed quatuor simul eiusdem Ecclesiæ ministros sacros, nempe Archipresbyterum primo loco, deinde ipsum electum, tertio loco Primicerium, quarto vero Consiliarium: apud hos enim, donec legitimus Pontifex sedere posset, cura posita erat non Romanæ tantum, sed vniuersalis totius orbis Ecclesiæ: eodemq. ordine quo recensiti sunt, in- C scribebantur eorum nomina in litteris quas scribi in diuersas prouincias contingebat; sicut positum videmus in dictis ad Scotos datis litteris, in hunc modum: Dilectissimis & sanctissimis Thomiano, &c. Hilarius Archipresbyter & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, Ioannes diaconus & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius & seruans locum sedis Apostolicæ, & Ioannes seruus Dei Consiliarius eiusdem sedis Apostolicæ.] ita ibi.

[a] Bed. histor. Angl. lib. 2. cap. 19.

Ceterum quod ad Gregorium spectat, in ipsum, veluti si confirmatus Pontifex esset, vt ab eo in tanta, in qua ob pestem ingruentem calamitate erant, remedij aliquid acciperent, intenti oculi omnium erant. Nullus enim interea sacri ordinis ministrorum existebat, qui tanto electo Pontifice, nisi eius iussione sibi aliquod arrogaret officium, præsumeretq. quoduis publicum obire munus: quamobrem inuitus in tanta rerum D & temporis necessitate cogitur ipse Gregorius, Christiana iubente charitate, ad breue spatium temporis gerere se Pontificem, seu potius pro Pontifice, in his dumtaxat, quæ ad expiationem spectarent Vrbis, ad luem videlicet ingruentem auertendam, litanias indicendo, & eisdem pio studio frequentandis, exhortationemq. ad populum, qua ad pœnitentiam prouocaret, habendo.

Cum enim eadem pestis magis vrgeret (inquit Gregorius Turonensis [b]) verbum ad plebem pro agenda pœnitentia in hunc modum exorsus est: Oportebat, fratres carissimi, &c.] Sed antequam hic ipsum reddamus integre sermonem, monendus est lector, eumdem perperam relatum in ipsius Gregorij epistolarum librum vndecimum sub Indictione sexta; quod & fefellit qui nouam eiusdem Gregorij operum editionem elaborarunt, dum ad finem concionis eam habitam posuerunt sexta Indictione. præstat quidem E hac ex parte audire historicos omnes testantes dictum ab ipso Gregorio fuisse quarto Kalend. Septembris, Indictione octaua, præsenti videlicet anno: cui veritati certum est assentiri vetera exemplaria; quæ omnia si deessent, ex veritate historiæ dicta lectio magis probanda: nam cum constet eum ad populum habitum esse sermonem tempore ingruentis pestilentiæ, eamq. hoc anno contigisse, quo & Pelagius Papa obijt, assertione ipsius Gregorij certum fit, neque aliquando postea tam dire, dum Gregorius vixit, eam vexasse populum: plane impossibile est, vt ad sextam, vel aliam aliquam Indictionem referri possit. His accedit eius, qui sermoni interfuit, diaconi Turonensis testificatio, dictum retulit, antequam Gregorius Pontifex ordinaretur. quibus quidem omnibus cum æque omnes assentiantur, qui habitam hoc tempore eam asserunt esse orationem, cum id ipse disertis verbis insinuet, nihil est vt de ijsdem vel leuiter saltem dubitari possit.

[b] Greg. Turon. lib. 10. c. 1.

CORRIGITVR ERROR DE TEMPORE HABITAE CONCIONIS.

Cum

A Cum autem eadem quæ inter epistolas ipsius Gregorij concio habetur, recitetur pariter a Gregorio Turonensi; in quibus inter se editiones discrepent, ponemus in margine. Sic enim se habet[a]:

a Greg. lib. 11. c. 2. Regist.

* dilectissimi GREGORII SERMO TEMPORE PESTIS.

Oportet, fratres carissimi*, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa iam, quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim, propheta teste, prædictum est[b]: Peruenit gladius vsque ad animam. Ecce enim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur; nec languor mortem præuenit, sed languoris moras (vt cernitis) mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quã ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti Iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit: habitatores quippe non ex parte subtrahuntur, sed pariter

b Hierem. 4.

B corruunt, domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum heredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis, quicquid errando commisimus; & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut prophera[c] admonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Deum*. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat[d]: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Veternosas namque Niniuitarum[e] culpas triduana pœnitentia absterfit, & conuersus[f] latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit.

c Thren. 3.

* Dominum

d Ezech. 18.

e Ion. 3.

f Matth. 27.

Leuemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. Citius ad pre-

C cem Iudex flectitur, si a prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animadversionis gladio, nos importunis fletibus insistamus: ea nãque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, Iudici veritatis placet: quia pius & misericors Deus a se vult veniam precibus exigi, qui, quantum meremur, non vult irasci. hinc etenim per Psalmistam[g] dicitur*: Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet vt inuocetur. Proinde, fratres carissimi, contrito corde & correctis operibus crastina die, primo diluculo ad Septiformem litaniam, iuxta distributionem inferius designatam, deuota* mente cum lacrymis veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præsumat: quatenus ad sanctæ Dei genitricis Domini ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala quæ fecimus deploremus: vt di-

HORTATIO AD POENITENTIAM.

g Psal. 49.

* dicit

* deuota ad lacrymas mente

D strictus Iudex dum culpas nostras nos punire considerat, ipse a sententia propositæ damnationis parcat.] hactenus sermo, idemq. dictus in ecclesia sanctæ Sabinæ in Auentino, & scriptus affixus ecclesiæ Albo, cui litaniarum ordo istiusmodi subscriptus habetur:

Litania clericorum exeat ab ecclesia beati Ioannis Baptistæ.
Litania virorum ab ecclesia beati martyris Marcelli.
Litania monachorum ab ecclesia martyrum Ioannis & Pauli.
Litania ancillarum Dei ab ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani.
Litania feminarum coniugatarum ab ecclesia beati primi martyris Stephani.
Litania viduarum ab ecclesia martyris Vitalis.
Litania pauperum & infantium ab ecclesia beatæ martyris Cæciliæ. Facta sunt hæc in basilica sanctæ Sabinæ sub die quarto Kal. Septẽb. Indictione octaua.] hactenus ex veteri

LITANIA SEPTIFORMIS DICTA.

E eademq. germana lectione, ex qua recentiores emendes, in quibus (vt diximus) inconsulte nimis sexta Indictio ponitur: quando enim ista contigerint, liquido constat. Porro quam legisti Septiformem litaniam per diuersarum personarum atque locorum ordinem distinctam, apud Gregorium Turonensem aliter dispositam inuenies in hunc modum[h]:

h Greg. Turon. lib. 10. c. 1.

Clerus igitur egrediatur ab ecclesia sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani cum presbyteris Regionis sextæ.

Omnes vero Abbates cum monachis suis ab ecclesia sanctorum martyrum Geruasij & [illegible]sij cum presbyteris Regionis quartæ.

Omnes Abbatissæ cum congregationibus suis egrediantur ab ecclesia sanctorum martyrum Marcellini & Petri cum presbyteris Regionis primæ.

Omnes infantes ab ecclesia sanctorum martyrum Ioannis & Pauli cum presbyteris Regionis secundæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnes vero laici ab ecclesia sancti protomartyris Stephani cum presbyteris Regionis septimæ. A

Omnes mulieres viduæ ab ecclesia S. Euphemiæ cum presbyteris Regionis quintæ.

Omnes autem mulieres coniugatæ egrediantur ab ecclesia sancti martyris Clementis cum presbyteris Regionis tertiæ. Vt de singulis ecclesijs exeuntes cum precibus ac lacrymis ad beatæ Mariæ semper Virginis genitricis Domini Dei nostri Iesu Christi basilicam congregemur: vt ibi diutius cum fletu ac gemitu Domino supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promereri valeamus. Hæc eo dicente, congregatis clericorum cateruis psallere iussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. De hora quo-

* vndique

que tertia veniebant vtrique * chori psallentium ad ecclesiam clamantes per plateas Vrbis, Kyrie eleison.] hæc Gregorius, quæ accepit a suo diacono tunc in Vrbe morante. Sed vnde ista diuersitas? non aliunde puto, quam quod cum non semel eiusmodi indictæ B

DIVERSAE LITANIAE HABITAE.

fuerint litaniæ, proq. diuersitate dierum, diuersæ affigerentur in ecclesia inscriptiones, singulæ diebus singulis: ex alia ipsarum alterius diei Gregorij diaconus descripserit, & ex alia alius retulerit inter epistolas. Pluries eo tempore celebratas esse eiusmodi litanias diuersis diebus, & processum quoque fuisse ad sancti Petri basilicam, constat ex veteribus Ritualibus. Subdit vero idem Gregorius Turonensis:

Asserebat autem diaconus noster qui aderat, in vnius horæ spatio, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emisit, octoginta homines ad terram corruisse, & spiritum exhalasse. Sed non destitit sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione cessarent.] hucusque de his Gregorius, quæ (vt dictum est) accepit a suo diacono: qui cum eumdem Gregorium sacerdotem nominet, plane declarat ipsum iam ex diacono fuisse presbyterum ordinatum, sed haud diu ante: nam inferius idem Gregorius: Ab hoc etiam dia- C

conus noster reliquias sanctorum (vt diximus) sumpsit, dum adhuc in diaconatu Gregorius degeret.] hæc ipse.

Habent veteres Rituales libri (vt vidimus) vltimis litanijs esse processum ad basilicam Apostolorum principis Petri, atque ab eodem Gregorio sanctam imaginem Deiparæ magna veneratione delatam: fuisse autem illa traditur, quæ hactenus extat in basilica S. Mariæ ad Præsepe, & a populo honorifico cultu frequentatur: eam tunc a S. Gregorio in processione delatam, Ordo Romanus, quem pluribus exemplaribus Vaticana bibliotheca custodit, affirmat: quibus maior proculdubio adhibenda fides est, quam cusis haud pridem Venetijs. Tunc vero & mirandum illud accidisse tradunt, vt cum peruenisset pro-

ANGELVS SVPER MOLEM HADRIANI VISVS.

cedendo Gregorius ad molem Hadriani Tiberi adiacentem, in signum reconciliati numinis, visus fuerit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoq. symbolo mor- D

a Greg. dialog. lib.4.c.36.

bum cessasse significare voluisse, quemadmodum (vt superius ex eodē Gregorio [a] dictum est) per sagittas visas cælitus lapsas idem fuerat diuinitus præmonstratus. Sic itaque

b Eccles.44.

in tempore concitatæ diuinæ iracundiæ (vt scriptū est [b]) Gregorius factus est reconciliatio, cum auerterit ipse diuinam indignationem a populo: cuius rei gratia in litanijs illis, quæ annua celebritate in Ecclesia antiquo vsu recurrunt pro omnibus auertendis malis, idem Gregorius preces indixit cum gratiarum actione pro tanto accepto diuinitus beneficio. Extat eius indictionis formula, quam hactenus inter ipsius Gregorij epistolas

e In Regist. in princ. Ind. 1 o.

asseruatam hic tibi legendam proponimus: sic enim se habet [c]:

IN MAIORI LITANIA GRATIARVM ACTIONES ADDITAE.

Solemnitas annuæ deuotionis nos, filij dilectissimi, admonet, vt litaniam, quæ Maior ab omnibus appellatur, solicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare; per quam a nostris excessibus, eius misericordiæ supplicantes, purgari *ali-* E

quatenus mereamur. Considerare etenim nos conuenit, dilectissimi, quam varijs continuisq. calamitatibus pro nostris culpis & offensionibus affligamur, & qualiter cælestis pietatis nobis subinde medicina subueniat. Sexta igitur feria veniente, a Titulo beati Laurentij martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes, ad beatum Petrum Apostolorum principem Domino supplicantes cum hymnis & canticis spiritualibus properemus; vt ibidem sacra mysteria celebrantes, tam de antiquioribus, quam de præsentibus beneficij pietati eius, in quantum possumus, referre gratias mereamur.] hæc Gregorius de cessante gratiarum referens actionem. Verum non sic pestis penitus cessauit, vt [illegible] extincta fuerit, licet maxima ex parte vis eius repressa sit; vt quæ dicentur, ostendent.

DE FVGA GREGORII.

Sed quid ipse post hæc? non quidem secundum illud de ignauis atque superbis antiquitus vsurpatum prouerbium, In prœlio cerui, in pace leones: sed e conuerso, se leo-

nem

A nem in prœlio exhibuit, prodigens vitam ipſam, ſtansq. ante omnes in prima acie primus in tanto diſcrimine militabat intrepidus: & vbi pax, conciliato numine, reddita eſt, tamquam cervus ſibi timens, fugam arripuit, latibula captans, cum ſcilicet litteræ Imperatoris de confirmatione eius electionis Romam delatæ fuerunt; quod ijſdem ferme diebus accidit. Sed quid de his primo Turonenſis Gregorius habeat, hic reddamus: Cum, inquit [a], latibula fugæ præpararet, capitur, trahitur, & ad beati Apoſtoli Petri baſilicam deducitur, ibiq. ad Pontificalis gratiæ officium conſecratus, Papa Vrbi datus eſt. Sed nec deſtitit diaconus noſter, niſi ad Epiſcopatum eius de Portu rediret, & qualiter ordinatus fuerit, præſenti contemplatione ſuſpiceret.] hæc ipſe. Verum de eius occulta fuga habet iſta Ioannes diaconus [b]: Quia, inquit, palam egredi portas ciuitatis non poterat, a negotiatoribus exponendum ſe, diſſimulato (vt fertur) habitu, callidus im-
B petrauit: ſiluarum ſaltus expetijt, cauernarum latibula requiſiuit. In quibus dum ab omnibus ſumma ſolicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ ſuper ſe iugiter e cælo dependentis agnoſcitur, capitur, trahitur, & apud beati Petri Apoſtolorum principis templum Pontifex conſecratur.] hæc de fuga, inuentione, & conſecratione Gregorij Ioannes: quæ quidem omnia & ex ipſius Gregorij Papæ ſcriptis fidem aliquam ſibi vendicant.

Etenim dum per apologiam ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum, qui ipſum ob eam cauſam incuſarat, in præfatione libri curæ paſtoralis ad eum ſcripta ſe excuſat, hæc habet [c]: Paſtoralis curæ me pondera fugere deliteſcendo voluiſſe, benigna, frater cariſsime, ac humillima intentione reprehendis, &c.] De ſigno autem diuinitus oſtenſo, quod dictum eſt a Ioanne, ipſe ex epiſtola ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum fidem aliquam ſibi ſumit, dum iſta habet [d]: Ego quoque qui indignus ad locum regi-
C minis veni, infirmitatis meæ conſcius, ſecretiora loca petere aliquando decreueram: ſed ſuperna mihi indicia * aduerſari conſpiciens, iugo Conditoris ſubdidi ceruicem cordis, hoc præcipue perpendens, quia quælibet occulta loca ſine Dei gratia animam ſaluare non poſſunt, &c.] Idemq. ad Natalem Epiſcopum Salonitanum his verbis [e]: Quia diuinis iudicijs * non poteram reſultare, neceſſario mentem meam parti lætiori reuocaui.] ita Gregorius, cum conceptum ex ſua creatione mærorem deponere ac penitus propulſare eo argumento ſtuderet, quod ſcilicet ita Deo placitum eſſe, ſignis haud dubijs cognouiſſet. Quæ igitur adeo mirandis præoſtenſa eſt ſignis ordinatio, celebrata hoc anno, tertio Nonas Septembris, eadem veluti ſacroſancta, annis ſingulis in Eccleſia repetenda, conſignata tunc publice fuit in Romanæ Eccleſiæ tabulis; quæ & in vniuerſo Catholico orbe ſolemnis hactenus perſeuerat. Ceterum etſi pendenda ab ipſo Gre-
D gorio fuerit Imperatori eadem pecuniæ quantitas, quæ a prædeceſſoribus Gothorum temporibus exacta eſt: haud tamen in crimen adduci potuit, quaſi redemptum pecunia Pontificatum obtinuerit: etenim electio (vt dictum eſt) legitime facta illi contulit Pontificatum, non Imperatoris confirmatio tyrannice vſurpata, quæ pecunia licite redimi potuit, cum non redimeretur ea Pontificatus, ſed executio muneris, eo modo (quod aliter non liceret) ab illata vexatione ſe liberando.

Ordinatus igitur S. Gregorius Summus Pontifex, mox creditũ ſibi populum, vt optimus paſtor, Dei verbo alere aggreſſus, in eadem S. Petri baſilica primam ordine poſitã habuit homiliã, qua pluribus præſentis temporis deplorauit ærumnas: etenim accidere viſum eſt tunc temporis ſecundum illud Ioelis [f]: Reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduũ locuſtæ comedit bruchus, reſiduum bruchi comedit rubigo.] Siquidem alia plura poſt peſtem ſe-
E cuta ſunt mala: nam cum adhuc apud baſilicam Vaticanã ordinatus Pontifex Gregorius reſideret, ventis vehementibus concuſſa ciuitate, quæ vetuſtate infirma erant ædificia ſolo proſtrata ſunt: addita his fuere mala alia recentia & inſtantia, quibus tũ Italia premebatur vbique, tum Roma ipſa dirius vexabatur. quo factum eſt, vt crederetur extrema mundo dies iudicij imminere: cuius rei gratia idem Gregorius Pontifex menſe Nouembri habens eam in eadem baſilica ſancti Petri ad populum homiliam in illam Euangelij lectionem, qua [g] ſigna aduentus ſui a Domino prænunciata ſunt, poſt alia habet iſta: Peſtilentias ſine ceſſatione patimur.] & de ſignis præoſtenſis futurorum malorum: Prius quam, inquit, Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipſoq. qui poſt humani generis fuſus eſt ſanguine coruſcantes.] & inferius: Ecce, fratres mei, iam cernimus, quod audiebamus: Nouis quotidie & crebreſcentibus malis mundus vrgetur. Ex illa plebe innumerabili quanti remanſeritis, aſpicitis: & tamen adhuc quotidie

[a] *Greg. Turon. hiſtor. Franc. lib. 10. cap. 1. in fin.*

[b] *Ioan. diac. vit. S. Gregor. lib. 1. c. 44.* DIVINIS SIGNIS IMPEDITA FVGA GREGORII.

[c] *Greg. in præfat. lib. Paſtor.*

[d] *Gregor. lib. 6. epiſt. 4. vet. edit.*

* iudicia

[e] *Gregor. lib. 1. epiſt. 20.*

* indicijs

[f] *Ioel. 1.* ROMA VENTORVM VI MAGNA EX PARTE PROSTRATA.

[g] *Luc. 21.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

die flagella vrgent, repentini casus opprimunt, nouæ nos & improuisæ clades affligunt.] A & paulo post: Nudiustertius, fratres, agnouistis, quod subito turbine annosa arbusta cruta, destructæ domus, atque ecclesiæ a fundamentis euersæ sunt. Quanti ad vesperum sani atque incolumes acturos se in crastinum aliquid putabant, & tamen nocte eadem repentina morte defuncti sunt, in laqueo ruinæ deprehensi? Sed considerandum est nobis, dilectissimi, quod ad hæc agenda inuisibilis Iudex venti tenuissimi spiritum mouit, vnius procellam nubis excitauit, & terram subruit, cassura tot ædificiorum fundamenta concussit. Quid ergo Iudex ipse facturus est, cum per semetipsum venerit, & in vltionem peccatorum ira eius exarserit, si portari non potest, cum nos per tenuissimam nubem ferit? In iræ eius præsentia quæ caro subsistet, si ventum mouit, & terram subruit, & concitauit aera, & tot ædificia strauit?]

Fuerant hæc omnia iam antea a S. Benedicto prænunciata, cum S. Sabinum Episcopum B Canusinum alloqueretur ea quæ ipse S. Gregorius recitat verbis istis [a]: Roma a Gentilibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis turbinibus, ac terræmotu fatigata in semetipsa marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis facta sunt luce clariora: qui in hac Vrbe dissolura mœnia, euersas domos, destructas ecclesias turbine cernimus; eiusq. ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus.] hæc Gregorius. Sed his malis alia addebantur, nempe Longobardorum foris vrgentium metus, & pauor intus ex ijs qui tunc erant Vrbis custodiæ milites mancipati, accensa discordia: de quibus idem Gregorius in epistola ad Paulum Scholasticum post Pontificatum initum tertia ordine scripta ista habet [b]: Veniente autem viro magnifico domno Maurentio Cartulario, ei quæso in Romanæ vrbis necessitate concurrite: quia hostilibus gladijs foris sine cessatione confodimur, sed seditione militum interno periculo grauius C vrgemur.]

[a] Greg. dialog. lib. 2. c. 15.

DE VRBIS CLADE PRAEDICTIO.

[b] Gregor. lib. 1. epist. 3.

Imminebat insuper hoc anno dira fames; cuius rei causa ipse Gregorius, simulac ordinatus est Pontifex, e Sicilia frumentum vehendū curauit, vt patet ex secunda ordine data epistola ad Prætorem Siciliæ ipso mense Septembri, inchoante nona Indictione; vbi inter alia [c]: De qua re curam gerite: quia si quid minus huc transmittitur, *frumenti petiti videlicet*, non vnus quilibet homo, sed cunctus simul populus trucidatur.] Sic igitur non tam sedem Pontificiam, in qua sederet, visus est Gregorius consecutus, quam conscendisse iactatam omni ex parte turbinibus nauem, atque dimotus e sede quietis vocatus ad bella, durosq. labores subeundos, & graues perpetiendas ærumnas. Hinc ipse ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum scribens quartam ordine epistolam, inter alia habet ista [d]: Quia vetustam nauem vehementer confractam indignus ego infirmusq. suscepi: D vndique enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ sonant: per omnipotentem Deum rogo, vt in hoc mihi periculo orationis vestræ manum porrigatis: quia & tanto enixius potestis exorare, quanto & a confusione tribulationum, quas in hac terra patimur, longius statis.] hæc Gregorius pressus angustijs vndique gemens ac dolens.

PENVRIA VRBEM VEXAT.

[c] Gregor. lib. 1. epist. 2.

[d] Gregor. lib. 1. epist. 4.

STATVS ECCLESIAE ROMANAE HVIVS TEMPORIS.

Verum quo magis increbrescere vidit mala, eo fortius ad ea superanda animi virtute surrexit, & tantum abfuit vt illis succumberet, vt ea omnia potentissime superans, visus sit tot immensos fluctus, Christi confisus verbo qui vocauerat, sicco vestigio pertransisse; vt diceret cum Apostolo [e]: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.] Quanta enim fuerit animi tranquillitate inter tot fluctus atque procellas, ex eo quisque facile poterit intelligere, dum (vt ipse testatur in epistola ad Leandrum Episcopum Hi- E spalensem [f]) hoc ipso exordio Pontificatus sui, tamquam si summo otio frueretur, curisq. omnibus vacuus, solitarius detineretur monastica cellula, præclarissimum illud de Pastorali cura commentarium elaborauit, ea occasione accepta, quod (vt dictum est) Ioannes Rauennas Episcopus ipsum litteris arguisset, quod pastoralem curam, delitescendo, fugere voluisset. qua in re imitatus est Magnus Gregorius Gregorium Nazianzenum: sicut enim ille eadem ex causa scripsit de sua fuga apologeticum, quo sublimem periculosamq ciusmodi spiritualem præfecturam ostendens, se haud insipienter fugisse monstrarer: hic noster suæ fugæ defensionem parans, simul ostendit periculum, pariterq. docu quales esse debeant, qui in Episcopos assumuntur, & quo modo qui assumpti sunt se gerere in regimine ipso, atque insuper quo modo docere alios debeant, & ad sui cognitionem eosdem redire demum oporteat. Qua in re non apologiam tantum de fuga sua visus est

[e] 2. Cor. 4.

[f] Gregor. lib. 4. epist. 46.

QVA OCCASIONE GREG. SCRIBIT LIBRVM CVRAE PASTORALIS.

scribere

A scribere, sed pastor ipse pastorum pascere eos primum omnium voluisse, vnde & daretur eis optime sibi subditos curare greges; memor nimirum, primum omnium incumbere ex Domini [a] iussione, sicut Petro, ita & successoribus eius, labantes confirmare fratres. *a Luc. 22.*

Siquidem igitur de cura pastorali volumen, nihil aliud visus est operatus, quam in eminentissima omnium cathedra sublimis positus docere voluisse omnes qui essent in toto Christiano orbe pastores, necnon eos qui eisdem postea futuris sæculis in eodem munere pastorali essent substituendi Episcopi successores. Ita plane, cum ad Synodos celebrandas postea conuenerunt Episcopi, hoc ipsum (vt suo loco dicetur) ingenue professi sunt. Sed quanta id animi demissione, procul abhorrens a fastu, Gregorius ipse præstiterit, eius accipe verba, cum perorat: Ecce, inquit, bone vir, reprehensionis meæ necessitate compulsus, dum monstrare qualis esse debeat pastor inuigilo, pulchrum depinxi hominem
B pictor fœdus, alioq. ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor.] hæc ipse: qui eo se vinculo arctius obstringere voluisse videtur, vt quæ alios scribendo docuisset, primus ipse opere implere satageret, exemplar sibi optimi pastoris velut in tabula pictum ob oculos ponens, vt se ipsum in eamdem imaginem transformaret.

Ceterum quod ad ipsius Gregorij scripta pertinet, plane ea admiranda cognosces, si in eis non folia tantum, sed qui insint fructus velis attente perspicere, atque percipere. Tulit infelicissima conditio sæculi huius, vt inter barbaros barbarissimis luculenta repleta Latinitas, & solœcismorum obducta carie fuerit Romana lingua: vt pene miraculum habitum sit, Gregorium inter tot tenebras aliquo illucescere potuisse fulgore. Sed cœpta iam prosequamur. DE S. GREGORII SCRIPTIS IVDICIVM.

Cum autem meditaretur ista Gregorius, ipso suæ sedis exordio, pati coactus est in-
C gruentia vndique gratulantium agmina: Importuna sane narratio in luctu musica [b]] quod cogat Christiana charitas [c] gaudere cum gaudentibus. Magis vero exulcerabant animum eius illi, qui cum spirituales essent, vt conscij eius animi & instituti, aliter iudicare deberent, æque vt ceteri gestire gaudio viderentur. Hinc ipse ad Paulum Scholasticum his primis ordinationis suæ diebus scribens, hæc ait [d]: Quicquid mihi ex honore sacerdotalis officij extranei arridenti, non valde penso: de vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minime doleo, qui desiderium meum plenissime scitis, & tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui; si voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem.] alludens ad fugam, quam frustra captasset. scribit hæc ad Paulum Scholasticum Siciliæ Præfectum, cum successorem ab Imperatore accepisset Leonem Exconsulem: *b Eccli. 22.* *c Rom. 12.* *d Gregor. lib. 1. epist. 3.* DOLOR DE ALIENO GAVDIO.

D quo tempore idem S. Gregorius [e] ad curandum Ecclesiæ Romanæ patrimonium in Siciliam misit Petrum subdiaconum, cui & in mandatis dedit, vt interesset Concilijs ab omnibus Episcopis eius insulæ annis singulis conuocandis. sed ad eumdē Petrum paulo post litteras [f] dedit, cum ipse vendicare vellet Romanæ Ecclesiæ fundum quemdam, præcipiens, vt si quadraginta annis absque intermissione possessio illius continuata esset, nulla fieret possessori molestia; nolens vti priuilegio a Iustiniano Ecclesiæ Romanæ concesso centum annorum, ne exordia Pontificatus sui aliorum lacrymis auspicaretur. *e Gregor. lib. 1. epist. 1.* *f Gregor. lib. 1. epist. 9.*

Dum in his esset, nec quem deuorarat ex suis ærumnis conceptum mærorem digerere omnino posset, eo magna sæpe regurgitante amaritudine animi, gemens & dolens, vnde sibi malum quo angebatur prouenisse sciebat, eo conuersus, grauius questus est, cū amicis expostulans, quod apud Imperatorem non intercessissent, vt de sua electione decretum
E irritum redderetur. Hoc argumento ab eo scriptæ sunt litteræ ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum & alios: ad ipsum enim in primis hæc habet [g]: Si charitatis virtus in proximi dilectione consistit, & sic diligere proximos sicut nos iubemur: quid est quod me beatitudo vestra non ita sicut se diligit? Quo enim ardore, quo studio Episcopatus pondera fugere volueritis, scio: & tamen hæc eadem Episcopatus pondera ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo, quia non me sicut vos diligitis, qui illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis.] Sunt complures eiusdem Gregorij epistolæ ad diuersos datæ, quibus luget miserrimum quem putabat animæ suæ statum, [illegible] sub honoris specie se videret esse coniectum: dignæ quidem omnes quæ ab omnibus legerentur, verum ob prolixitatem vitandam eas hic reddere prætermittimus: ne tamen ieiunum omnino lectorem dimittamus, satis sit hic referre quam hoc ipso sui Pontificatus initio scripsit ad sororem Imperatoris, nomine Theoctistam, pietate, sicut & ge- *g Gregor. lib. 1. epist. 4.* GREGORII CVM AMICIS EXPOSTVLATIO.

neris

neris claritudine insignem feminam; qua quidem, qui intus laterent, animi fluctus aperit; ait enim post eius exordium [a]: A

[a] Gregor. lib. 1. epist. 4.

DEPLORAT GREGORIVS SVAE VITAE STATVM.

Sub colore Episcopatus ad sæculum sum reductus: in qua, *cura scilicet pastorali*, tantis terræ curis inseruio, quantis me in vita laica nequaquam deseruisse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videor: vnde me a Conditoris mei facie longe expulsum deploro. Conabar nãque quotidie extra mundum, extra carnem fieri; cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre; & non solum vocibus, sed medullis cordis mei ad Dei speciem anhelans, dicebam [b]: Tibi dixit cor meum: Quæsiui vultũ tuum: &, Vultum tuum Domine requiram. Nihil autem in hoc mundo apperens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare; ita vt in me pene impletum crederem, quod pollicente Domino, ex propheta didicissem [c]: Sustollam te super altitudines terræ. Super enim B altitudinem terræ sustollitur, qui & ipsa quæ alta & glorioſa præsentis videntur sæculi per mentis despectum calcat. Sed repente a rerum vertice, tentationis huius turbine impulsus, ad timores, pauoresq. corrui: quia etsi mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, multum formido.

[b] Psal. 26.

[c] Isai. 58.

Vndique causarum fluctibus quatior, & tempestatibus deprimor; ita vt recte dicam: Veni [d] in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero, sed ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum. Ex hoc ergo mihi longe factum est, quod intra me est: ita vt obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur [e]: Redite prævaricatores ad cor. Sed stultis pressius cogitationibus soluminodo exclamare compellor [f]: Cor meum dereliquit me. Contemplatiuæ vitæ pulchritudinem velut Rachelem [g] dilexi, sterilem, sed videntem ac pulchram, quæ etsi per quietem suam minus ge- C nerat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo iudicio, nescio, Lia mihi in nocte coniuncta est, actiua videlicet vita, fœcunda, sed lippa, minus videns, quamuis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinaui, verba oris eius percipere: & ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, & erga multa satagere. Expulsa a me (vt credidi) legione dæmonum, volui obliuisci quos noui, ad Saluatoris pedes quiescere: & ecce mihi nolenti atque compulso dicitur [h]: Reuertere in domum tuam, & annuncia quanta fecerit tibi Dominus. Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula prædicare, cum iam mihi difficile sit saltem recolere? pressus enim in hoc * onere tumultu sæcularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est [i]: Deiecisti eos, dum alleuarentur. Neque enim dixit: Deiecisti eos, postquam alleuati sunt: sed, dum alleuarentur: quia praui quique dum temporali honore suffulti, foris videntur sur- D gere, intus cadunt. Alleuatio ergo ipsa ruina est: quia dum gloria falsa subnixi sunt, a gloria vera euacuantur.

[d] Psal. 68.

GREGORII AERVMNAE IN CVRA PASTORALI.

[e] Isai. 46.

[f] Psal. 39.

[g] Genes. 29.

[h] Marc. 5.

* honore

[i] Psal. 72.

Hinc iterum dicit [k]: Deficientes vt fumus deficient. Fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando euanescit. Sic videlicet fit, cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia vnde ostenditur vt altus sit, inde agitur vt non sit. Hinc rursum scriptum est [l]: Deus meus pone illos vt rotam. Rota quippe ex posteriori parte attollitur, & in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quæ relinquimus: anteriora autem sunt æterna & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo attestante, qui ait [m]: Quæ retro sunt oblitus, in ea quæ sunt priora me extendens. Peccator ergo cum in præsenti vita profecerit, vt rota ponitur, qui in anterioribus corruens, ex posterioribus eleuatur: nam cum in hac vita gloriam percipit quam relinquit, ab illa cadit quæ E post hanc venit. Et quidem multi sunt, qui sic exteriores prouectus regere sciunt, vt per eos nequaquã interius corruant. Vnde scriptum est [n]: Deus potentes non abijcit, cum & ipse sit potens. Et per Salomonem dicit [o]: Et intelligens gubernacula possidebit. Sed mihi hæc difficilia sunt, quia & valde onerosa: & quod mens sponte non recipit, congrue non disponit. Ecce sereniſſimus dominus Imperator fieri simiam leonem iussit. Et quidem pro iussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest: vnde necesse est, vt omnes culpas & negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet; quia virturis ministerium infirmo commisit.] hactenus Gregorius, qui eodem quoque argumento [p] dedit ad Narsetem Patricium, necnon alias ad Anastasium Episcopum Antiochenum: desiderantur autem litteræ scriptæ ad Imperatorem, quarum meminit in illis redditis ad eumdem Anastasium, dum ait: Præterea indico, quia a sereniſſimis dominis quan-

[k] Psal. 36.

[l] Psal. 82.

[m] Philip. 3.

[n] Iob 36.

[o] Prou. 1.

[p] Gregor. lib. 1. epist. 6. 7.

tis

A tis vahi precibus postulaui, vt vos, honore restituto, ad sancti Petri Apostolorum principis limina venire, & quousque Deo placuerit, hic mecum viuere concedant: quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium de æterna patria inuicem loquendo releuemus.] hæc Gregorius.

Quorum verborum sensum vt percipias, in memoriam reuocare debes, quæ de eodem Anastasio Sinaita in superiori Annalium tomo sunt dicta, ipsum nimirum resistentem Iustiniano hæresim promulgare satagenti, ab eodem fuisse Antiocheno Episcopatu dejectum, in locumq. ipsius subrogatum Gregorium, quem cognitum perutilem Reipublicæ constat numquam ab ea sede fuisse per successores Imperatores dimotum. Cum vero magna ob spiritualem animorum coniunctionem intercessisset inter ipsum Pontificem Romanum Gregorium & Anastasium necessitudo: illud ab Imperatore expetijt Gregorius, vt eidem Anastasio honor sedis restitueretur, sineretur tamen ad obitum vsque qui tunc sedebat Gregorius sedere, ipse vero Romam ad se Anastasius mitteretur. Verum litteras de restitutione Anastasij, licet scriptas, non tamen fuisse missas, idem Gregorius testatur in epistola ad Sebastianum Episcopum, vbi ait [a]: Præterea indico suggestionem meam ad pijssimos dominos summis precibus plenam feciſſe, vt virum beatissimum dominum Anastasium Patriarcham, concesso vsu pallij, ad beati Petri Apostolorum principis limina mecum celebraturum solemnia Missarum transmittere debuissent; quatenus, si ei ad sedem suam minime reuerti liceret, saltem mecum in honore suo viueret. sed quæ causa fuerit vt eadem scripta retinerem, præsentium lator vobis innotescet.] hæc ipse. Sed factum est diuino consilio, vt post sequentem annum ille Gregorius moreretur, thronum vero suum post vigintiquatuor annos ipse receperit Anastasius, vt suo loco dicemus.

PRO ANASTASIO ANTIOCHENO EPISC. GREGORIVS LABORAT.

a Gregor. lib. 2. epist. 27.

C Qui igitur in Orientalem Ecclesiam, mox vt creatus est Pontifex, conuertit oculos, certe quidem illis consulere, quæ proxime essent, non despexit: cum enim sciret complures Italiæ Ecclesias post tot bella tempore Gothorum illata & per Longobardos iterata penitus desolatas, earumdem propensiorem curam gessit: quamobrem [b] Minturnensem Ecclesiam non clero tantum, sed & populo destitutam, Formianæ illi proxime inhærenti coniunxit, in qua tunc fuisse venerandum corpus sancti Erasmi martyris tradit. Verum & Formiana postea pariter desolata, in proximum locum ad mare positum natura loci munitum, Caietam dictum, tam sedes, quam martyris pignora sunt translata. Sed & hoc pariter anno, Ecclesia Populonensi in Tuscia, cuius fuerat Episcopus sanctus Cerbonius, sacris destituta ministris, Rosellano Episcopo, vt eam curare deberet, litteris iussit, quarum est exordium [c]: Peruenit ad nos, quod Populonensis Ecclesia ita sit sacerdotis of-
D ficio destituta, vt nec pœnitentia decedentibus ibidem, nec baptisma possit præstari infantibus, &c.] Ex quibus duo ista percipias in Ecclesia Catholica seruari solita, nimirum vt nemo Fidelium adultorum absque pœnitentia, ipso sacramento videlicet pœnitentiæ per sacerdotem impertiendo, ex hac vita migrare sineretur, neque infantes coalescere absque baptismo permitterentur. Hæc sui Episcopatus exordio: de reliquis autem Ecclesijs collapsis, & vt licuit restitutis, vel alijs commendatis, sequentibus annis pro temporis ratione dicturi sumus.

CONSVLIT GREG. ECCLESIIS DERELICTIS.

b Gregor. lib. 1. epist. 8.

c Gregor. lib. 1. epist. 11.

Sed maius negotium illud totis viribus susciendum ipsi fuit, vt schismate diuisa membra capiti iungeret: hoc enim anno idem Gregorius conatus est schismaticos illos ob Tria capitula (de quibus sæpe tomo superiori dictum est) ab Ecclesia Romana separatos communioni Catholicæ restituere. Erant [d] ex eis nonnulli Neapoli degentes, qui qui-
E dem quod non vt alij tumidi arrogantia & auersione superba se ab Ecclesia Romana separauerant, sed quod vererentur, ne Tria damnando capitula, aliquid facerent in præiudicium Concilij Chalcedonensis, quo prætextu alij omnes schismatici (vt suis locis est demonstratum) contra Quintam Synodum se erexerant, facilius curari potuerunt. Horum vnus, Stephanus nomine, simulac accepisset sanctissimum virum Gregorium creatum esse Romanum Pontificem, purum sincerumq. veritatis cultorem, apud quem nullum haberet accessum priuata affectio, sed studiū veritatis: Romam veniens, ipsum conuenit, [illegible]entis ambages, animiq. dubitationem aperuit, quorum causa se ab Ecclesia separarat. Illud pollicitus, reuersurum se ad fidei Catholicæ communionem, si ipse Gregorius suæ ipsius animæ susciperet in se periculum, intercederetq. sponsor & fideiussor apud Deum, vt ratum haberetur in cælo, quod ipse rediens ad communionem Romanæ [illegible] in terris ageret. Quod Gregorius facere minime cunctatus est: sed & vt idem

SCHISMATICI QVOMODO A GREGORIO RECEPTI.

d Gregor. lib. 1. epist. 14.

præstaretur ab eius socijs Neapoli degentibus, litteris admonuit Demetrium his temporibus Neapolitanum Episcopum. A

Vrgebat & iussio Imperatoris, vt schismatici omnes ad Ecclesiam redire deberent: cuius rei gratia scripserat Mauritius Augustus ad ipsum Gregorium Romanum Pontificem, vt eos omnes Romam ad Synodum conuocaret; vt Synodali decreto ijs quæ ab ipsis reuocata essent in dubium, amotis, perfecta Ecclesiæ vnitas sanciretur. Non extant ipsæ litteræ Imperatoris, sed tantum Gregorij id habetur testificatione de his scribentis ad Seuerum Aquileiensem Episcopum iterum in schismatis errorem delapsum; vbi ad finem hæc habet[a]: Pro qua re imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi & serenissimi rerum domini iussionem, ad beati Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus: vt auctore Deo, aggregata Synodo, de ea quæ inter nos vertitur dubietate, quod iustum fuerit, iudicetur.] hæc ipse. Verum venire cum contempsisset, sede ab hostibus priuatus est, Aquileia ipsa (vt dicemus) incensa, & ipse profugus ad summam est deductus inopiam, vt stipem quæreret. Sed de his inferius. B

SCHISMATICI VOCATI AD SYNODVM.

a Gregor. lib. 1. epist. 24.

Gregorius insuper & eos quos impietas Ariana per regiam potestatem segregauerat ab Ecclesia, quantocyus eidem Catholicæ Ecclesiæ restituendos curauit. Antharit enim Rex Longobardorum Ariana labe pollutus, eadem inficere Catholicos studens, hoc anno Paschali tempore prohibuerat Longobardorum Orthodoxorum filios in fide Catholica baptizari. Sed quid accidit? vltor Deus impietatis exurgens, hoc eodem anno, eodemq. ferme die, quo sanctus Gregorius consecratus est Pontifex, nempe Nonis Septembris, ipsum ex hac vita subduxit, vt Paulus affirmat[b]. Quamobrem ipse Pontifex vt cœno impietatis mersos erueret, ciusmodi ad vniuersos Italiæ Episcopos decretum misit[c]; C

b Paul. diac. lib. 3. c. vlt.

c Gregor. lib. 1. epist. 41:

Quoniam nefandissimus Antharit* in hac, quæ nuper expleta est, Paschali solemnitate Longobardorum filios in fide Catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, vt solemnitatem Paschalem vlterius non videret: vestram fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia vbique grauis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Ariana hæresi baptizatos ad Catholicam fidem concilient, quatenus super eos iram Domini omnipotentis placent. Quos ergo potestis, admonete: quanta virtute valetis, eos ad fidem rectam suadendo rapite: æternam eis vitam sine cessatione prædicate: vt cum ad districti veneritis conspectum Iudicis, possitis ex vestra solicitudine lucrum in vobis ostentare pastoris.] hæc Gregorius: quibus etiam indicatur, pestem illam, inguinariam dictam, in Vrbe cœptam, alia loca Italiæ inuasisse; quam non Italiam tantum esse depastam, sed & alias prouincias, constat. D

*Antharis

DECRETVM DE BAPTIZATIS AB ARIANIS.

PESTIS IN HISPANIA ET GALLIA.

Peruasisse enim Hispaniam atque Galliam eamdem inguinariam pestem, Gregorius Turonensis affirmat, dum ait[d]: Nauis ab Hispania vna cum negotio solito ad portum eius appulsa ciuitatis, quæ huius morbi fomitem secum nequiter deferebat: de qua cum multi ciuium diuersa mercarentur, vna confestim domus, in qua octo animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus, relicta est vacua. Nec statim hoc incendium luis per domos spargitur totas, sed interrupto certi temporis spatio, ac velut in segetem flamma accensa, vrbem totam morbi incendio conflagrauit.] Quid autem Rex Guntheramnus pietate insignis ad eamdem luem auertendã præstiterit, ne reliquas Galliæ ciuitates adiret, idem auctor superius ita narrat[e]: Ipse autem Rex (vt sæpe diximus) in eleemosynis magnus, in vigilijs atque ieiunijs promptus erat. Nam tunc ferebatur Massilia a lue inguinaria valde vastari, & hunc morbum vsque ad Lugdunensem vicũ Octauum nomine fuisse celeriter populatũ. Sed Rex ac si bonus sacerdos prouidens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, iussit omnem populum ad ecclesiam conuenire, & rogationes summa deuotione celebrari, & nihil aliud in vsum vescendi nisi panem ordeaceum cum aqua munda assumi, vigilijsq. adesse instanter omnes iubet. Quod eo tempore ita gestum est: per triduum enim ipsius eleemosynæ largius solito præcurrentibus, ita de cuncto populo formidabat, vt iam tunc non Rex tantum, sed etiam sacerdos Domini putaretur, totam spem suam in Domini miseratione transfundens, & in ipso iactationes quæ superueniebant, a quo eas effectui tradi, tota fidei integritate [illegible]. E

d Greg. Turon. hist. Franc. lib. 9. c. 22.

GVNTHERAMNVS REX PESTEM PIETATE PROPVLSARE STVDET.

e Greg. eod. lib. c. 21.

Sed & quomodo etiam in eodem Rege virtus miraculorũ cognita fuerit, ita mox subdit: Celebre tunc a fidelibus ferebatur, quod mulier quædã, cuius filius quartano typo grauabatur, & in stratu anxius decumbebat, accessit inter turbas populi vsque ad tergum Regis,

A Regis, abruptisq. clam regalis indumenti fimbrijs, in aquam posuit, filioq. bibendum dedit, statimq. restincta febre sanatus est. Quod non habetur a me dubium, cum ego ipse sæpius [illegible], energia famulante, nomen eius inuocantes audierim, ac criminum propriorum gesta, virtute ipsius discernente, fateri.] hæc de his ipse Gregorius Turonensis.

Sed iam eius diaconum, quem acceptis Romæ a S. Gregorio Papa sacris reliquijs, ibi reliquimus, in Gallias redeuntem assectemur: miranda quidem ei in ipsa nauigatione contigisse videbimus: audiamus autem ipsum Gregorium eius Episcopum ista narrantem his verbis [a]: Ab hoc etiam *Gregorio Papa* diaconus noster reliquias sanctorum (vt diximus) sumpsit, dum adhuc in diaconatu degeret] viuente scilicet adhuc Pelagio, vt idem habet in commentario de gloria martyrum his verbis [b]: Sicut a diacono nostro relatum, ita gestum esse cognouimus. Hic autem diaconus a Papa vrbis Romæ Pelagio quorum-
B dam martyrum confessorumq. pignora accipiens, cum grandi psallentio, *psalmodia videlicet*, vel clericorum officio, ac populi immensi obsequio, vsque ad Portum deductus est.] cum autem ibidem expectans nauigandi tempus opportunum moraretur, contigisse tradit celebrari ordinationem ipsius Gregorij Papæ, eamq. vt videret, e Portu Romano eumdem diaconum redijsse. Recurrens vero rursus ad Portum: Ingressus, inquit, nauem, erectis velis, ac per illum antennæ (quæ modulum crucis gestat) apparatum extensis, flante vento, pelagus altum arripiunt.

Qui dum nauigant, vt Massilienſis ciuitatis portũ attingant, appropinquare cœperunt ad locum quemdã, de quo a littore maris lapideus mons exurgens, ac paulatim decedens, summa tenus vnda in mari distenditur. Cumq. impellente vento, carina magno impetu ferretur in præceps, vt scilicet scopulo illisa quassaretur, atque nautæ discrimen intuen-
C tes exitus, vociferarentur: diaconus eleuata cum sanctis pignoribus capsa, inuocare nomina singulorum cum gemitu & voce maxima cœpit, deprecans vt eorum virtute ab hoc periculo perituri liberarentur. Iã iamq. appropinquabat nauis (vt præfati sumus) ad scopulum: & statim in sanctorum contemplatione reliquiarum, ab ipso loco commotus cum violentia maiori ventus huic vento contrarium fluctum elisit, ventumq. aduersum repulit, ac naue in pelagus profundum reuocata, cunctos a mortis periculo liberauit: sicq. gyrata mole periculi, portum quem desiderabant, cum Domini gratia ac sanctorum patrocinio contigerunt. Erant enim reliquiæ sanctorum, *Apostolorum scilicet*, quorum sacra vestigia Domini manibus sunt abluta, cum Pauli, Laurentijque, atque Pancratij, Chrysanthi, Dariæq. virginis, Ioannis, atque alterius Pauli fratris eius, quorum certamina & palmas victoriarum ipsa caput orbis vrbs Roma deuota concelebrat.] hucusque Gregorius.

D Hoc eodem anno contigit Francorum motus aduersus Longobardos Galliam Cisalpinam occupantes, ab eodem Gregorio Turonensi [c] descriptus, eodem anno videlicet, quo Gregorius creatus est Pontifex: idq. ex eo colligitur, quod sequenti anno, vbi Agilulphus creatus est Rex Longobardorum [d], ad captiuos redimendos misit Agnellum Tridentinum Episcopum, vt suo loco dicetur. Franci enim simul cum Imperatore Mauritio fœdus aduersus Longobardos ineuntes, ad eos ab Italia expellendos, in Italiam descenderunt, magnumq. vbique accolis damnum intulerunt, deuastantes omnes regiones illas per quas transisse contigit; ex quibus diuinum numen aduersum se concitauerunt. Peruenientes enim in Italiam, cum non reperissent exercitum Imperatoris ex condicto aduersus Longobardos mittendum, nihil magni momenti efficere potuerunt, cum Longobardi vna cum suo Rege in munita loca se recepissent, siue in Ticinensem ciuitatem,
E vel *alij* ad alias munitiones confugissent. Franci vero circumquaque palantes, in prædam conuersi per trium mensium spatium, demum morbis afflicti atque consumpti, pauci cum præda quam egerant & captiuis in Gallias redire compulsi sunt. Hic finis expeditionis huius hoc anno, adhuc Rege viuente Longobardorum, de cuius obitu nuper alia occasione mentio facta est. Porro quem Antharit Gregorius Papa & alij Regem Longobardorum nominant, Turonensis Gregorius eumdem Aptacharium appellat, quem & hoc anno obijsse refert; & Paulum eius successorem vocat, quem Agilulphum dictum fuisse affirmant.

Quo autem ad vinctos pertinet: quid tunc temporis admiratione maxima dignum Aruernis in Gallia acciderit, idem Gregorius subdit his verbis [e]: Apud Aruernos vero vincti carceris nocte, Dei nutu disruptis vinculis, reseratisq. aditibus custodiæ, egressi, ecclesiam ingressi sunt. Quibus cum Eulalius Comes onera catenarum addi iussisset;

a Greg. Turon. histor. Franc. lib. 10. c. 1.
b Greg. Turon. de glor. mart. c. 83.

DE DIACONO TVRONENSI CVM RELIQVIIS REMEANTE.

OPE SANCTORVM MARTYRVM NAVFRAGIVM VITATVR.

c Greg. Turon. histor. Franc. lib. 10. c. 3.
d Paul. diac. lib. 4. c. 4.

e Greg. Turon. histor. Franc. lib. 10. c. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ſuper eos ſunt poſita, extemplo ceu vitrum fragile comminuta ſunt: & ſic obtinente Auito ſancto eius ciuitatis Pontifice eruti, propriæ ſunt redditi libertati.] Quæ vero miraculum iſtud proſecuta ſit munificentia Childeberti Regis, idem pergit ſic dicere: In ſupradicta vero vrbe Childebertus Rex omne tributum tam eccleſijs, quam monaſterijs, vel reliquis clericis qui ad eccleſiam pertinere videbantur, aut quicumque eccleſiæ officium excolebant, larga pietate conceſſit. Multum enim iam exactores huius tributi expoliati erant, eo quod per longum tempus & ſuccedentium generationes, ac diuiſis in multas partes ipſis poſſeſſionibus, colligi vix poterat hoc tributum: quod hic, Deo inſpirante, ita præcepit emendari, vt quod ſuper hoc Fiſco deberetur, nec exactorem damna percuterent, nec eccleſiæ cultorem tarditas de officio aliqua reuocaret.] hæc Gregorius.

CHILDEBERTI REG. MVNIFICENTIA.

Quod rurſus ad Francorum res ſpectat, ad hoc ipſum tempus pertinet Concilium Antiſiodorenſe diœceſanum, cui præfuit Aunacharius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ſolus cum Abbatibus & presbyteris eiuſdē diœceſis: in quo plura, quæ ſtatuta fuerant in Matiſconenſi Concilio ſecundo, cui idem Aunacharius interfuit, & ſexto loco ſubſcripſit, pariter repetita eſſe reperiuntur. Habentur in eo ſanciti canones quadragintaquinque ad Eccleſiaſticam diſciplinam & monaſticam obſeruantiam retinendam ſpectantes; quorum nonnullorum etſi vſus exoleuerit, antiquitatis tamen indices remanſerunt. De quibus monendum, ne dum in duobus ex illis vigilias prohibitas legis, de ſacris intelligas, ſed quæ in priuatis domibus fieri conſueuerant, vt cum dicitur canone tertio: Non licet compenſas in domibus proprijs, nec vigilias in feſtiuitatibus ſanctorum facere.] nam & paulo poſt: Sed quicumque votum habuerit, in eccleſia vigilet. Sic & intelligas quæ habentur in eiuſdem Concilij canone quinto illis verbis: Omnino & inter ſupradictas conditiones, vigilias quas in honore Domini obſeruant, omnibus prohibemus.] quæ nimirum fiebant in domibus proprijs, admixtasq. habebant aliquas ſuperſtitiones.

CONCIL. ANTISIOD. DIOECESANVM.

Quam autem frequens eſſet hoc tempore ſacrarum vigiliarū vſus in Gallijs, illud oſtendit inter alia, quod quemlibet diem Dominicum Fideles præcedentibus nocturnis vigilijs agerent, vt docet canon primus poſterioris Concilij Matiſconenſis, cui (vt diximus) idem interfuit & ſubſcripſit Aunacharius, qui huic Synodo Antiſiodorenſi præfuit: cuius hæc ſunt verba, dū de die Dominico religioſiſsime celebrando agitur: Noctem quoque ipſam, quæ nos ſupernæ luci & immarceſcibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubijs, nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine dumtaxat Chriſtiani eſſe noſcuntur; ſed oremus & vigilemus operibus ſacris, vt digni habeamur in regno coheredes fieri Saluatoris.] Hæc ante annum ſtatuta in Concilio prouinciali, haud potuerunt poſt annum a diœceſano Concilio aboleri, ab eo præſertim Epiſcopo, qui (vt dictum eſt) eidem ea ſtatuenti Concilio ſubſcripſiſſet. Quinetiam in hoc ipſo Antiſiodorenſi Concilio, de quo agimus, vndecimo canone habetur de religioſe ſeruandis vigilijs Paſchatis, ne quis ſcilicet quicquam in eis poſt mediam noctem comedat.] Hæc de vigilijs oportuit admoniſſe aduerſus eos qui putant per idem Concilium fuiſſe abrogatas.

VIGILIARVM VSVS.

Pertinet & ad antiquitatis vſum, quod eiuſdem Synodi canone trigeſimoſexto prohibetur mulier nuda manu Euchariſtiam ſumere: ſed (quod habet inferius canon quadrageſimusſecundus) præcipitur vt ad hoc opus vnaquæque mulier habeat Dominicalem ſuum, alioqui non communicet. Quid autem per Dominicalem intelligi debeat, accipe ex S. Auguſtino, qui de hoc agit ſermone centeſimo quinquageſimoſecundo de tēpore, vbi ait: Omnes viri quando communicare deſiderant, lauant manus, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant.] ſubdit pluribus, quid hæc ſignificent.

DE EVCHARISTIAE SVMPTIONE.

Sed iam inuiſamus Orientis Eccleſiam, quæ miſericordia Dei non deſtituta, eodem tempore quo Occidens tanto Pontifice illuſtratur Gregorio Magno, ipſa refulget ſplendore viri ſanctiſsimi Theodori Siceotæ, qui in Galatia ex Archimandrita inuitus eſt prouectus ad Epiſcopatum Anaſtaſiopolis ciuitatis itidem in Galatia ſub Ancyrana metropoli. Scripſit res ab eo præclare geſtas quam fideliſsime, qui a puero cum ipſo coaluit Georgius presbyter atque eiuſdem monaſterij præfectus: nam in fine eius commentarij hæc ipſe: Hæc ego Eleuſius, qui & Georgius a S. Theodoro vocatus ſum, omnia, Deo adiuuante, ſcripſi. Neque vero miraculorum ipſius expers fui, ſed ea maxime omnium experius ſum. Cum enim parentes mei ex oppido Adigermaro oriundi diu ſimul vixiſſent, nec vllos poſſent liberos ſuſcipere, ad ſanctum virū acceſſerunt; cumq. zonas, quibus ille benedixerat, accepiſſent, ego conceptus ſum, & in lucem editus, & infans ipſi oblatus: qui & in eius monaſte-

DE S. THEODORO SICEOTA.

A naſterio enutritus, a religioſiſsimo præfecto litteras didici,&c.] Qui igitur rerum mirabiliũ ipſius Theodori inſpector maxime fuit, eas ſinceriſſimo ſtylo memoriæ perpetuæ poſteris tradidit. Quomodo autem (quod hoc tempore Mauritij Imperatoris accidit) ad Epiſcopatum Anaſtaſiopolis tractus ſit, idem auctor narrat his verbis:

Defuncto Timotheo Anaſtaſiopolis Epiſcopo, ciues & clerici ad beatiſsimæ Ancyræ metropolis Archiepiſcopum conuenerunt, & magnum Dei ſeruum Theodorum Siceorum manſionis Archimandritam in ſanctiſſimæ Eccleſiæ ſuæ Epiſcopum efflagitarunt. Quorum ille lætatus ſtudio & voluntate, præcepit, vt eum ad ſe adducerent. Erat autem tempus quo ſanctus Theodorus in ſpelunca incluſus precationi vacabat & quieti. Acceſſerunt igitur Anaſtaſiopolis clerici & ciues ad monaſterium atque ſpeluncam, & ſupplicarunt, vt ſe paſtorem ipſis concederet. Quod *ille* cum ne audire quidem vellet, B nedum concedere: ipſi vi quadam pia illata, eum e monaſterio extulerunt, & in lecticam coniectum abduxerunt. Cuius diſceſſu eum & monachi, & ceteri qui illic commorabantur, mæſti eſſent: vir ſanctiſsimus eos per fratrem conſolatus eſt: Omittite, inquiens, mærorem, filij: nam ſi mihi credideritis, non dimittam vos: nihil enim eſt in terra, quod me a conſuetudine veſtra poſsit ſeparare. Ancyram igitur metropolim ingreſſus, a beatiſsimo Archiepiſcopo Paulo cum lætitia ſuſceptus eſt, & Epiſcopus conſtitutus. Viderat autem quidam *in* quiete ſtellam ingentem e cælo delapſam, & ſuper eccleſiam illius ciuitatis *conſtitiſſe*, quæ radijs ſuis tum ciuitatem ipſam, tum regiones finitimas illuſtrabat.] *Probauit* quidem oſtenſam viſionem euentus, cum incredibili miraculorum virtute *illic* vir ſanctus effulgens, toti penitus illuxit Orienti: narrat ea idem auctor, quæ *nos* breuitatis cauſa dicere prætermittimus. Porro ſæpe ſequentibus annis C idem *nobis* occurret Theodorus, ſemperq. præclaris factis inſignior.

THEODORVS CREATVR EPISCOPVS ANASTASIOPOLIS.

Quod ad res bellicas ſpectat, male ſæpe pugnatum eſſe aduerſus Auares, docent Theophanis Annales: cum & certa ſpes victoriæ inſperate oblata Romanis dilabitur, amplius non reuerſura. Aduerſus item Perſas diſcordia ducum Romani exercitus nihil gloria dignum eſt actum; rebellansq. exercitus aduerſus Imperatorem, vix tandem illi paruit poſtea reconciliatus. Sed de his pluribus in Theophane.

IESV CHRISTI ANNVS 591. GREGORII PAP. ANNVS 2. MAVRITII IMP. ANNVS 6.

D SEquitur Chriſti Redemptoris annus quingenteſimus nonageſimusprimus, nona Indictione: quo cum plures ſancti Gregorij Papæ res geſtæ ex epiſtolis ipſius legantur, illæ a nobis Annalibus intexentur, quæ videntur eſſe præſtantiores; cum alioqui ex ſingulis ipſarum verſibus nonniſi magna, quæcumque geſſerit, aut ſcripſerit, eſſe, quiſque prudens intelligat, ſi accurate recta iudicij lance cuncta penſauerit; atque plane digna cenſeat, vt nec vel apex omitteretur ex ſcriptis ab eo epiſtolis, qui non redderetur ijſdem Annalibus: verum affluens nimis copia ſecus agere perſuaſit: etenim præſens tomus vnius tantum Pontificis rebus geſtis implendus eſſet, nec ipſe puto ſufficeret, ſi cuncta quæ illis adnexa videntur, ijſdem pariter iungerentur. Ceterum ſunt complura, quæ licet minima eſſe videantur, magnam tamen inſinuant in Apoſtolico viro virtutem.

GREGORII EPISTOLAE QVALES.

Etenim qui contemplatione cæleſtium præferebat extra orbem hunc poſitum Ange- E lum, & quem vniuerſalis Eccleſiæ circumſpectione aquilam volatu luſtrantem mundum quiſque iure dicere potuiſſet, dum eidem cum hæreticis vniuerſis atque ſchiſmaticis toto orbe diſperſis iuge certamen eſſet, cunctæq. regendæ vniuerſalis Eccleſiæ machinæ onus incumberet: idem ipſe tamen amplitudine charitatis, & miſericordis animi immenſa latitudine, quæ etiam videntur minima minime prætermiſit: priuatorum enim ſemper intentus commodis, vt egentes leuaret inopia, mærentes animo ſolaretur, diſſidentes componeret, factus omnia omnibus, prout quiſque opus haberet, ſolicito ſtudio præſto

f. Sunt indices eius rei litteræ ipſius hoc anno menſe Februario datæ [a] ad Anthemium ſubdia- num in Campania, quibus ei mandauit, vt ancillis Dei Nolæ degentibus egeſtate preſſis, Paulino inſuper presbytero monaſterij S. Eraſmi, ac duobus monachis in oratorio S. Archangeli ſeruientibus præſcriptam eleemoſynam impertiret.

[a] *Gregor. lib. 1. epiſt. 23.*

Cum enim Gregorius ſubdiaconos ad Eccleſiæ Romanæ bona curanda mitteret, æque

vt ante fecerat, in mandatis illis dedit, vt pauperum curam gererent, eosq. inuestigatos A
scripto notatos mitterent. Quod cum ex his vnus idem Anthemius subdiaconus agere ne-
gligeret, ab eodem Gregorio obiurgatur, cũ rursus ad eum scribens, hæc ait [a]: Discedenti
tibi mandauimus, & postea præceptis discurrentibus iniunxisse meminimus, vt curam pau-
perum gereres; & quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares: & vix de
paucis hæc facere curasti. Volo autem, vt domnæ Paterichiæ meæ, mox vt præsentem iuſ-
sionem susceperis, offeras ad calciarium puerorum solidos quadraginta, & tritici modios
quadringentos; domnæ Palatinæ relictæ Vrbici solidos viginti, & tritici modios trecen-
tos; domnæ Viuianæ relictæ Felicis solidos viginti, & tritici modios trecentos. Qui omnes
simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur.] puto has quidem fuisse ex illis no-
bilibus Romanis feminis a Totila Gothorum Rege ex Vrbe pulsis cum viris suis; quibus
defunctis, bonisq. deperditis, eas summa egestate laborasse. Porro eidem Palatinæ illustri B
feminæ, rursus litteris alijs [b] ad eumdem hoc anno datis, præberi iussit solidos triginta
annuos: similiter & Pastori oculis infirmo annuos modios viginti tres & fabæ vndecim
dari præcepit ab eodem Anthemio subdiacono [c]. Sed de eleemosynis hæc satis, exempli
causa adducta de his quæ ad priuatarum rerum curam exactam spectare videri possunt:
ex quibus reliqua discas, quæ in alijs prouincijs, potissimum vero in Vrbe idem Grego-
rius erga pauperes ageret.

a Gregor. lib. 1. epist. 37.

PAVPERIBVS ACCVRATE PROSPICIT GREGORIVS.

b Gregor. lib. 1. epist. 57.

c Gregor. lib. 1. epist. 65.

Quod autem ad publica Ecclesiæ vniuersalis negotia spectare videtur: idem Grego-
rius hoc eodem anno mense Februario, more maiorum, Synodalem epistolam (ita eam ap-
pellat ipse superius [d]) dedit ad Orientalis Ecclesiæ Patriarchas: qua cum primum ipse
pastorum pastor, quales re vera debeant esse pastores, pluribus quam accuratissime do-
ceat; quid insuper credere recte debeant, vt communione Catholica & Apostolica per- C
fruantur, insinuat. Erat autem (vt sæpe vidimus) illud in more, vt simulac quis Romanus
creatus esset Pontifex, vicinis collectis Episcopis, Synodum ageret, in qua se esse fidei
Catholicæ custodem tenacissimum declararet, ex eaq. Synodo epistola Synodalis trans-
mitti soleret ad absentes vniuersi orbis Episcopos, potissimũ vero ad præcipuarum Eccle-
siarum Patriarchas: quod quidem S. Gregorius more maiorum egregie præstitit, dictam
scribens epistolã, cuius eiusmodi inscriptus titulus reperitur [e]: Gregorius Ioanni Episco-
po Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Ioanni Hieroso-
lymitano, & Anastasio Patriarchæ Antiocheno a paribus.] Cur autem hic nominari con-
tingat duos Patriarchas Antiochenos, Gregorium, & Anastasium, superius dictum est.
Sed quod a paribus scriptum dicatur, non sic velim accipias, vt pares eos esse dignitate
significare Gregorius Papa voluerit, quos ex Concilij Nicæni canone satis sciret esse di- D
stinctos. At non puto exemplum vnum ad omnes esse missum simul; sicq. accidisse, vt cum
quatuor vnius epistolæ inuenta sint exemplaria, satis fuerit visum librario nomina simul
iungere, a pariq. addere, quo significaret, eamdẽ ad eos quatuor æque missam: sed primo
loco ponendum Ioannem putarit, quem ob regiam ciuitatem clariori videret fulgere
splendore, existimans antiquitus constitutum sedium ordinem & prærogatiuam iam an-
tiquatam. Quod vero ad ipsam spectat epistolam, omissis ceteris quæ muneris sacerdo-
talis eminentiam exprimunt; ea tantum quæ ad fidem Catholicam spectant, tamquam
totius ædificij fundamentum, hic breuiter, vt scripta habentur, sunt recensenda.

d Gregor. lib. 1. epist. 4.

e Gregor. lib. 1. epist. 24.

DE EPISTOLA SYNODALI S. GREGORII.

Præterea, inquit, quia corde [f] creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salu-
tem: sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia susc ipere & venerari me
fateor; Nicænum scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur; Constantinopolita- E
num quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur; Ephesinum etiam pri-
mum, in quo Nestorij impietas iudicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychetis
Dioscoriq. prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione
custodio.] Quod vides, lector, cubitalibus (vt aiunt) litteris probatum a sancto Grego-
rio poni Chalcedonense Concilium: id scias velim scite prudenterq. factum occasione
schismaticorum asserentium damnantes Tria capitula, ac Quintam Synodum profiten-
tes, labefactare ipsum sacrosanctum Chalcedonense Concilium. Pergit vero Grego[illegible]:
Quia in his, *quatuor Concilijs videlicet*, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei [illegible]ctura
consurgit: & cuiuslibet vitæ atque actionis existat quisquis eorum soliditatem non te-
net, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet.

f Rom. 10.

PROFESSIO CATHOLICAE FIDEI S. GREGORII.

Quintum quoque Conciliũ pariter veneror: in quo epistola quæ Ibæ dicitur, erroris ple-
na re-

A na reprobatur: In quo Theodorus, personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur: & in quo scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur.] Sunt hæc illa Tria capitula ab Orthodoxis damnata, quorum causa totum inuersum sæpe vidimus orbem. Rursum vero ne horum damnatione videretur carpere idem sacrosanctum Concilium Chalcedonense, generali hac, quam subdit, sententia satisfacit: Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere quos ligant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit in Deo Patre per Iesum Christum Filium eius, qui cum eo viuit & regnat consubstantialiter B Deus in vnitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.] hactenus ad eos Gregorius.

DE QVINTA SYNODO ET TRIBVS CAPITVLIS.

Porro ad eumdem Anastasium Antiochenum alias priuatas litteras [a] dedit, in quibus rationem pariter reddidit, cur ad eum sicut ad alios scripserit, cũ non sederet in Ecclesia Patriarcha, subrogato iam diu ante Gregorio, dicens in fine: Præterea sicuti Patriarchis alijs, vel Patribus, ita & Synodicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod voluntate hominum putamini non esse.] Addidit & litteris donum, nempe claues S. Petri: ait enim ad finem epistolæ: Amatoris vestri beati Petri Apostoli vobis claues transmisi, quæ super ægros positæ, multis solent miraculis coruscare.] Sed & ad Andream [b] virum insignem itidem clauem misit habentem intus de eiusdem S. Petri catenis limaturam: nam ad finem epistolæ eadem quæ superius C ferme verba habet, cum ait: Præterea sanctissimam clauem a S. Petri Apostoli corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis miraculis solet coruscare: nam etiam de eius catenis interius habetur. Eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ, colla vestra sanctificent.] Totidem habet etiam verba in epistola ad Ioannem Exconsulem Patricium & Quæstorem, cum illi idem munus impertitur: hic enim quo plus ceteris Gregorium diligebat, eo solicitius procurauerat apud Imperatorem, vt delectus Pontifex probaretur. Ad quem inter alia Gregorius [c]: Vobis quidem omnipotens Deus, qui bono animo fecistis, bona æterna retribuat: sed me a tanto loci huius periculo, qualiter voluerit, absoluat: quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Longobardorum Episcopus factus sum, quorum synthiciæ * spathæ sunt, & gratia pœna.] hæc idcirco Gregorius, quod vniuersa Italia gente esset Longobardorum repleta, quæ fera D & dura ex beneficijs effici soleret truculentior.

a Gregor. lib. 2. epist. 25.

b Gregor. lib. 1. epist. 29.

CLAVES DE SEPVLCHRO S. PETRI GREGORIVS AD DIVERSOS MITTIT.

c Gregor. lib. 1. epist. 30.

* fissitiæ, *id est*, sodalitates, *ex voce Græca.*

Quod vero ad claues spectat e corpore S. Petri (vt ait) mitti solitas: quoniam frequens est eadem ad diuersos pietatis ergo mitti munera ab ipso S. Gregorio, hic tibi repetenda opportune videntur, quæ de ijsdem clauibus superiori tomo ex Gregorio Turonensi sunt recitata ex commentario de gloria martyrum, vbi post alia hæc addit [d]: Multi enim & claues aureas ad reserandos cancellos beati sepulchri, *Principis Apostolorum videlicet*, faciunt, qui eas ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitatem tribulantium medentur: omnia enim fides integra præstat.] Quanta vero & quam miranda consueuerit Deus per huiusmodi claues operari miracula, elicita etiam ab hostibus testimonia suo loco superius recensuimus: quanta præterea ex sudarijs sepulchro admotis, quæ brandea, siue palliola, aut sanctuaria dicta reperies, miracula manare solerent, E ex vtroque Gregorio satis superius dictum est.

DE VSV CLAVIVM SEPVLCHRI S. PETRI.

d Greg. de glor. mart. lib. 1. c. 28.

Laborans interea Gregorius Papa in ministerio pastorali, solicitus erat oppressiones Episcoporum subleuare: quod enim sciret Blandum [e] Hortensem Episcopum detineri a Romano Exarcho Rauennæ, vt eũ e manibus illius vindicaret, iussit vt in causa eius cogeretur Synodus, & deponeretur, si obnoxius criminibus repertus fuisset; sin secus, in suam restitueretur Ecclesiam. Non solũ enim criminalia Episcoporũ iudicia procul aberat vt a Præfectis iudicarentur, sed quæque alia minora si haberent ipsi Præfecti aduersus Episcopos, nonnisi Episcopos iudicari ipsimet petere consueuerant, vt constat ex eiusdẽ Gregorij epistola ad M[illegible]chum [f] Episcopum in Dalmatia data. Sicubi autẽ audiret siue clericos siue laicos a Præpositis afflictari, continuo illis præsto esse non destitit: eiusmodi plane argumẽti est epistola [g] ad Gennadiũ Patriciũ Exarchum in Africa, cũ accepisset illic a Theodoro Magistro militum subditos male haberi: de quo etiã reprimendo scripsit [h] ad Honoratum diaconum.

e Gregor. lib. 1. epist. 32.

OPPRESSOS EPISC. SVBLEVARE CVRAT.

f Gregor. lib. 1. epist. 36.

g Gregor. lib. 1. epist. 57.

h Gregor. lib. 1. epist. 47.

Solicitum vero eumdem Gregorium semper super Episcopos inuigilasse, vt animarum saluti ijdem inuigilarent, plane declarat perbreuis eius epistola ad Proiectitium Narnien-sem Episcopum data hoc anno, mense Septembri, verbis illis[a]: A

[a] Gregor. lib. 2. epist. 32.

QVID EPISCOPI TEMPORE PESTIS.

Peruenit ad nos, peccatis imminentibus, in ciuitate vestra Narniensi mortalitatem omnino grassari: quæ res nos nimis afflixit. Quamobrem salutantes fraternitatem tuam modis omnibus suademus, vt a Longobardorum, siue Romanorum, quibus eodem loco degunt, admonitione, siue exhortatione, nulla ratione cesseris, & maxime a Gentilium & hæreticorum, vt ad veram rectamq. fidem Catholicam conuertantur. Sic enim aut diuina misericordia pro sua eis forsitan conuersione & in hac vita subuenitur, aut, si eos migrare contigerit, a suis (quod magis optandum est) tuam fient facinoribus absoluti.] Hucusque ad Narniensem Episcopum Gregorius: in quo & illud mirandum, quod cum in dando effusissimus esset, in accipiendo continentissimus semper extitit. Est de his dignum exemplum in ipsius litteris ad Felicem Messanæ in Sicilia ciuitatis Episcopum, in quibus inter alia hæc habet[b]: Nobis de cetero ne quid transmittere debeas, inhibemus. Et quoniam non delectamur xenijs: Palmatianas, quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus, sed eas, ne quod exinde potuisses sentire dispendium, digno fecimus pretio venundari, & id fraternitati tuæ transmissimus singillatim.] Hæc ipse. B

[b] Gregor. lib. 1. epist. 44.

XENIA ETIAM REPVLIT GREGORIVS.

Sed quid per Palmatianas intelligat, haud satis explicat. At obscurus locus elucidatur per Cassiodorum[c], qui in epistola ad Anastasium suadet esse intelligendum vinum ita nominatum: etenim cum pretiosa vina recenset, Palmatianum adnumerat. Sed cur ita dictum? num ab vua Palmatia, ita a Plinio appellata[d], ex qua vinum Palmatium idem fortasse quod Palmatianum? Scimus maiores etiam ex palma arbore potationem confi-cere consueuisse: nam S. Hieronymus ait[e]: Palmarum fructus exprimuntur in liquorem.] C

[c] Cassiod. lib. 12. epist. 12.

[d] Plin. lib. 14. c. 6.

[e] Hiero. epist. 2.

Sane quidem & Philostratus in Apollonio[f] vinum ex palmarum fructibus educi testatur, & Strabo[g] in Arabia vinum ex palmis confici solitum atque adstipulatur.

[f] Philostrat. in Apol. lib. 2.

[g] Strabo lib. 16.

Verum nequaquam de his intellexisse Gregorium puto: sed potius ex ratione loci apparet esse locutum de illo vini genere, quod dicebatur Palmatianum, de quo audi Cassiodorum: Vinum quoque, quod laudare cupiens, Palmarianum nominauit, attriquiras, nos stipsim, a spiritu, sed gratum suauitate, perquire: nam licet inter vina Bruttia videatur extremum, factum tamen est pene generali opinione præcipuum. Ibi enim reperitur & Gazeto par, & Sabino simile, & magnis odoribus singulare. Sed quia illud famam sibi nobilissimam vindicauit: hoc & in suo genere nimis elegans perquiratur, ne prudentia maiorum aliquid appellasse videatur improprium (*quod scilicet ob eius excellentiam nominarit Palmatianum*) Est enim suaui pinguedine, molliter crassum, viuacitate firmissimum, nare violentum, candore quoque perspicuum: quod ita redolet ore ructatum, vt merito illi a palma nomen videatur impositum. Viscera defecta constringit, vulnera madida desiccat, lapsum reficit pectus: & quod vix valet implere potus arte compositus, hic naturaliter præstat infectus.] Hucusque de Palmatiano vino Cassiodorus: quod pretiosum sanctus Gregorius accipere dono noluit, sed vendi fecit, & ei qui dederat, misit pretium. D

Ceterum Gregorius, qui non vult ab Episcopis munera accipere, eosdem erga coepiscopos pauperes monet vt sint misericordes. Etenim cum anno superiori (vt vidimus) incursione Auarum sub duce Gagano, siue Gaiano, perturbatæ essent regiones Orientis, expulsiq. Episcopi cum populis e sedibus suis, cum iussisset Imperator eosdem profugos & extorres ab Episcopis Illyrici ali: id vt libenter faciant, monet eos sanctus Gregorius, datis ad ipsos his litteris[h]:

ORIENTALES EPISCOPI EXPVLSI ALENDI DANTVR ALIIS EPISCOPIS.

[h] Gregor. lib. 1. epist. 43.

E

Iobinus excellentissimus vir, filius noster, Præpositus per Illyricum, scriptis suis nobis indicasse dignoscitur, ad se sacris apicibus destinatis, iussum fuisse, Episcopos quos a proprijs locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc vsque in locis proprijs degunt, pro sustentatione & stipendijs præsentis vitæ esse iungendos. Et licet ad hoc fraternitatem vestram iussio Principalis admoneat: habemus tamen maius his mandatum æterni Principis, quo ad hæc terribilius peragenda compellimur, vt non dico fratres & coepiscopos nostros, sed ipsos etiam quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas poscit, in conferendis subsidijs necessitatum carnalium diligamus. Oportet ergo nos ad hanc rem & cælesti primitus Principi obedientes existere, & Imperialibus etiam iussionibus consentire: quatenus fratres coepiscopos q. nostros, quos & captiuitatis, diuersarumq. necessitatum angustiæ comprimunt, debeatis consolando, conuicturosq. vobiscum in

Universidad de Deusto
Biblioteca

A Ecclesiasticis sustentationibus libenter susci pere: non quidem vt per communionem Episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab Ecclesia iuxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesijs auctoritatem tribuimus; sed tamen eos vestris solatijs contineri summopere hortamur.] hucusque Gregorius de his quæ ad Episcopos pertinent.

Non defuit præterea pastorali propensiori cura sanctissimus Pontifex erga monachos, vt regulari obseruantia tenerentur: illos vero potissimum in monasterium reuocandos esse curauit, qui facti essent disciplinæ monasticæ desertores. Erat inter eos Venantius vir illustris, Italiæ Cancellarius diuitijs præpotens, ex Deciorum familia, quocum magna ipsi intercedebat necessitudo: pater hic erat clarissimarum illarum virginum Barbaræ & Anto- DESERTORES ET VAGOS MONACHOS REVOCAT.
B niæ, de quibus frequens mentio in eiusdē S. Gregorij litteris habetur, plures etiam ad easdem datæ ab ipso reperiuntur. hunc, inquam, exmonachū litteris scriptis reuocare ad monasterium studuit; quem inter alia his admonuit[a]: In quo enim habitu fueris, recolis; & supernæ districtionis animaduersione proposita, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergo tuam pensa, dum vacat; districtionem futuri iudicij, dum vales, horresce: ne tunc illam amaram sententiam audias, cum iam nullis fletibus euadas.] & inferius: Ananias pecunias Deo vouerat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit: sed qua morte multatus sit, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, quia eos quos dederat nūmos Deo abstulit: considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non numinos, sed te ipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti. Considera iudicium Dei quod mereatur, qui semetipsum Deo vouit, continuoq. mundi desiderijs
C irretitus mentitus est quod vouit.] hæc & alia ad eum Gregorius: quibus suam exmonachi infelicissimi nostri temporis sententiam recognoscant, qualis erit, cum ad apostasiam etiam hæresin addiderint, ab ipsa Catholica fide discessionem. Porro Venantius nihil profecit ex sancti Gregorij litteris, ita extra monasterium vsque ad obitum perseuerans. Extant enim aliæ eiusdem Gregorij litteræ[b] post annos octo ad eum datæ, cum ægrotaret; aliæ[c] insuper ad Ioannem Syracusanum Episcopū de ipso iam in extremis laborante.

Reperit præterea monachos qui & vxores duxissent, quos reuocandos in monasterium studuit: bellorum enim iugis molestia fecerat monasticam obseruantiam relaxari, & monachis destitui monasteria. Ad hos corrigendos, eosdemq. suis restituendos monasterijs, quantum puras laboris insumpsisse Gregorium? id indicant eius hoc anno eo argumento datæ litteræ[d] de Siciliæ atque Cāpaniæ prouinciæ monachis. Effecerat insuper necessitas
D bellica, vt cum vxoribus, filiabus, atque sororibus, alijsq. feminis fugerent viri in proximas insulas Orsianam atque Palmariam & alias, vbi monachorum erant monasteria; eosq. miserationis intuitu cum monachi susscepissent, haud leue allatum est damnum monasticæ continentiæ. Ad hæc auertenda mala idem Gregorius longe separari a feminis monachos voluit[e] per Anthemium subdiaconum: cum & illud quoque prohibuit, ne ante decem & octo annorum ætatis tempus quis reciperetur in monasterium. Sed & quod monachos itidem Gorgoniæ insulæ solutos monastica disciplina audisset, ad eos instituendos Orosium misit[f] Abbatem, cui & erigere in insula Corsica monasterium in loco munito in mandatis dedit. Quos vero sciebat in monasterijs monastice viuere monachos, ijdem vt Deo propensiori cura vacarent, solicitudine pastorali prouidit, curauitq. vt exteriora negotia eorumdem monasteriorum per prudentes seculares viros curarentur, con-
E stituto salario: ita quidem de his scripsit[g] ad Petrum subdiaconum negotia Ecclesiastica curantem in Sicilia. Quos vero pauperes nouit, sed monastici instituti tenaces, eosdem impertita eleemosyna alendos curauit[h].

Qui igitur monachos vbique degentes sub regulari contineri voluit disciplina, clericos pariter ex sanctorum canonum præscripto vitam agere, componereq. mores curauit, aduersus vero contemptores Ecclesiasticam pro meritis censuram exercuit: etenim hoc anno, mense Septembri Laurentium Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum redegit in ordi- LAVRENTIVM ARCHIDIACONVM DEPONIT.
ne alio in eius loco subrogato; de quo in exordio secundi eius epistolarum libri hæc scripta leguntur: Temporibus Papæ Gregorij, Consulatus Mauritij Augusti anno septimo, depositus est Laurentius, qui primus fuerat in ordine diaconus sedis Apostolicæ, propter superbiam & mala sua, quæ tacenda duximus: & factus est Archidiaconus Honoratus coram omnibus presbyteris, & diaconibus, Notarijsque, subdiaconibus, vel cun-

cto

[a] Gregor. lib. 1. epist. 32.
[b] Greg. lib. 9. epist. 25.
[c] Greg. lib. 9. epist. 31.
MONACHOS REVOCAT AD DISCIPLINAM.
[d] Gregor. lib. 1. epist 38. 39. 40.
[e] Greg. lib. 1. epist 48.
[f] Greg. lib. 1. epist. 49. 50.
[g] Greg. lib. 1. epist 67.
[h] Greg. lib. 2. epist. 1.

cto clero in basilica Aurea.] hæc ibi. Quem igitur vidisti erga monachos clementem, & A
in pauperes misericordem, superbientem Archidiaconum minime tolerandum putauit,
a 1. Cor. 10. secundum illud Apostoli [a]: In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.] atque
b 1. Petr. 4. ex sententia Petri [b], iudicium incipiendum esse ostendit a domo Domini, ab ipsa Apostolica sede, ne vilesceret, cum illud exercendum esset apud externos. Quod autem audis id factum septimo Mauritij anno, intellige illum inchoatum hoc anno, mense Augusto, quo Tiberium mori contigit. Vides re ipsa S. Gregorium perfecisse, quod scriptis suis vnumquemque Episcopum facere debere commonuit, nimirum quod ait [c]: Sit rector bene
c Gregor. Past. lib. 2. c. 6. agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, vt & bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat, quatenus & honore suppresso, æqualem se subditis bene viuentibus putet, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet.] hæc in Pastorali. B

At non solum aduersus superbientem Archidiaconum Ecclesiasticæ censuræ vigorem exercuit, sed & Demetrium Neapolitanæ Ecclesiæ Episcopum hoc eodem anno sede deposuit; quibusnam autem exigentibus culpis, audi quæ scribat ad Neapolitanos [d]: De-
d Greg. lib. 2. epist. 3. metrius siquidem, qui nec antea Episcopus dici meruit, tantis & talibus nequitijs inuentus est inuolutus, vt si secundum suorum qualitatem facinorum iudicium sine misericordia recepisset, diuinis mundanisq. legibus durissima proculdubio fuerit morte plectendus: sed quia pœnitentiæ reseruatus, sacerdotij honore priuatus est, &c.] Iubet autem eis de successoris agere electione, cum illi Paulum quemdam Episcopum vsque ad creationem noui Episcopi ministratorem dari sibi petijssent [e].

e Greg. lib. 2. epist. 6. Quod rursum pertinet ad clericorum disciplinam, ex sacrorum canonum instituto vetuit
CLERICOS REVOCAT AD DISCIPLINAM. eos cum feminis conuersari, ita inter alia scribens ad Symmachum Defensorem [f]: Præterea C
f Gregor. lib. 1. epist. 50. volumus, vt sacerdotes, qui in Corsica commorantur, prohiberi debeant, ne cum mulieribus conuersentur, excepta dumtaxat matre, sorore, vel vxore, quæ caste regenda est.] hæc ibi. Cum enim (quod sæpe dictum est) vxorati adsciscerentur in clerum, non alia id fieri erat solitum ratione, quam si vxor acquiesceret caste viuere, & quem hactenus maritum nouisset, iam exinde fratrem esse cognosceret, atque inter ipsos castissima conuersatio intercederet. Dicebantur feminæ illæ presbyteræ, quæ sic interdū conuersari cum viris suis
g Concil. Turon. 2. c. 13. 14. 20. iā sacerdotibus sinerentur (secundū ea quæ habentur in Concilio Turonensi [g], & ipse Gregorius scribit in dicta epistola ad Symmachū Defensorem [h]) vt tamen nulla prorsus suspicio esse posset mutuæ mixtionis. quamobrē ea licentia magna cautela vti solebant: vt exéplo vel vno percipias ex ijs quæ ab ipso S. Gregorio in dialogis [i] scripta legūtur his verbis:
h Greg. lib. 1. epist. 50.
i Greg. dialog. lib. 4. c. 11. Sed neque hoc sileam, quod vir venerabilis Abbas Stephanus, qui non longe ante hoc D
DE S. VRSINO PRESBYTERO. tempus in hac Vrbe defunctus est (quem ipse etiam bene nosti) in eadem prouincia Nursiæ contigisse referebat. Aiebat enim, quod illic presbyter quidam, Vrsinus nomine, commissam sibi cum magno timore Domini regebat Ecclesiam. Qui ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram suam, vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens, ad se propius accedere numquam sinebat; eamq. sibimet propinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis abscíderat. Habent quippe sancti viri hoc proprium: nam vt semper ab illicitis longe sint, a se plerunque etiam licita abscindunt. Vnde idem vir ne vmquam per eam incurreret culpam, sibi etiam per illam ministrari recusabat necessaria. Hic ergo venerabilis presbyter cum longam vitæ implesset ætatem, anno quadragesimo ordinationis suæ, inardescente grauiter febre correptus, ad extrema deductus est. Sed cum eum presbytera sua conspiceret, solutis iam membris, quasi in mor- E
te distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus eius appositā curauit aure dignoscere. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quantulo admisū valuit vt loqui potuisset, inferuescente spiritu, collegit vocem, atque erupit, dicens: Recede a me, mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illa igitur recedente, crescente virtute corporis, cum magna cœpit lætitia clamare, dicens: Bene veniant domini mei: Bene ve-
VISIO OSTENSA MORITVRO. niant domini mei. Quid ad tantillum seruulum vestrum estis dignati conuenire? Venio, Venio: Gratias ago, Gratias ago. Cumq. hæc iterata crebro voce repeteret: cuibus hoc diceret, noti sui, qui illum circumstetérant, requirebant. Quibus ille adhærando respondit, dicens: Numquid hic conueniisse sanctos Apostolos non videtis? Beatum Petrum & Paulum primos Apostolorum non aspicitis? Ad quos iterum conuersus dicebat: Ecce venio: Ecce venio. Atque inter hæc verba animam reddidit.] hucusque Gregorius.

Quod

A Quod insuper ad continentiam pertinet clericorum, idem S. Gregorius arctiori eam disciplina contraxit, vbi audiuit esse solutam. In Sicilia enim prauus abusus obrepserat, vt subdiacoui vxorem ducerent: quod ne penitus fieret, Pelagius Papa prædecessor Gregorij (vt vidimus) omnino vetuit, atque coniunctos separari mandauit: Gregorius autem ipse scribens [a] ad Petrum subdiaconum, prohibuit ne in posterum quis subdiaconus ordinaretur, nisi continentiam seruare Episcopo spopondisset: coniunctos autem ita manere voluit, vt nulla eis spes esset ad superiorem ordinem ascendendi, nisi ab ea quam acceperant, vxore se penitus separassent. Ex his plane refellitur, exploditurq. longe longius effictum illud pudendum mendacium, & inane commentum inter aniles fabulas illas adnumerandum, quas vetulæ, dum fusum digitis torquent, ad lucernam inter iuuenculas narrare solent, siue potius inter delirantium putes somnia recensendum: quod tamen No-

B uatores magno emptum pretio ad clericalem destruendum cælibatum exponunt, dum fabellam hanc ex conficta epistola nomine S. Vdalrici Augustani Episcopi ad Nicolaum Papam depromunt, his verbis conscriptam:

Beatus Gregorius Magnus Papa primus aliquando suo quodam decreto vxores sacerdotibus ademit. Deinde paulo post cum idem Gregorius iussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantium suffocatorum repererunt. Quam cædem infantium cũ intelligeret S. Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulterijs sacerdotum natam esse; continuo reuocauit decretum, & peccatum suum dignis pœnitentiæ fructibus purgauit.] hactenus ex dicta epistola historici [b] illi magni, demolitores Ecclesiasticæ continentiæ, vbique mendaces & impij, qui & hoc in omnibus laborasse nosceuntur, vt veritatẽ mendacijs obscurent, pietatem vero blasphemijs obruant; dum & hoc

C ipsum fragmen vitri, non secus ac margaritum ostentant. Qui si vel leuiter veritatis amore tincti fuissent, quo maxime imbutum esse oportet historicum, & si cuncta Gregorij scripta exacte legissent, tanto viro plane erubuissent impingere tantam calumniam. Quis adeo frequens tamq. solicitus assertor cælibatus clericorum, atque Gregorius? Quis adeo eiusdem antiquæ legis Ecclesiasticæ diligens custos & vindex, vt ipse? Quot sunt de ea re ab ipso epistolæ scriptæ? Et cui magis credendum de statutis ab ipso decretis, quam eidem ipsi non semel, sed frequentius id profitenti? Quænam ratio, vt cuiuslibet quæuis assertio de Gregorio aduersus ipsum Gregorium contrarium sæpius profitentem afferri possit sine risu, & recipi sine stomacho?

Et ne quis putet pœnituisse Gregorium etiam subdiaconis vxores adimentem (vt taceamus de diaconis atque presbyteris) quæ hoc anno de his scripsisse vidimus, eadem

D repetit Indictione duodecima scribens ad Leonem [c] Episcopum Catanensem: sed & in Concilio Romano habito anno decimotertio Mauritij Imperatoris, Indictione decimaquarta, canonem de his statuit verbis istis: Si quis presbyter, aut diaconus vxorem duxerit, anathema sit.] Quot insuper sunt eius epistolæ, quibus prohibet habitare [d] cum clericis feminas, illis exceptis, quas canon concedit? Quæ demum nouissima de his Gregorij sententia fuerit, vltima eius consule scripta: sed illa non prætermittas, quibus ad Augustinum [e] in Angliam missum decernendo multa respondit, & inter alia illud, ne permittat vxores ducere clericos in sacris ordinibus constitutos. Sed & quã seuerus exactor ipse fuerit pudicitiæ sacrorum ministrorum, vel ex ijsdem cognosce eius scriptis ad Augustinum, cum pollutus in somnis sacerdos ex crapula præcedenti, vt abstineat a sacri celebratione mysterij admonet. Qui cum de laicis cum vxoribus admixtis abunde agit, an Eu-

E charistiam sumere debeant; cur de sacerdotibus vxoratis æque (vt argumentum exigit) nihil tractat; nisi quia de his quæ omnino non essent, nec dubitare quis posset? Cum igitur quæ de his fuerit semper Gregorij sententia, ex scriptis ipsius toties confirmata noscatur: quis locus vlterius potest esse adeo vana fingentibus?

Sed quod vindicauimus Gregorium Papam a tanta calumnia, vindicemus modo & S. Vdalricum a supposita ipsius nomine impostura. Cusæ sunt nuper Augustæ res ab eo gestæ ex diuersis locis summa diligentia collectæ, in commentarium vnũ redactæ, in cuius pr[illegible]fatione difertus auctor hæc habet: Scio ad hæc impuram nescio cuius nebulonis epistolã Vdalrici aliquando nomine venditam: sed cum ea ad Nicolaum Pontificẽ scripta sit: Nicolaus autem Primus plusquam viginti annis ante Vdalricum natum fuerit mortuus, Secundus Pontificatum octogesimo & quod excurrit anno post eum mortuum inierit: ferrei sit oris oportet, qui tantum mendacium ausit asserere, plumbei cordis, cui possit impo-

INVENTVM HAERETICORVM REFELLITVR.

FABELLA DE FILIIS SACERDOTVM.

EX S. GREGORIO OMNINO REFELLITVR.

[a] *Greg. lib. 1. epist. 42.*

[b] *Magdab. cēt. 6. c. 7. col. 388. & cent. 9. col. 540. 541. 542. & cent. 10. col. 686.*

[c] *Greg. lib. 3. epist. 34.*

[d] *Greg. lib. 1. epist. 10. lib. 7. epist. 109. & lib. 11. epist. 49.*

[e] *Greg. lib. 12. Inter. Aug. c. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

imponere.] Ex his tam certis demonstrationibus exclusi ter miseri mendaciorum textores, eo confugiunt, vt alium effingant Vdalricum Episcopum Augustanum, quem nec Augustani ipsi, neque alij vel auditu norunt. Quod si tot tantæq. deessent probationes, aduersus quas nihil sit quod mendacium sibi vendicet: adhuc ex ipsius commenti contextu falsitas redarguitur: adeo vt illud Dauidicum iure vsurpari queat: Mentita est iniquitas sibi.] Quonam modo, rogo, iungi simul possunt, quæ in eadem epistola commentitia ita leguntur: Vxores sacerdotibus ademit; deinde paulo post, cum idem Gregorius iussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantiũ suffocatorum repererunt?] Quomodo, inquã, paulo post sancitum decretum potuit tale quid accidere, & non saltem plures annos oportuerit expectare, vt tot furtiui nascerentur infantes? Sed & quomodo liber aditus patere omnibus sex mille numero infantium proiectoribus potuit nocturno tempore ad piscinam: cum certum sit, piscinas illas, in quibus pisces asseruari solent, non fuisse omnibus publicas, sed oprime custoditas? Siccatus ne erat Tiberis, qui interluit Vrbem, vt ea ad scelus tanta commoditate prætermissa, quæreretur ad infantium necem piscina Gregorij? Sed iam plus satis quam opus fuerit, immorati sumus in huiusce modi verrendis quisquilijs, quæ tamquam gemmæ in suis historijs sunt a Nouatoribus collocatæ, vt ijs vecordes & oscitantes decipiant, conficiantq. more suo ex huiusmodi paleis arietes, quibus nonnisi luteos demoliantur parietes, addictos nimirum crapulis atque libidinibus homines, libenter audientes quæ voluptatibus carnis lariſſimam viam parent. A B

Sed ad Gregoriũ redeamus, qui hoc anno, ad bene instituendam in clericis Ecclesiasticã disciplinã, ad diuersos litteras dedit, quibus iussit puniri transgressores: & inter alios ad Ianuarium [a] Calaritanum Episcopũ de Liberato diacono superbo fastu diaconos Cardinales superegredi satagente: quem vltimo loco inter diaconos consistere voluit. Delinquentes præterea clericos illos, qui Venafranæ Ecclesiæ diripientes vtensilia, Iudæo vendiderant, nempe argenteos calices duos, coronas cum delphinis duas, & de alijs coronis lilia (erant vasa ista ad vsum luminariũ) insuper & pallia maiora sex, relegari mandauit ad pœnitentiam, vbi lacrymis delictum expiarent, de his scribens ad Anthemium [b] subdiaconũ. Item & epistolam [c] ad Petrum subdiaconum dedit, mandans itidem sacerdotes atque Leuitas delinquentes in monasterium tradi. At sicut delinquentes coercuit, ita digne ministrantibus bene prospexit, ne quid illis deesset: quorũ etiam infirmitate languentium [d] rationem haberi voluit, vt sicut ante, ab Ecclesia, cui seruierant, eamdem quam solebant cum sani essent, stipem acciperent. Hæc de his quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam. C

[a] Greg. lib. 1. epist. 81.

[b] Greg. lib. 1. epist. 66.
[c] Greg. lib. 1. epist. 42.
[d] Greg. lib. 2. epist. 3.

Quod vero ad loca spectat, quoniam complures ob bellicas turbas contingebat Ecclesias relictas esse absque ministris, earumdem vicinis Episcopis curam mandauit, vt necessitatis causa in illis constituerentur presbyteri, qui ex more baptizarent infantes, & ex hac vita migrantibus pœnitentiam impertirent. Extant de his eius litteræ ad Episcopum Sipontinum de Ecclesia Canusina, & ad Leonem Episcopum in Corsica de Ecclesia Sagonensi. Cum & vacantes alias Ecclesias Episcopis nouorum Episcoporum electione curauit implendas, nempe Ariminensem [e], Perusinam [f], Viuanensem [g], & Neapolitanam [h], cui curandæ interim missus est Paulus. Porro eius rei praxis sic his tẽporibus se habuisse cognoscitur, vt si dissentirent eligentes, vel minus idoneos deligere perseuerarent, tunc ipse Romanus Pontifex quẽ vellet daret illis pastorem. habẽtur hæc expressa in epistola ad Seuerum [i] de electione Ariminensis Episcopi. Transtulit [k] item Episcopũ Tamiranum in Corsica ad Ecclesiam Sagonensem*, eo quod prior illa ecclesia ab hostibus penitus diruta esset. Cõplures insuper in Sicilia Ecclesias pastoribus destitutas cognoscens, quod earũ Episcopi ob crimen depositi essent, per Petrũ diaconũ iussit dari illis Episcopos, nulla contraria obstante consuetudine. Ex quibus apparet Rom. Pontificem pro libitu, suadente animarũ salute, abrogare consueuisse quasuis diuersarum Ecclesiarum antiquas consuetudines. D E

[e] Greg. lib. 1. epist. 55. 56.
[f] Gregor. lib. 1. epist. 58.
[g] Greg. lib. 1. epist. 78.
[h] Greg. lib. 2. epist. 2. 6. 7.
* Alerensem
[i] Gregor. lib. 1. epist. 55.
[k] Greg. lib. 1. epist. 77.

Quod item ad loca spectat, dedicationem diuersarum [l] ecclesiarum faciendam mandauit: haud enim fas erat, inconsulto Romano Pontifice, ecclesiam aliquam dedicare; vt patet etiam Gelasij Papæ [m] auctoritate. quod quidem non intelligendum puto in prouincijs Orientalibus Patriarchis subiectis. Cum vero dedicabantur ecclesiæ, præter alia solẽnibus ritibus exhiberi solita, peragi consueuerunt antiquæ illæ agapes, in quibus pauperes epulari solerent: at quanta illæ exhiberentur impensa, ex eodem Gregorio accipe, vbi ait: Quia cellæ ipsius tenuitas exigit debere nos in ipsa diei festiuitate concurrere: propterea

[l] Gregor. lib. 1. epist. 52. 54.
AGAPIS VETVS VSVS RETENTVS.
[m] Gelas. epist. 1. c. 6. & 27.

A pterea volumus, vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum.] hæc ipse ad Petrum diaconum pro dedicatione oratorij sanctæ Mariæ, ad supplendam inopiam eius quæ dedicaretur ecclesiæ: quæ redidisse voluimus ad significandum retentum hactenus veterem vsum sacrarum agapum, in quibus vocatis pauperibus, vna simul conuiuari solerent.

Quod vero ad res pertinet Ecclesiarum, sic eas voluit custoditas, vt tamen alienum nihil ab eis possideri permitteret: hincq. accidit, vt domum cuiusdam Petronij [a], iniusto apposito titulo a Defensore Ecclesiæ vendicatam, domino suo statim restituendam mandarit. Egimus alias de huiusmodi Fiscalibus Ecclesiasticis titulis. Itemq. monuit [b] Episcopos Siciliæ, vt cauerent eos, qui sub falso nomine Defensorum Romanæ Ecclesiæ alie-
B nas prædabantur substantias. Voluit etiam, vt possessiones Ecclesiæ Tauromenitanæ [c] occupatæ ab Actionarijs Romanæ Ecclesiæ, eidem redderentur. Ceterum qui noluit aliena bona ab Ecclesiarum ministris auferri, idem magnopere cautum voluit, ne aliquo modo bona Ecclesiæ per surreptionem inuaderentur. Nam audi, quid ad Petrum diaconum missum in Siciliam ad finem scribat hoc anno [d]: Tua experientia sanctæ Ecclesiæ vtilitatem conspiciat, memor quod ante sacratissimum beati Petri Apostoli corpus potestatem patrimonij eius acceperit. Et licet hinc scripta decurrant: quod vtilitatem patrimonij impedit, fieri nullo modo permittat: quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscimur, vel dare disponimus.] Rursus vero quam fuerit rerum Ecclesiæ tenacissimus custos, vt tamen indemnitati aliorum voluerit semper esse consultum, indicant eius litteræ prolixiores datæ ad eundem Petrum [e], dum in fine illarum eiusmodi contestationem habet:
C Hæc omnia solicite perlege, omnemq. illam familiarem negligentiam tuam postpone. Scripta mea ad rusticos, quæ direxi, per omnes massas fac relegi; vt sciant quid sibi contra violentias debeant defendere ex auctoritate nostra: eisq. vel authentica, vel exemplaria nostra dentur. Vide vt omnia absque imminutione custodias: quia de his quæ tibi pro seruanda iustitia scribo, ego absoluor; & tu, si negligis, obligaris. Terribilem Iudicem considera, & de aduentu illius nunc tua conscientia contremiscat, ne tunc sine causa iam timeat, cum coram illo cælum & terra tremuerit. Audisti quod volo: vide quid agas.]

Ista quidem tanta cum energia Gregorius, quod sæpe ministri, qui fideliores videri volunt, vt in Ecclesiæ arcam quid inferant, cuncta distorquent & extorquent, corradunt & corrodunt, sacrificium se Deo magnum ob id offerre putantes, sed de rapina mi-
D nime Deo gratum; de quo in Ecclesiastico [f]: Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.] Quam autem ab his longe abesse voluerit suos ministros Gregorius, legas dictam epistolam, & alias id genus scriptas. Ita quidem in his quæ spectant ad contractus. In his autem quæ pertinent ad delicta, illud admonuit, vt ex delictis alienis commodum nullum Ecclesiæ Fiscus sentiret: nam quod ad laicos Ecclesiæ subditos pertinet, in eadem ad Petrum epistola hæc habet: Cognouimus etiam, quod si quis ex familia culpam fecerit, Ecclesiæ non in ipso, sed in eius substantia vindicetur.] quod improbat. Et de sacerdotibus, vel alijs clericis delinquentibus, ita inferius: De lapsis sacerdotibus & Leuitis, vel quolibet ex clero, obseruare te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatione miscearis: sed pauperrima monasteria require, &c.] Si enim non putarunt mittendum in corbonam Iudæi impij & auari, in his
E vero continentes, sed in pium vsum pretium sanguinis conuerterunt: quid agere decet Ecclesiam Christi? Qua de re post S. Gregorium, & aliorum decreta Pontificum, sancte pieq. & sacrosanctum Concilium Tridentinum admonuit, vt si quæ ab istiusmodi pœnæ exigantur, ipsæ sint profuturæ pauperibus.

Rursum vero ita semper comparatos voluit Ecclesiæ rerum ministros Gregorius, vt in administratione bonorum, non Ecclesiæ emolumenti tantum, sed semper ratio pauperum haberetur. Hinc ad Anthemium subdiaconum [g]: Non solum, inquit, frequentibus præceptionibus, sed etiam præsentem te sæpius me monuisse memini, vt illic vice nostra non tantum pro vtilitatibus Ecclesiasticis, quantum pro subleuandis pauperum necessitatibus fungereris, & eos magis a cuiuslibet oppressionibus vindicares.] & in fine: Iterum atque iterum experientiam tuam necessario submonemus, vt illic si quæ inter pauperes & Romanam Ecclesiam sanctam quæstiones vertuntur, omni mentis integritate discutiat

[a] *Gregor. lib. 1. epist. 63.*

[b] *Greg. lib. 1. epist. 68.*

[c] *Gregor. lib. 1. epist. 71.*

[d] *Greg. lib. 1. epist. 70.*

QVALES ESSE VOLVERIT BONORVM ECCL. MINISTROS.

[e] *Greg. lib. 1. epist. 42.*

REDARGVITVR NIMIA AVIDITAS MINISTRORVM.

[f] *Eccles. 34.*

[g] *Greg. lib. 1. epist. 33.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

discutiat, sicq. patrimoniales vtilitates peragat, vt a benignitate iustitia non recedat.] A hæc ipse, qui nullo pacto voluit Romanam Ecclesiam cum alterius Ecclesiæ iactura locupletari, sed quam exactissime iura cuiusque perquisitari, edi, & solicita disquisitione examinari, vt videre est in litteris [a] hoc anno datis ad Laurentium Ecclesiæ Mediolanensis Episcopum de reditibus ex patrimonio in Sicilia existente, de quo extat epistola Theodorici Regis [b] data ad S. Eustorgium Mediolanensem Episcopum: sed de his iam suo loco dictum est.

[a] Gregor. lib. 1. epist. 80.

[b] Apud Cassiod. lib. 2. epist. 29.

PATRIMONIA ROM. ECCLES. IN DIVERSIS PROVINCIIS.

Habebat Romana Ecclesia locupletissima vbique toto orbe terrarum patrimonia, non in Italia solum & Sicilia, sed & in Asia, vt vidimus superiori tomo, & in Gallijs, vt suo loco dicemus, atque in Africa: Hæc vero cum iam cultorum defectu destituta pene haberentur, Gennadij Exarchi in Africa diligentia ad pristinum cultum restituta fuere: cuius rei gratia idem a Deo maxima beneficia fuit assecutus, vt ad ipsum Gennadium Patricium scribens testatur ipse S. Gregorius, nimirum ingentes diuinitus esse consecutum a Deo victorias aduersus hostes, quos pietate potius quam armis subiecisset: dignum quidem exemplum Christianis cunctis ducibus proponendum. Sed audi ipsius verba Gregorij tantum virum digno præconio prosequentis [c]: B

[c] Gregor. lib. 1. epist. 73.

GENNADII EXARCHI PIETAS.

Si non ex fidei merito, & Christianæ religionis gratia, tanta excellentiæ vestræ bellicorum actuum prosperitas eueniret, non summopere miranda fuerat; cum sciamus hæc antiquis bellorum ducibus fuisse concessa. Sed cum futuras, Deo largiente, victorias non carnali prouidentia, sed magis orationibus præuenitis: fit vt hoc in stuporem veniat; quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat. Vbi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio? quæ bella vos frequenter appetere non desiderio fundendi sanguinis, sed tantum dilatandæ causa Reipublicæ, in qua Deum C coli conspicimus, loquitur: quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat. Sicut enim exteriora vos virtutum opera eminentes in hac vita constituunt, ita & interna morum ornamenta ex corde mundo procedentia in futuram vitam cælestium gaudiorum participatione glorificant. Plurima enim pro pascendis ouibus beati Petri Apostolorum principis vtilitatibus excellentiam vestram præstitisse didicimus; ita vt non parua loca patrimonij eius proprijs nudata cultoribus, largitis Datitiorum *habitatoribus, restaurarit. Quæcumque igitur illic Christiana mente confertis, horum retributionem per spem in futuro iudicio sustinetis.] hæc Gregorius. At quænam istæ fuerint glorioſæ per Gennadium Exarchum in Africa obtentæ victoriæ; scriptorum inopia penitus remanserunt obscuræ, quæ adeo tunc clare fulserunt. Ceterum Christiani ducis pietas his & alijs eiusdem Gregorij scriptis perpetua memoria con- D signata permansit: bene enim vsus S. Gregorius tanti viri religione, & erga res Ecclesiasticas adhiberi solita diligentia, eumdem quoque litteris suis aduersus schismaticorum & hæreticorum præsumptionem erexit.

* dedititiorum

DONATISTAE INVALESCVNT IN AFRICA.

Accidit enim, vt pestis illa nefanda Donatistarum, quæ a temporibus Constantini Imperatoris inuaserat Africam, sæpe curata, numquam sanata, ita in ea prouincia inualescerent, vt non solum absque legum pœna securi ipsi degerent Donatistæ, sed & non secus atque Catholici suos ijdem haberent Episcopos, qui nec vlla ex parte Catholicis loco cederent. Quoniam igitur in prouincia Numidiæ vetus illa vigebat consuetudo, vt ille Primas eius prouinciæ diceretur Antistes, qui antiquitate ordinationis reliquos antecederet: cum inter eiusdem prouinciæ Episcopos quidam reperiretur Episcopus Donatista ceteris sede antiquior, ipse sibi primatum veluti iure veteri vendicabat. Quod E ne vllo modo fieret, sanctus Gregorius intercessit, scribens ad eumdem Gennadium Exarchum. Sed in primis ad vniuersos Episcopos eiusdem prouinciæ Numidiæ dedit has litteras [d]:

[d] Gregor. lib. 1. epist. 75.

NE SINANTVR DONATISTAE PRIMATVM HABERE.

Si quando, carissimi in Christo fratres, inter virentes segetes zizaniorum quædam se infert importuna commixtio: hanc radicitus necesse est cultoris manus adimat, ne futurus fœcundæ segetis fructus possit intercipi. Et nos ergo, qui licet indigni, Dominici agri culturam suscepimus, ab omni zizaniorum scandalo ingenuam reddere segetem festinamus, quatenus ager Domini reditu abundantiori fructificet. Petijstis enim per Hilarium Chartularium nostrum a beatæ memoriæ prædecessore nostro, vt omnes vobis retro temporum consuetudines seruarentur, quas a beati Petri Apostolorum principis ordinationum initijs hactenus vetustas longa seruauit. Et nos quidem iuxta seriem relationis

vestræ

A vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, inmotam permanere concedimus, siue de Primatibus constituendis, ceterisq. capitulis, exceptis his qui ex Donatistis ad Episcopatum perueniunt, quos prouehi ad primatus dignitatem, etiam cum ordo clericorum eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis tantummodo curam gerere; non autem etiam illos Antistites, quos Catholica fides in Ecclesiæ sinu & edocuit & genuit, ad obtinendum culmen primatus anteire.] Considerare ex his, lector, potes, quanta rursus in Africa increbuerit Donatistarum multitudo, cum talia tantaq. præsumerent: vt non mirum sit, si tradiderit postmodum Deus eamdem prouinciam Sarracenis. Sed pergit:

Vos ergo, fratres carissimi, admonitiones nostras zelo charitatis Dominicæ præuenite, scientes quod districtus Iudex ad examinandum deducturus est cuncta quæ gerimus, & B vnumquemque nostrũ non ex prærogatiua sublimioris gradus, sed ex operum meritis approbabit. Quæso ergo, vosmetipsos inuicem alterna pace diligite in Christo, & hæreticis vel inimicis Ecclesiæ vno cordis intuitu obuiate. De proximorum animabus estote solliciti: ad fidem quos valetis prædicatione charitatis, prætenso etiam terrore futuri iudicij, suadete, &c.] Vides ex his insuper, *lector*, quomodo demersa iacuerit hoc tempore prostrata Ecclesia Africana, vt nemo Catholicorum reperiretur, qui aduersus schismaticos Donatistas insurgeret, nullusq. prorsus zeli S. Augustini heres existeret, vel aliorum eiusdem prouinciæ sanctorum *Episcoporum*, qui obijceret se pro muro domui Israel; sed æque languescerent omnes, *sinerentq.* ab eis Catholicos subijci; immo & (quod pro monstro habendum) *eisdem*, vt tales essent, aliqui etiam ex Catholicis suffragijs præsto esse non erubescerent: adeo vt opus fuerit ex eminenti Apostolicæsedis throno exclamare C Gregorium, *idq. ne* fieret prohibere: cui probe visum est, torpescentes ijsdem aculeatis *vrgere stimulis*, atque in re tanta ad obuiandum facinori, Exarchum excitare Gennadium, ad quem eiusmodi litteras dedit, hortans eum ad excitandum Catholicos aduersus Donatistas, his verbis [a]:

EXHORTATIO AD NVMIDAS EPISCOPOS.

Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere: ita oportet eam inimicis Ecclesiæ eius omni viuacitate mentis & corporis obuiare: quatenus eius ex vtroque triumpho magis ac magis enitescat opinio, cum & forensibus bellis aduersarijs Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistitis, & Ecclesiastica prœlia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim, hæreticæ religionis viros, si eis (quod absit) supperit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda (si vaD luerint) Christiani corporis membra transfundant. Cognouimus enim, eos contra Ecclesiam Catholicam, Domino eis aduersante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premat.

GREGOR. ADVERSVS DONATISTAS EXCITAT EXARCHVM.

Concilium vero Catholicorum Episcoporum admoneri præcipite, vt Primatem non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis, faciat: quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Ipse vero Primas non passim (sicut moris est) per villas, sed in vna iuxta eorum electionem ciuitate resideat, quatenus adeptæ dignitatis meliori negotio * resistendi Donatistis possibilitas disponatur. Ex Concilio vero Numidiæ si qui desiderarint ad Apostolicam sedem venire, permittite; & si quilibet eorum viæ contradicere voluerit, obuiate. Magna profecto excellentiæ vestræ apud CreaE torem gloria proficit, si per eam dispersarum Ecclesiarum potuerit societas restaurari. Cum enim largita munera ad nominis sui gloriam conspicit reuocari, tanto largiora tribuit, quanto per ea religionis suæ dignitatem viderit ampliari. Persoluentes præterea paternæ charitatis affectum, Dominum petimus, quo brachium vestrum ad comprimendos hostes forte efficiat, & mentem vestram zelo fidei velut mucronem gladij vibrantis exacuat.] hactenus Gregorius ad Exarchum.

* ingenio

Non defuerunt hoc eodem anno aliæ querelæ de Africanis Episcopis conniuentibus cum Donatistis perlatæ ad Apostolicam sedem; quarum causa ad eumdem Hilarium, cuius superius mentio facta est, Gregorius scribit de conuocando in ea prouincia Concilio: scribens enim ad eum, hæc habet [b]: Feliciissimus atque Vincentius diacones Ecclesiæ Lamigensis, oblata petitione, quæ tenetur in subditis, suggesserunt, ab Argentio eius ciuitatis Episcopo grauem se iniustitiam pertulisse, & accepto præmio Donatistas

DE ARGENTIO EPISC. FAVENTE DONATISTIS.

[a] *Gregor. lib. 1. epist. 72.*

[b] *Gregor. lib. 2. epist. 82.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tistas in Ecclesijs fuisse præpositos; cumq. inter alia non leue aliud facinus, quod dici A
nefas est, commisisse commemorant. Propterea experientiæ tuæ præsenti pagina præcepti duximus injungendum, quatenus præfatum Episcopum idoneæ satisfactioni committere non omittas, tuaq. instantia in locis illis fiat ex more Concilium, & omnia secundum oblatæ petitionis textum canonice coram positis partibus subtili indagatione perquirantur; & quæcumque eorum judicio fuerint terminata, te exequente, monis omnibus compleantur.] hæc Gregorius. Fuisse quidem Hilarium hunc Romanæ Ecclesiæ Chartularium, in Africam ea de causa missum a Gregorij prædecessore, ipsæ recitatæ S. Gregorij litteræ docent. Residebat hic in Africa non Apocrisarius, sed Iudex Ecclesiasticus, perseuerauitq. illic residere etiam sequentibus annis eiusdem Gregorij Pontificatus: nam de eo sæpe inferius mentio habetur in litteris [a] eiusdem Gregorij in Africā missis.

HILARIVS CHARTVLARIVS.

[a] Greg. lib. 1. epist. 62. lib. 2. epist. 33. Ind. 10. lib. 10. epist. 32. 33.

Quodnam autem esset munus Chartularij (quod de his frequentissima sit mentio B
in Annalibus) hic obiter declarandum. Atque primum illud intelligendum, quod quem Latini Chartularium appellabant, Græci Chartophylacem nominabant. Ceterum maioris hunc fuisse auctoritatis in Ecclesia Orientali, quam in Occidentali, ex ijs quæ scribit Theodorus in Responsionibus liquet. Curare hunc iudicia Ecclesiastica loco Pontificis, commune fuisse tam in Occidente, quam in Oriente, certum est.

CHARTVLARII MVNVS.

Verum in Oriente fuisse Chartularium amplissimæ dignitatis, abunde satis decet idem Theodorus [b] in Meditatis, siue Responsis: vtpote qui curaret iudicia, quæ iure Pontificatus ad Patriarcham pertinerent; vnde idem nuncuparetur os & manus Patriarchæ. Huius erat insigne, gestare annulum aureum, & ante pectus Patriarchale bulloteriū instar Rationalis Aaronis: cui & in ipsius initiatione dabat Patriarcha in manu claues, summam eo signo collatam significans potestatem. his accedebat, quod vti consueuerat pileo C
auro ornato. Sed quod his omnibus præstat, illud est, quod cum Chartularius ordine sacro diaconus tantum esset, in publicis tamen consessibus sederet ante Episcopos; licet sæpe sed frustra ab Episcopis ea de causa fuerit reclamatum. Porro cum procedendum esset, vehebatur Chartularius mulo, qui (sicuti Patriarcha vti soleret) ornatus esset linteo albo, tectus ipse tiara auro conspersa, habens satellitium excubitorum. Rursum vero ipsi soli post Patriarcham catechico more populum in ecclesia docere licuisse, idem tradit. In iudicialibus autem, vbicumque adesset, personam repræsentabat Patriarchæ, magno insidens tribunali, & causas audiens tam criminales, quam ciuiles, duodecim habens sub se notarios ex sede Patriarchali fidem habentes. Hæc & alia de eminenti Chartularij dignitate Theodorus, in ijs scilicet quæ spectant ad Constantinopolitanam Ecclesiam.

[b] Theod. Balsam. Medit. de duabus offic. Chartul. & Defens. extat lib. 7. Iuris Grac.

INSIGNIA CHARTVLARII.

Ceterum quod istiusmodi Chartularij ante Episcopos sederent, non id accidit in D
œcumenicis Synodis, in quibus neque sedebant, sed præsto erant suæ functioni. Etenim præerat Chartularius, siue Chartophylax, Chartophylacio, vnde & nomen accepit; & ex Chartophylacio promebat scripta, quæ in Synodo legenda essent. Erat siquidem Chartophylacium idem quod Latini Archiuum dicunt, locus scilicet vbi scripturæ publicæ ad conseruandam perpetuam memoriam asseruarentur. Habes hæc pluribus expressa in Actionibus decimatertia & decimaquarta Sextæ Synodi. Habes præterea in Responsis [c] Ioannis Episcopi Citri, eius fuisse, sigillum scriptis imprimere. Quod vero spectat ad Chartularios Romanæ Ecclesiæ: etsi eiusdem muneris essent, vt iudicijs Ecclesiasticis præsiderent, & chartarum publicarum custodes essent: longe tamen inferioris noscuntur fuisse dignitatis, quam Constantinopolitani. At de Chartulario E
satis, deq. causa Donatistarum hactenus.

[c] Iuris Grac. lib. 5. resp. 1.

Quem igitur vidisti auctoritate Apostolica Gregorium scriptis suis inuisisse Orientem, lustrasseq. Africam, eumdem prosequamur Gallias adeuntem. Ita plane, cui solicitudo vniuersalis Ecclesiæ incumbebat, oportuit eum veluti quibusdam pennis ferri litteris in vniuersas Christiani orbis oras. Quod enim accepisset, apud eos compelli violentia Iudæos ad fidem: ne id penitus fieret, scribens ad Virgilium Arelatensem & Theodorum Massilienſem Episcopos, Apostolica auctoritate prohibuit: habet enim hæc in epistola hoc anno mense Iunio ad ipsos data [d]: Plurimi siquidem Iudaicæ religionis viri in hac prouincia commorantes, ac subinde in Massiliæ partes pro diuersis negotijs ambulantes, ad nostram perduxere notitiam, multos consistentium in illis partibus Iudæorum, vi magis ad fontem baptismatis, quam prædicatione perductos. Nam intentionem quidem huiuscemodi & laude dignam censeo, & de Domini nostri dilectione descendere profiteor.

PONTIFICIS ROM. CVRA TOTIVS ORBIS.

[d] Gregor. lib. 1. epist. 45.

NE IVDAEI INVITI COGERENTVR AD FIDEM.

Sed

A Sed hanc eamdem intentionem nisi competens Scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliquid, animarum quas eripi vo-lumus (quod absit) dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non prædicationis suauitate, sed necessitate peruenerit; ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, vnde renatus esse videbatur. Fraternitas ergo vestra huiusmodi homines frequenti prædicatione prouocet, quatenus mutare veterem vitã magis de doctoris suauitate desiderent. Sic enim & intentio vestra recte perficitur, & conuersi animus ad priorem denuo vomitum non mutatur. Adhibendus ergo illis est sermo, qui & errorum in ipsis spinas vrere debeat, & prædicando quod in his tenebrescit, illuminet: vt pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas vestra capiat; & eos, quantum Deus donauerit, ad nouæ regenerationem vitæ perducat.] hæc ad dictos Galliarum
B Episcopos S. Gregorius. De Theodoro Massilienſi dicta sunt plura tomo superiori ex Gregorio Turonensi [a], ex quo etiam apparet Virgilium haud pridem fuisse, viuente Theodoro adhuc, & ipso cedente, creatum Episcopum Arelatensem. Sed de Iudæis aliàs etiam vexatis in Galijs, adactisq. ad suscipiendum baptismum, æque superiori tomo narratum est. De ijsdem rursus Iudæis non persequendis, sed benignitate ad fidem alliciendis, dedit hoc eodem anno idem Gregorius epistolam ad Petrum Episcopum Tarracinensem [b].

[a] Greg. Turon. hist. lib. 9. c. 23. in fin.

[b] Gregor. lib. 1. epist. 34.

Inuisit præterea hoc anno idem Pontifex litteris suis Hispanias, prouocatus consultatione S. Leandri Episcopi Hispalensis. Accidere enim ex more solebat, vt cũ aliqua de sacris ritibus quæstio verteretur, licet a viris doctissimis quid agendum esset plenissime assereretur: nihilominus ea de re quid Apostolica sedes definiret, rogata de his sententia, expectaretur. Cum igitur ob Arianos (vt vidimus tomo superiori) recens ad Catholicam fidem
C conuersos in Hispania de trina in baptismo mersione controuersia orta esset, & S. Leander cum alijs Episcopis optime respondisset: nihilominus idem voluit consuluisse Romanum Pontificem, qui ad eum ita respondit [c]: De trina vero mersione baptismatis, nil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus; vt dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri: neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate in aquam vel ter vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest Diuinitatis singularitas designari. Sed quia nunc vsque ab hæreticis in-
D fans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne, dum mersiones numerant, Diuinitatem diuidant; dumq. quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.] hucusque de his Gregorius, plane docens, cum hæreticis (quantum fieri potest) neque in bonis communicandum, cum eadem illi non bene, sed male, diuersa videlicet peragant intentione.

[c] Gregor. lib. 1. epist. 41.

S. LEANDRI CONSVLTATIO DE TRINA MERSIONE.

Quod vero S. Leander eumdem S. Gregorium de conuersione Reccaredi Regis Gothorum ad fidem Catholicam vna cum gente Gothorum ijsdem litteris certiorem fecisset: idem Pontifex ad hæc ista: Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium Reccaredum glorioſissimum Regem ad Catholicam fidem integerrima agnoui deuotione conuersum. Huius dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare etiam quem nescio, feciſtis. Sed quia antiqui hostis insidias scitis,
E quoniam bellum durius contra victores proponit: nunc erga eumdem solertius sanctitas vestra cuigilet, vt bene cœpta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat: vt fidem cognitam vitæ quoque meritis teneat; & quia æterni regni ciuis sit, operibus ostendat: quatenus post multa annorum curricula de regno ad regnum transeat.] hæc ipse.

DE RECCAREDO REGE IN PIETATE CONFIRMANDO.

Sed hic, rogo, siste gradum lector, atque vna mecum considera, quomodo potuit accidisse, vt quod factum vidimus ante annos sex, cum Reccaredus simul cum regno fidem quoque Catholicam propagandã susceperit, hic modo Gregorius ex Leandri litteris tamquam quid nouum se accepisse demonstret? Ex his igitur, & alijs quæ dicentur, vehemens me dubitatio angit de tempore eiusdem regni exordij & susceptæ Christianæ religionis, num videlicet in Acta tertij Concilij Toletani error irrepserit, ex cuius notata Era tempus eius regni positum est: nimirum, vt cum Concilium habitum ponatur anno quarto eiusdem Regis, Era sexcentesima vigesimaseptima (qui est annus Domini quingente-

DE TEMPORE CONVERSIONIS ET REGNI RECCAREDI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simus octogesimusnonus) necesse sit affirmare ipsum regnare cœpisse anno quingentesi- A
mo octogesimoquinto: contra vero ex dicta S. Gregorij epistola ad S. Leandrum appareat,
eumdem Reccaredū haud pridem inijsse regnum, Christianamq. religionē esse professum.
Huic assertioni grauissima adeo testimonia accedunt, vt opinari id liceat, veritate sua-
dente, vel fortasse cogente: siquidem haud pridem peruenit in manus meas perbreuis hi-
storia Ioannis Biclarensis, huius temporis rerum scriptoris, qui a Iustino Iuniore Iustiniani
successore sumens exordium, eamdem vsque ad octauum Mauritij Imperatoris annū pro-
pagauit. Hic, inquam, primum annum Reccaredi Regis duplici consignans chronogra-
phia, habet, ipsum regnare cœpisse, cum Mauritius Imperator annum quintum ageret in
Imperio, & Gregorius Papa Pelagio successisset. Huic igitur auctori res sui temporis pro-
sequenti quam sit consentiens dicta S. Gregorij epistola ad Leandrum, nemo non videt.
His præterea accedit, quod & ea, quam æque ex veteribus monumentis scriptam accepi- B
mus, Lucæ Tudensis historia id ipsum pariter profitetur duplicis etiā testificatione chro-
nographiæ, dum videlicet æque anno quinto Mauritij Augusti regnare cœpisse Reccare-
dum ponit: & addita nota Eræ id ipsum confirmat, cum obitum Leouigildi & successio-
nem Reccaredi contigisse dicat Era sexcentesima vigesimaoctaua, anno videlicet supe-
riori, quo scilicet de his S. Leander suis litteris S. Gregorium Papam admonuit. Hæc
tibi occasione dictæ epistolæ Gregorij ad Leandrum voluimus ingessisse: Cum tamen, ne
videamur omnia quæ sequuntur Toletana & alia Hispaniarum Concilia diuersa accusa-
tione Eræ mendacis inuertere, eademq. omnia erroris redarguere, initam semel rationem
temporis prosequi cogamur; quod quidem factum volumus absque præiudicio veritatis.

CONIVRATIO IN RECCARE-DVM.

Quoniam vero quæ ex eodem Biclarensi a nobis citata sunt superius, non e fonte hau- C
sta, sed ab alijs per alueum ducta, haud ita integra reperimus, cum ipsam scriptam ab
eo historiam nacti sumus: hic totidem verbis eadem, quæ pauca sunt, ex originario fon-
te reddere non pigebit: anno enim præsenti, qui & secundus ab eo ponitur regni ipsius
Reccaredi, hæc breuiter habet: Quidam ex Arianis Sunna Episcopus & Segga cū quibus-
dam tyrannidem assumere cupientes, dereguntur. Conuicti, Sunna in exilium truditur,
& Segga manibus amputatis in Galleciam exulans mittitur. Mauritius Theodosium fi-
lium, quem supra Cæsarem diximus, Imperatorem facit.] hæc de his quæ ad hunc per-
tinent annum sextum Mauritij Imperatoris.

ALIA CONIVRATIO IN REC CAREDVM.

Sequenti autem, quem & tertium eiusdem Regis annum numerat, septimū vero Mau-
ritij, hæc habet: Anno septimo Mauritij, qui est Reccaredi tertius annus, Vldila Episco-
pus cū Gosuintha Regina insidiantes Reccaredo, manifestantur, & quod fidei Catholicæ
communionem sub specie Christiana quasi sumentes proijciunt, publicantur. Quod ma- D
lum in cognitionē hominum deductū, Vldila exilio condemnatur, Gosuintha vero Catho-
licis semper infesta vitæ terminū tunc dedit.] pergit de rebus Francorum idē ista referre:

*Bosone

INGENS VICTORIA HISPANORVM SVB DVCE CLAVDIO.

Francorum exercitus a Guntheramno Rege transmissus, Basone* duce in Galliam Nar-
bonensem obueniunt, & iuxta Carcasonem vrbem castra metati sunt. Cui Claudius Lu-
sitaniæ dux a Reccaredo Rege directus, obuiam inibi occurrit: cum quo congressione fa-
cta, Franci in fugam vertuntur, & direpta castra Francorum, & exercitus a Gothis cædi-
tur. In hoc ergo certamine gratia diuina & fides Catholica, quam Reccaredus Rex in Go-
this fideliter adeptus est, esse noscitur operata. Quoniam non est difficile Domino nostro,
siue in paucis aut in multis detur victoria. Nam Claudius dux vix cū trecentis viris sexa-
ginta millia fere Francorum noscitur infugasse, & maximam eorum partem gladio tru-
cidasse. Non immerito Deus laudatur temporibus nostris in hoc prœlio esse operatus, qui E
similiter ante multa temporū spatia per manum ducis Gedeonis in trecentis viris multa
millia Madianitarum Dei populum infestantium noscitur extinxisse.] hactenus de rebus

IVSTA CAVSA CAEDIS FRANCORVM.

tertij anni eius Regis auctor, res (vt diximus) sui temporis prosequens. In quibus illud
consideratione dignum: quod etsi Guntheramnus Francorum Rex pietate insignis ha-
beretur: tamen quod inconsulte nimis priuato indulgens affectui, aduersus Regem, qui
recens Catholicam fidem ex Ariano suscepit, & alijs omnibus Gothis id ipsum agendi
auctor fuit, importune valde omnes Francorum vires immittere ausus est, cui magis gra-
tulari vt fratri in Christo debuerat, & præsto illi in omnibus esse: Deum nimis irritum iu-
re quidem expertus fuisse videtur, victis suis omnibus per Claudium ducem, virum reli-
giosissimum, quem (vt suo loco dicemus) S. Gregorius summis laudibus, ad eum scri-
bens, extollit.

Sed

A Sed redeamus ad Biclarensem, qui paulo post hæc subdit: Reccaredo ergo Orthodoxo quieta pace regnanti, domesticæ insidiæ prætenduntur. Nam quidam ex cubiculo eius etiam prouinciæ dux, nomine Argimundus, aduersus Reccaredum Regem tyrannidem sumere cupiens, ita vt si posset, eum regno priuaret & vita: sed nefandi eius consilij machinatione comprehensus, & in vinculis ferreis redactus. Habita discussione, socij eius impiam machinationem confessi, condigna sunt vltione interfecti. Ipse autem Argimundus, qui regnum assumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decaluatus, post hæc dextera amputata, exemplum omnibus in Toletana vrbe asino sedens pompizãdo dedit, famulos dominis non esse superbos.] hactenus Biclarensis, octauo anno Mauritij historiæ finem imponens, a nobis hic recensita occasione S. Gregorij epistolæ ad Leandrum hoc anno scriptæ: ad quem etiam petitos mittit codices; sed quos exe-
B gerat Moralium libros ad ipsum inscriptos, quod nondum exscripti essent, cur non mittantur, excusat: misit autem postea, vt suo loco dicemus. Ex mutua illa (vt superiori tomo vidimus) consuetudine, quæ iam Constantinopoli, dum ambo ibi diuersis essent ex causis, inter ipsos intercesserat, ea est amicitia contracta, quam neque temporis longitudo, neque loci distantia delere potuerit. Quonam autem esset ipse Gregorius erga S. Leandrum animi affectu, ex postremis epistolæ verbis hæc accipe: Absente corpore, præsentem mihi te semper intueor: quia vultus tui imaginem intra cordis viscera impressam porto.]

Sed quæ hoc anno a barbaris Longobardis in Italia gesta sint, cognoscamus. Cum enim anno superiori (vt vidimus) Antharit * Rex mortuus esset; Reginaq. Theodolinda, quam nuper acceperat in vxorem a Baioariæ Rege Garibaldo (vt Paulus [a] affirmat) Longobardorum concessione Regina perseuerans, delegisset sibi virum Agilulphum du-
C cem Tauritanum, eumdemq. & nominatum Agonem, & in baptismate Paulum: idem Agilulphus Longobardorum Rex appellatus est hoc anno, mense Maio. Habet hæc omnia pluribus Paulus [b] diaconus: additq. eumdem, simulatque Rex confirmatus est, misisse Agnellum Tridentinum Episcopum in Gallias ad redimendos captiuos, qui Tridenti a Francis capti fuerant. Cum interea idem Agilulphus, debellatis occisisq. illis quos aduersarios passus esset, regnum sibi stabiliuit Italiæ: exceptis enim Roma atque Rauenna cum alijs ad eas spectantibus locis, vniuersa Italia ab Alpinis montibus Rhegium vsque Calabriæ illi parebat.

* Autharis

a Paul. diacon. lib. 3. c. 24.

AGILVLPHVS CREATVR REX LONGOBARDORVM.

b Paul. diacon. lib. 3. c. vlt. & lib. 4. c. 1.

Porro magnum a Deo per Theodolindam Reginam consecutos esse a Deo beneficium Regem ipsum & sub eo positos Longobardos, idem Paulus [c] affirmat: nimirum, eum ex Ariana perfidia conuersum esse ad fidem Catholicam, & qui erant Longobardi Gen-
D tiles, siue Ariani, eosdem redditos esse Christianos atque Catholicos. Magnum Dei consilium, dum quæ sunt infirma mundi eligit, vt confundat fortia: cum scilicet robustissimas easdemq. indomitas gentes siue Christiano siue Catholico nomini infensissimas, Francos, Gothos, & Longobardos, auitis abdicatis erroribus, per feminas ipse Deus conuerterit ad verum religionis cultum: Franci enim per Chrotildem, Gothi in Hispania per Ingundem, quæ (vt superiori tomo diximus) virum suum conuertit Hermenegildum, ex quo omnium facta est accessio Gothorum ad fidem Catholicam: & in Italia Longobardi per Theodolindam, decus & ornamentum Bauariæ Principum, fidem Christianam eamdemq. Catholicam perceperunt.

c Paul. diacon. lib. 4. c. 2.

AGILVLPHVS CONVERTITVR.

Hoc item anno sanctus Gregorius Papa dedicauit ecclesiam sanctæ Agathæ Romæ positam, quam Gothi Ariani (vt superius dictum est) sibi vsurpauerant: quæ licet, illis
E ex Vrbe Italiaq. penitus eiectis & profligatis, relicta libera fuisset: tamen quod fermento Ariano videretur esse polluta, & proinde non amplius sacra, sed execrabilis haberetur: Gregorius diuinitus inspiratus adiecit animum, vt eamdem sacris ritibus expiatam sacro cultui idoneam redderet, Deoq. sacraret. Id quidem hoc anno factum esse, ex ijs quæ ipse scripsit in dialogis anno quarto sui Pontificatus elaboratis, satis expresse patet, cum ante biennium id contigisse dicat, hoc ipso videlicet anno. Quæ autem tunc acciderint admiratione digna, ipse sic narrat [d]:

DE ECCLESIA S. AGATHAE CATHOLICIS REDDITA.

d Greg. dialog. lib. 3. c. 30.

Sed neque hoc sileam, quod ad eiusdem Arianæ hæreseos damnationem in hac quoque Vrbe ante biennium pietas superna monstrauit. Ex his quippe quæ narro, aliud populus agnouit, aliud autem sacerdos & custodes ecclesiæ se audisse & vidisse testantur. Arianorum ecclesia in regione Vrbis illa quæ Suburra dicitur, cum clausa vsque ante biennium remansisset, placuit vt in fide Catholica, introductis illuc beati Stephani &

sanctæ Marthæ martyrum reliquijs, dicari debuisset: quod factum est. Nam cum ma- A
gna populi multitudine venientes, atque omnipotenti Domino laudes canentes, eamdem
ecclesiam ingressi sumus. Cumq. in ea iam Missarum solemnia celebrarentur, & præ
eiusdem loci angustia populi se turba comprimeret: quidam ex ijs qui extra sacra-
FVGATVR DIABOLVS, DVM CONSECRATVR ECCLESIA. rium stabant, porcum subito intra suos pedes huc illucq. discurrere senserunt. Quem
dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret: idem porcus ecclesiæ ia-
nuas petijt; & omnes per quos transijt, in admirationem commouit, sed videri a nul-
lo potuit, quamuis sentiri potuisset. Quod idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis pate-
sceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Peracta igitur celebratione Mis-
sarum, recessimus. Sed adhuc nocte cadē magnus in eiusdem ecclesiæ tectis strepitus factus
est, ac si in eis aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte grauior sonitus ex- B
creuit, ac subito tanto terrore insonuit, ac si omnis illa ecclesia a fundamentis fuisset euer-
sa: & protinus recessit, & nulla illuc vlterius inquietudo antiqui hostis apparuit: sed per
terroris sonitum quem fecit, innotuit, quod ab eo loco, quem diu tenuerat, coactus exibat.

Post paucos vero dies in magna serenitate aeris super altare eiusdem ecclesiæ nubes
ALIA MIRANDA QVAE CONTIGERVNT IN S. AGATHAE ECCLESIA. cælitus descendit, suoq. illud velamine operuit, omnemq. ecclesiam tanto terrore ac
suauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis, nullus illuc præsumeret intrare. Sacer-
dos quoque, & custodes, & hi qui ad celebranda Missarum solemnia venerant, rem vide-
bant, ingredi minime poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die vero alio
cum in ea lampades sine lumine dependerent, emisso diuinitus lumine, sunt accensæ.
Post paucos iterum dies, cum expletis Missarum solemnijs, extinctis lampadibus, custos
ex eadem ecclesia egressus fuisset, post paululum intrauit, & lampades quas extinctas
reliquerat, lucentes reperit: quas negligenter extinxisse se credens, eas iam solicitus C
extinxit, & exiens ecclesiam clausit: sed post horarum trium spatium regressus, lucentes
lampades, quas extinxerat, iterū accensas inuenit: vt videlicet ex ipso lumine aperte cla-
resceret, quia locus ille a tenebris in lucem venisset.] hæc in Vrbe eo tempore, & ipso præ-
sente qui narrat, ob oculos omnium facta, & contra Arianos ab eodē Gregorio inculcata,
nos veluti aculeata tela ad feriendos impios hæreticos Nouatores opportune cōuertimus.

Extat de eadem ecclesia ipsius Gregorij rescriptum, cum eamdem in ijs quæ ad eius
bona pertinent commendat Leoni acolytho, datum sub Indictione duodecima, nempe
a Gregor. lib. 3. epist. 19. post biennium, istis verbis[a]: Locorum venerabilium cura nos admonet de eorum vtili-
DE BONIS ECCLESIAE S. AGATHAE. tate per omnia cogitare. Quia ergo ecclesia sanctæ Agathæ sita in Suburra, quæ
spelunca fuit aliquando prauitatis hæreticæ, ad Catholicæ fidei culturam, Deo pro-
pitiante, reducta est: ideo huius auctoritatis tenore commonitus, pensiones omnium D
domorum in hac Vrbe constitutarum, quas prædictam ecclesiam temporibus habuisse
Gothorum constiterit, annis singulis congregare non desinas: & quantum in sartis
tectis, vel luminaribus, aliaq. reparatione eiusdem ecclesiæ necessarium fuerit, eroga-
re modis omnibus studebis. Quicquid vero exuberare potuerit, fideliter rationibus
te Ecclesiasticis inferre præcipimus.] hactenus ipse. His addendum putamus (quod
in eodem argumento versemur) aliam ecclesiam ab Arianis possessam, ab eodem sancto
Gregorio consecratam esse post annum sequentem sub titulo S. Seuerini Episcopi Nori-
corum, cuius reliquias apud Neapolim in Lucullano collocatas ad se mitti mandauit,
b Gregor. lib. 2. epist. 19. Indict. 11. ita scribens ad Petrum subdiaconum Campaniæ patrimonium curantem[b]:
DE CONSECRATIONE ECCL. S. SEVERINI. Cor nostrum pia Diuinitatis inspiratione compungitur, loca quondam execrandis er- E
roribus deputata, in Catholicæ religionis reuerentiam dedicare. Quia igitur ecclesiam
positam iuxta domum Merulanam regione tertia, quam superstitio diu Ariana detinuit,
in honorem S. Seuerini cupimus consecrare: experientia tua reliquias beati Seuerini
summopere debita cum veneratione transmittat: quatenus quæ nostris animis perficien-
da decreuimus, implere, omnipotentis gratia suffragante, possimus.] hæc Gregorius.

c Miscel. hist. hoc anno Imp. RES BELLICAE. Quod vero ad res bellicas pertinet Orientalis Imperij, hoc eodem anno[c] Romanus exer-
d Gregor. lib. 1. epist. 28. citus, qui sæpius ob studia erga diuersos duces sæpe amotos ac sæpe redditos discordiam
conflauerat, per Aristobolum donorum Imperialium Præfectum conciliatus est, & iterum
iuramento firmatus. Fortasse hic ille vir eruditus, ad quem extat[d] S. Gregorij epistola.
Conciliato autem simul exercitu, aduersus Persas eodem concitato, victoria obtenta est,
expugnataq. Martyropolis ciuitas munitissima; vnde Romanis plurimum roboris creuit.
Hæc Græcorum Annales apud Theophanem.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVi sequitur annus Domini quingentesimus nonagesimus secundus, Indictione decima, idemq. Gregorij Papæ tertius incipiens mense Septembri, & Mauritij Imperatoris septimus finiens mense Augusto, funestus fuit Italiæ, & valde ærumnosus S. Gregorio Papæ tum foris prœlijs assiduis agitato, tum intus morbo vexato. Id enim in primis ipse litteris ad Ioannem Rauennatem Episcopum datis testatur his verbis [a]:

Quod multis scriptis vestræ beatitudinis minime respondi: non hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, eo tempore quo Arnulphus ad Roma-
B nam vrbem veniens, alios occidit, alios detruncauit, tanta mœstitia affectus sum, vt in colicam molestiam caderem.] hæc ipse. Erat iste Arnulphus dux Longobardorum in Tuscia, de quo altum silentium apud Paulum: ex ipso autem Gregorio hæc eliciuntur in epistola ad Mauritium Imperatorem, vbi de prima sub suo Pontificatu facta incursione Longobardorum in Tuscia ista habet [b]: Multas enim iam plagas acceperam, & superuenientibus dominorum iussionibus inueni consolationes quas non sperabam. *hæc per antiphrasin*. Si enim possum, has celeriter plagas enumero. Primum, quod mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Tuscia positis sine vllo Reipublicæ dispendio feceram.] hæc Gregorius, ostendens salutem Vrbis pace redemisse, quæ postea occasione insultantium Romanorum militum fracta est: nam mox subdit: Deinde corrupta pace, de Romana ciuitate milites ablati sunt, & quidem alij ab hostibus occisi, alij vero Narnijs & Perusij positi;
C & vt Perusium teneretur, Roma relicta est.] hæc ipse de rebus gestis vsque ad Agilulphi aduentum post duos annos, de quo suo loco dicturi sumus.

Sed quæ hoc anno cum æo peragi contigerunt, suo ordine prosequamur ex dicta epistola ad Ioannem Episcopũ Rauennatem, quem pacis sequestrem esse voluit, ad persuadendum videlicet Romano Exarcho Rauennæ degenti, vt pacem cum Longobardorum duce æquis conditionibus contrahere liceret. Scribens igitur ipse Gregorius immensa afflictatus angustia ad eumdem Ioannem, eius in primis commendans studium pro publicis impensum negotijs, hæc ait [c]: Valde autem mirabar, quid esset, quod illa mihi notissima solicitudo vestræ sanctitatis huic Vrbi meisq. necessitatibus minime prodesset. Sed scriptis vestris discurrentibus, agnoui vos quidem solicite agere, sed tamen apud quem agere possitis non habere. Peccatis ergo hoc meis reputo, quia iste qui nunc interest, & repugnare con-
D tra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pacem vetat: quamuis iam modo, etiam si velit facere, omnino non possumus: quia Arnulphus exercitum Antharit * & Nordulphi habens, eorum sibi dari precaria desiderat, vt nobiscum aliquid loqui de pace dignetur.] & inferius: Mouere autem vos non debet præfati excellentissimi viri Romani Patricij *& Exarchi* animositas: quia nos quanto cum loco & ordine præimus, tanto si qua sunt eius leuia, tolerare mature & grauiter debemus. Si quando tamen est aliquis cum eo locus obtinendi, agat apud eum fraternitas vestra, vt pacem cum Arnulpho, si ad aliquid parum possumus, faciamus: quia miles de Romana vrbe ablatus est, sicut ipse nouit. Theodosiani vero, qui hic remanserunt, rogam non accipientes, vix ad murorum custodiam se accommodant. Et destituta ab omnibus ciuitas, si pacem non habet, quomodo subsistet?] Et inferius de ijsdem Longobardis sub eodem
E duce Arnulpho: De Neapolitana vero vrbe, excellentissimo viro Exarcho instanter imminente, vobis indicamus: quia Aroges (vt cognouimus) cum Arnulpho se fecit, & Reipublicæ contra fidem venit, & valde insidiatus est eidem ciuitati: in quam si celeriter dux non mittatur, omnino iam inter perditas habebitur.] Quod vero ab ijsdem Longobardis ciuitatibus captis, & aliquibus ex eis incensis, alij ciuium dispersi essent, alij ducti captiui: pro ijsdem redimendis idem Gregorius laborauit. Verum quod ab eodem Ioanne litteris commendatam accepisset ciuitatem Aquileiensem, cui præerat Seuerus Episcopus schismaticus: quid de his in primis rescripserit eadem epistola Gregorius, accipe: sic enim ait:

De hoc quod dicitis, incensæ ciuitati Seueri schismatici eleemosynam esse mittendam: idcirco vestra fraternitas sensit, quia quæ contra nos præmia in Palatium mittat, ignorat. Quæ etsi non transmitteret: nobis considerandum fuit, quia misericordia

[a] *Gregor. lib. 2. epist. 32. Ind. 10.*

ARNVLPHVS DVX LONGOB. VRBEM INFESTAT.

[b] *Gregor. lib. 4. epist. 31. Indict. 13.*

[c] *Gregor. lib. 2. epist. 32. Indict. 10.*

PACEM CVPIT CVM LONGOBARDIS GREGORIVS.

* Antharis

ELEEMOSYNA HOSTIBVS QVANDO DANDA.

dia prius fidelibus, ac poſtea Eccleſiæ hoſtibus eſt facienda. Iuxta quippe eſt ciuitas A
DE CAPTIVIS REDIMENDIS GREGORIVS AGIT. Phanum, in qua multi captiui ſunt: ad quam ego iam tranſacto anno tranſmittere voluí, ſed inter hoſtes medios non præſumpſi. Videtur ergo mihi, vt Claudium Abbatem cum aliquanta pecunia illuc tranſmittere debeatis; & liberos, quos illic pro pretio ſuo in ſeruitio teneri inuenerit, vel ſi qui adhuc ſunt captiui, redimat. De ſumma vero eiuſdem pecuniæ tranſmittenda, vobis certum ſit, quia quicquid vos decernitis, mihi placet. Sin autem cum excellentiſsimo viro Romano Patricio agitis, vt pacem facere cum Arnulpho debeamus: ego ad vos perſonam aliam tranſmittere paratus ſum, cum qua mercedis cauſæ melius fiant.] hæc de redimendis captiuis, & pace cum Longobardis facienda Gregorius. Quod vero ad Seuerum ſchiſmaticum pertinet, cuius ciuitatem incenſam tradit: non alium hunc Seuerum ab illo putes Epiſcopo Aquileienſi, qui ad Synodum Romam ab eodem S. Gregorio vocatus fuerat[a], iterum (vt vi- B
a Gregor. lib. 1. epiſt. 10. dimus) lapſus.

Inter tot vero Longobardorum tumultus, ipſe Gregorius ſummo veluti in otio conſtitutus, nihil prætermiſit exactiſsimæ curæ paſtoralis. Legati autem ex Numidia Romam hoc anno ſunt miſsi ad ſedem Apoſtolicam nihil boni ferentes. Etenim cum anno ſuperiori (vt vidimus) datis ad eius prouinciæ Epiſcopos litteris, vetuiſſet Gregorius Donatiſtarum Epiſcopum deligi in Numidiæ Primatem: alia via hoſtis irrumpere conatus eſt, nempe illud agens, vt quod olim bono pacis vidimus aliquando fuiſſe permiſsum, iterum reſtitueret, nimirum vt in vnaquaque ciuitate, vbi eſſent populi Donatiſtæ, licet ibi eſſet Catholicus Epiſcopus, nihilominus ſineretur eſſe pariter Epiſcopus Donatiſtarum. Id enim vt fieret, pecunia data, Donatiſta ab Epiſcopo Catholico impetrarat; inſuper & illud, vt perſoluta pecunia, concederetur ijſdem Donatiſtis iterum baptizare Catholicos. Horum C
malorum nuncij duo ad ipſum Romanum Pontificem ex Numidia diaconi ſunt profecti.

Ad hæc tam enormia corrigenda, in Numidiam proficiſci iuſſit Gregorius Hilarium S. R. E. Chartularium degentem Carthagine, de quo facta eſt mentio anno ſuperiori: vt coacto Concilio, deponeret Epiſcopum, qui Epiſcopalem vendidiſſet dignitatem ſchiſmatico. Atque vt conatus Donatiſtarum magis magiſq. coaleſcentes comprimerentur, ſcripſit de his dolens ipſe Pontifex litteras ad Columbum in Numidia Epi-
b Gregor. lib. 2. epiſt. 32. Indict. 10. ſcopum iſtis verbis[b]:

DE DONATISTIS IN AFRICA INVALESCENTIBVS. Notum eſt, cariſsime in Chriſto frater, quod antiquus hoſtis, qui primum hominem de paradiſi delicijs in hanc ærumnoſam vitam callida perſuaſione depoſuit, & in eo iam tunc humano generi pœnam mortalitatis inſlixit, eadem nunc calliditate ouium Dominicarum paſtores, quo facilius gregem capiat, transfuſis conetur venenis inficere, & iure iam poteſtati propriæ vendicare. Sed nos, qui licet immeriti, ſedem Apoſtolicam vice Petri Apoſtolorum principis ſuſcepimus gubernandam, ipſo Pontificatus officio cogimur generali hoſti quibus valemus niſibus obuiare. Porrecta igitur petitione inſinuauerunt nobis præſentium latores Conſtantius & Muſtellus (vt aſſerunt) Eccleſiæ Pudentianæ diacones in Numidia prouincia conſtitutæ, Maximianum eiuſdem Eccleſiæ Antiſtitem in loco quo degit, corruptum præmio, Donatiſtarum Epiſcopum noua licentia fieri permiſiſſe: cum etſi hoc anterior vſus permitteret, manere atque perſiſtere fides Catholica prohiberet. Ob hoc ergo fraternitatem tuam ſcriptis præſentibus neceſſario duximus adhortandam, vt veniente ad te Hilario Chartulario noſtro, adunato Epiſcoporum vniuerſali Concilio, habito præ oculis terrore venturi Iudicis, cauſa eadem ſubtili ac ſolerti debeat indagatione perquiri. Et ſi capitulum hoc a præſentium D E
latoribus prædicto Epiſcopo documentis idoneis fuerit approbatum; a dignitate, officioq. quo fungitur, modis omnibus degradetur: vt & ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, & ceteri tentare talia non præſumant. Aequum enim eſt, vt qui Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum hæretico, accepta pecunia, venundedit, vt refertur, ab eius videlicet ſacroſancti corporis ac ſanguinis tractandis myſterijs ſubmoueatur. Si qua autem inter eos extra crimen hoc damnorum quorumdam, vel priuatorum negotiorum (ſicuti petitio diaconorum ipſorum continet) verſatur intentio: hanc tua fraternitas cum prædicto Chartulario noſtro priuata cognitione perquirat, & inter vtramque partem iuſtitia procedente definiat.

Porro autem præſentium latorum inſinuatione didicimus, Donatiſtarum hæreſim pro peccatis noſtris quotidie dilatari, & valde plures, data per venalitatem licentia, poſt Catho-

Universidad de Deusto Biblioteca

A Catholicum baptisma a Donatistis denuo baptizari. Quod quam graue sit, frater, oportet nos tota mentis intentione perpendere. Ecce lupus Dominicum gregem non iam in nocte latenter, sed in aperta luce dilaniat: & nos eum grassari in ouium nece cernimus, & nulla ei solicitudine, nullis verborum iaculis obuiamus? Quos ergo fructus Domino multiplicati gregis ostendemus, si & ipsum quem pascendum suscepimus, otiosa mente cernimus a bestia deuorari? Studeamus igitur cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hiemales noctes, imbribus geluq. constricti, ducunt sæpe peruigiles, ne vel vna ouis, & non forte vtilis pereat. Quam & si insidiator ore voraci momorderit: quomodo satagunt? quibus cordis anhelãt æstibus? in quas voces, vt eruant captum pecus, angustia stimulante prosiliunt, ne a gregis domino, quicquid per incuriam perdiderint, exigatur? Vigilemus ergo, ne quid pereat: aut si captum forte quid fuerit,
B vocibus diuinorum eloquiorum ad gregem Dominicum reducamus: vt ille qui pastor pastorum est, vigilasse nos circa gregem suum, suo misericors dignetur iudicio comprobare. Hoc quoque vos necesse est solerter attendere, vt si qua contra latores præsentium eiusdem Episcopi recta fuerit petitio, subtili debeat indagatione perquiri. Et si fortasse ipsi quoque pro sua culpa iure feriendi sunt, nequaquam censemus esse parcendum.] hactenus Gregorius ad Primatem Numidiæ Columbum mense Augusto. Porro infelix Ecclesia Africana non his tantum spinis Donatistarum hæreticorũ oppleta erat, sed insuper (quod magis dolendum fuit) Manichæorum etiã vepribus abundabat, prout idem ipse Gregorius testatur in epistola ad Ioannem Episcopum Scyllacenum, cum ait [a]: Afros passim, vel incognitos peregrinos ad Ecclesiasticos ordines tendentes, nulla ratione suscipias: quia Afri quidem aliqui Manichæi, aliqui rebaptizati.] Donatistæ hi erant, qui rebaptizabant.

[a] Gregor. lib. 2. epist. 25. Indict. 10.

C Quo etiam mense, hoc anno, idem Gregorius Papa, suscepta honorifica legatione ab Episcopo Carthaginensi, qua de electione ipsius Pontificatus adgauisus est, epistolam ad eum rescripsisse legitur. Dominicus is erat nomine, qui quatuor ad S. Gregorium misit Romam legatos, Episcopos duos Donatum & Quoduultdeum, Victorem diaconum, & Angelum Notarium: per quos, post gratulationis impertitum officium, petijt ab eodem, vt impertita suæ Ecclesiæ priuilegia salua esse vellet. Ad quem Gregorius pastoralem reddens epistolam, hæc de priuilegijs habet [b]: De Ecclesiasticis vero priuilegijs quod vestra fraternitas scribit: hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura seruamus: nec cuilibet, fauẽte gratia, vltra quam meretur, impertior: nec vlli hoc quod sui iuris est, ambitu stimulante, derogo: sed fratres meos per omnia honorare cupio: sicq. studeo honore singulos subuehi, dummodo
D non sit quod alteri iure ab altero possit opponi.] hæc de his ipse, equidẽ Gregorio digna.

DE LEGATIONE EPISC. CARTHAGIN. AD S. GREGORIVM

[b] Gregor. lib. 2. epist. 39. Indict. 10.

Laborauit præterea hoc anno Gregorius in reducendis schismaticis ad Ecclesiam. Eodem enim tempore Episcopi in Hibernia positi, etsi (vt vidimus tomo superiori) schismatici essent, tamen angustia pressi, ad Romanam Ecclesiam litteris datis clamant. Etenim ad Hibernos quoque occasione Trium capitulorum conflatum haud pridem schisma pertransijt. Quos in tribulatione suspirantes vt colligeret, & Apostolicæ Ecclesiæ vniret, Gregorius anxio studio laborauit, scribens ad eos litteras, & librum ea de causa conscriptum mittens. epistola autem sic se habet [c]:

HIBERNI AD GREGORIVM SCRIBVNT.

[c] Gregor. lib. 2. epist. 36. Indict. 10.

Scripta vestra summa cum gratulatione suscepi: sed erit in me vberior valde lætitia, si mihi de vestra contigerit reuersione gaudere. Prima itaque epistolæ vestræ frons grauem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio dum non rationabiliter
E sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare pro culpa. Debetis enim scire (sicut beatus Cyprianus dixit) quia martyrem non facit pœna, sed causa. Dum igitur ita sit, incongruum nimis est de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minime prouehi. Reducat ergo charitatem vestram tandem integritas fidei ad matrem, quæ vos generauit, Ecclesiam. Nulla vos animorum intentio a concordiæ vnitate dissociet: nulla persuasio rependo vos a recto itinere defatiget. Nam in Synodo, in qua de Tribus capitulis actum est, aperto liquet, nihil de fide conuulsum esse, vel aliquatenus immutatum; sed sicut scitis, de quibusdam illic solummodo personis est actitatum, quarum vna, cuius scripta euidenter a rectitudine Catholicæ fidei deuiabant, non iniuste damnata est. Quod autem scribitis, quia ex illo tempore inter alias prouincias maxime flagellatur Italia: non hoc ad eius debetis intorquere opprobrium, quoniam scriptum est [d]: Quem diligit Dominus, casti-

[d] Hebr. 12.

castigat: flagellat autẽ omnem filium, quem recipit. Si igitur ita est, vt dicitis: ex eo tempore magis dilecta est apud Deũ & modis omnibus approbata, ex quo Domini sui meruit sustinere flagella.] At non est verum, quod post Quintam Synodum, vbi decreta fuit & recepta damnatio Trium capitulorum, grauius Italia vexata sit. Ante enim quam ista contigerint, ab Herulis primum, inde vero a Gothis Italia diriſſima passa, & Roma sæpe ab eisdem fuisse capta reperitur. Sed concesso quod dicerent, pergit ita Gregorius: A

TRIBVLATIO NON SEMPER REPROBATIONIS SIGNVM.

Quia vero non ita sit, quemadmodum vos in eius insultatione affirmare conamini, rationem attendite. Postquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in vrbe regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam & Acephalos damnationis promulgauit sententiam: tunc Romana vrbs ab hostibus adita & captiuata est. Ergo bonã causam habuerunt Acephali, & iniuste damnati sunt, post quorũ damnationem talia contigerunt? Absit: hoc enim nec nostrum quempiam, nec alios qui Catholicæ fidei mysterijs instituti sunt, vel dicere, vel aliquo modo confiteri conuenit. His denique cognitis, ab hac quandoque iam deliberatione recedite. Vt igitur de Tribus capitulis animis vestris ablata dubietate, possit satisfactio abundanter infundi: librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis vtile iudicaui transmittere. Quem si, deposito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantiq. corde sæpius volueritis relegere: eum vos per omnia secuturos, & ad vnitatem nostram reuersuros nihilominus esse confido. B

Porro autem si post huius libri lectionem, in ea qua estis, volueritis deliberatione persistere: sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Vnde iterum habita locutione, charitatem vestram admoneo, vt quoniam, Deo suffragante, fidei nostræ integritas in causa Trium capitulorum inuiolata permansit: mentis tumore deposito, tanto citius ad matrem vestram, quæ filios suos expectat & inuitat, Ecclesiam redeatis, quanto vos ab ea quotidie expectari cognoscitis.] hæc ad Hibernos Gregorius. Porro hos ad Catholicam communionem & vnitatem, relicto schismate, redisse, inde certum deducitur argumentum, quod post hæc ijdem qui erant in Hibernia Episcopi de rebus dubijs, vti ceteri Orthodoxi, eumdem Gregorium consuluisse reperiuntur [a]: quod vtique non fecissent, si adhuc in schismate permansissent. C

HIBERNI REDIERE AD ECCLESIAM.

a Gregor. lib. 9. epist. 61. Ind. 4.

Collaborauit insuper aduersus eosdem schismaticos in Italia præsertim agentes Ioannes Ecclesiæ Rauennatis Antistes, vrgens Episcopos Istriæ prouinciæ per auctoritatem Exarchi Rauennæ degentis. Cuius rei gratia ipsi Gregorius multum se debere fatetur, gratias agens: nam in dicta superius epistola ad ipsum scripta hæc inter alia [b]: De causa vero Episcoporum Istriæ, omnia quæ mihi vestra fraternitas scripsit, ita esse iam ante deprehendi in ijs iussionibus, quæ ad me a pijssimis Principibus venerunt, quatenus me interim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro ijs quæ scripsistis, zelo atque ardori vestro congaudeo, debitoremq. me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re serenissimis dominis cum summo zelo Dei & libertate rescribere non cessabo.] hæc ad Ioannem Gregorius. Ex quo vel vno loco redarguas necesse est Paulum diaconum [c], qui inter schismaticos collocat Ioannem hunc Episcopum Rauennatem: deceptus enim ipse vehementer fuit (quod superiori tomo dictum est) dum defensores Trium capitulorum putauit esse Catholicos, impugnatores vero schismaticos, cum omnino contrarium acciderit. In quam profundam erroris foueam lapsos esse omnes recentiores historicos inexplorate sectantes Pauli vestigia, diximus latius superiori tomo. D

IOANNES EPISCOP. RAVENNAS LABORAT ADVERSVS SCHISMATICOS.

b Gregor. lib. 2. epist. 32. Ind. 10.

c Paul. diac. lib. 3. 6. 12.

Quod vero ad seducendũ Fideles ea schismatici vterentur calumnia, dicentes, in Quinta Synodo aliqua esse decreta contra sacrosanctum Chalcedonense Concilium: Sabinum quemdam subdiaconum his fraudibus ab illis in errorem adductum S. Gregorius studuit in Ecclesiam reuocare, perbreuem hanc ad eum scribens epistolam [d]: E

d Gregor. lib. 2. epist. 10. Ind. 11.

Exeuntes maligni homines turbauerunt animos vestros, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, astruentes quod aliquid de sancta Chalcedonensi Synodo piæ memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutum: quam omni fide, omniq. deuotione veneramur. Et sic quatuor Synodos sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Euangelij recipimus. De personis vero, de quibus post terminum Synodi aliquid actum fuerat, eiusdem piæ memoriæ Iustiniani temporibus est ventilatum: ita tamen, vt nec fides in aliquo violaretur, nec de ijsdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eamdem sanctam Chalcedonensem Synodum fuerat constitutum. Ana-

GREG. PROPVGNATOR CONCILII CHALCED.

thema-

A thematizamus ergo, si quis ex definitione fidei, quæ in eadem Synodo prolata est, aliquid minuere præsumit, vel quasi corrigendo eius sensum mutare; sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo, fili carissime, decet ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ remeare, vt finem tuum valeas cum pace concludere: ne malignus spiritus, qui contra te per alia opera prævalere non potest, ex hac causa inueniat vnde tibi in die exitus tui in aditu regni cælestis obsistat.] hucusque ad eum Gregorius: ex quibus intelligas magnam hanc fuisse in Ecclesia tentationem, in quam eo facilius Fideles impellerentur, quo se tenaciores esse Catholicæ fidei profiterentur. In his igitur (vt hactenus vidimus) fuit ipsi Gregorio plurimum insudandum.

Hoc etiam anno Thebanæ ciuitatis in Boetia Episcopus, nomine Hadrianus, damnatus a coepiscopis suæ prouinciæ confugit Romam, Apostolicam sedem appellans. Ita quidem vt ad asylum ex toto orbe Christiano confugiebant, qui iniuste persecutionem aliquam paterentur, quibus Romanæ Ecclesiæ Pontifex ius dicebat. Sic igitur percognitis ijs quæ contra eumdem Hadrianum allata essent, eum sanctus Gregorius vt innocentem absoluit: Archiepiscopum vero Primæ Iustinianæ, qui eum damnauerat, ad certum tempus communione priuauit, eiusmodi in hac causa in eum sententiam pronuncians[a]: THEBANVM EPISC. GREGORIVS RESTITVIT.

a Greg. lib. 2. epist. 6. Ind. 11.

Quod vero ad præsens attinet, *cassatis* prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis: ex beati Petri *principis* Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra *communione* priuatum, ab omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognouerimus *implesse* remissius; non iam tantum iniustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ *cognoscas*, adiuuante Domino, seuerius puniendam. Præfatum vero Hadrianum *fratrem* & coepiscopum nostrum ex tua sententia (vt diximus) nequaquam *canonibus*, *neque legibus* existente damnatum, in suum locum atque ordinem reuerti, Christo comitante disponimus: vt nec illi fraternitatis tuæ noceat contra iustitiæ tramitem prolata sententia, nec charitas tua pro placanda futuri indignatione Iudicis incorrecta remaneat.] hucusque sententia, atque finis epistolæ. Eodem quoque argumento scripsit[b] ad Ioannem Episcopum Lariss*æ*, quem consentientem in Hadriani damnatione eidem Ioanni Iustinianæ Episcopo alijs pœnis affecit. Facta sunt hæc Romæ hoc anno, mense Octobri. Ex quibus probe vides, præfuisse Romanum Episcopum Iudicem primarium totius Christiani orbis Episcopis; fuisseq. eiusdem Romani Pontificis muneris, reliquorum in orbe positorum Antistitum mores noscere, atque corrigere; vt ex his quæ diximus, atque sæpe dicturi sumus, intelligas. SENTENTIA GREGORII.

b Gregor. lib. 2. epist. 7. Ind. 11.

Ex Dalmatia enim hoc item anno allata est in Vrbem causa Natalis Episcopi Salonitani aduersus suum Archidiaconum concitati: ad quem ista Gregorius[c]: DE CAVSA NATALIS EPISC. SALONITANI.

c Greg. lib. 2. epist. 14. Ind. 10.

Multis ab vrbe tua venientibus, frater carissime, didici, pastorali cura derelicta, solis te conuiuijs occupatum. Quæ audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi inuigiles, sed ipsum quoque vsum Ecclesiastici ordinis ignores: hoc est in testimonium, quod eis, sub quibus es positus, reuerentiam seruare nescis. Cum enim sanctæ memoriæ decessoris mei fueris scriptis prohibitus, ne contra Honoratum Archidiaconum tuum dolorem tam longæ ingratitudinis in corde retineres: cumq. a me sæpe correctus fueris, & hæc tibi summopere fuerint interdicta: & mandata Dei negligens, & scripta nostra contemnens, præfatum Honoratum Archidiaconum tuum quasi ad fortiorem honorem prouehens, conatus es callida arte degradare. Vnde actum est, vt eo de Archidiaconatus loco summoto, alium accersires, qui tuis moribus obtemperare potuisset, cum præfatus vir pro nulla tibi re (vt arbitror) displicuit, nisi quod vasa sacra & velamina tuis te parentibus dare prohibebat, &c.] hæc tota causa. Decernit vero, vt eumdem Honoratum restituat in pristinum locum: quod nisi obtemperet, vsu pallij priuat; & si retardet adhuc, excommunicatum denunciat: & de Episcopatu, an ipsum retinere debeat, alia sententia definiendum relinquit. Scribit eadem ad Episcopos omnes in Dalmatia constitutos[d] & alios.

d Gregor. lib. 2. epist. 15. 16. 17.

Quod vero idem Natalis Episcopus de ijs omnibus, quæ dicta sunt obiecta ab ipso Gregorio Papa, se excusaret: quomodo easdem ipsas eius excusationes idem Pontifex arguat, quæ extat de his ipsius Gregorij epistola[e] satis docet: qui vero antea vsus fuerat ad correctionem Gregorius acrimonia vini, leniens vlcera oleo, omnino sanauit. Sed

e Gregor. lib. 2. epist. 35.

audi

Universidad de Deusto
Biblioteca

audi, quam se deorsum, vt superbum humiliet, inclinet ipse Gregorius: Ecce, inquit, fraternitas tua ægre tulit se de conuiuijs a me esse reprehensam: cum ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim: & hunc solum mihi amicum æstimo, per cuius linguam ante apparitionem districti Iudicis meæ maculas mentis tergo.] hæc Gregorius, & non frustra: etenim correptionis emplastrum ex hoc libenter super vlcus ille accepit, quod grato animo se eo vti paratum, ipse Pontifex Gregorius sit professus: sicq. adhibito tali remedio, curauit ægrotum: nam eum ad meliorē fuisse frugem conuersum, gauisus est Gregorius ipse in litteris postea ad Ioannem Rauennatem Episcopum datis, in quibus hæc in fine [a]: De fratre autem & coepiscopo nostro Natali valde contristabar, quod de illo quædam superba cognoueram: sed quia mores suos ipse correxit, meam tristitiam simul meipsum vincendo consolatus est.] At de Natali Salonitano Episcopo satis.

a Gregor. lib. 2. epist. 32. Indict. 10.

Cum igitur omnes qui se aliquid iniuste pati ab Episcopo suo dolerent, ad Rom. Pontificem libellum supplicē afferre consueuerint: inter alios accidit hoc item anno, vt Isidorus vir illustris se iniuste excommunicatum a Ianuario Episcopo Calaritano in Sardinia, apud Gregorium conquestus sit. Sed quam ob causam, audi ex ipso S. Gregorio ad eundem Ianuarium ista scribente [b]: Inter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumq. conquestus est. Quod ob quam rem factum fuerit, dum a clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere: pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te iniuriauerat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit. Quod si ita est, nil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conuersationem habere significas, dum pro vindicta propriæ iniuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de cetero omnino esto circumspectus atque solicitus, & talia cuiquam pro defensione propriæ iniuriæ tuæ inferre denuo ne præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.] ita ad Ianuarium.

CAVSA ISIDORI.

b Gregor. lib. 2. epist. 34. Indict. 10.

Contra vero sicut de acceptis iniurijs vlciscentes se Episcopos reprehendit, ita eas patienter perferentibus præsto esse non destitit. Cum enim Paulus, cui administratio demandata fuerat Ecclesiæ Neapolitanæ, non verba, sed verbera in quadam seditione conflata per familiam Clementiæ illustris feminæ passus esset: ad vindicandum scelus Gregorius ipse insurgens, misit qui de persecutoribus inquireret, scripsitq. in eos ad sæcularem quoque Iudicem pro vindicta. Extant de his ipsius Gregorij litteræ ad Petrum subdiaconum Campaniæ [c], necnon ad ipsum Paulum Episcopum, qui id passus fuerat, & quidem (vt puto) ab hæreticis, siue schismaticis: etenim veritatis id causa ipsum esse passum, in data ad eum epistola docet, vbi ait [d]: Vt ergo ad maiorem fraternitatis tuæ gloriam applicetur, hæc res constantiam tuam nec frangere, nec a via debet veritatis auertere: nā maior in sacerdotibus merces est, in veritatis tramite etiam post iniurias permanere.] Porro Paulum paulo post ex hac vita migrasse, docent eiusdē S. Gregorij litteræ datæ [e] mense Decembri de Neapolitano Episcopo eligendo; eo quod qui electus fuit Florentius subdiaconus Apostolicæ sedis, cum fugiēs euasisset, hactenus vacans illa erat Ecclesia.

DE PAVLO EPISC. PROCVRATORE ECCLES. NEAPOLITANAE.

c Greg. lib. 2. epist. 1. Indict. 11.

d Gregor. lib. 2. epist. 2. Indict. 11.

e Gregor. lib. 2. epist. 15. Indict. 11.

Accidit quoque eodem anno, vt aliæ hinc inde e diuersis locis ex more deferrentur appellationes ad ipsum Gregorium Romanum Pontificem. Damnato enim non secundum canones Florentio Epidauritanæ Ecclesiæ Episcopo, voluit [f] iterato iudicio eius causam tractari. Gregorium vero Agrigenti Episcopum accusatum, Romam mittendum, litteris præcepit [g] anno superiori: sed de ea causa inferius pluribus suo loco agendum erit. Praxis autem tunc in his ita se habebat, vt si quando Episcopus apud Rom. Pontificem accusatus, Romamq. vocatus damnari minime meruisset: tunc ad sui purgationē iurare compelleretur supra corpus S. Petri Apostoli, secundum ea etiam quæ habet S. Augustinus [h], quod hoc anno factum est de Leone Episcopo Catanensi, anno superiori Romam vocato.

f Gregor. lib. 2. epist. 8. 9. Indict. 11.

g Gregor. lib. 1. epist. 70. & lib. 2. epist. 12. Indict. 11.

h August. epist. 137.

Ceterum qui deductas in iudicium accusationes Episcoporū quam diligentissimo studio Gregorius expendi voluit, ne damnaretur innocens, vel absolueretur criminis auctor: idem totus in his erat, vt si vel latum vnguem quempiam Episcoporū (quos decet esse omnino perfectos) a recto virtutis tramite declinare cognosceret: ipse continuo studeret, datis ad eum litteris, reuocare. Nam cū ex litteris Bonifacij Episcopi Regiensis percepisset ipsum de bonis operibus captare aliquam gloriolam; eum ad animi demissionem reuocans, ista scripsit [i]: Quibusdam venientibus agnoui fraternitatem tuam misericordiæ operibus vehementer insistere, atque omnipotenti Deo gratias retuli: quia iuxta egregij

ARGVIT EPISCOPVM GLORIOSVM.

i Greg. lib. 2. epist. 4. Ind. 11.

Prædi-

A Prædicatoris vocem, nunc viuimus, si vos statis in Domino. Sed illud, fateor, non leuiter mentem meam momordit, quod eadem opera multis vos ipsi nunciastis: ex qua re collegi, quod mens vestra non studeat Dei oculis, sed humano iudicio placere. Vnde necesse est, frater carissime, vt cum bona opera exterius agis, hæc interius magna cautela custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepat, & omnis labor boni operis in cassum fiat, &c.] Accidebat enim, vt cum ex toto ferme Christiano orbe frequens esset accessus ad sacra limina Apostolorum, & ijdem qui Romam venirent, inuiserent pariter Summum Pontificem, benedictionem ab eodem accepturi; ipse singulos de Episcopis suis, vel alijs, per quos transissent, interrogaret, sicq. omnium ferme Episcoporum mores nosceret.

Nam accipe, quæso, quæ in hanc sententiam idem Gregorius scribat ad Secundinum de
B Mariniano Episcopo Rauennate [a]: Venerunt, inquit, quidam ad me, in quibus erant senes mendicãtes: qui a me discussi sunt, a quibus quid acceperint: & per singula retulerunt, quanta eis & a quibus in itinere data sint. Quos dũ solicite de prædicto fratre requirerem, quid eis dedisset: responderunt, se eum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse, ita vt neque panem in via acceperint, quem dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis, dicens: Non habeo quod vobis dare possim. Et miror, si is qui vestes habet, argentũ habet, cellaria habet; quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo ei, vt cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.] hæc Gregorius, quibus solertem eius
C curam in *inuestigandis* Episcoporum moribus & ijs corrigendis intelligas. Præter hæc *etiam super mores* Episcoporum voluit inuigilare Ecclesiæ Romanæ ministros in diuersis prouincijs ad Ecclesiastica curanda negotia degere solitos. Nam audi, quid de his ad Castorium diaconum scribat [b]: Non solum, inquit, de eo, *Episcopo Pisaurensi videlicet*, sed & de aliorum quoque sacerdotum te vita conuenit esse solicitum. Et si de quolibet sinistrum quippiam sentire potueris, nobis renunciare festina; vt actuum prauitas salubriter cum Dei solatio debeat emendari.] Quod enim diaconi sint oculi Episcoporum: per hos Gregorius, quicquid in Ecclesia vbique ageretur, solicite curabat inspicere.

Vacantium præterea Ecclesiarum, quousque deligerentur Episcopi, ex more, impensam curam egit, vt Nepesinæ [c], Liparitanæ [d], Cumanæ [e], cui & Misenatem [f] Ecclesiam con-
D iunxit, Lisitanæ [g], Tauritanæ [h], Crotonensis [i], Velinæ [k], Vxentinæ, Blanderanæ, Trium tabernarum [l], vbi vetus editio legit mendose Treuerensium, itemq. Albanensis [m], & Tarracinensis [n]. Sed & quod hodie fit, vt Summus Pontifex in alia diœceси conferat sacerdotia etiam curam animarum habentia annexam, tunc pariter consuetum fuit, vt docet eius epistola [o] hoc anno data ad Importunum Episcopum. Hæc de Episcopis & Ecclesijs.

Quod vero ad monachorum causam pertinet, ob eorum vitæ eminentiam atque sanctitudinis exactam professionem aliquid amplius ab eis Gregorius exigendũ putauit, quam quod communibus condonari possit hominibus. Nam audi, quid ad Eusebium Abbatem scripserit, cum questus ille esset se aliquid ab Episcopo passum [p]: Et quidem, inquit, ab illo hoc quod factum est, minime fieri debuit: a te tamen omnino debuit humiliter suscipi; & rursum cum gratiam reddebat, ad cum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita a te factum non est: adhuc cognosco quia nobis omnino lacrymarum opus est. Non
E enim grande est, ijs nos esse humiles, a quibus honoramur: quia & hoc sæculares quilibet faciunt. Sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur. Nam Psalmista ait [q]: *Vide* humilitatem meam de inimicis meis. Nos cuius vitæ sumus, qui humiles esse etiam patribus nolumus?] Sed quo Gregorij progreditur immensa charitas? hunc ipsum quem arguit, dono misso demulcet: nam in fine epistolæ: Centum, inquit, solidos per Petrum subdiaconum dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto vt absque iniuria sui suscipiat.] Ceterum qui de quolibet priuato monacho propensiorem adeo curam gessit, certe quidem magis inuigilauit, vt monachorum præfecti quam sanctissime viuerent. Qualiter enim Abbas gerere se debeat in suo munere, idem scribens ad Ioannem Abbatem hæc habet [r]: Non frequenter foras egrediaris. In causis istis procuratorem institue, & tu ad lectionem vaca. De hospitalitate esto solicitus. Quantum potes pauperibus largire, ita tamen, vt serues quod Floriano restitui debeat.] hæc de monachis.

[a] *Gregor. lib. 5. epist. 29.* DILIGENS INVESTIGATOR MORVM EPISCOPORVM GREGORIVS.

[b] *Gregor. lib. 4. epist. 24. Ind. 13.*

[c] *Gregor. lib. 2. epist. 8. 20. Indict. 10.*

[d] *Gregor. lib. 2. epist. 12. & 26.*

[e] *Gregor. lib. 2. epist. 19.*

[f] *Gregor. lib. 2. epist. 31.*

[g] *Gregor. lib. 2. epist. 25.* QVID DE MONACHIS GREGORIVS.

[h] *Gregor. lib. 2. epist. 18.*

[i] *Gregor. lib. 2. epist. 27.*

[k] *Gregor. lib. 2. epist. 29.*

[l] *Gregor. lib. 2. epist. 35.*

[m] *Gregor. lib. 2. epist. 11. Ind. 11.*

[n] *Gregor. lib. 2. epist. 13. 14. Indict. 11.*

[o] *Gregor. lib. 2. epist. 10. Ind. 10.*

[p] *Gregor. lib. 2. epist. 24. Ind. 10.*

[q] *Psal. 9.*

[r] *Gregor. lib. 2. epist. 3. Ind. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod vero ad laicos pertinet: idem Gregorius non solum peccantes arguebat, sed re- A
tardantes bonum aliquod agere, haud absque reprehensione abire sinebat. Etenim Rusticianam Patriciam ex nobilibus ciuibus illis Romanis, qui Constantinopolim migrauerant, progenitam (de quibus plura superius dicta sunt) remorantem nimis profectionem ad terram sanctam, Hierosolymam scilicet, datis ad ipsam litteris, ita compellat [a]: Valde autem miratus sum, cur deliberatæ viæ eundi ad loca sancta intentionem & votum boni operis deflexistis, dum si quando bonum aliquod dono Conditoris in corde concipitur, celeri necesse est deuotione compleri: ne, dum callidus insidiator animum irretire nititur, subinde impedimenta suggerat, quibus ad effectum minime desideria sua mens occupationibus debilitata perducat. Vnde necesse est excellentiam vestram omnibus impedimentis pijs causis obuiantibus anteire, &c.] Vidisti quanti Gregorius faciat ad loca sancta peregrinationem: vnde magis damnentur impij Nouatores. Porro Rusticia- B
nam hanc eamdem esse cum illa, ad quam inferius extant duæ aliæ [b] eiusdem Gregorij epistolæ, ex personis in ijsdem nominatis, quas salutari mandat, intelligi potest. Ceterum sicut ad bene agendum laicis se exhibuit impulsorem, ita refractarijs refragatus est: nam eorum impetum frangi iubet, cum aduersus miserabiles personas insurgunt. Ad Petrum enim subdiaconum Campaniæ ita scribit [c]: Sicut in iudicijs laicorum priuilegia turbare non cupimus, ita ejs præiudicantibus moderata te volumus auctoritate resistere. Violentos namque laicos coercere, non contra leges est agere, sed legi ferre subsidium, &c.] subdit de violentia illata bonis viduæ a laico homine; pro qua ministrum suum Gregorius aduersus eum insurgere iubet.

[a] Gregor. lib. 2. epist. 21. Ind. 10. DE PEREGRINATIONE AD LOCA SANCTA.

[b] Gregor lib. 7. epist. 23. lib. 9. epist. 38.

[c] Gregor. lib. 2. epist. 5. Ind. 11.

Hoc eodem anno inter tot Gregorij ærumnas felix illud ac faustum accidit, vt reperta tunica S. Ioannis Euangelistæ Romam deferretur. Cum enim innotuisset ipsi Gregorio C
tunicam sancti Ioannis apud quemdam Episcopum asseruari, Episcopum illum cum ea Romam venire præcepit, ita de his scribens ad Ioannem Abbatem [d]: De tunica vero sancti Ioannis omnino grate suscepi, quia solicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua, mihi ipsam tunicam, aut (quod melius est) eumdem Episcopum, qui eam habet, cum clericis suis & cum ipsa ad me transmittere: quatenus & benedictione tunicæ perfruamur, & de eodem Episcopo vel clericis mercedem habere valeamus.] hæc Gregorius. Perlatam quidem eam fuisse Romam, & collocatam sub altare S. Ioannis in basilica Constantiniana, testatur Ioannes diaconus [e], qui eamdem consueuisse coruscare miraculis tradit; ait enim: Quæ quidem vestes vsque hactenus tantis miraculis coruscare probantur, vt siccitatis tempore foras excussæ pluuiam conferant, inundationis vero serenitatem reducant.] recenset & alia, quæ tu consulas. Quid miruni, si in tunica sancti Ioannis ederentur diuinitus signa, cum & in sudarijs ac semicinctijs Pauli (quod sciunt omnes) miracula fierent? Sed de his alias locupletius dictum est. D

DE TVNICA S. IOANNIS.

[d] Gregor. lib. 2. epist. 3. Ind. 11.

[e] Ioan. diac. in vit. S. Gregorij.

Ne quid vero prætereamus Gregorij anni huius rerum gestarum: inter alias quas ad populum habere consueuit homilias, ea quæ in Euangelia trigesimaoctaua numeratur, dicta in basilica sancti Clementis, hoc ipso anno habita esse noscitur, dum a tempore illo ingruentis in Vrbe pestilentiæ biennium ibi numerat, cum res tunc gestas recenset, quas nos superius suo loco narrauimus. Porro homiliarum illarum quadraginta in sacra Euangelia ab ipso editarum non alia est habenda ratio, quam quæ ab ipso inita intelligitur: eo enim quo ordine collocatæ, pariter dictæ sunt, vel per Notarium recitatæ, ita dispositæ, prout ipse in præfatione illarum fecisse testatur his verbis: Inter sacra Missarum solemnia, ex his quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, E
sancti Euangelij quadraginta lectiones exposui. Et quarumdam quidem dictata expositio, assistenti plebi est per Notarium recitata: quarumdam vero explanationem coram populo ipse locutus sum; atque ita vt loquebar, ita excepta est.] Et paulo post: Easdem quoque homilias, eo quo dictæ sunt ordine, in duobus codicibus ponere curaui: vt & priores viginti quæ dictatæ sunt, & posteriores totidem quæ sub oculis dictæ, in singulis essent distinctæ corporibus. Quod vero quædam antepositæ sunt, quæ in Euangelio post leguntur; quædam vero postpositæ, quæ ante per Euangelistam scriptæ sunt, inueniuntur: nequaquam mouere tuam fraternitatem debet: quia sicut a me diuersis temporibus dictatæ sunt, ita quoque sunt ab exceptoribus in codicibus affixæ.] hæc & alia ad Secundinum Episcopum, ad quem eas Gregorius misit. Qua quidem ratione dicendum est, hoc anno absoluisse conciones ipsas omnes super selecta Euangelia illa quadraginta

DE HOMILTIS S. GREGORII HABITIS IN EVANGELIA.

A draginta per annum in Ecclesia recitari solita: si enim trigesimamoctauam hoc anno esse habitam certum est; vtique duæ quæ supersunt ad quadragenarium numerum, hoc pariter anno dictas oportuit, finemq. posuisse concionandi ad populum super dictas quadraginta recitari in Ecclesia per annum solitas sacri Euangelij lectiones. Post hæc autem haud otiosus Gregorius degit & mutus: immo sequenti anno (vt dicemus) aggressus est concionari super Ezechielem prophetam.

Sed historica illa, quæ idem ipse Gregorius in ijsdem homilijs hoc anno memoria digna coram populo recitauit, nos sub hoc eodem anno reddere non pigeat, omissis ijs quæ tempore ingruentis pestilentiæ accidisse dicta homilia trigesimaoctaua tradit, quæ suo loco ac tempore superius collocauimus. In ea autem quæ sequitur ordine homilia trigesimanona eiusmodi historiam ad populum narrat [a]:

[a] *Gregor. homil. 39. in fin.*

B Epiphanius diaconus, Isauria prouincia exortus, in vicina factum terra Lycaoniæ solet narrare miraculum. Ait enim, quod in ea quidam, Martyrius nomine, vitæ valde venerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud monasterium tendebat, cui spiritalis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quemdam, quem densis vulneribus elephantinus morbus per membra fœdauerat, inuenit in via volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso vero itinere se habere perhibebat hospitium, quo idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autem Dei, eiusdem leprosi lassitudini misertus, pallium quo vestiebatur, in terram protinus proiecit & expandit, ac desuper leprosum posuit, eumq. suo pallio vndique constrictum super humerum leuauit, secumq. reuertens detulit. Cumq. iam monasterij foribus propinquaret, spiritalis pater eiusdem monasterij magnis vocibus clamare cœpit: Currite,

C ianuas monasterij citius aperite: quia frater Martyrius venit, Dominum portans.

DE MARTYRIO MONACHO.

Statim vero vt Martyrius ad monasterij aditum peruenit: is qui leprosus esse putabatur, de collo eius exiliens, & in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet Redemptor humani generis Deus & homo Christus Iesus, ad cælum, Martyrio aspiciente, rediit; eiq. ascendens dixit: Martyri, tu me non erubuisti super terrã: ego te non erubescam super cælos. Qui sanctus vir, mox vt est monasterium ingressus, ei pater monasterij dixit: Frater Martyri, vbi est quem portabas? Cui ille respondens, dixit: Ego si sciuissem quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cum eum portasset, pondus eius minime sensisset. Nec mirum. Quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? Qua in re pensandum est nobis, quantum fraterna compassio valeat, quantum nos omnipotenti Deo misericordiæ viscera coniungant, &c.] hæc

CHRISTVS IN LEPROSI SPECIE VISVS.

D de his Gregorius hoc anno ad populum, quo (vt diximus) & dicendi finem super lectiones Euangelij fecit.

De quibus ne ambigas, vel leuis aliqua apud te remaneat dubitatio: præter illa quæ dicta sunt, ex hoc certo id accipias argumento: cum enim quæ ab ipso Gregorio narrata habentur in vltimis homilijs trigesimaoctaua ac quadragesima [b] de Theodoro monacho primum, ac demum de Romula atque Redempta; eadem intexens quarto Dialogorum libro, ipse testetur, ea a se esse narrata in dictis homilijs in Euangelia: cumq. constet eosdem Dialogorum libros cœptos esse a Gregorio anno sequenti, cum quartum ageret in Pontificatu annum [c]: vtique oportuit hoc anno esse ab ipso absolutas omnes in Euangelia homilias. Hæc dilucidius, ne res gestæ sanctissimi viri mixtim confusæ narrentur, sed diuisim singulæ singulis suis reddantur temporibus.

QVANDO ABSOLVTAE HOMILIAE IN EVANGELIA.

[b] *Greg. dialog. lib. 4. c. 37. & sup c. 15.*

[c] *Greger. lib. 4, c. 16. 30. 47. & 55.*

E Sed age iam & perelegantem hic intexamus historiam, hoc eodem anno ab eo dicta & vltimo loco posita homilia relatam de rebus antea gestis, cum ipse monasterium petijt, ex quibus magis gauisus sit sæculo penitus nuncium remisisse. Ait ergo [d]: Rem, fratres, refero, quam bene is qui præsto est, frater & compresbyter meus, Speciosus nouit. Eodem tempore, quo monasterium petij, anus quædam Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta, in Vrbe hac iuxta B. Mariæ Virginis ecclesiam manebat. Hæc illius Herundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic duæ in eodem habitu discipulæ adhærebant, vna nomine Romula, & altera quæ nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæ in vno habitaculo commanentes, morum quidem diuitijs plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem, quam præfatus sum, Romula aliam quam prædixi condiscipulam

[d] *Greg. homil. 40. & dialog. lib. 4. c. 15.*

DE S. REDEMPTA ET S. ROMVLA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulam suam magnis vitæ meritis anteibat: erat quippe miræ patientiæ, summæ obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis vsum. Sed quia plerumque hi quos iam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent: sicut sæpe imperiti homines necdum perfecte sculpta sigilla conspicimus, & iam quasi perfecta laudamus, quæ adhuc artifex considerat & limat; laudari iam audit, & tamen ea tundere meliorando non desinit: hæc quam prædiximus Romula, eam quam Græco vocabulo Græci paralysin vocant, molestia corporali percussa est, multisq. annis in lectulo decubans, pene omnium iacebat membrorum officio destituta: nec tamen hæc eadem eius mentem ad impatientiam flagella perduxerant: nam ipsa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum; quia tanto solicitius ad vsum orationis sucreuerat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat. A B

Nocte ergo quadam eamdem Redemptã, quam præfatus sum, quæ vtrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocauit, dicens: Mater veni, Mater veni. Quæ mox cum alia eius condiscipula surrexit; sicut vtrisque referentibus, & multis eadem res claruit, & ego quoque eodem tempore agnoui. Cumq. noctis medio, lectulo iacentes assisterent: subito cælitus lux emissa omne illius cellulæ spatium impleuit, & splendor tantæ claritatis emicuit, vt corda assistentium inæstimabili pauore perstringeret, atque (vt post ipsæ referebant) omne in eis corpus obrigesceret, & in subito stupore remanerent. Cœpit namque quasi cuiusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostium cellulæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur. Arque (vt dicebant) intrantium multitudinem sentiebant, sed nimietate timoris & luminis videre nihil poterant: quia earum oculos & pauor depresserat, & ipsa tanti luminis claritas reuerberabat. Quam lucem protinus miri odoris est fragrantia subsecuta; ita vt earum animum, quia lux emissa terruerat, odoris suauitas refoueret. Sed cum vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula assistentem sibi & trementem Redemptam suorum morum magistram blanda voce consolari, dicens: Noli timere, mater, non moriar modo. Cumq. hoc illa crebro diceret, paulatim lux, quæ fuerat immissa, subtracta est, sed is qui subsecutus est odor remansit. Sicq. dies secundus & tertius transijt, vt aspersa fragrantia odoris remaneret. C

MORIENTI OCCVRSVS CAELESTIVM SPIRITVVM.

Nocte ergo quarta eamdem magistram suam iterum vocauit. Qua veniente, viaticum petijt & accepit. Necdum vero eadem Redempta & alia eius discipula a lectulo iacentis abscessierant, & ecce subito in platea ante eiusdem cellulæ ostium duo chori psallentium astiterunt, & (sicut ipsæ se dicebant sexus ex vocibus discreuisse) psalmodiæ cantus dicebant viri, & feminæ respondebant. Cumq. ante fores cellulæ exhiberentur cælestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad cælum ducta, quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto cœpit psalmodia lenius audiri, quousque & eiusdem psalmodiæ sonitus & odoris suauitas elongata finiretur.] hactenus Gregorius ad populum eo sermone, quem de Lazaro & diuite immisericorde habuit: in quibus cælestis connubij nuptijs ipse conuiua, tantæ suauitatis dulcedine captus, eorum quæ sunt in mundo iacturam fecisse magis magisq. gauisus est. Perseuerant in tabulis Ecclesiasticis [a] nomina Romulæ atque Redemptæ virginum & Herundinis, memoria annua insignita: corpora vero earumdem in eadem basilica S. Mariæ ad Præsepe in Confessione collocata coluntur. D

[a] *Martyrolog. Rom. die 23. Iulij.*

CONCILIVM CAESARAVGVSTANVM SECVNDVM.

Hoc eodem anno celebratum est in Hispania Concilium Cæsaraugustanum secundum, Era scilicet sexcentesima trigesima, septimoq. anno (vt ibi ponitur) Reccaredi Regis. Vbi inter alia illud notatu dignum sancitũ reperitur, vt sacrosanctæ reliquiæ quæ inuentæ essent in ecclesijs Arianorum, eædem præsentatæ Episcopis igne probarentur, vt tunc legitimæ censerentur, si ab incendio illæsæ remanerent. Quibus vides, quantam diligentiam maiores adhibuerint, ne quid in sacris admitterent adulterinum, sed omnia pura & sancta, tamquam aurum quod per ignem probatur, purgatum septuplum. Subscripserunt Concilio Episcopi quatuordecim. At de rebus Occidentalibus hactenus. E

INFELIX EXITVS HORMISDAE REGIS PERSARVM.

Iam vero Orientales oras perlustremus. Hoc ipso anno (quantum ex Euagrio & alijs colligere fas est) Persarũ Rex Hormisda Romano Imperio infestissimus a suis occiditur: de quo ista idem Euagrius [b]: Dum hæc geruntur, Persæ Hormisdã Regem omnium sceleratissimum iniustissimumq. propterea trucidant, quod subiectos suos non modo pecunia, sed varijs etiã mortis generibus mulctasset.] hæc ipse. Porro in Miscella [c] ex Theophane eiusmodi causa præcessisse necis eius ostenditur, nimirum, quod cum dux Persarum exercitus

[b] *Euagr. lib. 6. cap. 15.*

[c] *Miscella lib. 17. hoc anno Imp.*

Bara-

A Barames male cũ Romanis pugnaſſet, poſterioresq. tuliſſet, Rex in eum infenſus, ignominiæ cauſa veſtem ad eum muliebrem miſit, atque præfectura priuans in ordinem redegit. Id autem dux indigne ferens, aduerſus Regem rebellat, milites fictis litteris in Regem commouens; ſed & quem recens ducem creauerat Hormiſda Ferrochanem, ſibi aduerſus eumdem Regem coniungit: quibus acceſsit Bindois nobilis Perſa liberatus a carcere per fratrem ſuum; qui ex improuiſo cum ſuis inuadens Regiam, Hormiſdam ipſum ſedentem in ſolio ex eo deturbat, diademate priuat, atque in carcerem conijcit, filiumq. eius Coſrhoen Regem conſtituit. Poſtea educto Hormiſda de carcere, Perſæ nobiles ante oculos eius vxorem & filium ſerra diuidunt, ipſum vero Hormiſdam oculis priuant, & detrudunt in ergaſtulum: Coſrhoes autem Rex eius filius parentem benigne tractauit in cuſtodia poſitum, tribuens illi omnem eſcam. At Hormiſda exaduerſo ipſum in-
B iurijs lacerabat, conculcans ea quæ a Rege mittebantur. Vnde Coſrhoes iratus eum fuſtibus ſilueſtribus iuſſit per ilia cæſum obire. Quod factum & Perſas triſtes reddidit, & contra Coſrhoen odium auxit: quod creuit magis, cum occidit quoſdam nobiles ea ſuſpicione, quod Barami duci tyrannidem exercenti inhærerent: cuius rei cauſa factum eſt, vt a militibus deſtitueretur, tranſeuntibus ad Baramen. Relictus vero ita ipſe, fugam capeſſit: dubius autem ad quos confugeret, ad Chriſtianos ne, vel Turcas, deſcendens equo, laxans habenas, quo abire vellet liberum reddens, eius ipſe ſecutus veſtigia, ad Romani Imperij ditionem ſe contulit.] hæc Theophanes. His haud admodum diſſentientia Euagrius affert, rem geſtam ita ſubſecutus [a]:

COSRHOES CREATVR REX PERSARVM.

Hormiſda extincto, Coſrhoen eius filium Regem creant: contra quem Barames cum ſuis copijs arma fert. Coſrhoes igitur cum exiguo exercitu illi obuiam it: ac cum ſuos a ſe
C deficere cerneret, capeſſit fugam, rectaque, cum Deum (vti ipſe aiebat) Chriſtianorum inuocaſſet, vt equus ipſum eo deportaret, quo ab illo duceretur, Circeſium contendit. Vbi autem cum vxoribus, duobus tenellis liberis, & quibuſdam Perſis nobilibus, qui eum ſua ſponte comitabantur, eo veniſſet: inde legatos mittit ad Mauritium Imperatorem. Ille cum de hac re conſilium accuratiſsime inijſſet, & inconſtantem volubilemq. vitæ humanæ rationem, & repentinas tum eius, tum aliarum ſimilium rerum mutationes viciſsitudineſq. ponderaſſet, ſupplicem admittit legationem, & Coſrhoen hoſpitem pro exule, & pro fugitiuo filium efficit, muneribus plane regalibus donat, quibus eum ad ſe diligendum inuitaret. Atque non Mauritius ſolum tam magnifica dona miſit ad Coſrhoen, ſed Imperatrix etiam erga Coſrhois coniuges, & liberi Mauritij erga liberos eius paria benignitatis officia præſtiterunt. Porro Mauritius omnes ſatellites ſuos
D & totum exercitum Romanum cum duce, qui Coſrhoen, quocumque vellet, comitarentur, mittit. Quin etiam, quo plus honoris ei deferret, mittit quoque Domitianum Epiſcopum Melitinæ ſuum cognatum, virum prudentia & ingenio præſtantem, & tum verbo tum re ipſa ad res maximas gerendas maxime idoneum, & ad grauiſsima obeunda negotia aptiſſimum. Mittit præterea Gregorium, *qui tunc erat Antiochenus Epiſcopus ſuperſtes adhuc*, qui Coſrhoen cum ob prudentes ſermones, quos de alijs rebus omnibus cum eo conferebat, tum ob munerum magnificentiam & conſilia, quæ pro rerum quibus perturbatus erat conditione peropportune ei impertiebat, in maximam traduxit admirationem.] hucuſque Euagrius.

FVGA COSRHOIS REGIS.

SVSCIPITVR BENIGNE A MAVRITIO COSRHOES.

At quomodo per Mauritium Coſrhoes in regnum fuerit reſtitutus, dicetur anno ſequenti, quo id contigiſſe probatur. Quæ inſuper vota Deo Chriſtianorum, ſanctoq. mar-
E tyri Sergio in Oriente celeberrimo idem Coſrhoes in huiuſmodi periculis conſtitutus ſedulo ſtudio nuncuparit, ſequenti etiam patebit anno. Huic autẽ bello præfectum fuiſſe Narſetem ducem, & incruenta potitum victoria, habet Theophanes: additq. de Turcis illis, qui in exercitu Perſarum militantes capti, & Conſtantinopolim ducti, inuenti ſunt ſtigmate in fronte cruce ſignati: eos ab Imperatore rogatos, quid ſibi id vellet, reſpondiſſe, cum peſte ipſorum prouincia laboraret, illud ſe a Chriſtianis fuiſſe edoctos remedium pro ſalute conſequenda. Ceterum mittendi Domitianum Epiſcopum adeo celebrem, atque Gregorium ad Coſrhoen, illud videtur fuiſſe Mauritij Imperatoris conſilium, vt per eos idem Rex Chriſtianam fidem perciperet: quod ex litteris Gregorij Papæ ad eumdem Domitianum Epiſcopum redditis [b] anno ſequenti ſatis intelligi poſſe videtur.

TVRCAE PESTE LIBERATI SIGNO CRVCIS.

[a] *Euag. lib. 6. c. 16. 17.*

[b] *Greg. lib. 2. epiſt. 62.*

Inter tot tantaq. præclare geſta, denigrauit tamen Mauritius Imperator hoc anno

LEX IMPIA A MAVRITIO LATA.

nomen suum, dum post victorias aduersus Persas sub Hormisda Rege Persarum ex in- A sperato obtentas, legem tulit, qua prohibebat, ne quis miles, nondum expleta militia, monachus effici posset. Hoc quidem anno ab eo latam eiusmodi legem, ipse Gregorius testatur in litteris [a] datis anno sequenti ad Theodorum: agemus de ea tunc temporis, cum sequenti anno adeo Gregorius eamdem impugnauit. Exhaustum enim cum videret Mauritius Romanum exercitum, totq. prœlijs esse consumptum, omne quod valuit remedium integrandæ militiæ excogitauit, & vsque adeo inconcessa tentauit. Misit hanc legem idem Imperator ad Gregorium Papam per Longinum Stratorem, qui successit Romano in Exarchatu, vt testatur ipse Gregorius in litteris ad Mauritium Imperatorem anno sequenti redditis. Quod vero Gregorius hoc tempore (vt ipse testatur [b]) mala oppressus valetudine detineretur, aduersus eiusmodi legem insurgere distulit.

[a] Greg. lib. 2. epist. 65. Ind. 11.

[b] Ead. epist. 65.

B

NOnagesimustertius post quingentesimum Redemptoris annus Indictionis vndecimæ incipit: quo restitutus in regnum Cosrhoes Rex Persarum, multa pietatis signa publicis egregie factis edidit, quæ quam exactissime describit Euagrius: primum vero eius in regnum per Mauritium restitutionem verbis istis enarrat [c]: Cosrhoes vero cum Hierapolim, quæ primaria Euphratesiæ ciuitas est, peruenisset, rursum reuertit. Quod cum intellexisset Mauritius, pluris faciens commodis Cosrhois supplicis, quã suæ ipsius gloriæ consulere, ingenti pecuniæ vi (quod non ante aliquando visum fuit) C cum iuuat, atque ex Persis conscribit exercitum, & impensis omnibus de suo suppeditatis, Cosrohen vtroque exercitu, Romano scilicet & Persico instructum, extra fines Imperij Romani ad Martyropolim vsque producendum curauit. Cui Sittas primum traditus est, deinde a Martyropolitanis lapidibus obrutus, postea ab eisdem in crucem actus. Traditum est ei quoque Daras oppidum, a quo clam exiuerant Persæ. Atque Baramc a Romanis solis vnico bello superato, & solo cum ignominia in fugam verso, Cosrhoes ad suum ipsius regnum reductus est.] hæc Euagrius: subdit vero post pauca [d]:

[c] Euagr. lib. 6. c. 18.

COSRHOES IN REGNVM RESTITVTVS DEO GRATVS.

[d] Euagr. lib. 6. c. 20.

Cosrhoes autem iam ad suum regnum restitutus, mittit ad Gregorium *Episcopum Antiochenum* Crucem multo auro & lapidibus pretiosis exquisite elaboratam, qua honorem Sergij martyris inclyti illustrari voluit. Hanc Crucem primum Theodora coniunx Iustiniani ei dedicauerat, deinde Cosrhoes senior cum alijs monimentis (vti a me supra D commemoratum est) inde abripuerat. Mittit quoque aliam Crucem auream, in qua litteris Græcis ista curauit inscribenda:

INSCRIPTIO CRVCIS A COSRHOE MISSAE.

HANC CRVCEM EGO COSRHOES REX REGVM FILIVS HORMISDAE MISI. CVM ENIM DIABOLICO CONATV ET VETERATORIO INFELICISSIMI BARAMIS ET SVORVM CABALLARIORVM IN ROMANIAM CONFVGERE ERAMVS COMPVLSI, ET PROPTER ADVENTVM SCELERATI ZADESPRAM CVM EXERCITV AD NISIBIN, QVO CABALLARIOS QVI A PARTIBVS NISIBENSIVM STABANT SVBDVCERET: CABALLARIOS CVM DVCE AD CHARCHAS VSQVE QVI ZADESPRAM RESISTERENT EIVSQ. VIRES FRANGERENT MISERAMVS OPE ET PRAESIDIO COMMVNITI S. SERGII MARTYRIS HONORATISSIMI ET IN PRIMIS MEMORABILIS. QVONIAM ACCEPERAMVS EVM RES AB SE POSTVLATAS SOLERE LARGIRI, PRIMO ANNO REGNI NOSTRI SEPTIMO IDVS IANVARII POSTVLAVIMVS OPEM AB EO, VOTVMQVE FECIMVS, SI CABALLARII NOSTRI ZADESPRAM VEL INTERFICERENT VEL CAPTIVVM SECVM DVCERENT, NOS AVREAM CRVCEM LAPILLIS DISTINCTAM AD EIVS TEMPLVM MISSVROS, QVA VENERANDVM EIVS NOMEN ILLVSTRARETVR. ATQVE AD QVINTVM IDVS FEBRVARII CAPVT ZADESPRAM AD NOS PERLATVM FVIT. ITAQVE POSTVLATIONIS NOSTRAE FACTI COMPOTES, QVO RES GESTA NEMINI DVBIA ESSET, AD VENERANDVM SANCTI SERGII NOMEN ILLVSTRANDVM, HANC CRVCEM A NOBIS FABRICATAM AD TEMPLVM E

EIVS

A EIVS MISIMVS VNA CVM CRVCE QVAM IVSTINIANVS IMPERATOR ROMANVS AD IDEM TEMPLVM MISIT, QVAMQ. COSRHOES REX REGVM FILIVS CABADI PROAVI NOSTRI TEMPORIBVS QVIBVS ROMANI ET PERSAE GRAVISSIME INTER SE DISSIDERENT HVC ADVEXIT, QVAM DENIQVE NOS IN NOSTRIS THESAVRIS INVENIMVS ET AD AEDEM SANCTI ET VENERABILIS SERGII MITTENDAM CVRAVIMVS.] hactenus Cosrhois inscriptio Cruci a se missæ perpetui monumenti ergo incisa Græcis litteris. Pergit Euagrius:

Has Cruces Gregorius *Episcopus Antiochenus* cum de sententia Mauritij Imperatoris accepisset, cum magna pompa ad sacrum martyris templum defert, inq. eo reponit. Haud ita multo post, alia dona ad sanctum illud templum misit Cosrhoes, inter quæ erat discus
B ex auro confectus, in quo inscribenda curauit hæc verba:

EGO COSRHOES REX REGVM FILIVS HORMISDAE HAEC IN HOC DISCO INSCRIBENDA CVRAVI, NON VT SPECTENTVR AB HOMINIBVS, NEQVE VT AMPLITVDO TVI VENERANDI NOMINIS EX MEIS VERBIS COGNOSCATVR, SED PARTIM PROPTER RERVM IN EO INSCRIPTARVM VERITATEM, PARTIM PROPTER MVLTA BENEFICIA ET LIBERALIA QVAE ABS TE ACCEPI. NAM MECVM FELICITER ACTVM PVTO, QVOD NOMEN MEVM IN TVIS SACRIS VASIS EXTET. CVM FORTE BERAMAIS ESSEM, PETEBAM ABS TE SANCTE SERGI *VT* MIHI SVBSIDIO VENIRES, ET SIRA CONIVNX CONCIPERET. AC CVM SIRA CHRISTIANA ESSET ET EGO GENTI-
C LIS, ET *LEX* NOSTRA NON PERMITTERET NOBIS POTESTATEM MV*LIEREM* CHRISTIANAM VXOREM DVCENDI: TAMEN OB MEVM SINGVLAREM ERGA TE AMOREM LEGEM IN HAC MVLIERE NEGLEXI ET EAM DE DIE IN DIEM INTER CETERAS VXORES INGENVE DILIGERE NON DESTITI NEQVE DESISTO. QVAMOBREM VISVM ERAT TVAM BONITATEM SANCTE SERGI DEPRECARI VT GRAVIDA FIERET, QVIN ETIAM VOTVM TIBI NVNCVPAVI SVMQ. POLLICITVS, SI SIRA CONCIPERET, ME CRVCEM QVAM ILLA GESTAT AD SANCTISSIMVM TEMPLVM TVVM MISSVRVM. QVAPROPTER IPSE EQVIDEM ET SIRA HOC APVD ANIMOS NOSTROS PROPONEBAMVS VT HANC CRVCEM IN MEMORIAM NOMINIS TVI SANCTE SERGI IPSI TENEREMVS,
D ET VISVM ERAT PRO ILLA PRETIVM EIVS QVOD QVATVOR MILLIA ET QVADRINGENTOS STATERES MILIARESIOS NON EXCEDERET MITTERE, ET SIC IDEM AVGERE, VT EIVS SVMMA QVINQVE MILLIA STATERVM COMPLECTERETVR. ATQVE EX EO TEMPORE QVO ISTAM POSTVLATIONEM ANIMIS NOSTRIS CONCIPERE HAECQ. COGITARE COEPERAMVS, AD TEMPVS QVO RHOSON CHOSRON VENIMVS, NON AMPLIVS DECEM DIES PRAETERIERANT. AD QVOD QVIDEM TEMPVS TV SANCTE SERGI, NON QVOD IPSE DIGNVS ESSEM, SED PROPTER TVAM IPSIVS BONITATEM MIHI NOCTV SECVNDVM QVIETEM VISVS ES, ET IAM TERTIO DIXISTI SIRAM CONCEPTVRAM. ATQVE EGO IN EADEM VISIONE TERTIO APERTE TIBI QVAE ERANT CONSENTANEA
E RESPONDI.

AT QVONIAM TV RERVM ABS TE POSTVLATARVM LARGITOR ES, EX EO DIE SIRA MORBVM QVO MVLIERES LABORARE SOLENT NON SENSIT. EGO AVTEM ETSI HAC DE RE ANIMO HAESITABAM VTRVM VERBIS TVIS FIDEM HABEREM AN NON, CVM SIS POSTVLATIONVM LARGITOR: POSTEA TAMEN EX EO QVOD MORBVS MVLIEBRIS SIRAM NON ATTIGIT, TVM VIM EXPLORATAM HABVI VISIONIS TVM TVORVM VERBORVM VERITATEM. QVOCIRCA CRVCEM HANC ILLICO ET EIVS PRETIVM VNA AD TVAM SANCTISSIMAM AEDEM MISI. DEDIQVE MANDATVM VT EX EIVS PRETIO DISCVS VNVS ET VNVS CALIX FIERENT, QVI DIVINIS MYSTERIIS CELEBRANDIS INSERVIRENT, QVIN ETIAM VT CRVX FIERET ET THVRIBVLVM FABRICARETVR

INSCRIPTIO IN DISCO POSITA.

VTRVM-

VTRVMQVE AVREVM IN VSVM SACRAE MENSAE ET VNICVM VTRINQVE APERTVM CONFICERETVR AVRO COLLVSTRATVM. QVOD AVTEM DE SVMMA PRETII RESTARET, AD NECESSARIOS VSVS TVAE SACRAE AEDIS RESERVARETVR. VT MIHI ET SIRAE TV SANCTE SERGI CVM IN ALIIS REBVS OPITVLARERIS, TVM MAXIME IN HAC PETITIONE SVBSIDIO VENIRES. ET QVOD PER TVAM INTERCESSIONEM NOBIS EVENERIT, IDEM IPSVM PER TVAM CLEMENTIAM ET BONITATEM MIHI ET SIRAE EX SENTENTIA PENITVS SVCCEDAT. QVO TVM IPSE TVM SIRA TVM ALII OMNES DENIQVE IN TOTO ORBE TERRARVM TVA IN VIRTVTE SPEM PONAMVS ET IN TE DEINCEPS CREDAMVS.] A

Hactenus incisa in auro inscriptio. Pergit rursum Euagrius: Hæc donaria a Cosrhoe oblata, ea loqui videntur, quæ cum prophetia Balaam consentiunt: quod plane Dei prouidentia factum est, vt Gentilium linguæ verba salutaria proferrent.] digna quidem quæ cubitalibus (vt aiunt) litteris formarentur, quo Nouatores magis rubore suffusi taceant, cum etiam ab infidelibus & idololatris redarguantur in veneratione sanctissimæ Crucis & cultu sanctorum martyrum, dum talia loquitur Ethnicus, sua tamen conscientia Christianus, veritus publice profiteri quid sentiret, ne rebellem experiretur populum, quem omnibus demulcere officijs hoc sui regni exordio satagebat. B

REX PERSARVM CREDITVS CHRISTIANVS.

Sane quidem increbuit hoc tempore per orbem fama, ipsum Persarum Regem Christianam religionem suscepisse: etenim qui in hunc vsque annum res sui temporis gestas scriptis prosecutus est Ioannes Abbas Biclarensis, hoc eodem anno octauo Mauritij Imperatoris id accidisse tradit his verbis: In his ergo temporibus, quibus omnipotens Deus, prostrato veternosæ hæresis veneno, pacem suæ restituit Ecclesiæ, Imperator Persarum Christi suscepit fidem, & pacem cum Mauritio Imperatore firmauit.] hæc ipse: verum liquet esse mendacium, sicut quæ de conuersione Reginæ Regisq. Persarum habet Paulus diaconus, quæ hic ipsius verbis describenda putamus: ait enim[a]: C

REGINA PERSARVM CHRISTIANA.

Circa hæc tempora, Regis Persarum coniunx, nomine Cæsara, de Perside exiens cum paucis suis fidelibus, priuato habitu propter Christianæ fidei amorem Constantinopolim venit. Quæ ab Imperatore honorifice susceptа, post aliquot dies, vt desiderabat, baptismum consecuta, & ab Augusta de sacro fonte leuata est. Quod vir eius Persarum Rex audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatenus eidem suam vxorem redderet. Qui ad Imperatorem venientes, verba Regis Persarum nunciant, qui suam requirebat Reginam. Imperator hæc audiens, remq. omnino ignorans, eis responsum reddidit, dicens: De Regina, quam quæritis, fatemur nos nihil scire, præter quod ad nos hic aliqua mulier priuato habitu aduenit. Legati vero responderunt, dicentes: Si placet vestro conspectui, volumus hanc quam diciris mulierem videre. D

Quæ cum iussu Imperatoris aduenisset: mox vt eam conspiciunt, ad eius vestigia prouoluuntur, eiq. venerabiliter, quod eam vir suus requireret, suggerunt. Quibus illa respondit: Ite nunciate Regi vestro & domino: quia nisi, sicut ego iam credidi, ita & ipse in Christum crediderit, me iam vltra consortem tori habere non poterit. Quid multa? reuersi legati ad patriam, vniuersa quæ audierant, Regi nunciant. Qui nihil moratus, cum sexaginta millibus viris Constantinopolim pacifice ad Imperatorem venit, a quo gratanter & satis digne susceptus est. Qui cum vniuersis in Christum Dominum credens, pariter cum omnibus sacri baptismatis vnda perfusus, & ab Augusto E de fonte leuatus, Catholica fide confirmatus est; multisq. muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua coniuge, lætus & gaudens ad suam patriam repedauit.] hæc Paulus, sed quæ haud satis integra fide constent, cum multas patiantur difficultates, & incognita habeantur Græcis scriptoribus: potissimũ vero, quod ex epistola S. Gregorij hoc anno scripta, de qua paulo inferius agemus, constet ipsum Regem Persarum remansisse Gentilem.

DE CONVERSIONE PRINCIPIS SARRACENORVM.

Sunt vero certiora quæ sequuntur, nempe Sarracenorum principem Naamanem hoc eodẽ tempore initiatum esse Christiana religione: quod idem qui supra tradit Euagrius, cum subdit[b]: Per id temporis Naamanes gentis Scenitarum Tribunus Gentilis adeo nefarius & sceleratus, vt propria manu homines dæmonijs suis mactaret, ad sanctum accessit baptismum, statuamq. Veneris auream igne liquefactam pauperibus erogauit; & omnes qui ad eum spectabant, ad veram in Deum fidem traduxit.] his vero hæc subijcit: Gregorius

[a] *Paul. diac. lib. 4. c. 17. vet. edit. & non. 52.*

[b] *Euagr. lib. 6. c. 22.*

A rius autem *Antiochenus Episcopus*, postquam Cruces a Cosrhoe donatæ erant, de sententia Imperatoris omnia monasteria in solitudine, Limetarum dicta, & maxime in quibus peruersa Seueri dogmata regnabant, perlustrauit, exposuitq. illis vera Ecclesiæ dogmata, & multa castella, pagos, monasteria, & gentes integras ad Dei Ecclesiam adduxit.] hæc omnia Euagrius, res postremas sui temporis scriptis commendans. GREGORIVS ANTIOCHEN. VISITAT MONASTERIA.

Domitianus autem Metropolitanus Armeniæ, Episcopus Melitinæ, cum non fuisset assecutus quod optabat, cuius causa ad Cosrhoen profectus erat, vt ille fieret Christianus; reuersus, mærens epistolam scripsit ad sanctum Gregorium Romanum Pontificem, deq. his quæ gesta erant, eum reddidit certiorem, intermiscens de diuina Scriptura fusiorem tractationem. Has cum ipse Pontifex litteras accepisset, hoc eodem anno ad eum rescripsit, & ad finem epistolæ ista habet [a]: Imperatorem vero Persarum etsi non fuisse con- DOMITIANVS EPISC. VACVVS REDIT E PERSIDE.

B uersum doleo: vos tamen ei Christianam fidem prædicasse, omnimodo exulto: quia etsi ille ad lucem venire non meruit, vestra tamen sanctitas prædicationis suæ præmium habebit. Nam & Aethiops in balneum niger intrat, & niger egreditur, sed tamen balneator nummos accipit. De Mauritio autem bene dicitis, vt in actione eius ab vmbra statuam cognoscam, id est, in minimis maiora perpendam, in hoc tamen ei credimus, quia eius nobis animam sacramenta & obsides ligant.] At quid per ista subobscura legentibus de Mauritio significare velit Gregorius, certe quidem etsi incompertum habeatur, haud bonum fuisse conijcimus ex controuersia illa, quæ inter ipsum & Mauritium intercessit: expostulans enim vehementer aduersus eum Gregorius de lege lata qua milites ingredi monasteria prohibebat, ad eumdem tamen eiusmodi vt priuatus epistolam scripsit [b]: [a] *Gregor. lib. 2. epist. 63. Indict. 11.*

Omnipotenti Deo reus est, qui sereniſſimis dominis in omne quod agit & loquitur, C purus non est. *Ego* autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione neque vt *Episcopus*, neque vt seruus iure Reipublicæ, sed iure priuato loquor: quia, sereniſſime domine, ex illo iam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino viro clariſſimo Stratore veniente, dominorum legem suscepi: ad quam, fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nil valui. In qua dominorum pietas sanxit, vt quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudaui, euidentisime sciens, quia qui sæcularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quod vero in eadem lege dicitur, vt ei in monasterio conuerti non liceat: omnino miratus sum, dum & rationes eius possint per monasterium fieri, & agi potest, vt ab eo loco in quo suscipitur, eius quoque debita soluantur. Nam & si quis- D quam deuota mente conuerti voluisset, prius res male ablatas redderet, & de sua anima tanto verius, quanto expeditior cogitaret. In qua lege subiunctum est, vt nulli qui in manu signatus est, conuerti liceat.] erat istiusmodi militibus apponi solitum signum, quo a ceteris noscerentur; vt etiam ex ijs quæ inferius subdit, apparet. Sed pergit: [b] *Gregor. lib. 2. epist. 62. Indict. 11.* EPIST. GREG. AD MAVRITIVM IMP. DE LATA LEGE INIVSTA.

Quam constitutionem ego (fateor dominis meis) vehementer expaui: quia per eam cælorum via multis clauditur; & quod nunc vsque licuit, ne liceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, saluari apud Deum nullatenus possunt. Ego vero hæc dominis meis loquens, quid sum, nisi puluis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati cælitus data est super omnes homines, E vt qui bona apperunt, adiuuentur, vt cælorum via largius pateat, vt terrestre regnum cælesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, vt ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Iesu Christo militare non liceat. HVMILITATE VINCERE STVDET GREGORIVS IMPERATOREM.

Ad hæc ecce per me seruum vltimum suum & vestrum respondebit Christus, dicens: Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, & de Cæsare Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci: Ego sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu a meo seruitio milites tuos subtrahis? Respondе, rogo, pissime domine, seruo tuo: Quid venienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur. Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in monasterio milites conuersi miracula fecerunt, signa & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam, ne FACIT PERSONAM.

quis-

quisquam talium conuerti valeat, prohibetur. Requirat, rogo, dominus meus pijssimus, quis prior Imperatorum talem legem dederit; & subtilius æstimet, si debuit dari. Et quidem considerandum valde est, quia eo iam tempore prohibentur quique relinquere sæculum, quo appropinquat finis ipse sæculorum. Ecce enim mora non erit, & ardente cælo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principatibus & Potestatibus tremendus Iudex apparebit. Si omnia peccata dimiserit, & solam hanc legem contra se dixerit esse prolatam: quæ, rogo, erit excusatio? A

Vnde per eumdem tremendum Iudicem deprecor, ne illæ tantæ lacrymæ, tantæ orationes, tanta ieiunia, tantæq. eleemosynæ domini mei ex qualibet occasione apud omnipotentis Dei oculos fuscentur; sed aut temperando pietas vestra, aut immutando vigorem eius legis inflectat: quia tunc magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quanto Dei exercitus ad orationem creuerit. Ego quidem iussioni subiectus, eamdem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam sereniſſimis dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui, exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo quod sensi, minime tacui.] hactenus Gregorius Papa ad Mauritium Imperatorem. Verum has ipse litteras noluit per Apocrisarium suum, quem habebat Constantinopoli, dari Imperatori, sed misit ad Theodorum medicum intimum eiusdem Mauritij, vt ipse daret; cui hæc scripsit[a]: B

QVANDO CONTRA HOSTES EXERCITVS PRAEVALET.

[a] *Gregor. lib. 2. Ind. 11. epist. 65.*

Quanta bona omnipotentis Dei & serenissimi domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia pure amare? Peccatis autem meis facientibus (ex quorum suggestione vel consilio, nescio, an vestro) transacto anno talem in Republica sua legem protulit, vt quisquis eum pure amat, fiere vehementer debeat. Ad quam legem tunc respondere non potui, quia ægrotus fui: modo autem eidem domino aliqua suggessi. Præcepit enim, vt nullus qui actionem publicam egit, nullus qui officio & manu signatus vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio conuerti liceat, nisi forte si militia eius fuerit expleta. Quam legem primum (sicut ij dicunt, qui leges veteres nouerunt) Iulianus protulit, de quo scimus omnes quantum Deo aduersus fuerit. Quod si ideo serenissimus dominus noster fecit, quia forte multi milites conuertebantur, & exercitus decrescebat: numquid per virtutem militum subiugauit ei omnipotens Deus Imperium Persarum? Numquid non solæ lacrymæ illius auditæ sunt, & eo ordine quem ipse nescivit, eius Imperio Persarum regnum subdidit? C

DE LEGE IMP. INIVSTA.

Valde autem mihi durum videtur, vt ab eius seruitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit. Numquid si intentio est seruandarum rerum: non poterant ea ipsa monasteria, quæ milites susceperant, alienas res reddere, atque ad conuersionem homines tantummodo habere? Hæc quia mihi valde dolent, eidem domino suggessi: sed vestra gloria opportuno tempore secrete suggestionem meam ei offerat. Nolo eum a Responsali meo publice dari: quia vos, qui ei familiarius seruitis, loqui ei liberius & apertius* potestis, quæ pro eius sunt anima; quoniam in multis est occupatus, & vix animus eius inuenitur a curis maioribus vacuus. Tu quidem glorioſe fili, pro Christo loquere. Si auditus fueris, lucrum operatus es animæ prædicti domini tui & tuæ: si vero auditus non fueris, lucrum solummodo tuæ fecisti.] hucusque ad Theodorum Gregorius. D

* aptius

Sed, amabo te, hic pie lector siste gradum: etenim, ni fallor, dum hæc audisti, te admiratum vidi, & subindignatum obduxisse supercilia, eo quod abiecte nimis visus sit tibi locutus S. Gregorius, dum præter alia tum in epistola ad Mauritium, tum in ista ad Theodorum data quodammodo professus appareat sacerdotes a Deo subiectos esse Imperatori, verbis illis in primis, cum ait ex persona Christi: Sacerdotes meos tuæ manui commisi.] & de Imperatore ad Theodorum: Ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit.] At hæc Nouatores non vt tu mærentes accipiunt, sed hilari vultu, exultantes, immo & insultantes, quasi irrefragabile nacti sint testimonium viri sanctissimi atque doctissimi, cui nefas sit contradici; qui docentis cathedram cum ascenderit, tam apertis verbis videatur esse testatus, subiectum a Deo Imperatori sacerdotium esse: vt nonnisi contumelia tanti Patris E

NOVATORES ABVSI TESTIMONIO S. GREGORII.

id

A id negari & astrui contrarium videri possit, nempe ipsum hallucinatum, & non vera locutum, vel saltem Imperatori turpiter adulatum. Sed laruis istis absterreant Nouatores ipsi infantes, & clamoribus istiusmodi pueris pauorem incutiant, non tibi, lector, si bene nosti vim sanctionum Ecclesiasticarum, atque traditionum robur, & fortitudinem doctrinæ Patrum; sed ridebis nobiscum insultantium impudentiam & imprudentiam.

Dum enim nulla habetur ratio rerum gestarum & temporum, id efficitur, vt frustra isti insultent, vel timeant pauidi. At cum accurate cuncta perspecta habuerint, plane intelligent S. Gregorium acerrimum fuisse vindicem Pontificiæ æstimationis, & assertorem immunitatis Ecclesiasticæ. Hæc vt omnes percipiant, in primis meminisse oportet quæ superius dicta sunt, quantum idem Gregorius deplorarit hæc infeliciſſima tempora, quibus licet sub Imperatore Catholico, ipsa tamen Ecclesia fuerit non secus ac sub Nerone & Dio- MAVRITIVS VT TYRANNVS TOLERATVS.
B cletiano captiua. Reuocanda hic tibi sunt in memoriam (quod rerum sic exigat argumentum) quæ idem S. Gregorius de his habeat iam a nobis anno primo eius Pontificatus superius recitata, vbi inter alia [a]: Concitauit enim, *diabolus scilicet*, aduersus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam (si fas est dicere) potestatem: nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius quam regat Imperium.] & paulo post: Ecclesiam quippe, quam suo sanguinis prerio redemptam Saluator noster voluit esse liberam, hanc iste, potestatis regiæ iura transcendens, facere conatur ancillam.] hæc & alia fusius a nobis superius recitata.

[a] *Greg. in Psal. pœnit. 4.*

Quibus in primis vides S. Gregorium definire, non solum non esse subditam Regibus aliquo modo Ecclesiam, verum etiam firmiter asseuerare (cum de his agit) non habendum esse Mauritium inter Imperatores, dum aduersus Dei sacerdotes regiam potestaC tem exercet. Rursum eiusdem Gregorij sententia reddi firmum intelligis, Christi Ecclesiam *ab ipso liberam* factam esse, quam Imperator iniquissime redigere studuerit in seruitutem. Adeo vt quod dicit in duabus recitatis epistolis, a Deo subiectos fuisse sacerdotes Imperatori: ne ipse sibi contrarius Gregorius fuisse dicatur: necesse sit vt aliud diuinæ tribuere voluerit voluntati, permissioni vero aliud.

Sed quomodo permissioni? cum videlicet permiserit Deus (vt ipse deplorat) non posse exequi munus suum summũ vniuersæ Ecclesiæ sacerdotẽ, nisi etiam persoluta pecunia, elec- QVOMODO SVBDITI SINT SACERDOTES REGIBVS.
tioni factæ ipse consensisset Imperator. Sic igitur Deũ subiecisse tradit sacerdotes Mauritio Imperatori, vt olim eosdẽ subiecerat persecutoribus Neroni atque Diocletiano, quos in eos etiam gladio agere permisit. Cum ijsdẽ quidem certe constat Gregoriũ adnumerasse Mauritium, vbi ait [b]: Quid Nero? quid Diocletianus? quid denique iste, qui hoc tempo- [b] *Greg. in Psal. pœnit. 4.*
D re Ecclesiam persequitur? Numquid non omnes portæ inferi?] Habes ergo ex Gregorio ipso sensum verborum ipsius; qua interpretatione nulla verior nec germanior esse potest: vt sic dixisse voluerit subiectos a Deo sacerdotes Imperatori, quemadmodũ Christus Redemptor noster fatetur [c] se diuina permissione subditum potestati Pilati; & sicut itidem dixit ijs qui ipsum neci tradere satagebant [d]: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.] Quamobrem si res iure agatur, non violentia, vt solent latrones in siluis: non subiectos esse sacerdotes Imperatoribus, sed Imperatores sacerdotibus, eiusdem Gregorij, sicut & aliorum sanctorum Doctorum omnium constans est firmaq. sententia.

[c] *Ioan. 19.*
[d] *Luc. 23.*

Si quid præterea humile, si quid flaccidum & eneruatum atque indignum Apostolico vigore illa ad Mauritium Gregorij epistola habere videatur: meminisse, lector, pariter debes, quæ Gregorius ipsius epistolæ est præfatus exordio & contestatus, se nimirum
E non vt Episcopum ea scribere, sed iure priuato loqui: quod satis ad excusationem Gregorij esse potest, cum aliam agat personam tamquam in scena, vbi eius quam quis personam induit, verbis vti debeat.

Quod vero illud ipsum quod non probaret edictum Imperatoris, vt aduersarium Ecclesiasticæ *libertati*, se tamen ex eiusdem Imperatoris iussione dicit misisse per diuersas GREGORIVS CORREXIT EDICTVM IMPERATORIS.
terrarum partes: non fuit ista præuaricatio; eo quod ipse non fuerit edicti illius iniquissimi contra Ecclesiastica iura sanciti promulgator, sed potius corrector, emendator, & censor; maximumq. *in his* ediderit specimen sacerdotalis vigoris, Pontificiæ auctoritatis, & super Imperium potestatis; dum accedens censor & arbiter constitutionis Imperatoriæ, & admouens ad sacram (quam vocabant) tabulam stylum, edicti illius quædam expunxit, quædam addidit, iungens ac minuens pro arbitrio, vt ad rectam Catholicæ Ecclesiæ normam & disciplinã aptaret, nihilq. penitus in eo, quod Ecclesiasticæ officeret libertati, & sacris canonibus contradiceret, prætermittens intactum: posteris egregiũ relinquens

Universidad de Deusto
Biblioteca

quens exemplum, quicquid leges sanciendo delirant Imperatores ac Reges, a Romanæ A
Ecclesiæ Pontificibus esse protinus emendandũ & corrigendum; sicq. ab ipsis fauendum
eorum votis, vt eos errantes cum mansuetudine (vt videmus fecisse Gregoriũ) corrigant,
& Pontificia potestate, quod perperam factum norunt, Apostolica censura castigent, seq.
exhibeant eorum magistros, doctores, & correctores, iuxta illud diuinum oraculum
a Hierem. 1. non illi tantum Prophetæ [a] pronunciatum, sed omnibus qui pro Deo ad populum diuina
legatione funguntur: Constitui te hodie super Gentes & super regna, vt euellas, & de-
struas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.]

Gratias Deo immensas agimus, quod illa tunc data a sancto Gregorio ad Metropoli-
tanos tum Orientis tum Occidentis extat epistola, qua corrigens Imperatoris edictum,
vna cum ipsa illud (vt ipse testatus est) in prouincias misit: qua & effecit, vt quod vide-
batur exitiale esse venenum, in antidotum mutaretur, dum qui non recipiendi essent in B
monasterium, quive non reijciendi, salubri definitione constituit. Epistola illa non suo
loco (vt de multis alijs accidisse vidimus) collocata, hic vbi eius Gregorius meminit,
b Greg. lib. 7. epist. 11. Ind. 1. reponenda, ita se habet [b]:

Gregorius Eusebio Thessalonicensi, Vrbitio Dirachitano, Constantino, *siue Constan-*
tio Mediolanensi, Andreæ Nicopolitano, Ioanni Corinthi, Ioanni Primæ Iustinianæ, Ioan-
Scorintano ni Cretensi Coritano *, Ioanni Lariss æo, Mariniano Rauennati, Ianuario Calaritano Sar-
diniæ, & omnibus Episcopis Siciliæ.] sunt autem omnes superius nominati Episcopi siue
Metropolitani, siue nobilium ciuitatum Antistites, tum in Oriente, tum in Italia & in
insulis constituti. Sed audi epistolam:

Legem quã pijssimus Imperator dedit, ne fortasse hi qui militiæ vel rationibus sunt pu-
GREG. EMENDATA LEGE IMP. CANONES PRAESCRIBIT EPISCOPIS. blicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum ve- C
niant, vel in monasterijs cõuertantur, vestræ studui fraternitati transmittere: hoc maxime
exhortans, quod hi qui sæculi actionibus implicati sunt, in clero Ecclesiæ præpropere sus-
cipiendi non sunt: quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerant vi-
uunt, nequaquã studeant sæculum fugere, sed mutare. Quod si etiã tales quoque monaste-
rium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius actionibus publicis absoluti fuerint.
numeris Si qui vero ex militaribus viris * in monasterijs conuerti festinant, non sunt temere sus-
cipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et iuxta normam regularem debent
in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore, susci-
pere. Qui si ita sunt probati atque susceptí, & pro anima sua pœnitentiam de perpetratis
culpis agere studeant: pro eorum vita & lucro cælesti non est eorum conuersio renuenda.
Qua de re etiam sereniss imus & Christianiss imus Imperator (mihi credite) omnimodo D
placatur, & libenter eorum conuersionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos
non esse cognoscit.] hactenus Gregorij epistola: In qua videas in duobus esse emendatum
IN QVIBVS EMENDATVM EDICTVM. Imperatoris edictum, nempe in eo primum, quod prohiberet actionibus publicis implica-
tos nullo pacto recipiendos in monasterium: hos enim recipiendos esse Gregorius statuit,
cum ijsdem obligationis nexibus fuerint soluti. Deinde quod Imperator statuisset, mili-
tes nonnisi absoluto tempore militandi posse ingredi monasterium: vult Gregorius, si
probati inuenti sint, eosdem recipi & retineri. Sicq. vides eumdem sanctum Pontificem
optime in omnibus expleste numeros constantissimi sacerdotis. Sed iam quæ sunt anni
huius reliqua prosequamur.

Hoc anno tunica Domini nostri Iesu Christi in Zaphat non lõge a Hierosolyma inuen-
DE TVNICA SALVATORIS. ta confessione Simeonis Iudæi, a Gregorio Episcopo Antiocheno, Thoma Hierosolymi- E
tano, & Ioanne Constantinopolitano transfertur Hierosolymam, vbi publicæ veneratio-
ni expositа est. hæc apud Sigebertum: antiquiorem autem quem de his citem auctorem
habeo neminem. Sed diuersa ab his ante hæc tempora scribit Gregorius Turonensis de
tunica inconsutili, verbis istis [c]: De hac vero immaculati agni tunica, quæ a quibusdam
c Greg. Turon. mirac. lib. 1. c. 8. audiui, silere nequeo. Ferunt autem, in ciuitate Galatiæ, in basilica, quæ ad sanctos
Archangelos vocitatur, retineri. Est enim hæc ciuitas ab vrbe Constantinopolitana
quasi millibus centum quinquaginta. In qua basilica est crypta abditissima, ibiq. in ar-
ca lignea hoc vestimentum habetur inclusum; quæ arca a deuotis atque fidelibus cum
summa diligentia adoratur.] hæc Gregorius Turonensis.

SABINIANVS DIACON. APOCRISAR. MISSVS CONSTANTINOP. Misit hoc anno Gregorius Papa Constantinopolim Sabinianum diaconum Apocri-
sarium. fuit hic ille, qui eidem Gregorio in Pontificatu successit. Huic proficiscenti de-
dit litteras ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, quem auctoritate Apostolica,

qua

A qua ſuper omnes eminet, redarguit, quod reprehenſionem non eo quo ſcripta fuerat animo ſuſcepiſſet. Increpuerat eum litteris iterum, quod monachum quemdam fuſtibus puniri iuſſiſſet. Non extant illæ ad eum datæ Gregorij litteræ, neque item illæ quas ſubinſenſo animo ipſe ad Gregorium reſcripſiſſet adeo auerſas & refractarias, vt dubitare viſus ſit ipſe qui eas accepit Gregorius, num ab ipſo Ioanne ſcriptæ fuiſſent. Sed accipe Gregorij epiſtolæ verba, quæ ſic ſe habet [a]:

a Gregor. lib. 2. epiſt. 32. Indict. 11.

Quamuis cauſæ conſideratio me mouet ad ſcribendum, tamen & charitas impellit: quia & ſemel & bis ſanctiſſimo fratri meo domno Ioanni ſcripſi, ſed non eius epiſtolas recepi: alter enim mihi ſæcularis quidã ſub eius nomine loquebatur. Quæ ſi epiſtolæ eius fuerint, ego vigilans non fui, qui longe de eo aliter credidi, quam inueni. De cauſa enim reuerendiſſimi viri Ioannis presbyteri ſcripſeram, atque de quæſtionibus monachorũ Iſauriæ, quo-

B rum vnus & in ſacerdotio poſitus in Eccleſia veſtra fuſtibus cæſus eſt: & reſcripſit mihi (ſicut ex nomine epiſtolæ agnoſco) ſanctiſſima fraternitas tua, quia neſcierit de qua cauſa ſcriberem. Ad quod ſcriptum vehementer obſtupui, mecum tacitus voluens, ſi verum dicit, quid eſſe deterius poteſt, quam vt agantur talia contra ſeruos Dei, & ipſe neſciat qui præſto eſt? Quæ enim poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit? Si autem ſciuit ſanctitas veſtra & de qua cauſa ſcripſerim, & quid vel contra Ioannem presbyterum, vel contra Anaſtaſium Iſauriæ monachum atque presbyterum geſtum ſit, & mihi ſcripſit contra hoc: ego neſcio quid reſpondeam: quando per ſcripturam ſuam Veritas dicit [b]: Os quod mentitur, occidit animam. Requiro, frater ſanctiſ-

GREGORIVS REDARGVIT IOANNEM EPISC. CONSTANTINOP.

b Sapien. 1.

ſime: illa tanta abſtinentia ad hoc peruenit, vt fratri ſuo ea quæ nouit geſta, negando velit abſcondere? Numquid non melius fuerat, in illud os carnes ad veſcendum ingredi, quam

C de eo falſum ſermonem ad illudendum proximum exire? præcipue cum Veritas dicat [c]: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, &c.] Demum vero de his quæ ad cauſam ſpectant, hæc ad finem ſubijcit:

c Matth. 15.

Sed etiam nunc iã dico, aut eaſdem perſonas in ſuis ordinibus ſuſcipe, eisq. quietẽ præbe; aut ſi hoc fortaſſe nolueris, omni mihi altercatione poſtpoſita, de eorum cauſa ſtatuta maiorum & canonum terminos cuſtodi. Si vero neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, ſed tamen venientem a vobis non deuitamus. Quid autem de Epiſcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene veſtra fraternitas nouit. Paſtores etenim facti ſumus, non percuſſores. Et egregius Prædicator dicit [d]: Argue, obſecra, in-

d 2. Timoth. 4.

crepa, in omni patientia & doctrina. Noua vero atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Sed de his multa in epiſtolis loqui non debeo: quia dilectiſsimum

D filium meum Sabinianum diaconum pro reſponſis Eccleſiaſticis faciendis ad dominorum veſtigia tranſmiſi, qui vobiſcum cuncta ſubtilius loquetur, &c.] Ex his intelligis, iniuriam paſſos a ſuis Patriarchis appellare ſolitos Romanum Pontificem, & ab ipſo aduerſus eorumdem perperam facta auxilium implorare, ipſum vero Romanum Pontificem officio non defuiſſe ſuo, vt quibuſcumque iniuſte oppreſsis opem ferret.

Quod autem ad Eccleſiaſticam animaduerſionem pertinet: vetitum quidem fuiſſe aliquem fuſtibus cædi, certum eſt: virgis vero ſubijcere reum fuiſſe conceſſum, ex pluribus eiuſdem Gregorij epiſtolis patet. Ad hoc ipſum ſpectat, quod idem Gregorius Tarentinum Epiſcopum Andream nomine, hoc eodem anno, duobus menſibus a celebratione Miſſarum voluit [e] abſtinere, eo quod mulierem quamdam fuſtibus ſubieciſſet; priuat vero ſacerdotio, ſi (vt ferebatur) concubinæ eſſet conſortio maculatus. Sed ad Sa-

e Gregor. lib. 2. epiſt. 44. Indict. 11.

E binianum redeamus.

Dedit eidem Sabiniano diacono litteras ad Priſcum Patricium [f] virum pium, cum iam in gratiam Imperatoris redijſſet, docens ipſum, vitæ præſentis inconſtantiam bene cedere Chriſtiano, ne in rebus mundi huius radices figat: ſed qua occaſione id aſſerat, inferius dicturi ſumus. Commendat eidem demum eumdem Sabinianum. Cui pariter alias dedit [g] ad Theotimum Imperatoris medicum, amicum intimum, ipſum Sabinianum æque commendans. Sed & ad Narſetem Patricium pariter ſcripſit; vbi in cauſa Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani quo animo eſſet, declarat his verbis [h]: Charitati tuæ breuiter fateor, quia omni virtute & omni pondere eamdem cauſam, auxiliante omnipotente Deo, exigere paratus ſum. In qua ſi videro ſedis Apoſtolicæ canones non ſeruari, dabit omnipotens Deus quid contra contemptores eius faciam.] Qui igitur Apoſtolica auctoritate (vt vidimus) coercuit Conſtantinopolitanum Patriarcham; eadem quoque res Africanæ

f Gregor. lib. 2. epiſt. 51. Indict. 11.

g Gregor. lib. 2. epiſt. 66. Indict. 11.

h Gregor. lib. 2. epiſt. 64. Indict. 11.

[a] Gregor. lib. 3. epist. 7. Indict. 12.

Ecclesiæ curans, Concilium generale ab Episcopis Numidiæ prouinciæ habitum [a] nullum penitus reddidit atque cassum, eo quod in eo aliqua contra Ecclesiasticos canones accepisset fuisse statuta. Sed rem ab exordio repetamus. De eodem cogendo Concilio hoc eodem anno litteras Gregorius dedit [b] ad prouinciæ Numidiæ Adeodatum Episcopum, atque alias ad Columbum [c] in eadem prouincia item Episcopum, cui & pro benedictione claues S. Petri transmisit cum ramentis de catena eiusdem S. Petri in eis inclusis. Cum igitur ad Concilium celebrandum Numidiæ prouinciæ Episcopi conuenissent, & præter ius fasq. aliqua statuissent: eadem cum resciisset ipse Gregorius, qui residebat inspector & custos sacrorum canonum, nullius ea voluit esse auctoritatis, ita de his scribens [d] ad eumdem Gennadium Exarchum, de quo summa cum laude supra mentio facta est:

[b] Gregor. lib. 2. epist. 48. Indict. 11.

[c] Greg. lib. 2. epist. 47. Ind. 11.

[d] Greg. lib. 2. epist. 7. Ind. 12.

DE INVALIDANDIS QVAE GESTA ESSENT IN CONCILIO NVMIDIAE.

Satis credimus religiosam excellentiæ vestræ mentem aduersus ea maxime quæ in Ecclesijs geruntur incongrua, diuini auctoris æmulatione succendi. Tanto igitur Ecclesiasticarum correptionem causarum vobis libenter ingerimus, quanto de pia vestræ mentis intentione confidimus. Cognoscat siquidem excellentia vestra, quibusdam de Africanis partibus venientibus, ad nos fuisse perlatum, plura in Concilio Numidiæ contra Patrum tramitem atque canonum statuta committi. Quarum rerum frequentes querelas, quia diutius tolerare nullatenus potuimus, Columbo fratri & coepiscopo nostro, de cuius grauitate ipsa eius quæ percrebuit dubitare iam nos non permittit opinio, commisimus perquirendas. Quamobrem paterno salutantes affectu, hortamur excellentiam vestram, in cunctis quæ ad Ecclesiasticam correptionem pertinent, vestri robur ei subrogetis auxilij: ne si quod male geritur, quæsitum vel vindicatum non fuerit, longorum vsurpatione temporum, cum maiori licentia in futuris crescat excessibus. Scito autem, excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis prouinciæ securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quam zelari sacerdotum vitas, & intestina Ecclesiarum, quantum possibile est, bella compescere.] hæc ad Gennadium: ex quibus perspicue intelligas, Romani solius esse Pontificis, quæ ab alijs sunt facta Episcopis, decretaue in ipsorum Concilijs, probare, siue reijcere; vt illa dumtaxat firma sint, quæ ipse impartita sibi diuinitus facultate firmauerit.

SCHISMATICI SEDVCVNT THEODOLINDAM REGINAM.

Quod insuper Gregorium Romanum Pontificem non mediocriter hoc anno afflixit, illud fuit, quod laborauit factio schismaticorum, vt Theodolindam Longobardorum Reginam religiosissimam feminam in schisma seducerent Episcopi tres schismatici, qui creato Constantio Mediolanensi Episcopo, ab eius communione secesserant, quod Trium capitulorum damnationi consensisset: eo nimirum colore illi Reginam ex more decipientes, quod per Romanos Pontifices ac per Quintam Synodum dicerent aliquid fuisse detractum sacro Chalcedonensi Concilio. Quod cum Gregorius accepisset, considerans magnum imminere periculum, vt vna cum ipsa Regina gens Longobardorum vniuersa in eamdem schismatis ruinam præceps abduceretur: continuo ad eam misit Ioannem Abbatem, & Hippolytum Notarium, vt quæ sana, sancta, pia veraq. essent, ipsam docere curarent. Extat ipsius Gregorij de his ad eam epistola hoc anno scripta verbis istis [e]:

[e] Gregor. lib. 3. epist. 4. Ind. 12.

GREG. EPIST. AD THEODOLINDAM.

Quorumdam ad nos relatione peruenit, ab aliquibus Episcopis gloriam vestram vsque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, vt sese a Catholicæ vnanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos pure diligimus, tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisq. hominibus creditis, qui non solum ea quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea percipere, quæ audierint, possunt. Dicunt enim, piæ memoriæ Iustiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem Synodum fuisse constituta: qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim, teste conscientia, fatemur de fide eiusdem sancti Chalcedonensis Concilij nihil motum, nihil esse violatum. Sed quicquid prædicti Iustiniani temporibus actum est, ita actum est, vt fides Chalcedonensis Concilij in nullo vexaretur. Si quis autem contra eiusdem Synodi fidem aliquid loqui præsumit, vel sapere: nos eius sensum sub anathematis interpositione detestamur.

Cum ergo integritatem nostram ex conscientiæ nostræ attestatione cognoscitis, supereſt vt numquam * vos a Catholicæ Ecclesiæ communione separetis; ne tot vestræ lacrymæ, tantaq. bona opera pereant, si a fide vera inueniuntur aliena. Decet ergo gloriam vestram, ad reuerendissimum fratrem & coepiscopum meum Constantium, cuius & fides & vita bene olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eiq. directis vestris epistolis indi-

* nequaquam

A indicare ordinationem eius, quam benigne ſuſcepiſtis, & quia ab eius Eccleſiæ communione in nullo ſeparamini. Quamuis in hac re me vobis ſuperflue dicere arbitror: quia etſi quid in veſtro animo dubietatis fuit, veniente filio meo Ioanne Abbate, atque Hippolyto Notario, ex corde veſtro arbitror fuiſſe ſublatũ.] hæc ad Theodolindã Reginã Gregorius.

Quod vero ſpectat ad Conſtantium, cuius hic Gregorius meminit, rogatq. Theodolindam, ne ab eius ſe communione ſeparet: de ipſo eiuſq. ordinatione agamus opus eſt. Fuit hic Mediolanenſis nuper (vt dictum eſt) poſt Laurentium iuniorem creatus Epiſcopus, vt ex ipſius Gregorij litteris antea datis apparet, & illis in primis [a] quas reddidit ad clerum Mediolanenſem de ipſo ordinando Conſtantio eiuſdem Eccleſiæ diacono, qui ipſi Gregorio agenti Apocriſarium Conſtantinopoli familiaris inhæſerat, atque in omnibus irreprehenſibilis probatus fuerat. Quem licet ita probum probatumq. ipſe Gregorius
B compertum haberet, pro eius tamen electione nihil officij impendere voluit: quod ſcilicet hoc in mentis propoſito fixum habuiſſet, pro nullius Epiſcopi electione ſe acturum. Sed audi eius verba magna quidem conſideratione digna:

[a] *Gregor. lib. 2. epiſt. 29. Indict. 11.*

GREGORIVS NEMINI FAVERE VOLVIT IN ADIPISCENDO EPISCOPATV.

Cum, inquit, in vrbe regia reſponſa ſedis Apoſtolicæ facerem, longo mihi tempore adhæſit; ſed nihil vmquam in illo quod reprehendi paſsim potuiſſet, inueni. Verumtamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio eſt, ad ſuſcipiẽda paſtoralis curæ onera, pro nullius vmquam miſceri perſona: orationibus proſequor electionẽ veſtram.] hæc ipſe, hortans eos, vt quem optimum cernerent, cum eligerent, monens etiam bene componere mores ſuos, vt dignum ea ſede mereri poſſent obtinere paſtorem: ſimulq. oſtendit, quam eſſet infelix eius Eccleſiæ ob tot bella conditio; ait enim: Sed quia iuxta meritum plebium ſolent ſuperno iudicio perſonæ prouideri paſtorum: vos ſpiritalia quærite, cæleſtia amate, tem-
C poralia vt fugitiua deſpicite; & certiſsimum tenete, quia placentem Deo paſtorem habebitis, ſi vos in veſtris actibus Deo placetis. Ecce iam mundi huius omnia perdita conſpicimus, quæ in ſacris paginis audiebamus peritura. Euerſæ vrbes, caſtra eruta, eccleſiæ deſtructæ: nullus terram veſtram cultor inhabitat: in nobis pauciſsimis, qui ad modicum derelicti ſumus, cum ſupernæ percuſsionis cladibus humanus gladius inceſſanter ſæuit.] Quod ait derelictam cultoribus terram Mediolanenſium, probe conuenit ijs quæ ſuperius dicta ſunt, nimirum Francos infeſto exercitu eam prouinciam inuaſiſſe, atque homines in Gallias captiuos abduxiſſe.

Vbi autem Gregorius electum nouit Conſtantium quem optabat, de eius conſecratione, quæ abſque conſenſu Apoſtolicæ ſedis fieri non valebat, hæc habet ſcribens ad Ioannem ſubdiaconum [b]: Quanto Apoſtolica ſedes, Deo auctore, cunctis prælata conſtat Eccleſijs:
D tanto inter multiplices curas & illa nos valde ſolicitat, vbi ad conſecrandum Antiſtitem, noſtrum expectatur arbitrium, &c.] voluit & abſentium Mediolanenſium, qui Genuam ob barbaricum metum confugerant, perſcrutari voluntates. Porro non aliter aſſenſus de electo impendi ſolebat ab Apoſtolica ſede, niſi emiſſa Catholicæ fidei profeſſione, vt ex ijs quæ paulo poſt dicentur apparet. Scripſit de ijſdem Gregorius [c] ad Romanum Exarchum, commendans eumdem Conſtantium iam electũ. Alias item litteras [d] dedit ipſi Conſtantio, congratulatus electioni ipſius, cũ ab eo alias litteras accepiſſet: quem & monet in cura paſtorali quam ſolicite agere. At tunc accidit quod dictum eſt, nempe vt cum probandus ab Apoſtolica ſede electus, fidem Catholicam profeſſus, aſſenſum quoque præbuiſſet damnationi Trium capitulorum: tres illi Epiſcopi ipſi ſubiecti ſe ab eius communione ſubtraxerint, abducere conantes in ſchiſma vna ſecum Reginam Longobardorum
E Theodolindam. Quod audiens Gregorius, ad Conſtantium ipſum has litteras dedit pro reparatione periclitantis Reginæ [e]:

[b] *Gregor. lib. 2. epiſt. 30. Indict. 11.*

[c] *Gregor. lib. 2. epiſt. 12. Indict. 11.*

ELECTVS EPISC. PROFITERI SOLITVS FIDEM CAT.

[d] *Gregor. lib. 3. epiſt. 1. Ind. 12.*

[e] *Gregor. lib. 3. epiſt. 2. Ind. 12.*

Dilectiſſimus filius meus Bonifacius diaconus quiddam mihi ex ſcripto fraternitatis tuæ ſecreto nunciauit, quod exquiſita occaſione potius, quã inuenta, tres ſe Epiſcopi a pia fraternitatis veſtræ communione ſeparauerint, dicentes, vos in damnationem Trium capitulorum conſenſiſſe, atque cautionem feciſſe. Et quidem ſi quid de Tribus capitulis in quocumque vel verbo vel ſcripto nominatum eſt, bene fraternitas tua reminiſcitur: quamuis deceſſor fraternitatis tuæ Laurentius diſtrictiſſimam cautionem ſedi Apoſtolicæ emiſerit, in qua viri nobiliſſimi ex legitimo numero ſubſcripſerunt, inter quos ego quoque tunc Vrbanam præturam gerens pariter ſubſcripſi. Quia poſtquam talis ſciſſura pro nulla re facta eſt, iuſtum fuit vt ſedes Apoſtolica curam gereret, quatenus vnitatem vniuerſalis Eccleſiæ in ſacerdotum mentibus per omnia cuſtodiret.

DE PROFESSIONE A CONSTANTIO EPISC. MEDIOLAN. FACTA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE ADMONENDA THEODOLINDA REGINA.

Quod autem dicitur, filiam noſtram Theodolindam Reginam ſeſe a communione A
tua, hoc audito nuncio, ſuſpendiſſe: conſtat per omnia, quia etſi prauorum hominum
verbis ad paululum ſeducta eſt, venientibus tamen Hippolyto Notario, & Ioanne Ab-
bate, erit modis omnibus veſtræ fraternitatis communionem quæſitura. Cui etiam
meas epiſtolas direxi, quas fraternitas veſtra ſine dilatione tranſmittat. De Epiſco-
pis vero qui ſe ſuſpendere viſi ſunt, aliam epiſtolam feci, quam cum eis oſtendi feceris,
eos non ambigo de ſuperſtitione ſuæ ſuperbiæ apud fraternitatem tuam pœnitentiam
acturos.] hæc de ſchiſmaticis. Deſiderantur autem litteræ illæ Gregorij, quas ad eoſdem
ſchiſmaticos ſe ſcripſiſſe teſtatur. Extant vero aliæ eiuſdem argumenti ipſius Gregorij
litteræ ad eumdem Conſtantium [a], in quibus hæc ad curandos ſchiſmaticos, qui prætextu
læſi Concilij Chalcedonenſis ab Eccleſia diſciuiſſent:

[a] Gregor. lib. 3. epiſt. 3. Indict. 12.

GREGORII CONTESTATIO DE FIDE ILLIBATA SERVATA.

Nos enim, inquit, auctore veritate, teſte conſcientia, fatemur, nos fidem ſanctæ B
Chalcedonenſis Synodi per omnia illibatam cuſtodire, nihilq. eius definitioni addere, ni-
hilq. ſubtrahere audere. Sed ſi quis contra eam, eiuſdemq. Synodi fidem, ſiue plus minus-
ve ad ſapiendum appetit vſurpare: eum, omni dilatione poſtpoſita, anathematizamus,
atque a ſinu matris Eccleſiæ alienum eſſe decernimus. Quem igitur iſta mea confeſſio
non ſanat, non iam Chalcedonenſem Synodum diligit, ſed matris Eccleſiæ ſinum odit.
Si ergo ea ipſa quæ audere viſi ſunt, zelo loqui animæ præſumpſerunt: ſupereſt, vt hac
ſatisfactione ſuſcepta, ad fraternitatis tuæ vnitatem redeant, ſeq. a corpore Chriſti
(quod eſt ſancta vniuerſalis Eccleſia) non diuidant.] hactenus ipſius Gregorij conteſta-
tio: atque hic finis de rebus geſtis in cauſa ſchiſmaticorum hoc anno. Conſtat autem ali-
quandiu ipſam Theodolindam in eadem cum ſchiſmaticis ſententia perſtitiſſe; vt quæ
anno ſequenti contigerunt, edocent. C

Qui igitur hac præuia admonitione redierunt ad Eccleſiam, ab ipſo Gregorio beni-
gne ſuſcepti ſunt. Extat enim hoc anno ab ipſo data epiſtola ad Maximianum Syracuſa-
num de quodam Felice diacono ex ſchiſmatis errore conuerſo, his verbis conſcripta [b]:
Præſentium lator Felix diaconus, cum nullatenus in hæreticorum dogmata lapſus ſit, nec
a Catholica fide diſceſſerit, prauis illectus aduerſus Conſtantinopolitanam Synodum ſu-
ſpicionibus, in Hyſtricorum ſe ſeparatione remouerat. Qui cum Romam veniſſet, rece-
pta a nobis iuuante Domino ratione, exceſſum ſuum, recepta Dominici corporis & ſan-
guinis communione, correxit. Quia ergo (vt dictum eſt) non in hæreſim incidit, ſed a ſa-
cris generalis Eccleſiæ myſterijs quaſi rectæ ſtudio intentionis errauit: imbecillitati
eius atque neceſſitatibus conſulentes, maximeq. ſuſtentationi eius pietatis intuitu proui-
dentes, in tua Eccleſia Syracuſana eum præuidimus cardinandum: ſiue vt officium diaco- D
natus expleat, ſeu certe vt ſola eiuſdem officij pro ſuſtentanda paupertate ſua commoda
conſequatur, in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere iudicio. Quod hortamur vt tua
fraternitas implere feſtinet, commendantes etiam perſonam eius, quatenus nullis eum
patiaris moleſtijs aut neceſſitatibus ſubiacere: ne vel noſtræ commendationis inueniaris
tramitem neglexiſſe, vel minus exhibuiſſe, quam tuus exigit ordo pauperibus: quia & nos
ei annuum quid de noſtra Eccleſia dari fecimus; vt eiuſdem operis, quod te hortamur ex-
hibere, participes eſſe poſſemus.] hæc pro ſchiſmatico ad Eccleſiam reuerſo Gregorius:
quibus cum commendandam videas erga lapſos eius charitatem, habes etiam vt intelli-
gas & confirmes quæ eodem Gregorio auctore dicta ſunt ante, nimirum cum in Quinta
Synodo non actum ſit de fide, ſed de perſonis, in eam peccantes nequaquam fuiſſe dicen-
dos hæreticos, ſed tantum ſchiſmaticos: ſi vero aliquando hæretici dicti ijdem inue- E
niantur, id de illis tantum accipi, qui obſtinati nimis in errore permanere ſtatuerint;
tuncq. fieri, vt ſchiſma in hæreſim tranſeat, vt alias ſuperius pluribus dictum eſt.

[b] Gregor. lib. 3. Ind. 12. epiſt. 14.

NON OMNES SCHISMATICI SVNT HAERETICI.

SECEDIT GREGORIVS AD BREVE TEMPVS.

Inter hæc autē idem ſanctiſsimus Pater laboribus & anguſtijs fatigatus & preſſus, ad mo-
dicum temporis ſpatium amicam repetijt ſolitudinem, ita tamen, vt in otio eſſet maxime
operoſus: meditatus quippe ſcribere libros Dialogorum, eos anno quarto ſui Pontificatus,
qui ingreditur hoc anno menſe Septembri vna cum duodecima Indictione, vigilantiſsi-
mo ſtudio elaborauit. Collegerat enim res præclare geſtas ſanctiſsimorum virorum Ita-
liæ, eorum potiſsimum qui ſua ætate vixerunt, quas vel ipſe probe ſciret, vel a viris fi-
de digniſsimis accepiſſet, diligentiſsimam in his curam impendens, vt videre eſt ex ipſius
epiſtola hoc anno data ad Maximianum Syracuſanum Epiſcopum verbis iſtis [c]:

[c] Gregor. lib. 2. epiſt. 50. Ind. 11.

Fratres mei, qui mecum familiariter viuunt, omnimodo me compellunt aliqua de mi-

raculis

A raculis Patrum, quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate scribere. Ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, vt ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæq. cognouisse vos contigit, mihi breuiter indicetis. De domno enim Nonnoso Abbate, qui iuxta domnum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ obliuioni mandaui. Et hoc igitur, & si qua sunt talia, tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti, si tamen ad me ipse non properas.] hæc ad Maximianum, mirificum illum virum ipsius Gregorij monasterij S. Andreæ antea præfectum, quem secum (vt vidimus superiori tomo) Constantinopolim duxit. Porro id genus alias litteras ad diuersos scripsisse, cum huiusmodi meditaretur opus, nulli dubium esse potest: siquidem a diuersis, quos testes citat, ea quæ scribit, se accepisse cum testetur, eosdem vel accersisse Romam, vel litteris admonuisse vt quæ scirent scriberent (vt fecit cum Maximiano) ne-
B cesse est affirmare.

QVAM INIIT GREG. RATIONEM IN SCRIBENDIS DIALOGIS.

Porro quod absoluisset idem S. Gregorius opus quadraginta homiliarum, in quibus contigerat (vt ex eis apparet) aliquid huiusmodi inter concionandum referre mirabilium rerum: incendit animos fratrum suorum, quos refert, & puto, aliorum, qui & eum sæpe rogarint, vt quæ reliqua essent, vna cum illis perpetuitati (ne obliuione delerentur) consecraret scriptis suorum temporum monumentis: quod egregie præstitit, ipsaq. cuncta per dialogismum prosecutus est, adhibens secum in ea solitudine Petrum diaconum, virum a pueritia sibi vsu amicitiæ intimum. Quæ ipse omnia in exordio operis aperit, cum ita præfatur[a]:

Quadam die nimijs quorumdam sæcularium tumultibus depressus, quibus in suis negotijs plerumque cogimur soluere etiam quod nos certum est non debere.] Ista dicens, vi-
C detur plane alludere ad controuersiam illam, quam exercuit cum Mauritio Imperatore de iniqua lege ab ipso edita, quam ad tempus perferre cogeretur, licet ea minime posset obstringi. Sed pergit, dicens: Secretum locum petij amicum mærori, vbi omne quod de mea mihi occupatione displicebat, se patenter ostenderet, & cuncta quæ infligere dolorem consueuerant, congesta ante oculos licenter venirent. Ibi itaque cum afflictus valde & diu tacitus sederem, dilectissimus filius meus Petrus diaconus affuit, qui mihi a primæuo iuuentutis flore in amicitijs familiariter obstrictus est, atque ad sacri verbi indagationem socius. Qui graui excoqui cordis languore me intuens, ait: Numquidnam noui tibi aliquid accidit, quod plus te solito mæror tenet? Cui inquam: Mæror, Petre, quem quotidie patior, & semper mihi per vsum vetus est, & semper per augmentum nouus, &c.]

[a] Greg. dialog. lib. 1. in præfat.

SECRETVM PETIT LOCVM GREG. SCRIPTVRVS DIALOGOS.

Quod S. Gregorium scripturum Dialogos, quibus historia texeretur, captasse recess-
D sum lego, non ita vero cum alias scriptiones adorsus est: mihi in mentem veniunt, quæ de his Cicero, quæ Plinius, siue alij in eamdem sententiam scriptis prodidere. Omnibus namque solutum esse negotijs oportere, qui in ea se exercere vult facultate, Cicero tradidit[b]. Plinius itidem rogatus scribere historiam, eamdem excusationem affert, nimirum non esse sibi integrum id aggredi, nisi secretum solitariumq. locum alijs liber negotijs petat, quod tradit ad Euritium scribens[c]. Hæc autē volui considerauda proposuisse, quo si minus forte omnes explesse me numeros in Annalibus conscribendis quis inuenerit, excuset, quod numquam mihi licuerit vel diem vnam vacuam ab interuentoribus, absque alienis curis atque molestijs, felicem albo signandam lapide, transigere solitarium.

SECESSVM REQVIRIT HISTORIAE SCRIPTIO.

[b] Cicer. de leg. lib. 1.

[c] Plin. lib. 5. epist. 8.

Porro quod ad sancti Gregorij Dialogos pertinet, non tacemus eosdem a Zacharia Papa fuisse ex Latino in Græcum conuersos, ita plane expetentibus Græcis Romanas mer-
E ces, quas noscerent omni penitus impostura carere. Sed quid accidit? eorum posteri eosdem postea alicubi polluerunt, vt Ioannes diaconus obseruauit: nempe, quod S. Gregorius germane sincereq. secundum maiorum assertionem habet in fine secundi libri ipsorum Dialogorum, Spiritum sanctum a Patre Filioq. procedere, corruperunt illi textum, vt Græce diceret, a Patre tantum procedere, dempto nomine Filij. Sed audi Ioannem diaconum[d]: Quos libros Zacharias sanctæ Ecclesiæ Romanæ Episcopus Græco Latinoq. sermone doctissimus temporibus Constantini Imp. post annos ferme centum septuagintaquinque in Græcam linguam conuertens, Orientalibus Ecclesijs diuulgauit: quamuis astuta Græcorum peruersitas in commemoratione Spiritus sancti a Patre procedentis, nomen Filij suaptim radens abstulerit.] hæc Ioannes. Germani autem Latini codices eo loco ita habent: Cum enim constet, quia paracletus Spiritus a Patre semper procedat & Filio: cur se Filius recessurum dicit, vt ille veniat? &c.]

GRAECI CORRVPTORES DIALOGORVM S. GREGORII PAPAE.

[d] Ioan. diacon. Vit. S. Gregor. lib. 4. c. 71.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed antequã de impoſtura Græcorũ agamus, corrigendus eſt in primis ipſe Ioannes, dum A annos ferme centum ſeptuagintaquinque intercurriſſe ait a ſcriptione Gregorij vſque ad Zachariam Pontificem, cum nonniſi anni ſint centum quadragintaocto. Quod vero ad impoſturam pertinet, vndequaque confutatur & conuincitur illorum Græcorum peruerſitas. Etenim non Latini tantum Patres eius ſententiæ hoc tempore fuerunt aſſertores, ſed & Græci. Qui enim his temporibus luce plurima claruit in Oriente Anaſtaſius Sinaita Antiochenus Epiſcopus, ad quem plures extant eiuſdem S. Gregorij Papæ epiſtolæ, iſta habet in libro primo de rectis fidei Catholicæ dogmatibus: Rurſum ipſe Spiritus ab ipſo procedit, nititur non a Patre ſolo, ſed & a Filio, quemadmodum ait ipſe Dominus: Paracletus quem mittet vobis Pater. & rurſus: Si abiero, mittam eum ad vos, &c.] Sed & hanc Græci exiſtimant Latinorum impoſturam, dum vident hanc ſententiam citatam & recitatam ab ipſorum homine, docto viro, Andrea Epiſcopo Coloſſenſi in Actione ſeptima Concilij Ferrarienſis. Ex his, lector, cetera cognoſcere ſatis potes, & quomodo ipſorum obſtinatæ mentes digne luant pœnas ſub Turca tyranno. B

GRAECI VETERES ASSERTORES RECTORVM DOGMATVM.

Ceterum ne quid de tempore dubites ſcriptorum a Gregorio Dialogorum: elaboratos eos eſſe anno quarto ipſius Pontificatus, eiuſdem ſæpe teſtificatione certum redditur. ita quidem colligere licet ex pluribus locis [a] quarti & vltimi ipſorum libri, in quibus cum de peſte mentionem facit, quæ Vrbem depaſta eſt eo anno quo ipſe Pontifex creatus fuit, ante triennium accidiſſe, ſemper affirmat.

TEMPVS SCRIPTIONIS DIALOGORVM.

a Greg. dialog. lib. 4. c. 20. 36. 47. & 55.

At ſeceſsio illa breuis, & otium illud haud omnino Pontificalibus negotijs feriatum extitit, vt datæ hoc anno ab eo epiſtolæ docent: nam inter alia altercandum ipſi fuit cum Ioanne Archiepiſcopo Rauennate, quod præter Eccleſiaſticam conſuetudinem nec tempore nec loco decenti pallio vteretur. Qui & obiurgatus cum perindigne id tuliſſet, C hæc ad eum initio ferme epiſtolæ Gregorius habet [b]: Contra morem quippe Eccleſiaſticum eſt, ſi non patientiſsime toleratur (quod a nobis abſit) etiam iniuſta correptio, &c.] Ex quibus quidem verbis ſatis percipere potes, quanta ab vniuerſis Epiſcopis reuerentia & obſeruantia Summo Pontifici deferretur, cum licet iniuſte correpti, non reſilire, ſed patienter ferre ſolerent. Extat ad hanc Gregorij correptionem reſponſio Ioannis ipſius Epiſcopi Rauennatis, qua demiſſo admodum animo ſe excuſat: habetur non ſuo loco in veteri editione, ſine titulo Eccleſiæ Rauennatis, libro decimo, epiſtola quinquageſimaſexta. Vbi inter alia:

REDARGVITVR EPISC. RAVEN. OB VSVM PALLII.

b Gregor. lib. 2. epiſt. 54. Indict. 11.

Recolo me, inquit, in ſinu atque in gremio ſacroſanctæ Eccleſiæ veſtræ Romanæ & nutritum, & Deo auxiliante prouectum. Et quibus auſibus ego ſanctiſsimæ illi ſedi, quæ vniuerſali Eccleſiæ iura ſua tranſmittit, præſumpſerim obuiare, propter cuius conſeruandam auctoritatem (ſicut Deo manifeſtum eſt) multorum contra me inimicorum inuidiam grauiter excitaui?] Et in fine: Quia ergo vniuerſa priuilegia, quæ ſanctæ Rauennati Eccleſiæ a prædeceſſoribus veſtris indulta ſunt, pro maiori ſatisfactione ſubieci, in ſcrinijs venerabilibus ſecundum conſecrationum deceſſorum meorum tempora fidem nihilominus repereritis: nunc vero in Dei & veſtra eſt poteſtate, quicquid veritate cognita fieri iuſſeritis. Quoniam ego iuſsionibus Apoſtolatus domini mei parere deſiderans (quamuis antiqua conſuetudo obtinuit) vſque ad ſanctam iuſsionem parere curaui.] hæc Ioannes, ingenue profeſſus veritatem, omnia nimirum priuilegia Rauennatis Eccleſiæ eſſe collata a Romanis Pontificibus. Ex quibus redarguas illos, qui ea præſeferunt ab Imperatoribus eſſe collata, quos aliàs ſuo loco redarguimus. D

IOANNES SE EXCVSAT.

Corripuit inſuper idem Pontifex Gregorius diuerſis ex cauſis diuerſos [c] alios Epiſcopos, vt Felicem Sipontinum, quod eius nepos ſtuprum perpetraſſet: in ipſum Epiſcopum redundare ſcelus affirmans, quod ab eius nepote admiſſum eſſet: nam ait: Expectabamus fraternitatem tuam ſua aliquos ad Deum prædicatione conuertere, & male agentes ad rectitudinem reuocare. Quare nimis contriſtamur, quia ediuerſo in nepotis tui Felicis prauitate, tua euidenter, qui talem nutriſti, culpa monſtrata eſt.] Inſuper quod & hunc dilapidare bona Eccleſiæ audiſſet, duos ad eum miſit Notarios, qui Inuentarium, ſiue Breue (vt dicebatur) ſiue matriculam conficerent de rebus mobilibus eius Eccleſiæ. Redarguit rurſus eumdem, quod clericum ſuæ Eccleſiæ ab hoſtibus captum non redemerit: Nam valde, inquit [d], durum eſt, ſi de Eccleſia, cui militat, remedium nullum inueniat.] Andream præterea Epiſcopum Tarentinum ob concubinatum & nimiam in corrigendo ſeueritatem adhibitam punit [e]. E

c Gregor. lib. 2. epiſt. 40. 41. 42. Indict. 11.

FELIX EPISCOPVS REDARGVITVR.

d Gregor. lib. 3. epiſt. 27. Indict. 12.

e Idem lib. 2. epiſt. 44. 45. Indict. 11.

Damna-

A Damnatum item Paulum Episcopum, in monasterio ad pœnitentiam agendam manere voluit [a]. Redegit pariter in ordinem Agathonem Episcopum Liparitanum, quem tamen ex illa Ecclesia voluit accipere alimenta [b]. Insuper & Bonifacium Regitanum Episcopum redarguit, quod sineret clerum suum solute absque Ecclesiastica disciplina viuere. nam ait [c]: Contumelia siquidem sacerdotum est, de diuinis cultibus admoneri. Quod enim ipsi debent exigere, exiguntur.]

a Gregor. lib. 2. epist. 49. Ind. 11.
b Idem lib. 2. epist. 53.
c Idem lib. 3. epist. 5.

Fuerunt etiam a Gregorio corripiendi Episcopi omnes Dalmatiæ prouinciæ, eo quod vacante hoc anno sede Salonitana ob Natalis eius Episcopi obitum, cum de procuranda successoris electione ipse Gregorius haud mediocriter solicitus esset, electo [c] primum ab eiusdem Ecclesiæ clero Honorato diacono, quem de criminibus obiectis Gregorius ipse innocentem absoluit: ijdem Dalmatiæ Episcopi Maximum quemdam prauum hominem
B eiusdem Ecclesiæ deligere studuerunt Metropolitanum Episcopum. Hæc nefanda Gregorius audiens, Apostolica fultus auctoritate, non solum Maximum reiecit, sed & ne inconsulta Apostolica sede alium quemuis eligerent, eisdem præcepit, ita ipsos redarguens [f]:

DE ELECTIONE EPISC. SALONITANI.
d Gregor. lib. 2. epist. 22. Ind. 11. epist. 32.
e Gregor. lib. 2. epist. 40. Ind. 11.
f Greg. lib. 3. epist. 11. Ind. 12.

Oportuerat quidem fraternitatem vestram diuini respectu iudicij, clausis carnalibus oculis, nihil quod ad Deum pertinet a recta mentis intentione omittere, nec cuiuslibet hominis faciem rectitudini iustitiæ præponere. Sed postquam mores vestri ita sunt sæcularibus traducti negotijs, vt obliuiscentes omnem sacerdotalis in vobis honoris tramitem, cunctumq. superni metus intuitum, non quid Deo, sed quid vobis placeat, studeatis explere: necesse habuimus hæc ad vos districtiora specialiter scripta transmittere, quibus ex beati Petri principis Apostolorum auctoritate præcipimus, vt nulli penitus extra
C consensum permissionemq. nostram, quantum ad Episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana ciuitate manus præsumatis imponere, nec quemquam in ciuitate ipsa aliter quam diximus ordinare. Quod si contra hæc quippiam vel sponte vestra, vel a quolibet coacti præsumpseritis vel tentaueritis agere: decernimus vos a Dominici corporis & sanguinis participatione priuatos, &c.]

Quomodo autem contra prohibitionem ijdem ordinantes Maximum excommunicati sunt, & ordinatus inordinatus remansit, dicetur anno sequenti, quo contigit; cum Apostolicæ sedis vigorem, quantus esset, experiri coacti sunt contumaces. Pendebat adhuc & electio Neapolitani Episcopi: quando reuocans curatorem Paulum, idem Gregorius [g] litteris vrgens, effecit tandem vt Fortunatus eligeretur: quem de munere suo digne explendo datis ad eum litteris monuit [h], dcq. consecrando monasterio Gratiosæ Abbatissæ
D mandauit. Misit [i] etiam Gregorius in Achaiam, qui causam Hadriani Episcopi cognosceret, licet inter reum & accusatorem transactum esset. Hæc de rebus cum Episcopis peractis,

g Greg. lib. 2. epist. 35. Ind. 11.
h Greg. lib. 2. epist. 59. & 60. Ind. 11.
i Gregor. lib. 2. epist. 38. Ind. 11.

Sed quam curam hoc anno adhibuerit monasterijs, monachorumq. disciplinæ, videamus. Discolos enim monachos coercuit, Abbatemq. post lapsum creatum digna plecti censura voluit, ac loco deponi: voluit etiam auferri [k] baptisteria ab ecclesijs monachorum, ne quauis occasione conuersatione sæculari detinerentur. Præcepit insuper, vt monialium negotia obeunda subire deberet per suos ministros Episcopus, ne illæ egredi monasteriorum septa ea occasione cogerentur [l]: lapsas virgines arctiori curauit pœnitentiæ subijciendas. Addidit item, scribens ad Maximianum Syracusanum Episcopum, ne quis vmquam clericorum præficeretur Abbas monasterio [m]: quem & monuit, ne iuuen-
E culæ Abbatissæ eligerentur, sed tantum sexagenariæ.

k Gregor. lib. 2. epist. 16.
l Idem lib. 3. epist. 9. Ind. 12.
m Idem lib. 3. epist. 11. Ind. 12.

GREG. SVBVENIT OPPRESSIS.

Qui igitur corripuit (vt vidimus) inquietos, non destitit pusillanimes & in varijs afflictionibus positos consolari, consulens singulorum opportunitatibus pro facultate: restituit enim voluit occupatam domum Floræ Abbatissæ [n], insuper pupillis reddi parentis bona, licet Ecclesiæ obligata. Redarguit Ariminenses, quod non compassi essent suo Episcopo. Presbyterum Mediolanensem insontem excommunicatum mandat absolui. Dedit litteras ad omnes Episcopos Italiæ pro Armenio orphano genere nobili. Egit pro Episcopo Festo a suo populo contempto. Pro Theodosia femina aduersus Ianuarium Calaritanum Episcopum [o] scripsit ad suos, necnon ad ipsum Episcopum, itemq. ad Regitanum Episcopum [p] pro Stephania femina oppressa. Mancipia Christiana [q] a Nasate Iudæo empta reddi libertati mandauit, ipsum insuper puniri, quod lucri causa captandi, Eliæ prophetæ nomine erexisset altare, inuitans Christianos ad cultum Eliæ. Insuper puel-

n Idem lib. 2. epist. 17. & 21. Ind. 11. & epist. 24. 28. 35.
o Gregor. lib. 2. epist. 30. Ind. 11. & lib. 3. epist. 8. Indict. 12.
p Idem lib. 2. epist. 43. Ind. 11.
q Idem lib. 2. epist. 37. Ind. 11.

lam

a Gregor. lib. 2. epis. 39. Ind. 11. lam [a] seruituti obnoxiam, monasticam vitam amplecti cupientem, redimi Ecclesiæ pecunia voluit, vt voti compos effici posset. Cosinæ debita, quorum causa filios habebat a creditoribus detentos, dissolui mandauit [b]. pariter & auxiliatus est Perronillæ conuersæ vim passæ [c]. Alias itidem pro oppressis ad Maximianum Syracusanum Episcopum litteras dedit [d], subuenitq. presbytero ob ægritudinem ab Episcopo pulso. Vetuit præterea Iudæorum ancillas vel seruos ad ecclesiam fugientes eisdem reddi [e]. Cum autem audisset, in angulo quodam Siciliæ adhuc reperiri quosdam idololatras & Angelorum cultores, (quæ Iudæorum hæresis erat) loci Episcopum Eutychium admonuit [f] pro eorum conuersione strenue laborare. A

b Idem lib. 2. epis. 35. Ind. 11.
c Gregor. lib. 3. epist. 6. Ind. 12.
d Gregor. lib. 3. epist. 12.
e Gregor. lib. 3. epist. 9. Ind. 12.
f Gregor. lib. 2. epis. 60. Ind. 11.

Bona præterea Ecclesiæ sic conseruari voluit, vt tamen pauperum rationem haberi præcipuam iusserit, vt apparet ex epistola data ad Paschalem [g] & Domitianum & alios. At licet bonorum Ecclesiæ vindex fuerit atque defensor: sobrie tamen in his versatus est, non anxio animo, vt qui præcipue ad animas lucrandas, inde vero ad bona custodienda se sciret esse Pontificem ordinatum, sicq. aliqua iusta de causa interdū sibi dissimulandum putarit. Nam audi, quid ad Italicam Patriciam scripserit inter alia [h]: Illud vero quod epistolis prædictis reuocare in memoriam nostram excellentia vestra studiose contendit: scriptum vobis sciat, nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu vobiscum velle nos de causis pauperum definire. Hoc nos scripsisse meminimus, & scimus nosmetipsos, iuuante Domino, a causarum litigijs Ecclesiastica moderatione compescere, atque secundum Apostolicum illum sensum, rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire vos volumus, taciturnitatem atque patientiam nostram futuris post me Pontificibus in rebus pauperum præiudicium non facturam, &c.] fuit Italica femina Patricia potentissima in Sicilia sub Imperatoris protectione degens. ad eiusdem nominis religiosas feminas Consulares extant epistolæ scriptæ a sanctis Patribus Ambrosio, Hieronymo, Augustino, atque Chrysostomo. B

g Idem lib. 2. epis. 21. Ind. 11.
CVRA RERVM TEMPORALIVM NON ANXIA.
h Idem lib. 2. epis. 38. Ind. 11.

Tenax exactor Gregorius fuit, vt pauperibus debita ab Episcopis redderentur, nempe quarta pars Ecclesiasticorum prouentuum. hinc ad Maximianum Syracusanum Episcopum ista habet [i]: Cognouimus namque de reditibus Ecclesiarum nouiter acquisitis canonicam dispositionem quartarum minime prouenire, sed Episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redituum, nunc vero quæsita suis vsibus retinere. Quam rem prauam subintroductamq. consuetudinem fraternitas tua viuaciter emendare festinet, &c.] At de quarta siue tertia pauperibus debita superius diffusius actum est quinto Annalium tomo. Quod rursum ad bona Ecclesiæ pertinet: curauit hoc anno, vt furata Ecclesiarum diuersarum vasa, & in Siciliam delata, diligenter inue- D stigarentur [k]. C

i Gregor. lib. 3. epis. 11. Ind. 12.

k Gregor. lib. 3. epis. 15. Ind. 12.

Qui laborantes pro bonis Ecclesiasticis digna mercede munerari voluit: si ea curantes mercenarij minime essent, eos gratis donis sacris dignari consueuit: nam hoc anno Dinamium Patricium curantem patrimonium S. Petri in Gallijs aliquo eiusmodi munere honestauit, cui hæc scripsit inter alia [l]: Transmisimus autem beati Petri Apostoli benedictionem, crucem paruulam, cui de catenis eius beneficia sunt inserta: quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, sed vestra colla in perpetuum a peccatis soluant: Per quatuor vero in circuitu partes de beati Laurentij craticula, in qua perustus est, beneficia continentur: vt hoc, vbi corpus illius pro veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat.] hactenus de sacris muneribus. Porro hunc illum puto esse Dinamium degentem Massiliæ, virum clarissimum, Venantio Fortunato amicitia coniunctissimum, ad quem extant eiusdem Fortunati scripta carmina [m]; quem & rectorem fuisse Massiliæ ciuitatis, Gregorius Turonensis affirmat [n]. E

SACRA MVNERA AD DINAMIVM MISSA.
l Gregor. lib. 2. epis. 33. Ind. 11.

m Fortun. car. lib. 8. ad finem.
n Greg. Turon. lib. 8. c. 11.

Sub hac item vndecima Indictione scripta apparet Gregorij epistola ad Petrum subdiaconum curantem Siciliæ patrimonium, quæ quidem non suo loco posita habetur, sub Indictione septima collocata: verum cum ab eo rationem proxime præteritarum Indictionum nonæ atque decimæ exigit, vtique sub vndecima eam datam esse Indictione asseri posse videtur. Multiplicia habet illa negotia quam diligentissime examinata: vt admiratione sit dignum, tam diligenter priuata negotia ab eo esse curata, qui publicis pene obrutus mergeretur; & terrena adeo solerter intuitum, qui contemplando cælestia, cælestis propemodum appareret. Habet præterea lepida quædam; ex quibus aliquid tamen haurias vtilitatis, dum post multa obseruatione dignissima, hæc de missis

CVRA EXACTA RERVM TEMPORALIVM.

ab eo

A ab eo iumentis habet[a]: Præterea vnum nobis caballum miserum & quinque bonos asinos transmisisti. Caballum illum sedere non possum, quia miser est: illos autem bonos sedere non possum, quia asini sunt. Sed petimus, vt si nos continere disponitis, aliquid nobis condignum deferatis.] hæc ipse; qui in eleemosynarum largitione effusissimus existens, egentissimus in ijs quæ ad sui corporis vsum spectarent, esse voluit: nam vel absque equis stabula possidens, vel non bonis, ex Sicilia ad se equum mitti expectauit, Pontifice tamen dignum: vt videas ita paupertatis fuisse cultorem, vt tamen sacerdotalis decoris esset tenacissimus. Hæc autem spectanda proponimus aduersus eos qui Pontificium decus totum collocant in regio apparatu; quo si vel minimum careat, imminui penitus putant Pontificiam maiestatem. Sed cum & hoc non negligendum putemus, Apostolicum tamen splendorem cælestibus magis intelligant micare ra-
B dijs, & diuinæ præsentiæ, quæ ei assistens inuigilat, coruscare fulgoribus, illustrari insuper addito nitore virtutum: cum sciamus pauperrimos sæpe Pontifices extorres Regibus imperasse, & Imperatores potentissimos infrenasse, atque ad pœnitentiam humi quoque prostrasse.

[a] *Greg. lib. 12. epist. 30. Indict. 7.*

TENVIS SVPELLEX GREGORII.

Ad postremum autem, vt rebus gestis sancti Gregorij anni huius finem imponamus: quæ de statu suo ipse scribat in epistola ad Narsetem[b], hæc accipe: Peto, inquit, vt mihi ignoscas, quod epistolis tuis sub breuitate respondeo: quia tantis tribulationibus premor, vt mihi neque legere, neque per epistolas multa loqui liceat. Hoc solum tibi breuiter dico, quia oblitus sum manducare panem meum a voce gemitus mei.] hæc ad Narsetem Patricium Constantinopoli agentem, quocum, dum Constantinopoli esset, magnam consuetudinem contraxerat, simulq. cum eius domesticis, de quibus in fi-
C ne: Omnes qui vobiscum sunt, mea peto vice salutari. Domnæ Dominicæ salutes meas dicite: cui minime respondi, quia cum sit Latina, Græce mihi scripsit.] ex illis namque ipsa fuisse videtur nobilibus Romanis, qui ob barbarorum infestationem ex Vrbe migrarant Constantinopolim.

[b] *Gregor. lib. 2. epist. 62. Ind. 11.*

GREG. ANGVSTIAE.

Sed quid sibi vult Gregorius verbis illis: Minime respondi: quia cum sit Latina, Græce mihi scripsit?] Attende, quæso, quantam sterilitatem bonarum litterarum secum vexerint assidui in Italia bellorum motus (quod & alias nos attigisse meminimus) ita vt haud in promptu esset facile reperiri, qui vtriusque linguæ peritus esset. Certe quidem de se ipso testatur idem Gregorius alibi, Græcas litteras minime calluisse, cum ait[c]: Quamuis in multis occupatus, quamuis Græcæ linguæ nescius, in contentione tamen vestra iudex resedi, &c.] hæc ad Anastasium presbyte-
D rum de contentione quæ intercedebat inter ipsum atque Hierosolymorum Episcopum, Sed eadem infelicitas Constantinopolitanam quoque vrbem vexabat, vt careret illa homine, qui Latine scripta posset perfecte reddere Græcæ linguæ: nam ad eundem qui supra Narsetem inferius hæc habet[d]: Quod vero scribitis, vt excellentissimæ filiæ meæ domnæ Gordiæ, & sanctissimæ filiæ eius domnæ Theotistæ, & magnificis earum hominibus domno Marino & domno Christiodoro scribere debeam, eosq. aliquid de anima sua admonere: bene scit dulcissima vestra magnitudo, quia hodie in Constantinopolitana ciuitate, qui de Latino in Græcum dictata bene transferant, non sunt. dum enim verba custodiunt, & sensus minime attendunt, nec verba intelligi faciunt, & sensus frangunt.] hæc ipse.

COLLABSVS BONARVM LITTERARVM CVLTVS.

[c] *Gregor. lib. 6. epist. 29. Ind. 15.*

[d] *Gregor. lib. 6. epist. 27. Ind. 15.*

Hoc eodem anno, qui & numeratur Regis Francorum Childeberti decimusquartus,
E conuentus Episcoporum Pictauis in Gallia celebratus est duarum regiarum monialium vniuersam prouinciam illam commouentium causa, cum & aliam antea eadem occasione oportuerit Synodum celebrari: de vtriusque his meminit Gregorius Turonensis pluribus[e]. Duæ namque Francorum Regum filiæ, Chrodieldis filia Chariberti Regis, & Basina filia Chilperici, sub sancta Radegunde professæ virginitatem & monastica instituta sub regulis sancti Cæsarij Episcopi Arelatensis, post obitum eiusdem sanctæ Reginæ non patientes ab Abbatissa Leubouera regi, cum ipsæ primatum ambirent, facta seditione, extra claustra erumpentes, foras egressæ, secum traxerunt quadraginta & amplius virgines, eo prætextu, vt Reges Francorum adirent, & quod male tractarentur ab Abbatissa expostularent. Sed vide furorem femineum nullam locorum & temporum rationem habentem:

SYNODVS PICTAVIENSIS.

[e] *Greg. Turon. hist. Franc. lib. 9. c. 39. 40. 41. & lib. 10. c. 15. 17. 18. & 19.*

Venerant (inquit Gregorius[f]) pedestri itinere a Pictauo, nec vllius equi beneficium habue-

[f] *Greg. Turon. ibid. lib. 9. c. 39.*

habuerunt; vnde anhelæ & satis exiguæ, *id est*, *consumptæ*, erant: sed nec victus alimo- A
niam vllam eis in via quisquam præbuerat. Accesserunt enim ad vrbem nostram die pri-
ma mensis primi: erant enim pluuiæ magnæ, sed & viæ dissolutæ erant a nimia immen-
sitate aquarum.] Sed has omnes difficultates cæcus furor minime considerauit, & ob-
stinatio feminea superauit. Expectato autem æstiuo tempore, Chrodieldis ad Guntheram-
num Regem profecta est, sed nihil agens, nisi quod muneribus donata recessit, redijtq.
Turonos: cum interim ex seductis virginibus complures lapsæ abierunt retro post sata-
nam, viris matrimonio colligatæ. Regressæ vero Pictauos duæ cum armato satellitio,
se intra sancti Hilarij basilicam continuerunt, indeq. armatos nefandissimos homines
ad inuadendum monasterium miserunt, atque Abbatissam vinculis alligandam; quod &
factum est.

[a] *Greg. Turon. ibid. c.41.*

Cum vero hæc agerentur (subdit Gregorius[a]) Gundegisilus Episcopus Burdegalensis, B
adiunctis secum Nicasio Engolisinensi, & Saffario Petragorico, ac ipso Moroueo Pictauiēsi
Episcopis, eo quod huius vrbis metropolis esset, ad basilicam sancti Hilarij aduenit, ar-
guens has puellas, & in monasterium reducere cupiens. Sed cum illæ obstinatius relu-
ctarentur, & hic cum reliquis (iuxta epistolam superius nominatam) eis excommunica-
tionem indiceret: exurgens turba murionum præfatorum tanta eos in ipsa sancti Hila-
rij basilica cæde mactauit, vt corruentibus in pauimento Episcopis, vix consurgere pos-
sent. Sed & diaconi & reliqui clerici sanguine perfusi, cum effractis capitibus basilicam
sunt egressi. Tam immensus enim eos (&, vt credo, diabolo cooperante) pauor obsede-
rat, vt egredientes e loco sancto, nec sibi Vale dicentes, vnusquisque per viam quam
arripere potuit, repedaret.] hæc in Episcopos. subdit vero de factiosa femina Chrodiel-
de: Ex hoc, inquit, Chrodieldis ordinatores elegit, villas monasterij peruadit; & quos- C
cumque de monasterio arripere potuisset, plagis ac cædibus affectos, suo seruitio subiuga-
uit, minans, vt si monasterium posset ingredi, Abbatissam de muro proiectam terræ
deijceret.]

EPISCOPI CAEDVNTVR IN ECCLESIA.

Cum autem Episcopi illi, qui conuenerant, easdem contumaces & factiosas feminas a sa-
cra communione suspendissent, de his litteras dederunt ad alium conuentum Episcopo-
rum, qui apud Guntheramnum Regem collecti erant: qui & ad eos has litteras reddide-

[b] *Greg. Turon. ibid.*

re, probantes quæ ab ipsis facta essent[b]:

Domnis semper suis atque Apostolica sede dignissimis Gundegisilo, Nicasio, Saf-
fario, Moroueo, Aetherius, Syagrius, Aunacharius*, Hesychius, Agricola, Vrbicius,
Felix, Veranus, item Felix, & Bertheramnus Episcopi.

* Anacharius

Litteras vestræ beatitudinis, tantum referante nuncio de vestra sospitate gauisi, ex- D
cepimus: tantum de iniuria, quam vos pertulisse signastis, non modico mærore astringi-
mur, dum & regula transcenditur, & nulla reuerentia religioni seruatur. Sed quia in-
dicastis monachas, quæ de monasterio bonæ memoriæ Radegundis, instigante diabolo,
fuerunt digressæ, quod nullam a vobis acquieuerint correctionem audire, nec intra mo-
nasterij sui septa, de quo egressæ fuerant, voluissent reuerti, insuper basilicæ domni Hi-
larij per cædes vestras vestrorumq. iniuriam intulisse: quapropter ipsas a communio-
nis gratia visi fueritis suspendere, ac per hoc nostram exinde mediocritatem elegi-
stis consulere.

EPISTOLA SYNODALIS AD EPISCOPOS.

Igitur quia optime vos nouimus statuta canonum percurrisse, ac regulæ plenitudinem
continere, vt qui in talibus excessibus videntur deprehendi, non solum excommunica-
tione, verum etiam pœnitentiæ satisfactione debeant coerceri: ea de re addentes cum ve- E
nerationis cultu summæ auiditatis dilectionis instinctum, indicamus, ea quæ definistis,
nos concordanter vestræ sententiæ consentire, quoadusque in Synodali Concilio Kalendis
Nouembribus pariter positi debeamus consilio tractare, qualiter talium temeritas frenum
districtionis possit accipere; vt deinceps nulli liceat sub hunc lapsum faciente iactantia
similia perpetrare.

PROBANTVR QVAE AB EPISCOPIS ACTA SVNT.

Attamen quia nos sua dictione domnus Paulus Apostolus indesinenter videtur mone-
re, vt opportune inopportuneq. debeamus quoscumque excedentes sedula prædicatione
corrigere, & pietatem protestatur ad omnia vtilem esse: ideo suggerimus, vt adhuc
& oratione assidua Domini misericordiam deprecemini, vt ipse spiritus compunctionis
ipsas inflammare dignetur, vt id quod per delictum visæ sunt contraxisse, digna satis-
factione pœniteant: vt in monasterio suo, vestra prædicatione, animæ quæ quodammo-

do

A do perierunt, propitio Christo reuertantur: vt ille, qui vnam humeris inlatam errantem ouem ad ouile reduxit, & de istarum transgressione quasi acquisito gregi congaudere dignetur: hoc specialius postulantes, vt pro nobis intercessionum vestrarum suffragia indesinenter (vt confidimus) tribuatis.] hactenus epistola Synodalis, quam sicuti alia huius temporis scripta barbarismis ac soloecismis scatentem cum legimus, ne exhorrescat, qui delicati est gustus, & emunctæ naris; cum ad historiam satis sit, si veritas sincera condiat, quæ sunt ipsa styli rusticitate insipida: memor, quid Orator [a] de vetere illo dicat scriptore: Artilius licet ferreus, sed quia verus scriptor, libenter est lectus.] Porro eidem epistolæ hæ appositæ sunt subscriptiones:

[a] *Cicero de finib. lib. 1.*

Peculiaris vester Aetherius peccator salutare præsumo. Cliens vester Hesychius reuerenter audeo salutare. Amator vester Syagrius reuerenter saluto. Cultor vester Vrbicius* B peccator famulanter saluto. Venerator vester Veranus Episcopus reuerenter saluto. Famulus vester Felix salutare præsumo. Humilis vester atque amator Felix audeo salutare. Humilis atque obediens vester Bertheramnus Episcopus salutare præsumo.] quarũ autem Ecclesiarum hi fuerint Episcopi licet non exprimatur, reperies tamen his temporibus vixisse Aetherium Episcopum Lixoensem (de quo idem Gregorius agit [b]) siue potius eiusdem nominis Episcopum Lugdunensem, ad quem extant sancti Gregorij Papæ litteræ: Hesychium vero fuisse Episcopum Gratianopolitanum, Syagrium Augustodunensem, Vrbicium Regiensem in Gallia Narbonensi, Veranum Cabelicensem, Felicem Belicensem, qui subscripti reperiuntur Concilio posteriori Matisconensi haud pridem habito, & Bertheramnum fuisse Episcopum Cænomanensem, de quo ipse Gregorius Turonensis [c] meminit.

*Vrbicus SVBSCRIPTIONES EPISCOP.

[b] *Greg. Turon. histor. Franc. lib. 6. c. 24.*

[c] *Greg. Turon. lib. 9. c. 18.*

C At quid factionis ductrix Megæra altera Chrodieldis? deteriora prioribus his adiecit: nam audi Gregorium, qui ait [d]; Cum autem scandalum, quod ferente diabolo in monasterio Pictauiensi ortum, in ampliorem quotidie iniquitatem consurgeret, & Chrodieldis aggregatis sibi (vt supra diximus) homicidis, maleficis, adulteris, fugitiuis, & reliquorum criminum reis, in seditione parata resideret: iussit eis, vt irruentes nocte in monasterium, Abbatissam foras extraherent. At illa tumultum sentiens venientium, ad sanctæ Crucis arcam se deportari poposcit: grauabatur enim humore doloris podagrici: scilicet vt vel eius foueretur auxilio. Sed vbi ingressi viri, cæreo accenso, cum armis huc illucq. vagarentur per monasterium inquirentes eam, introeuntes in oratorium, repererunt iacentem super humum ante arcam sanctæ Crucis. Tunc vnus acerbior ceteris, qui ad hoc scelus patrandum aggressus fuerat vt Abbatissam gladio diuideret, ab alio (vt cre- D do, diuina prouidentia cooperante) cultro percutitur: profluente vero sanguine, solo decubans, votum, quod leui conceperat animo, non expleuit. Interea Iustina Præposita cum alijs sororibus palla altaris quod erat ante Crucem Dominicam, extincto cæreo, Abbatissam operit. Sed venientes cum euaginatis gladijs ac lanceis, scissa veste, & pene sanctimonialium manibus laniatis, apprehensam Præpositam pro Abbatissa, quia tenebræ erant, excusis linteaminibus, a capite soluta cæsarie detrahunt, & vsque basilicam sancti Hilarij inter manus deferunt custodiæ mancipandam; appropinquantesq. basilicæ, cælo modicum albescente, vbi cognouerunt non esse Abbatissam, mox ad monasterium redire puellam præcipiunt: reuertentesq. Abbatissam apprehendunt, extrahunt, & in custodiam iuxta sancti Hilarij basilicam in loco vbi Basina metatum habebat, retrudunt, positis ad ostium custodibus, ne quis vllum captiuæ E præberet auxilium.

[d] *Greg. Turon. hist. lib. 10. c. 15.* IN MONASTERIVM IRRVPTIO FACTA.

Exinde nocte subobscura aggressi monasterium, cum nullo fulgore accensi luminis potirentur, extracta promptuario cuppa, quæ olim pice linita sicca remanserat, ignem inijciunt, factaq. pharo magna, de hujus incendio cunctam monasterij supellectilem rapuerunt, hoc tantum quod ferre non poterant, relinquentes. hæc autem gesta sunt ante septem dies Paschæ. Cumq. Episcopus *Pictauiensis Morouæus* hæc omnia grauiter ferret, nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem, dicens: Relinque Abbatissam, vt in his diebus in hoc carcere non retineatur: alioqui non celebrabo Pascha Domini, neque baptismũ in hac vrbe vllus catechumenus obtinebit, nisi Abbatissa a vinculo, quo tenetur, iubeatur absolui. Quod si nec sic volueritis, collectis ciuibus auferam eam. Hæc eo dicente, statim Chrodieldis percussores deputat, dicens: Si eam violenter quis auferre tentauerit, statim eam gladio percutite. Adfuit autem die-

RVRSVM INVADVNT MONASTERIVM.

bus

bus illis Flauianus nuper Domesticus ordinatus, cuius ope Abbatissa S. Halarij ingressa A basilicam absoluitur.

RVRSVM CAEDES REPETITA.

Inter hæc ad sepulchrum sanctæ Radegundis homicidia perpetrantur, & ante ipsam beatæ Crucis arcam quidam per seditionem truncati sunt. Cumq. hic furor, superueniente die, per Chrodieldis superbiam augeretur, & assiduæ cædes & reliquæ plagæ, quas supra memorauimus, a seditionarijs perpetrarentur, atque ita hæc iactantia tumuisset, vt consobrinam suam Basinam altiori cothurno despiceret: illa pœnitentiam agere cœpit, dicens: Erraui sequendo Chrodieldis iactantiam: & ecce despectui habeor ab eadem, & Abbatissæ meæ contumax existo. Et conuersa humiliauit se coram Abbatissa, expetens pacem eius: fueruntq. pariter vno animo, eademq. voluntate. Denique orto scandalo, pueri qui cum Abbatissa erant, dum seditioni quam Chrodieldis schola commouit resisterent, puerum Basinæ percutiunt, qui cecidit & mortuus est. At illi post B Abbatissam ad basilicam confessoris confugiunt: & ob hoc Basina, relicta Abbatissa, discessit; sed pueris iterum per fugam lapsis, in pace quam prius habuerunt, redierunt. Postea vero multæ inter has scholas inimicitiæ ortæ sunt. Quis igitur tantas plagas, tantasq. strages, vel tanta mala verbis poterit explicare, vbi vix præterijt dies sine homicidio, hora sine iurgio, vel momentum aliquod sine fletu?]

VNDE PROVENIANT MONASTERIORVM MONIALIVM CLADES.

Nouum plane inuentum hoc quod elegit diabolus ad vexandam Ecclesiam, quo iugiter affligit sanctos Episcopos, quibus ad huiusce modi continendas in regulari obseruantia discolas nobiles moniales maius opus atque onus incumbit, quam in vniuerso grege custodiendo. Sed habes expressam ex his originem, compertumq. fontem, vnde soleant tanta dessuere mala, exoririq. scandala; nimirum dum nobiles potentesq. homines filias suas inuitas licet detrudunt in monasteria tamquam in carcerem, vbi infelices C illæ qua possunt via, cum in libertatem carnis, cuius feciisse iacturam dolent, sese vindicare laborant, hos grauissimos concitant fluctus, quibus vniuersam commouent atque perturbant Ecclesiam. Ita plane (vt vidimus) tunc accidit, quod Francorum Reges quas filias ex concubinis genuissent, ad sanctam Radegundem, vt moniales ibi efficerentur, mittere consueuerint. sed quæ scirent se ex Regibus ortas, haud passæ inferioris nobilitatis feminæ se esse subiectas, eiusmodi turbas concitauere. Ad hæc forte cauenda spectat, quod diuina monent oracula[a], ne texat quis cum lino lanam, vel duplici semine agrum serat. Sicut enim cælum reddit in terra sanctarum virginum chorus, quæ diuino afflatæ spiritu, Deo se dicant oblatione libera atque spontanea mancipantes ad seruiendum ipsi in monasterio: ita contra, quæ inuitæ, siue parentum blandimentis vel minis vinciuntur votorum vinculis, & clauduntur veluti carcere monasterij, paradisum D ipsum in infernum conuertunt, seditionibus cuncta miscentes. Sed tragœdiæ huius reliqua prosequamur, quomodo scilicet vnius feminæ causa vniuersæ Galliæ fatigantur. Pergit enim Gregorius:

[a] *Deuter.22.*

SYNODVS PICTAVIENSIS COACTA.

Hæc autem Childebertus Rex audiens, legationem ad Guntheramnum Regem direxit, vt scilicet Episcopi coniuncti de vtroque regno, hæc quæ gerebantur, sanctione canonica emendarent. Ob hanc causam Childebertus Rex mediocritatis nostræ personam cum Ebregisilo Agrippinensi, & ipso vrbis Pictauæ Moroueo Episcopo iussit adesse, Guntheramnus vero Rex Gundegisilum Burdegalensem cum prouincialibus suis, eo quod ipse Metropolitanus huic vrbi esset. Sed nos resultare cœpimus, dicentes, quod non accederemus ad hunc locum, nisi sæua seditio, quæ per Chrodieldem surrexit, Iudicis districtione prematur. Pro hac causa Macconi tunc temporis Comiti prolata præ- E ceptio est, in qua iubebatur, vt hanc seditionem, si resisterent, vi opprimeret. Hæc audiens Chrodieldis, sicarios istos cum armis ante ostium oratorij astare iubet: vt scilicet repugnantes contra Iudicem, si vim vellet inferre, pariter resultarent. Vnde necessarium fuit huic Comiti illuc cum armis procedere, & quosdam cæsos vectibus, nonnullos telis transfixos, & acrius resultantes gladiorum ictibus affectos opprimere. Quod cum Chrodieldis cerneret, accepta Cruce Dominica, cuius prius virtutē despexerat, in obuiam egreditur, dicens: Nolite super me, quæso, vim inferre, quæ sum Regina, filia Regis, Regisq. alterius consobrina: nolite facere, ne quando veniat tempus vt vlciscar ex vobis.

Sed vulgus paruipendens quæ ab ea dicebantur, irruens (vt diximus) supra hos resultantes, vinctos monasterio extraxerunt, ac ad stipites extentos, grauissime cæsos, alijs cæsarie, alijs manibus, nonnullis auribus, naribusq. decisis, seditio pressa quieuit. Tunc

resiđen-

A residentibus sacerdotibus, &c.] pergit enim dicere de iudicio de Abbatissa habito tunc in Synodo, deq. calumnijs aduersus eam a Chrodielde compositis: quæ omnia ijdem Episcopi in Synodali epistola de eodem iudicio & lata sententia scripta intexuerunt, ita scribentes ad ipsos Francorum Reges [a]:

a Extat apud Gregor. Turon. lib. 10. c. 16.

Domnis glorioſissimis Regibus, Episcopi qui adfuerunt.

SYNODALIS EPIST. AD REGES FRANCORVM.

Propitia Diuinitate, pijs atque Catholicis populo datis Principibus, quibus concessa est regio, rectissime suas causas patefacit religio, intelligens sacrosancto participante Spiritu, eorum qui dominantur se sociari & constabiliri decreto. Et quia ex iussione potestatis vestræ cum ad Pictauam ciuitatem pro conditionibus monasterij sanctæ recordationis Radegundis conuenimus, vt altercationes inter Abbatissam eiusdem monasterij & monachas quæ de ipso grege non salubri deliberatione progressæ sunt, ipsis disceptan-
B tibus, agnoscere deberemus: euocatis Patribus, interrogata Chrodieldis & Basina, quare tam audacter contra suam regulam foribus monasterij confractis discesserant, & hac occasione congregatio adunata discesit? Quæ respondentes, professæ sunt, famis, nuditatis, insuper & cædis se iam non ferre periculum. Adijcientes etiam, eo quod diuersi earum in balneo lauarentur incongrue: ad tabulam ipsa luserit, atque sæculares cum Abbatissa reficerent: etiam sponsalia in monasterio facta sint: de palla holoserica vestimenta neptis suæ temerarie fecerit: foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, inconsulte sustulerit, & ad collum neptis suæ facinorose suspenderit: vittam de auro exornatam eidem nepti suæ superflue fecerit: barbatorias intus eo quod celebrauerit.] hactenus accusationes, quas diluit Abbatissa: pergunt enim quæ hæc sunt subsecuta Patres:

C Interrogantes Abbatissam, quid ad hæc responderet? dixit: De fame quod conqueruntur, secundum quod temporis penuria permitteret, numquam ipsæ nimiam egestatem pertulerunt. De vestimento vero dixit: Si quis earum arcellulas scrutaretur, amplius eas habere, quam necessitas indigeret. De balneo vero quod opponeretur, retulit hoc factum diebus Quadragesimæ, & pro calcis amaritudine, ne lauantibus noceret nouitas ipsius fabricæ, iussisse domnam Radegundem vt seruientes monasterij publice hoc visitarent, donec omnis odor nocendi discederet: quod per Quadragesimam vsque ad Pentecosten in vsu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis respondit: Et postea similiter multi
D per tempora lauerunt. Retulit Abbatissa, se nec probare quod dicerent, & se nescire an factum sit. Sed adhuc inculpans eadem, quod si ipsæ vidissent, cur Abbatissæ non proderent? De tabula vero respondit: Et si lusisset viuente domna Radegunde, se minus culpa respiceret: tamen nec in regula per scripturam prohiberi, nec in canonibus retulit: sed ad iussionem Episcoporum repromisit, ceruice se inflexa, per pœnitentiam quicquid iuberetur, implere.] Hic aduertas, lector, secundum illud Apostoli [b]: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.] etenim Apollonius antiquus Theologus [c] probro obijcit Priscillæ Montani, quod tabulis luderet; ait enim: Propheta ne tabulis & tesseris ludit?] Sed pergunt de excusatione eius ad alias accusationes hæc dicere:

b 1. Corin. 10.

c Apud Euseb. lib. 5. c. 17.

De conuiuijs etiam ait, se nullam nouam feciſſe consuetudinem, nisi sicut actum esset sub domna Radegunde, se Christianis fidelibus eulogias obtulisse, nec sibi comprobari cum illis vllatenus conuiuasse. De sponsalibus quoque ait: Coram Pontifice, clero, vel senioribus pro nepte sua orphanula arrhas accepisse: & tamen si hæc culpa sit, ve-
E niam se coram cunctis petere professa est; tamen nec tunc conuiuium in monasterio fecerit. De palla quod reputarent, protulit monacham nobilem, quæ ei mafortem holoseri-cum, quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit, & inde partem abscidisset, vnde quod vellet & faceret: de reliquo vero quantum opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam condigne condiderit: & de illa sciſſura, quæ pallæ superfuit, purpuram nepti suæ in tunica posuerit, quam ibi dedisse dixit, quo monasterio profuit: quæ per omnia donatrix Didimia confirmauit.]

Sed antequam vlterius progrediamur, quod audis donatum mafortem holosericum, tibi puto satisfaciendum, quem de voce ista exotica, mafortes, nonnihil hærentem videre, lector, sum visus: ea quidem diuersi generis indumentū pro diuersarum personarum conditione reperimus significari. Atque in primis Cassianus [d] declarat, fuisse super humeros apponi solitum habitum monachi, vbi ait: Post hæc angusto pallio tam amictus humili-

DE MAFORTE.

d Cassian. lib. 1. c. 7. de habitu monachi.

tatem, quam vilitatem pretij compendiumq. sectantes, colla pariter & humeros tegunt: A
quod mafortes, *siue mauortes*, tam nostro quàm ipsorum nuncupatur eloquio.] Ceterum etsi eiusdem nominis, haud idem erat hoc indumentum, de quo in hac Synodali epistola: etenim minime erat vile, quod holosericum esset; neque breue, ex quo & facta est altaris palla, & insuper ornata sponsa: vnde magis illius generis putamus fuisse mafortem, de quo S. Hieronymus ad Eustochiam scribit, cum hæc ait de luxu nimio stultarum virgi-
2 *Hier. epist. 22.* num [2]: Et per humeros hyacinthina lena mauorte volitans.] quibus intelligas, non breue fuisse palliolum & angustum, sed laxam vestem, quæ præ latitudine expanderetur ad ventum, vti etiam in statuis sculptum videmus: commune tamen fuit vtrique sexui, quod ad tegendum collum & humeros veluti pallium compositum erat, ob idq. communi æque nomine mafortes diceretur. Sed de maforte satis. Prosequuntur reliqua Patres Concilij Pictauiensis: B

De foliolis aureis & vitta auro exornata Macconem famulum vestrum præsentē testem adhibuit, eo quod per manum eius a sponso puellæ prædictæ neptis suæ viginti solidos accepit, vnde hoc publice fecerit, nec de re monasterij quicquam ibi permixtum sit. Interrogata Chrodieldis cum Basina, si forsitan aliquid Abbatissæ (quod absit) adulterij reputarent, siue quid homicidij vel maleficij fecerit, aut crimen capitale, quo percuteretur, edicerent: respondentes protulerunt, non habere se aliquid, nisi per hæc quæ dixerant, eam ista feciſſe contra regulam proclamarent.

Ad extremum pro peccatis, quia claustra disrupta sunt, & miseris licuit sine disciplina Abbatissæ suæ, quod vellent committere per tot mensium spatia, quas credebamus innocentes monachas, nobis protulerunt prægnantes: quibus per ordinem discussis, nec inuento crimine quod Abbatissam deijceret, de leuioribus causis paterna C
commonitione contestati sumus, vt hæc nullatenus deinceps pro reprehensione repeterent. Tunc nobis percunctantibus causam aduersæ partis, quæ maiora crimina commiserunt, id est, quæ prædicationem sui sacerdotis intra monasterium, ne foras procederent, despexerunt, Pontifice conculcato, & in summo contemptu monasterio relicto, confractis seris & ianuis, irrito facto discesserunt, & ad suum peccatum aliæ tractæ transgressæ sunt: Insuper & Gundegisilus Pontifex cum suis prouincialibus pro ipsa causa commonitus per præceptionem Regum Pictauos accessisset, & ad audientiam eas ad monasterium conuocarent, despecta commonitione, ipsis occurrentibus ad beati Hilarij confessoris basilicam, vbi ipse commorabatur, accedentes, vt eondecet pastorum solicitudinem, dum commonerentur, facta seditione, fustibus tam Pontifices quam ministros affecerunt, & intra basilicam fuderunt sanguinem Leuitarum. D

Dehinc ex iussione domnorum Principum cum vir venerabilis Theutarius presbyter in causa directus fuerit, & statutum fuisset quando iudicium fieret: non expectato tempore, monasterium seditiosissime accensis in corte cuppis, vectibus ac securibus confractis posticis, igne accenso, intra septa cæsis & vulneratis monachabus, in ipsis oratorijs spoliato monasterio, denudata & discissa capillis Abbatissa, grauiter ad ridiculum ducta & tracta per compita, & in locum retrusa, & si non ligata, nec libera, superueniente diei Paschæ festo per sæculum, offerente Pontifice pro condemnata pretium, vt spectaret vel baptismum, nec vlla suasione hoc impetrasset vox supplicum: atque respondente Chrodielde, eo quod tale facinus nec sciissent nec iusserint, adhuc Chrodielde asserente ad interfignium suum, ne a suis interficeretur, obtentum sit: vnde certum est tractari quid ex hoc datur intelligi, quod additur crudelitati, ad sepulchrum beatæ Radegundis fu- E
gientem seruum monasterij sui occiderent, & scelere crescente nihil petendo sanauerint, sed per se post intrantes monasterium ceperint, & ad domnorum iussionem, vt seditiosos illos in publico repræsentarent, nolentes acquiescere, & contra Regum præcepta magis arma tenerent, & se sagittis vel lanceis contra Comitem & plebem indignanter erigerent: hinc denuo egressæ ad audientiam publicam, extrahunt Crucem sanctam sacratissimamq. occulte, & ad iniuriam indecenter & ad culpam, quæ postea restituere coactæ sunt in ecclesia.

EXCOMMVNICANTVR DISCOLAE MONIALES. Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec refrenatis, sed ingiter magis auctis criminibus, nobis ijsdem dicentibus, vt Abbatissæ pro culpa veniam peterent, aut quod male directum fuerat, emendarent; & nolentes hoc facere, sed magis de eius interfectione tractarent, quod publice sunt professæ: reseratis a nobis & recensitis canonibus

A bus, visum est æquissimum, vt eas, vsquequo dignam agerent pœnitentiam, a communione priuari, & Abbatissam loco suo permansuram restitui.

Hæc nos pro vestra iussione, quod ad Ecclesiasticum pertinuit ordinem, circumscriptis canonibus, absque personarum aliqua acceptione suggerimus peregisse. De cetero, quod de rebus monasterij, vel instrumentis chartarum domnorum Regum parentum vestrorum de loco subreptum est, quæ se habere professæ sunt, sed nobis inobedientes nullatenus erunt voluntarie reddituræ: qualiter vestra vel anteriorum Principum merces æterna permaneat, ad loci instaurationem vestræ pietatis atque potestatis est, auctoritate regia cogere reformari: neque ipsas ad locum quem tam impie & profanissime destruxerunt, ne peiora proueniant, vel redire concedite, vel permittatis iterum aspirare: quatenus his in integrum, præstante Domino, restitutis, sub Catholicis Regibus totum
B acquiratur Deo, nihil perdat religio: vt status conseruatus tam Patrum, quam canonum nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructum. Christus vos Dominus alat, regatque, regnum tribuens prolixius, vitamq. conferat beatam.] hucusque de Synodali iudicio epistola ad Reges Francorum: hicq. finis Synodi Pictauiensis ea de causa a Francorum Regibus conuocatæ. Sed quid de feminis anathemate condemnatis? audi Gregorium[a]:

Post hæc, inquit, cum emisso iudicio a communione fuissent suspensæ, Abbatissa etiam in monasterium restituta: hæ ad Childebertum Regem petierunt, adijcientes malum supra malum, denominantes scilicet Regi personas quasdam, quæ non solum cum ipsa Abbatissa adulteria exercerent, verum etiam ad inimicam eius Fredegundem quotidie nuncia deportarent. Quod audiens Rex, misit qui eos vinctos adducerent: sed
C cum discussi, *nihil criminis* inuentum in eis fuisset, abscedere iussi sunt.] hæc de his Gregorius. Porro hæc cœpta hoc anno, qui numeratur decimusquartus Childeberti *Regis*, ad annum decimumquintum eiusdem propagata esse, ex eiusdem Gregorij scriptis apparet. Quomodo autem eædem anno sequenti, collecto Metensi Concilio, veniam petentes, ab Episcopis sunt absolutæ, suo loco dicemus. Quo pariter anno contigisse conuocari Episcopos ad dirimendam causam quamdam contra Tetradiam illustrem feminam, idem Gregorius tradit[b].

Eodem quoque anno, petentibus Francorum Regibus, datum legitur a S. Gregorio Papa priuilegium[c] monasterio S. Medardi Suessionensi in Gallia: ita enim ad finem eius legitur: Datum septimo Kalend. Iunij, anno ab incarnatione Domini quingentesimo nonagesimotertio (*ita veteres codices habent, & non* nonagesimoquarto, *vt recens habet*
D *editio*) mense Iunio, Indictione vndecima.] Sed aduertendum est, subscriptionem Episcoporum & Regis Francorum Theodorici haud congruere his temporibus: siquidem complures Episcopi, qui subscripti reperiuntur, post aliquot abhinc annos creati noscuntur, veluti inter alios (vt de reliquis dicere omittamus) Augustinus Episcopus Cantuariensis, & Mellitus Lundonienſis, quos constat neque hoc tempore profectos esse in Angliam, quo etiam neque Theodoricus regnabat in Gallijs, sed Childebertus, ac Guntheramnus. Quamobrem in eam inducor sententiam, vt ea subscriptio postea adiecta fuerit. Est autem eiusmodi priuilegij hoc exordium: Pretiosissimis lapidibus in diademate Christi merito renitentibus, omnibusq. sanctæ Dei Ecclesiæ membris, quorum vniuersale caput est Christus, Gregorius licet sanctæ Romanæ sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen seruorum Dei seruus, &c.] ita quidem ipse (vt profi-
E tetur postea in litteris datis ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum) refugit nomen Vniuersalis, quo deorsum inclinaret, qui illud indignissime vsurparat: cum tamen *re* ipsa iure Pontificis vniuersalis vtatur, præcipiens eodem decreto Episcopis omnibus atque Regibus. Sed & quomodo id profiteatur, ex eius verbis audi, quæ habet *inferius*: Caput, inquit, monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusq. ditioni patimur subesse. Sed velut hæc sedes Romana speculationem suam toto orbi indicit, & nouas constitutiones* omnibus mittit, & omnium personarum seruitio caret, *nulli subiecta videlicet*: ita præfatus locus, remota omni consuetudine pessima Regum, Antistitum, &c.]

Sed quas infligat pœnas, audi quæ habet in fine: Si quis autem Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcumque sæcularium personarum, huius Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligen-

[a] *Greg. Turon. lib. 10. c. 17.*

ADEVNT REGEM EXCOMMVNICATAE.

[b] *Greg. Turon. lib. 11. c. 8.*

[c] *Gregor. lib. 2. Indict. 11. post ep. 38. non adit.*

DE PRIVILEGIO CONCESSO MONASTERIO S. MEDARDI.

* consuetudines

POENA PRIVATIONIS COMMINATA REGIBVS.

ter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit: cuiuscumque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, &c.] Vides, lector, Pontificis Romani esse, sancire leges, quibus si ipsi Reges non pareant, regno priuentur: quæ etiam comminatio ab eodem apponi solita erat in alijs priuilegijs, siue monasterijs, siue hospitalibus concessis, nempe vt priuarentur regno Reges, si quid ab eis contra ea quæ concessisset, factum fuisset. Considerauit hæc Gregorius Septimus Romanus Pontifex in epistola [a] ad Metensem Episcopum, atque reciratis priuilegij huius dictis verbis, hæc addidit: Quod si beatus Gregorius, doctor vtique mitissimus, Reges qui statuta sua super vnum xenodochium violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decreuit: quis nos Henricum non solum Apostolicorum iudiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris Ecclesiæ improbissimum prædonem & atrocissimum destructorem deposuisse & excommunicasse reprehendat, nisi similis eius?] hæc ipse.

[a] Greg. VII. lib. 8. epist. 21. & sup. lib. 4. epist. 2. & 23.

INGOBERGA REGINA DEFVNCTA.

Hoc etiam eodem anno, qui est decimusquartus Childeberti Regis, Reginæ Francorum Ingobergæ maxime piæ fœminæ obitum Gregorius Turonensis ponit his verbis [b]: Anno quoque quartodecimo Childeberti Regis, Ingoberga Regina, Chariberti quondam relicta, migrauit a sæculo, mulier valde cordata, ac vita religiosa prædita, vigilijs & orationibus atque eleemosynis non ignaua: quæ, credo, per prouidentiam Dei commonita, ad me vsque nuncios dirigens, vt in his quæ de voluntate sua, id est, pro animæ remedio cogitabat, adiutor existerem: sic tamen, vt ad ipsam accedens, quæ consilio habito, fieri decernebat, scriptura connecteret. Accessi, fateor, vidi hominem timentem Deum: quæ cum me benigne excepisset, notarium vocat, & habito (vt dixi) mecum consilio, quædam Ecclesiæ Turonicæ & basilicæ sancti Martini, quædam Cænomannicæ Ecclesiæ delegauit: ac post paucos menses subitanea ægritudine fatigata, migrauit a sæculo, multos per chartulas liberos derelinquens, septuagesimo (vt arbitror) vitæ anno, relinquens vnicam filiam, quam in Canthia Regis cuiusdam filius matrimonio copulauit.]

[b] Greg. Turon. histor. Franc. lib. 9. c. 26.

SANCTVLI PRESB. OBITVS.

Quo pariter anno, quarto scilicet Gregorij Papæ, quo (vt dictum est) Dialogos scribebat, Sanctulus vir ille sanctitate celebris, cuius res mirifice gestas tertio Dialogorum libro intexuit, ex hac vita migrauit: nam acturus de ipso, hæc præmittit [c]: Ante hos dies fere quadraginta vidisti apud me eum, cuius superius memoriam feci, venerabilis vitæ presbyterum Sanctulum nomine, qui ad me ex Nursiæ prouincia annis singulis venire consueuit. Sed ex eadem prouincia quidam monachus ante triduum venit, qui grauis nuncij mœrore me perculit, quia eumdem virum obijsse nunciauit, &c.] pergit narrare eius miracula, a nobis suo loco & tempore, quo sunt facta, relata. Hæc quidem hoc anno in Occidente. Sed belli motus, de quibus præfati sumus, iam nos reuocant in Orientem.

[c] Greg. dialog. lib. 3. c. 37.

CHAGANVS DVX ABARVM IRRVMPIT IN THRACIAM.

Hoc namque anno (vt ex Gregorio percepimus) pacatis rebus Persicis, restituto per Mauritium in regnum Cosrhoe, vertenda fuerunt arma aduersus Abares sub duce Caiano siue Chagano Thraciam inuadentes, de quibus ista Nicephorus [d]: Ineunte vere, translatis ex Oriente copijs, Mauritius Byzantio soluit, & multis impedimentis interuenientibus, Anchialum contendit: eo namque excurrere velle Abares audierat, post auream illam mensam & elephantis spectaculum, multorumq. talentorum auri largitionem: quæ illis Imperator, pacem sibi complectendam ratus, petentibus tribuit. Ac primum Perinthum, quam nunc Heracleam vocant, cum quidem in terrores plures & in maximam tempestatis procellam incidisset, venit. In qua vrbe Glyceriæ martyri, quæ ibi æde sacra magnifice constructa honoratur, debitam religionem persoluit. Et graue quiddam a barbarorum excursionibus passus exercitus, Duce in Europa Prisco creato, inde in vrbem imperantem est reuersus. Abarum vero & Slauinorum gentes, Istro traiecto, sub Chagano Hunno militantes, Thraciamq. percurrentes, & omnia passim diripientes, vsque ad Heracleam peruenerunt. Quin Prisco Duce Turuli se continente, Didymotichum quoque stratagemate ceperunt. Eorum impetum arte & consilio quodam admirando Imperator inhibuit: qui se classe instructa in eorum sedes expeditionem facturum assimulauit. Quæ res metum illis ingentem incussit, & vel inuitos ad sua redire coegit. Post quorum discessum Imperator ad transitum Istri, ne rursus barbari facile in Thraciam excurrerent, firma militum præsidia collocauit. Priscus autem Byzantium reuersus, de manu-

[d] Niceph. lib. 18. c. 28.

bijs

A bijs accusatus est, & militarium copiarum præfecturæ dignitas ei abrogata, Petroq. Mauritij fratri data. Verum cum & is nihil præclarum ex sententia Imperatoris gererct, adempto illi magistratu, eodemq. Prisco reddito, domi ipse consedit.] ista vtinam hoc anno, cum S. Gregorius Papa de restituto Prisco in gradum pristinum congaudens, & salutaria monita impartiens, ista ad ipsum scripsit mense Iulio [a]:

[a] *Gregor. lib. 2. epist. 54. Ind. 12.*

Si vitæ istius cursum veraciter attendamus, nihil in eo firmum, nihil inuenimus stabile; sed quemadmodum viator modo per plana, modo per aspera graditur, sic nobis vtique in hac vita manentibus nunc prosperitas, nunc occurrit aduersitas. Denique alternis sibi succedunt temporibus, & mutua se vice confundunt. Dum igitur omnia in hoc mundo mutabilitatis ordo confundit, nec eleuari prosperis, nec frangi debemus aduersis. Tota ergo mente ad illum nos conuenit anhelare, vbi quicquid B est, firmum permanet, vbi non mutatur aduersitate prosperitas. In hac ergo vita miro Dei omnipotentis moderamine idcirco agitur, vt vel prosperitatem aduersitas, vel aduersitatem prosperitas subsequatur: quatenus & humiliati discamus quicquid deliquimus fiere, & iterum exaltati aduersitatis memoriam quasi humilitatis anchoram in mente teneamus.

S. GREG. EPIST. AD PRISCVM MAGISTRVM MILITVM.

Non in hoc ergo Creatoris nostri ira est deputanda, sed gratia, per quam *discimus*, vt eius dona tanto seruemus verius, quanto humilius tenemus. Quia igitur perfectam vos dominorum gratiam auctore *omnipotente* Deo reparasse cognouimus, magna pro vobis exultatione gaudemus, optantes vt vitam vestram rerum omnium gubernator & bonis semper præsentibus fulciat, & ad gaudia perpetua extendat. Hæc vobis ideo loquor, quia *multum* vos diligo, atque me a vobis diligi scio. Sed hoc quod me diliC gitis, in *latorem* præsentium Sabinianum diaconum demonstrate, vt vbi vsus exegerit, *vestra patrocinia* consequatur. Vir autem glorioſus Castus præco laudum vestrarum *in* Romanis partibus existit, quem vestræ excellentiæ paterna dilectione commendo.] hucusque ad Priscum Gregorius.

Sic igitur reuocatus Priscus ad ordines militares, magna præda peracta, mox barbarum Regem Chaganum aduersantem sensit, & amnem traijcere impedientem. Quamobrem legationem pacis mittere, ratio persuasit. Sicq. Theodorum medicū (inquit Nicephorus [b]) virū cordatum, sagacitateq. & prudentia multos excellentē, ad eum misit. Qui cum barbarum frementem maxime & superbientem, ac verborum fastu exultantem (nationum enim omnium dominum se esse minabundus iactabat) vidit, veteri quadam narratione barbaricum legatus lenijt tumorem. Inquit enim: Audi, Chagane, veterem & vtilem oraD tionem. Sesostris Aegyptiorum Rex illustris admodum & felix plurimas & maximas sibi subiecit nationes, atque ex eo successu in proteruam arrogantiam sublatus currum sibi aureum pellucidis pretiosisq. lapillis ornatum fieri fecit: in quo confidens, quatuor ex deuictis Regibus currui, qui eum traherent, iugo illis imposito, iunxit. Hoc vero cum sæpius fieret, & celebri quodam festoq. die, ex quatuor istis Regibus vnus oculis conuersis continue retrospiceret, & rotæ volubilitatem intueretur; Sesostrisq. eum, cuius rei gratia tam frequenter oculos in rotam conijceret, percontaretur: respondisse is fertur: Cum stupore admiror rotam, cum eam instabili modo ferri, atque alias aliter volui, & nunc quidem sublimia demittentem, rursus autem demissa sublimantem conspicio. Sesostris porro vbi dictum id intellexit, statuit, ne illi posthac currum traherent.

[b] *Nicephor. lib. 18. c. 29.*

THEODORI MEDICI LEGATIO AD CHAGANVM.

E Barbarus vero subridens, satis se pacem complecti indicauit, & Priscus ei pro transitu bonam spoliorum partem, maxima quæque concedendo dedit, & se Romanorum ditione cedere (Romanum namque id solum esse) significauit. At barbarus Romanos armis & iure belli id amisisse respondit. Et cum Chaganus ad hunc modum familiarius cum Prisco rixaretur: Priscus ei, quod ex Oriente profugisset, conuicij loco obiecit.] hactenus de Chagani & Prisci rebus, liberataq. Europa ab incursione Abarum cum armis Prisci, tum vero eloquentia Theodori medici, ad quem extant plures sancti Gregorij epistolæ, & inter alias illa superius recitata, qua persuadet cum Mauritio agere, vt latam impiam legem abroget. Quod vero ad temporis rationem spectat, errore vides positum a Theophane, quod ista de Prisco contigerint anno Mauritij Imperatoris tertiodecimo, cum ex litteris recitatis sancti Gregorij ipsum hoc anno restitutum constet, dum adhuc tertius perseueraret Gregorij Pontificatus annus, cuius hoc anno quartus in-

PAX CVM CHAGANO REGE FACTA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipit mense Septembri. Quomodo vero Priscus vna cum Commentiolo, rupto fœdere, eumdem Regem vicerit, suo loco dicturi sumus. A

DE MIRACVLIS S. GLYCERIAE MARTYRIS.

Quod autem nuper mentio facta est de Mauritio Imperatore visitante Heracleæ ecclesiam S. Glyceriæ, hic opportune quid his diebus illic acciderit, ex Nicephoro referam, rem sane memoria dignam: ait enim [a]: Minime vero abs re fuerit, si celeberrimæ martyris istius miraculo, *nempe Euphemiæ, de qua dicturi sumus inferius*, admirandæ Glyceriæ, & ipsius martyris miraculum coniunxero. Vir quidam, cui Paulino nomen erat, obscuro loco natus, in bonis autem disciplinis admodum educatus, manifesto in impostorum & maleficorum barathrum demersus esse deprehensus est. Incantatori huic & mago argentea fuit peluis, in qua detestandum cruorem excipiens, per eum execrandus ipse cum apostatis virtutibus colloquebatur. Vasculum id, necessitate flagitante, argentarijs vendidit. Qui pretio numerato, lancem eam receperunt, venalemq. & ipsi pro foribus cuiuis prætereunti emendi liberam facultatem facientes proposuerunt. Accidit autem, vt Perinthius Antistes, *ipsius scilicet Heracleæ*, Byzantij esset, & peluim eam, ita vt venumdabatur, compararet. B

[a] *Niceph. lib. 18. c. 32.*

DETESTATA MARTYR VAS IMMVNDVM.

Itaque cum vasculo empto se in suam sedem recepit, & ob reuerentiam vnguenti martyris Glyceriæ, sublato priore vase æneo, argenteum istud reposuit, cultui diuinitus manantis vnguenti id maxime conuenire arbitratus. Atque ille quidem hoc sic fecit: riuus autem vnguenti constitit. Martyr enim ipsa tantum piaculum detestata, gratiam & donum id cohibuit: haudquaquam enim fas esse, tacens etiam dicebat, vt mundum immundo contingeretur. Hoc postquam diebus plurimis fieri cognouit Episcopus, oppido quam grauiter tulit, variasq. curas in animo ipse suo, quod ipsius culpa Ecclesia commoditate tanta priuari deberet, volutauit. Proinde ad lacrymas & preces conuersus, Deo supplicauit, vt rem tam grauem auferret, & facti eius causam latentem ostenderet. Deus vero rite abominationem eam amoliens, & insciti am misericordia legitime prosequens, Antistiti in somnis lancis piaculum manifestat. C

Ille statim argenteam phialam subducit, & priorem illam æream perinde atque puram & quasi virginem & immaculatam ministram cultui religioso restituit. Et ecce tibi, derepente vnguentum rursus scaturit, & miraculorum latex denuo exundat. Piaculum autem execrandum manifeste in opertum producitur, & non aliter quam in publicis columnis inciſum proponitur, vrbiq. gloria sua redditur. Ea res vbi ad Imperatoris aures per primariæ sedis Episcopum (Ioannes is Ieiunator erat) relata est; Princeps ab eodem Episcopo ad reos capitali supplicio persequendos excitatus est: nam is resipiscentia atque pœnitentia crimen corrigere voluit. Iudicium igitur maximum cogitur, & maleficorum multitudo ingens producitur. Qui in grauem carcerem coniecti, ad supplicia, debitas persoluturi pœnas, producti sunt. Inter quos Paulinus in palum summa parte hiantem actus, turpiter vitam finijt, cum prius cædis filij sui spectator fuisset: siquidem & hunc abunde impostura & maleficij portentis imbuerat. Atque hoc ita est gestum.] hæc Nicephorus.

MALEFICI PVNITI. D

DE MIRACVLIS EX S. EVPHEMIAE CORPORE.

[b] *Niceph. lib. 18. c. 31.*

Eadem quoque gratia pollebat sanctissima martyr Euphemia, de qua alias dictum est: præstabat vero in miraculis ista in eo, quod cum liquore etiam admixtum sanguinem e sacro corpore emittebat, eo tantum die, quo natalis ipsius anniuersaria celebritate festiuus populo recurrebat. Quid autem tunc acciderit de Mauritio Imperatore, ex eodem Nicephoro accipe [b]: Hoc autem loco, inquit, quid Mauritio de celeberrima martyre Euphemia acciderit, dicam. Iners namque cogitatio Imperatori incesserat, vt anxie nimis de ingentibus eius miraculis inquireret, & fallaciam hominum prodigia ab ea edita esse putaret. Ex aduerso Constantinopoli inclyta Chalcedonensium ciuitas sita est, vbi sane templum quoque est magnifice constructum. Diximus autem non ita dudum, sacrosanctas eius reliquias olim in hoc ipso templo in vrna marmorea repositas esse, atque in eiusdem memoria miraculum insigne, atque eis qui id non viderunt, prope incredibile fieri solere. Ex quo enim illa in martyrij stadio decurrit, & corpus eius in monumento conditum est, ipso passionis eius die, in conspectu omnium, loci eius Episcopus spongijs quibusdam ex defunctæ corpore sanguinis liquorem haurit. Sanguinem sane veluti ab recens cæso corpore vulnerum tabo mixtum, & vnguentis quibusdam ex se ipsis natis temperatum cernas: quem exiguis vitreis vasculis Episcopus exceptum atque diuisum turbæ aduenienti donat. E

Hoc

A Hoc igitur auditum (sicut dixi) animi quadam vecordia in dubium reuocans Mauritius, cum tempus appeteret, argenteum ornatum ex sepulchro detrahit, & Imperiali signo monumentum martyris obsignat: sic enim hoc incredulitatis volebat audacia. Postquam autem tempus ipsum quod debebat, aduenit, curiose mysterium indagat, accuratiusq. experimento solito miraculum explorat. Ecce tibi vero rursus, sicut ante, sanguis vnguento conditus instar riuuli e monumento promanat, & spongiæ sanguine suaueolenti pinguescunt: & martyr ipsa tum, vt prolixius sanguinis fons profluueret, fecit. Atque illa ad hunc modum Imperatoris incredulitatem erudiens, castigauit. Ipse autem digitis sanguini admotis, eoq. humore delibutis, se ipsum sanctificando conspersit; & re ipsa vt id crederet persuasus, deinceps cum admiratione laudes suas clara voce martyri tribuit.] hucusque Nicephorus: atque de his hactenus.

MAVRITIVS IMP. INVESTIGAT DE MIRACVLIS.

B Eodem quoque anno, die Paschatis Theodosius filius Mauritij, iussu eius, coronatur Imperator collega patris a Ioanne Patriarcha Constantinopolitano. ita ex Theophane: alij ante biennium, vt dictum est superius ex Biclarensi. nomen quidem Augusti esse a patre consecutum Theodosium, ex publicis monumentis inuenies apud sanctum Gregorium in epistolis [a].

[a] *Gregor. lib. 4. epist. 44.*

Hoc præterea tempore claruisse in Persside insignem feminam Christianam, eamdemq. corona martyrij auctam, cum Euagrius temporis huius accuratus scriptor, tum alij recentiorum Græcorum tradunt. Euagrius enim in primis de ipsa habet ista [b]: Eodem tempore vixit apud nos Golauduch martyr, quæ multa tormenta perpessa, & a Magis Persis grauiter excruciata, martyrij coronam post magna miracula, quæ ediderat, assecuta est. Cuius vita ab antiquiore Stephano Hierapolis Episcopo litteris mandata est.]

[b] *Euagr. lib. 6. c. 19.*

DE COLINDVCH MARTYRE.

C hæc Euagrius. *Colinduch* vocat eam Nicephorus [c], eumdemq. Stephanum auctorem citat *vitæ eius*, quædam captu difficilia narrans. Quicquid sit, certum est ab Orientalibus, penes quos passa est, eamdem receptam esse vt martyrem, cultuq. anniuersario celebratam.

[c] *Niceph. lib. 18. c. 23.*

NOnagesimusquartus supra quingentesimum annus duodecimæ Indictionis agitur, quo Mauritij nonus absoluitur, & Gregorij Papæ quintus inchoatur: cum ipsi Pontifici ex more laborandum fuit aduersus schismaticos atque hæreticos, necnon pra-

SCHISMATICI VEXANT CATHOLICOS OB TRIA CAPIT.

D uos mores Orthodoxorum, præcipue vero clericorum. Quod vero in primis ad schismaticos pertinet: exigebant hi a Constantio Episcopo Mediolanensi recens creato, vt si recipi vellet, damnaret damnantes Tria illa capitula in Quinta Synodo reprobata, zelo quodam absque scientia concitati. Inualuerat enim apud eos (quod sæpe dictum est) sententia illa, qua assererent per Quintam Synodum in damnandis Tribus capitulis irrogatam esse iniuriam Synodo Chalcedonensi, cuius se esse defensores tenacesq. custodes profiterentur. qua assertione interdum adeo valuerunt, vt optimos quosque in schisma pellicerent. De his autem cum idem Constantius Gregorium Romanum Pontificem consuluisset hoc anno, ad eum ista ipse respondit [d]:

[d] *Gregor. lib. 3. epist. 32. Indict. 12.*

VRGETVR A SCHISMATICIS CONSTAN. EPISC. MEDIOLAN.

Scriptis sanctitatis vestræ percursis, in graui vos mærore esse cognouimus, maxime propter Episcopū & ciues Brixiæ, qui vobis mandant, vt eis epistolam transmittatis, in qua iu-

E rare debeatis, vos Tria capitula minime dānasse. Quod si decessor fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, a vobis quæri non debet. si autem fecit, aut cum vniuersali Ecclesia non fuit, aut cautionis suæ iuramenta transcendit. Sed quia eumdem virum sua credimus sacramenta seruasse, atque in vnitate Ecclesiæ permansisse: dubium non est, quod nulli Episcoporum suorum iurauerit, se Tria capitula minime damnasse. Ex qua re colligat sanctitas vestra, quia cogi non debet ad hoc, quod a decessore vestro factum nullo modo est. Sed ne hi qui vobis ista scripserunt, scandalizari videantur, transmittite eis epistolam, in qua sub anathematis interpositione fateamini, neque vos aliquid de fide Chalcedonensis Synodi imminuere, neque eos qui imminuunt recipere; & quoscumque damnauit, damnare; & quoscumque absoluit, absoluere. Vnde credo eis posse celerrime satisfieri.] hac pariter professione & ipse Gregorius ab ijsdem schismaticis impetitus (vt vidimus) satisfecit.

Quod

Quod vero Ioannem Rauennatem Episcopum acerrimum Quintæ Synodi defensorem idem Constantius nominare soleret in Missis, inde etiam ijsdem schismaticis scandali occasio data est non recipiendi suum ipsorum Episcopum Constantium, nisi ab eius nominatione desisteret. De quibus hæc rescripsit ad ipsum Gregorius: A

DE NOMINANDO IN SACRIS COLLEGA EPISCOPO.

Quod autem scripsistis, quia scandalizantur plurimi eorum, quia fratrem & coepiscopum nostrum Ioannem Rauennatis Ecclesiæ inter Missarum solemnia nominetis: requirenda vobis consuetudo antiqua est. Et si consuetudo fuit, modo a stultis hominibus reprehendenda non est. Si vero consuetudo non fuit, fieri non debet vnde quibusdam scandalum moueri possit. Tamen solicite perquirere studę, si idem Ioannes frater & coepiscopus noster vos ad altare nominet, quod minime dicunt fieri. Et si ille vestri nominis memoriam non facit: quæ necessitas cogat, ignoro, vt vos illius faciatis.] hæc quidem ex more. Verum quod non nominando Ioannem tunc iam cœptum nominari, potuisset B scandalum suboriri, quod eius communionem, qui defensor Quintæ Synodi esset, reiecisset: idcirco ad ea quæ dixit, ista mox iungit: Quod quidem si sine aliquorum scandalo fieri potest; vos tale aliquid facere, valde laudabile est: quia quam charitatem erga fratres vestros habetis, ostenditis.] Porro ad hos curandos eo vsque progreditur Gregorius, vt ad tempus de Quinta Synodo commendet silentium, cuius causa schisma esset obortum: quod quidem absque scrupulo læsæ Catholicæ fidei fieri posse demonstrat, cum in ea (quod alias sæpe professus fuit) non de fide, sed de personis sit actum. Subdit his ergo Gregorius:

DE EPISTOLA AD THEODOLINDAM AD TEMPVS SVPPRESSA.

Quod autem scripsistis, quia epistolam meam Reginæ Theodolindæ transmittere minime voluistis, pro eo quod in ea Quinta Synodus nominabatur: Si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, vt minime transmitteretis. Vnde nunc ita faci- C mus, sicut vobis placuit, vt quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa tamen Synodo, quæ in Constantinopoli facta postmodum est, quæ a multis Quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor Synodos constituerit, vel senserit: quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos canones facta contentio & extrema actio de personis ventilata est. Nos autem, sicut voluistis, ita fecimus, vt eiusdem Synodi nullam memoriam faceremus.] hæc de his Gregorius.

Istæc quidem accurata indigent consideratione, ne ipsi Gregorio quoquo modo præter ius fasq. præuaricationis inuratur nota, quasi inseruiens tempori mendaciter dicat, nihil de personis damnatis in Quinta Synodo, contineri in Chalcedonensi Concilio: cum contrarium magis verum appareat, nempe Tria illa capitula de personis damnata in Quinta D

QVAE VERE ESSENT CONCILII CHALCEDONENSIS.

Synodo, legi omnino in Actis eiusdem Concilij Chalcedonensis. Sed scito, lector, legitima appellatione Concilij Chalcedonensis, ea tantum significari, quæ de eodem Concilio scirentur esse probata, & auctoritate Romani Pontificis confirmata. Sic igitur sanctus Gregorius eius videtur fuisse sententiæ, vt Chalcedonensis Concilij nomine, nonnisi editum in eo fidei decretum, & sanciti ibidem canones continerentur; extra Synodum autem censenda esse priuata illa diuersarum causarum iudicia, in quibus facile posset contingere errores inueniri occasione falsarum probationum partium mendacijs sæpe nitentium. Nec putes ex his derogatum aliquid a Gregorio Concilio Chalcedonensi: immo scias amplius esse tributum, quam iure exigi potuisset, dum præter decretum fidei, etiam canones eius Synodi saluos esse velit: siquidem Leo Magnus, cuius tempore illud Concilium congregatum est, confirmaturus illud, sæpius E

a Leo epist. 61.

est contestatus in diuersis epistolis, & in ea potissimum [a] ad ipsum Concilium scripta, se nonnisi sancitum in ea fidei decretum probare, canones autem secus, cum ex eis in prærogatiua Patriarchalium sedium derogatum esset definitioni sacrosancti Nicæni magni Concilij: quod quidem non in ea tantum epistola ad Concilium data, sed & in alijs idem profitetur epistolis tamquam validum firmatum a se decretum. Scite igitur sancteq. Gregorius non spectare dixit ad Chalcedonense Concilium, quæ de personis in Quinta Synodo statuta fuissent. Vtinam ad eiusmodi Leonis decretum de confirmata ab eo Synodo Chalcedonensi respexissent schismatici illi qui querebantur ob Tria damnata capitula irrogatam esse iniuriam Concilio Chalcedonensi; hoc idem attendissent & illi qui aduersus eos pugnabant pro Quinta Synodo: certe quidem auctoritate Leonis liberassent se & alios a tot tantisq. vndique per orbem plurimis annis

excitatis

A excitatis turbis, rixis, atque schismatibus: cum nullus iure queri potuisset; si quæ in eodem Concilio minime reperirentur esse probata, quoquo modo corrigerentur: neque enim eidem Synodo plus esse tribuendum, quam tribuisset Leo qui confirmauit, quis iure dicere potuisset.

Sed ad Gregoriũ redeamus, cui non contra schismaticos tantum, sed & contra hæreticos fuit hoc anno certandum, qui depascebantur Africanam Ecclesiam. Erant hi Donatistæ, de quibus supra: de his enim in epistola ad Pantaleonem Episcopum hæc habet [a]: *a Gregor. lib. 3. epis. 32. Ind. 12.*

In illis igitur partibus (quantum didicimus) ita Donatistarum creuit audacia, vt non solum de suis ecclesijs auctoritate pestifera eijciant Catholicæ fidei sacerdotes; sed & quos vera confessione aqua salutaris abluerat, rebaptizare non metuunt.] exclamat valde de his aduersus Africanos Orthodoxos Episcopos, atque post obiurgationem hæc habet [b]: Comperimus siquidem Donatistarum stimulos sic in illis partibus gregem turbasse Dominicum, ac si nullius pastoris moderamine regeretur: nunciatumq. nobis est (quod dicere sine graui dolore non possumus) quod plurimi eorum venenatis iam sint dentibus laniati, &c.] hortatur eos pluribus malo resistere, atque coacto Concilio, omniq. studio obuiare. hæc quidem in Numidia coercenda mandat ab eius prouinciæ Episcopis. DE DONATISTIS IN AFRICA INVALESCENTIBVS. *b Gregor. lib. 3. epis. 33. Ind. 12.*

Ceterum quod pertinet ad Episcopum Carthaginensem, tantum abest vt socors in his fuerit, vt etiam a nimio impetu, quo aduersus eos impellebatur, fuerit reuocandus. Siquidem insuetas pœnas, habito tunc Concilio, sanxit aduersus negligentes Episcopos, nempe vt qui hæreticos non inquirerent & expellerent, dignitate atque bonis priuandi essent. Quod quia præuidebat Gregorius maiores concitaturum inter Episcopos discordias, quæ magis ad propagandas quam ad destruendas hæreses proficerent; eas ab ipso tunc non promulgandas, prudenter sane persuasit. hæc enim habet post alia in eius commendationem præmissa [c]: Desideraremus omnes hæreticos a Catholicis sacerdotibus vigore semper rationeq. compesci: tamen subtiliter intuentes omnino nos tetigit, ne per ea quæ apud vos gesta sunt, aliorum consiliorum Primatibus (quod auertat Dominus) generetur scandalum. Sententia namque a vobis prolata est in conclusione gestorum: in qua dum pro inuestigandis illis hæreticis admonetis, subintulistis, eos qui negligunt, substantiarum dignitatumq. priuatione plectendos. Optimum est igitur, frater carissime, vt in his quæ foris corrigenda sunt, prius charitas interna seruetur, vt simus mente subiecti. Quod maxime vestræ grauitatis proprium iudicamus, etiam personis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis viribus, hæreticorum commodius obuiatis erroribus, cum secundum morem sacerdotij vestri, studueritis Ecclesiasticam interius custodire concordiam.] hæc ad Episcopum Carthaginensem Gregorius. Laborasse idem Pontifex cognoscitur aduersus Manichæos hæreticos in Sicilia degentes, vt eius hoc anno datæ litteræ indicant. DOMINICI EPISC. CARTHAG. COERCETVR IMPETVS INDISCRETVS. *c Gregor. lib. 4. epis. 3. Ind. 13.*

De conuertendis quoque Iudæis fuit hoc anno valde solicitus; quos non violentia, sed spe præmij allici debere iussit, ita de eis scribens ad Cyprianum diaconum [d]: Peruenit ergo ad me, esse Hebræos in possessionibus nostris, qui conuerti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi, vt per omnes possessiones, in quibus ipsi Hebræi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quod quicunque ad verũ Dominum Deum nostrum Iesum Christum ex eis conuersus fuerit, onus pensionis eius ex aliqua parte minuetur. Quod ita quoque fieri volo, vt si quis ex eis conuersus fuerit: si solidi pensionem debet, tremissis ei relaxari debeat: si tres vel quatuor, vnus solidus relaxetur: si quid amplius, iam iuxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe iuxta quod dilectio tua præuidet: vt & ei qui conuertitur, onus releuetur, & Ecclesiastica vtilitas non graui dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro leuandis pensionũ oneribus eos ad Christi gratiam perducamus: quia etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint iam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur: & ideo non est graue, quicquid de pensione pro Christo dimittimus.] hactenus de Iudæis, de quibus & hæc eodem hoc ipso anno ad Anthemium subdiaconum [e]: LABORAT GREG. IN IVDAEORVM CONVERSIONE. ALLICIT AD CONVERSIONEM IVDAEOS SPE LVCRI. *d Gregor. lib. 4. epis. 9. Ind. 13.* *e Gregor. lib. 3. epis. 31. Ind. 12.*

His quos de Iudaica perditione Redemptor noster ad se dignatur conuertere, rationabili nos oportet moderatione concurrere, ne victus (quod absit) inopiam patiantur. Ideoq. tibi huius præcepti auctoritate mandamus, quatenus filiabus Iustæ ex Hebræis, id est, Iulianæ, Redemptæ, & Fortunatæ, a tertiadecima succedenti Indictione, annis singulis

lis solidos .... dare non differas, quos tuis noueris modis omnibus rationibus imputandos.] A

BARBARICINI QVINAM FVERINT.

Quantum præterea impenderit operis, vt Gentiles Barbaricinos dictos, populos in Sardinia commorantes, ad Christianam religionem conuerteret, scriptæ ad diuersos hoc anno ab ipso epistolæ fidem faciunt. Accidit enim, vt cum Vuandali Africa potiti essent, barbaros eosdem ad Aurasium montem omnium altissimum positos, abactos, ne eos paterentur infestos, in Sardiniam insulam relegarint. id Procopius tradit [a], qui hæc de his addit: Eos non admodum multos cum vxoribus in Sardiniam mittentes, hic sunt dominati. Præcedente autem tempore montes occupauere qui prope Calarim sunt: ac primo quidem clanculum latrocinia in vicinos exercentes, postea vero non minus quam ad tria millia creuere, & manifesto excursiones facientes, minime latere curauerunt, ac omnem circa oram depopulati sunt; quamobrem Barbaricini a vicinis appellati sunt.] hæc B de his Procopius. Sunt ijdem hi de quibus Iustinianus de officio Præfecti prætorio Africæ lege secunda ita scribit: In Sardinia autem iubemus Ducem ordinari, & cum iuxta montes vbi barbaricæ gentes videntur sedere, habentem milites pro custodia locorum, quantos & ibi tua magnitudo prouiderit, &c.] Perseuerantibus vero his in Gentilitio cultu vt olim erant, cum nec locorum Episcopis vlla cura esset vt eos redderent Christianos: mirum in modum sanctus Gregorius doluit, segnesq. pastores ad eorum conuersionem litteris excitauit: sed & Felicem & Cyriacum Dei ministros in Sardiniam misit ad hos conuertendos ad fidem, quos suis litteris Duci Sardiniæ commendauit: etenim de his in data ad Zabardam Ducem Sardiniæ epistola ista habet [b]:

a Procop. de bello Vand. lib. 2.

b Gregor. lib. 3. epist. 21. Ind. 12.

DVCEM ADMONET DE CONVERSIONE INFIDELIVM.

Scriptis fratris & coepiscopi mei Felicis, & Cyriaci serui Dei, gloriæ vestræ bona cognouimus: magnasq. omnipotenti Deo gratias agimus, quod talem Ducem Sardinia C susceperit, qui sic sciat quæ terrena sunt Reipublicæ exoluere, vt bene etiam nouerit omnipotenti Deo obsequia patriæ cælestis exhibere. Scripserunt etenim mihi, quod eo pacto cum Barbaricinis facere pacem disponitis, vt eosdem Barbaricinos ad Christi seruitium adducatis. Hac de re valde lætatus sum, & dona vestra (si omnipotenti Deo placuerit) citius sereniſſimis Principibus innotesco. Vos ergo quod cœpistis, explete: omnipotenti Deo deuotionem vestræ mentis ostendite. Eos quos illuc ad conuertendos Barbaricinos transmisimus, quantum valetis, adiuuate, scientes quod talia opera multum vos & ante terrenos Principes & coram cælesti Rege prævaleant adiuuare.] hæc ad Sardiniæ Ducem Gregorius, qui & ad ipsorum Barbaricinorum Ducem iam Christianum redditum has litteras dedit [c]:

c Gregor. lib. 3. epist. 27. Ind. 12.

GREG. EPIST. AD DVCEM BARBARICINORVM.

Cum de gente vestra nemo Christianus sit: in hoc scio quia omni gente tua es me- D lior, quia tu in ea Christianus inueniris. Dum enim Barbaricini omnes vt insensata animalia viuant, Deum verum nesciant, ligna autem & lapides adorent: in eo ipso quod Deum verum colis, quantum omnes antecedas, ostendis. Sed fidem quam percepisti, etiam bonis actibus & verbis exequi debes, & Christo, cui credis, offerre, quod præuales, vt ad eum quoscumque potueris adducas, eosq. baptizari facias, & æternam vitam diligere admoneas. Quod si fortasse ipse agere non potes, quia ad aliud occuparis: salutans, peto vt hominibus nostris, quos illuc transmisimus, fratri scilicet & coepiscopo meo Felici, filioq. meo Cyriaco seruo Dei, solatiari in omnibus debeas: vt dum eorum labores adiuuas, deuotionem tuam omnipotenti Domino ostendas, & ipse tibi in bonis actibus adiutor sit, cuius tu in bono opere famulis solatiaris. Benedictionem vero S. Petri Apostoli per eos vobis transmisimus, quam peto vt E debeatis benigne suscipere.] hactenus ad Barbaricinorum Ducem Gregorius.

DE BARBARICINIS CONVERTENDIS.

Profecti itaque Felix Episcopus & Cyriacus Abbas in Sardiniam, reperientes primariam eius insulæ Ecclesiam Calaritanam negligentia pastoris incultam, & colonos agrorum Ecclesiæ Barbaricinos æque vt alios perseuerare infideles, de his omnibus litteris monuerunt S. Gregorium Papam. Qui ad ipsum Ianuarium Calaritanum Episcopum, eum segnitiei redarguens, de his scripsit, vbi primum de clericis a laicis oppressis ista præfatur [d]: Fratris & coepiscopi nostri Felicis & Cyriaci Abbatis relatione cognouimus, quod in insula Sardinia sacerdotes a laicis iudicibus opprimantur, & fraternitatem tuam ministri sui despiciant; dumq. solum simplicitati a vobis studetur, quantum videmus, disciplina negligitur. Vnde hortor, vt omni excusatione postposita, Ecclesiam quam suscepisti, auctore Deo regas, disciplinam clericos tenere cogas, nullius verba metuere studeas.]

d Gregor. lib. 3. epist. 26. Ind. 12.

A ſtudeas.] Et paulo poſt de Barbaricinis iſta: Accidit autem aliud valde lugendum, quia ipſos ruſticos, quos habet Eccleſia tua, nunc vſque in infidelitate remanere, negligentia fraternitatis veſtræ permiſit. Et quid vos admoneo, vt extraneos ad Deum adducatis, qui veſtros ab infidelitate corrigere negligitis? Vnde neceſſe eſt vos per omnia in eorum conuerſionem vigilare. Nam ſi cuiuslibet Epiſcopi in Sardinia inſula Paganum ruſticum inuenire potuero, in eumdem Epiſcopum fortiter vindicabo. Iam vero ſi ruſticus tantæ fuerit perfidiæ & obſtinationis inuentus, vt ad Dominum Deum venire minime conſentiat: tanto penſionis onere grauandus eſt, vt ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare.] hæc de his Gregorius, haud dubitans, ſi munus ſuum paſtores expleant, laborem eorum inanem minime ceſſurum. Etenim viuus [a] & efficax eſt ſermo Dei, penetrabiliorq. omni gladio ancipiti: cum de eodem Dei ſermone [b] ſit
B pariter dictum, quod miſſum non reuertatur inane, ſed perficiet opus, cuius cauſa proditum eſt.

[a] *Hebr. 4.*
[b] *Iſai. 55.*

Et quid mirum ſi Epiſcopum ſocordem ita redarguat, qui & nobiles quoſque eius inſulæ accolas vehementer [c] increpat, quod Barbaricinos in ſuis villis colonos habentes, paterentur eoſdem ligna & lapides adorare? Eadem ergo occaſione ordinari præcipit [d] Epiſcopum in Phauſiana, vbi diu ante eſſe deſierat; vt qui illic Gentiles eſſent, ab eo ad fidem conuerterentur. Quæ autem hæc ſecuta ſint, ex litteris eiuſdem Gregorij anno ſequenti datis ad Conſtantiam Auguſtam intelligi ſatis poteſt, nimirum eoſdem eſſe ad fidem conuerſos, ſed baptizatos licet, adhuc preſſos remanſiſſe penſitatione illa, quam ante ſoluere cogebantur ſi *voluiſſent* idola colere. Quod quidem indigno animo Gregorius ferens, eamdem Auguſtam, ne id fieret, vehementer admonuit [e].

[c] *Gregor. lib. 3. epiſt. 23. Indict. 12.*
[d] *Gregor. lib. 3. epiſt. 29. Indict. 12.*
[e] *Gregor. lib. 4. epiſt. 33. Indict. 13.*

C Porro eadem epiſtola de alijs Ianuariũ Gregorius monuit, vt de priuando Archidiacono peccato *carnis* inquinato, illud firmiter ſtatuens, vt qui poſt ſuſceptum ſacrum ordinem in carnis peccatum lapſus eſſet, numquam amplius ad altaris miniſterium admitteretur. Demum in fine epiſtolæ iſta habet conſideratione quidem haud leui digna: Peruenit quoque ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod presbyteros chriſmate tangere in fronte eos qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundum veterem vſum Eccleſiæ noſtræ fecimus.] anno enim ſuperiori de his ita ſcripſerat ad eumdẽ Ianuarium Gregorius [f]: Preſbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus chriſmate non præſumant: ſed preſbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Epiſcopi poſtea vngere debeant in fronte.] At vero quod grauiter iſta accepta audiſſet Gregorius, indulſit, vt & presbyteri, vbi deeſſent Epiſcopi, hoc facerent, cum ſubdit in data hoc anno epiſtola: Si omnino hac de re aliqui
D contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.] hæc Gregorius, in quem plerique oblatrant [g] tamquam errantem, ex his concluſionem illam elicientes prorſus inanem, poſſe etiam in ijs quæ ſunt fidei Romanos Pontifices errare: quod tam falſum eſt, quam quod aſſerunt, erraſſe Gregorium, minime verum.

[f] *Gregor. lib. 5. epiſt. 9. Indict. 12.*

PRESBYTERIS CONCESSVM CHRISMARE IN FRONTE.

[g] *Durand. in 4. d. 7. q. 4. Hndr. in quæſtion. de Confir. art. vlt.*

Cum enim in his quæ ſunt de eſſentia ſacramenti Romanum Pontificem mutare aliquid poſſe, minime conceſſum dicant; & illud affirment de eſſentia eſſe eius ſacramenti, vt ab Epiſcopo miniſtretur: ſicut primum eſt abſolute veriſſimum, ita poſterius falſum: licet enim id ſit proprium ac peculiare munus Epiſcopi, atque ſtatim vt creatus eſt Epiſcopus, illi inhæreat, vt ſemper eius miniſterio character imprimatur: tamen ex delegatione Summi Pontificis presbyter id efficiet erga illos tantum pro quibus eam pote-
E ſtatem accepit, ſecus in alijs: ſed & in eo præſtat Epiſcopus, quod conſignans non ſibi ſubditum, licet peccet, vim tamen ſuam, characterem imprimendo, collatum ſacramentum operatur. Vt autem retundamus eorum ſententiam, qui miniſterium Epiſcopale conſtituunt *eſſe* de eſſentia ſacramenti, accipe quid dicat ſanctus Hieronymus ſcribens aduerſus Luciferianos: Quod ſi, inquit, hoc loco quæris: Quare in Eccleſia baptizatus niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui? Diſce hanc obſeruationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit; & multis in locis idem factum reperitur ad honorem potius ſacerdotij, quam ad legis neceſſitatem.] Cum igitur dicat ſanctus Hieronymus, potius ad honorem quam ad neceſſitatem eam Epiſcopi in ſacramento Confirmationis functionẽ pertinere: intelligere potes non adeo eſſe de ſacramenti eſſentia, vt iubente Pontifice, non poſſit impleri per presbyterum. In quam ſententiam

DEFENDITVR S. GREGORIVS A CALVMNIA.

tiam definitum intelligas in sacrosanctis œcumenicis Concilijs Florentino ac Tridentino, nimirum, Confirmationis ordinarium ministrum esse Episcopum: ex quo possit intelligi, extraordinarie a Papa id posse committi (vt Gregorius fecit) presbytero, necessitate tamen vrgente, ne præter consuetum Ecclesiæ morem quid innouetur. A

DE MAXIMO SALONITANO INTRVSO.

Quod pertinet ad reliquas S. Gregorij res gestas cum Episcopis: hoc eodem quoque anno, cum in electione Maximi pseudoepiscopi Salonitani, quasi Imperatoris iussione prætensa, persisterent Dalmatiæ Episcopi, eumdemq. animo obstinato consecrassent: omnes a communione suspendit [a]. Extitit & seuerus censor in redarguendis Episcopis illis, qui non vt decet Episcopos viuerent: & inter alios Rauennatem Antistitem Ioannem corripuit, quem alias etiam antea corripuisse demonstratum est. Sed accipe, qualem esse velit Episcopum, dum quæ inesse in ipso nolit, ostendit [b]: Primum, inquit, me hoc contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit, & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua sæculariter ostendit. Deinde graue mihi est, quia irrisiones illas, quas habere notarij adhuc pueri solent, vsque hodie frater meus Ioannes in lingua sua retinet: mordaciter loquitur, & quasi de tali astutia lætatur: amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertio graue mihi & omnino execrabile est, quia seruis suis qua hora furit, turpia crimina imponit, vt effeminati & adhuc grauiter hoc apertius vocentur. Post hæc accesit, quod disciplina ad vitam clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodo se clericis suis dominum exhibet. Vltimum vero est, quod tamen pondere elationis primum est, scilicet de vsu pallij extra ecclesiam.] & paulo post: Et quidem omnipotenti Deo gratias ago: quia eo tempore quo ad me hoc peruenit, quod ad aures decessorum meorum numquam peruenerat, Longobardi inter me & Rauennatem ciuitatem positi fuerant. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse discretus.] hæc & alia, figens aculeum. Corrigens insuper lapsum Episcopum Saturninum post depositionem sacris se miscentem, vix vt inter laicos communicare possit indulget [c]. Monuit & Constantium Mediolanensem Episcopum de corrigendis clericis, quos nosset sibi subiectos. Redarguit Felicem Sirmij Episcopum, quod suo Metropolitano obedire despiceret [d]. Admonuit vero & Ioannem Episcopum Primæ Iustinianæ, & ad exactam curam pastoralem præstandam epistola [e] scripta reddidit vigilantem. B C

[a] Gregor. lib. 3. epist. 20. Ind. 12.

[b] Gregor. lib. 4. epist. 15. Indict. 13.

[c] Gregor. lib. 4. epist. 3. Ind. 13.

[d] Gregor. lib. 4. epist. 7. Ind. 13.

[e] Gregor. lib. 4. epist. 15. Ind. 13.

DE REBVS MONACHORVM BENE DISPONENDIS.

Monachos etiam sub regulari contineri disciplina laborauit: cuius rei gratia, ne laicorum consuetudine soluerentur, vetuit ne commatres facerent, neve mulieres accederent ad monasterium, deq. his scripsit ad Valentinum Abbatem [f]. Vetuit insuper, ne quis clericus, licet videretur probatæ vitæ, monasterijs præficeretur. de his sunt litteræ ad Ioannem Rauennatem Episcopum, vbi inter alia [g]: Nemo etenim potest & Ecclesiasticis obsequijs deseruire, & in monachica regula ordinate persistere; vt ipse monasterij districtionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere.] Redarguit hac ex causa Victorem [h] Panormitanum Episcopum, quod monialium curam despiciat, quam ipse Gregorius tam longe absens suscipere cogatur: nam inter alia: Cuius enim, inquit, iam culpa sit intelligis, vt ego tam longe positus, quæ in ciuitate tua aguntur agnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeant disponam.] Monuit & Episcopum Mediolanensem, ne Abbas ob culpam depositus [i] post pœnitentiam recipiat locum suum. Insuper moniales deserentes monasterium, & ad nuptias transeuntes, per Exarchum defensas, vehementer infectatus est [k]. D

[f] Gregor. lib. 1. epist. 40. Ind. 12.

[g] Gregor. lib. 4. epist. 1. Ind. 13.

[h] Gregor. lib. 4. epist. 4. Ind. 13.

[i] Gregor. lib. 4. epist. 17. Ind. 13.

[k] Gregor. lib. 4. epist. 12.

Vacantibus Ecclesijs optimos curauit eligi sacerdotes, curã interea illarum mandans haberi. Id præstitit Ecclesiæ Hortonensi [l], itidem Capuanæ [m], defuncto in Vrbe Festo Episcopo. Idem præstitit etiam Ecclesiæ Agrigentinæ [n], alteri ea commissa Episcopo, donec Gregorius eius Episcopus Romæ accusatus, & in Vrbem ab ipso Pontifice ad dicendam causam venire iussus [o], subiret Apostolicæ sedis iudicium. vocauerat antea accusatores eius, scribens ad Maximianum Episcopũ Syracusanum [p]. Extant Acta Gregorij Agrigentini Græce scripta; sed a Græco auctore dum ampliantur, fide minuuntur, cum multa addantur, quæ sint haud in omnibus tuta, in his præsertim quæ ad causam spectant, quam accusatus Romæ dixit. Etenim etsi re vera vir sanctus calumniam passus ab accusatoribus est, & Romam venire coactus: haud probantur quæ de Eleusio in ipsius absentia curatore eius Ecclesiæ ibi dicuntur: repugnant enim his ad Petrum Tracolitanum Episcopum datæ epistolæ, cum ei S. Gregorius commisit illius Ecclesiæ visitationem & curam. Sed & ridicula E

DE CAVSA GREG. EPISC. AGRIGENTINI.

[l] Gregor. lib. 3. epist. 39. Ind. 12.

[m] Gregor. lib. 4. epist. 9. Ind. 13.

[n] Gregor. lib. 4. epist. 11. Ind. 14.

[o] Gregor. lib. 1. epist. 70. Ind. 9.

[p] Gregor. lib. 2. epist. 12. Ind. 11.

A dicula ibidem & fabulosa esse probantur, quæ habentur de lignis Tiberis ripas hinc inde positas pertingentibus, & immobiliter inhærentibus. Illa præterea de eodem Gregorio Agrigentino misso ab eodem Gregorio Papa Constantinopolim ad Patriarcham, absque exemplo antiquo probantur asserta: repugnāt enim Ecclesiæ Romanæ consuetudini. Hæc & alia cum minus fide constantia reperiantur apposita ab impostore, in dubium reliqua reuocantur, quæ vera certaq. esse noscuntur, nempe ipsum Gregorium Agrigentinum vitæ sanctitate claruisse, & in Ecclesiasticis tabulis inter sanctos relatum esse, atque tum a Latinis tum a Græcis eius memoriam frequentari.

Qui igitur longe positarum Ecclesiarum quam exactissimam curam gessit, haud prætermisit ex more Vrbana curare, loca sancta perspicere, propensioremq. de illis solicitudinem gerere. Vt plane videas, ipsum in eo potissimum laborasse, vt qualis nomine dicere- LOCORVM SANCTORVM CVRAM AGIT.
B tur, opere in omnibus vigilantissimus inueniretur. hoc enim anno lustrans in Vrbe omnes quæ erant ecclesias, omnium curam gessit: & inter alias ecclesiam S. Agathæ in Suburra, de qua superius, ad Catholicum cultum iam redditam, bonis locupletare curauit, in integrum restitutam in ea quæ Gothorum temporibus possidebat. Insuper ecclesiam S. Pancratij extra portam Aureliam positam, a clericis derelictam, monachis tradidit, de his scribens ad Maurum Abbatem [a], quem *illi* præfecit. Sed & locorum venerabilium etiam longe positorum propensiorem curam gesit. Tunc accidit vt redargueret Ioannem Calaritanum Episcopum hospitalium curam negligentem, iubens [b] vt xenodochiorum diligentissimam curam gerant Episcopi, qui nonnisi religiosos homines, nempe clericos, qui non subiaceant sæcularium Iudicum potestati, illis præficiant. hæc de his quæ ad sacra loca tum Romæ tum *alibi* posita spectant.

[a] *Gregor. lib. 3. epist. 19. Ind. 12.*

[b] *Gregor. lib. 3. epist. 24. Ind. 12.*

C Sed ne Vrbs *ipsa* sacris in ea positis spoliaretur sanctorum reliquijs, solicitior fuit. Accidit namque, vt hoc eodem anno, cum Constantina Augusta in suo palatio ecclesiam *in memoriam* S. Pauli ædificasset, putarit eam cohonestandam eiusdem Apostoli sacris reliquijs: cuius rei gratia scripsit ad ipsum Gregorium Romanum Pontificem, vt Constantinopolim mitteret eiusdem Apostoli caput, siue partem aliquam eius corporis. Acceptis his ab Augusta litteris sanctus Pontifex, quod rem nimis grandem petijsset, negaturus omnino, redditis litteris, multipliciter sibi id minime licere excusat. Epistolam autem, quod multa scitu digna ad historiam pertinentia habeat, hic integram describendam duximus, quæ sic se habet [c]: AVGVSTAE CONSILIVM.

[c] *Gregor. lib. 3. epist. 30. Ind. 12.*

Serenitas vestræ pietatis, religionis studio & sanctitatis amore conspicua, propter eam quæ in honorem sancti Pauli Apostoli in palatio ædificatur ecclesiam, caput eiusdem CONSTANTINA AVG. PETIT CAPVT S. PAVLI APOST.
D sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius suis ad se iussionibus a me præcipit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me amplius potuissem gratiam prouocare: maior me mæstitia tenuit, quod illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli Apostolorū tantis in ecclesijs suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dū beatæ recordationis decessor meus, quia argentum quod supra sacratissimum corpus beati Petri Apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedum spatio, mutare voluit: signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Pauli Apostoli meliorare volui: & quia necesse erat, vt iuxta sepulchrum huiusmodi effodi altius debuisset: Præpositus loci ipsius ossa aliqua non quidem eidem se-
E pulchro coniuncta reperit: quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est.

Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus itidem ad corpus S. Laurentij martyris quædā meliorare desiderans, dum nescitur vbi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subito sepulchrum ipsius ignoranter apertum est; & ij qui præsentes erant atque laborabant monachi & mansionarij, quia corpus eiusdem martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt: ita vt nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctū iusti corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore: sed tantummodo in pixidę brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorum poni- REPOSSVM DAMNO FOSSORVM CORPVS S. LAVRENTII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ; quod leuatum, in ecclesia quæ est dicanda, debita cum veneratione recondi- A
tur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora defe-
rantur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus (sicut a ma-
ioribus traditur) dum quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent, prædictus Pon-
tifex hoc ipsum brandeum, allatis forficibus, inciderit, & ex ipsa incisione sanguis
effluxerit.

In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sa-
crilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit: quod si præsump-
rit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græ-
GRAECORVM ERGA SANCTORVM RELIQVIAS STVDIVM. corum consuetudine, qui ossa leuare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix
credimus. Nam quidam monachi Græci huc ante biennium venientes, nocturno si- B
lentio, iuxta ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo iacentia effodie-
bant, atque eorum ossa recondebant, seruantes sibi dum recederent. Qui cum depre-
hensi, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad
Græciam essent tamquam sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo (sicut
prædictum est) maior nobis dubietas nata est, vtrum verum sit, quod leuare veraciter
ossa sanctorum dicuntur.] Vides ex his, lector, quantus esset in Catholica Ecclesia Chri-
stianorum ardor, vt reliquias sanctorum habere possent. Pergit vero idem Gregorius,
veterem historiam referans:

De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet, quia
ORIENTALES CONATI REPETERE CORPORA APOSTOLORVM. eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut ciuium
suorum repeterent? quæ ducta vsque ad secundum Vrbis milliarium, in loco qui dici- C
tur ad Catacumbas collocata sunt: sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo con-
ueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit,
vt talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum
corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis quibus sunt condi-
ta posuerunt. Quis ergo nunc, serenissima domina, tam temerarius possit existere, vt hæc
sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum
igitur talia mihi a vobis præcepta sunt, de quibus parere nullatenus potuissem: quantum
inuenio, non vestrum est: sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare vo-
luerunt, vt mihi (quod absit) voluntatis vestræ gratiam subtraherent, & propterea quæ-
siuerunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens inuenirer. Sed in omnipotente Do-
mino confido, quia nullo modo benignissimæ voluntati surrepetur, & sanctorum Apo-
stolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, non ex corporali præsentia, sed D
ex protectione semper habebitis.

Sudarium vero, quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est; quod ita tan-
DE SVDARIO ET CATENIS S. PAVLI. gi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia serenissimæ dominæ tam reli-
giosum desiderium esse vacuum non debet, de catenis quas ipse sanctus Paulus Apostо-
lus in collo & in manibus gestauit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur,
partem aliquam vobis transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando præualue-
ro. Quia dum frequenter ex catenis eisdem multi venientes benedictionem petunt, vt
parum quid ex limatura accipiant, assistit sacerdos cum lima: & aliquibus petentibus,
ita concite aliquid de catenis ipsis excutitur, vt mora nulla sit: quibusdam vero peten-
tibus, diu per catenas ipsas ducitur lima, & tamen vt aliquid exinde exeat, non obtine-
tur.] hucusque Gregorij ad Augustam epistola, ita eius illiberalem petitionem prudenter E
eludentis. Fuisse autem hæc omnia tentata molitionibus Ioannis Episcopi Constantinopo-
litani, ostendetur inferius suo loco.

Eodem quoque anno Constantinopolim itidem ad Rusticianam Patriciam [a] litteras
a Gregor. lib. 3. epist. 44. Ind. 12. DE RVSTICIANA ET NVTRICE S. GREGORII. dedit, postquam e peregrinatione ad montem Sina reuersa erat. Meminit in fine de nutri-
ce sua Gregorius ibidem commorante, quam suo nomine salutari mandat. Ceterum
sunt plura huius anni monumenta charitatis Gregorij erga pauperes, impertientis il-
lis annuas pensitationes, vel dissoluentis eorum æs alienum contractum: quæ tu
consulas.

Agitur hoc anno Metis in Gallia Synodus, in qua in ordinem redigitur Aegidius Rhe-
SYNODVS METENSIS. mensis Episcopus, reus maiestatis conuictus. Rei gestæ seriem habet Gregorius Turonen-
sis

A sis anno decimoquinto Childeberti Regis, idemq. in fine subdit [a]: In hac Synodo Basina Chilperici Regis filia, quam supra cum Chrodielde a communione remotam diximus, coram Episcopis solo prostrata veniam petijt, promittens se cum charitate Abbatissæ monasterium ingredi, ac de regula nihil transcendere. Chrodieldis autem obtestata est, quod Leobouera Abbatissa in hoc monasterio commorante, ibidem numquam ingrederetur. Sed vtrisque Rex *Childebertus* veniam impertiri deprecatus est: & sic in communionem receptæ, Pictauos regredi iussæ sunt, scilicet vt Basina in monasterium (vt præfati sumus) regrederetur, Chrodieldis vero in villa, quæ quondam Vuaddonis superius memorati fuerat, sibi a Rege concessa resideret.] hæc de his Gregorius, subdens [b] & de vltione diuina in Chuldericum Saxonem, qui dux fuerat eorum qui iussu Chrodieldis inuaserant basilicam S. Hilarij: etenim noctu in conuiuio vino repletus, ab eo suffocatus, B mortuus in suo strato inuentus est.

[a] *Greg. Turon. lib. 10. c. 28.*

[b] *Greg. Turon. lib. 10. c. 22.*

Quomodo autem hoc eodem anno occasione Cycli Victoris a nonnullis erratum est in Paschatis diei celebratione, ista addit [c]; Dubietas Paschæ fuit ob hoc, quod in Cyclo Victor Luna decimaquinta Pascha scripsit fieri. Sed ne Christiani vt Iudæi sub hac Luna hæc solemnia celebrarent, addidit, Latini autem Luna vigesimasecunda. Ob hoc multi in Gallijs decimaquinta Luna celebrauerunt, nos autem vigesimasecunda. Inquisiuimus tamen studiose: sed fontes Hispaniæ, qui diuinitus implentur, in nostrum Pascha repleti sunt.] hæc Gregorius: sed de perenni miraculo de fontibus Hispaniæ anniuersaria die Paschatis impleri consuetis, superius pluribus dictum est.

[c] *Ibidem c. 23.*

ERRATVM IN PASCHATE.

Moritur hoc anno Gregorius Episcopus Antiochenus, de quo ista Euagrius [d]: Non longo tempore post Gregorius podagra correptus, qua maxime torquebatur, cum medi- C camentum ex Hermodactylo (sic enim vocatur) confectum, quod medicus quidam ei dedisset, ebibisset, exijt e vita. Moritur autem tempore, quo Gregorius, qui successerat Pelagio, Episcopatum antiquæ Romæ gessit, nouæ autem Ioannes, & Alexandriæ Eulogius, vt supra dixi, & Anastasius Antiochiæ, qui post vigintitres annos ad suam sedem restitutus fuisset, & Hierosolymorum Ioannes, qui paulo post obijt mortem, & nemo adhuc ad illius Episcopatus gubernacula capessenda designatus est.] hæc Euagrius, cui consentiunt sancti Gregorij Papæ litteræ [e]; ex quibus habetur, Anastasium restitutum in sedem Antiochenam sub Indictione decimatertia, quæ hoc anno incipit: dicemus de his anno sequenti suo loco. Sed quod post vigintitres tantum annos restitutum ipsum affirmat Euagrius, plane falsum reperitur, cum ipsius testificatione appareat a Iustiniano Imperatore vltimo anno sui Imperij Anastasio irrogatum fuisse exilium: est D is annus Domini quingentesimus sexagesimusquintus: a quo tempore si numeres annos, vndetriginta reperies. quamobrem illapsum errorem in numerum annorum ab Euagrio positum, eiusdem testificatione cognosces, sicut & in numerum annorum Imperatoris: nam subdit:

[d] *Euagr. lib. 6. c. 23.*

DE OBITV GREGORII EPISC. ANTIOCHENI.

[e] *Gregor. lib. 4. epist. 37.*

Hoc loco historiæ finem imponere animus est, anno scilicet duodecimo regni Mauritij Tiberij Imperatoris Romani.] etenim præsenti anno, quo absoluit historiam suam, annus expletur Mauritij nonus, & decimus inchoatur. Emendatum habes Euagrium apud Photium in Bibliotheca, vbi de Euagrio agens, ait ipsum suam produxisse historiam vsque ad annum decimum Mauritij Imperatoris. Sed ipsum Euagrium perorantem audiamus, cū sic ait: Res, quæ deinceps sequuntur, his quibus libitum fuerit narrandas, monumētisq. litterarum prodendas relinquere, animus est. Quod si quicquam a nobis vel omissum negli- E gentia, vel minus accurate expositum videatur: nemo nobis crimini det, illud secum cogitans, nos historiam dispersam dissipatamq. in vnum collegisse, quo vtilitati hominum, quorum gratia tantos & tam graues labores suscepimus, inseruiremus. Aliud præterea opus a nobis elaboratum est, quod relationes, epistolas, decreta, orationes, disputationes, & alias res nonnullas complectitur. Relationes autem, quæ in eo continentur, sunt maximam ad partem ex persona Gregorij Antiochiæ Episcopi factæ. Pro quibus duos honoris gradus consecuti sumus, Quæsturam a Tiberio Constantino, & munus Tabularum seruandarum, in quibus Præfectorum nomina inscribebantur, a Mauritio Tiberio, quo regnante eas relationes composuimus, idq. eo ipso tempore, quo Theodosium, qui tum ei, tum Reipublicæ principium felicitatis cuiusque generis dabat, in lucem edidit.] hucusque Euagrius ex Græcis primus eorum qui leguntur Orthodoxus historicus. Quisnam alius res gestas sub Mauritio prosecutus sit, habes ex Actis Nicæni poste-

EVAGRII HISTORIAE FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Concil. Nicæn.2.Act.4. LEONTIVS CYPRI HISTORICVS.

rioris Concilij[a]: nempe S. Leontium Constantiæ in Cypro Episcopum scripsisse tribula- A
tiones, quas his temporibus Dei Ecclesia passa est: sed hactenus incompertum nobis opus,
vel excidit, vel latet incognitum. Quod autem ad successorem Ioannis Hierosolymo-
rum Episcopi spectat: constat post ipsum sedere cœpisse Amos, ad quem extat S. Gregorij
Papæ epistola septima sub Indictione prima. Porro eius successionem ex sententia Eua-
grij in annum sequentem potius referendam putamus.

DE OBITV MAXIMIANI EPISCOPI SYRACVSANI.

[b] Gregor. lib.4. epist.19.Ind.13.

Hoc eodem anno Maximianus ille vir sanctissimus, Abbas olim monasterij S. Gregorij,
eiusq. pater & educator in monastica disciplina, ac postea ab ipso creatus Episcopus Sy-
racusanus (de quo superius sæpe) hoc inquam anno, mense Nouembri, ex hac luce mi-
grauit, luctum haud exiguum relinquens bonis, de quo ista Gregorius ad Cyprianum
diaconum[b]: Amarissimas tuæ dilectionis epistolas de domni Maximiani obitu mense No- B
uembris suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata peruenit: sed infelix populus Syra-
cusanæ ciuitatis lugendus est, qui pastorem talem diu habere non meruit.] & de eo-

[c] Gregor. lib.4. epist.47.Ind.13.

dem in epistola ad Syracusanos[c]: Hoc tamen sciat magnitudo vestra, quia ciuitati illi
quem dare possimus Maximiano reuerendissimo similem, non habemus.] adeo enim
eminens erat viri sanctitas, vt parem illi in Ecclesia Pontifex non inueniret. Subro-

[d] Gregor. lib.5. epist.18.Ind.14.

gatus est autem in locum Maximiani Ioannes, cui & pallium[d] more maiorum Grego-
rius ipse concesserit.

LONGOBARDI INVALESCVNT IN ROM. IMPERIVM.

[e] Paul. diac. lib.4.c.7. in noua edit. & in vet. 3.

SEquitur annus quingentesimus nonagesimusquintus Indictionis decimætertiæ, qui
extitit vniuersæ Italiæ calamitosus: cum Agilulphus Longobardorum Rex, rupta pa-
ce, ipso veris initio, cum exercitu, furore plenus, Romam versus parat aduentum. Vnde
autem acciderit, vt idem Rex talia aggressus sit, Paulus narrat his verbis[e]: Hac eadem
tempestate Romanus Patricius Exarchus Rauennæ Romam properauit: qui cum Rauen-
nam reuerteretur, recepit ciuitates quæ a Longobardis tenebantur, quarum ista sunt
nomina, Polimartium, Horta, Tudertum, Ameria, Perusium, Luceoli, & alias quasdam
ciuitates. Quod factum cum Regi Agilulpho nunciatum esset: statim Ticino egressus
cum valido exercitu Perusium petijt, ibiq. per dies aliquot Mauritionem ducem Longo-
bardorum, qui se Romanorum partibus tradiderat, obsedit, & captum sine mora vita pri- D
uauit. Huius Regis aduentu in tantum beatus Gregorius Papa exterritus est, vt ab expo-
sitione templi, de quo Ezechiel scripserat, desisteret, sicut ipse quoque in ipsis suis homi-
lijs refert. Rex autem Agilulphus, extincto Mauritione, Ticinum repedauit.] hucusque
Paulus, qui multa præterijsse ex sancti Gregorij litteris redarguitur, ex quibus perrexis-
se quoque in agrum Romanum eumdem Agilulphum apparet.

[f] Greg. præfat. in lib. 2. super Ezechielem.

*peteie GREGORIVS CONCIONATVR, ET EZECHIELEM INTERPRETATVR.

Scribebat hoc anno atque dicebat ad populum S. Gregorius homilias super Ezechie-
lem prophetam; iamq. decimamtertiam dicturus erat, cum ista præfatur[f]: Quia multis
curis prementibus, Ezechielis prophetæ librum coram charitate vestra totum per ordi-
nem perscrutari non licuit: bonis vestris desiderijs placuit parere*, vt saltem extrema
eius visio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est visionibus
eius obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestræ me parere necesse est. Sed E
duo sunt quæ hac in re perturbant animum meum. Vnum, quod hæc eadem visio tantæ
obscuritatis nebulis tegitur, vt vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud,
quod iam Agilulphum Longobardorum Regem, ad obsidionem nostram summopere fe-

*transmeasse

stinantem, Padum transisse* cognouimus. Vnde pensate, fratres carissimi, in caligino-
sis & mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera timoris sui perturbationibus
occupata, &c.]

Admiratione hæc profecto digna videntur, quod his hoc tempore vacare potuerit ipse
Gregorius obsidionem Vrbis expectans, & quod populus in summo discrimine ciuitatis
conciones ab eo tales exigeret, quas in summo otio vix intelligere posse daretur. Etenim
non solum (vt dictum est) ista Gregorius ipse scribebat, sed etiam coram vniuerso populo
pro concione dicebat, vt idem ipse in eiusdem expositionis præfatione libri primi testa-

tur,

A tur, cum ait, scribens ad Marinianum Episcopum: Homilias, quæ in beato Ezechiele propheta, vt coram populo loquebar, exceptæ sunt, multis curis irruentibus, in abolitione reliqueram.]

Admirati sunt hæc omnes qui sapiunt, vt sub oneroso fasce curæ totius orbis, & in tanto discrimine Vrbis potuerit Gregorius in his philosophari, & populum edocere: vt plane constiterit ipsum pro arbitrio pennis contemplationis potuisse sursum super astra leuari, atque deorsum ad populi descendere opportunitatem, illud Pauli [a] consecutus: Scio abundare, & scio penuriam pati:] & secundum illud Dauid [b]: cum poneret pro animi voluntate ascensiones in corde suo, rursum vero disponeret descensiones in valle lacrymarum. Admiratur inter alios ista sanctus Bernardus, dum ad Eugenium scribens hæc ait [c]: Non defuere Romani Pontifices, qui sibi otia inter maxima negotia
B inuenirent. Obsidio Vrbi & barbaricus ensis ciuium ceruicibus imminebat: Numquid tamen istud terruit beatum Papam Gregorium, quo minus sapientiam scriberet in otio? Eo nempe tempore (quod ex eius præfatione liquet) obscurissimam & extremam partem Ezechielis tam diligenter quam eleganter exposuit.] atque etiam homilias illas ad populum dixit.

GREGORIVS CONTEMPLATIONE ET ACTIONE PRAECIPVVS.

a Philip. 4.

b Psal. 83.

c Bernard. de consider. lib. 2. ad finem.

Sed & multo magis mirabitur, qui legerit quæ habet S. Hieronymus in epistola ad Marcellinum & Anapsychiam [d]: vbi ait, interpretationem in eumdem Ezechielem aggressum se, impeditum prosequi, quod audisset multas Occidentales prouincias & ipsam Vrbem vastari a Gothis: vt plane ostenderit, nonnisi tranquillissimi esse animi & ab omni penitus quamuis e longe etiam emergentis solicitudinis nebula liberi, in tam profunda mysteria ingredi. Sed audi, quæso, eius verba: Ezechielis volumen olim aggredi
C volui, & sponsionem creberrimam studiosis lectoribus reddere: sed in ipso dictandi exordio ita animus meus Occidentalium prouinciarum, & maxime vrbis Romanæ vastatione confusus est, vt iuxta vulgare prouerbium, proprium ignorarem vocabulum. Diu tacui, sciens tempus esse lacrymarum.] hæc ipse: ex quibus, inquam, magis admirare Gregorium. Si enim rumor tantum Occidentalium cladium a cœptis Hieronymum reuocauit in Oriente degentem, nullo pastorali onere prægrauatum, sed solum sacris litteris incumbentem: quantum putas fuisse Gregorium, qui inter ipsos gladios barbarorum, obstrepentibus tubarum clangoribus, pressus & oppressus totius orbis solicitudine pastorali, haud vegeto & sano corpore, sed languente morbis assiduis, aggreditur & prosequitur in eum prophetam interpretationem & conciones? Sed quid insuper? Cum idem sanctus Hieronymus (prout ipse eadem testatur epistola) iam iterum maiori otio
D eumdem prophetam esset aggressus interpretari, iamq. (vt ait) tres explicasset libros: barbarorum rursus irruptione attingentium limites Palæstinæ, a cœptis desistere iterum coactum se fuisse dicit, illud ad excusationem obtexens: Quod si, inquit, iuxta inclytum Oratorem, silent inter arma leges; quanto magis studia Scripturarum, quæ & librorum multitudine, & silentio, ac librariorum sedulitate, quodq. proprium est, securitate & otio dictantium indigent?] At vero Gregorius vix tunc a cœptis est violenter abstractus, vbi vallata Vrbe obsidione, vulnera ciuium, vincula, atque cædes est oculis contemplatus: cum enim concionari adhuc pergeret, & ad finem vigesimæ secundæ homiliæ peruenisset, ita ad populum perorauit:

d Hieron. epist. 92.

Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessauero: quia (sicut omnes cernitis) nostræ tribulationes excreuerunt, vndique gladijs circumfusi sumus, vndique
E imminens mortis periculum timemus. Alij detruncatis ad nos manibus redeunt, alij capti, alij interempti nunciantur. Iam cogor linguam ab expositione retinere: quia tædet [e] animam meam vitæ meæ. Iam nullus in me sacri eloquij studium requirat: quia versa est [f] in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Iam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat: quia dormitauit [g] anima mea præ tædio. Iam minus lectio animo dulcis est: quia oblitus sum [h] manducare panem meum a voce gemitus mei. Cui autem viuere non licet, de Scripturæ sacræ sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amara bibere, quando possum dulcia propinare? Quid igitur restat, nisi vt inter flagella, quæ ex nostris iniquitatibus patimur, cum lacrymis gratias agamus? Ipse etenim qui nos creauit, etiam pater factus est per adoptionis spiritum quem dedit: & aliquando filios pane nutrit, aliquando flagello corrigit: quia per dolores & munera ad hereditatem perpetuam erudit. Sit itaque gloria omnipotenti Domino, &c.]

FINEM IMPONIT CONCIONANDI S. GREGORIVS.

e Iob. 10.

f Iob. 30.

g Psal. 118.

h Psal. 101.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vidisti hominem in carne extra carnem positum, scientem quidem dolores, sed non A succumbentem illis, Angelum merito appellandum, & forte plusquam Angelum; dum illi absque aduersantibus malis (quod ipsorum naturæ est) laudes Deo persoluunt; iste vndique vallatus ærumnis, nihil præterea in gemitibus suis, quam Deo gratias agere, eiq. gloriam occinere didicit.

Sed antequam quæ de rebus Longobardorum anni huius sunt reliqua prosequamur, quæ vel de se ipso, vel de Vrbis miserando statu diuersis in locis dictarum homiliarum in Ezechielem ipse Gregorius tradat, instituto consentientia, hic describamus. Audi primum, quam exactissimus fuerit suorum morum custos: ex eis enim in quibus se deplorat incautum, senties ipsum in leuibus etiam cauendis sordibus vigilantissimum. Dum itaque verba illa interpretatur: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel] & status ac perfectionis eminentiam describit eorum qui præsunt alijs, hæc ait [a]: O quam dura mihi sunt ista B quæ loquor: quia memetipsum loquendo ferio, cuius neque lingua (vt dignum est) prædicationem tenet; neque in quantum tenere sufficit, vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis sæpe implicor, & ab exhortatione atque ædificatione proximorum torpens & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus & verbosus: mutus in necessarijs, verbosus in otiosis. Sed ecce sermo Dei de speculatoris vita compellit vt loquar. Tacere non possum, & tamen loquendo me ferire pertimesco. Dicam, dicam, vt verbi Dei gladius etiam per me ipsum ad configendum cor proximi transeat. Dicam, dicam, vt etiam contra me sermo Dei sonet per me. Ego reum me esse non abnego, torporem meum atque negligentiam video. Erit fortasse apud pium Iudicem impetratio veniæ ipsa cognitio culpæ.

[a] Gregor. in Ezech. hom. 11. DEPLORAT SVAS MISERIAS S. GREGORIVS.

Et quidem in monasterio positus valebam & ab otiosis linguam restringere, & in in- C tentione orationis pene continue mentem tenere. At postquam cordis humerum sarcinæ pastorali suppositi, colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur. Cogor namque modo Ecclesiarum, modo monasteriorum causas discutere: sæpe singulorum vitas actusq. pensare: modo quædam ciuium negotia sustinere: modo de irruentibus barbarorum gladijs gemere, & commisso gregi insidiantes lupos timere: modo rerum curam sumere, ne desint subsidia eis ipsis, quibus disciplinæ regula tenetur: modo raptores quosdam æquanimiter perpeti, modo eis sub studio seruatæ charitatis obuiare. Cum itaque ad tot & tanta cogitanda scissa & dilaniata mens ducitur; quando ad semetipsam redeat, vt totam se in prædicatione colligat, & a proferendi verbi ministerio non recedat? Quia autem necessitate loci sæpe viris sæcularibus iungor, nonnumquam mihi linguæ disciplinam relaxo: nam si in assiduo cen- D suræ meæ rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior, eosq. ad hoc quod appeto, numquam traho. Vnde fit vt eorum sæpe & otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cœperam inuitus: & vbi tædebat cadere, libet iacere. Quis ergo vel qualis speculator sum, qui non in monte operis sto, sed adhuc in valle infirmitatis iaceo? &c.]

Disce insuper ex ijsdem dictis ad populum homilijs, quanta idem polleret animi demissione, quam sancti Patres vocare consueuerunt humilitatem. Audi ipsum inferius, quibus acceptum ferat quicquid concionari soleret ad populum; dum quales comparare se debeant interpretes diuinæ Scripturæ, docet, sicq. ait [b]: Non enim hoc temeritate aggredior, E sed humilitate. Scio enim, quia plerumque multa in sacro eloquio, quæ solus intelligere non potui, coram fratribus meis positus intellexi. Ex quo intellectu & hoc quoque intelligere studui, vt scirem ex quorum mihi merito intellectus daretur: patet enim, quia hoc mihi pro illis datur, quibus mihi præsentibus datur. Ex qua re, largiente Deo, agitur vt sensus crescat, & elatio decrescat, dum propter vos disco quod inter vos doceo. Quia (verum fateor) plerumque vobiscum audio quod dico. Quicquid ergo in hoc propheta minus intellexero, meæ cæcitatis est: si quid intelligere apte potuero, ex diuino munere vestræ venerationis.] hæc ipse. Dicam libere, pluris apud me est eiusmodi coram populo facta professio, quam quæuis ab eo miracula edita.

[b] Gregor. in Ezech. hom. 14. ADMIRANDA S. GREGORII HVMILITAS.

Sed reuocemus orationem ad luctum: hic, inquam, reddamus quæ de miseranda Vrbis ac totius Italiæ facie ijsdem homilijs Gregorius coram audiente populo repræsentat: ait enim [c]: Quid est iam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Vbique luctus aspicimus, vbi-

[c] Gregor. in Ezech. hom. 18.

A vbique gemitus audimus. Destructæ vrbes, euersa sunt castra, depopulati agri, in soli- DE MISERANDO ITALIAE STATV.
tudinem terra redacta est: nullus in agris incola, pene nullus in vrbibus habitator remansit: & tamen ipsæ paruæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cælestis iustitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ. Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat, fratres mei? Si & talem adhuc mundum diligimus, non iam gaudia, sed vulnera amamus.] hæc generatim pro concione Gregorius, qui & mox de ipsa Vrbe subijcit ista miserrima:

Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma, VRBIS LVCTVOSVS STATVS.
conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione ciuium, impressione
hostium, frequentia ruinarum: ita vt in ea complerum esse videamus, quod contra vr-
B bem Samariam per hunc eumdem prophetam *Ezechielem* longe superius dicitur [a]: Po- *a Ezech.* 24.
ne ollam, pone inquam, & mitte in ea aquam, & congere frusta eius in ea. Et paulo post: Efferbuit coctio eius, & decocta sunt ossa illius in medio eius. Atque iterum: Congere ossa, quæ igne succendam, consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam, vt incalescat & liquefiat æs eius. Tunc enim nobis olla posita est, cum hæc est ciuitas constituta. Tunc in eam aqua missa est, & frusta eius congesta sunt, quando ad eam vndique populi confluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi feruescerent, & quasi frusta carnium in ipso suo feruore liquarentur. De qua bene dicitur: Efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa eius in medio *illius*. Quia prius quidem in ea vehementer incaluit actio gloriæ sæcularis, sed *postmodum* ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim poten-
C tes sæculi, *per carnes* vero populi designantur: quia sicut carnes portantur ossibus, ita *per potentes sæculi* infirmitas regitur populorum. Sed ecce iam de illa omnes huius *sæculi* potentes ablati sunt: ossa ergo excocta sunt. Ecce populi defecerunt: carnes eius liquefactæ sunt. Dicatur itaque: Congere ossa, quæ igni succendam: consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio eius, & ossa tabescent. Vbi enim Senatus? vbi iam populus? Contabuerunt ossa, consumptæ sunt carnes: omnis enim sæcularium dignitatum ordo extinctus est. Excocta est vniuersa compositio eius: & tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladij, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergo: Pone quoque eam super prunas vacuam. Quia enim Senatus deest, populus interijt; & tamen in paucis, qui sunt, dolores & gemitus quotidie multiplicantur: iam vacua ardet Roma.

D Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus, ipsa quoque destrui ædificia videmus? Vnde apte de ciuitate iam vacua subditur: Incalescat & liquefiat æs eius. Iam enim & ipsa olla consumitur, in qua prius & carnes & ossa consumebantur: quia postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Vbi autem sunt qui in eius aliquando gloria lætabantur? vbi eorum pompa? vbi superbia? vbi frequens & immoderatum gaudium? Impletum est in ea, quod contra destructam Niniuem per prophetam dicitur [b]: Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? An *b Nahum.* 3.
eius duces ac principes leones non erant, qui per diuersas mundi prouincias discurrentes, prædam sæuiendo & interficiendo rapiebant? Hic leonum catuli inueniebant pascua: quia pueri, adolescentes, iuuenes sæculares & sæcularium filij huc vndique concurrebant, cum proficere in hoc mundo voluissent. Sed iam ecce desolata, ecce contrita, ec-
E ce gemitibus oppressa est. Iam nemo ad eam currit, vt in hoc mundo proficiat: iam nullus potens & violentus remansit, qui opprimendo prædam diripiat. Dicamus ergo: Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? Contigit ei quod de Iudæa nouimus per prophetam dictum [c]: Dilata caluitium tuum sicut aquila. Caluitium quip- *c Mich.* 1.
pe hominis in solo capite fieri solet, caluitium vero aquilæ in toto corpore: quia cum valde senuerit, *plumæ* eius ac pennæ ex omnibus membris illius cadunt. Caluitium ergo suum sicut *aquila* dilatat: quia plumas perdidit, quæ populum amisit. Alarum quoque pennæ ceciderunt, cum quibus volare ad prædam consueuerat: quia omnes potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hæc autem quæ de Romanæ vrbis contritione dicimus, in cunctis facta mundi ciuitatibus scimus. Alia etenim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terræ hiatibus absorpta. Despiciamus ergo ex toto animo hoc præsens sæculum vel extinctum, &c.]

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed quam iusto Dei iudicio barbari sinerentur in Romanum Imperium prævalere, alibi idem S. Gregorius ad ipsam Constantinam Augustam scribens hoc anno, exemplis ingerit, cum quæ sub Romano Imperatore subditi paterentur, narrat his verbis [a]: Corsica, inquit, insula tanta nimietate exigentium, & grauamine premitur exactionum, vt ipsi qui in illa sunt, eadem quæ exiguntur, complere vix filios suos vendendo sufficiant. Vnde fit, vt derelicta pia Republica, possessores eiusdem insulæ ad nefandissimam Longobardorum gentem cogantur confugere. Quid enim grauius, quid crudelius a barbaris pati possunt, quam vt constricti atque compressi suos vendere filios compellantur? In Sicilia autem insula Stephanus quidam marinarum partium Chartularius tanta præiudicia, tantasq. oppressiones operari dicitur inuadendo loca singulorum, atque sine dictione causarum per possessiones ac domos titulos ponendo, vt si velim acta eius singula, quæ ad nos peruenerunt, dicere, magno volumine hæc explere non possim. Quæ omnia serenissima domina solerter aspiciat, & oppressorum gemitus compescat. Hæc enim ego ad pijssimas aures vestras peruenisse non suspicor: nam si peruenire potuissent, nuncusque minime permansissent. Quæ pijssimo domino apto sunt tempore suggerenda: vt ab anima sua, ab Imperio, atque a filijs suis tale hoc tantumq. facinus, peccatiq. pondus amoueat.

[a] *Gregor. lib. 4. epist. 33. Ind. 13.*

DIRA TYRANNIS EXERCETVR A PRAESIDIBVS PROVINCIARVM.

Qui scio quoniam dicturus est, quia nobis in Italiæ expensis transmittitur, quicquid de prædictis insulis aggregatur. Sed ego suggero ad hoc, vt etsi minus expensæ in Italia tribuantur, a suo tamen Imperio oppressorum lacrymas compescat. Nam & idcirco fortasse tantæ expensæ in hac terra minus ad vtilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur. Præcipiant ergo sereniſſimi domini, nil cum peccato colligi. Nam scio, quia etsi parum Reipublicæ attribuitur vtilitatibus, ex eo multum Respublica adiuuatur. Quod etsi fortasse contingat expensis minoribus minus adiuuari: melius est tamen temporaliter nos non viuere, quam vos ad æternam vitam obstaculum aliquod inuenire. Quæ enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt, perpendite, quando filios suos distrahunt, ne torqueantur? Qualiter autem miserendum sit filijs aliorum, hoc bene sciunt qui habent proprios. Vnde mihi hæc breuiter suggessisse sufficiat; ne si ea quæ in his partibus aguntur pietas vestra non cognosceret, me apud districtum Iudicem silentij mei culpa mulctaret.] hæc ad Imperatricem Gregorius.

NON GRAVANDI POPVLI ALIQVO PRAETEXTV BELLI.

Ex his videas, vnde fluxerit diuina vindicta post hæc in Mauritiũ atque eius filios immissa, de qua suo loco dicendum. Intelliges tunc, quanto damno non audiant Principes sacerdotes; quantoq. dispendio regni, filiorum, ac denique animæ, præter ius fasq. a populis sibi subiectis quouis prætextu necessitatis grauia tributa extorqueant. Peccabat & in eo summopere Mauritius Imp. quod superbientem in Romanam Ecclesiam Ioannem Constantinopolitanum Episcopum confouebat: cuius rei causa Dei iram in Imperium Romanum frequenti barbarorum immissione conuersam, idem Gregorius alibi alia occasione scribens ad ipsum Mauritium Imperatorem affirmat. Dum enim agit de superbia Ioannis Episcopi Constantinopolitani erigentis se titulo vniuersalitatis aduersus fratres & collegas aliarum sedium sacerdotes, ait hæc obseruatione dignissima [b]:

EX TYRANNIDE PRINCIP. BARBARI INVALESCVNT.

[b] *Gregor. lib. 4. epist. 32. Ind. 13.*

Quæ enim, serenissime domine, virtus humana, quodq. carnei robur brachij contra vestri Christianissimi culmen Imperij irreligiosas præsumeret manus erigere, si studeret concors sacerdotum mens Redemptorem suum lingua pro vobis, atque vt oportebat, meritis exorare? Aut quis ferocissimæ gentis gladius in necem fidelium tanta crudelitate grassaretur, nisi nostra vita, qui sacerdotes nominamur, & non sumus, a prauissimis grauaretur operibus? Sed dum nos competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata nostra barbaricis viribus sociamus, & culpa nostra hostium gladios exacuit, quæ Reipublicæ vires grauat.] hæc & alia ipse, ex obliquo feriens Imperatorem, qui non reprimeret Ioannis superbiam Ecclesiam perturbantem. Rursum vero in regios ministros malorum ingruentium culpam reijciens, hæc ad Sebastianum Episcopum de ijsdem [c]: Quæ enim, inquit, frater sanctissime, de amici vestri domini Romani (*Exarchus hic erat*) persona in hac terra patimur, loqui minime valemus. Breuiter tamen dico, quia eius in nos malitia gladios Longobardorum vicit: ita vt benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quam Reipublicæ Iudices, qui nos malitia sua, rapinis atque fallacijs in cogitatione consumunt.] hæc ipse.

[c] *Gregor. lib. 4. epist. 33. Ind. 13.*

Contra vero, quod antea & præsenti anno grassantibus Longobardis in omnes Italiæ

regio-

A regiones, Roma fuerit inacceſſa: præſtitit id vigilantia Romanorum Pontificum, qui præter iuges excubias in vigilijs, ieiunijs, & orationibus, addiderunt vt Eccleſiæ pecunijs redimerent vexationem, prout idem ipſe Gregorius hoc item anno ſcribens ad eamdem quæ ſupra Conſtantinam Auguſtam hæc poſt alia nonnulla habet[a]: Viginti autem iam & ſeptem annos ducimus, quod in hac Vrbe inter Longobardorũ gladios viuimus. Quibus quam multa hac ab Eccleſia quotidianis diebus erogantur, vt inter eos viuere poſſimus, ſuggerenda non ſunt. Sed breuiter indico, quia ſicut in Rauennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui cauſis ſuperuenientibus quotidianas expenſas faciat, ita & in hac Vrbe ex cauſis talibus eorum Sacellarius ego ſum. Et tamen hæc Eccleſia, quæ vno eodemq. tempore clericis, monaſterijs, pauperibus, populo, atque inſuper Longobardis tam multa indeſinenter expendit, ecce adhuc ex om-
B nium Eccleſiarum premitur afflictione, &c.]

GREG. PAPA QVANTA PRO SVIS.

a Gregor. lib. 4. epiſt. 34. Ind. 13.

Quod ad ea quæ dicta ſunt pertinet, putaui interdum in textu Gregorij, pro Sacellarium, legi debere, Saccellarium, quaſi a ſaccellis ſumptũ nomen: quod ſatis ipſe Gregorius docet, dum oſtendit Sacellarium fuiſſe Theſaurarium pecuniæ publicæ, cuius rei gratia oportuit ipſi creditos eſſe pecuniarũ ſacculos, ob idq. Saccellarium dictum eſſe. Huic meæ ſententiæ ſuffragatur idem Gregorius in epiſtola[b] ad Honoratum diaconum, vbi agens de ſolutione conſuetæ pecuniæ pro dignitate Conſulari adipiſcenda, ait: Magis ex ſe agat dilectio tua, quatenus oblatis in ſaccella conſuetudinibus, honores mereatur accipere.] vbi per ſaccella, certum eſt *intelligi* Principis pecuniarum capſam, & proinde per Saccellarium, Theſaurarium. *In quam* ſententiã & Iſidorus[c]: Fiſcus, inquit, ſaccus eſt publicus.] hinc accidit vt ſæpe per Saccellarium in cauſis criminalibus appellatum inuenias Fiſcalem
C procuratorem, vt in Actis S. Maximi martyris ſæpius inuenitur, vt ſuo loco dicetur.

SACCELLARII QVI SINT.

b Gregor. lib. 12. epiſt. 27. Ind. 7.

c Iſid. Origin. lib. 20. c. 9.

Reperiri etiam contingit eamdem vocem Sacellarij in Eccleſiaſticis miniſterijs apud Græcos (vt auctor eſt Curopalata) pro ijs qui curam gerunt monaſteriorum, tam virorum, quam mulierum. Itemq. habet Theodorus in Meditatis, idem eſſe nomen Oeconomi, Cuſtodis, Sacellarij, vel præfecti ſacellis. Apud Latinos ſi Saccellarius ſcribitur a ſaccellis, Theſaurarius Eccleſiæ intelligitur: ſi vero per ſimplicem c, Sacellarius a ſacello, qui ſcilicet ſacello præeſt, ſignificatur. Sed de his hactenus.

Reuertamur iam ad S. Gregorium, qui (vt dictum eſt) redimebat pretio ſalutem Vrbis in diſcrimine poſitæ, non quod diffideret viribus, ſed potius quod ægro animo ferret humanum ſanguinem bello fundi: ſatis namque ſibi virium fuiſſe, vt hoſtes internecione de-
D leret, ſi voluiſſet, ipſemet teſtatur: nam audi quæ habet, ſcribens ad Sabinianum diaconum[d]: Vnum eſt, inquit, quod breuiter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris: quia ſi ego ſeruus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miſcere formido.] hæc Gregorius: ex quibus æque intelligas, quantæ eſſent in ipſo Romano vno Pontifice vires: vt cognoſcas effuſam in Longobardos largitionem ex charitate Chriſtiana manaſſe.

VIRES ROMANORVM PONTIFICVM.

d Gregor. lib. 7. epiſt. 1. Ind. 1.

Verum quod ad mitigandos concitatos barbaricos animos quæque obſequia videri inutilia potuiſſent: quod ſolius Dei ſit opus, tumentes ſedare marinos in tẽpeſtate fluctus: re vera diuina potius opitulante gratia contigit, Vrbem fuiſſe Longobardis inacceſſam: de eadem enim idem agens, totum id tribuit non largitioni pecuniarum, ſed Petro Apoſtolo vigilanti ſuper cuſtodiam Vrbis: cum enim ad Ruſticianam Patriciam ſcribit, hæc ait[e]:
E Sin vero gladios Italiæ ac bella formidatis: ſolicite debetis aſpicere, quanta beati Petri Apoſtolorum principis in hac Vrbe protectio eſt, in qua ſine magnitudine populi & ſine adiutorijs militum tot annis inter gladios illæſi, Deo auctore, ſeruamur.] hæc ipſe.

e Gregor. lib. 7. epiſt. 23. Ind. 1.

Sed quantis adhuc præter hæc idem Gregorius hoc anno anguſtijs premeretur, audi ipſum ita ſcribentem ad Sebaſtianum Epiſcopum[f]: Vno, inquit, tempore curam Epiſcoporum, atque clericorum, monaſteriorum quoque, & populi gerere, contra hoſtium inſidias ſolicitum vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias ſuſpectum ſemper exiſtere; cuius laboris, cuius doloris ſit, veſtra fraternitas tanto verius penſet, quanto me, qui hæc patior, purius amat.] hæc idcirco Gregorius, quod expertus eſſet, quam infideles barbari in fide ſeruanda exiſterent, & quam verſipelles qui ab Imperatore in Italiam mitterentur Exarchi. Audi inſuper ipſum ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum ad finem epiſtolæ hoc item anno iſta ſcribentem[g]: Sub tantis tribulationibus circumfuſus, barba-

f Gregor. lib. 4. epiſt. 35. Ind. 13.

GREGORIVS QVIBVS PREMERETVR ANGVSTIIS.

g Gregor. lib. 4. epiſt. 38. Ind. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

barbarorũ gladijs premor, vt non dico multa tractare, sed mihi respirare vix liceat.] Inter A hæc igitur tot discrimina Gregorius constitutus, nihil sibi tutius suisq. rebus putauit securius accidere posse, quam curare si cum Agilulpho Rege Longobardorum componere pacem posset: cuius rei perficiendæ gratia, hæc ad Seuerum Scholasticum Exarchi scripsit [a]:

a Gregor. lib. 4. epist. 29. Ind. 13.

GREG. DE PACE AGIT CVM LONGOBARD.

Qui assistunt Iudicibus, & sinceris erga eos dilectionibus obstringuntur, illa eis suadere debent atque suggerere, quæ & animã saluent, & opinioni non derogent. Proinde quoniam nouimus, quanta fidei sinceritate excellentissimum Exarchum diligatis: idcirco magnitudini vestræ, quæ acta sunt, indicare curauimus: vt hæc cognoscentes, ad consentiendum eum rationabiliter prouocetis. Scitote autem, quia Agilulphus Longobardorum Rex generalem pacem facere non recusat, si tamen ei dominus Patricius iudicium esse voluerit. Nam multa sibi in locis suis intra pacis terminum queritur esse commissa. Et quoniam sibi, si ratio iudicantium inuenerit, satisfieri postulat, & ipse quoque se satisfacturum B modis omnibus pollicetur, si quid a partibus suis constiterit in pace esse commissum.

Quia ergo rationi non ambigitur conuenire quod petit, oportet esse iudicium, vt si qua ab vtraque parte male facta sunt, componantur: dummodo generalis pax fiat, atque Deo valeat protegente firmari: nam qualiter sit nobis omnibus necessaria, bene nostis. Sapienter itaque, sicut consuecuistis, agite, vt excellentissimus Exarchus ad hoc sine mora debeat consentire; ne per eum pax renui, quod non expedit, videatur. Si enim consentire noluerit, nobiscum quidem specialem pacem facere repromittit: sed scimus quia & diuersæ insulæ & loca sunt alia proculdubio peritura. Hæc autem consideret, & pacem habere festinet: quatenus in hac saltem dilatione & nos quietem possimus habere ad modicum, & Reipublicæ resistendi vires, adiuuante Domino, melius reparentur.] hucusque de pace Gregorius, cui ista de Agilulpho promittenti minime ab C Imperatore credita sunt. Delata enim cum hæc fuissent ab Exarcho ad ipsum Mauritium Imperatorem, sicut ille, ita & ipse sanctum Gregorium vt simplicem nimis derisit, quod facile adeo crederet Regi Longobardorum; datisq. ad eum litteris haud Summo Pontifice dignis, de pluribus conquestus est, nulla summi sacerdotij habita ratione: non extant illæ quidem, sed quales fuerint, ex redditis a S. Gregorio ad eum litteris facile potest intelligi: sic enim istæ se habent [b]:

b Gregor. lib. 4. epist. 31. Ind. 13.

DERIDETVR GREG. AB IMP. MAVRITIO.

In serenissimis iussionibus suis dominorum pietas dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minime pepercit. Nam in eis vrbane simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In scriptura etenim sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, vigilanti sæpe prudentiæ atque rectitudini sociatur.] Et post nonnulla in eam sententiam allegata, ad causam descendit, hæc subdens: Ego igitur, qui in serenissimorum domi- D norum iussionibus ab Arnulphi astutia deceptus, non adiuncta prudentia simplex denuncior, constat proculdubio, quia fatuus appellor: quod ita esse, ego quoque ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceat, causæ clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda, quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minime venissem. In ea autem re quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit: dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed etsi sacerdos non sum: scio grauem esse hanc iniuriam sacerdoti, vt veritati seruiens, fallax credatur. Et dudum noui, quoniam Arnulpho plus est creditum, quam mihi; Leoni amplius est creditum, quam mihi: & nunc eis qui esse ad medium videntur, plus quam meis assertionibus credulitas impenditur.

Et quidem si terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excresceret, de de- E

MAGNO DAMNO ITALIAE GREG. PAPAE NON CREDITVR.

spectione mea atque irrisione lætus tacerem. Sed & hoc me vehementer affligit: quia ego vnde crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorum iugo captiua: dumq. meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen pijssimo domino suggero, vt de me mala omnia quælibet existimet, de vtilitate vero Reipublicæ & causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facile pias aures præbeat, sed plus rebus quam verbis credat.] His subijcit de honore cultuq. quo debeant omnes ex præscripto legis diuinæ venerari sacerdotes, exemplumq. ingerit Constantini Magni, & in maius opprobrium Gentiles etiam in medium adducit, quanta illi veneratione prosecuti fuerint sacerdotes. Demum vero: Hæc ergo, inquit, pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccator sum: & quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi

apud

A apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo, quia eumdem omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei male seruientem districtius affligitis.

Multas enim iam plagas acceperam, & superuenientibus dominorum iussionibus inueni consolationes, quas non sperabam. Si enim possum, has celeriter plagas enume- QVANTA PAS-
ro. Primum, quod mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Tuscia positis sine SVS GREGOR.
vllo Reipublicæ dispendio feceram. Deinde corrupta pace, de Romana ciuitate milites ablati sunt, & quidem alij ab hostibus occisi, alij vero Narnijs & Perusij positi: & vt Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga grauior fuit aduentus Agilulphi, ita vt oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciã ducebantur venales. Et quia nos qui intra ciuitatẽ fuimus, Deo protegente, manus eius euaB simus: quæsitum est vnde culpabiles esse videremur, videlicet, cur frumenta defuerint, quæ in hac vrbe diu multa seruari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicaui.

Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum: quia (teste conscientia fateor) ad- DE GREG. VRB.
uersa quælibet pati paratus sum, dummodo hæc omnia cum salute dumtaxat meæ ani- PRAEF. ET CA-
mæ euadam. Sed de glorioſis viris Gregorio Præfecto & Castorio Magistro militum STORIO MAG.
non mediocriter sum afflictus: qui & omnia quæ potuerunt fieri, nullo modo facere ne- MILIT.
glexerunt, & labores vigiliarum & custodiæ ciuitatis in eadem obsessione vehementissimos pertulerunt, & post hæc omnia graui dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo, quia eos non sua acta, sed mea persona grauat: cum qua, quia pariter in tribulatione laborauerant, post laborem pariter tribulantur. Quod autem dominorum pietas illud mihi pauendum & terribile omnipotentis Dei iudicium
C intentat, rogo per eumdem omnipotentem Dominum, ne hoc vlterius quidem faciat: nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit.]

Vidisti, lector, quanta petulantia litteris insultauerit Mauritius Imperator in S. Gregorium? Sed dedit postea pœnam temeritatis satis ampla & conferta mensura, ceteris factus MAVRITIVS
exemplum, quam humiliter, quamq. modeste, placide ac reuerenter gerere se debeant SVO MAGNO
Principes cum sacerdotibus, maxime vero cum supremo Romanæ sedis Antistite. sed de DAMNO GREG.
his suo loco dicendum. Intellexisti pariter, non spiritualibus tantum rebus, sed & publi- AFFLIXIT.
cis Reipublicæ curis incubuisse Gregorium, ipsamq. Vrbem non sacerdotali tantum, sed & regali administrasse regimine: licet illic Præfecti essent Vrbani, necnon milites ab Imperatore ibidem collocati.

In his positus angustijs sanctus Gregorius, præter instantem solicitudinem om-
D nium Ecclesiarum (secundum illud Apostoli, tentatus supra modum, ita vt tæderet GREGOR. CV-
ipsum viuere) si quos nouit Dei intimos seruos, eos rogauit, vt precibus a Deo expeterent, PIT DISSOL-
vt a vinculis vitæ huius citius solueretur: scribens enim hoc anno ad Eliam Abbatem VI, ET ESSE
Isauriæ, hæc ad finem habet [a]: Per omnipotentem Dominum rogo, vt assiduas preces pro CVM CHRI-
nobis faciatis: quatenus de peccatis, in quibus obligatus teneor, & tribulationibus quibus premor, citius absoluar, & patriæ cælestis gaudijs perfruar.] Et ad Sebastianum Epi- *a Gregor. lib. 4. epist. 29. Ind. 13.*
scopum eadem ferme verba, quibus addit [b]: Quamuis enim inæstimabilis sit cælestis patriæ dulcedo, quæ trahat: multi tamen in hac vita dolores sunt, qui ad amorem cælestium quotidie impellant: qui mihi in hoc ipso solum vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt.] hæc ipse. *b Gregor. lib. 4. epist. 31.*

Sed aliæ maiores eum pressérunt angustiæ. Nam quo magis ipsum despectui habitum
E sciret ab Imperatore Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, eo arrogantius in ipsum IO. EPISC. CON-
Gregorium Romanum Pontificem insurrexit, eidemq. aduersari obstinatius cœpit, cum STANTINOP.
solita temeritate prosequitur insolentius quod cœperat aduersus Apostolicam sedem se IN GREG. IN-
Vniuersalem Pontificem nominare: aliàs enim tempore prædecessoris ipsius S. Gregorij (Pelagij inquam) eadẽ contentio fuerat agitata; sed repressus, numquam tamen videri potuit quieuisse: nam nec per Apocrisarios monitus cessauit aliquãdo: cuius rei causa fuit ipsi S. Gregorio haud segniter laborandum, atque insudandum vehementius isto tempore, quo ipse Imperator in odium ipsius videri poterat patrociniũ eiusdem suscepisse Ioannis: cum Gregorius contra repugnans, hoc ipso anno vehementius conatus est, si ad meliorem frugem reducere posset hominem fastu tumidum, illum imitantem apostatam Angelum, qui se extulit contra Deum. Qui eum vt vinceret, imitatus est Dei Filium, qui cum Satana non in sua maiestate, sed in nostra est congressus humilitate: sicq. sanctus Gregorius pugnans

gnans contra Ioannem, non egit ipsa summa qua pollebat Apostolica auctoritate, sed A
Christiana humilitate, se deprimens, vt iacentē erigeret, ac deorsum humilians, vt lapsum
in profundum sursum subleuaret, qui se extollendo ceciderat. Extant de his hoc anno
GREG. SCRIPTIS AGIT CONTRA IO. EPISC. CONSTANTINOP. datæ complures ad diuersos eiusdem Gregorij Papæ eodem argumento litteræ, quibus
videas eiusmodi quod diximus suscepisse certandi genus, atque in primis cum ad ipsum
Ioannem Constantinopolitanū litteras dedit, quibus primo cum ipso egit ex sancti Euan-
a Matth. 18. gelij præscripto admonitione canonica, iuxta illud [a]: Si peccauerit in te frater tuus, vade
b Gregor. lib. 4. epist. 38. Ind. 13. & corripe eum inter te & ipsum solum, &c.] nam ait ad finem epistolæ [b]: Nos quidem, in
quos talis tantaq. per ausum nefarium culpa committitur, seruamus quod Veritas præce-
pit, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, &c.] ac paulo post: Ego itaque per Respon-
les meos semel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere stu-
dui: nunc per me ipsum scribo. Quicquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in B
mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeam adhibere. Hæc itaque dicens,
omnipotens Deus fraternitati vestræ indicet, quanto circa vos amore constringor, quan-
tumq. in hac causa non contra vos, sed pro vobis lugeo.] hæc Gregorius Christiana
exæstuans charitate.

In hac autem controuersia vt cuncta quam exactissime explicentur, eadem summatim
CONSTANTINOPOLITANI PRAESVLES SVAE CONDITIONIS IMPATIENTES. sunt ab origine deducenda, breuiq. compendio hic repetenda, quæ superioribus tomis
in medium sunt allata. Prurigo quædam humanæ gloriæ diu complures Episcopos eius se-
dis exagitauit, ne alicui Orientalium sedium esset Ecclesia Constantinopolitana subiecta.
Etenim (vt suo loco est demonstratū) Alexandrinus Episcopus, cum totius sibi vendicaret
præfecturam Orientis, electionem quoque Constantinopolitani Episcopi vt iure sibi debi-
tam studuit arrogare a temporibus Theodosij Imp. cum Ecclesiæ illi præesset S. Gregorius C
Nazianzenus, ac Timotheus regeret Ecclesiam Alexandrinam. Resilientes vero Constan-
tinopolitani Episcopi, illud amplius post hæc sunt conati, vt ipsa Ecclesia Constantinopo-
litana non solum alicui Orientalium sedium non subijceretur, sed ipsa præstaret ceteris,
primaq. post Romanam esset: fauoreq. adnitentes Imperatorum, id consequi studuerunt;
perficereq. conatus est id Anatolius Constantinopolitanus Episcopus in Magno Chalce-
donensi Concilio, edito ea de re furtiue (vt vidimus) canone. Sed reluctatus est S. Leo
Papa, abolens cuncta quæ de prærogatiua eius sedis in dicto Concilio statuta fuissent.

Acacius vero eiusdem sedis Episcopus, eius rei causa confians schisma, fauore quoque
ARTES SVBDOLAE QVAERENDI PRIMATVS. hæreticorum Imperatorum id sibi sumere conatus est: cum Romani Pontifices aduersantes
Felix & Gelasius in primis eidem restiterunt. Ad hæc additum, vt Ioannes iste Ieiunator
non tantum Patriarchæ nomen sibi arrogaret, sed & addiderit nomen Oecumenici, hoc D
est, Vniuersalis Episcopi. Hæc quidem factiosi hactenus conati sunt: qui, sicut Impe-
ratores Constantinopolitani vniuerso Romano Imperio dominabantur, ita ipsi spirituali
præfectura nomine tenus saltem vniuersæ præesse Ecclesiæ, nouo adinuento nomine, vi-
deri voluerunt.

Quod vero inter alia excellere Romam principum Apostolorum pignoribus probe sci-
DE CAPITE S. PAVLI CONSILIVM IOANNIS. ret iste Ioannes; per Augustam, alterius eorum, nempe Pauli caput sibi studuit vendica-
re: quo tanto accepto pignore (quoquo modo captato prætextu) Ecclesia Constanti-
nopolitana, æmula gloriæ Romanorum, gloriaretur Apostolo Paulo, sicut Petro Roma.
Suadebat hæc innata Græcis de Latinorum gloria æmulatio: sed inanè quidem consi-
lium, cum nequaquam cum reliquijs Apostolorum transferatur sedis dignitas & auctori-
tas. At restitit (vt vidimus) his nihilominus sanctus Gregorius, negans fieri posse, vt E
vel leue quid de Apostoli Pauli corpore amoueretur. Porro Augustam ipsam Constan-
tinam excitatam fuisse ab æmulis Gregorij, palam ipse profitetur illis verbis ad eam scri-
c Gregor. lib. 3. epist. 30. Ind. 12. in fin. ptis [c]: Quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, vt mihi (quod
absit) voluntatis vestræ gratiam subtraherent: & propterea quæsiuerunt capitulum, de
quo vobis quasi inobediens inuenirer.] Tales ergo fuerunt Ioannis conatus, nimirum, vt
vel obtineret quod optaret; vel si minus, ipsum Gregorium Augustæ redderet perinfen-
sum: quos inanes penitus reddidit ipse Pontifex.

QVAE NOMINA PRAEFECTVRARVM IN ECCLESIA RECEPTA. Gregorius igitur, sicut & ipsius prædecessor Pelagius, execratus est arrogans illud no-
men nouum: nullus enim hactenus Orientalium Patriarcharum, neque Alexandrinus ipse,
licet totius Orientis spiritualem præfecturā sibi vendicaret, eo vsus est nomine, quod nec
cogitasse quidem reperitur. Erant in Ecclesia Dei eiusmodi spiritualiū præfecturarum ista

vsu

A vsu recepta nomina, Episcopus, Archiepiscopus, Metropolitanus, Primas, & Patriarcha. Qui igitur Constantinopolitanæ Ecclesiæ olim tantummodo dicebatur Episcopus, ipseq. (vt dictum est superius) sub Heracleæ metropoli constitutus, non acquieuit Archiepiscopus dici, nec simpliciter Patriarcha, sed addito nomine Oecumenici, Patriarcha Oecumenicus voluit nominari, quam vocem etiam in potentiori acciperet significatione. nam audi Gregorium ad eum ista scribentem [a]:

a Gregor. lib. 4. epist. 38. Ind. 13.

Quid ergo, frater carissime, in illo terribili examine venientis Iudicis dicturus es, qui non solum pater, sed etiam generalis pater in mundo vocari appetis?] hæc ipse, qui quod ait, Generalis pater in mundo vocari appetis] plane ad Græcum nomen allusisse visus est: etenim Græci, οἰκουμενικὸν, dicunt ἀπὸ τῆς οἰκουμένης, quod est, orbis terrarū: sicq. Pater siue Patriarcha Oecumenicus, idem dici videatur, ac Patriarcha orbis terrarum. Vnde &

B patet accepisse Gregorium nomen Vniuersalis pro singulari & vno solo, præter quem nemo sit: nam ad ipsum Ioannem [b]: Nullus vmquam, inquit, tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.] habet eadem in epistola ad Mauritium Augustum his verbis [c]: Certe pro beati Petri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est: sed nullus eorum vmquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti consensit: ne, dum priuatum aliquid datur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi.] qua etiam significatione dicitur Ecclesia vniuersalis vna toto orbe diffusa, extra quam nulla esse potest Ecclesia. Sic igitur habes, quod nomen Vniuersalis respuit Romanus Pontifex oblatum a Synodo Chalcedonensi, quia noluerit eo sensu dici Pater totius

C mundi ipse Romanus Episcopus, cui reliqui omnes subessent vt filij, & non vt fratres & in administratione collegæ: Christumq. tantum eo sensu S. Gregorius dicit vniuersale caput Ecclesiæ in epistola [d] ad omnes Episcopos de priuilegio collato monasterio S. Medardi.

b Idem eadem epist.

QVID NAM VNIVERSALIS NOMEN SIGNIFICET.

c Gregor. lib. 4. epist. 32. Ind. 13.

d Greg. lib. 12. epist. 32. vet. edit.

ALIA VNIVERSALITAS IN ECCLESIA.

Alia vero est eiusdem nominis significatio, qua dicitur Vniuersale, hoc est, quod remanentibus partibus integris, ipsum ceteris supereminet: qua ratione vetuit inter Patriarchas dici aliquem Oecumenicum, de Orientalibus intelligens, quod nequaquam alterum alteri voluit esse subiectum. Quo sensu sæpe reperiri certum est Romanum Pontificem esse dictum Vniuersalem Episcopum absque aliquo fastu, cum eo nomine id quod est, exprimatur, nempe quod ipsi cura pastoralis vniuersi gregis totius orbis superimmineat. nam ipse Gregorius in eadem epistola de priuilegio concesso S. Medardi monasterio: Hæc, inquit, sedes Romana speculationem suam toto orbi indicit, & nouas constiD turiones omnibus mittit.] qua etiam significatione eamdem Ecclesiam dominam gentium appellat [e]. Porro cum ipse testetur in epistola ad Ioannem & alibi, S. Petrum esse primum membrum vniuersalis Ecclesiæ, reliquos vero Apostolos singularium plebium capita, seq. Petri esse successorem æque profiteatur: nonne se vniuersalis Ecclesiæ vniuersalem pastorem esse confirmat? sicut & Ioannes Episcopus Rauennas agnouit, vbi in epistola ad ipsum reddita ait: Quibus ausibus ego sanctissimæ illi sedi, quæ vniuersali Ecclesiæ iura sua transmittit, præsumpserim obuiare? &c.]

e Greg. in Psal. pœnit. 5.

GREGORIVS SE VNIVERSALEM EXHIBET.

Quod rursum ad Gregorium ipsum spectat: An non opere sæpe ostendit se esse totius orbis Episcopū? Quis annus est eius Pontificatus, quo non appareat ipsum vniuersalis Ecclesiæ habenas regere, Orientalibus & Occidentalibus Episcopis iura dare, omnes audire, & omnes itidem iudicare, appellationes ab orbe vniuerso recipere, Concilia cognoscere, probare, vel reijcere, dare pallia Metropolitanis Episcopis, atque Ecclesijs priuilegia

E impartiri? Et ne recedamus ab hoc anno, idem ipse dat pallium Episcopo [f] Corinthiorum, itemq. Episcopo [g] Nicopolitano. prætermittimus de Occidentalibus dicere. At nonne & ipse Ioannes Constantinopolitanus subditum se cognouit Romano Pontifici, cum ab eo adeo seuere redargutus est in causa Ioannis presbyteri, de qua extat epistola Gregorij ad ipsum data [h], cuius causæ Acta Romam discutienda misit? An non paruit ipse Ioannes? Vtique paruit, minas Gregorij timens per Sabinianum Apocrisarium Constantinopoli degentem illatas, cum & Acta ipsa iudicij Romam misit, quo appellatio antea delata cucurrisset. Sunt & alia de his exempla.

f Gregor. lib. 4. epist. 33. Ind. 14.

g Gregor. lib. 4. epist. 7. Ind. 14.

h Gregor. lib. 2. epist. 52. Ind. 11. & epist. 64. ad Narsetem.

Hoc enim anno idē Gregorius Græcorū Ecclesijs vt vniuersalis pastor inuigilās, ad Ioannem Corinthi Episcopum scribens [i], probauit depositionē Episcopi Anastasij. Dedit & alias litteras ad eumdem de exacta adhibenda cura pastorali, præcipue admonens, ne pro ordi-

i Gregor. lib. 4. epist. 30. Ind. 13.

[a] Gregor. lib. 4. epis. 16. Ind. 13. GREG. CVRA PRO VNIVERSALI ECCL.

nationibus quid accipiat. Eodē quoque argumento dedit litteras [a] ad vniuersos Episcopos A per Helladiā prouinciam constitutos. Id ipsum præstitit scribens ad Epiri Episcopos, cum palliū mittit ad ipsorum Metropolitanum Andreā ordinatum Episcopum Nicopolitanum, monens eos, vt omnino caueant, ne quid pro ordinatione facienda accipiant, Sed & quo alio iure alienos clericos Romæ ordinatos retineret, nisi vniuersalitatis? Est de his epistola [b] ad Eliam Abbatem Isauriæ. Sic vides Gregorium, cum refugit dici Vniuersalis, vniuersalis tamen Ecclesiæ curā subire. Nam quod obseruandum præcipit in Oriente, in Occidente etiam ab Ecclesijs Galliarū æque seruari mandat, scribens in primis ad Virgilium Arelatensem Episcopum [c], cui & petenti pallium mittit; quem monet de cauenda in ordinationibus simonia, & ne quis ex laico mox creetur Episcopus. Eadem quoque ad vniuersos Galliarum Episcopos scribens [d] admonuit, vtq. pareant Virgilio, de quo hæc ait; Secundum antiquam consuetudinem fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo B vices nostras tribuimus, &c.] Ita quidem ex his & alijs pluribus hoc anno a Gregorio datis epistolis, ipsum vniuersalis Ecclesiæ curam gessisse, vbique reperies.

[b] Gregor. lib. 4. epis. 30. Ind. 13.

[c] Gregor. lib. 4. epis. 31. Ind. 13.

[d] Gregor. lib. 4. epist. 32.

[e] Ioan. 8.

[f] Iob. 41.

Sed quid post hæc ipse Ioannes? Vtique fecit, quod pater eius, de quo Dominus [e]: Vos estis ex patre diabolo.] & quod princeps ipsius, de quo scriptum est [f]: Ipse enim est Rex super omnes filios superbiæ.] nempe quod sicut ille inuitus, velit, nolit, Deo pareat necesse est imperanti, licet blasphemare soleat, dum obedit: ita & iste coactus paret Gregorio iubenti; atque Acta illa transmittens, blasphemat, dum subscribens ipsis, se

[g] Gregor. lib. 4. epis. 39. Ind. 13.

nominat Vniuersalem. Nam audi quæ de his habeat idem Gregorius hoc anno [g] scribens ad Sabinianum diaconum (ita legendum, & non Anianum) Apocrisarium Constantinopoli agentem, non eius Ecclesiæ diaconum, vt ex epistolæ ipsius contextu facile assequi licet;

Ad hoc enim, inquit, vsque peruenit, vt sub occasione Ioannis presbyteri gesta C huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum οἰκουμενικὸν Patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisim illius superna maiestas soluet.] Et quidem haud frustra sperauit: cito enim (vt suo loco dicemus) ex hac vita sublatus est, quem potius optasset emendatum diutius fuisse in hac vita superstitem.

VETAT SABINIANVM COMMVNICARE CVM IOANNE.

Ad postremum autem Sabinianum diaconum Apocrisarium admonet, ne vllo modo cum illo communicet, ne eius videretur fauere superbiæ: vt vel hoc modo illo confusione perfusus, corrigeret quod peccasset. nam in dicta epistola ad eumdem Sabinianum data habet ista in fine: Sicut tibi iam transactis epistolis scripsi, numquam cum eo procedere præsumas.] Vidisti igitur, quomodo vniuersalis Ecclesiæ Episcopi munus Gregorius implerit vbique, cum in eum qui se dicebat Vniuersalem, iura dicit. Sed hæc ipsius præfectura in totius orbis Ecclesias passim in eius epistolis ostenditur. Iam vero ad ea quæ D ad historiam pertinent redeamus.

IOAN. QVA OCCASIONE PROVOCAVERIT S. GREGOR.

Audisti occasionem, cur Gregorius, qui aberrantem Ioannem summa tolerauerat patientia, hoc potissimum anno excitatus in ipsum, plures aduersus eum litteras scripsit. Porro fraudulentus ille dolos annexuit dolis: etenim egit cum Mauritio Imperatore, vt ad ipsum Gregorium litteras daret, quibus eum rogaret vt pacē cum ipso haberet; id faciens, vt hac via concitaret Imperatorem, cui non pariturum Gregorium sciret. Sed audi

[h] Gregor. lib. 4. epis. 39. Ind. 13.

hæc ex ijsdem Gregorij litteris ad Sabinianum [h]: Miror, inquit, quomodo dilectionem tuam fallere potuit, vt permitteres domno Imperatori persuaderi, quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admonēret, vt cum eo pacem habere debuissem. Qui si iustitiam tenere vult, illum debuit admonere, vt se a superbo vocabulo compesceret, & protinus inter nos pax fieret, Tamen qua id calliditate a E prædicto fratre nostro Ioanne factum sit, minime suspicor, pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit, vt aut audiretur domnus Imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non a me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenemus, nihil in hac causa aliud, nisi omnipotentem Dominum metuentes.] hæc ipse.

AD FIDEM SPECTARE, SI ALIVS INDVCATVR PRIMATVS.

Qui & tanti ponderis hanc esse existimauit controuersiam, vt ad fidem spectare putarit: nam in fine hæc habet: Postquam enim defendi ab inimicorum gladijs nullo modo possumus: postquam pro vtilitate Reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus: nimis ignominiosum est, vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quam fidem perdere.] hæc ipse. Sed quomodo id, inquies, ad fidem pertinet? ea quidem ex parte, quod cum a Christo vni Petro præ-

fectura

A fectura sit gregis vniuersalis credita: si quis a Christo Domino stabilitam Ecclesiasticam violat hierarchiam, aliter sentire videtur, quam ipse Dominus sentiendum præcepit. Non mireris igitur, si vnius voculæ occasione adeo Gregorius laborauit, cum etiam vnius interdum syllabæ causa, ipso teste sancto Basilio ad Amphilochium, fuerit aduersus hæreticos Eunomianos diu multumq. pugnandum.

Sic igitur prouocatus S. Gregorius, pacifice, more filiorum Israel [a], ad bellum progreditur, pacem primum offerens aduersario istis litteris [b]:

a Deuter. 20.

b Gregor. lib. 4. epist. 38. Ind. 13.

S. GREGORII AD IO. ADMONITIO.

Eo tempore quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem proiecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quove tumore nescio, nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum peruenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne
B ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini, quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici potuisses: ad hoc quandoque * perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt, in quibus Synodi, quæ apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorij causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum Acta dissoluit: & Archidiaconum, quem iuxta morem ad vestigia dominorum transmiserat, Missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit. Post eius vero obitum, cum indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum, & ante per alios Responsales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum diaconum alloqui fraternitatem vestram, vt a tali se
C præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curaui: & si emendari nollet, cum Missarum solemnia cum fraternitate vestra celebrare prohibui, vt sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reuerentia pulsarem: quatenus si emendari nefandus ac profanus tumor verecunde non posset, tunc ad ea debuisset quæ sunt districta atque canonica peruenire.

* quoque

Et quia resecanda vulnera prius leui manu palpanda sunt: rogo, deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, vt fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat. Vere enim fiens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis deputo, quod ille meus frater nuncupque ad humilitatem reduci non valuit, qui ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, vt aliorum animas ad humilitatem redu-
D cat: quod ille qui veritatem docet alios, semetipsum docere, nec me quoque deprecante, consensit. Perpende, rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. In qua nimirum ipse tantum crescere poteris, quantum penes temetipsum decreueris. Tantoque maior efficeris, quanto te a superbi & stulti vocabuli vsurpatione restringis: atque in tantum proficis, in quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare.

GREGORIVS IN SPIRITV LENITATIS ARGVIT.

Humilitatem ergo, frater carissime, totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum concordia, & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vnitas valeat custodiri. Certe Paulus Apostolus cum audiret quosdam dicere [c]: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ: hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius alijs quo-
E dammodo se capitibus sociabant, vehementissime perhorrescens, exclamauit, dicens: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Si ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus & ipsis quidem Apostolis subijci particulariter euitauit: tu quid Christo vniuersalis sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris Vniuersalis appellatione supponere?

c 1. Cor. 1.

Quis, rogo, in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit [d]: In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim fratres tui omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cæli

DETESTANDA SVPERBIA IOANNIS.

d Isai. 14.

sunt? quorum vita simul & lingua inter peccata erroresq. hominum quasi inter noctis A
tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumq.
nomen tui comparatione calcare: quid aliud dicis, nisi: In cælum conscendam, super
astra cæli exaltabo solium meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce & miraculis coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens, sub se premere conatur: quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur: Ascendam super altitudinem nubium?

DIABOLO SIMILIS IOANNES EPISC. CONSTANT.

Quæ cuncta ego cum flens conspicio, & occulta Dei iudicia pertimesco, augentur lacrymæ, gemitus se in meo corde non capiunt, quod ille vir sanctissimus domnus Ioannes tantæ abstinentiæ atque humilitatis, suorum familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbe esse similis Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit, & veram B
beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsiuit. Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud, quam singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquam Vniuersalem vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit.

Numquid non (sicut vestra fraternitas nouit) per venerandum Chalcedonense Concilium huius Apostolicæ sedis Antistites, cui Deo disponente deseruio, Vniuersales, oblato honore, vocati sunt? sed tamen nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit, nullus C
sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur, &c.] multa post hæc ingerens in detestationem nominis arrogantis, nihil de causa Ioannis presbyteri attigit, de qua (vt dictum est) Ioannes ipse Constantinopolitanus Episcopus scripserat: nam in fine hæc habet: Scripta autem sanctitatis vestræ dulcissima atque suauissima de causa presbyterorum Ioannis & Athanasij suscepi: de qua vobis in subsequentibus, Domino adiuuante, respondebo: quia sub tantis tribulationibus circumfusus barbarorum gladijs premor, vt non dico multa tractare, sed mihi respirare vix liceat.] hæc ad Ioannem Gregorius.

AGIT CVM IMP. GREGORIVS DE PRIMATV ROM. ECCLES.

[a] Gregor. lib. 4. epist. 32. Ind. 13.

Quo etiam argumento scripsit [a] ad Mauritium Imperatorem, plura inculcans in detestationem Ioannis sibi vendicantis superbum Oecumenici nomen: vbi post multa de primatu Romanæ Ecclesiæ ista ingerit ex Euangelicis fontibus: Cunctis, inquit, Euange- D
lium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur [b]: Petre amas me? pasce oues meas. Ipsi dicitur [c]: Ecce Satanas expetijt cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur [d]: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Ecce claues regni cælestis accipit: potestas ei ligandi ac soluendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen Vniuersalis Apostolus non vocatur: & vir sanctissimus confacerdos meus Ioannes vocari Vniuersalis Epi- E
scopus conatur. Exclamare compellor, ac dicere: O tempora, o mores.

[b] Ioan. 21.
[c] Luc. 22.
[d] Matth. 16.

TEMPORE HVMILIATIONIS TVRPIOR SVPERBIA.

Ecce cuncta in Europæ partibus barbarorũ iuri sunt tradita, destructæ vrbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ, nullus terrã cultor inhabitat: sæuiunt & dominantur quotidie in necẽ Fidelium cultores idolorum: & tamen sacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerũt, vanitatis sibi nomina expetũt, & nouis ac profanis vocabulis gloriantur. Numquid ego hac in re, pijssime domine, propriam causam defendo? Numquid specialẽ iniuriam vindico, & non magis causam omnipotentis Dei, & causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra canonũ decreta nouũ sibi vsurpare nomen præsumit? &c.] rogat pluribus, vt turgentẽ inani gloria hominem compescat.

[e] Gregor. lib. 4. epist. 34. Ind. 13.

Scripsit pariter ad Constantinam Augustam [e] de eodem; vbi post plurima: Etsi, inquit, peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat; Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati ista mereatur.] Petri plane causam esse tradens, vt quis

contra

A contra eius primatum Vniuersalis appetat appellari, sicq. & subdit: Vnde iterum atque iterum per omnipotentem Dominum rogo, vt sicut parentes priores vestri Principes S. Petri Apostoli gratiam quæsierunt, ita vos quoque & hanc vobis quærere & conseruare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indigne seruimus, eius apud vos honor nullatenus minuatur, &c.] Dedit de his pariter litteras [a] ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, & ad Anastasium Antiochenum, deq. ipsius Ioannis conatu tempore Pelagij ista in memoriam reuocat: Ante hos siquidem annos octo, sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij tempore, frater & coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe ex causa alia occasionem quærens, Synodum fecit, in qua se Vniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis litteris ex auctoritate sancti Petri Apostoli eiusdem Synodi Acta cassauit: quarum videlicet epistoB larum sanctitati vestræ exemplaria studui destinare, &c.] Sed hic appello te, qui sancti Petri nomine scribit litteras, & cassat Synodi Constantinopolitanæ Acta, nonne facto ipso se ostendit vniuersalem Antistitem?

INTERPELLAT CONSTANTINAM AVG.

[a] Gregor. lib. 4. epist. 30. Ind. 13.

Sed quod pertinet ad Pelagij prædecessoris Gregorij aduersus Ioannem scripta, iam suo loco superius egimus, dum virga disciplinæ propulsauimus atque fugauimus petulantem leguleium male interpretantem verba ista in ipsius Pelagij litteris ita posita [b]: Nullus enim Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vmquam vtatur: quia si summus Patriarcha Vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit a fidelis cuiusquam mente, hoc sibi vel velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur.] De Orientalibus Patriarchis Pelagius intellexit, quos Gregorius ipse quatuor numerat, vbi ait C in epistola ad Natalem Episcopum Salonitanum [c]: Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis feciſſet, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.] At cum veritas conspicua omni ex parte sit verbis & exemplis sanctissimorum Romanorum Pontificum Pelagij atque Gelasij (vt modo taceamus de ceteris) ipsos Romanos Pontifices vere esse vniuersalis Ecclesiæ Episcopos: nomen cur ijdem abhorruerint, declarat ipse Gregorius, nempe quod fastuosum esse videretur, atque superbum, & Christianæ humilitati minime congruens. At qui Gregorij loquendi vsum minime callet, facile in errorem labatur: vnde non adeo mireris, si se negat dici velle Vniuersalem, qui in epistola ante hanc ad Mauritium scripta, se etiam negat sacerdotem esse. nam accipe verba ipsius [d]:

PELAGII PAPAE VERBORVM SENSVS.

[b] Pelag. epist. 2.

[c] Gregor. lib. 2. epist. 37. Ind. 10.

Sed etsi, inquit, sacerdos non sum: scio grauem esse hanc iniuriam sacerdoti, vt D veritati seruiens, fallax credatur.] Dixeris ne, rogo te, sacerdotem Gregorium non fuisse, qui se non esse sacerdotem testetur? Non puto, sicut neque rerum negaris dominos fuisse eos Imperatores, qui se dominos vocari vetuerunt. Si igitur de re conuenit, de nomine quid frustra contendimus? Numquid Paulus non erat Apostolus, qui se indignum dicit fuisse [e] vocari Apostolum? immo & ipse de se ipso [f]: An non sum Apostolus?] Et [g]: Bonum est mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet.] At quis tandem finis certaminis? Disrupit anno sequenti Deus inflatum vtrem, sustulit (vt prædixisse visus est Gregorius) ex hac vita Ioannem, vt suo loco dicturi sumus. Sed quod de reprobis dictum est [h]: Superbia eorum ascendit semper:] posteri ipsius eum veluti sanctum coluerunt, & inter beatos recensuerunt, insuper eiusdem superbum nomen tetinuerunt: qua de causa humiliauit illos qui est ante sæcula Deus, posuitq. E Ecclesiam illam desolatam, vt nonnisi auctione pretij a Turcis emptos habeat sacerdotes: ac secundum inuiolabilem illam vulgatam Domini sententiam factum vidimus, qua dicitur [i]: Omnis qui se exaltat, humiliabitur.]

[d] Gregor. lib. 4. epist. 31. Ind. 13.

[e] 1. Cor. 15.

[f] 1. Cor. 9.

[g] 1. Cor. 9.

[h] Psal. 73.

GRAECORVM ERROR PVNITVS IN POSTERIS.

[i] Matth. 23.

Quod rursum ad sanctum Gregorium spectat: dum ait sæpe, nullum vmquam Romanorum Pontificum illud sibi nomen vsurpasse, vt Vniuersalis Episcopus diceretur: idcirco hoc ipse, quod aliquam inesse differentiam existimauit secundum ea quæ dicta sunt, vt quis Vniuersalis Episcopus diceretur, vel Vniuersalis Ecclesiæ. Etenim complura reperiuntur exempla, vt Pontifices, qui ipsum Gregorium præcesserunt, se inscriberent Episcopos Ecclesiæ vniuersalis: nam vt prætermittamus eos, de quorum epistolis controuersia est, ecce sanctus Leo Magnus sæpius ea voce vsus esse reperitur, vt in epistola ad Marcianum Augustum [k] inscribitur Leo Episcopus Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ: ita etiam in epistola [l] ab Eudociam Augustam: sicut & ad Leonem

[k] Leo epist. 57.

[l] Leo epist. 69.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustum inscribitur[a]: Leo Romæ & vniuersalis Catholicæq. Ecclesiæ Episcopus.] Insuper cum æquipollere videatur, immo idem Catholicum sit, quod Vniuersale: habes pariter eosdem Pontifices Romanos inscribi solitos Catholicæ Ecclesiæ Episcopos: ita sæpe idem Leo[b], & inter alia ad Maximum Episcopum Antiochenum scribens[c]: Leo, inquit, Catholicæ Ecclesiæ, &c.]

Quod quidem nomen, vt consuetus titulus in Ecclesia Dei, ab alijs item ijsdem Romanæ Ecclesiæ Pontificibus impertitum sæpius reperitur, & inter alios a viro illustri Pompeio cognato Iustiniani Imperatoris, qui cum ad Hormisdam Papam scribit[d], cum vniuersalis Ecclesiæ Episcopum nominat: ita etiam Anastasia itidem eiusdem Augusti affinis. Sed & alij Episcopi cum ad eos scriberent, quam amplissimis sint vsi titulis, pete exemplum a Synodo in Epiro celebrata, vbi in epistola ad Hormisdam Papam eiusmodi præfigunt titulum: Patri Patrum, comministro, ac principi Episcoporum, &c.] atque ad eumdem Ioannes Episcopus Nicopolitanus, & monachi vniuersæ Syriæ ita in libello supplici: Vniuersi orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ continenti sedem principis Apostolorum Petri.] sed hæc dicta exempli causa sufficiant. Iam reliquas prosequamur res gestas Gregorij cum Ioanne.

Agebatur etiam in litteris eiusdem Episcopi Constantinopolitani de causa Ioannis & Athanasij presbyterorum, quorum prior hæresis damnatus iniuste fuerat: quam ob causam Gregorius Romam eum aduocauerat. Quid autem de eo factum sit, vbi Acta iudicialia iussa sunt Romam deferri, ex alijs Gregorij Papæ litteris[e] possumus intelligere, cum rescribens ad eumdem Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, causam eius in Synodo Romana fuisse cognitam tradit, ipsumq. repertum innocentem absolutum, atque Orientale de eo habitum iam abrogatum esse iudicium, in quo inique admodum presbyter ille Chalcedonensis Ecclesiæ, licet Catholicus esset, per Ioannis Iudices, impositis (vt vidimus) verberibus, fuerat vti hæreticus condemnatus. Qua de causa perbenigne hoc modo commonuit eumdem Ioannem Gregorius[f]: Hoc ergo, frater sanctissime, subtiliter perpendamus, & sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter innocentem non sinamus: ne (quod absit) hæresim fieri sub emendationis magis specie permittamus.] Et in eamdem sententiam de eo scribens ad Mauritium Imperatorem, hæc habet[g]: Veraciter confitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere.] Marcionistarum enim hæresis crimine fuerat hic vir Catholicus infamatus, & per Ioannis Iudices iudicatus. Quod igitur Romæ iudicet Gregorius Chalcedonensem presbyterum Constantinopoli condemnatum, atque etiam contra iudicium habitum Constantinopoli ipsum absoluat: quomodo etsi non se dicat vniuersalem, non cognosci necesse sit ipsum esse Ecclesiæ vniuersalis Episcopum?

Quod vero pertinet ad Athanasium reorum alterum, quid gestum sit, ipse Gregorius docet in epistola ad Narsetem[h], nimirum inuentum esse (vt ait) aliqua ex parte Manichæum, verumtamen accusatorem ipsius ex eius accusationibus esse conuictum Pelagianum; inuentumq. codicem editi Ephesini Concilij missum Constantinopoli esse falsatum. Quam autem parum tuti fuerint tunc Græci codices, ista accurate tractans ipse Gregorius, hæc addit: Existimamus, quia sicut Chalcedonensis Synodus in vno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid in Ephesina Synodo factum est. Charitas ergo vestra vetustos omnino codices eiusdem Synodi requirat, & illic inde videat si quid tale inuenitur: mihiq. eumdem codicem, quem inuenerit, transmittat: quem mox vt legero, retransmitto. Nouis enim codicibus passim non credat.] Et paulo post: Romani autem codices multo veriores sunt, quam Græci: quia nostri sicut non acumina, ita nec impostura habent.] hæc Gregorius.

Quando autem in Constantinopolitano iudicio fuit ipse Athanasius condemnatus, magna tunc accidit vecordia ipsius Ioannis adducta in iudicium minime perscrutantis, vel nescientis inter verum & falsum ob imperitiam sacrorum canonum accurate distinguere: vt apud ipsum Constantinopolitanum Episcopum ederetur Synodus secunda Ephesina pro prima, Conciliabulum videlicet Nestorianorum sub Ioanne Antiocheno pro œcumenica Synodo: quod culpa graui non caruit, aut dolo, vel saltem rerum Ecclesiasticarum maxima ignorantia: ex quo tunc est factum, vt Catholici, qui hæreticorum illi Synodo minime assentirentur, dicerentur hæretici; & hæretici assentientes, Catholici putarentur. Porro id non semel in iudicio factum, sed iterum in causa quorumdam

[a] Leo epist. 97.
[b] Leo epist. 14. 23.
[c] Leo epist. 66.
[d] Habentur inter epist. Hormisd.
DE EPISCOPIS ROM. QVI VNIVERSALES SVNT DICTI.
[e] Gregor. lib. 5. epist. 15. 16. 17. Indict. 14.
ABSOLVITVR PRESBYTER DAMNATVS CONSTANTINOPOLI.
[f] Gregor. lib. 5. epist. 15. Ind. 14.
[g] Gregor. lib. 5. epist. 16. Ind. 14.
[h] Gregor. lib. 5. epist. 14. Ind. 14.
CODICES GRÆGORVM SÆPE FALSATI REPERTI.

A dam monachorum, de quibus postea ipse S. Gregorius scripsit ad Eulogium Episcopum Alexandrinum his verbis [a]:

Præterea ante triennium, cogente causa monachorum Isauriæ, qui hæretici accusabantur; satisfaciens mihi quondam frater & consacerdos meus domnus Ioannes, *Constantinopolitanus Episcopus scilicet*, litteras misit, quibus nitebatur ostendere, eos Ephesinæ Synodi diffinitionibus contradixisse: & velut ex eadem Synodo, certa nobis, quibus ipsi obsisterent, capitula destinauit. Inter alia autem scriptum illic continebatur de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus, &c.] erant hæc in Nestorianorum Concilio posteriori Ephesino, canone secundo: quod olim per Ioannem Antiochenum seorsum celebratum est, diuersum ab illo per Dioscorum postea habito: quod cum pro germano Ephesino Ioannes ipse ad Gregorium miserit, quam pius di-
B ci potuerit, omnes puto intelligunt. De ijsdem quoque & ad Anastasium Antiochenum Episcopum Gregorius hæc dilucidius, vbi ait [b]: Ex annotatione hæretici codicis, qui ad me ex regia vrbe transmissus est, agnoui per hoc quod quædam capitula Catholica cũ hæreticis fuerant reprehensa, quia quidam illam Ephesinam primam Synodum in eadem vrbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita: omnino necesse est, vt charitas vestra eamdem Synodum apud sanctam Alexandrinam & Antiochenam Ecclesiam requirat, & qualiter in veritate habeatur, inueniat. Vel si placet, hinc dirigimus, quæ ab antiquitate seruata in scrinijs habemus. Illa enim Synodus *secunda Ephesina*, quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quædam in se oblata capitula asserit approbata, quæ sunt Cælestij atque Pelagij prædicamenta, &c.] Audisti totius impostura comœdiam? Vidisti, qui vocari voluit Oecumenicus, quas miserit merces in Vrbem:
C dum, nisi Gregorius vigilasset, sub auctoritate Concilij œcumenici Ephesini, Pelagianam hæresim ante sæpe damnatam rursum introduxisset in Ecclesiam? Sed de his inferius iterum agemus.

[a] Gregor. lib. 6. epist. 31. Indict. 13.

[b] Gregor. lib. 7. epist. 48. Ind. 2.

Sed quod ad dictum Concilium in ea causa collectum spectat: habitum illud hoc anno Romæ, ex scriptis eiusdem sancti Gregorij satis apparet, vbi hæc in eius præfatione leguntur [c]: Regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, temporibus pijssimi ac sereniſſimi dominorum Mauritij, Tiberij, & Theodosij Augustorum eiusdem domini, Imperio Mauritij anno tertiodecimo*, Indictione tertiadecima, quinto die mensis Iulij, &c.] Sed corrige quod habet de Imperij Mauritij anno decimotertio: nam hoc anno Indictione decimatertia non decimustertius Mauritij currebat, sed decimus, vt ex eiusdem Gregorij scriptis apparet, vbi superius numerat [d] annum septimum ipsius Impe-
D ratoris decima Indictione.

CONCILIVM ROMAN.

[c] Extat lib. 4. sub epist. 44.

* decimo

[d] Gregor. lib. 2. in princip.

Quod autem ad canones in eadem Synodo sancitos pertinet, sex numero habentur: Quorum primus est de diaconis, ne quorum munus est altari ministrare, Euangelium prædicare, & eleemosynis inseruire, ijdem cantores existerẽt. Secundus ille, ne cubiculo Pontificio seruirent pueri laici & sæculares, sed clerici vel monachi id ministerij exhiberent. Tertius, quo decretum est, ne rectores patrimoniorum Ecclesiæ alienis possessionibus affigant titulos. Quartus vero, vt sine tegmine corpora Pontificum ad sepulchrum deferrentur, ea nimirum occasione, quod cum (vt ait) dalmaticis tegerentur, ipsas postea populus inter se partitas loco sacrarum reliquiarum asseruarent: quem monuit, vt e corporibus potius Apostolorum ac martyrum velamina acciperent. Ita Gregorius viuens consuluit sibi post mortem, ne coleretur vt sanctus. Adiecit illud etiam statuere, ne in ordinatio-
E nibus sacris conficiendis, vel pallij exhibitione aliquid penitus acciperetur, neque etiam a Notarijs pro charta vel calamo quid sumeretur, nisi post ordinationem exhibitam aliquid ordinatus sponte dare voluerit.

CANONES IN CONC. ROM. STATVTI.

Postremo vero illud constituit, vt serui Ecclesiæ ad monasticam vitam venire cupientes, in laicali primum habitu probarentur. In quo item Romano Concilio illud implendum indixit [e], vt nullius essent ponderis, quæ de bonis post Episcopatum adeptis Episcopus testamento disposuisset, secus vero de his quæ ante Episcopatum possedisset. Reperimus in scripto codice Sublacensi, in Concilio Romano eumdem Gregorium Papam probasse & confirmasse regulam sancti Benedicti. Subscripserunt Concilio Episcopi viginti-duo, presbyteri vero Cardinales trigintaquatuor.

[e] Gregor. lib. 5. epist. 1. Indict. 14.

Hoc pariter anno accidit, vt schismatici Istriæ prouinciæ petierint a sancto Gregorio ad Vrbem veniendi securitatem, vt de vertentibus quæstionibus vna conferrent: quam liben-

libentissimo animo Gregorius præstitit, datis ad Petrum & Prudentium Istriæ Episcopos litteris [a]: sed a proposito ipsi defecere. A

[a] Gregor. lib. 4. epist. 49. Ind. 13.

[b] Apoc. 22.

DE CAVSA MAXIMI EPISCOPI SALONITANI.

At vero secundum illud Apocalypsis [b]: Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc.] Mauritius Imperator, aduersus S. Gregorium Papam, Maximum in Ecclesiam Salonitanam intrusum, ab ipso autem Gregorio censuris eiectum, per suos ministros in Ecclesia illa Episcopum retinuit. Id quidem hoc anno idem Imperator Mauritius tyrannice gessit, quod animum ipsius Gregorij Papæ vehementer exagitauit. Nam cum idem Pontifex Maximum Salonitanum simoniacum intrusum Missarum celebratione priuasset, & ille eam iussionem sub anathematis pœna mandatam contempsisset, Missasq. celebrare minime prætermittens, auxilium quæsiuisset Imperatoris: litteras ab eo impetrauit, quibus iuberetur cum honore suscipi. Hæc accipiens Gregorius, cum Augusta expostulauit his verbis [c]: B

[c] Gregor. lib. 4. epist. 34. Ind. 13.

Salonitanæ ciuitatis Episcopus, me ac Responsali meo nesciente, ordinatus est; & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit. Quod ego audiens, ad eumdem præuaricatorem, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, vt omnino Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius a sereniſſimis dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me atque despecto, in audaciam quorumdam sæcularium hominum, quibus, denudata sua Ecclesia, præmia multa præbere dicitur, nuncusque Missas facere præsumit, atque ad me venire secundum iussionem dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me vel Responsalem meum præternuttere præsumpsit, ita ex corde laxaui, ac si me auctore fuisset ordinatus. Alia vero peruersa illius, scilicet mala corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pecunijs est electus, vel quia excommunicatus Missas facere præsumpsit, propter Deum irrequisita præterire non possum. Sed opto & Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his quæ dicta sunt, valeat inueniri, & sine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur. Prius tamen quam hæc cognoscantur, sereniſsimus dominus discurrente iussione præcepit, vt eum venientem cum honore suscipiam. Et valde graue est, vt vir de quo tanta & talia nunciantur, cum ante requiri & discuti debeat, honoretur. C

FACINORA MAXIMI.

Et si Episcoporum causæ mihi commissorum apud pijsimos dominos aliorum patrocinijs disponuntur: infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad sæculares Iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto; D & si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam pijsimis dominis vitam tribuet, & nobis sub manu vestra, non secundum peccata nostra, sed secundum gratiæ suæ dona disponet. Hæc ergo tranquillissimæ dominæ suggero: quia integerrima serenitatis eius conscientia quanto moueatur zelo rectitudinis atque iustitiæ, non ignoro.] hactenus ad Imperatricem Gregorius.

IVSTA QVERELA S. GREGORII.

At non statim vt accepit ista de Maximo, verecundia detentus, fauit ei Mauritius, sed postea ab Exarcho Italiæ & alijs magistratibus concitatus: siquidem dictam de eodem Maximo historiam latius explicatam habes in epistola eiusdem Gregorij ad Sabinianum diaconum verbis istis [d]: Postquam, inquit, sereniſsimus domnus Imperator iussiones transmisit, vt ordinari minime debuisset, tunc ad altiorem superbiam erupit. E Nam homines glorioſi viri Patricij Romani (*hic Exarchus erat*) ab eo præmia acceperunt, eumq. ita ordinari fecerunt, vt Antonium subdiaconum & Rectorem patrimonij, nisi fugisset, occiderent. Ego autem epistolas transmisi, postquam eum ordinatum contra rationem cognoui & contra consuetudinem, vt Missarum solemnia celebrare non præsumeret, nisi prius a sereniſsimis dominis cognoscerem quid de eius persona iussissent. Quæ scripta mea publice relecta, vel in ciuitate posita, publice scindi fecit, atque in contemptum sedis Apostolicæ apertius exilijt. Quod ego qualiter patiar, scis, qui ante paratior sum mori, quam beati Petri Apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores etiam meos bene cognitos habes: quia diu porto; sed si semel deliberauero non portare, contra omnia pericula lætus vado. Vnde necesse est cum Dei auxilio periculo succurrere, ne cogatur excedendo peccare. Vide quæ dico, & pensa ex quanto dolore sunt.] hæc

[d] Gregor. lib. 7. epist. 1. Ind. 1.

MAGNA MAXIMI CONTVMACIA.

GREGORII LONGANIMITAS.

& alia

A & alia ad Sabinianum Apocrisarium degentem Constantinopoli, insinuanda Imperatori, Gregorius scribit.

Quod autē ipse Gregorius eumdem Maximum iterum atque iterum Romam a se [a] vocatum, obtemperare contemnentem excommunicasset: ille ad suam excusationem seueritatem nimiam Gregorij prætexebat, rumorem excitans, quod Episcopum quemdam Malcum Romæ in carcere mori coegisset. Ad hæc Gregorius mox ista subinfert: Peruenit vero ad me, quia transmisit nescio quem clericum, qui diceret, quia Malcus Episcopus in custodia pro solidis occisus sit. De qua re vnum est quod breuiter suggeras sereniſſimis dominis nostris, quia si ego seruus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa: sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis
B me miscere formido.] quasi diceret, tantum abesse vt coegerit mori Episcopum, vt nec ipsos hostes, cum posset, voluerit occidi. At quomodo de Malco res se habuerit, accipe ex ipso, cum subdit: Malcus autem Episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione: sed die qua causam dixit,& addictus est, nesciente me, a Bonifacio Notario in domum eius ductus est, cui & prandium factum est, ibiq. prandit & honoratus est ab eo, & nocte subito mortuus est: quod iam dilectionem tuam arbitror cognouisse.] hæc de calumnia ex morte Malci prætensa. Sed quæ hæc secuta sunt?

[a] *Gregor. lib. 5. epist. 25. Ind. 14. & lib. 6. epist. 19. Ind. 15.*

DE MALCO OCCISO CALVMNIA.

Vicit Gregorius in bono *malum*. Etenim concessit, vt cum Romam venire nollet, saltem Rauennam se conferret, vbi delegatum a sede Apostolica haberet Iudicem Marinianum Episcopum, sub quo causam diceret. Præstitit hoc Maximus, Rauennamq. se contulit, vbi & *iuramento* se purgauit supra corpus sancti Apollinaris, se nimirum a simoniaca labe *integrum* atque immunem esse: acceptaq. pœnitentia de inobedientia & con-
C *tumacia*, qua in Apostolicam sedem peccasset, ad Salonitanam est missus, consentiente Gregorio, Ecclesiam, vt legitimus illic sederet sacerdos: cui & expetenti idem Pontifex pallium dedit. Hæc omnia constant ex epistolis ipsius S. Gregorij datis [b] Indictione secunda: vnde appareat, causam hanc cœptam Indictione duodecima, perdurasse annos quinque.

CAVSA MAXIMI COMMISSA MARINIANO.

[b] *Gregor. lib. 7. epist. 79. 80. 81. Ind. 2.*

Eodem anno Anastasius Sinaita, vbi in sedem Antiochenam restitutus est, litteras dedit ad Gregorium Romanum Pontificem; qui cum accepisset, post mortem Gregorij Episcopi Antiocheni ipsum Anastasium, a tempore Iustiniani Imperatoris a sede expulsum, esse restitutum, illi congratulatus litteras reddidit, quarum est huiusmodi exor-
D dium [c]: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia magnus ille fluuius, qui quondam arentia Antiochiæ saxa reliquerat, tandem ad proprium alueum reuersus, & subiectas & iuxta positas valles rigat, &c.] Dumq. eũ solatur de tribulationibus quibus afflictatus fuerat, suas, quas tunc ipse Gregorius pateretur, ærumnas ingerit, dicens: Quantas vero in hac terra tribulationes de Longobardorum gladijs, de iniquitatibus Iudicum, de insolentia atque importunitate causarum, de cura subiectorum, de molestia etiam corporis quam patior, explere nec calamo, nec lingua sufficio.] Ad finem vero epistolæ duo ista apponens verba, AMEN, GRATIA] mox subdit: Quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, vt de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solum vester est, sed etiam noster.] vtpote quod eadem salutatione, siue epistolæ signo S. Ignatius vteretur. Sed de his primo Annalium tomo diximus.

[c] *Gregor. lib. 4. epist. 37. Ind. 13.*

GREG. GRATVLATVR ANASTASIO EPISC. ANTIOCH.

E Hoc eodem anno (vt in fine anni superioris est demonstratum) Amos Hierosolymorum Episcopus post Ioannem electus est: de cuius ingressu hæc apud Sophronium habes [d]: Cum descendisset Abbas Amos Hierosolymam, & Patriarcha ordinatus esset: venerunt omnes monasteriorum eremi Abbates, vt adorarent eum: inter quos affui & ego cum Abbate meo. Cœpitq. Patriarcha dicere Patribus: Orate pro me, fratres: magnum enim onus & intolerabile mihi iniunctum est, sacerdotijq. dignitas me terret immodice. Petri enim & Pauli & similium est regere rationales animas. Nam inueni scriptum, quia beatissimus & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies perseuerauit ad sepulchrum Apostoli Petri vigilijs & orationibus insistens, petensq. ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisq. diebus quadraginta, apparuit ei Petrus Apostolus, dicens: Orani pro te, & dimissa sunt tibi peccata tua, præter impositionis manuum: hoc enim solum abs te requiretur,

[d] *Prat. spirit. c. 149.*

DE AMOS EPISC. HIEROSOLYM.

siue

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue bene, siue fortasse aliter egeris.] hæc dicta quidem ab Amos, vt inuenta sunt scripta A
reddimus: sed de veritate historiæ superius in Leone dictum est.

Hoc pariter anno, cum (vt vidimus) ad Galliarum Episcopos litteras dedisset sanctus Gregorius pro corrigendis ijs quæ aduersus sacros canones in Gallijs agerentur, vt id omnino perfici posset, regias manus in auxilium petijt: cuius rei causa scripsit ad Childebertum [a] Francorum Regem de pluribus rebus corrigendis in regno ipsius, quæ deficiente verbi cultura successerant: potissimum vero illud admonuit, ne laici statim tonso capite raperentur ad Episcopatum, seu potius raperent ipsi Episcopatum, hoc suadens exemplo: Certum namque est, inquit, non vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor eius fidesq. probata constiterit, nisi eum anteactæ vitæ virtus & solicitudo aptum esse monstrauerit. Si vero non alijs, nisi huiusmodi viris committitur gubernandus exercitus: qualis dux esse debeat animarum, ex istius rei comparatione bene colligitur.] B

[a] Gregor. lib. 4. epist. 53. Indict. 13.

Scripsit & ad Brunichildem [b] Reginam Francorũ, matremq. Regis, vbi inter alia de ipso Francorum regno atque Rege hæc habet: Non immerito contigit, vt cuncta gentium regna præcelleret: quippe earumdem gentium Creatorem & pure colit & veraciter confitetur. Sed vt laudabilius in eo fides cum operibus eniteſcat, adhortationis vestræ eum verba succendant, &c.] & rursum postea ad eius filium Childebertum [c]: Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alij, non mirum est: sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quicquid enim Reges se ceteri gloriantur habere, habetis: sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis. Vt ergo sicut fide, ita & actione vincantur, benignam se excellentia vestra suis subiectis semper exhibeat, &c.] Dedit has litteras Gregorius Candido presbytero, quem post Patricium Dinamium ad curandum patrimonium S. Petri misit ad eumdem Regem, atque vna cum litteris etiam munus Rege Christianissimo dignum, de quo in fine eiusdem epistolæ istis verbis: Claues præterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum eius inclusum est, excellentiæ vestræ direximus: quæ collo vestro suspensæ a malis vos omnibus tueantur.]

[b] Gregor. lib. 4. epist. 5. Indict. 14.

REGIS FRANCORVM LAVDES EX FIDE CATHOLICA.

[c] Gregor. lib. 5. epist. 6. Ind. 14.

Sed de Gallijs transeamus in Hispanias. Hoc enim anno idem sanctus Gregorius scripsit [d] ad sanctum Leandrum Episcopum Hispalensem, mittens ad eum librum, quem nominat, Regulæ Pastoralis, scriptum (vt ait) ipso sui Episcopatus exordio ad Ioannem (vt vidimus) Episcopum Rauennatem: misitq. ad eumdem libros Moralium, ad ipsum Leandrum (vt præfatio docet) inscriptos; non omnes tamen, sed quos haberet præ manibus: tertiam enim & quartam eiusdẽ operis partem minime in promptu habere, quæ mitti tunc posset, eadem epistola ipse testatur. Rursus autem cui incumbebat vniuersalis Ecclesiæ cura, inuisit litteris Ecclesiam Africanam, hoc pariter anno scribens ad totius Africæ Primatem [e] Dominicum Carthaginensem Episcopum, vbi hæc pulchre de communione sanctorum precibus conseruanda: Vt ad hæc peruenire mereamur, & me pro vobis apud sanctissimum beati Petri Apostolorum principis corpus, & vos pro me apud sanctum Cyprianum martyrem orationibus decet incumbere.]

[d] Gregor. lib. 4. epist. 40. Ind. 13.

GREG. MITTIT LIBROS AD S. LEANDRVM.

[e] Gregor. lib. 5. epist. 19. Ind. 14.

COMMVNICATIO PRECVM.

At quod successorem se esse nouit illius, cui non munda tantum animalia, sed & immunda, feræq. bestiæ ad cibum paratæ ostensæ diuinitus fuere in linteo [f]: parum ipsi fuit tantummodo curare Fideles, sed & adiecit animum, vt gentem Anglorum Britanniæ E
insulæ magna ex parte dominam factam sacro imbueret Euangelio. Sed quod tantæ molis opus aggredi, Longobardorum (vt vidisti) tumultus obstarent: illud saltem quod præ manibus esset, operari minime prætermisit, nempe vt carperet ob famem ex ingenti segete spicas, cui nondum falcem immittere licuit. Quid ergo agit? Nouit in Gallijs complures detineri iure belli captiuos Anglos, eosdemq. exponi venales: dat itaque in mandatis Candido presbytero (quem ad curandum patrimonium S. Petri hoc anno in Gallias missum diximus) vt eosdem coemat Anglos adolescentes, quos ad fidem Christi conuersos monasterio bene instruendos committat. Scribit enim de his, deq. emendis vestimentis ad pauperes vestiendos, hæc breuiter ipse S. Gregorius [g]:

[f] Act. 10.

PRO ANGLOR. CONVERSIONE LABORAT GREG.

[g] Gregor. lib. 5. epist. 10. Ind. 14.

Pergens, auxiliante Deo D. N. Iesu Christo, ad patrimonium quod est in Gallijs gubernandum: volumus, vt dilectio tua ex solidis, quos acceperit, vestimenta pauperum, & D

pueros

A pueros Anglos, qui sunt ab annis decẽ & septem, vel decẽ & octo, vt in monasterijs dandi* Deo proficiant, comparet: quatenus solidi Galliarum, qui in terra nostra expendi non possunt, ad locum proprium vtiliter expendantur. Si quid vero de pecunijs redituum, quæ dicuntur oblatæ, recipere potueris: ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus, vel (sicut præfati sumus) pueros, qui in omnipotentis Dei seruitio proficiant. Sed quia Pagani sunt qui illic inueniri possunt: volo vt cum eis presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via, vt quos morituros conspexerit, debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, vt hæc diligenter implere festinet.] hactenus ad Candidum Gregorius. Nouisse antea Anglos Gregorium Romæ venum expositos, tradit Ioannes diaconus, admiratumq. in ijsdem vultus elegantiam, quo non barbarorum trucem repræsentarent aspectum, sed angelicam, quæ coloribus fingi solet, imaginem, at-
B que ob id eosdem Anglos Angelos nominasse; censuisseq. eos emptos non vt alia mancipia tradendos glebis, sed eosdem Anglos inter Angelos collocandos, in monasterijs scilicet, ad vitam angelicam excolendam. Fauit Deus votis eius, vt post has euulsas Apostolica manu spicas, in magnam mox messem falcem immitteret. Sed hæc contigerunt anno sequenti: dicemus nos de his suo loco.

* dati

DE ANGLIS EMENDIS ATQVE COLLOCANDIS IN MONASTERIIS.

Hoc eodem anno moritur Ioannes ille Episcopus Rauennas, quem irrisorem & fastu tumentem duplici animo ambulantem Gregorius proxime redarguerat [a]. Demerere hominem omni genere beneficij sanctus Gregorius minime prætermisisse visus est, qui reperitur misisse ad eum reliquias sanctorum Romanorum Pontificum Marci, Marcelli, atque Feliculæ martyris, vt docet inscriptio eiusmodi a Rubeo edita [b]:

DE OBITV IOANNIS RAVENNATIS EPISC.

a Gregor. lib. 4. epist. 14. Ind. 13.
b Hieron. Rub. histor. Rauen. lib. 4.

C *Inclyta præfulgent sanctorum limina templo*
Marci, Marcelli, Feliculæq. simul:
Pontifices hos Roma cepit, hæc martyr habetur.
Horum Gregorius dat Papa relliquias:
Quas petit Antistes meritis, animoq. Ioannes:
Paruula pro summis reddere dona parat.
Oraclum statuit tanta virtute repletus,
Cuius ab auspicijs gratia & extat opus.
Qui bis septeno sacri diadematis anno,
Tractatu vigili quo regit Ecclesiam,
Hanc quoque regentem verendi culminis arcem
Vixit, & euentum traxit ad arbitrium.*
D *Miranda subito suspendens arte cacumen*
Inflexum reparat parte ab vtraque latus.
Additur his meritis felix Smaragdus in æuum,
Cuius in his titulis participantur opes.]

* Struxit

Defuncto igitur Ioanne, facta est successoris electio, atque in locum eius substitutus est Marinianus. Extant de his Gregorij ipsius litteræ [c], quibus primo respuit alium Ioannem electum, eo quod nesciret Psalmos: reiecit & Donatum Archidiaconum, cui multa obstarent: consensit vero in Mariniano presbytero, qui secum diu in monasterio fuerat conuersatus; de quo ista ad Andream Scholasticum [d]; Tandem venerabilem virum fratrem presbyterumq. Marinianum, quem diu mecum didicere in monasterio conuersatum, communi concordantiq. voce atque consensu sæpius petiuerunt. Cui refugienti diuer-
E sis modis vix aliquando potuit suaderi, vt eorum præberet petitioni consensum. Et quia bene nobis eius vita est cognita, atque in lucrandis animabus illum nouimus esse solicitum, nullã in ordinatione ipsius moram attulimus.] hæc & alia in eius laudem Gregorius, cui & pallium [e] concessit statutis diebus vtendum. Sed quod mox in eum oblocuti sunt aliqui, quod Concilium Chalcedonense minime sectaretur (consueta hæc erat calumnia, vt sæpius dictum est, schismaticorum aduersus Catholicos) de his scribens [f] Gregorius populo & clericis Rauennatis Ecclesiæ in omnibus satisfecit.

DE ELECTIONE MARINIANI EPISC. RAVEN.

c Gregor. lib. 4. epist. 21. 23. & 45. Ind. 13.
d Gregor. lib. 4. epist. 45. Ind. 13.
e Gregor. lib. 4. epist. 54. Ind. 13. & lib. 5. epist. 8.
f Gregor. lib. 5. epist. 2. Ind. 14.

Sed quid accidit? Quem præsenti anno adeo laudauit Gregorius, eumdem anno sequenti mense Martio reprehendere opus fuit. Ita humanæ conditionis instabilitas fert, vt mutatione status, mutari interdũ homines, atque virtutes in vitia conuerti facile possint. Vbi enim primum iste nobilissimæ Ecclesiæ moderandas suscepit habenas, in id vires omnes intendit, vt reditus eiusdem augeret; eoq. progressus est, vt a monasterijs etiam pecuniam

niam cuperet extorquere: cuius rei gratia fuit ab ipso Gregorio arguendus. Ad cum enim A
[a] Greger. lib. 5. epist. 29. ind. 14. REDARGVIT MARINIANVM S. GREGORIVS.
scribens ipse Pontifex, hæc præfatur [a]: Miramur cur sic in breui fraternitatis tuæ fuerit immutata discretio, vt ea quæ postulat non aduertat. Ex qua re dolemus, quia manifestum præbes indicium, plus apud te verba male suadentium valuisse, quam diuinæ lectionis studium profuisse. Cum ergo monasteria te oporteat defensare, & religiosos illic summopere congregare, vt lucrum de animarum congregatione possis efficere: in eorum te e diuerso grauamina (sicut litteræ tuæ testantur) desideras exercere, & quod est deterius, nos tuæ culpæ studes fieri debere participes.] & post aliqua: Quia ergo, inquit, te multum diligo, instanter admoneo (quod sic recte consideres) vt non plus pecuniæ quam animabus studeas. Illud a latere respiciendum est: ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, ac vehementius intuendū, &c.] Sed & de his adde quæ anno sequenti, mense Martio, idem S. Gregorius de eodem Mariniano scripsit ad Secundinum Dei seruum B
[b] Gregor. lib. 5. epist. 29. Ind. 14.
Rauennæ degentem; quæ & superius alia occasione maiori ex parte posuimus, his verbis [b]:

MARINIANI DAMNATVR AVARITIA.
Fratrem nostrum Marinianum Episcopum verbis quibus vales excita: qua obdormisse eum suspicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus erant senes mendicantes: qui a me discussi sunt, a quibus quid acceperint: & per singula retulerunt, quanta eis, & a quibus in itinere data sunt. Quos dum solicite de prædicto fratre requirerem, quid eis dedisset: responderunt, se cum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse, ita vt neque panem in via acceperint, cum dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis, dicens: Non habeo quod vobis dare possim. Et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet. Dic ergo ei, vt cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solum lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet. Quædam vero cum per epistolam meam de anima sua admonui, sed nihil mihi omnino respondit: vnde credo quia eam neque legere dignatus est. Pro qua re iam necessarium non fuit, vt eum per epistolam meam admonere aliquid debuissem: sed tantum illa scripsi, quæ in causis terrenis Consiliarius dictare potuit: nam ego ad hominem non legentem fatigari in dictatu non debui. Tua ergo dilectio secreto ei omnia loquatur, & admoneat qualiter se disponere debeat, ne per præsentem negligentiam vitam (quod absit) priorem perdat.] hucusque de Mariniano ad Secundinum Gregorius: quibus innotescit diaboli ars, vt quos decipere non potuit in monasterio, in spirituali constitutos præfectura auaritiæ sibi telis subijciat. Habes præterea quod ex his intelligas S. Gregorium scribere consueuisse litteras eas potissimum D
quæ ad animarum salutem spectarent; reliquas vero quæ ad res (vt ait) terrenas pertinerent, Consiliarium ipsum dictare.

[c] Gregor. lib. 4. epist. 34.
Quod insuper ad eumdem Marinianum spectat, extant litteræ [c] eiusdem Gregorij ad ipsum datæ Indictione decimatertia, in quibus hæc ad calcē habentur: Omnia etiam priuilegia, quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.] Fertur autem alia eiusdem S. Gregorij nomine epistola ex
[d] Extat apud Rub. histor. Rauen. lib. 4.
Vrsiana (vt aiunt) bibliotheca Rauennate deprompta [d] ad eumdē Marinianum scripta de priuilegijs eiusdem Ecclesiæ Rauennatis, sed quæ ex multis commenticia conuincatur. Idem enim (vt puto) auctor, qui eodem argumento Valentiniani Imp. rescriptū confinxit,
REFELLITVR COMMENTICIA EPIST. DE RAVEN. ECCL.
quod superius suo loco refellimus, istam quoque est commentus epistolam. Etenim (vt hæc cursim annotasse sat sit) quid in ipsa habet inscriptione: Mariniano Archiepiscopo E
Rauennati, & filio?] Quam procul vtrumque ab vsu S. Gregorij, qui nonnisi Episcopum & nonnisi fratrē Rauennatem Antistitem nominare consueuit? Quam longe illud etiā a nomenclatura Gregorij, vt cum de Gelasio Papa contigit mentionem haberi, glorioſissimum Gelasium appellet? est titulus iste Præfectorum potius, quā Pontificum. Vbi porro mos ille, vt non ipsi tantū, sed & eius successoribus omnibus pallium in perpetuum tribuat, cum talis priuilegij concessio numquam personam, cui conceditur, excedere soleat? Sed & quid, quod Rauennatem Ecclesiam primam filiam Romanæ Ecclesiæ vocat auctor? Quot sunt Ecclesiæ a Petro ante Rauennatem erectæ? Nec puto dicere primam quo ad dignitatem: nam nemo negarit Alexandrinam & Antiochenam peculiares Petri Ecclesias longe Rauennati præstare. Quid præterea, quod secundum Longobardorum Regum constitutiones firmat eiusdem priuilegium? Quid commune Rauennati Ecclesiæ cum Regibus

Longo-

A Longobardorum, qui ea numquam potiti sunt? Quid ibi nomen illud, Marchio, temporibus istis incognitum? Omittimus alia plura, quæ longe a Gregorij stylo aberrant. Illud tantũ quod extremum in comminatione anathematis ponitur verbis istis: Sciat se ex parte Dei omnipotentis & sanctorum trecentorum decem & octo Patrum, &c.] considerandum proponimus. Quando vmquam Gregorius eiusmodi vsus est modo anathematis interminandi? Vel quando quis Romanorum Pontificum eiusmodi vsus est anathematis comminatione, per Episcopos scilicet qui Nicæno Concilio interfuerunt? Sunt alia quidem priuilegia ab eodem Gregorio diuersis concessa locis, quorũ formæ quam procul abhorrent ab ea quæ in eadem commenticia epistola posita legitur, videat lector. Hæc scio stomachum plurium turbatura, qui erga eam Ecclesiam, alioqui nobilissimam atque dignissimam, priuato studio affecti sunt. Sed antidotum veritatis si adhibeatur, omnem
B protinus sanabit, quæ commota ex bile prouenit, amaritudinem.

Quod autem ad reliquas anni huius res gestas eiusdem sancti Gregorij spectat: idem summa quoque solicitudine cum vacantibus Ecclesijs prouidere curaret, plures hoc anno dedit eodẽ argumento litteras, in quibus & alijs alio tempore eodem argumento conscriptis illud admiratione dignum, quod inuitum neminem subire Apostolica iussione coegisse reperitur onus Episcopale; dum licet interdum persuaserit, vim tamen nemini adhibuerit: immo quo aliquem sanctiorem sciret, eo magis suo relinquebat arbitrio, vt quod vellet faceret. Est de his notandum exemplum de Sebastiano, de quo ad ipsum hoc anno scribens hæc habet[a]: Indico, quod ad me, Bonifacio Defensore referente, peruenerit, quia vir sanctissimus frater noster domnus Anastasius Patriarcha, *Antiochenus scilicet, Sinaita dictus*, in vna suarũ ciuitatum regendam vobis Ecclesiam committere voluit,
C & consentire noluistis. Quem sensum ac sapientiam vestrã valde ego libenter amplexus sum: laudaui vehementer, & vos felices, me infelicem esse deputaui, qui hoc tali tempore regimen Ecclesiæ susciperе consensi. Si tamen animus vester fortasse fratribus condescendendo, & misericordiæ operibus intentus, ad hoc vmquam consentire decreuerit, peto vt amori meo alium minime præponatis. Sunt enim in Sicilia insula Ecclesiæ vacantes Episcopis: & si vobis placet auctore Deo Ecclesiam regere, iuxta beati Petri Apostoli limina cum eius adiutorio melius potestis. Sin vero non placet, feliciter insta, vt ista in vobis intentio permaneat, & pro nobis infelicibus exora.] hæc Gregorius ad Sebastianum Orientalem Episcopum, sed Episcopatu (vt puto) barbarorum infestatione carentem: cum tamen certum sit ab alijs sanctissimis Pontificibus alios ad id esse sæpe coactos. Sed secundum Apostolum[b]: Alius quidem sic, alius vero sic.]

GREG. INVITVM NEMINEM COGEBAT AD EPISCOPATVM.

a Gregor. lib. 4. epist. 35. Ind. 13.

b 1. Cor. 7.

D Quod rursum ad huius anni impensos labores Gregorij pertinet: monachorum Deo seruientium curam, ex more, propensiorem habuit, vt si quem sciret vere cultorem monasticæ vitæ, quicquid peteret illi daret, & plusquam peteret. Poscenti namque Euangelij librum Eliæ Abbati in Isauria, illum misit, & solidos pro ædificio cellæ plusquam petijsset mittere voluit. Sed audi in altero petendi modestiam, in altero dandi abundantem largitatem: scribens enim ad eum, hæc habet inter alia[c]: Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus cellæ quinquaginta transmitti; quos multum esse æstimantes, ex eis nobis decem donastis, vt quadraginta mitteremus. Sed ne forsitan vel hoc graue esset, adhuc alios nobis ex eis estis dignati largiri. Sed quia valde vos in continentia nostra benignos inuenimus, eidem benignitati vice simili respondemus. Quinquaginta transmisimus: & ne forsitan minus essent, alios decem superaddidimus: ne vero & hoc adhuc
E minus esset, alios duodecim iungi fecimus.] hæc ipse ad Eliam virum sanctum.

c Gregor. lib. 4. epist. 30. Ind. 13.

Solicite itidem Gregorius prospexit quieti monachorum, & si quando comperit eos ab Episcopis aliquibus infestari, illos ex eorum potestate exemit: ita quidem scribens ad Luminosum[d] Abbatem. Si quæ vero soluta disciplina essent monasteria, eadem reformanda curauit[e]. Egentibus insuper monachis duo millia modiorum tritici dari præcepit[f]. Quos præterea conditione seruos in monasterio profeciſse nouisset, eosdẽ libertate donauit: est de his exemplum manumissionis[g] ab eodem Gregorio factæ. Sed & seruos infideles emere consueuisse, vt Christianos factos monasterio traderet[h], superius dictũ est. Quod vero ad bona pertinet Ecclesiastica: in his ius antiquum omnino seruatũ custoditumq. voluit, nimirum vt ex Ecclesiarum reditibus partes quatuor fierent, quarũ vna cederet clero, pauperibus alia, tertia fartis tectis, quarta Episcopo, si præesset: alioqui quarta ista diuideretur, ita vt dimidia absentis esset Episcopi, ac dimidia Visitatoris ab Apostolica sede missi[i].

d Gregor. lib. 4. epist. 41. 43. Indict. 13.
e Gregor. lib. 4. epist. 48. Ind. 13.
f Gregor. lib. 5. epist. 4. Ind. 14.
g Gregor. lib. 5. epist. 12. Ind. 14.
h Gregor. lib. 5. epist. 10. Ind. 14.
i Gregor. lib. 4. epist. 42. Ind. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc item anno, qui numeratur a Gregorio Turonensi Regum Francorum Childeberti A
decimusextus, & Guntheramni tricesimus, per prauum dæmonẽ pseudopropheta in Gal-
lijs, qui deciperet plurimos, excitatur. Rem gestã Gregorius ita narrat *: Quidam, inquit,
ex Biturico (vt ipse postmodum est professus) dum saltus siluarum ingressus, ligna cæderet
ad explendam operis cuiusdam necessitatem, muscarum eum circumsedit examen: qua
de causa per biennium amens est habitus; vnde intelligi datur diabolicæ emissionis
fuisse nequitiam. Post hæc transactis vrbibus propinquis, Arelatensem prouinciam adijt,
ibiq. indutus pellibus quasi religiosus orabat: ad quem illudendum pars aduersa diui-
nandi ei tribuit facultatem. Ex hoc vt in maiori proficeret scelere, commotus a loco,
prouinciam memoratam deserens, Gabalitanæ regionis terminum est ingressus, profe-
rens se magnum, ac profiteri se non metuens Christum, assumpta secum muliere qua-
dam pro sorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi B
exhibens infirmos, quos contingens sanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum,
argentumq. & vestimenta ij qui ad eum conueniebant: quod ille, quo facilius sedu-
ceret, pauperibus erogabat, prosternens se solo, effundens orationem cum muliere me-
morata, & surgens, se iterum a circumstantibus adorari iubebat. Prædicebat enim fu-
tura, & quibusdam morbos, quibusdam damna prouenire denunciabat, paucis salutem
futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus & præstigijs nescio quibus agebat.

* Greg. Turon. histor. lib. 10. c. 25.

DE ARREPTITIO IMPOSTORE.

Seducta est autem per eum multitudo immensa populi, & non solum rusticiores, verum
etiam sacerdotes Ecclesiastici. Sequebantur autem eum amplius quam tria millia popu-
li. Interea cœpit quosdam spoliare ac prædari, quos in itinere reperisset: spolia tamen
non habentibus largiebatur. Episcopis ac ciuibus minas mortis intentabat, eo quod
ab ijs adorari despiceretur. Ingressus autem Vellauæ * vrbis terminum, ad locum quem C
Anicium vocitant, accedit; & ad basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, in-
struens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc consistenti Episcopo bellum inferret, mit-
tens etiam ante se nuncios, homines nudo corpore, saltantes atque ludentes, qui ad-
uentum eius annunciarent. Quod stupens Episcopus, direxit ad eos viros strenuos in-
quirentes quid sibi vellent ista quæ gererent.

* Belluaci

Vnus autem ex ijs qui erat senior, cum se inclinasset, quasi osculaturus genua
eius, ac discussurus viam illius, iussit *pseudopropheta* eum apprehensum spoliari. Nec
mora, ille euaginato gladio, in frusta concidit: ceciditq. Christus ille, qui magis Anti-
christus nominari debet, & mortuus est; dispersiq. sunt omnes qui cum eo erant. Ma-
ria autem illa supplicijs dedita omnia phantasmata eius ac præstigias publicauit. Nam
homines illi, quos ad se credendum diabolica circumuentione turbauerat, numquam ad D
sensum integrum sunt regressi, sed hunc semper quasi Christum, Mariam autem illam
partem deitatis habere profitebantur. Sed & per totas Gallias emerserunt plerique, qui
per has præstigias adiungentes sibi mulierculas quasdam, quæ debacchantes sanctos
eos confiterentur, magnos se in populis præferebant: ex quibus nos pleroſque vidimus,
quos obiurgantes reuocare ab errore nisi sumus.] hucusque Gregorius Turonensis.

IMPOSTOR OCCIDITVR.

Porro ciusmodi impostura architectus diabolus æmulatus est gloriam Dei, quam
hoc potissimum anno consecutus est ex sancto suo, qui & femina, nempe matre sancta
Pelagia comministra vsus, ad sublime culmen sanctitatis euectus, hoc eodem anno,
deuicto diabolo gloriosus, comitantibus sanctis, in cælum ascendit. Fuit iste, qui
hoc quidem anno (vt idem auctor testatur) ex hac vita migrauit, S. Aredius Lemoui-
censis, cuius res gestas breui compendio idem Gregorius prosecutus est verbis istis [b]: E

b Greg. Turon. histor. lib. 10. c. 29.

S. AREDII PRAECLARAE RES GESTAE.

Aredius quoque hoc anno terras relinquens, vocante Domino, migrauit ad cælum.
Lemouicinæ vrbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed val-
de ingenuus. Hic Theodoberto Regi traditus, aulicis palatinis adiungitur. Erat enim
tunc temporis apud vrbem Treuericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus non
solum in prædicatione admirabilis facundiæ, verum etiam in operibus bonis ac mira-
bilibus celeberrimus habebatur in plebe. Qui intuens puerum in Regis palatio, ne-
scio quid in vultu eius cernens diuinum, præcepit ei se sequi. At ille relicto Regis pa-
latio, secutus est eum. Cumq. ingressi in cellulam, de ijs quæ ad Deum * pertinent confa-
bularentur: expetijt adolescens a beato sacerdote se corrigi, ab eo doceri, ab eo imbui,
ac in diuinis voluminibus ab eodem exerceri. Cumq. in huius studij flagrantia cum
Antistite memorato degeret, tonsurato iam capite, quadam die psallentibus cleri-

* cum

cis

A cis in ecclesia, descendit columba e camera, quæ leuiter volitans circa eum, resedit super caput eius, illud indicans (vt opinor) eum Spiritus sancti gratia iam repletum. Quam ille cum non sine pudore conaretur abigere, hæc paululum circumuolans, iterum super caput eius aut super scapulam residebat: quæ non modo ibi, sed etiam cum in cellulam Episcopi ingrederetur, iugiter comitabatur cum eo: quod per dies plurimos factum, non sine admiratione Episcopus intendebat.] Sed quod auspicio columbæ Deus initiasse visus est seruum suum, diabolus id æmulatus, muscarum examine pseudoprophetam inaugurauit. Pergit vero Gregorius: Exinde vir Dei, Spiritu (vt diximus) sancto repletus, ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat.

Deinde cum ieiunijs atque orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cura do-
B mus, id est, siue correctio familiæ, siue exercitium agrorum, siue cultus vinearum ad eam aspiceret; ne huic viro aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret: vnum sibi tantum priuilegium vendicans, vt ad ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? Construxit templa Dei in honore sanctorum, expetijtq. eorum pignora, *nempe sacras reliquias*, ac ex familia propria tonsuratos instituit monachos: cœnobiumq. fundauit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minus hæc tamen impedita hoc onere in Dei laudibus perstrepebat, sed assidue etsi quiddam operis exerceret, semper orationem Domino tamquam odorem incensi acceptabilis offerebat. MONASTERIVM S. AREDII.

Interea ad sanctum Aredium cœperunt infirmi confluere; quos, manus singulis cum ve-
C xillo Crucis imponens, sanitati reddebat: quorum si singillatim nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare. Vnum tamen noui, quod quicumque ad eum æger aduenit, sospes abscessit. De maioribus quoque miraculis parua proponimus. Iter quodam tempore cum genitrice dum ageret, & sancti Iuliani martyris ad basilicam properaret, venerunt vespere in quemdam locum: erat autem locus ille aridus & absque fluentis currentibus infœcundus. Dixitq. ad eum mater eius: Fili, aquam non habemus: & qualiter hic nocte præsenti quiescere possumus? At ille prostratus in orationem, & diutissime preces fundit ad Dominum; & erigens se, defixit virgam in terra quam manu gerebat, eamq. cum bis aut tertio in gyrum vertisset, ad se lætus extraxit: moxq. vnda aquæ secuta est tam valida, vt non solum ipsis de præsenti, sed etiam pecoribus affatim deinceps pocula ministraret. Nuperrimo
D autem tempore iter carpens, nimbus ad eum pluuiæ aduenire cœpit: quem ille cernens, paululum super equum in quo sedebat caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Consummata vero oratione, diuisa est nubes in duas partes, ac in circuitu eorum immanis descendit pluuia; super eos tamen nulla (si dici fas est) gutta descendit. Vuistrimundo quoque cognomento Tattonis, ciui Turonico, dentes grauem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat. Quod cum beato viro questus esset, manum super locum doloris imposuit: statimq. dolor fugatus, nusquam deinceps ad iniuriam hominis excitatus est. Hæc ipse qui passus est retulit. De his vero signis, quæ per virtutem sancti Iuliani martyris, Martiniq. confessoris beati in eius manibus Dominus operatus est, pleraque in libris Miraculorum, sicut ipse effatus est, scripsimus.

Post has vero & multas alias virtutes, quas Christo cooperante compleuit, aduenit
E Turonos post festiuitatem sancti Martini: ibiq. paululum commoratus, dixit nobis, se haud longæuo tempore adhuc in hoc mundo retineri, ac certe velocius dissolui: & Valedicens, abscessit, gratias agens Deo, quod priusquam obiret, sepulchrum beati Antistitis osculari promeruisset. Cumq. ad cellulam suam accessisset, testamento condito, ordinatis omnibus, ac S. Martino Hilarioq. Antistitibus heredibus constitutis, ægrotare cœpit, ac dysenteriæ morbo grauari. Sexta quoque ægrotationis eius die, mulier quæ a spiritu immundo sæpius vexata, a sancto emundari non poterat: ligatis per se a tergo manibus, clamare cœpit, ac dicere: Currite ciues, exilite populi, exite obuiam martyribus confessoribusq. qui ad exequium beati Aredij conueniunt. Ecce adest Iulianus a Briuate, Priuatus ex Mimate, Martinus a Turonis, Martialisq. ab vrbe propria: adest Saturninus a Tolosa, Dionysius ab vrbe Parisiaca, nonnulli & alij quos cælum retinet, quos vos vt confessores & Dei martyres adoratis. Hæc cum in exor-

dio noctis clamare cœpisset, a domino suo reuincta est: sed nequaquam potuit con- A
tineri. Quæ rumpens vincula, ad monasterium cum his vocibus properare cœpit: moxq. beatus vir spiritum tradidit, non sine testimonio veritatis, quod sit susceptus ab Angelis. Mulierem quoque in exequijs suis cum alia muliere nequiori spiritu vexata, vt est sepulchro tectus, a nequitia infesti dæmonij emundauit. Et credo ob hoc Dei nutu easdem in corpore positus non potuit emundare, vt exequiæ illius hac virtute glorificarentur. Post celebratum vero funus mulier quædam rictu patulo sine vocis officio ad eius accessit tumulum: quo oculis delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.] hactenus de S. Aredio Gregorius Turonensis; a quo contumelia affectus diabolus frustra in impostore (vt demonstratum est) similem sibi gloriam aucupari conatus fuit. His & paucis alijs rebus præterea additis, appositaq. serie Turonensium Episcoporum, ipse Gregorius finem historiæ Francorum imposuit propagatæ in quintum vsque annum B
Gregorij Papæ, cuius sextus hoc item anno incipit mense Septembri: quo pariter tempore finem viuendi idem fecisse putatur. Adiecit & catalogum scriptorum suorum, contestatione appositа, ne quis ob rusticitatem sermonis eos aboleret, aut aliqua ex parte mutilaret.

S. SVLPITII BITVRICENSIS OBITVS.

Eodem pariter anno idem S. Gregorius [a] recenset obitum contigisse S. Sulpitij Episcopi Bituricensis, inq. eius locum suffectum Eustatium tradit. Qui vero sanctissime vitam duxit, & diuinis miraculis coruscauit, æque dignus est habitus vt annua die eius memoria in Ecclesia Catholica coleretur sextodecimo Kalend. Februarij, vt Latinorum omnia Martyrologia indicant. Hunc successisse Austregisilo æque sancto, habent res gestæ ipsius Austregisili; Gregorius autem Remigium eius prædecessorem ponit [b]. Tu de his consule C
quæ in Notis ad Romanum Martyrologium diximus, vbi ostendimus non duos tantum, sed & tres Sulpitios eiusdē Bituricensis Ecclesiæ ponere oportere, si alium Sulpitium successorem Austregisili affirmare ex aliorum sententia voluerimus. At certum est Austregisilum vixisse tempore Theodorici Regis Francorum, successoremq. fuisse Apollinaris, agemus de eo nos suo loco inferius.

[a] *Greg. Turon. lib. 10. c. 26.*

[b] *Greg. Turon. lib. 6. c. 29.*

IESV CHRISTI ANNVS 596. GREGORII PAP. ANNVS 7. MAVRITII IMP. ANNVS 11.

DE IOANNIS CONSTANTINOP. OBITV.

QVingentesimo nonagesimosexto Domini anno, Indictionis decimæquartæ, elatum illum, fastu plenum, ac superbia tumidum hominem, is qui superbis resistit & D
humilibus dat gratiam Deus ex hac luce subtraxit Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, quem se efferentem amplius quam par erat, S. Gregorius quot litteris, tot fulminibus, anno superiori percussit. Porro qui ieiunando, & eleemosynas dando, magnam viuens sibi laudem comparasset, post mortē a suis sanctus falso est habitus. Audi in primis quæ de ipso Nicephorus referat [c]: Tum vero, inquit, Hierarcha vrbis Constantinopolitanæ Ioannes post Episcopatus sui annos tredecim ex hac vita decessit. Qui quod voluptates expugnauerit, animiq. perturbationes coercuerit, & imperium in ventrem exercuerit, νηστευτὴς, hoc est, Ieiunator a Byzantijs cognominatus est, vir ex idiotarum quidem ille & opificij non inhonesti ordine progressus, sed qui propter præstantem virtutem ad Episcopatus fastigium sublatus sit. De quo cum multa alia memoratu digna prædicantur, tum illud maxime celebratur, quod propter suam erga pauperes affectionem & misericor- E
diam, pluribus ab Imperatore talentis mutuo sumptis, syngrapham illi dederit, qua substantiam suam mutuæ pecuniæ tamquam hypothecam opposuit atque impignorauit.

[c] *Nicephor. lib. 18. c. 34.*

At postquam is e vita migrauit, Mauritius Antistitis facultates requirens, paupertatem eum magnopere consectatum fuisse comperit: eumq. de virtute tanta admiratus, syngrapham statim discerpsit: & lectulum tantum ligneum qui in bonis eius repertus est, & amiculum laneum tenue admodum, necnon penulam quamdam deformem (fuerat namque Ioannes male vestitus, frugalitate vitæ conspicuus) in aulam Imperialem inferri iussit, eaq. rebus omnibus prætulit: & ieiuniorum solemni tempore deinceps, lectis ex auro & lapillis pretiosis concinnatis, sericisq. vestibus, & alijs Imperialibus delicijs vale dicto, ligneo Præsulis eius toro noctibus totis vsus est, gratiā quamdam diuinam ex eo se consecuturum existimans.] hæc Nicephorus. His erga Ioannem exhibitis post obitum ab Imperatore

A ratore postremis officijs, factum est, vt populus Regem sequens, eum vti sanctum coluerit, eaq. opinione propagatum sit nomen eius ad posteros. Sed quid de his sit sentiendum, prouoco te, lector, ad S. Gregorium Romanum Pontificem eum instar Samuelis Saul lugentem.

Hic ergo sublato de medio, substitutus est in locum eius Cyriacus Oeconomus optimi nominis vir, nonnihil antea reluctatus. Qui simulac regiæ ciuitatis Episcopalem thronum conscendit, mox ad promerendam Catholicam communicationem a Romano Pontifice, duos legatos Romam misit, Georgium presbyterum, & Theodorum diaconum, quibus & cum fidei professione litteras dedit ad ipsum Gregorium. Constant hæc quidem ex redditis ab ipso Pontifice ad eum litteris [a], quibus & reciprocam misit Catholicæ fidei regulam: reddidit alias [b] quoque litteras, cum & ipse Cyriacus alias ad ipsum
B scripsisset: commendauitq. Ioannem Chalcedonensem & Athanasium presbyteros absolutos in Romanæ Ecclesiæ iudicio, qui hæresis fuerant accusati. Scripsit & ad Mauritium Imperatorem Gregorius litteras [c] de electione Cyriaci: vbi dum ait, ipsum Mauritium esse moratum, multumq. temporis distulisse successoris Ioannis Episcopi electionem; facile inducimur vt credamus huius anni primo exordio, vel fortasse præteriti anni extremo tempore, ipsum Ioannem esse defunctum: vt plane intelligas diuinam haud retardatam esse vindictam.

[a] Gregor. lib. 6. epist. 5. Indict. 13.
[b] Idem eodem lib. 6. epist. 4.
[c] Gregor. lib. 6. epist. 6. Ind. 11.

Scripsit item sanctus Gregorius & de substitutione eadem Cyriaci ad Episcopos [d], qui eum ordinarant: quibus cum gratularetur de tanti Antistitis electione, placide tamen eos redarguit, quod scripsissent, apparuisse in Ecclesia Cyriacum sicut Solem, ob idq. eidem illud propheticum [e] cunctos acclamasse: Hæc dies quam fecit Dominus: exulte-
C mus & lætemur in ea.] ignoscit tamen, quod sciret ex charitate depromptum, quod de Filij Dei erat prophetatum aduentu. Quod vero ad personam Cyriaci sibi bene cognitam cum esset Constantinopoli pertinet, ista habet: Dudum suæ magnitudinis probationem dedit, quod in tam multis dispensationis Ecclesiasticæ causis occupatus tranquillum cor inter turbulentas frequentias tenuit, seq. ipsum semper sub mansuetudine restrinxit: quod videlicet non parua laus magni & inconcussi est animi, inter causarum turbas non fuisse turbatum.] hæc de Cyriaci virtutibus, de quo inferius suis locis sæpe dicendum. At licet eiusmodi epistolis vltro citroq. datis mutua inter Gregorium & Cyriacum intercessisset in Catholica fide consensio atque communicatio, ipse tamen Gregorius litteris in mandatis dedit Sabiniano suo Constantinopoli Apocrisario, ne as-
D sisteret Cyriaco sacra Missarum solemnia celebranti, nisi vsurparum a prædecessore suo illicitum nomen Oecumenici Cyriacus penitus dimitteret. Quod cum faceret Sabinianus, Cyriacus anno sequenti per suos conquestus est Responsales, quos Romam misit. Sed de his agendum eodem anno sequenti.

[d] Gregor. lib. 6. epist. 7. Ind. 13.

LAVDES CYRIACI EPISC. CONSTANTINOP.

[e] Psal. 117.

Quod pertinet ad legatos Constantinopoli missos: antequam hiems ingrueret, festinauit Gregorius Papa eos dimittere, vt testatur in dictis litteris ad Mauritium: sed quos optimos nouerat, pœnituit tam cito dimisisse. Admonuit tamen eosdem absentes, adhuc in via positos, datis ad eos litteris [f], de quadam ipsorum assertione erronea, qua dixissent, omnes quotquot in inferis confessi essent Christum Deum, ab eo liberatos esse: quam quidem sententiam diu ante damnatam demonstrat assertione Philastrij, necnon S. Augustini. Quid enim de his sentiat Catholica assertio, paucis ita declarat: Hæc itaque pertractantes, nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet: Quia
E descendens ad inferos Dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide & bona operatione seruauit.] hæc de dogmate Gregorius.

LEGATI ADMONENTVR A S. GREGORIO.

[f] Gregor. lib. 6. epist. 13. Ind. 13.

Quod autem ad res Longobardorum pertinet: frustra hactenus Gregorius Papa pacem, obsistentibus Imperatoris ministris, tentasse visus est, vt docet ipse in epistola ad Secundinum [g]: quorum studio Rauennæ hoc anno aduersus Castorium Responsalem Ecclesiæ contestationem noctu tradit affixam, ex qua ipse Gregorius perstringeretur. Cuius rei gratia, in eum qui talia ausus fuerat perpetrare, pœnam excommunicationis inflixit in hunc modum [h]: Quidam maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium Notarium ac Responsalem nostrum, nocturno silentio, in ciuitatis loco contestationem posuit in eius crimine loquentem, mihiq. etiam de facienda pace callide contradicentem. Et quia quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare: opor-

DE PACE CVM LONGOBARDIS IMPEDITA.

[g] Gregor. lib. 5. epist. 29. Ind. 14.
[h] Gregor. lib. 5. epist. 30. Ind. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tet vt publice exeat,& quæcumque in conteſtatione ſua loqui præſumpſit oſtendat. Quod A
ſi non exierit, neque publice confeſſus fuerit: quiſquis ille ſit, qui hoc agere præſumpſit,
vel conſenſum in tantæ iniquitatis conſilio præbuit: ex Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti
ſpiritu definimus, vt ſancti eius corporis ac ſanguinis participatione priuatus ſit. Si vero
quia latet, & quoniam neſcitur, teneri a diſciplina non valet, ſi tanti mali conſcius, etiam
prohibitus, corpus & ſanguinem Domini percipere præſumpſit: anathematis vltione per-
cuſſus ſit, & vt fallax ac peſtifer a ſanctæ Eccleſiæ corpore diuiſus, &c.]

Quæ vero interim Romanus populus pateretur a ſæuientibus Longobardis, ex his
quæ ſcribit [a] hoc anno ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum intelligere poſſumus,
vbi ait: Quanta autem nos a Longobardorum gladijs in quotidiana noſtrorum ciuium
deprædatione, vel detruncatione atque interitu patimur, narrare recuſamus: ne, dum
dolores noſtros loquimur, ex compaſſione quam nobis impenditis, veſtros augeamus.] B
hæc ipſe. At non Vrbem tantum, ſed & alias Italiæ ciuitates, quæ adhuc ſub dominio
erant Imperatoris, id ipſum eſſe paſſas, argumento eſt eiuſdem Gregorij epiſtola [b] da-
ta ad Fortunatum Fanenſem Epiſcopum, qua ei concedit, vt captiuorum ſuorum redem-
ptionis cauſa vaſa ſacra diſtraheret. Sed & Campaniæ partibus plura damna illata hoc
anno fuiſſe,epiſtola eiuſdem ſancti Gregorij ad Anthemium [c] ſubdiaconum docet his ver-
bis: Quantus dolor, quantaq. ſit noſtro cordi afflictio de his quæ in partibus Campa-
niæ contigerunt, dicere non poſſumus, ſed ex calamitatis magnitudine potes ipſe co-
gnoſcere. Ea de re pro remedio captiuorum, qui tenti ſunt, ſolidos experientiæ tuæ per
harum portitorem Stephanum virum magnificum tranſmiſimus,admonentes vt omnino
debeas eſſe ſolicitus, ac ſtrenue peragas, & liberos homines quos ad redemptionem ſuam
ſufficere non poſſe cognoſcis, tu eos feſtines redimere. Qui vero ſerui fuerint, & domi- C
nos eorum ita pauperes eſſe compereris, vt eos redimere non aſſurgant, & hos quo-
que comparare non deſinas, &c.] In his expenſis ſancti Gregorij commiſerati ab-
ſentes, eidem pecuniam direxere: præſtitit id Ioannes Syracuſanus Epiſcopus, ad quem
de his extat ipſius Gregorij epiſtola [d], in cuius fine monet, ne ſua ſcripta in menſa co-
ram extraneis legi faciat. Porro non a Longobardis tantum derentos redimi voluit,
ſed & quos emiſſent Iudæi in aliena prouincia. eſt de his epiſtola eiuſdem Gregorij ad
Candidum data [e].

Tranſmiſſa ad hoc quoque eſt pecunia a Theotiſto atque Andrea Patricijs Conſtanti-
nopoli,vt ex redditis anno ſequenti ad eos litteris docet:vbi & de his quæ fierent per Lon-
gobardos, poſt alia ſuperius relata, hæc addit [f]: Indico quia ex Crotoneſi ciuitate, quæ
ſuper Hadriaticum mare in terra Italiæ poſita, tranſacto anno a Longobardis capta eſt, D
multi viri ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ ſunt: & filij a parentibus, parentes
a filijs,& coniuges a coniugibus diuiſi: ex quibus aliqui iam redempti ſunt. Sed quia grau-
ia pretia eis indicunt, multi apud nefandiſsimos Longobardos hactenus remanſerunt.
Mox autem medietatem pecuniæ, quam tranſmiſiſtis, in eorum redemptionem tranſmi-
ſi. De medietate vero ancillis Dei, quas vos Græca lingua monaſtrias dicitis, lectiſter-
nia emere diſpoſui: quia in lectis ſuis graui nuditate in huius hiemis vehementiſsimo fri-
gore laborant: quæ in hac vrbe multæ ſunt: nam iuxta notitiam qua diſpenſantur, tria
millia reperiuntur. Et quidem de S. Petri Apoſtolorum principis rebus octoginta annuas
libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem iſta quid ſunt, maxime in hac vrbe,
vbi omnia graui pretio emuntur? Harum vero talis vita eſt, & tantum lacrymis & abſti-
nentia diſtricta, vt credamus, quia ſi ipſæ non eſſent, nullus noſtrum iam per tot annos in E
loco hoc ſubſiſtere inter Longobardorum gladios potuiſſet.] hæc Gregorius, ſalutem Vr-
bis ex harum precibus venire profeſſus.

At licet tot tantisq. Gregorius ex Longobardorum infeſtationibus premeretur angu-
ſtijs abſque ſpe pacis, quam interuerterent Imperatoris Præfecti: nihil tamen remiſit ſibi
creditæ ſolicitudinis paſtoralis, vt Dominicum gregem toto orbe diffuſum ſumma vi-
gilantia cuſtodiret; immo tanta in his ærumnis celſitudine animi diuina gratia cre-
ctus eſt, eoq. fiduciæ creuit, vt mitteret manus ad fortia, & opus aggrederetur im-
menſum, humanoq. captui perdifficile, immo penitus impoſſibile, niſi præpoten-
ti auxilio Dominus annuiſſet, nempe conuerſionem gentis Anglorum, quibus ad-
huc ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, perſeuerantibus in veteri idolorum
cultura, nullus penitus radius lucis Euangelicæ refulſiſſet; Britannis, qui reſidui erant
in inſula,

[a] *Gregor. lib. 5. epiſt. 60. Ind. 14.*

DE MALIS PER LONGOBARDOS ILLATIS.

[b] *Gregor. lib. 5. epiſt. 13. Ind. 15.*

[c] *Gregor. lib. 5. epiſt. 34. Indict. 14.*

[d] *Gregor. lib. 6. epiſt. 9.*

[e] *Gregor. lib. 6. epiſt. 21.*

[f] *Gregor. lib. 6. epiſt. 23. Ind. 13.*

MONIALES VRBIS A PONTIFICE ALEBANTVR.

DE CONVERTENDIS AD FIDEM ANGLIS S. GREGORII CONSILIVM.

A in insula, tantum hoc illis (vt Beda ait) bonum inuidentibus, reliquis vero proximis Christianis eosdem assiduis bellis vrgentibus, vt non illis viram afferre gratiæ, sed quam a natura haberent auferre pro viribus laborarent; vel saltem dempta libertate ducerent sub iugo captiuos, ac venumdarent. Vnus ergo tantummodo repertus est in orbe pater, qui esset de ipsorum salute solicitus; quibus, longe licet positus, Apostolico munere præsens adesset, eosdemq. paternis foueret amplexibus, vocaret ad fidem, inuitaret ad gratiam, atque æternitatis aditum aperiens, præpotenti verbi Dei virtute ad ingrediendum impelleret.

Aggressus est omnia ista perardua sanctus Gregorius, vere ob facta præclara Magnus, & præfectura totius Ecclesiæ Maximus. Qui vbi velut e terra promissionis decerptos fructus anno superiori delatos vidit in Vrbem, vbi inquam per Candidum [a] presbyterum Cu-
B ratorem patrimonij S. Petri in Gallia pecunia Romanæ Ecclesiæ emptos adolescentulos Anglos recepisset, eosq. baptizasset, & libertate donatos in monasterio collocasset, atque summo adniti studio ad perfectissimum Christianæ religionis cultum vidisset: exarsit magis animo ad vniuersam Anglorum gentem Ecclesiæ coniungendam, cuius dulces primitias prægustatas Domino obtulisset. Quorum relatione putamus pariter ipsum accepisse Gregorium, optare gentem illam Christiana imbui religione: nam de ipsorum desiderio hæc ipse habet ad Reges Francorum [b]: Peruenit ad nos, Anglorum gentem ad fidem Christianam, Deo miserante, desideranter velle conuerti, sed sacerdotes vestros e vicino negligere, & desideria eorum cessare sua adhortatione succendere.] Eadem habet in epistola ad Brunichildem [c]. His igitur excitatus Gregorius stimulis, nulla penitus ratione habita temporis importuni, secundum illud Ecclesiastes [d]: Qui obseruat ventum,
C non seminat] quos sanctiores in suo monasterio sciret latere sub claustrali custodia monachos Augustinum atque Mellitum, eosdem cum alijs quibusdam ipsis adiunctis *socijs mittit in Angliam*. Fuisse autem Augustinum Præfectum monasterij sancti Gregorij, ipse Gregorius tradit in epistola ad Syagrium Episcopum Augustodunensem [e].

Sed quid accidit? Cum hos Gregorius misisset lætantes, dum essent in via, humanum quid passi, difficultatem immensæ molis operis cogitatione voluentes, despondent animum, cum iam peruenissent in Gallias. Cuius rei causa illud statuunt, vt Augustinus Romam ad Gregorium rediret, qui id Pontifici dissuadeat. At tantum abest vt illorum dissuasione Gregorius a cœptis desisteret, vt vehementiori impetu animi ad opus prosequendum assurgeret, remitteretq. Augustinum, & ad illos qui remanserant litteras daret, quibus eos hortatus est inchoatum opus perficere. Extant ipsæ Gregorij litteræ, sed
D apud Bedam [f]; meminitq. eiusdem rei Ioannes diaconus [g]. Redeunte ad opus Augustino, idem Gregorius plures pro eo litteras dedit, commendans ipsum eiusq. socios tum Francorum Regibus, tum etiam Galliarum Episcopis: earum epistolarum quæ prima ponitur co argumento conscripta, data [h] habetur ad Pelagium Taurinensem, & Serenum Massilienssem Episcopos: verum apud Bedam scripta legitur ad Aetherium Episcopum Arelatensem, sed mendose quidem. Etenim Arelatensis Ecclesiæ non Aetherius, sed Virgilius hoc tempore Episcopus erat. Aetherium autem ijsdem diebus fuisse Episcopum Lugdunensem, testatur Gregorius Turonensis [i].

Dedit alias seorsum ad ipsum Virgilium Galliæ (vt habet earum inscriptio) Metropolitanum [k]: alias item ad Desiderium Viennensem, & Syagrium Augustodunen-
E sem, ad Episcopum vero Aquensem Protasium alias, necnon ad Stephanum Abbatem, itemq. ad Agritium Patricium: extant ipsæ omnes, in primis vero quæ scriptæ sunt eadem ex causa ad Theodobertum [l] atque Theodoricum Francorum Reges, necnon aliæ ad Reginam Brunichildem. Quæ autem hæc consecuta sint, suo loco dicemus: hic vero dumtaxat agamus de eorum appulsu in Britanniam insulam.

Sed prius hic reddamus Gregorij epistolã scriptam ad Augustini socios tunc adhuc expectantes in Gallia, cui ista Beda præfatur [m]: Cum iussis Pontificalibus obtemperantes, memoratum opus aggredi cœpissent, iamq. aliquantum itineris confeciissent, perculsi timore inerti, redire domum potius, quam barbaram, feram, incredulamq. gentem, cuius nec linguam quidem nossent, adire cogitabant, & hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora Augustinum, quem eis Episcopũ ordinandum, si ab Anglis susciperentur, disposuerat, domum remittunt, qui a beato Gregorio humili supplicatione obtineat, ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent.

[a] *Gregor. lib. 5. epist. 10. Ind. 14.*

[b] *Gregor. lib. 5. epist. 58. Ind. 14.*

[c] *Gregor. lib. 5. epist. 59. Ind. 14.*

[d] *Eccl. 11.*

AVG. ET SOCII IN ANGLIAM MISSI.

[e] *Gregor. lib. 7. epist. 112. Ind. 2.*

AVG. REVERTITVR ROMAM.

[f] *Beda de gest. Anglor. lib. 1. c. 23.*

[g] *Ioan. diac. in vit. S. Greg. lib. 2. c. 34.*

AD DIVERSOS LITTERAS DAT PRO AVG. ET SOCIIS.

[h] *Gregor. lib. 5. epist. 58. Ind. 14.*

[i] *Greg. Turon. hist. Franc. lib. 10. c. 28.*

[k] *Gregor. lib. 5. ep. 53. 54. 55. 56. 57. Ind. 14.*

[l] *Ibid. ep. 58. 59.*

[m] *Beda lib. 1. cap. 23.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rent. Quibus ille exhortatorias mittens litteras, in opus eos verbi diuino confisos auxilio proficiſci ſuadet. quarum videlicet litterarum iſta eſt forma: A

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

GREG. EPIST. AD SVOS.

Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his quæ cœpta ſunt, cogitatione retrorſum redire: ſummo ſtudio, dilectiſſimi filij, oportet vt opus bonum, quod auxiliante Deo incepiſtis, impleatis. Nec ergo labor vos itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: ſed omni inſtantia, omniq. feruore, quæ inchoaſtis, auctore Deo peragite, ſcientes quòd laborem magnum æternæ retributionis gloria ſequitur. Remeante autem Auguſtino Præpoſito veſtro, quem & Abbatem vobis conſtituimus, in omnibus humiliter obedite: ſcientes hoc veſtris animabus per omnia profuturum, quicquid a vobis fuerit in eius ordinatione completum. Omnipotens Deus ſua vos gratia protegat, & veſtri laboris fructum in æterna me patria videre concedat: quatenus etſi vobiſcum labo- B rare nequeo, ſimul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare ſcilicet volo. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſsimi filij. Data die decima Kalendarum Auguſtarum, imperante domino noſtro Mauritio Tiberio pijſsimo Auguſto anno decimoquarto, poſt Conſulatum eiuſdem anno XIIII. Indictione decimaquarta.] hactenus apud Bedam. Sed mendoſa ſupputatio annorum Imperatoris ex citatis ſuperius locis ſancti Gregorij & exacte numeratis annis Mauritij eſt emendanda, qua idem Beda deceptus annos eiuſdem Imperatoris aliter quam opus eſt numerat. Nam (vt id modo attingamus) quo pacto data dicitur poſt Conſulatum Mauritij anno decimoquarto, ſi Acta publica ſub eodem Gregorio habita poſt annos quinque, nempe Indictione quarta, notata habentur[a] Conſulatu eius vndecies? Porro tantum opus Gregorius haud inconſiderate atque feſtine eſt aggreſſus, ſed diu multumq. id ipſum meditatus eſt, quod & pre- C cum aſsiduitate decoxit: teſtatur enim id ipſe in epiſtola[b] ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum. Sed de his quæ hoc anno ſunt geſta, modo ſatis: reliqua inferius pro temporis ratione dicentur. Iam redeamus ad reliquas ſancti Gregorij Papæ anni huius res geſtas.

a Gregor. lib.9. epiſt.22.

b Gregor. lib.7. epiſt.12. Ind.2.

Curans ipſe paſtor paſtorum excubias, hoc anno inter alia de adminiſtratione Epiſcopatus illud Epiſcopos magnopere admonuit, ne lites haberent & contentiones cum prouinciarum Præſidibus, ſed eos beneuolentia vincere, atque beneficijs & officijs promereri ſtuderent, eo quod magnopere conduceret ſi cũ ſæcularibus miniſtris Epiſcopi concordes eſſent. Eſt de his elegans eius epiſtola ad Ioannẽ Epiſcopum Syracuſanum[c], quẽ admonet, vt omni ſtudio in gratiam redire conaretur cum Venantio præfecturam illic gerente, & ſi opus ſit, etiam Miſſas in eius domo ipſe dici permittat, immo & ipſemet dicat: nam audi: D Adhortamur, inquit, quatenus & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine & Deo placita debearis ſinceritate ſuſcipere, & in domo ipſius Miſſarum peragi myſteria permittatis, vt (ſicut ſcripſimus) ſi fortaſſe voluerit, per vos debearis accedere, & celebrando apud eum Miſſas, priorem gratiam reformare. Oportet namque filijs ſacerdotalem vos affectum impendere, & in cauſis prout ratio ſuffragatur, iuriſdictionem Eccleſiæ veſtræ minime præterire. Hoc ergo conſiderans, neceſſe eſt, vt ita ſe circa eos fraternitas veſtra diſcreta moderatione exhibere ſtudeat, vt & quod negotij qualitas exigit, ſalubriter peragat, & a paternæ charitatis gratia non recedat.] Hæc prudenti moderatione Gregorius, ab omnibus audiendus, dum ſic laborat pro Eccleſiaſtica iuriſdictione ſeruanda, vt charitatem nolit in animarum detrimentum pati diſpendium: extat etiam & alia de ijſdem epiſtola[d] ad ipſum Venantium, Ex quibus & illud intelligis, in domibus E etiam priuatis conſueuiſſe dici Miſſas: ſicut nec nouum & inuſitatum, quod obijciunt Nouatores, vt in vna eccleſia plura ſint altaria: nam idem ſanctus Gregorius in epiſtola ad Palladium Epiſcopum Santonenſem[e] hoc anno, cum petitas mittit ad eum reliquias ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Laurentij, atque Pancratij, meminit de eccleſia illa tredecim habente altaria.

c Gregor. lib.5. epiſ.43. Ind.14.

d Greg. eod. lib. epiſt.42.

e Gregor. lib.5. epiſ.50. Ind.14.

f Gregor. lib.5. epiſ.61, Ind.14.

g Gregor. lib.6. epiſt.2. Ind.15.

DONATISTAE IN VALESCVNT IN AFRICA.

Laborans Gregorius in vniuerſalis Eccleſiæ cura, corporis corripitur infirmitate, de qua, Deo operante, conualuit. Teſtantur id ab eo hoc anno datæ litteræ menſe Auguſto ad Gennadium Patricium[f], quibus etiam declaratur de Paulo Epiſcopo in Africa vocato Romam ad dicendam cauſam: ſed cum deeſſet qui eum Romæ accuſaret, dimiſit[g]. Quod autem magis ipſius Gregorij excruciauit animum, illud fuit, quod Africanam Eccleſiam abſque remedio audiret corrumpi & labefactari a perfidis Donatiſtis. Nam audi quid

A di quid hoc itidem anno ad Columbum Numidiæ Episcopum de his scribat [a]: Præterea, inquit, res ad nos omnino dura & rectæ fidei inimica peruenit: quia (quod dici nefas est) Catholici homines, & religiosi (quod est deterius) filios, mancipiaq. sua, vel alios quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt. Et ideo, si verum est, fraternitas vestra hoc summopere studeat emendare: quatenus sinceritas fidei vestra solicitudine intemerata consistat, & innocentes animæ, quæ Catholico baptismate saluari poterant, hæreticorum infectione non pereant, &c.] Sed audi querelas ipsius Gregorij in litteris ad Mauritium Imperatorem, quem dum his consulere in animo habentem summopere laudat, per eius ministros remedia cuncta inania reddi conqueritur; ait enim [b]; *a Gregor. lib. 5. epist. 36. Ind. 14.*

Inter armorum curas & innumeras solicitudines, quas indefesso studio pro Christianæ Reipublicæ regimine sustinetis, magna mihi cum vniuerso mundo lætitiæ causa est, B quod pietas vestra custodiæ fidei, qua dominorum fulget Imperium, præcipua solicitudine semper inuigilat. Vnde omnino confido, quia sicut vos Dei causas religiosæ mentis amore tuemini, ita Deus vestras maiestatis suæ gratia tuetur & adiuuat. Qualiter autem pietatis vestræ serenitas contra Donatistarum flagitiosissimam prauitatem consideratione iustitiæ & sinceriſsimæ religionis zelo commota sit, directarum lucidissime tenor insinuat iussionum. Sed venientes viri reuerendissimi ex Africana prouincia Episcopi asseruerunt ita esse incauta dissimulatione postpositas, vt nec Dei illic iudicium haberetur in metu, nec Principales hactenus iussiones sortirentur effectum: hoc etiam subiungentes, quod in præfata prouincia, Donatistarum præmijs præualentibus, fides Catholica publice venumdetur. *b Gregor. lib. 5. epist. 53. Ind. 14.*

LEGES MAVRITII ADVERSVS DONATISTAS CONTEMPTAE.

At contra glorioſus vir Gennadius de vno eorum mihi similia questus est, qui talia C querebatur. Cui etiam duo alij certi in re eadem testimonium ferebant. Sed quia causa ipsa *sæcularis Iudicis* intererat, eosdem Episcopos ad pietatis vestræ existimaui esse *vestigia* dirigendos, vt per semetipsos sereniſsimis auribus suggerant, quæ se fatentur pro fide Catholica pertulisse. Ea propter obsecro, vt dominorum Christianitas pro salute animæ & vita pijſsimæ sobolis, sua eos, quos tales esse cognoscit, districta vlciſci iussione præcipiat, & ruinam pereuntium ereptionis manu suspendat, atque insanis mentibus correctionis medicinam adhibeat, & errorum ab eis morbos expellat: quatenus dum piæ prouisionis vestræ remedio pestiferæ prauitatis fuerit caligo depulsa, & vera illic fides radios suæ serenitatis asperserit, cælestis vos ante Redemptoris nostri oculos triumphus expectet: quia quos exterius ab hoste defenditis, etiam interius a diabolicæ fraudis veneno (quod est glorioſius) liberatis.] hactenus ad Mauritium Gregorius: cuius D animi angustias ex eo pensare quis poterit, quod cum diuino amore succensus, lucro animarum tantopere inhiaret, vt diuisos etiam toto penitus orbe perquireret, vt Christianos faceret Anglos; ingenti molestia affectum oportuit, cum per Donatistas cerneret eos qui erant in Africa Catholici, schismaticos atque hæreticos reddi. At non solum aduersus Donatistas, verum etiam aduersus Samaritanos [c] antiquos hæreticos fuit eidem hoc anno pariter insudandum; quod hi seruos emerent, eosq. circumciderent: itemq. agendum fuit aduersus Iudæos [d], qui prohiberent seruos suos ad fidem Christianam venire. *c Gregor. lib. 5. epist. 32. Ind. 14.* *d Gregor. lib. 5. epist. 31. Ind. 14.*

Erant in Italia multi schismatici (vt sæpe dictum est) Trium capitulorum causa: hos vt ad vnitatem Catholicam restitueret, idem S. Gregorius plurimum laborauit: quos vero reuocasset a schismate, eosdem ab Ecclesia Catholica ali voluit, annuam ex bonis E Ecclesiæ eisdem dari pensionem iubens. Extant de his eiusdem Gregorij tres hoc anno epistolæ datæ [e]. Sed qui tanta de S. Gregorio, ab eodem facta hoc anno, retulimus; quod minimum videtur, non prætermittamus, ex quo maxima comprehendas: cum enim vniuersalis Ecclesiæ curæ inuigilaret, quæ essent minima non minori diligentia pertractauit. Etenim illud accidit, vt cum in Orientalem clericulum incidisset, qui commendaticias litteras ad Ephesi Episcopum ab ipso petijsset: examinauit eum ipse Gregorius, an quæ sui essent muneris sciret; sed cum inuenisset esse litterarum penitus expertem, eumdem Ephesino Episcopo solicito studio commendauit [f], vt ab ipso quæ essent sibi necessaria doceretur. QVIB. IN PRIMIS SVCCVRRI VOLVIT GREGORIVS. *e Gregor. lib. 5. epist. 38. 39. 40. Ind. 14.* *f Gregor. lib. 6. epist. 11.*

Sed iā Gallias inuisamus. Hoc enim anno, petentibus Dinamio Patricio & Aureliano, priuilegium Gregorius concessit [g] Massilienſi monasterio in honorē S. Cassiani consecrato. Ex eiusdē quoque S. Gregorij epistolis Indictionis decimæquartæ in Gallias hoc anno *g Gregor. lib. 6. epist. 12. Ind. 13.*

datis

datis colligitur, eadem Indictione defunctum esse Childebertum Regem Francorum, A
REGES FRANC. THEODORIC. ET THEODOBERTVS.
suiq. regni reliquisse heredes Theodoricũ atque Theodobertum. Etenim cum sexta epistola ad Childebertum Francorum Regem conscripta sub eadem Indictione data habeatur, rursus item epistola quinquagesimaoctaua scripta appareat sub eadem Indictione ad dictos Reges Theodoricum atque Theodobertum eius heredes: manifestum est, illo sublato de medio, hos regnare cœpisse. Ex quibus alios redarguas chronographos, qui in annum sexcentesimum horum ponunt ingressum.

a Vit. S. Columbani, c. 18. apud Bedam to. 3. & Sur. tom. 6. die 21. Nouemb.

De his autem accipe quæ apud Acta S. Columbani [a] celsitudine meritorum conspicui scripta habentur his verbis: Mortuo deinde Childeberto, infra adolescentiæ annos regnauerunt filij Childeberti duo, Theodobertus, & Theodoricus, cũ auia sua Brunichilde. Regno Burgundionum Theodoricus potitur: regnum Austrasianorum Theodobertus suscepit regendum. Theodoricus ergo quia in terminis regni sui beatum Columbanum habe- B
ret, gratulabatur non minime. Ad quem cum sæpissime veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concubinarum adulterijs misceretur, & non potius legitimi connubij solamine frueretur, vt regalis proles ex honorabili Regina prodiret, & non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumq. iam ad viri Dei imperium Regis fermo obtemperaret, & se ab illicitis segregare sponderet: mentem Brunichildis auiæ, secundæ (vt erat) Iezabelis, antiquus hostis adijt, eamq. contra virum Dei stimulatam superbiæ aculeo excitat, quia cerneret viro Dei Theodoricum obedire: verebatur enim, ne si abiectis concubinis, Reginam aulæ præfeciisset, & dignitatis & honoris sui modum amputasset.] Sed quæ hæc secuta sunt, dicemus anno sequenti.

C

IESV CHRISTI ANNVS 597. GREGORII PAP. ANNVS 8. MAVRITII IMP. ANNVS 12.

ADest annus Redemptoris quingentesimus nonagesimusseptimus Indictionis decimæquintæ, quo mense Septembri inchoatur Gregorij Papæ annus Pontificatus octauus, absoluitur vero Mauritij Imperatoris vndecimus, quo Cyriacus Constantinopolitanus Episcopus Responsales suos misit Romam ad sanctum Gregorium Papam, simulq. Synodalem epistolam, qua tum fidei Catholicæ professio contineretur, tum etiam ipse communionem Catholicam expeteret, pacemq. seruari rogaret. Addidit litteras Mauritius Imperator ad eumdem Gregorium, quibus eum pluribus hortatus est D
DE LEGATIONE EPISC. CONSTANTINOP. AD S. GREG. PAPAM.
vt missos a Cyriaco Episcopo Constantinopolitano Responsales susciperet, communioneq. Catholica eosdem impertiret. Iam enim anno superiori (vt dictum est) reciproca fidei confessione simul communicauerant inter se Cyriacus Episcopus Constantinopolitanus atque Gregorius Papa. Præcedente igitur istiusmodi communicatione, Cyriaco visum est mittere debere ex more suos Romam ad Gregorium Pontificem Responsales, quos & commendatos voluit litteris eiusdem Mauritij Imperatoris.

Cum autem Responsales missi Romam peruenissent, eosdem Gregorius, ne quouis modo ipse auctor schismatis diffamari posset, benigne excepit, quos etiam interesse sacris Missarum solemnijs passus est, impertiens eos communione Catholica; ita tamen, vt assentiri noluerit Apostolicæ sedis Apocrisarium, qui degebat Constantinopoli, interesse sacris a Cyriaco celebrandis, nisi nomen Oecumenici inuidiosum atque rixosum pe- E
QVA RATIONE RESPONSALES AD COMMVNIONEM RECEPTI.
nitus tolleret atque aboleret. Hæc autem omnia breuiter habet sanctus Gregorius in epistola quam scripsit ad sanctissimos Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum, Eulogium scilicet, atque Anastasium, verbis istis [b]:

b Gregor. lib. 6. epist. 31. Ind. 15.

Charitas qua vobis valde constrictus sum, tacere me minime permittit: vt sanctitas vestra quæcumque apud nos aguntur, agnoscat, & falsis rumoribus non decepta, suæ iustitiæ atque rectitudinis viam, sicut perfecte cœpit, perfectius teneat. Responsales siquidem fratris & coepiscopi nostri Cyriaci venientes, eius ad me Synodicam detulerunt epistolam. Et quidem inter nos & ipsum (sicut vestra beatitudo nouit) propter appellationem profani nominis est grauis discordia. Sed in causa fidei transmissos Responsales eius existimaui esse suscipiendos; ne culpa elationis, quæ in Constantinopolitana Ecclesia pene contra omnes sacerdotes exorta est, dissensionem fidei & rixam Ecclesiasticæ

faceret

A faceret vnitati. Eosdem vero Responsales, quia hoc omnino humiliter precabantur, Missarum solemnia mecum celebrare feci. Quia (sicut & serenissimo domino Imperatori nostro intimare studui) Responsales fratris & consacerdotis nostri Cyriaci mihi communicare debuerunt: quia, auctore Deo, in elationis errorem non cecidi. Meus vero diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco Missarum solemnia celebrare non debet: quia per profanum vocabulum culpam superbiæ aut commisit, aut sequitur: ne si (quod absit) procedit, ei in tali elatione posito vanitatem stulti nominis confirmare videamur. Eumdem vero fratrem admonere studui, vt se a tali elatione corrigat.] hæc de rebus Romæ gestis cum legatis.

Quod vero spectat ad Synodalem epistolam a Cyriaco ad Gregorium missam anno superiori, in qua fidei Catholicæ professio scripta erat: cum in ea superflue damnationem appo-
B suisset Eudoxij, Ariani hæretici sub Constantio Imperatore Episcopi Constantinopolitani: suspicionem haud leuem Gregorio intulit, cum præsertim ipsum lateret, quisnam esset quem damnaret Eudoxium: magis vero, quod qui eius meminisset Sozomenus, idem laudator esset mirificus Theodori Mopsuesteni haud pridem in Quinta Synodo condemnati. de ijsdem certiores reddi voluit eosdem Orientalium sedium Patriarchas Eulogium & Anastasium. Quod autem Gregorius Sozomenum laudatorem fuisse tradit Theodori Mopsuesteni, recens quidam Aristarchus * sanctum Gregorium imperitiæ re-
darguit, quod scilicet non reperiatur id factum a Sozomeno, sed a Theodoreto. Sed quantum ipse erret, dum Gregorium errasse demonstrat, consule a nobis dicta in Notis ad Romanum Martyrologium. At quidni Gregorius suspectos habere debuisset Orienta-
C les, dum Ioannes prædecessor Cyriaci pseudosynodum Ephesinam pro œcumenica videri poterat recepisse, reiectaq. legitima, spuriam pro germana, & Nestorianorum conciliabulum pro Catholicorum conuentu, dum Pelagianismi assertor factus est, qui in secundo canone eiusdem pseudosynodi a Nestorianis asseritur, sicq. ex eo originale peccatum penitus negaretur? Quæ omnia significata voluit idem sanctus Gregorius dictis primarum sedium Patriarchis, ne damnatus Pelagianismi error per Constantinopolitanos Patriarchas iterum restitueretur.

* Melchiorem Canum iure fugillat auctor.

PELAGIANISMVS SVB TITVLO EPHESINAE SYNODI REDDITVS.

Qui etiam ad ipsum Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum [a] reddidit litteras, quibus admonuit, pacem & charitatem quam præseferret, fore inter se, si superbum nomen aboleretur: aliter minime fieri posse vt concordia mutua intercederet: nam hæc habet inter alia: Oportet ergo vt mihi atque omnibus fratribus vestris eiusdē charitatis pul-
D chritudinē in hoc primum opere monstretis, vt verbum superbiæ, per quod graue scandalum in Ecclesijs generatur, auferre festinetis: hoc modis omnibus implentes, quod scriptum est [b]: Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et rursus [c]: Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typum superbiæ inter nos schisma non fuerit. Ego enim Iesum testem inuoco in anima mea, quia a summo vsque ad vltimum nulli hominum dare scandali occasionem volo.] Et inferius: Ea ergo quæ nouo modo introducta sunt, ipso ordine quo illata sunt, auferantur, & pax nobis illibata in Domino permanebit.] Reliqua vero per Anatolium, quem idem ad Imperatorem hoc anno Apocrisarium misit, ipsi significanda testatur.

[a] *Gregor. lib. 6. epist. 28. Ind. 13.*

QVID CYRIACVM GREGOR. ADMONEAT.

[b] *Ephes. 4.*

[c] *1. Tim. 5.*

Hoc namque anno reuocatum in Vrbem Sabinianum diaconum, qui Apocrisarij munere Constantinopoli fungeretur, ex pluribus litteris eiusdem Gregorij hoc anno da-
E tis apparet; missumq. loco ipsius quem diximus Anatolium, dicta ad Cyriacum scripta epistola docet. Ad ipsum vero Mauritium Imperatorem, qui pro Cyriaco litteras dederat, alias Gregorius reddidit, quibus de Responsalibus Cyriaci benigne susceptis eumdem reddidit certiorem, atque hæc de causa ipsa breuiter habet [d]: Eumdem fratrem & consacerdotem meum studiose admonere curaui, vt si habere pacem omnium concordiamq. desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione compescat.] subdit demonstrans magni esse momenti, quod friuolum esse ipsi Imperatori visum fuisset: ostenditq. esse præcursorem Antichristi, qui superbum sibi nomen arrogat, & superextollitur super [e] omne quod dicitur Deus.

REVOCATVS SABINIANVS, MISSVS ANATOLIVS.

[d] *Gregor. lib. 6. epist. 30. Ind. 13.*

[e] *2. Thes. 2.*

Dedit etiam eodem argumento litteras priuatas seorsum hoc eodem anno ad Anastasium Patriarcham Antiochenum [f], cum ab eo per Sabinianum diaconum Romam redeuntem litteras accepisset eiusdem ferme argumenti cum ijs quas scripserat Imperator, nimirum pro eiusmodi causa leuissima schisma non esse conflandum: ad quem rescribens Gre-

[f] *Gregor. lib. 6. epist. 24. Ind. 13.*

gorius

gorius post alia hæc habet: Vos tamen eamdem causam nullã esse, dicere non debetis: quia A
si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim, quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et vt de honoris vestri iniuria taceam, si vnus Episcopus vocatur Vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit, si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis, &c.]

Grauiori pariter perpendens lance tantæ rei momentum S. Eulogius Alexandrinus Episcopus, ad eumdem Gregorium Papam hoc eodem anno de prærogatiua sedium grauem epistolam scripsit, quæ licet non extet, ex responsione tamen ab ipso Gregorio reddita, qualis fuerit, satis perspicue potest intelligi. Accipe ergo eam, quo quid in re maximi ponderis vir sanctissimus miraculis clarus ad Gregorium ipsum scripserit, recognoscas. sic enim se habet [a]: B

a Gregor. lib. 6. epis. 37. Ind. 15.

Suauissima mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis de sancti Petri Apostolorum Principis cathedra locuta est, dicens, quod ipse in ea nuncusque in suis successoribus sedeat. Et quidem ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet. Et cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum, quia vos sanctissimi quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principe soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus a petra vocaretur? Cui Veritatis voce dicitur [b]: Tibi dabo claues regni cælorum. Cui rursus dicitur [c]: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Iterumque [d]: Simon Ioannis amas me? pasce oues meas. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu C
sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedẽ, in quam Euangelistam discipulum, *Marcum videlicet*, misit. Ipse firmauit sedem, *Antiochenam videlicet*, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Episcopi præsident: quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo: si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate: quia in illo vnum sumus, qui ait [e]: Vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.] hæc de vnitate quæ ex dilectione prouenit, cum potestas in tribus distincta eadem ad vnum caput præcipuum referatur. Habes hæc eadem de tribus sedibus Petri, ex quo collata est prærogatiua Patriarchatus, superius ex Gelasio Papa dicta. D

b Matth. 16.
c Luc. 22.
d Ioan. 21.

DE TRIBVS SEDIBVS S. PETRI IISDEMQ. MAIORIBVS.

e Ioan. 14.

DE MVNVSCVLIS MISSIS AB EVLOGIO.

In fine autem epistolæ de acceptis ab eo muneribus hæc habet Gregorius: Suscepi, inquit, benedictionem sancti Euangelistæ Marci iuxta Breue vestris epistolis insertum: sed quia Collatum * ac Iuritheum non libenter bibo, præsumens Cognidium requiro, quod in hac Vrbe, post multa tempora, vestra innotescere transacto anno sanctitas fecit. Nam nos hic a negotiatoribus nomen Cognidij & non substantiam comparamus.] Quid per Collatum, siue Colatum, vel Iuritheum, atque Cognidium debeat intelligi (quod medicorũ hæc sint potius) de his nobis rogantibus differuit pluribus doctissimus Mercurialis, cuius variarum quæstionum elucidationes prælo daras propediẽ (vt putamus) accepturus eris.

* Colatum

At Gregorius eidem Eulogio munuscula & ipse misit, de quibus ait: Paruulam benedictionẽ de amatoris vestri S. Petri ecclesia sex minora Aquitanica pallia & duo oraria transmisi: quia enim multum diligo, etiã de paruis præsumo.] hæc Gregorius, qui plurimi fecit E
eumdem S. Eulogium, vtpote qui his temporibus sedem illam sanctitate & doctrina mirifice illustraret: magno namque Dei beneficio post tot tenebras illuxerat infelici afflictatæ nimium Alexandrinæ Ecclesiæ tantum sidus matutinum, ipse S. Eulogius, qui eamdem Ecclesiam, quam ab apro siluestri (de quo est in Psalmis [f]) depastam inuenit, ac propemodum desolatam, viriliter in Euangelio laborans restituit: nã hæreticos ibi inuentos, qui longæuam ætatem duxissent errantes & in errorem mittentes, ad fidem Catholicam restituere conatus est. Cui ob eamdẽ causam congratulatus Gregorius, ista habet in dicta epistola: Debitũ salutationis alloquium persoluens, indico quia magno gaudio exulto, quod vos contra hæreticorum latratus assidue laborare cognoui: atque omnipotentem Dominum deprecor, vt beatitudinem vestram sua protectione adiuuet, quatenus per lignum vestram de sinu sanctæ Ecclesiæ omnem radicem amaritudinis euellat, ne rursum germi-

f Psal. 79.

EVLOGIVS ALEX. EPISC. LABORAT ADVERSVS HAERETICOS.

nans

A nans impediat multos,& per illam coinquinentur multi, &c.] Quomodo autem Agnitarum plurimos ad Catholicam fidem conuerterit, suo loco pluribus.

Rursum vero eidem nuncio Gregorius ad diuersos litteras dedit, eo quod Sabinianus Apocrisiarius inde Romam rediens, complures ab illis datas attulerat ad ipsum epistolas. Inter alia autem ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, feminam æque piam ac nobilem, de certitudine salutis suæ litteris percontantem, ista prudenter ipse respondit[a]: Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere, quoadusque scribam mihi esse reuelatum quia peccata tua dimissa sunt: rem & difficilem etiam & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, B semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare, &c.]

[a] *Gregor. lib.4. epist.22.Ind.13.*

CVRIOSA ET INFRVCTVOSA PETITIO.

Reddidit pariter litteras ad Theotistem & Andream viros clarissimos, inter aulicos militantes quidem, sed professione ciues sanctorum & domesticos Dei, qui tales essent, vt inter causarum turbines scirent Deo corde semper esse coniuncti. Nam ad eos ista S. Gregorius[b]: Quod in tanto tumultu causarum vestra excellentia posita, sacri verbi vbertate plena est, atque ad æterna incessanter gaudia suspirat, magnas omnipotenti Deo gratias ago: quia hoc in vobis esse impletum video, quod de electis patribus scriptum est[c]: Filij autem Israel ambulauerunt per siccum per medium mare,&c.] Assidebant isti Augustæ, quæ horum consuetudine in dies magis virtutibus augebatur. Curam pariter gerebant Mauritij *filiorum*, de quibus ista S. Gregorius subdit: Peto autem, vt paruulos C dominos, quos *nutritis*, præcipue moribus instruere curetis; & glorioſos eunuchos, qui *eis deputati sunt*, admonete, vt ea illis loqui debeant, quæ eorum mentes in charitate circa se inuicem & erga subiectos in mansuetudine compungant: ne si quid odij modo inter se conceperint, in aperto postea erumpat. Verba siquidem nutrientium aut lac dant, si bona sunt, aut venenum, si mala. Talia ergo nunc eis suggerant, quæ postmodum ostendant quam bona fuerint, quæ a nutritorum suorum ore suxerunt.] Reddit demum illis gratias de triginta libris auri pro redemptione captiuorum per Sabinianum diaconum missis. Hos vero Gregorius ob egregiam pietatem magno dignos putauit esse munere præter alios, nempe claui illa S. Petri quæ egregio miraculo coruscauerat, quam Antharit impius licet Rex Longobardorum Romam miserat ad Pelagium Papam, vt suo loco diximus: sed hic putamus eadem opportune repetenda, cum eam diuino illustratam D miraculo Constantinopolim Gregorius mittit, tamquam Dei virtutis nobile monumentum ob oculos semper habendum. ait enim: Præterea benedictionem S. Petri Apostoli clauem a sacratissimo eius corpore transmisi, de qua videlicet claui hoc est gestum quod narro miraculum.

[b] *Gregor. lib.4. epist.23.*

[c] *Exod. 15.*

DE EDVCATIONE FILIORVM IMP.

Dum eam quidam Longobardorum ciuitatem ingressus in Transpadanis partibus inuenisset, quia S. Petri clauis esset, despiciens, sed pro eo quod eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellū vt eam incideret. Qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademq. hora extinctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharit atque alij multi eius homines adessent, & is qui se percusserat, seorsum mortuus, clauis vero hæc seorsum iaceret in terra: factus est omnibus vehementissimus timor, vt eamdem clauem de terra leE uare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui sciebatur orationi & eleemosynis deditus, Minulphus nomine, vocatus est, atque ipse hanc leuauit de terra. Antharit vero pro eodem miraculo aliam clauem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo vestræ excellentiæ transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem & perfidum hominem peremit: vt per eam vos, qui eum timetis & diligitis,& præsentem salutem & æternam habere valeatis.] hæc Gregorius. Extat ad horum alterum, nempe Andream, seorsum alia eiusdem Gregorij consolatoria epistola hoc item anno data[d] de obitu Constantiæ puellæ clarissimæ viro despōsatæ, hortaturq. eū, ne implicet se Imperatoris negotijs, sed tranquillam ac quietam vitam a tumultibus longe positā ducere studeat. Dedit itidem Constantinopolim alias litteras ad Theodorum[e] Imperatoris medicum, de quo plura superius, gratias illi agens de eleemosynis Romam ad se

CLAVIS S. PETRI ILLVSTRATA MIRACVLO.

[d] *Gregor. lib.9. epist.26.Ind.13.*

[e] *Gregor. lib.9. epist.23.Ind.13.*

missis, puto pro redemptione captiuorum, vt alij qui supra feciſſe noſcuntur. Quæ omnia A
cum ipſe Gregorius grato animo acciperet, dolebat tamen ſe aliorum bonorum diſpenſa-
tioni præfectum: ait enim: Et quidem mihi, fateor, triſte eſt aliena expendere, & ſuper
eas quas de ſubſtantia Eccleſiaſtica habeo, adhuc etiam de rebus ſanctiſſimi filij domni
Theodori rationes ponere.] Mittit vero ad eum itidem clauem S. Petri, quæ intus habe-
ret limaturam de catenis ipſius. Sed & ad Narſetem Patricium, de quo plura ſuperius, ho-
minem maxime pium, alias dedit litteras [a], quibus eum in tribulationibus poſitum con-
ſolatur, xeniaq. tranſmittit.

a Gregor. lib. 6. epiſt. 27. Indict. 13.

Ad Anaſtaſium Abbatem in Palæſtina monaſterij, Neas appellati, alias [b] item litteras
dedit, quibus eũ hortatus eſt vt cum Hieroſolymorum Epiſcopo pacẽ haberet. puto fuiſſe
Nouam Lauram, ita dictum monaſterium famoſiſſimum in Actis S. Sabæ, necnon Euthy-
mij, occupatum aliquando ab Origeniſtis. Ad alium quoque Anaſtaſium, ad quem ſupra, B
nempe Antiochenum Epiſcopum, litteras [c] reddidit hoc item anno, inchoata Indictione
prima, roborans eum, vt in tribulationibus quas pateretur, ſtrenue ageret: hæreticorũ enim
nouis adinuentionibus premebatur, maximoq. angore animi tenebatur: de quibus hæc
poſt multa Gregorius: His autem diebus (ſicut inuenio) noua hæreticorum bella conſur-
gunt, de quibus veſtræ beatitudini iam antea ſcripſi, ita vt prophetas, Euangelia, & dicta
Patrũ omnia euacuare moliantur. Sed permanente vita veſtræ ſanctitatis, in protectoris
noſtri gratia ſperamus, quod eorum ora citius obmuteſcant, quæ contra ſoliditatem ve-
ritatis aperta ſunt: quia & quamlibet acuti gladij mittantur, cum ſaxum feriunt, fracti
reſiliunt. Hoc autem magna Dei omnipotentis eſt gratia, quod in ipſis, qui a ſanctæ Ec-
cleſiæ doctrina diuiſi ſunt, vnitas non eſt: quoniam [d] omne regnum in ſe diuiſum non ſta-
bit, & ſancta Eccleſia ſubtilius in ſua ſemper eruditione inſtruitur, dum hæreticorum quæ- C
ſtionibus impugnatur: ita vt aperte impleatur, quod per Pſalmiſtam contra hæreticos de
Deo dictum eſt [e]: Diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Nam dum ipſi
in ſuo prauo errore diuiduntur, cor nobis Dei appropiat, quia eruditi aduerſitatibus in-
tellectum eius ſubtilius inuenimus.] hæc ſanctus Gregorius tanto quidem Pontifice di-
gna. Quinam autem hi fuerint hæretici, nobis incompertum eſt. Subdit his vero,
quanta ijſdem temporibus a barbaris ipſe pateretur: ex quibus plane dignoſcitur, pa-
cem diu quæſitam, ſæpe petitam, obice Exarcho, minime fuiſſe adhuc cum Longobar-
dis ſancitam.

b Gregor. lib. 6. epiſt. 29. Ind. 13.

c Gregor. lib. 7. epiſt. 3. Ind. 1.

ANASTASIVS ANTIOCH. AB HAERETICIS GRAVIA PATITVR.

d Luc. 11.

e Pſal. 54.

At qui totius orbis præfectum ſe ſciebat Eccleſijs, non Orientalium dumtaxat rerum
oportere eſſe ſolicitum ſciens, ad Occidentales etiam deflexit obtutum, & aduerſus mo-
nachos diſciplinæ monaſticæ deſertores epiſtolam ſcripſit in Africam ad Dominicum Epi- D
ſcopum Carthaginenſem [f]. Sed & petunt interea pabulum a paſtore nobiles Gallicani:
etenim eumdem, quem auribus præſentes audire non poſſent, vt ſcriptum codicem tranſ-
mitteret, rogarunt Dinamius Patricius de quo ſupra, & Aurelia: quibus idem, factus
omnia omnibus, annuit [g]. Brunichildæ itidem Reginæ iſtud ipſum a ſe expoſcenti con-
ceſſit, codicem ad eam pariter mittens, cui & ſcripſit epiſtolam [h], qua primum excuſat
cur non miſerit pallium ad Syagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem, quod ſcilicet non
eſſet ab eo enixe petitum: Nam, inquit, priſca conſuetudo obtinuit, vt honor pallij,
niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat.] hæc ipſe: ſed
& quod qui venerat ipſum accepturus, eſſet ſchiſmaticus, eidem dari minime debuiſ-
ſe affirmat. Serpſerat idem error de Tribus capitulis in Eccleſiam Gallicanam, non
quidem in viros prudentes, ſed in eos qui vita ſolutiſſimi eſſent: nam accipe quid de E
his dicat ipſe Gregorius, eamdem Reginam admonens:

GALLICANAM ECCL. CVRAT S. GREGORIVS.

f Gregor. lib. 6. epiſt. 32. Ind. 15.

g Gregor. lib. 6. epiſt. 54. Ind. 15.

h Gregor. lib. 7. epiſt. 5. Ind. 1.

Præterea hos quos ab vnitate Eccleſiæ ſchiſmaticorum error diſſociat, ad vnitatem pro
veſtra mercede ſtudeat reuocare concordia. Nam non ob aliud in ignorantiæ ſuæ hactenus
cæcitate voluuntur, niſi vt Eccleſiaſticam fugiant diſciplinam, & peruerſe habeant, vt
voluerint, viuendi licentiam: quia nec quid defendant, nec quid ſequantur intelligunt.
Nos autem Chalcedonenſem Synodum, de qua illi ſibi peſtifere nebulas excuſationis aſ-
ſumunt, per omnia veneramur & ſequimur: & ſi quis de fide eius minuere aũt addere ali-
quid præſumpſerit, anathematizamus. Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ
ſuæ credentes, vniuerſam Eccleſiam atque omnes quatuor Patriarchas non ratione, ſed
malitioſa mente tantummodo refugiant: ita vt is qui ad nos a veſtra excellentia miſſus
eſt, cum quæreretur a nobis, cur ab vniuerſali Eccleſia ſeparatus exiſteret, ſe ignorare
profeſ-

A professus sit: sed neque quid diceret, neque quid aliud audiret, voluit * scire.] hæc Gregorius. Ex quibus plane intelligis, cur error siue schismatis, siue hæresis inualescat, nimirum vt per eam quam latiorem vident viam, disciplinæ impatientes homines ingredi festinent, secundum Domini dictum [a]: Lata est via, quæ ducit ad perditionem, & multi gradiuntur per eam.] * valuit

a Matth. 7.

Admonuit vero idem Gregorius eamdem Francorum Reginam, vt corrigere studeret prauos mores in Gallijs excrescentes, illos vero præsertim, quos in ordinatione sacerdotum irrepsisse abusus demonstrat. Adiecit præterea, vt quæ apud aliquos vigeret in Gallia idololatria, penitus extirparet. Quænam essent hæc monstra iterum emergentia, idem docet his verbis: Hoc quoque pariter hortamur, vt & ceteros subiectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, vt idolis non immolent, cultores arborum non
B existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant: quia peruenit ad nos, quod multi Christianorum & ad ecclesias occurrant, & (quod dici nefas est) a culturis dæmonum non discedant, &c.] monet insuper vt coerceat populos diuersis modis diuinam indignationem desuper prouocantes. Porro quod ad idololatriæ illud genus pertinet, immolare caput capræ dæmonibus, Longobardorum fuisse superstitionem, alibi idem Gregorius docet [b].

QVAE IN GALLIIS ESSENT CORRIGENDA REGINAM ADMONET GREGORIVS.

b Greg. dialog. lib. 3. c. 28.

At non est quod adeo mireris, si idololatriam audis in Gallia alicubi iterum pullulare, cum in Italia prope ipsam Vrbem ab aliquibus improbis in nonnullis reuocatam esse, idem Gregorius testetur in litteris [c] ad Chrysanthum Episcopum Spoletanum, necnon & ad Agnellum Episcopum [d] Tarracinensem eodem anno datis. Id secum vexit bellorum iugis infestatio, vt cum remissio fieret Ecclesiasticæ culturæ, inter bonum semen eiusmodi
C zizania miscerentur.

c Gregor. lib. 7. epist. 2. Ind. 1.
d Idem lib. 7. epist. 20. Ind. 1.

Sed quos secuti sumus Roma in Angliam proficiscentes missos a Gregorio Papa anno superiori Augustinum & socios; quid ibidem in Apostolico ministerio sint operati, videamus: sed audiamus in primis, quid de his habeat gentilis ipsorum venerabilis Beda [e]: Roboratus ergo, inquit, confirmatione beati Patris Gregorij Augustinus, cum famulis Christi qui erant cum eo, redijt ad opus verbi, peruenitq. in Britanniam. Erat eo tempore Rex Edilberthus in Cantio potentissimus, qui ad confinium vsque Humbri fluminis maximi, quo Meridionales & Septemtrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperij tetenderat. Est autem ad Orientalem Cantij plagam Tanetos insula non modica, id est, magnitudinis iuxta consuetudinem æstimationis Anglorum, milliarium sexcentorum, quam a continenti terra secernit fluuius Vantsumu, qui est latitudi-
D nis circiter trium stadiorum, & duobus tantum in locis est transmeabilis: vtrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit seruus Domini Augustinus, & socij eius viri (vt fertur) ferme quadraginta. Acceperunt autem, præcipiente beato Papa Gregorio, de gente Francorum interpretes. Et mittens ad Edilberthum, mandauit se venisse de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in cælis gaudia, & regnum sine fine cum Deo viuo & vero futurum, sine vlla dubitatione promitteret.

e Beda hist. gentis Angl. lib. 1. c. 25.

AVG. ET SOC. APPVLSVS IN BRITANNIAM.

Qui hæc audiens, manere illos in ea quam adierant insula, & necessaria ministrari, donec videret quid eis faceret, iussit: nam & antea fama ad eum Christianæ religionis peruenerat, vtpote qui & vxorem habebat Christianam de gente Francorum
E regia, nomine Bertham, quam ea conditione a parentibus acceperat, vt ritum fidei ac religionis suæ cum Episcopo, quem ei adiutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inuiolatam seruare, licentiam haberet. Post dies ergo aliquot venit ad insulam Rex, & residens sub diuo iussit Augustinum cum socijs ad suum ibidem aduenire colloquium. Cauerat autem, ne in aliquam domum ad se introirent, veteri vsus augurio, ne superuentu suo si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non dæmoniaca, sed diuina virtute præditi veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, litaniasq. canentes, pro sua simul, & eorum propter quos & ad quos venerant, salute æterna, Domino supplicabant.

DE CONVERSIONE ANGLORVM.

Cumq. ad iussionem Regis residentes, verbum ei vitæ vna cum ijs qui aderant eius comitibus prædicarent: respondit ille, dicens: Pulchra sunt quidem verba & promissa quæ affertis: sed quia noua sunt & incerta, non his possum assensum tribuere, relictis

eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente seruaui. Verum quia de longe huc peregrini venistis,& vt ego mihi videor perspexisse,ea quæ vos vera & optima credebatis, nobis quoque communicare desideratis: nolumus molesti esse vobis, quin potius benigne vos hospitio recipere, & quæ victui vestro sunt necessaria, ministrare curamus: nec prohibemus,quin omnes quos potestis, fidei vestræ religionis prædicando societis. Dedit ergo eis mansionem in ciuitate Dorouernensi, quæ imperij sui totius erat metropolis: eisq. vt promiserat, cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abstulit. Fertur autem,quod appropinquantes ciuitati,more suo,cum Cruce sancta & imagine magni Regis Domini nostri Iesu Christi, hanc litaniam consona voce modularentur: Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, vt auferatur furor tuus & ira tua a ciuitate ista, & de domo sancta tua, quoniam peccauimus. Alleluia.]

Ista ipse conspiciens,& respiciens ad eos,qui hodie extant, Anglos a fide Catholica deuios, compello eosdem nomine Romanæ Ecclesiæ verbis illis Apostoli [a]: Ipsi de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conuersi estis ad Deum a simulacris seruire Deo viuo & vero, & quomodo Euangelium nostrum non fuit in sermone tantum, sed in virtute, in Spiritu sancto, in plenitudine multa.] ita in memoriam reuocans, a quo, per quos, & quomodo acceperint Euangelium, nempe a Romano Pontifice, per monachos, præcedente Crucis vexillo, & imagine Saluatoris: quorũ omnium velut immemores, hæresum fascino dementati, Catholicæ Ecclesiæ hostes effecti, adhuc tamen gloriantur nomine Christiano, & iactant se esse Euangelij professores. O densa caligine offusas mentes, obscura nocte, cæco carcere, alta fouea mersas animas, super quas iam operuerit [b] puteus os suum, vt nullus penitus lucis radius licet pertenuis vel a longe ijs effulgeat, vt hæc tanta ipsorum mala miseri videant. Quorum causa merito exclamandum cum Hieremia [c]: Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.] vnde & factum est quod sequitur: Super eum rugierunt leones] egressi illi vtique e portis inferi ad ponendam terram illam in solitudinem.

[a] 1. Thess. 1.

IN RECENTIORES ANGLOS HAERETICOS IVSTA QVERELA.

[b] Psal. 68.

[c] Hierem. 2.

Sed quid ijs dictis Beda subijciat, videamus: At vbi, inquit [d], sibi datam mansionem intrauerunt, cœperunt Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitari, orationibus videlicet assiduis, vigilijs, ac ieiunijs seruiendo, verbum vitæ quibus poterant prædicando, cuncta huius mundi velut aliena spernendo; ea tantum quæ victui necessaria videbantur, ab eis quos docebant, accipiendo; secundum ea quæ docebant ipsi per omnia viuendo; & paratum ad patiendum aduersa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea quam prædicabant veritate animum habendo. Quid? Crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, & dulcedinem doctrinæ eorum cælestis.

[d] Beda histor. Anglor. lib. 1. c. 26.

Erat autem prope ipsam ciuitatem ad Orientem ecclesia in honorem sancti Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua Regina, quam Christianam fuisse prædiximus, orare consueuerat. In hac ergo & ipsi primo conuenire, psallere, orare, Missas facere, prædicare, & baptizare cœperunt, donec Rege ad fidem conuerso, maiorẽ prædicandi per omnia & ecclesias fabricandi vel restaurandi licentiam acciperent. At vbi ipse etiam inter alios delectatus vita mundissima sanctorum, & promissis eorum suauissimis, quæ vera esse, miraculorũ quoque multorum ostensione firmauerunt,credens baptizatus est: cœpere plures quotidie ad audiendum verbum confluere, ac relicto Gentilitatis ritu, vnitati se sanctæ Christi Ecclesiæ credendo sociare. Quorum fidei & conuersioni ita congratulatus esse Rex perhibetur, vt nullum tamen cogeret ad Christianismum, sed tantummodo credentes arctiori dilectione quasi conciues sibi regni cælestis amplecteretur. Didicerat enim & a doctoribus auctoribusq. suæ salutis, seruitium Christi voluntarium, non coactitium debere esse. Nec distulit, quin etiam ipsis doctoribus suis locum sedis eorum gradui congruum in Dorouernia metropoli sua donaret, simul & necessarias in diuersis speciebus possessiones conferret.] hucusque Beda.

PRIMITIVAE ECCLESIAE VITA REDDITVR.

Porro omnes hoc anno audientes verbum Dei, baptizatos esse sequenti Natalis Domini die primæ Indictionis,ipse sanctus Gregorius testatur in litteris sequenti anno mense Iunio datis ad S. Eulogium Alexandrinum Episcopum, in quibus hæc de his habet [e]:

[e] Gregor. lib. 7. epis. 30. Ind. 1.

Sed

A Sed quoniam vere in bonis quæ agitis accreſcit quod & alijs congaudetis, veſtræ vobis gratiæ vicem reddo, & non diſſimilia nuncio. Quia dum gens Anglorum in mundi angulo poſita in cultu lignorum ac lapidum perfida nuncuſque remaneret, ex veſtræ mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam monaſterij mei monachum in prædicationem tranſmittere, Deo auctore, debuiſſem. Qui data a me licentia, a Germaniarum Epiſcopis Epiſcopus factus, cum eorum quoque ſolatijs ad prædictam gentem in fine mundi perductus eſt: & iam nunc de eius ſalute & opere ad nos ſcripta peruenerunt: quia tantis miraculis vel ipſe, vel hi qui cum eo tranſmiſſi ſunt, in gente eadem coruſcant, vt Apoſtolorum virtutes in ſignis quæ exhibent, imitari videantur. In ſolemnitate autem Dominicæ Natiuitatis, quæ hac prima Indictione tranſacta eſt, pluſquam decem millia Angli ab eodem nunciati ſunt fratre & coepiſcopo noſtro baptizati.] hactenus de his Gregorius ad
B Eulogium. Ex quibus in eo corrigas Bedam, dum poſt conuerſionem hanc factam Anglorum, ſubdit miſſum eſſe Auguſtinum ad Aetherium Epiſcopum Arelatenſem in Galliam, vt ab eo Epiſcopus ordinaretur: id enim antea factum Gregorius docet, nec per Aetherium, qui non erat Epiſcopus Arelatenſis, ſed Lugdunenſis: Virgilius enim his diebus præerat Arelatenſi Eccleſiæ. Sed & eiuſdem Gregorij [a] teſtificatione liquet, non Bertham, ſed Adilbergam nomine dictam eſſe coniugem Regis Anglorum.

[a] *Gregor. lib. 9. epiſ. 59. Ind. 14.*

Iam vero res Hiſpaniarum inuiſamus. Hoc eodem anno, qui numeratur duodecimus Reccaredi Regis Hiſpaniarum, & Era ſexcenteſima triceſimaquinta, celebratum eſt in Hiſpania Concilium Toletanum ab Epiſcopis ſexdecim, cuius tantummodo canones duo reperiuntur. De caſtitate enim a miniſtrantibus altari ſeruanda vehemens admonitio facta eſt; nempe, vt ſi quis eam violauerit, non ſolum e gradu excideret, ſed & duro carceri
C manciparetur, Patres ijdem voluerunt.

CONCIL. TOLETANVM.

Hoc quoque tempore Antiochus magnus anachoreta functus legatione ad Mauritium Imperatorem, re bene geſta, reuerſurus ad ſuos, ex hac vita migrauit. huius meminit Georgius in Actis S. Theodori Siceotæ, verbis iſtis [b]: Eo tempore hoſpitio ſuſcepit ſanctus Theodorus diuinum & ſanctum virum eremitam Antiochum, qui Conſtantinopoli in Orientem reuertebatur: venerat enim legatus ad Mauritium Imperatorem, vt illi Synophrim oppidum a barbaris direptum commendaret.] Magnæ hic inter omnes Orientales ſanctitatis fama vigebat, quem idem auctor ita deſcribit: Erant huic ſupercilia denſa atque coniuncta, cana barba, & capitis coma lanæ inſtar candida & ad ilia vſque protenſa, ſimiliter & barba, vngues perlongi. Ad centeſimum annum peruenerat: ſexaginta annorum ſpatio nec vinum, nec oleum, nec aliud huiuſmodi guſtauerat: triginta
D iam annis panem non comederat: oleribus crudis cum ſale & aceto veſcebatur: aquam bibebat. Huius fama ad Theodorum, & Theodori ad ipſum pariter, Deo patefaciente, peruenerat. Et iuſtus ille quidem dicebat diſcipulis ſuis de ſancto Theodoro Epiſcopo, ſe talem virum ſanctum ad eum vſque diem non inueniſſe, ſibi enim ipſius vitæ inſtituta eſſe a Deo patefacta. Beatus Theodorus viciſſim ita de ipſo cum fratribus loquebatur, vt in tota Orientis eremo tam dignum Dei ſeruum vidiſſe, aut audiſſe ſe diceret neminem.

[b] *Extant apud Sur. tom. 2. die 22. April.*

DE ORITV ANTIOCHI ANACHORETAE.

Qui autem hæc audiebant, e fimbria veſtimentorum eius aliquid religionis gratia capiebant: cumq. manſionis fratres ad eum venerandum accederent, eos reprehendebat, & per interpretem recuſabat: Cur, inquiens, cum talem ſtellam & ſanctum Dei Apoſtolum habeatis, ad me agreſtem & vilem atque nullius pretij hominem venerandum
E acceditis? Ad ipſum vere laudabilem & admirandum ſanctumq. virum colendum vos conuertite, qui diuinam in mundo vitam agit, & cupiditates in ſe proterit, & doctrina ſua multos ad Deum conuertit. Cum autem veſpera aduenisſet, facto diuino ſacrificio accubuerunt, vt paruo & ſolito cibo veſcerentur. Poſtea voluit S. Theodorus (vt erat ſolitus) hoſpiti pedes lauare, ſed ille non permiſit: mutuo igitur manus lauarunt. Poſtridie vero mane feſtinabat Dei ſeruus exire, & iter ſuum perficere. Quod cum B. Theodorus animaduerteret, & obitum eius propinquum eſſe diuinitus ſciret, idq. apud ſe fieri cuperet: rogabat eum, vt itineris labore feſſus quieſceret. Ille contra obſecrabat, vt ſe dimitteret: Inſtat, inquiens, mihi e corpore migratio; & idcirco feſtino, vt in cellula mea mature concedam. Egreſſus igitur beatus Theodorus, comitatus eſt eum Anaſtaſiopolim vſque, & afflictiones ac ſolicitudines, quas in Epiſcopatu ſuſtineret, patefecit, quibus inſtitutæ vitæ ratio & monaſteriorum ſuorum cura interrumperetur: rogans eum, vt

quid sibi agendum esset, consuleret, & vtrum relicta Episcopatus dignitate, monastico A
tantum ordini deberet incumbere. Ille vero id quam celerrime faciendum censuit, ne
apud Deum damnandus esse videretur.

Sanctus autem Theodorus suum illi iumentum, fratremq. dedit, qui illum, quousque
vellet, comitaretur. Mutuo se igitur salutantes & complectentes, discesserunt. Et san-
ctus Theodorus in Episcopium reuersus, dixit eum celerius e vita migraturum, quam ad
locum suum posset peruenire. Quod & factum est: paucis enim diebus post nunciatum est,
eum in via mortuum esse.] hactenus de Antiocho auctor, quem diuersum ab illo Antio-
cho item monacho & Abbate Lauræ in Palæstina fama celebri scias, qui eodem ferme
tempore, nempe sub Heraclio Imp. & Cosrhoe Persarum Rege vixit clarus inter scri-
ptores Ecclesiasticos, cuius sunt sermones de diuersis centum triginta & Exomologesis. B

IESV CHRISTI ANNVS 598. GREGORII PAP. ANNVS 9. MAVRITII IMP. ANNVS 13.

QVi sequitur ordine temporis annus Domini quingentesimus nonagesimusoctauus numeratur Indictionis primæ, quo & absoluitur Mauritij Imperatoris annus duodecimus, & Gregorij Papæ inchoatur nonus: cum Eulogius Alexandrinus Episcopus de conuersione hæreticorum magnum prouentum in Ecclesiam intulit, deq. his reddidit certiorem S. Gregorium Papam. Perueniens autem nuncius Romam, Gregorium inuenit ægrotantem; qui adhuc eodem morbo laborans, ad eumdem ista rescripsit [a]:

a Gregor. lib. 7. epist. 30. Ind. 1.

Communis filius præsentium lator sanctitatis vestræ scripta deferens, ægrum me repe- C
rit, ægrum reliquit. Qua ex re contigit, vt ad largum vestræ beatitudinis fontem breuis
epistolæ me vix parua potuisset aqua resudare. Superni autem muneris fuit, vt in dolore
corporis positus suauissimæ vestræ sanctitatis scripta susciperem, quæ me de doctrina
Alexandrinæ Ecclesiæ, de conuersione hæreticorum, de concordia fidelium sublimiter
lætificaret: quatenus ipsa mentis lætitia immanitatem mihi molestiæ temperaret. Et qui-
dem de bonis vestris noua semper exultatione gaudemus: sed tamen ita vos perfecte age-
re, noua esse nullo modo deputamus. Quod enim crescit sanctæ Ecclesiæ populus, quod
ad cæleste horreum spiritales segetes multiplicantur, hoc de omnipotentis Dei gratia,
quæ in beatissimis vobis large influit, numquam habuimus incertum. Gratias itaque
omnipotenti Deo soluimus, quia impletum videmus in vobis esse, quod scriptum est [b]: D
Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo boum. Si enim bos fortis aratrum linguæ
in terram cordis audientium non traxisset, tanta fidelium seges minime surrexisset.] hæc
de his Gregorius, qui vice versa de conuersis Anglis, ijsdemq. die Natali Domini bapti-
zatis eumdem Eulogium reddidit certiorem. Sicq. secundum illud Dauidicum [c]: Dies
diei eructat verbum] vir Apostolicus Apostolico viro de bono thesauro suo profert bo-
na, simulq. ambo exultantes proferunt ex lacrymarum semente manipulos suos.

b Prou. 14.

c Psal. 18.

DE CONVERSIONE HAERETICOR. ALEXANDRIAE FACTA.

Expostulat autē amice in fine epistolæ ipse Gregorius, quod quasdam apposuisset in suis
litteris Eulogius voces, quibus Gregorium ipsum vt dominum fuisset allocutus, & quod in
epistolæ inscriptione vniuersalem Pontificem appellasset: ad hæc enim ipse: Indicare quo-
que vestra beatitudo studuit, iam se quibusdā non scribere superba vocabula, quæ ex va-
nitatis radice prodierunt, *nimirum, cum scriberet ad Cyriacum Episcopum Constantinopo-*
litanum, titulum non apponere Vniuersalis. Et mihi loquitur, dicens: Sicut iussistis. Quod E
verbum iussionis, peto, a meo auditu remouete: quia scio quis sum, & qui estis: loco
enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indica-
re curaui.] hæc ipse.

NOLVIT GREGORIVS VIDERI IVSSISSE.

At quibus bonus Christi odor male olet, & fœtor suauitatem exhalat, in malam partem
istam animi submissionem Nouatores arripiunt, quasi nullum præ ceteris attribuerit sibi
Gregorius primatum & iubendi auctoritatem. Verum si compertas habuissent huiusmo-
di quas ipse sibi seruandas & alijs pastoralis regiminis regulas præscripsisset, talia de Gre-
gorio dicere omnino erubuissent. hæc enim sui Pontificatus initio ad quatuor simul
scripserat Patriarchas, cum qualiter se gerere debeat Episcopus, eos docet his verbis [d]:
Rursus cum me ad considerandum confero, qualis in humilitate, qualisq. esse rector de-
beat in districtione: perpendo quoniā necesse est, vt & bene agentibus sit per humilitatem

d Gregor. lib. 1. epist. 24. Ind. 9.

socius

A ſocius, & contra delinquentiũ vitia per zelum iuſtitiæ erectus: quatenus & bonis in nullo ſe præferat, & cum prauorum culpa exigit, prioratus ſui poteſtatem agnoſcat: vt & honore ſuſpenſo, æqualem ſe ſubditis bene viuentibus deputet, & contra peruerſorum culpas ex zelo iuſtitiæ excreſcat.] quod & factum a Petro docet, cum ſubdit: Hinc eſt namque, quod Petrus auctore Deo ſanctæ Eccleſiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio, & ſeſe ei humiliter proſternente, immoderatius venerari recuſauit, ſeq. illi ſimilem recognouit, dicens [a]: Surge ne feceris, & ego homo ſum. Sed cum Ananiæ & Saphiræ [b] culpam reperit, mox quanta potentia ſuper ceteros exercuiſſet, oſtendit.] Et paulo poſt de Paulo iſta: Hinc eſt quod Paulus bene agentibus fratribus prælatum ſe eſſe neſciebat, cum diceret [c]: Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri. Ad quæ illico adiunxit: Fide enim ſtatis. Ac ſi id quod prætulerat, aperiret, di-
B cens: Ideo non dominamur fidei veſtræ, quia fide ſtatis: æquales enim vobis ſumus, in quo vos ſtare cognoſcimus. Quaſi prælatum ſe eſſe fratribus neſciebat, cum diceret [d]: Facti ſumus paruuli in medio veſtrum. Et rurſum [e]: Nos autem ſeruos veſtros per Chriſtum. Sed cum culpam, quæ corrigi debuiſſet, inuenit: illico ſe magiſtrum eſſe recoluit, dicens [f]: Quid vultis? in virga veniam ad vos? Summus itaque locus tunc bene regitur, cum is qui præeſt, vitijs potius quam fratribus dominatur. Bene acceptam poteſtatem regit, qui & tenere illam nouit, & impugnare. Bene hanc regit, qui ſcit per illam ſuper culpas erigi, ſcit cum illa ceteris in æqualitate componi. Sic autem ſeruanda eſt virtus humilitatis, vt non ſoluantur iura regiminis, &c.] hæc eadem pluribus in commentario quem de cura Paſtorali conſcripſit [g]. Quæ quidem a ſe ſcripta, & alijs ſeruanda propoſita, ipſe ſibi cuſtodienda in primis adhibuit: vt non adeo mireris ſi ad Eulogium
C virum ſanctiſſimum de Eccleſia Catholica adeo benemerentem litteras ſcribens, nolit videri *ipſi prælatus*.

QVIBVS SE AEQVALEM, QVIBVS SE PRAELATVM OSTENDAT EPISCOPVS.

[a] *Act. 10.*
[b] *Act. 5.*
[c] *2. Cor. 1.*
[d] *1. Theſ. 5.*
[e] *2. Cor. 4.*
[f] *1. Cor. 4.*
[g] *Greg. Paſtor. par. 2. c. 6.*

Sed audi maiora nuper dictis congruentia de immenſa Gregorij humilitate ita apud Sophronium ſcripta [h]: Perreximus, inquit, ad Abbatem Ioannem Perſam. Narrauit nobis de Gregorio beatiſſimo Romanæ vrbis Epiſcopo, dicens: Cum iuiſſem Romam, vt adorarem ad ſepulchrum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſtaremq. die quadam in medio ciuitatis, audio Papam Gregorium per illum locum tranſiturum. Cogitaui itaque adorare illum. Cum autem prope me eſſet Papa, videretq. me progredi vt adorarem illum (loquor teſte Deo, fratres) primus ipſe proſtrauit ſe humi coram me, neque ante ſurrexit, quam me primo ſurrexiſſe cerneret: & cum multa humilitate ſalutans me, manu ſua mihi tria numiſmata tradidit, iubens mihi dari quæcumque erant neceſſaria. Glorificaui
D itaque Deum, quod tantam illi contulerat humilitatem & miſericordiam & charitatem ad omnes.] hæc ibi. Dum autem Ioannis Abbatis nomen audio, ad memoriam reuocatur Ioannes ille Montis Sinai monaſterij Abbas, num iſte ſit ille ad quem ſanctus Gregorius litteras dedit, eleemoſynasq. miſit, quem pro ſe orare litteris [i] exorauit.

[h] *Prat. Spiritual. c. 151.*

INSIGNE EXEMPLVM GREGORII HVMILITATIS.

[i] *Gregor. lib. 12. epiſ. 16. Ind. 7.*

Habes igitur & factis & ſcriptis verbis S. Gregorij ab ipſo iterum repetitis plus ſatis expreſſum eiuſdem verborum ſenſum: vt intelligas, quam procul abhorreant a mente ipſius, & aberrent a veritate, qui Apoſtolicæ ſedis non nouiſſe primatum ipſum Gregorium, ſicut impie, ita mendaciter aſſerunt. In quã etiam ſententiam & illa accipe verba eiuſdem Gregorij in epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum, cum hæc ait [k]: Quod ſe dicit ſedi Apoſtolicæ ſubijci: ſi qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubditus non ſit: cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales ſunt.]
E Habes igitur multipliciter ex Gregorij verbis ſenſum Gregorij expreſſum. Quod vero ſpectat ad oblatum titulum Vniuerſalitatis, quem reſpuit, de his conſulas quæ alia occaſione ſuperius dicta ſunt.

[k] *Gregor. lib. 7. epiſ. 64. Ind. 2.*

Scripſit quoque hoc anno Gregorius [l] ad eumdem Eulogium alias litteras, cum ille a Gregorio petijſſet Roma tranſmitti ſibi Euſebij commentarium de Martyribus, quem non repertum Romæ in archiuo, neque in bibliothecis, affirmat. Quæ vero haberentur Romæ de Martyribus ſcripta, ita ſignificat: Nos autem pene omnium martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus. Non tamen ita eodem volumine quis qualiter ſit paſſus indicatur, ſed tantummodo nomen, locus, & dies paſſionis ponitur.] hæc de his Gregorius, alludens ad Martyrologium quod Romanum dicimus, de quo nos pluribus ſuo loco in eiuſdem Martyrologij Notas præfati ſumus.

[l] *Gregor. lib. 7. epiſ. 29. Ind. 1.*

REQVIRITVR LIBER EVSEBII DE MARTYRIBVS A GREGORIO.

Dum

PAX FACTA, SED NONDVM SVBSCRIPTIONE MVNITA.

Dum in his esset Gregorius, hoc anno pace cum Agilulpho Rege Longobardorum diu- A
tius tractata, sæpius impedita, tandem vt ad tempus fœdus iniretur obtinuit, spem ac-
cipiens vt pax etiam sanciretur, atque ab ipso Rege subscriberetur. Qua de re ne sub
velamento pacis aliquid tractaretur infaustum, Gregorius suos in diuersis locis positos,
vt vigilarent, admonuit: ad Ioannem enim Calaritanum in Sardinia Episcopum scribens,
hæc ait [a]: Cognoscatis autem Abbatem quem ad Agilulphum ante multum iam tem-
pus transmisimus, pacem cum eo, Deo propitio (quantum nobis ab excellentissimo
Exarcho scriptum est) ordinasse. Et ideo quousque pacta de confirmatione pacis ipsius
conscribuntur (ne forte hostes nostri in hac dilatione ad partes illas iterum velint acce-
dere) murorum vigilias & solicitudinem in locis omnibus facite adhiberi. Et confidi-
mus in Redemptoris nostri potentia, quia aduersariorum nobis incursus vel insidiæ de-
nuo non nocebunt.] eadem ad eumdem alia epistola [b] refricat, vt in locorum cu- B
stodia inuigilare solicitius debeat, ne tempore fœderis consummato, pace nondum fir-
mata, aliquid mali patiantur a Longobardis. Sic & ad Agnellum Tarracinæ Episcopum
scripsit [c], vt ciuitatem diligenter custodiendam curaret, nec a custodia murorum voluit
excusari homines Ecclesiasticos: ait enim: Quia vero comperimus, multos se a muro-
rum vigilijs excusare: sit fraternitas vestra solicita, vt nullum neque per nostrum vel Ec-
clesiæ nomen, aut quolibet alio modo defendi a vigilijs patiatur, sed omnes generali-
ter compellantur: quatenus cunctis vigilantibus, melius, auxiliante Domino, ciuitatis
valeat custodia procurari.] hæc ad eum Gregorius.

GREGORIVS SOLICITVS DE CVSTODIA CIVITATVM.

a Gregor. lib. 7. epist. 2. Ind. 2.

b Gregor. lib. 7. epist. 5. Ind. 2.

c Gregor. lib. 7. epist. 20. Ind. 1.

Quid (compello te) cum in his curandis quæ sunt Præsidum & Præfectorum Dei sacer-
dotem occupatum vides, existimas? Num dices in Rom. Ecclesiæ potestate fuisse illa loca,
quæ propter Longobardos custodiri mandauit? Non puto, cum probe scias ijsdem locis ab C
Imperatore dari consueuisse Præfectos. At quid hoc est? Illud plane, vt sanctissimi viri
quieris licet & silentij omnium amantissimi exemplo discas, non ita præfectos Ecclesijs
a Deo Præsules, vt spiritualia tantummodo curent, sed & temporalia, si necessitas vr-
geat, & charitas persuadeat, atque arma etiam capessant, quibus ingruentia mala propul-
sent, nisi adsit alia via, quam magis sequi debeant, vt Ecclesiasticæ mansuetudini sit æque
prospectum; qua deficiente, armis licite rem agere liceat, quibus Respublica ab ingruen-
tibus barbaris sit defensa: vt ab ipso S. Gregorio factum intelligis, qui non solum quæ
Vrbis essent, solicite a barbaris custodiret, sed & longe posita loca, & in insulis consi-
stentia, eadem vigilantia, non secus ac magister militum atque Imperator exercitus, Pon-
tificia iussione absque dispendio sacerdotalis modestiæ & mansuetudinis pro facultate de-
fenderet. At num illi tunc ab aliquo exprobratum, ac dictum: Desine, sacerdos, quæ sunt D
Præsidum curare: tuum est offerre hostias pro peccatis, non tibi curæ esse barbaris armis
obsistere, sed precibus eos superare debes esse solicitus: aliena hæc sunt penitus a sacer-
dote. Sed nemo est inuentus qui hæc obijceret, vel prohiberet, cum posset: & licet Impe-
rator ipse atque Exarchus Italiæ (vt sæpe vidimus) infenso in eum essent animo; nemo
tamen aliquando de his ausus est negotium ipsi vel leue facessere, quod iure facere certo
scirent: adeo vt in regali sacerdotio Christi etiam eius hostes regiam venerarentur au-
ctoritatem.

CVRAT PONTIFEX TEMPORALIA ETIAM.

Sed his missis, de Probo Abbate conciliandæ pacis cum Longobardis sequestre paucis
agendum. Tantam in homine prudentiam sensit esse Gregorius, vt hunc ipsum prius
fecerit Abbatem, quam monachum. Nam audi quid ipse in libello oblato Synodo di-
cat [d]: Quadam autem die, dum inter alios ad obsequium domini mei fuissem ingressus, su- E
bito atque inopinato introire in monasterium, atque vt onera Abbatis debuissem suscipere,
præcepistis.] Sed de his ipsum audi Gregorium, qui de eo hæc est locutus in Synodo:
Quadam die, dum de ordinando monasterio, cui præesse dignosceris, cum nostris filijs
tractaremus, atque diu aptam personam huic officio quæreremus: ex improuiso te ingre-
diente, cordi nostro & eorum qui nobiscum ad tractandum aderant, subito natum est, vt
te illic Abbatem, Deo propitio, constituere deberemus.] hæc de Probo: reliqua vero de
pace cum Longobardis dicemus anno sequenti.

DE PROBO ABBATE.

d Gregor. lib. 9. epist. 22. Ind. 4.

Hoc anno perlatum esse nuncium Romam de victoria aduersus Sclauinos, siue Sclauos
populos, testatur S. Gregorius in epistola [e] ad Basilium. Quomodo autem hæc se habuerint,
ex Theophane in Miscella [f] sub anno vndecimo & duodecimo Imperatoris narrantur his
verbis: Vndecimo anno Imperij Mauritij idem Imperator Priscum cum omnibus Roma-

e Gregor. lib. 7. epist. 9. Ind. 2.
f Miscella lib. 17.

nicis

A nicis potentatibus ad Istrum fluuium misit, vt Sclauinorum nationes transire prohiberet. Quo apud Dorostolon habito Gaianus comperit: qui legatis ad eum directis, calumniam inferebat Romanis exordium dantibus belli. Priscus autem excusabat, quod non venerit aduersus barbaros belligeratum, sed quod ad Sclauinorum nationes a Principe fuerit destinatus. Audiens autem Priscus, quod Ardagastus multitudines Sclauinorum ad prædandum dispersserit, transiens Istrum media nocte inopinate Ardagastum adortus est. At vero Ardagastus discrimine sensso, nondum conscenso equo, vix saluus euasit. Romani multitudine Sclauinorum occisa, & Ardagasti regione euersa, prædam copiosam captam Byzantium per Tamererem direxerunt, &c.] lætitiam magnam factam Constantinopoli his auditis, & Deo gratias hymnis actas, affirmat. Porro qui hæc de victoria aduersus Sclauinos Gregorium litteris certiorem reddidit, idem etiam adiecit, complures schis-
B maticos ad sanctæ Ecclesiæ Romanæ communionem festinare; quamuis promulgasset de his edictum Imp. Mauritius, ne schismatici inuiti cogerentur ad Ecclesiæ Catholicæ communionem redire, vt ipse testatur Gregorius sequenti epistola ad Marinianum: quod quidem contra prædecessorum Imperatorum edicta aduersus schismaticos Donatistas sæpe prolata, liquet fuisse ab Imperatore decretum.

Quem vero resipiscentium salus exhilarat, statim lapsus affligit. Ex eminenti enim, qua spectat orbem, specula intuens sanctissimus Papa, duos in errorem lapsos hæreticæ prauitatis in Oriente conspicit, quos magna solicitudine ad Catholicæ fidei veritatem reuocare festinat. Malum hoc in Ecclesia Thessalonicensi obortum dolens, litteras [a] dedit ad Eusebium eius Ecclesiæ Archiepiscopum, vt antequam latius serpat venenum, vel putrida abscindat membra, vel reuocet ad salutē. Lucas enim eius Ecclesiæ presbyter vna cum
C Petro quodam *præfricta* fronte iactare non erubescebat, se non suscipere sacrosanctum Chalcedonense Concilium: quæ tanta blasphemia graue intulit scandalum reliquis eiusdem Ecclesiæ Orthodoxis, qui de his questi apud Rom. Pontificem fuisse videntur, cum ab Episcopo id negligi cernerent: quem acerrimis litteris aduersus sceleſtos illos idem S. Gregorius excitauit.

DE HAERETICIS THESSALONICAE ORTIS REPRIMENDIS.

[a] *Gregor. lib. 7. epist. 7. Ind. 1.*

Eodem quoque anno dilectione plenas officiosasq. litteras idem Gregorius reddidit ad Dominicum Carthaginensem Episcopum, qui ex more reuerentia plenas & honoris obsequijs cumulatas litteras ad ipsum Gregorium scripserat. inter alia enim hæc ad ipsum Gregorius: Scientes præterea vnde in Africanis partibus sumpserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quod sedem Apostolicam diligendo, ad officij vestri originem prudenti recordatione recurritis, & probabili in eius affectu constantia perma-
D netis. Certum quippe est, quia vestro honori additis, quicquid reuerentiæ ac deuotionis ordini sacerdotali exhibetis.] Quo etiam anno Paulum [b] Episcopum Africanum accusatum, & innocentem iudicatum, in suam Ecclesiam redire voluit, commendans eum Columbo in Numidia Episcopo, necnon Adeodato atque Maurentio Africanis Episcopis.

[b] *Gregor. lib. 7. epist. 14. & 16. Ind. 1.*

De Iudæorum etiam conuersione Gregorius propensius hoc anno solicitus, eis præsto esse quibus potuit officijs minime defuit. Cum enim audisset in Sicilia in Agrigentino territorio existentes Iudæos conuerti velle, Faustinum [c] Defensorem ad eos mox pergere, & insistere operi iussit, vtq. cum loci Episcopo cuncta agere deberet, admonuit: & inter alia: Huius, inquit, auctoritatis tenore præcipimus, vt omni excusatione submota, ad prædictum locum pergere, & desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adiuuare festines. Quibus tamen si longum vel triste videtur solemnitatem sustinere Paschalem, &
E eos nunc ad baptismum festinare cognoscis: ne (quod absit) longa dilatio eorum retro possit animos reuocare, cum fratre nostro & coepiscopo loci loquere, vt pœnitentia ac abstinentia quadraginta dierum indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festiuitas fortasis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet. Quia & temporis qualitas propter eam quæ sibi imminet cladem impellit, vt desideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoscumque vero ex eis pauperes, & ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis vestem, quam ad baptisma habeant, comparare volumus, ac præbere, &c.]

[c] *Gregor. lib. 7. epist. 24. Ind. 1.*

DE IVDAEIS CONVERSIS.

At vero sicut ad fidem conuerti volentibus Iudæis ipse Gregorius omnibus subuenit officijs, ita eos inuitos non esse cogendos, neque eisdem negotium faceſſendum, hoc eodem anno scribens de ijsdem ad Ianuarium Episcopum Calaritanum [d], admonuit. Acciderat enim, vt neophytus quidam, nomine Petrus, sequenti sui baptismatis die, cum satellitio com-

NON VI PERDVCENDOS IVDAEOS AD FIDEM.

[d] *Gregor. lib. 7. epist. 5. Ind. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

comparato in Iudæorum ſynagogam irruperit, illicq. eam commutaturus in eccleſiam venerandam imaginem Dei genitricis vna cum ſanctiſſima Cruce collocauerit. Quod licet zelo quodam, non tamen ſecundum ſcientiam factum Gregorius non laudans, iuſſit inde ea qua deceret reuerentia ſacram imaginem & Crucem auferri, & Iudæis ſuam ipſorum relinqui liberam ſynagogam. De Iudæis itidem non vexandis hoc item anno alias dediſſe reperitur litteras [a] ad Panormitanum Epiſcopum. A

[a] *Gregor. lib. 7. epiſ. 29. Ind. 1.*

DE OFFICIO, ET DIGNITATE DEFENSORVM.

Hoc pariter anno idem Gregorius, quæ Romanæ eſſent Eccleſiæ ex more curans, Defenſorum officium in Vrbe auxit honore ac dignitate, vt ſicut Notarij & Subdiaconi, ijdem Regionarij eſſent: qui enim Regionarij dignitate & nomine augebantur, eiſdem patebat aditus vt ad ſacra ſimul cum Pontifice conuenirent, erantq. omnes ſeptenario myſtico numero deſignati, vt ſicut diaconi Regionarij ſeptem, Notarij pariter Regionarij dicti totidem, ſimiliter Subdiaconi, atque Defenſores totidem eſſent numero. Hi abſente Pontifice ſedebant cum clero, præſente vero ſtabant. Eſt de his hoc anno data epiſtola S. Gregorij ad Bonifacium [b], Porro Regionariorum munerum huiuſmodi tantum erat priuilegium, vt aſſiſterent Pontifici in eccleſia: cum alioqui ſicut præter ſeptem Diaconos Regionarios, Notarios, Subdiaconos, & Defenſores itidem Regionarios, alij cõplures in Vrbe & in omni Eccleſia fuerint Diaconi, Notarij, Subdiaconi, & Defenſores. Inſeruiebant ipſi Defenſores potiſſimum pauperum defenſioni & eccleſiarum, mittiq. ſolebant ab ipſo Romano Pontifice in diuerſas prouincias; quibus & alia diuerſi generis delegari conſueuiſſe negotia, docent eiuſdem Gregorij plures ad eoſdem ſcriptæ epiſtolæ [c]. Formulam autem Defenſoris conſtituendi habes inter eiuſdem Gregorij epiſtolas his verbis expreſſam [d]: B

[b] *Gregor. lib. 7. epiſ. 19. Ind. 1.*

[c] *Gregor. lib. 7. epiſ. 17. 18. 19. 20.*

[d] *Gregor. lib. 4. epiſ. 25. Ind. 13.*

Eccleſiaſticæ vtilitatis intuitu id in noſtro ſedit arbitrio, vt ſi nulli conditioni vel corpori teneris obnoxius, nec fuiſti clericus alterius ciuitatis, aut in nullo tibi canonum obuiant ſtatuta, officium Eccleſiæ Defenſorum accipias: vt quicquid pro pauperum commodis tibi a nobis iniunctum fuerit, incorrupte & viuaciter exequaris: vſurus hoc priuilegio, quod in te habita deliberatione contulimus: vt omnibus, quæ tibi a nobis fuerint iniuncta, complendis, operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis ſub Dei noſtri iudicio rationem. Hanc autem epiſtolam Paterio Notario Eccleſiæ noſtræ ſubſcribendam dictauimus.] hæc de ordinatione Defenſoris. Ad horum officium ſpectabat (vt dictũ eſt) oppreſſis ſubuenire implorantibus Apoſtolicæ ſedis auxilium in prouincijs ad quas curandas mittebantur: Defenſores enim ad curanda patrimonia Rom. Eccleſiæ in diuerſis prouincijs conſtituta ſolitos mitti, docent eiuſdem Gregorij epiſtolæ [e] hoc anno datæ. C

[e] *Gregor. lib. 7. epiſt. 17. 18. 19. 20.*

QVOMODO SE GERERE DEBEANT DEFENSORES.

Idem vero Gregorius in cauſis Epiſcoporũ, quomodo ijdem Defenſores ſe gerere debe- D rent, in epiſtola data ad Vitalem Defenſorem iſta habet [f]: Si cuiuſquam clerici (vt aſſolet) culpæ caſus emerſerit, in qua ſibi petere debeat adiutorem: ad eumdem Epiſcopum reuerenter accede; & ſicut cauſæ meritum cognoueris, apud eum non defenſor culpæ, ſed potius interceſſor exiſte: vt hac prouiſione & poſcenti feras auxilium, & iura Præpoſiti non turbentur. Si qui vero ſunt qui iuſta popoſcerint, eis per te auxilium ſedis Apoſtolicæ non eſt negandum: ſed tamen ita ſeruandum eſt, vt vniuſcuiuſque Epiſcopi reuerentia & clericorum diſciplina per defenſionis tuæ experientiam minime ſoluatur.] hæc ad Vitalem, cum clerici diſcoli aduerſus Epiſcopum ſuum interpellaſſent Defenſorem Apoſtolicæ ſedis.

[f] *Gregor. lib. 7. epiſ. 66. Ind. 2.*

Sed & eumdem qui ſupra, Romanum Defenſorem in Siciliam miſſum, qua diſcretione iudicij oppreſſis & opem Eccleſiaſticam implorantibus ſubuenire deberet, ita alia E ad eum ſcripta epiſtola docet [g]: Patrocinia Eccleſiaſtica (ſiue mea ſuſcipiatis ſcripta, ſiue etiam minime fuerint directa) ſub tanto moderamine debetis impendere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati ſunt, a nobis non videantur iniuſte defendi: ne opinionem male agentium ex indiſcretæ defenſionis auſu in nos vllo modo transferamus: ſed quantum decet Eccleſiam admonendo, & verbum interceſſionis adhibendo, quibus valetis ſuccurrite, vt & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ Eccleſiæ non inquinetis.] hæc Gregorius. Reprehendit vero alibi Defenſorem quemdam, qui clericos, deſpecto ſuo Epiſcopo, faceret ad ſuum tribunal exhiberi: decernitq. vt prima inſtantia omnino fieri debeat apud Epiſcopum, elegantemq. hanc ſententiam prodit [h]: Si ſua, inquit, vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur?] Admonet autem, vt ſiue clericus, ſiue laicus

[g] *Gregor. lib. 7. epiſ. 24. Ind. 2.*

[h] *Gregor. lib. 9. epiſ. 22. Ind. 4.*

A laicus causam contra Episcopum habeat, tunc Defensor vel iudicet, vel cogat ipsos deligere Iudices.

Solicitus præterea de monachorum quiete S. Gregorius, hoc anno plura de his scripsit, priuilegiaq. concessit [a] monasterio Classensi sub diœcesi Rauennate constituto, quod cum ab eius Ecclesiæ Episcopis durissima pati cogeretur, ab eorum in pluribus potestate exemit. Sic etiam & a prædecessoribus concessa priuilegia monasterijs salua voluit. Scribit [b] ista de monasterio Castelliensi, quod diximus fuisse munifice a Cassiodoro Senatore erectum, & optime institutum. Firmum [c] stabileq. seruari voluit, vt post monasticam professionem nulli liceret condere testamentum. Ceterum occasione nonnullorum monachos opprimentium Episcoporum manauit, vt Summi Pontifices eiusmodi solerent vallare priuilegijs monasteria.

[a] Gregor. lib. 9. epist. 32. Ind. 4.

MONACHORVM QVIETI GREG. CONSVLIT.

[b] Gregor. lib. 7. epist. 18. Ind. 1.

[c] Gregor. lib. 7. epist. 33. Ind. 1.

[d] Gregor. lib. 7. epist. 7. Ind. 1.

B Rursum vero idem sanctus Gregorius in redarguendo perperam facta Episcoporum hoc anno, occasione poscente, haud segnem se præbuit. testantur id duæ ipsius acerrimæ epistolæ datæ [e] ad Ianuarium Episcopum Calaritanum, qui furore quodam percitus, die Dominico, priusquam Missarū solemnia celebraret, ad exarandam segetem Donati cuiusdam perrexit, eaq. exarata reuersus Missarum solemnia celebrauit, ac postea illuc rediens terminos eiusdem possessionis euulsit. In hæc adeo indigna Christiano homine, nedum Episcopo, Gregorius vehementer commotus, in eumdem censuram tanto facinore dignam exercuisset, nisi eius decrepitæ senectutis rationem aliquam habuisset: sed a communione suspendit eos, quorum consilio id egisset. Admonuit vero ipsum, qui vano zelo commotus facinus perpetrasset, dum se eo sanctiorem existimaret, quo res Ecclesiæ quouis posset modo studiosius conseruaret, his verbis: Non terrenarum rerum curam, sed animarum te ducatum suscepisse cognoscas. Ibi ergo cor figere, ibi solicitudinem, ibi totum debes studium adhibere, atque de earum lucro diligentius cogitare, &c.] hæc quidem non quo res Ecclesiæ ab Episcopis contemni debeant, sed vt sciant quid in primis ipsis curandum sit. Redarguit [f] Episcopos, qui non a suo Metropolitano tempus Paschale requirerent, sed aliunde.

[e] Gregor. lib. 7. epist. 1. 2. Ind. 2.

C

[f] Gregor. lib. 7. epist. 8. Ind. 2.

Quod autem idem sanctus Gregorius Apostolica auctoritate concessisse reperitur licentiam ecclesias dedicandi petentibus, & ad hoc martyrum sanctuaria tribuisse, sed & quod dederit alijs rogantibus facultatem erigendi monasteria [g]; patet id alijs Episcopis inconcessum, sed solius fuisse supremi Antistitis.

[g] Gregor. lib. 7. epist. 11. 12. 15. 16. Ind. 2.

Accepit hoc anno Gregorius vna cum litteris etiam sancta munuscula a Leontio Exconsule, viro maxime pio, nimirum (vt ipse testatur Gregorius in litteris [h] ad eum redditis) oleum sanctæ Crucis, & lignum aloes. Sunt hæc enim eius verba: De hoc etiam valde gaudemus, quod munera quæ transmisistis, vestris moribus dissimilia non fuerint. Oleum quippe sanctæ Crucis & aloes lignum suscepimus: vnum quod tactum benedicat; aliud quod incensum bene redoleat, &c.] Quod ad oleum Crucis pertinet, de eodem apud Cyrillum in Saba tertium mentio habetur, quod sanctus ille adhibere solebat ad fugandos dæmones & edenda miracula. Quodnam autem hoc, & cur ita dictum sit: existimaui aliquando, sicut apud Theodoretum [i] in Iacobo reperitur dictum oleum martyrum illud, quod accipi consueuisset ex lampadibus, quæ ardere solerent in Confessionibus martyrum, vbi scilicet sepulta essent corpora sanctorum martyrum, quo æque pij vtebantur ad morbos curandos; ita dictum esse oleum sancta Crucis illud, quod arderet ante pretiosum lignum sanctæ Crucis Hierosolymis. Verum quod scribit Beda [k] in epitome de locis sanctis, quid per oleum sanctæ Crucis intelligere debeamus, satis perspicue indicat: vbi agens de sanctæ Crucis ligno Hierosolymis Constantinopolim translato sub Heraclio ingruentibus Sarracenis (vt inferius fusius dicetur) hæc ait: De nodis enim ligni sancti liquor odorifer oleo similis profluit, cuius si etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem sanat.] hæc Beda ex sancto Episcopo, qui ista aspexit. Porro Gregorius eas reddens ad Leontium litteras, misit ad ipsum clauem sepulchri S. Petri vna cum ramentis ex catenis ipsius.

[h] Gregor. lib. 7. epist. 35. Ind. 1.

D

DE OLEO SANCTAE CRVCIS.

[i] Theod. hist. Sanct. Patr. in Iacob. c. 21.

[k] Bed. de locis sanct. cap. 20. in fine.

E

Quod rursus pertinet ad res Orientales, hoc tempore magnus ille Theodorus cognomento Siceota, ex monacho Episcopus Anastasiopolis in Galatia, cum despectui & odio se haberi videret (nam potatus veneno excessisset ex hac vita, nisi Maria Dei genitrix succurrisset) consulto diuino Spiritu, sedi nuncium remisit, contradicente tamen suo Metropolitano Archiepiscopo Ancyrano, litteris datis ea de re ad Cyriacum Constantino-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantinopolitanum Episcopum, necnon ad Mauritium Imperatorem, quod in optatis erat, A
vacationem obtinuit, sicq. solutus cura pastorali, ad pristinæ vitæ statum se contulit. Cum
THEODORVS MIRACVLIS CLARVS. vero quam a Deo acceperat gratiam curationum in edendis miraculis, petentibus sæpe
communicasset, ab ipso Cyriaco Episcopo Constantinopolitano, necnon ab eodem Mau-
ritio Imp. accersitur Constantinopolim, vbi dum ad breue tempus moraretur, ingentia
a Apud Sur. tom. 2. die 22. April. per eum Deus miracula edidit. describit ea singula Eleusius [a] (qui & Georgius) eius disci-
pulus quam fidelissime, nimirum signo tantum Crucis, addita aliquando aqua benedicta,
cæcos illuminare, paralyticos sanare, & alijs morbis affectos curare, obsessosq. a dæmo-
nibus liberare consueuisse: quæ ne penitus prætereamus, primum quod præstitit, hic de-
scribamus, quod idem auctor ita narrat:

Mulier quæ apud illum habitabat, cum filium quadriennem cæcum haberet, in vlnis
CAECVM ILLVMINAT. eum suis ad sanctum virum gestauit, & multis lacrymis ante ipsum prostrata, puerum B
ad pedes eius deposuit, supplicans vt lumen oculorum illi largiretur. Vir beatus cum
pueri oculos obsignasset, eiq. benedixisset, aquam benedictam matri dedit, præcipiens
vt aqua illa quotidie mane oculos lauaret. Quod cum ter egisset mater, quarto die filium
sanum ad sanctum virum adduxit, laudans Deum.] ita quidem sanctus, vitans propriam
gloriam, per benedictam aquam miraculum operatus est, vt diuinæ benedictioni potius
quam suæ id virtuti adscriberetur. Recenset alia plurima & plane magna idem auctor ibi-
dem, dum Constantinopoli moraretur, ab ipso miracula edita: quæ tu ipse, si cupis, in
eius vitæ Actis fideliter scriptis perlege. Vltimum autem illud de Mauritij Augusti fi-
lio a lepræ morbo sanato, cuius causa fuerat accersitus, ita describit: Contigit vt vnus ex
FILIVM IMP. SANAT. filijs Mauritij Imperatoris lepræ morbo laboraret: cui cum medici nullam possent opem
afferre, Imperator virum sanctum accersendum curauit. Qui in palatium, vbi puer iace- C
bat, ingressus, & pro illo preces ad Deum fundens, aquam benedixit: cumq. illum aspar-
sisset, reliquum aquæ dedit vt rursum conspergeretur: & sancti viri precibus puer sanus
effectus est. Imperatoris autem & Augustæ precibus adductus, inter ipsos consistens,
Deum pro illis obsecrauit: & cum benedixisset eis, discessit in patriam, ad monasteriumq.
peruenit.]

Quomodo autem in S. Georgij ecclesiam, in memoriam tanti martyris, cuius studio-
sissimus erat, a se extructam, eiusdem martyris reliquias diuinitus acceptas intulerit,
S. GEORGII MARTYRIS RELIQVIAS ACCIPIT. ab eodem Eleusio auctore rem gestam narratam sic accipe: Cupiebat, inquit, vir beatus
aliquid ex glorioſi martyris Georgij reliquijs habere, & rogabat eum vt se voti compo-
tem faceret. Pius autem Aemilianus Germiorum Episcopus sancti capitis eius partic-
culam, manusq. digitum, & dentem vnum, aliamq. particulam eius corporis habebat. D
Huic martyr apparuit, iussitq. vt eas seruo suo Theodoro reliquias in templum, quod
sibi exædificarat, transferendas traderet. Misit igitur Episcopus nuncium ad beatum
virum, qui eum nomine suo hortaretur, vt se ad precandum in templum sancti Ar-
changeli conferret: cupere enim se illum salutare, optatasq. illi sancti martyris reli-
quias dare. Hac lætus pollicitatione ex monasterio exijt, & in Germiorum ciuita-
tem ingressus, in Archangeli templo precabatur. Amanter suscepit eum sanctus Epi-
scopus Aemilianus, & in monasterium sanctæ Dei genitricis, quod vocatur Aligetes,
perduxit.

Eo tempore magna erat in Pesinuntium metropoli siccitas, & fruges ac fructus
omnes exaruerant. Quamobrem cum incolæ intellexissent Christi seruum Theodorum
apud Aemilianum Episcopum diuertisse, celeriter ad eum omnes cum clericis in sanctæ E
Dei genitricis templum conuenerunt, permittenteq. Episcopo Aemiliano, in ciuitatem
suam eum adduxerunt, vt facta supplicatione per eius preces e cælo pluuiam impetra-
rent. Procul ab hac ciuitate sex passuum millibus erat hortus, quem magna locustarum
HORTVM A LOCVSTIS LIBERAT. occupauerat multitudo, & totum prope deuastauerat. Huius horti dominus cum bea-
tum Theodorum adesse intellexisset, processit illi obuiam, & ad pedes eius prostratus ca-
lamitatem in hortum suum a locustis illatam indicauit. Cui vir sanctus: Abi, inquit,
fili, & affer aquam in vase. Cucurrit ille, & e proximo flumine aquam attulit. Quam
Dei seruus cum benedixisset, dedit ei, dicens: Hac aqua quatuor horti tui angulos aspar-
ge, & dabit tibi Dominus quod exoptas. Ad hortum reuersus homo, studiose fecit, quæ
vir sanctus præceperat. Cumq. ad locum quem primum aspersérat reuertisset, ne vnam
quidem locustam reperit: paulo post item inuisens, omnes plane locustas deletas inue-
nit.

A nit. Quamobrem cum manus suas oleribus implesset, currens ad beatum Theodorum miraculi effectorem contendit. Tunc autem obuiam illi trium millium passuum a ciuitate processerat supplicatio. Cum illa igitur ingredientem sanctum virum olitor assecutus, procidit ad pedes eius, eiq. olera quæ in manibus ferebat obtulit, nuncians miraculum quod factum fuerat.

Beatissimus vero Georgius Metropolita cum lætitia sanctum Theodorum suscepit, qui in diem sequentem supplicationem indicendam mandauit. Postridie igitur mane, cum vniuersa ciuitas in Catholica ecclesia sanctæ Sophiæ esset congregata, beatus Theodorus & Metropolita Georgius cum vniuerso populo supplicantes, ad venerabile sanctorum Angelorum templum extra muros conuenerunt, atque inde ad sanctam Sophiam reuersi sunt. Vbi cum sanctus Christi seruus Metropolitæ rogatu sacrificasset, omnesq. sacra my- PLVVIAM A DEO IMPETRAT.
B steria percepissent; nubibus contractum est cælum, & tanta pluuiæ copia in totam illam regionem descendit, vt aquarum fontes & flumina in tertium vsque diem exundarint. Omnes igitur lætitia pleni Deum collaudabant, qui serui sui precibus motus misericordiam suam ostendisset. Metropolita autem & populo comitante, sanctus Theodorus illinc discessit, & cum ad Episcopum Aemilianum venisset, ab eoq. optatissimas sancti martyris Georgij reliquias accepisset, ad sanctum monasterium suum cum gaudio reuersus est.] hæc & alia plurima de Theodoro habet Eleusius; sed hæc modo satis ad institutum. Sane quidem constat numquam Deum Orientalem deseruisse Ecclesiam, quin aliquo lucis radio illustrarit, mirifico videlicet aliquo sancto viro miraculorum operatore, nisi tantum vbi a Catholica Ecclesia diuisi sunt schismate, cum & a Deo esse reiectos, pluribus sæpe demonstratum est experimentis.

C Quod ad res Occidentalis Ecclesiæ pertinet, hoc eodem anno celebratum est in Hispania Oscense Concilium, Era nimirum sexcentesima trigesimasexta: ex quo duo dum- OSCENSE CONCILIVM.
taxat canones reperiuntur, quibus illud de canonica clericorum disciplina sancitum reperitur, vt castitate sincera & haud dubia polleant, ne videlicet quouis modo de eis aliqua inhonesta suspicio suboriri valeat. Frequentia quidem fuisse Concilia in Hispania temporibus Reccaredi, satis apparet. Inuigilasse enim ipse in eo visus est, vt Christiana religio magis magisq. illustraretur,& Catholica fides, qua præstabat, sanctis operibus æque clarescceret.

Verum non pro Hispanis tantum subditis sibi populis solicitus fuit, sed pro Gallis etiam, qui in Narbonensi prouincia subiecti sibi essent: nam quarto regni sui anno Narbonæ Concilium celebrandum curauit, Era sexcentesima vigesimaseptima,
D qui est annus Domini quingentesimus vndenonagesimus, nouem scilicet ante annos: quod ad finem superioris tomi fuerat collocandum: sed quoniam non ante hoc tempus nacti ipsum fuerimus, neque hactenus cusum certo sciamus, illud hic tibi verbatim excudendum curamus integrum. Accepimus ipsum ex scripto codice ab Hispania Romam misso ad Gregorium Decimumtertium Pontificem Maximum Idibus Nouembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimosexto, descriptum ex peruetusto Gothico codice monasterij sancti Aemiliani in regiam bibliothecam translato. sic enim se habet:

NARBONENSE CONCILIVM anno quarto Reccaredi, atque Era sexcen- NARBONEN. CONCILIVM SVB RECCAREDO.
tesima vigesimaseptima. In nomine Domini nostri Iesu Christi, anno feliciter quarto regni domini nostri glorioßissimi Reccaredi Regis Narbonæ.

E Migetius, Sedatius, Benenatus, Boetius, Pelagius, Tigridius, Agrippinus, & Sergis * * Sergius
Episcopi Galliæ prouinciæ.

Concilia sanctorum antiquorum Patrum vel decreta obseruare cum Dei timore cupientes, nos in vrbe Narbona, secundum quod sancta Synodus per ordinationem glorioßissimi domini nostri Reccaredi Regis in vrbe Toletana finiuit *, die Kalend. Nouem- * definiuit
bris, Deo auspice, in vnum conuenimus, & aliquanta quæ iuste & pie sunt edita, & per patrocinationis * potestatem non supplebantur ad memoriam, nunc temporibus domi- * persecutionis tempestatem
ni nostri sub præfationibus deducentes recapitulare fecimus: & quæ pro regula & fidei Catholicæ disciplina adhuc visa sunt, communi tractatu elegimus conscribenda, & canonibus definiuimus adiungenda, quæ tenore capitulorum subsequenter euidenti iure declarantur.

Hoc regulariter definitum est, vt nullus clericorum vestimenta purpurea induat, quæ

* religiosorum

ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam * dignitatem : vt sicut est deuotio in mente, ita & ostendatur in corpore : quia purpura maxime laicorum potestate præditis debetur, non religiosis. Quod si quis non obseruauerit, velut transgressorem legis coercendum.] Vsus quidem purpuræ fuisse scitur Dei præcepto [a] in ornatu vestium Summi Sacerdotis veteris legis : cessit vero eadem vsui Summi Pontificis Christianorum ; qua carere non debuit, cum maiorem fore gloriam Christi sacerdotij, quam Aaronici, pariter prophetæ prædixerint. Porro quæ peculiaris vsus Romanæ Ecclesiæ essent (vt suo loco superius dictum est) alijs vti illis vetitum erat, sicut calceis compaginatis, dalmaticis, mappulis, quibus clerici aliarum Ecclesiarum vti prohibebantur, vt sanctus Gregorius tradit [b]. Sed reliquos recensеamus canones, qui ita pergunt:

a Exod. 39.

b Gregor. lib. 2. epist. 54. Ind. 11. lib. 7. epist. 28. Indict. 1. lib. 7. epist. 113. Ind. 2. edit. Rom.

Hoc itaque definitum est, vt in psallendis ordinibus per quemque psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo ; per maiores vero psalmos, prout fuerint prolixius, pausationes fiant, & per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur.

Nam & hoc secundum priscorum censuram canonum finitum, vt nullus clericus, subdiaconus, diaconus, vel presbyter in plateis resideat, certe nec in plateis stare, & famulis diuersis commisci. Quod si quis facere præsumpserit, repellendum omnino ab officio, & execrandum, si non emendauerit : & a communione & ab officio priuetur.

Vt omnis homo tam ingenuus, quam seruus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Iudæus, die Dominico nullam operam faciant, nec boues iungantur, excepto si in mu-

* *forte* metendo

rando * necessitas incubuerit. Quod si quisquam præsumpserit facere : si ingenuus est, det Comiti ciuitatis solidos sex : si seruus, centum flagella suscipiat.

* Nicænum sanctissimum

Secundum Concilium Nicæni * sanctissimi, concinnabula * vel coniurationes * non fiant clericorum, quæ sub patrocinio solebant fieri laicorum. Nec vnusquisque de inferiore gradu seniorem sibi elatus aut increpet, aut iniuriet. Quod si quis prætermisso tam iustæ censuræ ordine ausus fuerit facere, districtione sæuissima corrigatur, vt sub pœnitentiæ nomine vitia recedente * : id est, anno vno in monasterio sciat abijcere superbiam, vnde inflatur, quod est diabolus ; & addiscat humiliationem Christi, quia per ipsam mortem gustare dignatus.

* conciliabula
* conuiuationes

* recidantur, *vel* recedant

Secundum Concilia priscorum Orthodoxorum decreuit fraternitas, vt quicumque fuerit culpabilis inuentus clericus, aut honoratus de ciuitate, & ad monasterium fuerit deputatus, sic Abba qui est prædictus *, cum illo qui dirigitur, agat, sicut ab Episcopo manifesta correctione fuerit ordinatus. Aliter si Abba facere elegerit, pro correctione tempus aliquod suspendatur : quia ab hac * causa dirigitur, vt emendetur, non vt passim ferculis diuersis saturetur.

* præfectus

* ob hanc causam

Quicumque clericorum a maximo vsque ad infra, contra S. Ecclesiæ vtilitatem agere, tractare, vel conari fuerit repertus, merito deijciatur, qui fidē seruare minime cognoscitur.

Quicumque clericus, subdiaconus, diaconus, presbyter sine conscientia Episcopi aliquid de possessionibus, vel de domo Ecclesiæ tulerint, aut fraudem fecerint, non solum cum omni dedecore constricti restituant quod fecerunt, sed etiam non debere ibi in Ecclesia esse, vbi fraudem visus est operasse : duobus iaceat sub pœnitentia annis, & cum defleuerit factum, reuertatur ad officium.

Hoc ante omnia decretum est, vt Iudæis non liceat corpus *defuncti* deducere psallendo : sed vt eorum habuit mos & consuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant. Quod si aliter facere præsumpserint, inferant Comiti ciuitatis vncias sex.

Hoc maxime definitum est, vt nullus audeat clericorum ordinationem sui Episcopi contemnere : sed vbi ordinatus fuerit, ambulare debeat cum gratia & obedientia, & quæ iniuncta fuerint agere. Quod si sub cothurno superbiæ neglexerit implere : non solum a stipendio, sed vno anno a communione priuetur.

Amodo nulli liceat Episcoporum ordinare diaconum, aut presbyterum litteras ignorantem. Sed si qui ordinati fuerint, cogantur discere. Qui vero diaconus aut presbyter fuerit litteris ineruditus, & desidiose legere vel implere officium distulerit, & in Ecclesia ad omnia vtilis non fuerit, ab stipendio reijciendum, & inclinandum, quoadusque curuatus impleat & defendat, quod esse cognoscitur. Ad quid erit in Ecclesia Dei, si non fuerit ad legendum exercitatus ? Et si perseuerauerit desidiose, & non vult proficere, mit-

* monasterium

tatur in monasterio *, quia non potest ædificare populum.

Hæc maxime pro Dei timore & modo disciplinæ canonicæ eleginus custodienda, vel

tenenda

A tenenda, vt dum Missa celebratur, nullus presbyter aut diaconus absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de altario audeat. Nec diaconus, aut subdiaconus certe, vel lector, antequam Missa consummetur, alba se præsumat exuere. Quod si quisquam non impleuerit constitutum, presbyteri increpentur vt redeant, diaconos & execrandos & stipendio priuandos, reliquos districtione strictissima condemnandos.

Hoc regulariter secundum priorum statuta canonum finitum est, vt tam subdiaconus, quam ostiarius, & reliqui, seruitium sanctæ Ecclesiæ consuetum absque vlla desidia impleant, & senioribus vel *ad osteos subleuent. Qui contempserit facere & adimplere, subdiaconos verbis corripiendos, & si non emendauerint, ab stipendio probandos, reliquos flagris coercendos. *locus depravatus.

Hoc itaque propter ampliandam fidei Catholicæ disciplinam elegimus definiendum,
B vel tenendum: vt si qui viri ac mulieres diuinatores, quos dicunt esse caragios atque forticularios, in cuiuscumque domo Gothi, Romani, Syri, Græci, vel Iudæi fuerint inuenti, aut quis ausus fuerit amodo in eorum vana carmina interrogare, & non publice hoc voluerit annunciare: pro hoc quod præsumpsit, non solum ab Ecclesia suspendatur, sed etiam sex auri vncias Comiti ciuitatis inferat. Illi vero qui tali iniquitate repleti sunt, & sortes & diuinationes faciunt, & populum præuaricando seducunt, vbi inuenti vel inuentæ fuerint, seu liberi, seu serui, vel ancillæ sint, grauissime publice fustigentur, & venumdentur, & pretia ipsorum pauperibus erogentur.

Ad nos peruenit quosdam de populis Catholicæ fidei execrabili ritu diem quintam feriam (qui & dicitur Iouis) multos excolere, & operationem non facere. Quam rem pro Dei timore execrantes & blasphemantes, quicumque ab hac die præter festiuitates in
C eo die venientes ausus vel ausa fuerit vacare, & operam non facere, si ingenuus est, aut ingenua, de Ecclesia repellendus, & sub pœnitentia mittendus anno vno, & eleemosyna & metu satisfaciat, vt eis Dominus ignoscat. si seruus aut ancilla fuerit, contenta flagella correcti domino consignentur, & vltra talia eos obseruare non permittant.

Migetius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Narbonensis Episcopus in has constitutiones, secundum quod nobis cum fratribus nostris Deo inspirante placuit, relegi & subscripsi.

Sedatius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Biterrensis Episcopus in his constitutionibus interfui & subscripsi.

Boetius in Christi nomine Ecclesiæ Magalensis Episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi.

D Pelagius in Christi nomine Ecclesiæ Nemausensis Episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi.

Tigridius in Christi nomine Ecclesiæ Agathensis Episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi.

Sergis* in Christi nomine Ecclesiæ Carcasonensis Episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi. *Sergius

Agrippinus de ciuitate Loteba in Christi nomine Episcopus in has constitutiones interfui.] hactenus Concilium Narbonense a nobis, hic, ne periret, excusum.

Hoc eodem anno defunctus est Guntheramnus Francorum Rex religiosissimus. Quod ad temporis rationem pertinet: cum regnasse annos trigintatres tradant qui res Francorum sunt prosecuti [a], constetq. ipsum ex ijs quæ superius dicta sunt, regnare cœpisse anno
E Redemptoris quingentesimo sexagesimoquinto: plane ad hunc peruenisse annum, dicere oportet. Defunctus sepultus est in ecclesia sancti Marcelli, quam maximo sumptu ipse ædificauerat: qui & in territorio Segonum (vt idem testatur auctor) monasterium quoque construxit, quod & reditibus auxit: Synodumq. quadraginta Episcoporum collegit, vt ab eisdem in eodem loco sanctorum martyrum Agaunensium ordo psallendi institutus a sancto Auito & reliquis Pontificibus probaretur, & teneretur a monachis monasterij sui. Erat idem Rex eorumdem martyrum studiosissimus, quorum reliquias penes se habere curauit. Quid vero acciderit, cum ex monasterio sanctorum reliquias petijt, Gregorius Turonensis narrat his verbis [b]: Cum autem Guntheramnus Rex ita se spiritualibus actionibus mancipasset, vt relictis sæculi pompis, thesauros suos ecclesijs & pauperibus erogaret: accidit, vt misso presbytero, munera fratribus, qui sanctis Agaunensibus deseruiunt, ex voto transmitteret, præcipiens presbytero, vt ad eum

GVNTHERAMNI REGIS OBITVS.

[a] *Aimon. de gest. Franc. lib. 3. c. 81.*

[b] *Greg. Turon. de glor. mart. c. 70.*

rediens, ſanctorum ſibi reliquias exhiberet. Igitur dum impleta Regis præceptione, cum his regrederetur pignoribus, Lemnaci laci, per quem Rhodanus influit, nauigium petit. Extenditur autem lacus ille in longitudinem quaſi ſtadijs quadringentis, latitudine autem ſtadijs centum quinquaginta. Denique reuertens presbyter (vt diximus) cum nauigium hoc fuiſſet aggreſſus, ſubito tempeſtas orta fluctus tollit ad ſidera, ſurgunt vndarum montes; & nunc puppis nauiculæ, prora dehiſcente, fertur in altum; nunc iterum demerſa puppi, prora tollitur in ſublime. Turbantur nautæ, & nihil aliud niſi ſolam mortem in hoc periculo præſtolantur. A

VIRTVTE SACRARVM RELIQVIARVM LIBERANTVR A NAVFRAGIO.

Tum presbyter, cum videret ſe his fluctibus obrui, & ſpumis vndarum ipſarum grauiter operiri, extractam a collo capſulam, quæ ſanctorum pignora continebat, vndis tumentibus obiecit, ac ſanctorum præſidium clara inuocat voce, dicens: Ne pereamus in his fluctibus, virtutem veſtram deprecor, martyres glorioſi: ſed protinus qui iugiter pereuntibus præbetis auxilium, mihi, quæſo, dexteram ſalutis porrigere dignemini. fluctus opprimite, nosq. ad littus optatum veſtri adiutorij ope deducite. Et hæc dicens, ceſſante vento, decedentibus vndis, ad littus eiecti ſunt. Hæc ab ipſo cognoui presbytero.] iſta Gregorius, a nobis Guntheramni Regis maximę pij occaſione relata. Dum vero aiunt Childeberto Guntheramnum reliquiſſe regnum; non video quomodo id fieri potuerit, cum habita ratione annorum Guntheramni, ipſum Childebertum ante eum ex hac vita migraſſe oportuerit anno Domini (vt dictum eſt) quingenteſimo nonageſimoſexto, vt ex litteris ſancti Gregorij Papæ monſtrauimus datis primo ad Childebertum, inde ad filios Theodobertum & Theodoricum Reges, qui iam ſucceſſerant patri, eadem Indictione decimaquarta. B C

IESV CHRISTI ANNVS 599. — GREGORII PAP. ANNVS 10. — MAVRITII IMP. ANNVS 14.

QVi ordine ſequitur quingenteſimus nonageſimusnonus Redemptoris annus Indictione ſecunda inſcribitur, quo pax cũ Longobardorum Rege tranſacta eſt, ſed certe ad breue temporis ſpatium, nempe ad duos tantummodo annos: nam in epiſtola ad Innocentium anno ſequenti data iſta habet Gregorius[a]: Solicitudinem veſtram deſiderato nuncio releuamus, indicantes cum Longobardorum Rege vſque ad menſem Martium futuræ quartæ Indictionis de pace, propitiante Domino, conueniſſe. Quæ ſi retineatur, ignoramus: quia idem Rex obijſſe poſtea nunciatus eſt, licet adhuc habeatur incertum.] At licet ad modicum ſpatium temporis pax diutius procurata ſancita fuerit, pro ingenti tamen munere ab ipſo Gregorio accepta eſt, vt ſaltem licuerit reſpirare: pro quo gratias agens, ad Regem ipſorum has litteras dedit[b]:

a Gregor. lib. 8. epiſ. 37. Ind. 3.

DE PACE FACTA CVM LONGOBARDIS.

b Gregor. lib. 7. epiſt. 41. Ind. 2.

LITTERAE AD AGILVLPHVM DE PACE.

Gratias excellentiæ veſtræ referimus: quia petitionem noſtram audientes, pacem quæ vtriſque eſſet partibus profutura (ſicut de vobis confidentiam habuimus) ordinaſtis. Ex qua re excellentiæ veſtræ prudentiam & bonitatem valde laudauimus: quia pacem diligendo, vos Deum, qui ipſius eſt auctor, amare monſtraſtis. Nam ſi (quod abeſſe gaudemus) facta non fuiſſet, quid aliud agi debuit, niſi vt cum peccato & periculo partium, miſerorum ruſticorum ſanguis, quorum labor vtriſque proficit, funderetur? Sed vt prodeſſe nobis eamdem pacem, quemadmodũ a nobis facta eſt, ſentiamus: paterna charitate ſalutantes, petimus, vt quoties ſe occaſio dederit, Ducibus veſtris per diuerſa loca & maxime in his partibus conſtitutis, veſtris præcipiatis epiſtolis, vt hanc pacem (ſicut promiſſum eſt) ſummopere cuſtodiant, & occaſiones ſibi aliquas non quærant, vnde aut contentio quædam, aut ſeditio aliqua, aut ingratitudo naſcatur: quatenus voluntati veſtræ amplius agere gratias valeamus. Latores vero præſentium, ſicut re vera homines veſtros, in eo quo decuit affectu ſuſcepimus; quia iuſtum fuit, vt viros ſapientes, & qui pacem factam Deo propitio nunciarunt, cum charitate & ſuſcipere & dimittere deberemus.] hæc ad Agilulphum Regem Gregorius: eadem ferme ad eius coniugem Theodolindam Reginam[c]. D E

c Gregor. lib. 7. epiſ. 42. Ind. 2.

Verum non ſicut Agilulphus Rex, iurauit Arnulphus Dux Spoleti, ſed doloſe viſus eſt agere, qui ad pacem præſtandam inuitus acceſſit. Veritus eſt itaque Gregorius

dolos

A dolos Longobardorum, ne sub inuolucro verborum, loco pacis, bellum lateret: nam accipe quid scribat hoc anno ad Theodorum Curatorem Rauennæ [a]: Indicamus itaque, Arnulphum de seruanda pace, non vt Rex ipsius iurauit, sed sub conditione, si ibi in quoquam excessum non fuerit, aut si nullus contra Arogis exercitum ambulauerit, sacramenta præstitisse. Quod quia omnino iniquum & dolosum est, nos tamquam si non iurasset habemus: quia in aliquid parum facilem sibi excedendi * occasionem inueniet, & plus nos, si de eo suspecti non fuerimus, decipiet. Vuarnilfrida vero, ad cuius consilium idem Arnulphus cuncta agit, omnino iurare despexit. Et id contingit, vt ex pace, quam multum desiderauimus, nos in his partibus nullum remedium habere possimus: quia de ijsdem hostibus, de quibus suspecti nuncusque fuimus, adhuc & in posterum suspecti sumus.

a Gregor. lib. 7. epist. 102. Ind. 2.

DE ARNVLPHO DVCE DVPLICI CORDE AD PACEM VENIENTE.

* exercendi

B Cognoscat præterea gloria vestra, homines Regis, qui huc transmissi sunt, imminere, vt in pacto debeamus subscribere: sed recordantes eorum quæ Agilulphus a Basilio viro clarissimo conuicia super nos in beati Petri dixisse fertur iniuriam, quamuis hoc penitus idem Agilulphus negauerit, a subscriptione tamen abstinere præuidimus: ne nos, qui inter eum & excellentissimum filium nostrum domnum Exarchum petitores sumus & medij, si quid forte clam sublatum fuerit, falli in aliquo videamur, & nostra ei promissio in dubium veniat: & si qua de futuro (quod absit) necessitas fuerit, occasionem inueniat, qualiter nostræ petitioni consentire non debeat. Et ideo petimus, vt sicut & a prædicto filio nostro excellentissimo poposcimus, gloria vestra, ea qua nobis charitate vnita est, peragat, quatenus antequam homines ipsi ab Aroge * reuertantur, Rex eis sub festinatione scripta transmittat, quæ tamen ad nos deferantur, in quibus eis præcipiat, vt C nos subscribere non petant. Sed si tantum est, Glorioſum fratrem nostrum, vel de Episcopis vnum, aut certe Archidiaconum subscribere faciemus.] hæc de pacis causa Gregorius, ex quibus admiraberis viri in gerendis negotijs industriam atque prudentiam dexteritati coniunctam.

* Arogis

Quid actum inter hæc sit, licet historiæ nihil prodant: constat tamen ex litteris S. Gregorij mense Iulio datis, ipsum adhuc ingemuisse sub gladio barbarorum, dum scribens ad Eulogium Episcopum Alexandrinum hæc habet [b]: Peto autem vt pro me enixius vestra sanctitas orare debeat: quia & podagræ doloribus, & barbarorum gladijs, & curarum afflictionibus incessanter premor.] hactenus Gregorius. atque satis de rebus hoc anno cum Longobardis transactis.

b Gregor. lib. 7. epist. 80. Ind. 2. edit. Rom.

Hoc eodem anno accusato a suis Episcopis Primate prouinciæ Bizacenæ in Africa, de D eo sententiam ferre Gregorium Papam Imperator voluit, vtpote ad quem pertinere omnium totius orbis Episcoporum iudicium non ignoraret. Sed monemus lectorem, deceptum errore librarium, vel quisquis fuit, qui in titulo posuit hanc causam fuisse Episcopi Constantinopolitani: deceptus nimirum, quod legit Episcopum Byzancenum, pro Bizaceno, sicq. putauit hunc fuisse Episcopum Constantinopolitanum, nescius plurimum differre Byzantium a Bizacio in Africa ciuitate, a qua denominata est prouincia Bizacena. Sed quid accidit? Persoluto auro, per Imperatoris magistratus controuersia sopita est. Sunt de his litteræ ipsius Gregorij ad Ioannem Episcopum Syracusanum, in quibus hæc de his habet [c]: Causam tamen, de qua agitur, necdum sanctitas vestra subtilius agnouit. In quodam enim crimine Bizacenus Primas fuerat accusatus, & pijssimus Imperator eum iuxta statuta canonica per nos voluit iudicari. Sed acceptis decem auri libris, tunc Theo- E dorus Magister militum obstitit, vt minime fieret. Tamen pijssimus Imperator admonuit, vt transmitteremus, & quicquid esset canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, eamdem causam inire noluimus *. Nunc autem idem Primas aliqua de consilio suo loquitur: & valde dubium est, vtrum pure, an certe quia a coepiscopis suis impetitur, nobis modo talia loquatur. Nam quod se dicit sedi Apostolicæ subijci: si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit: cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.] hæc Gregorius secundum ea quæ superiori anno iam diximus.

c Gregor. lib. 7. epist. 64. Ind. 2.

DE CAVSA EPISCOPI BIZACENI.

* voluimus

Hoc item anno cum idem S. Gregorius subodoratus esset peragi Synodum Constantinopoli, inscia Apostolica sede, veritus ne quid noui ibi decerneretur de nomine Oecumenici, atque illud ex Synodi decreto secundum inuentum Ioannis antecessoris Cyriaci ignominiose nimis Episcopo Constantinopolitano ibidem confirmaretur: scripsit

DE SYNODO CONVOCATA CONSTANTINOPOLI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad omnes Episcopos Orientis,licet dumtaxat Eusebius Thessalonicensis Episcopus in epi- A
stolæ inscriptione nominetur,monẽs vt Cyriaco talia præsumenti resistant,atque de Con-
cilio ista subdit [a]: Præterea peruenit ad nos, quod fraternitas vestra ad vrbem Constanti-
nopolim sit conuocata.Et quamuis pijssimus noster Imperator agi illic illicita non permit-
tat,tamen ne peruersi homines conuentus vestri occasione reperta,aut pro huius nominis
superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere Synodum cogi-
OECVMENICA SYNODVS SINE CONSENSV ROM. PONTIF. NVLLA.
tent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant: quamuis sine Apostolicæ
sedis auctoritate atque consensu nullas quæcumque acta fuerint vires habeant: verum-
tamen coram omnipotenti Deo contestor & admoneo, vt nullus vestrum illic quibus-
libet suasionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet præmijs, quibuslibet terroribus
teneatur assensus, sed pro æterni iudicij consideratione aduersus prana desideria salubri-
ter & vnanimiter vos exhibete: & pastorali constantia atque Apostolica auctoritate sufful- B
ti, prædonem irruentemq. lupum excludite, & in discissionem Ecclesiæ sæuienti non ce-
dite, ne de hac re quacumque surreptione Synodum patiamini, quæ neque legitima
quidem, nec Synodus dicenda est, celebrari.

Hoc quoque pariter admonemus,vt si forte nil actũ de huius peruersi nominis mẽtione
fuerit,sed de alia re Synodus forte colligitur: omnino sitis cauti, circumspecti,vigilantes,
atque soliciti, ne quid illic circa locum aliquem vel personam præiudicialiter siue illicite
aduersus canones censeatur. sed si quid incidentis vtilitatis causa tractandum est: sic
causa,de qua agitur, formam accipiat, vt statuta vetera nulla conuellat. Vnde iterum co-
ram Deo & sanctis ipsius admonemus, vt hæc omnia summo studio & tota mentis inten-
tione seruetis. Nam si quis (quod non credimus) scripta præsentia aliqua in parte ne-
glexerit, a beati Petri Apostolorum principis pace se nouerit segregatum.] hactenus C
Gregorius ad Episcopos Orientis. Vidisti quanta in vno Romano Pontifice insit auc-
toritas atque potestas, cuius nisi consensus accedat, omnia a quibusuis Episcopis statuta
inania penitus reddi contestetur? Sed reliqua persequamur.

Non modicum Gregorius accepit gaudium hoc anno ex schismaticis in Istriæ partibus
DE CONVERSIONE SCHISMATICORVM.
degentibus reuersis ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem: quo argumento datæ extant pleræ-
que eiusdem Gregorij litteræ. Fuerunt hi habitatores Capreæ insulæ in Istria positæ, qui
legationem ad Rom. Pontificem mittentes, rogauerunt ad Ecclesiæ vnitatem admitti.
Quos benigne suscipiens S.Gregorius, Ecclesiæ Catholicæ communioni coniunxit, eis-
demq. legatis dimissis litteras ad illos qui eos miserant reddidit [b]; quos & commendauit
Callinico [c] Rauennæ Exarcho,necnon Mariniano [d] Episcopo Rauennati,vt eos redeuntes
ad propria benigne suscipierent atque fouerent. Adierant alij ex ijsdem Siciliam, vbi D
suum ipsorum Episcopum degere cognouerunt, vt illum cum ijs qui ibi erant schismati-
ci, ad eamdem vnitatis gratiam capessendam inducerent; quos Romano Defensori [e] lit-
teris commendauit. Hos autem per eosdem legatos Romam missos cum intellexisset
sanctus Gregorius ad opus hoc diligenti studio collaborasse, ad Imperatoris ministros ei-
dem prouinciæ præfectos, ijsdem redeuntibus legatis, litteras dedit, pluribus gratias
agens, quod pietatis zelo exæstuantes, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ eosdem populos re-
ducere pro viribus laborarent. Fuerunt hi Basilius [f] vir illustris, Mastalonus, Theodo-
sius, necnon Magister militum Gulfarus nomine, ad quem etiam huiusmodi litteras
dedit [g]:

Latores præsentium de Istriæ ad nos partibus venientes, tanta nobis bona gloriæ ve-
MAGISTRI MILITVM STVDIVM IN CONVERTENDIS SCHISMATICIS.
stræ retulerunt, vt in reddendam nos vobis gratiarum actionem vehementer accende- E
rent. Cognouimus namque, quod inter curas iunctæ vobis gubernationis illarum par-
tium, præcipuam de animarum lucris solicitudinem habeatis, & ita errantium corda ad
vnitatem festinare vos Ecclesiæ reuocare, vt (quantum ad desiderium vestrum perti-
net) nullum illic ab Apostolica segregatum remanere velitis Ecclesia; tantusq. vos bea-
ti Petri Apostolorum principis amor accenderit, vt ouile ipsius, cui a Domino omnes
creaturæ sunt traditæ, summo redintegrare cum desiderio cupiatis. Habe,glorioſe fili,ex
tanto taliq. opere præfixam de diuina retributione fiduciam, in qua vos non solum nostra
adhortatio,sed & Apostolicus quoque sermo cõfirmat [h]:quia is qui conuerti fecerit pecca-
torẽ ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte,& operiet multitudinem peccatorũ.
Quantalibet enim sit tẽporalis affluentia,vel certe prosperitas,habet finem suũ,terminum
mortis: hoc vero quod de animarum lucris apprehendistis studium, tenet fixam spei suæ

certi-

[a] Gregor. lib.7. epis.70. Ind.2. edit.Rom.
[b] Gregor. lib.7. epis.101.Ind.2. edit. Rom.
[c] Idem lib. 7. epis.99.edit.Ro.
[d] Gregor. lib.7. ep.100. edit.Ro.
[e] Gregor. lib. 7. epis.98.Ind.2. ead. edit.
[f] Idem lib. 7. epist. 93. 94. edit. Rom.
[g] Idem lib. 7. epist.97. Ind.2.
[h] Iac. 5.

A certitudinem, æternæ scilicet vitæ retributionem. Quapropter præmisso paterno salutationis affectu, hortamur gloriam vestram, vt pro vnitate sanctæ fidei zelum, quem vobis ipse vnitatis auctor tribuit, studiosius peragatis, & quosque potueritis, in sinum matris Ecclesiæ ab schismatis sui reuocantes errore, adhortatione continua foueatis. Hoc etiam peragentes, vt & quos per vos Dominus suo ouili redintegrari concesserit, ita defensionis vestræ solatijs protegatis, vt non sit, quo hi qui adhuc in errore sunt positi, reuertentes ad salubre consilium valeant applicare. Dum enim vos causas Dei in terra agitis, ipse & hic actus vestros protectionis suæ feliciter ope disponit, & in æterna vobis vita, quam cupitis, pro tanto bono vestra retributio existet.] hucusque Gregorius ad Magistrum militum velut Apostolum in Euangelio laborantem. Ita Deus, cum silerent Episcopi torpentes ignauia, & aduersantes aliquando, excitauit milites, qui Episcoporum zelo in conuer-
B tendis ab errore populis præditi essent.

Contigit hoc pariter anno mori Anastasium Episcopum Antiochenum cognomento Sinaitã, celebrem inter scriptores Ecclesiasticos, cum sedisset annos sex inchoatos, postquam ad suam Ecclesiam post Gregorium restitutus fuit: qui ob sanctitudinem vitæ, cum Orientali, tum Occidentali Ecclesiæ factus conspicuus, ab vtraque commendatus atque illustratus, perpetuis monumentis inter sanctos receptus, anniuersaria commemoratione a Catholicis celebratur vndecimo Kalendas Maij. Hic susceptum [a] a Gregorio Papa, quem mirifice coluit, de cura pastorali librum, eumdem Græcum reddidit, tradiditq. legendum Orientalibus: habentur eiusdem auctoris sermones complures, perpauci autem Latinitate donati. Scripsit etiam egregium opus de rectis dogmatibus. Huic autem alium eiusdem nominis subrogatum fuisse Anastasium, Nicephorus Constantinopolitanus Epi-
C scopus in Chronico tradit. Ceterum Nicephorum cognomento Callistum [b] errasse in duobus his Anastasijs constat, dum quod alterius est, alteri tribuit. Etenim hunc qui præcessit, nominatum Sinaitam, non qui succesſit, tradit occisum a Iudæis. sed cum sub Phoca id acciderit, iuniori Anastasio est tribuendum ex sententia Græcorum historicorum: quod etiam refellimus in Notis ad Romanum Martyrologium pluribus.

OBITVS S. ANASTASII SINAITAE EPIS. ANTIOCHENI.

[a] Sigeb. de Scriptor. Eccl. c. 42.

[b] Niceph. lib. 17. c. 29.

Recenset vero eiusdem Anastasij Sinaitæ has lucubrationes Nicephorus [c], qui eum primarium præclarumq. Ecclesiæ doctorem appellat: Huius, inquit, liber est, cui nomen ὁδηγός, hoc est, viæ dux, & Ecclesiæ dogmatum fines, aliaq. præterea multa, item in sextum Psalmum liber in ingressu ieiuniorum editus. Ego vero orationem etiam eius quamdam legi ad Antiochenos in introitu suo scriptam, & Pacificatoriam aliam, quam trigesimotertio anno in thronum suum postliminio reuersus composuit, Mauritio Im-
D perium obtinente, quem etiam in eo scripto, quod ab exilio reuocatus sit, laudibus effert.] hæc Nicephorus. Porro orationem eiusdem sancti Anastasij de sacra Synaxi Achilles Statius Lusitanus in Latinum a se conuersam obtulit Gregorio Decimotertio Pontifici Maximo, anno Redemptoris millesimo quingentesimo septuagesimonono, dignam quidem quæ his temporibus ederetur, cum pleraque habeat de sumptione sanctissimæ Eucharistiæ obseruatione digniſſima vetera monumenta: ex quibus hic tibi perpauca hæc saltem (ne ieiunum penitus abire sinamus) apponenda ex lauta mensa putauimus.

[c] Niceph. lib. 18. c. 44.

SCRIPTA ANASTASII SINAITAE.

Dum enim inclamat in eos qui imparati ad sacram mensam accedunt, hæc ait: Quid grauius ijs quibus vtimur moribus? Etenim rapinis, sceleribus, peccatorumq. multitudine cooperti, tantummodo aqua ablutis manibus, sanctissimum corpus illud, diuinumq. san-
E guinem pro salute mundi largiter olim effusum impuri sordidiq. ori admouemus.] Et post aliqua in detestationem facinoris inculcata, adijcit ista: Nec enim ingredi in ecclesiam, ac diuinas imaginum sanctorum formas, pretiosasq. ac venerabiles Cruces etiam salutasse fuerit satis: non frigida manus abluisse, id vere est esse purum, mundumque; sed peccatorum sordes abluisse ac fugisse, sed confessione, sed lacrymis, sed contrito humiliatoq. animo, sed demisso contractoq. vultu peccatorum quibus tenemur catenas eluisse, ac tum demum ad illa sancta deceat accedere mysteria.] Et post nonnulla: Anaphora enim dicitur, quod ad Deum sursum feratur. Ades igitur quieto tranquilloq. animo: Christo Domino per sacerdotes tua confitere peccata: quicquid egisti mali, tute damna, nec verecundare. Est enim verecundia quæ adducit peccatum, & est verecundia gloria & gratia, &c.] Ac demum post alia de dimittendis acceptis a proximo iniurijs elegantem huiusmodi historiam perbreuem exempli causa adducit in medium:

DE SVMENTIBVS SACRAM EVCHARIST. ANAST. COMMONITIO.

Vir

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vir, inquit, vnus ex ijs qui monachali insigniti sunt schemate, cum negligentissime per A
summum otium vitam suam omnem egisset; ea quæ esset ad mortem, infirmitate cœpit infirmari. Cumq. iam vltimum spiritum duceret, suam ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summa voluntate, magnaq. cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: Frater, inquit, persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse, summa negligentia, animiq. remissione vixisse te vtique ad hoc vsque tempus: & vnde hæc tibi nunc tanta securitas, id vero omnes nescimus. Cui respondit frater: Est ita omnino, Patres, vitam per summam negligentiam duxi: sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographon attulerunt, cumq. ea quæ fecissem postquam sæculo renunciassem peccata legissent, numquid agnoscerem rogauerunt. Quibus ego: Maxime vero, inquam, agnosco: sed idem ex quo renunciaui sæculo, vitamq. instituí monasticam, nec iudicaui quemquam, nec ab vllo mihi factam iniu- B
riam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite iudicare,& non iudicabimini: &,Dimittite,& dimittetur vobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographon peccatorum meorum conciderunt: & inde nunc summa cum lætitia & securitate proficiscor ad Dominum. Hæc vbi frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit, magnæq. astantibus ædificationis vtilitatisq. causa & auctor extitit, &c.] hæc Anastasius.

Sed sint tibi pro ientaculo ista: lautiorem, si cupis, paratam habes mensam in editis iam ipsis ab eo conscriptis quinque libris de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, quos se in exilio scripsisse testatur[a], necnon locupletiorem thesaurum vndecim eiusdem auctoris libros Anagogicarum contemplationum in Hexameron, quos vere huius esse Anastasij Sinaitæ, æque cum scholiaste sentio: dissentio vero a Nicephoro in errorem ducto, C
dum hunc Sinaitam martyrem appellat, quo titulo iunior Anastasius ob martyrium acceptum sub Phoca Imperatore tantummodo dignus est: hunc autem hoc anno sub Mauritio defunctum esse, tam quæ ex Nicephoro Constantinopolitano, quam quæ proxime dicturi sumus ex sancto Gregorio Papa, fidem haud dubiam vendicant. Porro hic ipse Anastasius diuersis suorum scriptorum locis hos a se scriptos esse citat commentarios, nempe De constructione hominis libros duos, Contra Iudæos totidem, De Christi passionum contemplatione, De Aegypto encomium, Aduersus eos qui in Diuinis inducunt tres essentias.

a Anast. de rectis fidei dogm. lib. 3. in fi. to. 1. Bibliothec. nou. edit.

His igitur de Anastasio Sinaita dictis, & gloriæ eius sanctæ memoriæ commendatis, ad
ANASTASIVS ANASTASIO SVCCEDIT. ipsius successorem itidem Anastasium appellatũ transeamus: qui vbi est creatus Antiochenus Episcopus, more maiorum de sua creatione certiorem reddidit Rom. Pontificem, fi- D
deiq. Orthodoxæ professionem ad eumdem conscripsit. Non extat illa quidem, sed quam ad ipsum Gregorius epistolam reddidit, de ea testimonium profert, vbi hæc ipsius exordio ait[b]: Fraternitatis tuæ scripta suscepi, professionem fidei rectæ seruantia: magnasq. omnipotenti Deo gratias retuli, quod & immutatis gregis sui pastoribus, fidẽ quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit.] Intelligis, puto, lector, affirmare Gregorium iam mutatos esse pastores, nempe non amplius seniorem, sed iuniorem sedere cœpisse Anastasium, a quo exigebatur noua professio fidei; quod de seniore nullatenus dici potest.

b Gregor. lib. 7. epist. 48. Ind. 2. Rom. edit.

Porro ad iuniorem se scribere Anastasium, idem sanctus Gregorius in fine epistolæ istis fatetur verbis: Quia vero peruenit ad nos in Orientis Ecclesijs nullum ad sacrum ordinem, nisi ex præmiorum datione peruenire: si ita esse vestra fraternitas agnoscit, E
hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, vt a subiectis sibi Ecclesijs errorem Simoniacæ hæreseos compescat, &c.] quæ quidem ad seniorem Anastasium iam tempore Iustiniani creatum Episcopum referri non possunt, vt primam hanc oblationem suæ pastoralis curæ offerret, sed ad iuniorem Anastasium hoc anno recens electum. Ad ipsum ergo Gregorius nouum pastorem scribens, plura de exacta exhibenda gregi cura pastorali commemorat: commendat etiam, quod nonnisi Catholici ad Ecclesiasticos ordines promouerentur.

Sed & quæ de fide Catholica Imperatoris & Imperatricis ijsdẽ suis interserit litteris, ac-
LAVDATA FIDES CATHOL. MAVRITII IMPERATORIS. cipe: Quod, inquit, ad sacros ordines rectæ fidei viri perducantur, eidem omnipotenti Deo gratiæ sine cessatione soluendæ sunt, & pro vita pijssimi & Christianissimi domini nostri Imperatoris, & tranquillissima eius coniuge, & mansuetissima eius sobole semper orandum est,

A est, quorum temporibus hæreticorum ora conticescunt: quia etsi eorum corda in insania peruersi sensus ebulliunt, Catholici tamen Imperatoris tempore praua quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.] hæc laude digna de Imperatore Gregorius; qui eadem totidem ferme verbis habet de ijsdem Mauritio, coniuge, atque filijs in epistola [a] ad Isicium Hierosolymorum Episcopum data. Equidem inter felicissimos Imperatores collocandus erat Mauritius, si quemadmodum fuit Catholicæ fidei tenacissimus, fuisset pariter & in reliquis æque sincerus: sed dum minime rectæ fidei æque bona opera coniunxit, & contemptui habuit sanctissimos sacerdotes, Dei vindictam meruit experiri, vt suo loco dicemus.

[a] *Gregor. lib. 9. epist. 40. Ind. 4.*

Misit vero hoc eodem anno Imperator Romam triginta libras auri pauperibus diuidendas, necnon rogas, militare scilicet donatiuum, in milites erogandas. Pro quibus omni-
B bus Gregorius gratias agens, eiusmodi officij plenas ad eum litteras reddidit [b]:

[b] *Gregor. lib. 8. epist. 2. Ind. 3. inchoantis mense Septembri.*

EPIST. GREG. AD MAVRITIVM IMP. DE MISSA ELEEMOSYNA.

Dominorum pietas, quæ suos consuecuit misericorditer famulos continere, ita benigna hic subuentione resplenduit, vt cunctorum debilium inopia largitatis eius sit consolatione subleuata. Pro qua re lacrymabili prece omnes deposcimus, vt omnipotens Deus, qui clementiæ vestræ ad hoc corda compunxit, incolume in amoris sui constantia dominorum seruet Imperium, & victorias eorum in cunctis gentibus auxilio suæ maiestatis extendat. Triginta itaque libras auri, quas confamulus meus Busa detulit Scribo, sacerdotibus, egenisq. & alijs fideliter erogauit. Et quia quædam in hanc Vrbem sanctimoniales feminæ ex diuersis prouincijs venerunt post captiuitatem fugientes: ex quibus, quantum locorum possibilitas recipit, aliquæ in monasterijs datæ sunt: quæ vero in eis minime capi potuerunt, singulariter degentes inopem vitam ducunt: placuit, vt hoc quod cæ-
C cis, truncis, alijsq. debilibus superesse posset, eis erogari debuisset; dummodo non solum dominorum misericordiam indigentes indigenæ, sed aduenientes etiam peregrini susciperent. Vnde actum est, vt simul omnes pro vita dominorum concorditer orarent, quatenus omnipotens Deus longa vobis & quieta tempora tribuat, & pietatis vestræ felicissimam sobolem diu in Romana Republica florere concedat. Rogæ* quoque militum ita per prædictum confamulum meum Scribonem, præsente quoque glorioso Casto*, magnæ factæ sunt, vt dona dominorum cuncti sub disciplina debita gratias agendo susciperent, & hoc quod eis prius donari* consueuerat, accipiendo, omne murmur auerteret.] hæc ad Imperatorem Gregorius. Vidisti in Mauritio fidem, vidisti & erga pauperes largitatem, vt etiam Romam vsque eius se effunderet misericordia? Sed quod in multis alijs, appensus in statera diuini iudicij, inuentus sit minus habens, meruit in hoc sæculo seuere admo-
D dum flagellari.

*Togæ
*Exarcho
*dominari

Inter tot autem multiplicium negotiorum molestias contigit hoc anno ipsum Gregorium podagræ doloribus grauiter affligi, cum tamen interea labores ex pastorali cura iugiter ingruentes minime prætermitteret. fatetur vero ipse, adeo se præ doloribus viribus defeciisse, vt intelligeret hebetatum. sed audi eius verba in epistola ad Secundinum [c]: Scire te necesse est, fili carissime, quia tantis podagræ doloribus, tantisq. curarum tumultibus premor, vt quamuis numquã me aliquid fuisse reminiscar, valde tamen me videam non esse qui fuerim.] ita ipse suis oculis quotidie minor apparens, qui maior in Dei oculis in dies magis proficiens euadebat, vti Moyses, cum ante Deum se viliorem se ipso cognouit. & secundum illud Apostoli [d]: Virtus in infirmitate perficitur] illud verius de se locutus: Cum infirmor, tunc fortior sum.] Perseueraisse toto hoc anno eiusmo-
E di ægritudinem, quæ in fine eiusdem anni dicturi sumus, ostendent.

GREG. LABORAT PODAGRA.

[c] *Gregor. lib. 7. epist. 54. Ind. 2. edit. Rom.*

[d] *2. Cor. 12.*

Doloribus pressus, nihil tamen (vt dictum est) remisit quotidianæ solicitudinis omnium Ecclesiarum; sed cumulate omnibus satisfeciisse, litteræ hoc anno ab eo datæ significant: adeo vt non publicis tantum, sed priuatis quoque in omnibus inseruierit: quod satis conspicitur in dicta epistola ad Secundinum. Erat iste Abbas magni nominis inter Longobardos existens, vt ex alijs ipsius Gregorij litteris ad Theodolindam Reginam datis apparet [e]: huncq. ipsum apud Paulum [f] diaconum (errore puto librariorum) non Secundinum, sed Secundum inuenimus nominatum [g], a quo fuisse baptizatum filium Theodolindæ Reginæ Adoualdum, idem affirmat, non alio titulo ipsum quam seruum Dei appellans, & patria Tridentinum, vbi idem auctor agit [h] de eius obitu. Citat eum ipse frequenter: nam ab eo scriptam esse de Longobardis historiam tradit. Falluntur autem qui hunc putarunt Episcopum. Fuisse quidem apud omnes magnæ ob vitæ sanctitatem atque

[e] *Greg. lib. 12. epist. 7. Ind. 7.*

DE SECVNDINO ABBATE.

[f] *Paul. diacon. lib. 4. c. 8.*

[g] *Idem lib. 4. c. 14.*

[h] *Idem lib. 3. c. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

que doctrinam existimationis, eædem datæ ad ipsum litteræ docent. Verum titubasse A
ipsum quidem nonnihil in recipienda Quinta Synodo, ex ijsdem datis ad eum litteris apparet, dum adhuc consuluisse constat Gregorium de eadem simul & alijs quæstionibus, atque primum, num Orientales Ecclesiæ susciperent epistolam sancti Leonis Papæ ad Flauianum, atque an omnes pariter in damnationem Trium capitulorum æque consentirent. Satisfacit his Gregorius, eumdem certiorem reddens, omnes Orientales Ecclesias vna cum quatuor Concilijs æque recipere S. Leonis epistolam, atque etiam Quintam Synodum cum damnatione Trium capitulorum, de quibus nos superius diximus abundanter. Sed & ea inter alias pulsauit Gregorium de origine animarum quæstione perdifficili. Verum Gregorius percontanti nihil definiendo respondit; originale tamen peccatum inhærere nascentibus, firmiter demonstrauit. Porro eadem quæstiones si quis attente consideret, occasione receptæ Quintæ Synodi ab ipso motas esse cognoscet. B

MITTIT CVM ALIIS MVNERIBVS SACRAS IMAGINES.

Petierat præterea suis litteris idem Secundinus venerandas imagines. Quod Gregorius liberaliter æque ac religiose præstitit, deq. sacro imaginum cultu apposuit ab Ecclesia receptam doctrinam, dum hæc ait: Imagines quas tibi dirigendas per Dulcidum diaconum rogasti, misimus. Vnde valde nobis tua postulatio placuit: quia illum toto corde, tota intentione quæris, cuius imaginem præ oculis habere desideras, vt te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum: vt dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cuius imaginem videre desideras. Ab re non facimus, si per visibilia inuisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans videre conatur, si contigerit eam ad balneum, aut ad ecclesiam ire, statim per viam incedendi se præparat, vt de visione eius hilaris recedat.

Scio quidem, quod imaginem Saluatoris nostri non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed C
vt recordatione Filij Dei in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre cõsideras. Et nos quidem non quasi ante Diuinitatem ante illã prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur: & dum nobis ipsa pictura quasi scriptura in memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoq. direximus tibi surtarias duas, imaginem Dei Saluatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumq. Apostolorum Petri & Pauli continentes, per supradictum filium nostrum diaconum, & vnam Crucem, clauem etiam pro benedictione a sanctissimo corpore Petri Apostolorum principis, vt per ipsum a maligno defensus permaneas, cuius signo munitum te esse credis.] Et superius eadem epistola: Aloem vero, thymiama, styracem, & balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præsentium deferente, transmisimus.] hæc quo ad sanctorum D
cultum. Dedit ad eumdem & duos homiliarum codices, quas super Euangelia ipse habuerat in ecclesia: in duo enim volumina illas partitas fuisse constat. Addidit insuper & vestimentum. Hæc de muneribus ad eum a Gregorio missis, quibus demerere tantum virum conatus est, quem sciret continere potuisse Longobardos in communione Catholica.

DE SACRARVM IMAGINVM CVLTV.

Quod vero ad cultum spectat sacrarum imaginum: non solum ante ipsas Deum precari atque adorare, sed & prosterni Fideles consuesse, ex Gregorio intellexisti: verum ne religio in superstitionem declinet, vt manufacta, quasi Gentiles idola, Christianus coleat, admonitionem quam audisti, coniungit; sicut & in epistola [a] quam hoc item anno post hæc dedit ad Serenum Massilienſem Episcopum, vbi ait: Indico dudum ad nos peruenisse, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem ecclesiæ imagines confregit atque proiecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari E
posset, habuisse laudauimus: sed frangere easdem imagines non debuisse, iudicamus. Idcirco enim pictura in ecclesijs adhibetur, vt hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illa seruare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum nescij haberent vnde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret.] hæc ad Serenum, quod & seruat Ecclesia, sæpius iam admonita non picturam ipsam adorandã, sed quem eadem pictura reddit, quasi præsentẽ alloqui & venerari. Quis Christianorum adeo obtusus ingenio & captus mente reperiatur, vt cum ante imaginem sternitur, dicat se adorare colores illos in imaginẽ super tabulam ductos? cum econtra ratione prototypi eam venerari & adorare debere consentiat. Sic & anno superiori eumdem Gregorium rescripsisse [b] meminimus de imagine Dei genitricis Mariæ in synagogam Iudæo-

[a] Gregor. lib. 7. epist. 11. Ind. 2. edit. Rom.

[b] Gregor. lib. 7. epist. 5. Ind. 2.

rum

A rum delata, vt deberet cum veneratione referri: & nuper in epistola ad Secundinum, prosterni pie solere Fideles ad sanctas imagines, tradit. In quam etiam sententiam accipias necesse est (nisi velis eum scripsisse sibi contraria) quæ idem Gregorius in posteriori epistola eodem argumento conscripta ad Serenum habet: vt cum adorari imagines negat, intelligas de adoratione illa qua Gentiles colebant idola, cum putarent in manufactis diuinam esse virtutem. Sed de his pluribus Hadrianus Papa in epistola ad Carolum Magnum.

Quod demum ad ipsum Secundinum Abbatem pertinet, traxisse nimium visus est contentiosum funem aduersus Gregorium: nam alijs post annos quinque datis ad Theodolindam Longobardorum Reginam litteris [a], fuisse itidem de Tribus capitulis & Quinta Synodo disceptandum, quæ ibidem mox Gregorius subdit, ostendunt, vbi ait: Eam tamen Synodum, quæ piæ memoriæ Iustiniani tempore facta est, per latores præsentium
B transmisi: vt prædictus filius meus dilectissimus ipsam relegens, cognoscat, quia falsa sunt omnia, quæ contra sedem Apostolicam vel Catholicam Ecclesiam audierat. Absit enim nos cuiuslibet sensum hæretici recipere, vel a tomo sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris nostri in aliquo deuiare. Sed quæcumque a sanctis quatuor Synodis sunt definita, recipimus; & quæcumque reprobata sunt, condemnamus.] hæc de his Gregorius, sæpe sæpius ijsdem (vt superius vidisti) quæstionibus siue a schismaticis, siue schismaticorum occasione vexatus, & (vt ita dixerim) lancinatus.

a Greg. lib. 11. epist. 7. Ind. 7.

SECVNDINVS HAVD FACILE GREGOR. ACQVIEVIT.

Fuit hoc item anno æque laborandum Gregorio aduersus quosdã, qui in ipsum oblatrarent, quod contra Constantinopolitanã Ecclesiam insurrexisset, a qua (vt ipsi aiebant) Ecclesia Rom. in sacris ritibus pleraque mutuata esset. Quænã fuerint ista, hic ex ipsius Gregorij litteris sunt afferenda; qui scribens ad Ioannem Syracusanum Episcopũ, ista habet [b]:
C Veniens quidam de Sicilia, mihi dixit, quod aliqui amici eius vel Græci, vel Latini, nescio, quasi sub zelo sanctæ Romanæ Ecclesiæ de meis dispositionibus murmurarent, dicentes: Quomodo Ecclesiam Constantinopolitanã disponit comprimere, qui eius consuetudines per omnia sequitur? Cui cũ dicerem: Quas consuetudines sequimur? respondit: Quia Alleluia dici ad Missas extra Pentecostes tempora feciſtis: Quia subdiaconos spoliatos procedere: Quia Kyrie eleison dici: Quia orationem Dominicam mox post canonem dici statuistis. Cui ego respondi: Quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam vt Alleluia hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideo magis in hac sede illam consuetudinem amputauimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita.] Quod enim contingeret sæpe Græcos homines Ecclesiam Romanam habere Pontifices, ab eisdem aliD qua ex Græcorum ritibus illata in eam fuisse creduntur. Sed pergit: Subdiaconos autem vt spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. Sed quia placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit: nam vestræ Ecclesiæ numquid traditionem a Græcis acceperunt? Vnde habent ergo hodie, vt subdiaconi lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt? Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus sicut a Græcis dicitur. Quia in Græcis simul omnes dicunt: apud nos autem a clericis dicitur, & a populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis alia quæ dici solent, tacemus: tantummodo Kyrie eleison, & Christe eleison dicimus, vt in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur.

b Gregor. lib. 7. epist. 64. Ind. 2. edit. Rom.

DE RITIBVS ET VOCIBVS A GRAECIS ACCEPTIS.

Orationem vero Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum
E fuit, vt ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.] At quæ Gregorius affert ex Apostolorum traditione, quod ad ipsam solummodo orationem Dominicam conficeretur Eucharistia, magnã potuissent dubitationem afferre, & quærentibus nodum in scirpo, oblatrandi occasionẽ dare, nisi eadem ex ijs quæ idem hic Gregorius subdit, elucidarentur. Dum enim ait, dici ipsam orationem Dominicam super Christi corpus & sanguinẽ, *indicat euidenter non oratione Dominica consecratum ab Apostolis corpus & sanguinem Christi*, sed super ipsum iam consecratum dici consuetam, ex quorũ traditione id ipsum hactenus Romana seruaret Ecclesia. subdit enim: Et valde mihi inconueniens visum est, vt precem, quam Scholasticus cõposuerat, super oblationẽ diceremus; & ipsam traditionem, quã Redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinẽ non diceremus.]

VERBORVM S. GREGOR. VERVS SENSVS.

Sic igitur quod dixit: Apostolorum mos fuit, vt ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent] perspicue intellexit, nihil aliud miscuisse, sed ea consummasse, perfecisseq. sacrificiũ ipsum, Missæ scilicet partem illam, quæ Oblatio dicitur, vel Liturgia

Universidad de Deusto
Biblioteca

gia : aliter enim ea posse intelligi, prohibent quæ Gregorius subdit, nimirum, dici ipsam A
Dominicam orationem super Christi corpus & sanguinem iam consecratum. Potuit ne
vel cogitasse Gregorius, vt per orationem Dominicam fieret consecratio, qui in suo li-
bro Sacramentorum grandiusculis reliquit expressa litteris verba ipsa Christi, quibus sa-
cramentum conficeretur? neque alia quidem, quam quæ ab Apostolis tradita & a sanctis
Patribus sunt recepta, quæ ipsa recitans S. Ambrosius ait [a]: Ante verba Christi calix est
vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur.] Et quæ ver-
ba Christi? nempe super panem dicta: Hoc est corpus meum. & super calicem: Hic est san-
guis meus, &c.] At si Græcos quæris, habes inter alios Chrysostomum id ipsum profiten-
tem in homilia de proditione Iudæ: si vero recentiores Latinos, est S. Cæsarius Arelaten-
sis Episcopus, qui huius sæculi exordio in Ecclesia Dei miro splendore claruit: ipse enim in
homilia septima de Paschate ista ait: Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quan- B
doquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis Sacerdos
visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbi sui secreta potestate con-
uertit, ita dicens: Accipite & edite: hoc est corpus meum. Et sanctificatione repetita: Ac-
cipite & bibite: hic est sanguis meus, &c.] hæc ex pluribus, quod obiter de his agendum
inciderit ob elucidationem verborum S. Gregorij, qui in eadem epistola ista subijcit: De
Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet sedi Apostolicæ esse sub-
iectam? Quod & pijssimus domnus Imperator, & frater noster Eusebius * eiusdem ciuita-
tis Episcopus assidue profitentur.] At vbi legitur, Eusebius, restituendum est, Cyriacus,
ex ijs quæ superius eadem Indictione sunt dicta. Sed accipe qualem ad omnem tollendam
inuidiam ad suam epistolam idem S. Gregorius apposuit colophonem: Si quid, inquit, C
boni vel ipsa, *Constantinopolitana scilicet*, vel altera Ecclesia habet: ego & minores meos,
quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se pri-
mum existimat, vt bona quæ viderit, discere contemnat.] id quidem Gregorius & alij
etiam Romani Pontifices sunt professi: quibus plane intelligas eos quam maxime a fastu
fuisse alienos.

[a] *Ambros. de Sacram. lib. 4. c. 5.*

* Cyriacus

ROM. ECCLES. IMITARI NON DEDIGNATVR MINORES ECCLESIAS.

Scripsit [b] idem hoc anno ad præcipuos Galliarum Episcopos, iubens ab ipsis Synodum
congregari, necnon [c] etiam ad Brunichildem Reginam Francorum, solicite admonens, vt
Simonia & alia nefanda crimina corrigi deberent: de ijsdem quoque Theodobertum atq;
Theodoricum Francorum Reges admonuit. Scripsit hæc omnia, deditq. ea perfe-
renda Cyriaco Abbati, quem Synodo ab eisdem celebrandæ interesse præcepit.

[b] *Gregor. lib. 7. epis. 111. Ind. 2. & epist. 112. 113. 114. edit. Rom.*

[c] *Gregor. lib. 7. epist. 115. 116. Ind. 2. edit. Ro.*

Porro eumdem Cyriacum etiam transire Gregorius voluit in Hispanias, vt vbi ipse præ-
sens esse non posset, per suos adesset. Commendauit autem eum [d] Claudio viro illustri. hic D
ille Claudius, de quo apud Isidorum honorificentissima habetur mentio: per ipsum enim
Reccaredum magna clade vicisse Francos bellum inferentes Gothis confidentibus in Gal-
lia Narbonensi affirmat, de quo actum est superius. Cuius viri adeo Regi fidelis, & ad-
uersus hostes strenui, atque (quod excellit hæc omnia) erga Deũ maxime pij, hic ex Gre-
gorij litteris [e] remaneat perpetuo permansura erecta gloriæ columna; quæ sic se habent:

[d] *Gregor. lib. 7. epis. 125. Ind. 2. Rom. edit.*

[e] *Eadem epist. 125. Ind. 2.*

Quia vnguenti more bonorum fragrat opinio, vestræ gloriæ de Occidentalibus parti-
bus hucusque odor tetendit. Cuius profecto auræ suauitate respersus, multum, fateor,
quem nesciebam dilexi, atque intra sinum cordis amoris manu te rapui: nec iam eum ne-
sciens diligebam, cuius bona cognoueram. Qui enim mihi magna intentione notus, sed
corporis visione manet incognitus, de eo proculdubio veraciter dicere possum, quia per-
sonam illius scio, sed domum nescio. Magna autem vestræ laudis datur assertio, quod ex- E
cellenti Gothorum Regi vestra gloria sedulo adhærere perhibetur: quia dum malis boni
semper displiceant, bonos vos esse certum est, qui bono placuistis. Propterea debitũ salu-
tationis alloquium soluens, opto vos in his quæ cœpistis, exerceri: vt in vobis compleatur
veridica Salomonis illa sententia, quæ ait [f]: Iustorum semita quasi lux splendens pro-
cedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Nunc enim cum lux nobis veritatis infulget,
cum sese regni cælestis suauitas mentibus aperit, iam quidem dies est, sed adhuc perfe-
ctus non est. Tunc enim dies perfectus erit, quando iam quicquam de nocte peccati in
mente nostra non erit. Vos autem vsque ad perfectum diem crescite, vt quousque patria
æterna videatur, bonorum hic operum augmenta dilatentur: quatenus tanto post in re-
tributione maior sit fructus muneris, quanto nunc studium creuerit laboris. Præterea di-
lectissimum filium nostrum Cyriacum, monasterij nostri Patrem, vestræ gloriæ commen-
damus: vt peractis quæ ei iniuncta sunt, nulla illum remeandi mora præpediat. Omni-

CLAVDIVS VIR INSIGNIS.

[f] *Prouer. 4.*

potens

A potens Deus cæleſtis vos brachij protectione tueatur, & nunc glorioſos inter homines, & poſt longa annorum curricula inter Angelos eſſe concedat.] hucuſque ex Gregorio de Claudio monumentum, quem trecentis militibus ſuperaſſe Francorum exercitum ſexaginta millium, ſuperius certa aſſertione demonſtratum eſt.

Quod ad Cyriacum Abbatem tum in Gallias tum in Hiſpanias miſſum pertinet: idem agere in Hiſpanijs, quod in Gallijs, a S. Gregorio iuſſus videtur, nempe vt ad extirpandam vbique Simoniacam hæreſim cogeret Epiſcoporum Concilia. Equidem ſecundum argumentum epiſtolarum ſancti Gregorij ad Epiſcopos atque Reges Francorum, & admonitiones eiuſdem de Synodo in Gallijs conuocanda, celebratum habetur Barcinone in Hiſpania Concilium hoc anno Kalend. Nouembris, Era nimirum ſexcenteſima trigeſimaſeptima, anno decimoquarto Reccaredi Regis: cuius quatuor cum extent canones, B duo aduerſus Simoniacum ſcelus ſanciti eſſe noſcuntur, tertius vero aduerſus laicorum ordinationes, ne promoueantur ad ordines Eccleſiaſticos prætermiſſo tempore a canonibus antiquis præſcripto: adeo vt neque in his obediretur epiſtolis regijs id ſuadentibus, non pareret plebs, nec conſentirent Epiſcopi. Iſta eadem omnia Gregorium admonuiſſe Gallicanos quoque Epiſcopos, litteris ad eos datis eidem Abbati Cyriaco: qui eas legerit, in ipſis reperiet, ſicut & in alijs datis ad Francorum Reges epiſtolis eidem Cyriaco, quem in Gallias & Hiſpanias hoc anno a S. Gregorio Viſitatorem & correctorem morum eſſe miſſum intelligis.

CONCILIVM BARCINONENSE.

Sed & quod rurſum ad Barcinonenſe Concilium ſpectat: cum Hiſpaniarum Epiſcopi vehementer hoc anno a S. Gregorio obiurgatos audiſſent Primatem Galliarum Virgilium Arelatenſem Epiſcopum, atque Syagrium Auguſtodunenſem, quod immane fa- C cinus reliquiſſent inultum: illud ne in Hiſpanijs accideret aliquando, nouo canone Patres in Concilio congregati ſtuduerunt, ſtatuentes hæc quæ ſequuntur [a], totum id curante Cyriaco:

[a] Concil. Barcinon. c. 4.

Pari etiam conſideratione ſancientes, vt ſi qua virgo propria voluntate, abiecta laicali veſte, deuotarum more induta, caſtitatem ſeruare promiſerit, vel ſi qui hominũ vtriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem expetendo a ſacerdote perceperint, & ad terrena connubia ſponte tranſierint, aut violenter abſtractæ feminæ a pudicitiæ violatore ſe ſequeſtrare noluerint: vtique ab eccleſiarum liminibus expulſi, ita ab omnium Catholicorum communione ſint ſeparati, vt nulla prorſus eis vel colloquij conſolatio ſit relicta.] hæc Patres: cuius ſanciendæ ſeueræ legis (vt diximus) ſcandalum Galliarum viſum eſt occaſionem dediſſe. qualenam autem id fuerit, ex epiſtola data a S. Gregorio ad Virgilium D Arelatenſem & Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopos apparet his verbis [b]:

[b] Gregor. lib. 9. epiſt. 120. Ind. 2. edit. Rom.

Commiſſi officij qualitas me, fratres cariſsimi, in vocem cogit doloris erumpere.] & infra: Peruenit autem ad nos, Syagriam quamdam * vitam religioſam mutatis etiã veſtibus aſſecutam, poſteaq. marito violenter eſſe (quod dici iniquum eſt) ſociatam, & nullo vos in eius defenſione dolore permotos. Quod ſi ita eſt, vehementius ingemiſco, ne apud omnipotentem Dominum (quod abſit) mercenarij officium, & non paſtoris meritum habeatis, quippe qui in ore lupi ouem laniandam ſine certamine reliquiſtis. Quid enim dicturi, quamve rationem futuro eſtis Iudici reddituri, quos ſtupri ſcortatio non commouit? quos ad defendendum fauor nequaquam religioſi habitus excitauit? quos ad tutandam pudicitiæ integritatem ſacerdotalis conſideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, huius recordatio culpæ ſolicitet, &c.] Ex aliena ergo culpa E reddiri cautiores Hiſpaniarum Epiſcopi qui interfuerunt Concilio Barcinonenſi numero duodecim, ipſum quem recenſuimus canonem ſanciuere, monente (vt par eſt credere) Cyriaco Abbate miſſo in Hiſpanias a ſancto Gregorio monitore.

* quondam

IN SYAGRIAM ADMISSVM FACINVS.

Quo pariter anno Indictionis ſecundæ reperitur Rex Hiſpaniæ religioſiſſimus Reccaredus delegiſſe viros valde pios Abbates, eosq. Romã miſiſſe ad limina Apoſtolorum: quibus munera dedit S. Petro Apoſtolo offerenda. Mentio de hac legatione habetur in litteris S. Gregorij ad ipſum Regem hoc anno redditis, in quibus inter alia iſta habet [c]: Beatus vero Petrus Apoſtolorum princeps quam libenter munera excellentiæ veſtræ ſuſceperit, ipſa cunctis liquido vita veſtra teſtatur. Scriptum quippe eſt [d]: Vota iuſtorum placabilia. Neque enim in omnipotentis Dei iudicio, quid datur, ſed a quo datur, aſpicitur. Hinc eſt enim quod ſcriptum eſt [e]: Reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit. Dicturus quippe, quia Dominus reſpexit ad mu-

REGCAREDVS MVNERA MITTIT AD S. PETRVM.

[c] Gregor. lib. 7. epiſt. 126. Ind. 2.

[d] Prou. 15.

[e] Geneſ. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nera, præmisit solicite, quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur, quia A
non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt? Vestra itaque oblatio
quam sit grata, ostenditis, qui daturi aurum, prius ex conuersione gentis subditæ ani-
marum munera dedistis. Quod vero transmissos Abbates, qui oblationem vestram beato
Petro Apostolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipso itinere ad Hispanias remeasse:
non munera vestra repulsa sunt, quæ postmodum peruenerunt, sed eorum qui transmissi
fuerant constantia est probata, an scirent sancto desiderio obiecta pericula vincere, & in
fatigatione corporis mente minime lassari. Aduersitas enim quæ bonis votis obijcitur,
probatio virtutis est, non iudicium reprobationis, &c.]

Quæ autem idem Gregorius ad religiosissimum Regem post præclaras de conuersa opere
ipsius gente Gothorum laudes, postq. saluberrimas de cauendis diaboli fallacijs admoni-
tiones litteris scriptas, se ad eumdem Regē munera mittere dicat, accipe: Clauim, inquit, B
MVNERA A S. GREG. MISSA AD REGEM HISPAN. paruulā a sacratissimo B. Petri Apostoli corpore vobis pro eius benedictione transmisimus,
in qua inest ferrum de catenis eius inclusum, vt quod collum illius ad martyrium ligaue-
rat, vestrum ab omnibus peccatis soluat. Crucem quoque dedi latori præsentium vobis
offerendam, in qua lignum Dominicæ Crucis inest, & capilli beati Ioannis Baptistæ: ex
qua semper solatium nostri Saluatoris per intercessionem præcursoris eius habeatis.] & in
fine epistolæ: Præterea transmisimus clauim aliam a sacratissimo B. Petri Apostoli corpore,
quæ cum digno honore reposita quæque apud vos inuenerit, benedicendo multiplicet.]

[a] *Gregor. lib. 7. epist. 125. Ind. 2. Rom. edit.* Dedit præterea eodem tempore eidem nuncio sanctus Gregorius litteras[a] ad sanctum
Leandrum Hispalensem Episcopum, a quo prius acceperat, misitq. ad eum pallium. La-
borabat æque Leander atque Gregorius tunc podagra, vt ipse in eadem testatur epistola. C
Certe quidem si numerandos suscipias sanctitate celebres homines, qui podagræ morbo
afflictati sunt, copiosum conficies catalogum, quo redarguas eos qui voluptuosos ex po-
dagræ doloribus arguunt homines. Ad finem vero epistolæ idem hæc habet: Ego autem
quanta occupatione deprimor & debilitate, breuis attestatur epistola, in qua ei quem mul-
tum diligo, parum loquor.] Circa autumnum hanc videtur scripsisse epistolam, paulo an-
te videlicet Indictionem tertiam inchoatam: quo tempore datis ad Italicam Patriciam
(de qua superius) litteris, docet grauem morbum infestasse Vrbem, cum & Africam pari-
ter morbo vastari nunciatum est, necnon Orientem atque alios etiam populos malis ipsi-
[b] *Gregor. lib. 7. epist. 127. Ind. 2. Rom. edit.* dem perurgeri. Sed de seipso primum accipe ex verbis ipsius[b]: Peccatis, inquit, meis exi-
gentibus, ecce iam vndecim menses sunt, quod valde rarum est, si de lecto surgere ali-
quando potuero: tantis enim podagræ, tantisq. molestiarum doloribus premor, vt vita
mea mihi grauissima pœna sit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium ex- D
pectando suspiro. In clero vero huius vrbis & populo tanti febrium languores irruerunt,
vt pene nullus liber, nullus seruus remanserit, qui esse idoneus ad aliquod officium vel
ministerium possit. De vicinis autem vrbibus strages quotidie mortalitatis nobis nun-
ciantur. Africa autem qualiter mortalitate & languoribus vastetur, quanto viciniores
estis, tanto credo quod subtilius cognouistis. De Oriente vero qui veniunt, grauiores de-
solationes nunciant.] his consolatur ipse ægrotantem Patriciam Romanam, quam bella
Italiam vastantia vna cum suis Siciliam incolere insulam suaserunt. Ad finem autem epi-
stolæ hæc Gregorius: Dulcissimas filias meas domnam Barbaram & domnam Antoniam
mea peto vice salutari.] Quod vero moris fuisse scimus Romanis nomina maiorum ad po-
steros propagari: quod de Italicæ ipsius nomine diximus, idem dicendum pariter de Bar-
bara: habes enim apud Ennodium Ticinensem laudatissimam Romanam mulierem æque E
dictam nomine Barbaram, ad quam plures ipse dedit epistolas.

Audisti Gregorium vndecim iam menses ægritudinibus afflictatum atque prope consum-
MAGIS LABORAT, CVM MAGIS AEGROTAT GREG. ptum: & tamen nihil remisisse negotiorum Ecclesiasticorum liquet: quod hoc anno datæ
ab eo epistolæ docent; immo (quod magis mireris) nullus est annus, in quo scriptæ ab eo
plures reperiantur epistolæ, & negotia maiora pertractata: vt quem decumbentem in lecto
vidisti, eumdem epistolis suis veluti alitem pennis ferri, orbemq. Christianum lustrare,
verbis instituere, ac disciplina corrigere sentias. Quem vero hic scribentem hoc anno au-
dis, mensibus vndecim se morbo detentum, non putes esse ipso solutum & redditum sani-
tati: sed perseuerare adhuc ægritudinem eamdem biennio, ipse testatur in epistola ad Eu-
[c] *Gregor. lib. 8. epist. 35. Ind. 3.* logium Alexandrinum Episcopum anno sequenti, vbi ait[c]: Ecce enim iam biennium pe-
ne expletur, quo lectulo teneor, tantisq. podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis

vsque

A vsque ad horarum trium spatium surgere valeam, Missarumq. solemnia celebrare. Mox autem cum graui compellor dolore decumbere, vt cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius: sed neque ita lentus, vt recedat; neque ita nimius, vt interficiat. Vnde fit, vt qui quotidie in morte sum, quotidie repellar a morte: nec mirum, quia peccator grauis, talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Vnde compellor exclamare [a]: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.] hæc ipse. Sed quid amplius? ita semper ægrotum ad obitum vsque ipsum perseueraſſe, quæ inferius dicentur, ostendent. *a Psal. 141.*

Quod vero ad Africanam luem spectat, audi quid idem Gregorius de ea scribat ad Dominicum Episcopum Carthaginensem, eum consolans ipse, licet ægrotus & afflictus, his verbis [b]: *b Gregor. lib. 8. epist. 41. Ind. 3.*

B Quanta in Africanis partibus lues irruerit, iampridem cognouimus: & quia nec Italia de hac cladis percussione est libera, geminati in nobis dolorum sunt gemitus, &c.] subdit enim quod ipse putabat (vt frequenter tum in homilijs, tum litteris inculcare consueuit) mundi finem imminere: tot enim plagis & tam assiduis videbat vrgeri mundū, vt iam eius finem crederet imminere. Ex quibus considerandum est, quot quantisq. Pater sanctissimus perstringeretur angustijs; inter quas eo solicitius prospicere omnium saluti curabat, quo omniū finem propinquum adesse putabat. Hinc ipse ad eumdem Carthaginensem Episcopum scribens, qualiter se gerere deberet eiusmodi luis tempore, admonet, non quidem vt saluti suæ consulens derelinquat gregem, sed vt pro eo vitam exponat: Vestra, inquit, eos lingua (sicut & credimus) magis ac magis a praui operis perpetratione coerceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat: vt qui bona minus diligunt, saltem mala pertimescāt, PESTIS DEPASCITVR AFRICAM.

C & ab his se, quæ sunt plectenda, contineant. Nam inter flagella positos flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire, & sæuientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam a malis suis iuste quiescere, & Deum iniuste a sua velle vltione cessare. Sed quoniam in his diuino adiutorio opus est, iiunctis dilecte frater precibus, omnipotentis Dei clementiam exoremus, vt & nos digne ista tribuat exhibere, & populorū ad hæc operanda misericorditer corda compungat.] hæc de his quæ Episcopi agere debeant tempore mortalitatis. Quos vero ob priuatorum diuersa negotia hoc anno oportuit ipsum Gregorium labores suscipere, ex litteris ab eo hoc eodem anno ad diuersos datis quemque commodius perueſtigare, quam cuncta cum fastidio hic ingerere, posse putamus.

D IESV CHRISTI ANNVS 600. GREGORII PAP. ANNVS 11. MAVRITII IMP. ANNVS 15.

SExcentesimus adest Domini annus, tertiæ Indictionis, Reipub. vtique funestus, Sclauis siue Sclauinis barbaris eousque progressis, vt iam Italiam penetrarent, ipso S. Gregorio deteriora adhuc fore prænunciante. Ad Maximum enim Salonitanum Episcopum ista rescripsit [c]: Ad Romanam veniens vrbem communis filius presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, vt fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenus valuissem. Et quidem de Sclauorum gente, quæ vobis valde imminet, & affligor vehementer, & cōturbor. Affligor in his quæ iam in vobis patior: conturbor, quia per Istriæ aditum iam Italiam intrare cœperunt.] Quænam autem funesta acta sint per huiusmodi barbaros Sclauos Italiam inuadentes, apud Paulum diaconum ita breuiter habes [d]: SCLAVINI BARBARI IRRVMPVNT IN ITALIAM. *c Gregor. lib. 8. epist. 30. Ind. 3.*

E Hoc, inquit, nihilominus anno Sclaui Istriam, interfectis militibus, lacrymabiliter deprædati sunt.] Sed de Chaiano siue Gagano Auarum Rege Venetiam prouinciam inuadente, Forumq. Iulij insidijs Romildæ relictæ Agilulphi Ducis capiente & comburente, idem Paulus pluribus narrat [e]. Viduata marito, qui eodem tunc bello perierat, impudica ista femina, spe sumendi sibi maritum eumdem Regem Auarum Chaianum, prodidit eidem ciuitatem. Sed quam dignam crimine pœnam subierit, ab eodem hæc tantum accipe: Postmodum quoque palum Rex in medio campo configi præcipiens, eamdem eius cacumini inferi mandauit, inquiens: Talem te dignum est maritum habere. Igitur dira proditrix patriæ tali exitio perijt, quæ amplius suæ libidini quam ciuium & consanguineorum saluti prospexerat. Filiæ vero eius non matris libidinem secutæ, sed castitatis amorem, cauentes ne ab Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi in- *d Paul. diacon. lib. 4. c. 14. in fi.* *e Paul. diacon. lib. 4. c. 12.* ROMILDA DIGNAM SVSCEPIT OB PECCATVM POENAM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bi inter mamillas sub fascia posuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant. Cumq. vellent eas Auares contingere, non sustinentes fœtorem, putabant naturaliter eas ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, atque dicentes omnes Longobardas putidas esse. Hac itaque arte Auarum libidinem puellæ nobiles euadentes, & ipsæ castæ seruatæ sunt, & vtile seruandæ castitatis (si quid tale contigerit) feminis omnibus reliquerunt exemplum. Quæ postea per diuersas regiones venumdatæ, iuxta nobilitatem suam dignis sunt nuptijs potitæ: nam vna dicitur Alemannorum Regi, alia vero Baioariorum Principi nupsisse.] hucusque Paulus diaconus de cladibus per barbaros Sclauinos & Auares illatis in extremas illas Italiæ partes, vbi (vt vidimus) schismatici Episcopi erant: vlterius autem in regiones Catholicorum progredi, minime illis a Deo concessum fuisse videtur. A

Sed ad S. Gregorium redeamus, qui dum in ea epistola res Italiæ eo modo deplorat, quæ paterentur Itali ab amicis & defensoribus, nempe ministris Imperatoris, ita subdit: De Iuliano autem Scribone quid dicã, nescio: quando vbique video, quia nobis peccata nostra respondeant, vt & foris a Gentibus, & intus a Iudicibus conturbemur? Sed nolite de talibus omnino contristari: quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita vt in comparatione sui temporis felices nos æstiment dies habuisse.] ista quidem vaticinatus spiritu diuino S. Gregorius, æque veridicus inuentus est esse propheta: etenim non barbarorum dumtaxat cladibus afflictatum est Imperium, sed sub hæreticis Imperatoribus Dei Ecclesia mirum in modum vexata est, vsque adeo, vt vinctus catenis abriperetur ab Vrbe Pontifex, & diro exilio exagitatus martyr mori cogeretur, inualescentibus vbique hæreticis: additumq. est malum omnium maximum absque controuersia ab omnibus iudicatum, nempe ortus nefandissimæ sectæ Mahometanæ, & Sarracenorum eam profitentium inmanissima in vniuersum pene Christianum orbem grassatio atque dominium: quorum comparatione, verum dicit Gregorius, hæc fuisse æstimanda leuissima, atque ista tempora felicissima: ita quidem res se habere, quæ tomi huius sunt reliqua annis singulis declarabunt. Ad finem vero epistolæ de conuersione hæreticorum curanda idem scribit S. Gregorius, accersens eos Romam, spondensq. illis omnem securitatem veniendi & abeundi. B C

S. GREGORII TRISTE VATICINIVM.

Quod vero pertinet ad dictum Scribonem ab Imperatore missum, atque deterius quam hostes infestantem populum: hic intexenda mentio est, quæ de eo habetur in Theophane[a] præsenti anno Mauritij Imperatoris; ipsum nempe ob id quod Episcopum Constantinopolitanum violentus ab ecclesia abduxerat, a populo fuisse vrbe pulsum eo tempore quo ijdem Sclauini contra Constantinopolitanam ciuitatem progressuri essent. D

[a] *Miscel. an. 15. Mauritij Imp.*

His quoque temporibus accidit, vt excursantibus & grassantibus barbaris per Illyricum atque Dalmatiam, ab Epidauri Episcopo corpus sancti Donati translatum fuerit in Corcyram insulam, collocatumq. in castro Cassiopi dicto. Extant[b] de his plures sancti Gregorij epistolæ sub Indictione septima datæ, cum Epidauri Episcopus castrum illud sibi satageret vendicare.

[b] *Greg. lib. 12. epist. 2. 3. & 8.*

Hoc anno, nempe tertio ante Mauritij obitum, Chaianus Rex Auarum inferiorem Pannoniam inuadens, cunctaq. vastans, neque a sancti Alexandri martyris sacris reliquijs abstinuit, cuius rei gratia meritas pœnas exoluit. De his dicturi, primum videamus quæ ista præcesserint inter Priscum ducem exercitus Imperatoris, & ipsum Regem barbarum: quæ ita narrantur ex Theophane in Miscella: Priscus Singidone relicta, huic, *Chaiano scilicet*, efficitur proximus. Cum autem Paschalis festiuitas haberetur, & Romani fame tabescerent, audiens Chaianus Prisco significabat, vt sibi plaustra mitteret ad portanda illis alimenta, quatenus cum hilaritate propriam festiuitatem celebrarent. Quadraginta itaque plaustra plena his mittit. Pari modo & Priscus species Indicas barbaro quasdam remisit, piper videlicet, & folium Indicum, & costum, & casiam, atque alia ex ijs quæ quæruntur; cum Chaianus apud Sirmium resideret: qui receptis his, gauisus est valde in eis: & donec compleretur dies festus, Romani ac barbari simul habitabant, & non erat in vtrisque viribus timor. E

AVARES DEVASTANT PANNONIAM.

INDVCIAE OB FESTVM PASCHATIS.

Cumq. finijsset dies festus, barbari separati sunt abinuicem a Romanis, & Drizipara venientes, ciuitatem depopulati sunt, & S. Alexandri martyris ecclesiam incenderunt, sepulchrumq. ipsius argenteo tecto coopertum spoliant, sed & iniurijs martyris corpus afficiunt; multamq. in Thracia prædam capientes, epulabantur splendide contra

Romanos

A Romanos elati. Cumq. Commentiolus dux veniſſet Byzantium, maxima vrbi turbatio & æſtus incubuit; ita vt timore detenti conſilium caperent Europam deſerendi, & in Aſiam & Chalcedonem migrandi. Quin & Imperator excubitoribus, armatoq. & electo cuneo ſumpto, murum muniuit: vulgus autem vrbem cuſtodiebat, & Senatus commonebat Imperatorem legationem ad Chaianum mittendi. Deus autem vindictam martyris faciens Alexandri, peſtilentiam languoris barbaris intulit, & in vno die ſeptem filios Chaiani per febrem & inguinariam paſſionem occidit vna cum alijs turbis multis: ita vt poſt triumphale gaudium cum carminibus & canticis lamentationes & lacrymæ & luctus ſine conſolatione poſsiderent barbaros.] hæc eadem Nicephorus [a] quoque & alij habent. Sed pergit auctor: [a] *Niceph. lib. 18. c. 28. 29.*

At vero Senatus rogabat Cæſarem legationem ad Chaianum mitteret. Imperator au-
B tem Armazonem miſit ad Chaianum cum multis muneribus Driziparam, qui verbis mitibus blandiretur. At ille nolebat dona ſuſcipere, lamento intolerabili filiorum morte detentus. Dicebat autem ad legatum: Iudicet Deus inter me & te & Imperatorem Mauritium. Ego vero captiuos ei reddo, per vnam animam vnum numiſma percepturus ab eo. Mauritius autem id dare minime paſſus eſt. Verum Chaianus petijt per ſingulas animas vnum accipere nummum: at Imperator nec ſic dare conſenſit, ſed nec in quatuor ſiliquis. Tum Chaianus commotus furore omnes occidit, & ad propria redijt, cum quinquaginta millia aureorũ pactis impoſuiſſet.] *hæc de rebus hoc anno geſtis.* Porro Mauritij impium facinus, quo tot inſontes perire, non redimens, paſſus eſt, ſeuere admodum vltus eſt Deus, vt ſuo loco dicemus. Subdit auctor de legatione ab exercitu miſſa contra ſuum ipſorum ducem. Inter alios miſſos legatos fuit vnus Phocas, qui poſtea Imperator creatus eſt, qui
C paulo liberius atque ſeuerius allocutus intrepide Imperatorem, a quodam Patriciorum alapa percuſſus eſt, & barba euulſus: vnde Phocæ occaſio noua tentandi oblata eſt. Quomodo autem ipſe in Mauritium inſurrexit, dicendum eſt ſuo loco.

Eodem anno, cum Eulogius Patriarcha Alexandrinus Romam ad ſanctum Gregorium miſiſſet cognoſcendum atque probandum commentarium ſuum aduerſus Agnoitas hæreticos ſcriptum, ipſe Gregorius eumdem cognitum vt Catholicum laudauit. Ita plane Orthodoxorum ſcriptorum morem fuiſſe, tomo ſuperiori demonſtrauimus, vt aduerſus hæreticos quæ ſcriberent, eadem antequam ederent, cognoſcenda mitterent ad Romanum Pontificem, prout hoc anno factum ab Eulogio dictum eſt, de cuius ſcriptis habet iſta ipſe Gregorius [b]: In eo ſenſu quod dudum ſcripſeram, ita reſcribo: quia de doctrina veſtra contra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur: quod autem
D diſpliceret, non fuit. In eodem autem ſenſu iamdudum communi filio noſtro Anatolio diacono plura ſcripſeram. Ita autem doctrina veſtra per omnia Latinis Patribus concordauit, vt mirum mihi non eſſet, quod in diuerſis linguis ſpiritus non fuerit diuerſus, &c.] Sed & in ſuperioribus litteris ad eum ſub eadem hac tertia Indictione datis, cum eadem ipſius ſcripta commendat, hæc habet inter alia [c]: Sit ergo illi laus, ſit in excelſis & gloria, cuius dono adhuc in ſede Petri clamat vox Marci, de cuius effuſione ſpiritus cum ſacerdos ad perſcrutanda myſteria, ſcilicet ad Sancta ſanctorum intrat, in ſancta Eccleſia velut in Tabernaculo in verbis prædicationis ſpiritalia tintinnabula reſonant. Recta itaque & valde laudabilis eſt veſtra prædicatio. Sed omnipotentem Dominum deprecamur, vt diu vos etiam in hac vita cuſtodiat; vt de Dei organo, quod eſtis, in hoc mundo latius vox veritatis reſonet. Pro me autem, peto, intercedite, vt huius peregrinationis via,
E quæ mihi aſperior facta eſt, cum celeritate finiatur.] reputans ſe inutilem, breuem ſibi optat vitam, longiorem tamen ipſi Eulogio deprecatus. Porro de Agnoitis hæreticis, quinam iſti fuerint, dictum eſt ſuperiori tomo: vt ſuperfluum ſit eadem hic repetere.

EVLOG. EPISC. ALEXAN. SVA SCRIPTA AD GREG. COGNOSCENDA MITTIT.

[b] *Gregor. lib. 8. epiſt. 42. Ind. 3.*

[c] *Gregor. lib. 8. epiſt. 35. Ind. 3.*

Moritur hoc anno Conſtantius Epiſcopus Mediolanenſis: quo audito Gregorius magnopere doluit. Ad populum enim & clerum eius ciuitatis ſcribens, hæc ait [d]: Quantus nos de obitu fratris & coepiſcopi noſtri Conſtantij mæror afficiat, paginali explere locutione non poſſumus. Sed quam multa bona partes illæ in vno homine perdiderunt, vtinam vicinæ repentina calamitate non ſentiant. Nam quemadmodum ſolicitus in Eccleſiaſticæ regula diſciplinæ, vel quam fuerit vigilans in tuitione ciuitatis veſtræ, non habemus incognitum.] Depoſito autem luctu, aſſurgit vigore ſacerdotali aduerſus Agilulphum Regem, qui Mediolanenſibus nominare ipſe volebat Epiſcopum: cuius ſtudijs atque conatibus ipſe reſiſtens Gregorius, hæc ad eos: Illud autem quod vobis ab Agilulpho indica-

[d] *Gregor. lib. 8. epiſt. 65. Ind. 3.*

DE OBITV CONSTANT. EPISC. MEDIOLAN. ET ELECTIONE SVCCESSORIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stis scriptum, dilectionem vestram non moueat. Nam nos in hominem, qui non a Catholicis & maxime a Longobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum. Nec si alicuius præsumptionis vsurpatione factus fuerit, in locum vel ordinẽ illum sacerdotis suscipiamus: quia vicarius S. Ambrosij indignus euidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur. Nec enim est quod vos hac ex causa deterreat, vel aliquam vobis necessitatem incutiat: quia vnde possunt alimenta S. Ambrosio seruientibus clericis ministrari, nihil in hostium locis, sed in Sicilia & in alijs Reipublicæ partibus, Deo protegente, consistit.] hæc ad eos Gregorius, monens vt in proposito firmiter maneant in facta per eos electione Deusdedit diaconi in eius sedis Episcopum; quod & exclusa Agilulphi Regis petitione, strenue impletum est. Porro ex Annalibus Mediolanensibus [a] proditur, sanctum Gregorium Papam concessisse Mediolanensibus, vt deficientibus Regibus Longobardorum, eius ciuitatis Antistes (quisquis esset) coacto Concilio Episcoporum, eligeret Regem quem vellet.

a Sigon. de regn. Ital. an. 601.

REDARGVIT GREG. EPISC. REPREHENSIONE DIGNOS.

Inter hæc autem solicitus inuigilans super Ecclesias ipse Gregorius, si quid ab Episcopis minus rectum factum sciisset, continuo studuit emendare, vehementius commotus in Lucullum Episcopum [b], qui res Ecclesiæ in proprios vsus conuerterat, & quartam partem redituum debitam ecclesiæ fabricæ vsurparat. Insuper Mariniani Episcopi [c] Rauennatis oscitantiam increpauit, quod ipso non reclamante, neque (vt par erat) ex aduerso surgente, sanctimonialis fuerat e monasterio educta, & a seductore retenta. Sed & Basilium Capuanum Episcopum apud sæculares Præfectos diutius agentem non tulit, sed inde pelli, & ad Ecclesiam suam redire compelli debere, scripsit ad Romanum Defensorem his paucis [d]: Perlatum ad nos est, reuerendissimum fratrem nostrum Basilium Episcopum velut vnum de laicis in causis sæcularibus occupari, & Prætorijs inutiliter deseruire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reuerentiam sacerdotalem annihilat: statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad reuertendum districta executione compellat: quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: ne si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.] hæc voluimus totidem verbis Gregorij reddidisse, ad declarandum quam execrabile ab eodem sanctissimo Pontifice haberetur, vt Episcopus apud sæculares Principes moraretur. Increpauit vero Leonem Episcopum Catanensem [e], quod non correxisset quod ferebatur scandalum de monachis cum mulieribus consuetudinem habentibus: quem huiusce modi vrget dilemmate: Aut enim hæc fieri nescisti, & culpa neglectus vehementer argueris: aut certe factum recognouisti, & grauiorem erga te videris indignationem exigere, cur tantum facinus vltione districtissima non punisti.]

b Gregor. lib. 8. epist. 1. Ind. 3.
c Gregor. lib. 8. epist. 9. Ind. 3.
d Gregor. lib. 8. epist. 11. Ind. 3.
e Gregor. lib. 2. epist. 21. Ind. 3.

DE SCRIPTIS GREG. ET AVG.

Quod vero crebra exoriri solerent scandala ex religiosis Deo dicatis monachis, ad futura mala anteuertenda, postquam praue facta corrigenda præcepit [f], prohibuit ne quis conuersionis causa veniens ad monasterium, ante biennium tonsura initiaretur. Commonuit item hoc anno Ianuarium Calaritanum Episcopum [g], quod minime pro defensione pauperum assurgeret, cũ infirmiores a potentioribus opprimerentur: Carthaginensis enim Episcopi relatione, & Innocentij in Africa Præfecti id Gregorius scriptis acceperat, virorum maxime religiosorum, de quibus sæpe superius. Quorum Innocentius petierat ab ipso Gregorio libros in Iob ab eo conscriptos: quos dum Gregorius mittit, ad eum scripsit hæc inter alia [h]: Quod vero in expositione S. Iob transmitti vobis codicem voluistis: de vestro omnino studio gaudemus, quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum sæcularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini Patriarchæ vestri opuscula legite, & ad comparationem silignis illius nostrum furfurem non quæratis.] hæc ipse. Sane quidem e religiosorum manibus neuter horum liber excidere aliquando deberet, cum ex illis veluti quibusdam funibus retrahatur homo ab exterioribus distractionibus ad sui considerationem, efficiaturq. sui habitator, licet ad diuersa peregrinari cogatur. Monuit præterea Gregorius eumdem Ioannem Calaritanum Episcopum, quid agere deberet, cum quis ad Ecclesiam confugeret, & quomodo reddendus esset. Sed & idem reprehendit [i] hoc anno Bonifacium Episcopum Regiensem, eo quod sua Ecclesia litigaret cum Expræfecto, monens, vt eligeret viros, qui eam citius dirimerent controuersiam.

f Gregor. lib. 2. epist. 23. Ind. 3.
g Gregor. lib. 2. epist. 38. Ind. 3.
h Gregor. lib. 8. epist. 37. Ind. 3.
i Gregor. lib. 8. epist. 38. Ind. 3.

Accidit

A Accidit vt hoc etiam anno moreretur Fortunatus Episcopus Neapolitanus, coniurationibus implicitus, & ab ipso Gregorio sæpe monitus. Cum autē de successoris electione studia diuersa essent, atque alij elegissent Ioannem diaconum paruulam filiam habentem, reiecit eius electionē Gregorius, eo quod ex paruulæ filiæ indicio castitas eius haud adeo solidata videretur. Sed audi prudentem circumspectorem: ait enim [a]: Ioannem diaconum, qui ab altera parte electus est, paruulam habere filiam, quorumdam relatione cognouimus. Vnde si rationem voluissent attendere, nec illi eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc longam sui corporis continentiam, filiola teste, conuincitur non habere?] Reijcitur ab eo & Petrus ab altera parte electus, eo quod esset (vt ait) simplex, & quod solidos dedisset ad vsuram. His igitur reiectis, electus fuit Paschasius, per quem voluit erogari clericis & B pauperibus, quæ ex pecunijs Ecclesiæ prædecessor minime erogasset.

a Greger. lib. 8. epist. 40. Ind. 1.

Sed quomodo eiusmodi distributio fieri soleret, accipe vnde discas cetera. Meminisse enim in primis debes, quod sæpius dictum est, ex reditibus Ecclesiæ solitas fieri quatuor canonicas portiones, quarum vnam sibi retineret Episcopus, clerus alteram, duas alias in pauperes & ecclesiæ ædificationem impendendas. Quæ igitur e duabus portionibus, clericorum scilicet atque pauperum, sibi Fortunatus retinuerat, Gregorius ita ex more erogari mandauit [b]: Constituisse nos recolit, vt ex pecunijs Ecclesiæ vestræ portio cleri vel pauperum, quam minime decessor vester præbuerat, id est, quadringenti solidi seorsum fieri debuissent, qui eiusdem cleri atque pauperum erogationi proficerent: quod quia diutius non est differendum, volumus vt secundum distributionem præsentibus scriptis insertam, coram Anthemio subdiacono nostro sine difficultate aliqua fraternitas vestra C debeat erogare. *videlicet*:

DE DISTRIBVTIONE RERVM ECCLESIASTICARVM.

b Gregor. lib. 9. epist. 29. Ind. 4.

Præbendi itaque sunt clericis vestris per singulos (sicut prospexeritis) simul omnis summa solidi centum: præiacentibus, quos centū vigintisex esse cognouimus, dandi sunt solidi sexagintatres, id est, medius solidus per singulos: presbyteris ac diaconibus & clericis peregrinis solidi quinquaginta: hominibus honestis ac egenis, quos publice petere verecundia non permittit, solidi centum quinquaginta: ita vt quidam eorum ad singulos tremisses, quidam ad binos, quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit, amplius diuidantur*. Reliquis vero pauperibus, qui eleemosynam publice petere consueuerunt, solidos trigintasex. Ecce nos quantum vel quibus dari debeat, distribuimus. Sed quia sicut præuidimus, non omnibus æqualiter est præbendum; necesse est vt vna cum prædicto subdiacono, prout præuideritis, dare singulis debeatis, &c.] Vidisti, lector, quomo- D do Ecclesiastici reditus duabus ex partibus clericis & pauperibus solerent olim partiri? vt magnopere timendum sit illis, qui post tot de his sancitos canones longe aliter agunt.

* dimittantur

Mittitur hoc anno in Italiam administrare Vrbanam præfecturam Leontius Exconsul, reuocaturq. Gregorius, cui redeunti Constantinopolim dedit sanctus Gregorius Papa litteras commendaticias, easdemq. testes eius magistratus bene perfuncti: extant [c] ipsæ quidem. Hic enim ministrorum Imperatoris minis compulsus, intra ecclesiæ septa, ad quæ confugerat, aliquando se continuit, sed persuasione Gregorij Papæ egressus est, rationem suæ administrationis redditurus. Quod ad Leontium missum in Italiam pertinet: in Siciliam primum se contulit, illic mandata ab Imperatore negotia peracturus. Hunc ipsum Domitianus Episcopus cognatus Imperatoris, de quo superius, litteris [d] suis ad sanctum Gregorium missis plurimum laudauit: immo & litteris [e] anno superiore ad ipsum Leon- E tium datis ab ipso Gregorio valde commendatus habetur.

DE LEONTIO IN ITALIAM MISSO.

c Gregor. lib. 8. epist. 34. 35. 36. 37. 38. 39.

d Gregor. lib. 8. epist. 30. Ind. 3.

e Gregor. lib. 7. epist. 34. Ind. 1.

Dum vero idem adhuc in Sicilia moraretur, redegit in ordinem Liberrinum virum clarissimum ex Præfecto voluntate Imperatoris, cæsumq. bonis spoliauit: quem eidem Leontio cum sanctus Gregorius commendasset, Leontius scripta ipsius ad eum misit, vt manifeste cognosceret quam meruisset ille latam damnationis suæ sententiam. Verum rescribens [f] ad Leontium Gregorius, ea ex parte ipsum redarguit, quod virum liberum cædere minime debuisset vt seruum. Perseuerabat adhuc antiquæ legis vsus, ne homo liber subderetur flagellis: cuius violatæ legis causa Gregorius vindex insurgens, his eum commonuisse verbis voluit: Si quam, inquit, rebus publicis fraudem fecit, substantia eius cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cæduntur, vt taceam quod omnipotens Deus offenditur, vt taceam quod opinio vestra vehementer grauatur, pijssimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter

f Gregor. lib. 8. epist. 32. Ind. 4.

IMMANE ESSE CAEDERE LIBERVM HOMINEM.

Reges

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reges Gentium & Imperatores Romanorum distat, quia Reges Gentium domini seruorum sunt, Imperator vero Romanorum dominus liberorum. Vnde & vos quicquid agitis, prius quidem seruata iustitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis.] Ita quidem. Si enim adeo declamatum est a Cicerone in Verrem, quod liberos homines Romanos sæpe cædi iussisset: quomodo sanctus Gregorius Christianum Præfectum non redargueret? In quem post aliqua in detestationem crudelitatis, & ob oculos positam Domini sententiam, qua ait [a]: Quod vultis vt faciant vobis homines, hoc facite illis] ista subiungit: Metuamus quod iterum dicit [b]: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Quid autem gloria vestra existimat, quia si superbe, si crudeliter agimus, despecto Deo, nobis homines placamus? Nullo modo.] & inferius: Si autem dicitur, quod sine verberibus, sine terroribus fraudes publicæ inueniri non possunt: hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa dominus Leontius non venisset. Nam verum est quia illi solent in manibus excedere, qui in sensu & lingua deficiunt: de qua re se mihi vestra gloria non valet excusare. Nam quæ auditis, vel quæ dicitis, subtiliter exquirens, inueni quia homines sine causa cæditis, qui auxiliante Deo verbis agere omnia potestis.] His vero saluberrimam hanc admonitionem adiungit:

a Matth. 7.
b Ibidem.

IRA A PRAESIDIBVS TEMPERANDA.

Ita ergo age, glorioſe fili, vt in actione commissa prius illum habeas placatum, qui continet omnia, ac deinde sereniſſimi Principis vtilitatem cum omni solicitudine impleas: nam & in eius actione, a quo tibi commissa est, esse negligentem, non sine peccato existimo. Sed quia, omnipotente Deo largiente, idonea est vestra sapientia & rationes vigilanter & subtiliter exquirere, & Creatoris vobis iudicium per mansuetudinem placare: quotiens ira animum inuadit, mentem edoma, vince te ipsum: differ tempus furoris; & cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. Ira enim in vindicta malorum sequi debet rationem animi, non præire, vt quasi ancilla iustitiæ post tergum veniat, & non lasciua ante faciem prorumpat. Aliquando vero ostendenda est, & non exhibenda: aliquando exhibenda est, & numquam sequenda. Quando enim in executione iustitiæ placata mente irascimur, iracundiam & non sequimur, & exhibemus, &c.] plura id genus ingerit viro religioso, qui pro iustitia nimis concitatus apparuit. Ad postremum autem hæc quæ subdit, corrigenda proponit: Alia quoque currit opinio, quia alij præ alijs grauantur; & ex quibusdam, quæ ex Principali iussione expensa sunt, minime reparantur *. Quod si verum sit, nescio. Si tamen ita est, hoc omnino facere & pro timore æterni iudicij, & pro ipsius humanæ considerationis ratione minime debetis. Ecce glorioſe fili, amore Dei, tuoq. prouocatus, cuncta quæ sensi, cuncta quæ audiui, breuiter indicaui. Sapientis autem viri est, & breuiter audita latius pensare, & quæque Deo displicent, in celeritate corrigere.] hæc ad Leontium.

QVAE SINT CORRIGENDA ADMONET.

* reputatur

Sed ipse Gregorius paternis visceribus amplexus miserrimum Libertinum Expræfectum eodem tempore priuatum præfectura prouinciæ, libertate, nobilitate, atque diuitijs, consolatorijs litteris conuenit, atque eleemosynis fouit, breuem hanc ad eum scribens epistolam [c]:

c Gregor. lib. 9. epist. 51. Ind. 3.

CONSOLATVR GREGORIVS LIBERTINVM EX PRAEFECTVM.

Quantæ vos sæculi huius premant angustiæ, incognitum non habemus. Sed quia in summa tribulatione positis sola est consolatio misericordia Creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsumq. tota vos mente conuertite, qui & iuste cum vult, permittit affligi, & confidentem in se misericorditer liberat. Ipsi ergo gratias agite, & patienter quæcumque illata sunt sustinete. Nam rectæ mentis est, Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in aduersitatibus collaudare. In his igitur quæ patimini, nullum contra Deum murmur cordi vestro surrepat: quia ad quid hoc Creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim, magnifice fili, aliquid illum in prosperis positus offendisti, vnde te clementi amaritudine vult purgare. Et ideo nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna discrucient: quia si in aduersis gratias referens, Deum tibi patientia feceris esse placabilem, & quæ amissa sunt multiplicata redduntur, & super hæc gaudia æterna præstantur. Peto autem, ne iniurioſum ducatis, quod viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum Defensorem scripsimus præberi: quia de beati Petri Apoſtoli rebus quamuis parua sint quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt: quoniam & hic vobis valebit maiora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare.] hactenus ad Libertinum Gregorius.

Sed quê audisti corripientem Leontium Præfectum, & consolantê afflictum Libertinum,

affli-

A afflictus ipse doloribus, ijsq. maxime cruciatus, numquam aliquid prætermisisse voluit, quod animarum videret saluti posse conducere. Qui igitur Præfectum ira percitum ministrantem iustitiam monuit, pariter & Guidiscalcum Ducem Campaniæ in monasterium & Abbatem, cuius monachus ad hostes fugerat, præter ius fasq. consurgentem, data ad eum epistola cohibere conatus est [a]. Sed & Clementinam Patriciam potentissimam feminam apud Neapolim commorantem, plus satis odio indulgentem, æque paterne commonuit: ad quam, post laudatam ipsam in quibus videbatur esse laudanda, hæc habet [b]: Nunciatum siquidem mihi est, quod si quando vos quisquam offenderit, dolorem inomisibiliter retinetis. Quod si verum est (quia quantum vos diligo, tantum contristor) peto vt hoc a vobis vitium nobiliter excludatis, & secus boni operis segetem inimici semen crescere non sinatis, &c.] plura inculcans de remissione & obliuione iniuriarum. Quæ sunt
B autem eiusdem Gregorij siue res gestæ, siue scripta omnia sub Indictione quarta, in sequentem annum reijcimus: quia cum mensibus minime inueniantur esse distincta, sicut alia sub præcedentibus Indictionibus, sequentis anni periodo ea includere operæpretium esse putamus.

a Gregor. lib. 8. epist. 12. Ind. 3.

b Gregor. lib. 8. epist. 16. Ind. 3.

IESV CHRISTI ANNVS 601. GREGORII PAP. ANNVS 12. MAVRITII IMP. ANNVS 16.

S Excentesimus primus agitur annus Redemptoris nostri, quarta Indictione: quo sanctus Gregorius duodecimum sui Pontificatus inchoauit annum, eumdemq. ob prola-
C bentes in deterius ipsius corporis ægritudines sibi molestissimum: cum enim anno præterito se biennium agere in eo quē patiebatur morbo testetur, sane quidem tertius hic numerandus ab eo fuit, idemq. præcedentibus longe molestior, vt eius testificatione liquet ex epistola quam scripsit hoc anno ad Maximianum [c] Arabiæ Episcopum, cuius scribendæ rationem primum tibi aperiendam duximus, vt intelligere possis quam toto Christiano orbe creuerit cultus sanctorum. Etenim ex Arabia idem Maximianus Antistes Romam Candidum Abbatem misit, vt acciperet a S. Gregorio sanctorum reliquias: quibus eidem datis, ad ipsum Gregorius ista rescripsit:

c Gregor. lib. 9. epist. 27. Ind. 4.

Latore huc præsentium Candido Abbate pro petendis reliquijs veniente, quæ & concessæ sunt, quanto de fraternitatis tuæ nutrimento lætatus sum, quod in eo studium tuæ fraternitatis apparuit, tanto contristatus sum, quod eius, vt volui, præsentia vti non po-
D tui, quod me ægrotum reperit, & discedens in infirmitate adhuc positum dereliquit. Multum enim iam tempus est, quod surgere de lectulo non valeo. Nam modo me podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit; & fit plerumque, vt vno me tempore ardor cum dolore affligat, & corpus in me animusq. deficiat. Quantis autem alijs necessitatibus, extra hæc quæ retuli, infirmitatis afficiar, enumerare non valeo. Sed breuiter dico, quia sic me infectio noxij humoris imbibit, vt viuere mihi pœna sit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo posse remedium. Proinde, frater sanctissime, diuinæ pro me pietatis misericordiam deprecare, vt percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat, ne nimio (quod absit) tædio in impatientiam cor erumpat, & ea quæ bene curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure.] hæc sunt Gregorij doloribus
E absorpti lamenta.

RELIQVIAE SANCTORVM AB ARABIAE EPISCOPO PETITAE.

S. GREGORII INFIRMITAS EXASPERATA.

Extant de ijsdem repetitæ querelæ in litteris [d] ad Rusticianā Patriciam degentem Constantinopoli, ipsi Gregorio sanguine coniunctā, de qua sæpe superius dictum est. Ex quibus pariter intelliges, cuius habitudinis corporis ipse Gregorius fuerit: ait enim, dum eamdem eodem laborantem morbo consolatur: De podagræ autem molestia, quā vobis euenisse signastis, & contristatus vehementer sum, & lætatus: lætatus, quia humor noxius inferiora petens, superiora perfecte deseruit: contristatus vero, quia in tam tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Vbi enim caro deest, quæ virtus esse poterit doloribus resistens? Me etenim, quem qualis fuerim nostis, ita amaritudo animi & assidua exacerbatio, atque præter hoc podagræ molestia affecit, vt corpus meum tamquam in sepultura, ita siccatum sit: vnde fit, vt iam de lectulo raro surgere valeam. Si ergo mei molem corporis in tantam ariditatem podagræ dolor redegit; quid de vestro corpore sen-

d Gregor. lib. 9. epist. 38. Ind. 4.

HABITVDO CORPORIS S. GREGORII.

sentiam, quod nimis siccum ante dolores fuit?] hæc Gregorius ad Rusticianam. A

Miserat ista oblationes ad basilicam Apostoli Petri, vela scilicet super eius venerandum sepulchrum ponenda: miserat & eleemosynam ad monasterium sancti Andreæ ab ipso Gregorio Romæ constructum. Sed de his acturi, attende primum Gregorij ad eam rescribentis immensam animi demissionem, cum hæc habet in ipso epistolæ exordio:

GREGORII IMMENSA HVMILITAS.

Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in grauissima ægritudine positum de salute, de deuotione, ac de dulcedine sua omnino releuarunt. Vnum vero ægre suscepi, quia in eisdem epistolis ad me (quod semel esse poterat) sæpius dicebatur, Ancilla vestra, Ancilla vestra. Ego enim, qui per Episcopatus onera seruus sum omnium factus, qua ratione se illa mihi ancillam dicit, cuius ante susceptum Episcopatum propinquus* fui? Et ideo rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis vestris inueniam.] sed de muneribus & eorum delatione ad basilicam sancti Petri ista mox subdit: B

*proprius

RVSTICIANAE OBLATIO AD S. PETRVM MISSA.

Ea autem quæ ex purissimo sinceriss imoq. corde beato Petro Apostolorum principi munera transmisistis, præsente omni clero susceptа, atque illic suspensa sunt. Filius enim meus vir memorandus domnus Symmachus, quia ægrotum me ex podagræ dolore & pene desperatum reperit, scripta vestra mihi dare distulit, & post multum temporis quam vela susceptа sunt, dedit. Postmodum vero in scriptis excellentiæ vestræ inuenimus, vt cum litania ad beati Petri ecclesiam portari debuissent. Quod ideo minime factum est, quia (sicut prædixi) ante vela quam scripta suscepimus. Tamen prædictus vir cum omni familia domus vestræ hoc fecit, quod nos cum clero facere voluistis. Sed etsi voces defuerunt hominum, habet ipsa vestra oblatio apud omnipotentem Deum vocem suam. In eius enim pietate confido, quia cuius corpus vos cooperuistis in terra, eius vos intercessio ab omnibus peccatis proteget in cælo.] Et de eleemosyna facta monasterio S. Andreæ, post C nonnulla, ista subiungit: De eleemosyna vero, quam B. Apostoli Andreæ monasterio fecistis, quid necesse est me aliquid dicere, cum scriptum sit[a]: Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit? &c.] De quo etiam monasterio mira quædam, quæ ijsdem temporibus acciderunt, enarrat, sic dicens:

a Eccl. 9.

Indico autem, quia ob tanta miracula, tanta cura, tanta custodia monachorum in eodem monasterio eiusdem Apostoli est, ac si specialiter Abbas monasterij ipse sit. Nam vt pauca de multis loquar, quæ Abbate ac Præposito monasterij narrantibus agnoui, edi-

MONACHVS FVR ARREPTVS A DAEMONE.

cam. Quadam die duo exinde fratres transmissi sunt, qui aliquid emere pro monasterij vtilitate debuissent: vnus iunior, qui prudentior videbatur: alter senior, qui custos iunioris esset. Perrexerunt vtrique, & de pretio quod acceperunt, ipse qui custos missus fuerat, nesciente altero, de eodem pretio furtum fecit. Qui mox vt ad monasterium sunt reuersi, D atque ante oratorij limen venerunt, arreptus a dæmonio is qui furtum fecerat, cecidit, & vexari cœpit. Dimissus autem a dæmonio, concurrentibus monachis, requisitus est, num forsitan de eo quod acceperat, furtum fecisset? negauit. Iterum vexatus est. Dimissus, atque iterum requisitus negauit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negauit, octo vicibus est vexatus. Post octauam vero negationem, necnon vexationem, confessus est quantos nummos furto abstulerat; & agens pœnitentiam prostratus, se peccasse testatus est. Vlterius vero ad eum dæmonium non accessit.

S. ANDREAS VINDEX INSVRGIT IN FVGAM PARANTEM MONACHVM.

Alio quoque tempore, dum in die natalitio eiusdem Apostoli iam meridianis horis fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, & voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementē, & acclamantem, & a præsentibus E alienum, nihilq. quod foris agi poterat sentientem: eumq. in manibus leuauerunt, atque ante altare sancti Andreæ Apostoli proiecerunt, ipsiq. pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est: quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumq. euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, & eumdem senem pro me rogauerunt: qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia eo die, quo ista pertuli, consilium habueram de eodem monasterio fugere.

Alius quoque monachus discedere ex eodem monasterio latenter voluit. Cumq. hoc mente tractasset, voluit oratorium ingredi; sed statim dæmonio traditus, vehementissime vexatus est. Relinquebatur vero a dæmonio, si extra oratorium stetisset, & nihil patiebatur

A tiebatur aduersi. Si vero conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cumq. hoc sæpius fieret, culpam suam confessus est, quia de monasterio egredi cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres, sese per triduum in precibus astrinxerunt, atque ita curatus est, vt ad eum postmodum numquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem, se eumdem beatum Apostolum, dum vexaretur, vidisse, seq. ab eo increpatum esse, cur de monasterio voluisset abscedere.

Alij quoque duo fratres de eodem monasterio fugerunt, atque aliqua prius colloquendo fratribus signa dederunt, quod per viam Appiam descendentes, Hierosolymam tenderent. Qui exeuntes diuerterunt ab itinere, & vt a sequentibus inueniri minime potuissent, retrusas cryptas iuxta Flaminiam portam inuenientes, in eis sese occultauerunt. Cum vero vespertinis horis requisiti, minime in congregatione inuenti es- FVGITIVI MONACHI QVAESITI ET INVENTI.
B sent: ascensis caballis, eos quidam fratres secuti sunt, per Metroni portam exeuntes, vt eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur. Subito autem eis consilium ortum est, vt eos in Salaria via requirerent. Extra ciuitatem igitur pergentes, deflexerunt iter in Salariam. Eos vero minime inuenientes, per portam Flaminiam decreuerunt reuerti. Cumq. reuerterentur, mox vt equi eorum ante cryptas illas venerunt, in quibus se absconderant, fixerunt gradus: pulsati & compulsi passum mouere non potuerunt. Considerauerunt monachi rem talem sine mysterio esse non posse. Attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus missa maceria damnatos: sed caballis eorum nusquam euntibus, descenderunt. Deposuerunt lapides, qui in ore cryptarum positi fuerant: ingressi sunt, eosq. in ijsdem tenebrosis latibulis terræ consternatos inuenerunt. Qui ad monasterium reducti, ex eodem miraculo ita sunt meliorati, vt eis multum profuerit ad parum temporis
C de monasterio fugisse. *Hæc dixi, vt excellentiæ vestræ innotesceret cuius oratorio eleemosynam feciſtis.*] hucusque Gregorius. Perseuerasse etiam ad sua vsque tempora, vt miracula ingentia in eodem loco Deus operaretur, Ioannes diaconus testatur, qui nonnulla ex eis scribit.

Cum autem adeo (vt vidisti) Gregorius laboraret corporis morbis, nihil tamen reperitur remisisse curæ pastoralis, prospiciens cunctis, in omnibus vigilans & laborans. Hoc namque anno collegit Synodum Episcoporum, in qua ante suæ vitæ exitum, quem proxime imminere ob iugem corporis malam valetudinem sentiebat, voluit consulere monachorum quieti & indemnitati, probe sciens ipse iam antea monachus id expertus, quantas interdum solerent ab Episcopis monachi molestias pati. Sic igitur collectis Epi-
D scopis viginti, presbyteris pariter atque diaconis Cardinalibus, Nonis Aprilis pro monachis edidit decretum, quod appellari consueuerat Constitutum. Desideratur illud quidem inter opera ipsius; sed inuentum a nobis in bibliotheca Vaticana, hic tibi describendum putauimus, nefas existimantes vel apicem scriptorum & decretorum tanti Pontificis sinere latere obliuione sepultum. Est autem huiusmodi:

Gregorius Episcopus omnibus Episcopis.

Quam sit necessarium monasteriorũ quieti conspicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine cœnobij exhibuimus, informat. Et GREG. CONSTITVTVM PRO MONACHIS.
quia in plurimis monasterijs multa a Præsulibus præiudicia atque grauamina monachos pertulisse cognoscimus: oportet vt vestræ fraternitatis prouisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conuersantes in illis, in Dei seruitio, gratia ipsius suffragante, libere perseuerent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine
E quisquam monachis quicquam molestiæ præsumat inferre: necesse est, vt hæc quæ inferius enumerare curauimus, ita studio fraternitatis Episcopi * debeant custodire, vt ex eis non possit vlterius inquietudinis occasio reperiri. * Episcoporum

Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis, cuius vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, prohibemus, vt nullus Episcoporum aut sæcularium vltra præsumat de reditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Si qua causa forte inter terram venientem ad partem suarum ecclesiarum & monasteriorum euenerit, & pacifice non potuit ordinari: apud electos Abbates & alios Patres timentes Dominum, siue voluntaria delatione, medijs sacrosanctis Euangelijs finiatur.

Defuncto autem Abbate cuiusque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem

dem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit: A
& qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si ipsi inter se
personam inuenire nequeant, solerter sibi curent de alijs monasterijs similiter ordinan-
dum. Neque constituto Abbate, quæcumque persona qualibet occasione præponatur,
nisi forte extantibus (quod absit) criminibus, quæ sacri canones punire monstrantur.

Pariter autem custodiendum est, vt inuito Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut
ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Descri-
ptiones quoque rerum & chartarum monasterij ab Episcopo Ecclesiasticas fieri omnino
vetamus: sed si quando res exigit, Abbas loci cum alijs fratribus causas rerum inuenta-
rum faciat, & eorum consilio & iudicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in
describendis prouidendisq. rebus monasterij acquisitis, vel datis perquirendis nullatenus
se permisceat. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in B
seruorum Dei receptibus & eorum receptaculis vlla popularis præbeatur occasio conuen-
tus, vel mulierum fiat nouus introitus, quod omnino nec expedit animabus eorum. Ne-
que audeat ibi cathedram collocare, vel quantalibet potestatem habere imperandi,
nec aliquam ordinationem quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit ro-
gatus: quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate. Nullumq. mo-
nachum sine testimonio vel concessione Abbatis in aliqua ecclesia teneat, vel ad ali-
quem promoueat honorem.

Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Episcopis
firmam statuimus illibatamq. seruari, vt & suæ Ecclesiæ iuuante Domino tantummodo
iure contenti, & monasteria Ecclesiasticis conditionibus, seu angarijs, vel quibuslibet
obsequijs sæcularibus nullo modo subiaceant, nullis canonicis iuribus deseruiant, sed re- C
motis vexationibus in cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa animi deuotione
perficiant.] hactenus Gregorij Constitutum.

Vniuersi Episcopi respondere: Libertati monachorum congaudemus, & quæ nunc de
his statuit beatitudo vestra, firmamus.] Sequuntur ista omnia subscriptiones, & primo
loco eiusdem Pontificis hoc modo:

Gregorius Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic Constituto a
nobis promulgato subscripsi.

Agnellus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Ferentinensis huic Constituto a vobis promulga-
to subscripsi.

Humilis Episcopus Belitrensis huic Constituto a vobis promulgato subscripsi: & sic
alij omnes Episcopi numero viginti, quatuordecim presbyteri, & diaconi quatuor, die D
Nonas Aprilis, Indictione quarta.] Hactenus de Constituto in Synodo habito, adnitente
Gregorio Papa consulere monachorum quieti.

At non publica tantum, sed & priuata curauit, subleuans eos quos sciret calumniam
passos, vt fieri contigit hoc pariter anno cum sorore Imperatoris, quam vndique op-
pressam accusationibus sic defendere studuit, vt tamen eam ad pœnitentiam prouocaret.
Quod enim litteris Theotistæ Patriciæ sororis (vt diximus) Imperatoris, Constantino-
poli scribentis, certior factus esset, pati ipsam calumniam de prauis & hæreticis quibus-
dam opinionibus: eamdem, vt ipsa se purgaret, admonuit[a]. Quatuor itaque capitibus
eam obnoxiam affirmabant, quæ ipse Gregorius confutat. At cum de his rumores iam
diu antea emersissent, quibus & nonnulli calumniose fuerant accusati: inde accidit, vt
& calumniam de his pati ipsam Gregorius putaret, vel credere id fortasse dissimularet, E
vt eam ad pœnitentiam absque opprobrio perducere posset. Audi ergo peritum agricolam
& zizania euellentem, & segetem conseruantem, dum damnat errores, & errantes ab eis-
dem immunes seruat: nam ad eam hæc scribit inter alia:

THEOTISTA SOROR IMP. IN SVSPICIONEM HAERESIS ADDVCTA.

[a] *Gregor. lib. 9. epist. 39. Ind. 4.*

Ad me etenim (sicut nostis) cum apud vestigia dominorum in regia vrbe demorarer,
multi ex eis venire consueuerant, qui de prædictis capitulis accusabantur. Sed teste con-
scientia fateor, numquam in eis aliquid erroris, aliquid prauitatis, aliquid de his quæ
contra eos dicebantur inueni. Vnde & eos, opinione contempta, familiariter susceipere,
& magis ab insequentibus defendere curabam. Dicebatur namque contra eos, quia sub
obtentu religionis coniugia soluerent, & quia dicerent quod baptisma peccata penitus
non auferret: & si de iniquitatibus suis quis in trienniũ pœnitentiam ageret, postmodum
ei peruerse viuere liceret: & quia si compulsi aliquid, de quibus reprehendebantur, ana-

DE QVATVOR ERRORVM CAPITIBVS.

thema-

A thematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri.] hæc sunt quatuor errorum capita, quæ ipsi Theotistæ impingebantur: quam cum excuset S. Gregorius, ipsam tamen secreto ea abiurare atque iuramento se purgare debere suadet. ait enim superius in eadem epistola: Priores eorum sponte vobis secreto vocandi sunt, atque ipsis ratio reddenda, & peruersa quædam capitula, quæ tenere vos existimant, coram ipsis anathematizanda. Quod si etiam (sicut dicitur) dari a vobis anathema ficte suspicantur; etiam iureiurando firmandum est, vos numquam eadem capitula tenere, numquam tenuisse. Nec vobis indignum videatur tali eis modo satisfacere, nec de Imperiali genere sit contra eos aliquod in mente vestra fastidium: omnes etenim fratres sumus.] docet autem, non dedignari debere quoslibet potentes rationem de se petentibus reddere.

Vbi vero Gregorius valide satis eiusmodi absque fundamẽtis erectas diaboli machinas
B veritate Catholica disiecit: eos qui Ecclesiæ nihili ducerent anathema, anathematizans ac damnans, hæc ait: Si vero sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate si anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur: ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt. Quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ varijs se existimant conatibus soluere; ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat Fidelibus, veram putant, si ligaturas eius veras esse atque valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est; quia despiciendi per omnia & anathematizandi sunt: vt vnde veritatẽ fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur. Si qui sunt igitur qui sub nomine Christiano hæc quæ prædiximus errorũ capitula aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, hos proculdubio & anathematizauimus & anathematizamus.] fuisse autẽ in eiusmodi erroribus semina quædam Priscillianistarum hæresis, si quis recte consideret, intelliget.

IN CONTEMPTORES EXCOMMVNICATIONIS.

C Ad postremum vero hæc de indiscreta habet inquisitione quorumdam: Quia sunt multi Fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & sæpe dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt: eorum infirmitati consulendum est, & sicut prædixi, ratione & mansuetudine sunt placandi. Illis quippe sunt similes, de quibus scriptum est[a]: Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Vestra itaque excellentia, quæ in lectione, in lacrymis, atque in eleemosynis incessabiliter viuit, eorum (sicut petij) imperitiam placare mansuetis exhortationibus ac responsionibus debet, vt non solum de semetipsa, sed etiam de illis gloriam æternæ retributionis inueniat.] hæc Gregorius: ex cuius dictis illud obserua, quod licet Theotistam ipsam passam calumniam æstimare se pluribus dicat, vult tamen ipsam eosdem anathematizare errores obiectos, atque se iuramento purgare, feminam alioqui religiosissimam habitam, ab ipsoq.

[a] Rom. 10.

QVISQVE SATISFACERE TENETVR DE FIDE QVAM SEQVITVR.

D Gregorio sæpe laudatam. Nam præter ea quæ de eadem alijs superioribus litteris summis laudibus prædicauit, in hac modo data epistola ista habet: Magnas omnipotenti Deo gratias agere debemus, quod pijssimi & benignissimi Imperatores nostri tales de suo genere iuxta se propinquos habent, de quorum conuersatione nobis omnibus grande sit gaudium.] ita quidem enituisse sanctitate eximia affines & consanguineas, ipsasq. filias Mauritij Imperatoris, quæ ad finem eius Imperij dicenda erunt, facient manifestum.

Quod rursus ad Orientales res pertinet, hoc anno defuncto Amos Hierosolymorum Episcopo, subrogatus est in locum eius Esychius: qui more maiorum, vt Catholicæ & Apostolicæ communionis particeps fieret, misit suæ fidei professionem Romam ad sanctum Gregorium Papam; qui ea accepta, & Catholica cognita atque laudata, ad ipsum litteras reddidit, in quibus hæc inter alia[b]: In huius itaque arcæ *mysticæ Noe* ædificaE tione vos currere, relecta fraternitatis vestræ epistola, rectæ fidei compage gaudemus: magnasq. omnipotenti Deo gratias exoluimus, qui & immutatis gregis sui pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit.] & post nonnulla: Tua ergo fraternitas spiritaliter edocta rectam per omnia fidem percolit; & quæ quærenda erant, subtiliter enarrauit. Fides itaque vestra, fides est nostra. Ea tenemus, quæ dicitis: ea dicimus, quæ tenetis.] At de moribus quæ corrigenda sint admonet, subdens: Quia vero peruenit ad nos, in Orientis Ecclesijs nullum ad sacrũ ordinem nisi ex præmiorũ datione peruenire: si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, vt a subiectis sibi Ecclesijs errorem Simoniacæ hæreseos compescat. Nam (vt alia taceam) quales esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hos non merito, sed præmio prouehuntur? &c.] plura subdens in detestationem erroris ac sceleris.

ESYCHIVS EPISCOPVS HIEROSOLYM.

[b] Gregor. lib. 9. epist. 40. Ind. 40.

Vix credi potest, quantum hoc tempore in vniuerso orbe eiusmodi labe Ecclesia Dei

VIGET SIMONIACA HAERESIS IN GALLIIS.

inquinaretur: qui enim hoc anno id aduersus Orientales exclamat, aduersus quoque Occidentales vociferatur: etenim quos sæpe monuerat & redarguerat Gallicanos Episcopos, atque ipsos Francorum Reges sinentes eiusmodi vepribus repleri agrũ Dominicum, eosq. non extirpantes, hoc itẽ anno aduersus eosdem querelas repetit, instans opportune & importune. Extant de his ab ipso Gregorio scriptæ litteræ [a] ad Primatẽ Galliarum Arelatensem Episcopũ Virgilium: vbi ingemiscens, quod quæ est idolorum seruitus & cultus, in Dei Ecclesiam introducta esset, auaritia scilicet, quæ nec se abstineret a sacris, vt in aurum cuncta conuerteret, ita exclamat: Proh nefas! manus illicito munere polluit, & alios se benedictione credit erigere, cum ipse iam sit propria iniquitate substratus, & sua nihilominus ambitione captiuus. Huius ergo mali rapacitas quia arcem vestræ mentis numquam intrauit, & innoxias habere vos manus de ordinationibus perhibetis, omnipotenti Deo gratias agite, & tanto vos Dei debitores esse cognoscite, quanto illæsi ab huius morbi contagione, eo custodiente, mansistis. Sed hæc vobis minus quam poterant bona proficiunt, si hæc & in alijs solicite non vetatis. Sicut enim in te istud tibi malum displicuit, ita hoc & in fratre cum dolore zelare debueras, &c.] monet vt Synodum cogat, & scelus tollat. Scribit id ipsum ad Aetherium [b] Episcopum Lugdunensem, petitq. ab eo scripta S. Irenæi diu quæsita & non inuenta. Vbi vero eodem argumento de Simonia tollenda litteras scripsit [c] ad Desiderium Episcopum Viennensem, eumdem redarguit, quod Grammaticam quosdam doceret, nefas ducens Episcopum in eiusmodi litterarum studijs immorari.

[a] *Gregor. lib. 9. epist. 49. Ind. 4.*

[b] *Gregor. lib. 9. epist. 50. Ind. 4.*

[c] *Idem lib. 9. epist. 48. Ind. 4.*

AGIT CVM EPISCOPIS ET REGIBVS FRANC. PRO EXTIRPANDA SIMONIA.

Insuper de extirpanda Simonia ad singulos Francorum Reges Theodoricum, Theodobertum, atque Clotharium litteras dedit [d], & ob eam causam cogendam esse Synodum monuit, addiditq. alias ad Brunichildem eorum auiam Reginam Francorum. Hanc vero moderantem regni habenas instantius vrget his verbis: Facite quod Dei est, & Deus faciet quod vestrum est. Itaque Synodum congregari præcipite, & peccatum Simoniacæ hæresis de regno vestro inter alia (sicut antea scripsimus) definitione Concilij studiosius prohibete. Sacrificium Deo, deuicto interiori hoste, offerte: vt exteriores aduersarios, ipso adiuuante, vincatis: vt quale vos contra inimicos ipsius studium gesseritis, talem illum in vestro iuuamine sentiatis. Mihi autem credite, quia (sicut iam experimento multorum didicimus) in damno expenditur, quicquid cum peccato congregatur. Si vultis igitur nihil iniuste perdere, summopere studete per iniustitiam nihil habere. In terrenis etenim rebus semper causa damni est origo peccati.

[d] *Idem lib. 9. epist. 53. 54. 55. 57. Ind. 4.*

Vos itaque si eminere aduersantibus gentibus vultis, si earum auctore Deo victrices existere festinatis, eiusdem omnipotentis Domini cum tremore præcepta suscipite, vt ipse pro vobis contra aduersarios vestros pugnare dignetur, qui per sacrum eloquium pollicitus est, dicens: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.] hactenus Gregorius ad Brunichildem dierum malorum inueteratam Reginam, quæ cum non cognouerit tempus vocationis suæ, facta est, vleiscente numine, posteris exemplum summæ calamitatis, vt suo loco dicturi sumus. Sed accipe quid de eadem Simonia vigente sub Brunichilde scribat sanctus Audoenus Episcopus Rhotomagensis in Eligio: Illis diebus immaniter Simoniaca hæresis pullulabat in vrbibus & in cunctis finibus regni Francorum, maximeq. a temporibus Brunichildis infelicissimæ Reginæ vsque ad tempora Dagoberti Regis violabat hoc contagium fidem Catholicam.] Vigebat hoc tempore & viguit hæc pestis, donec tandem opera sancti Eligij & Audoeni ipsius per Dagobertum Regem compressa est.

Rursum vero quod & præter Simoniacam labem praui mores vbique Galliarum sacerdotes infecerant, omnisq. ipsis regnantibus vitijs disciplina Ecclesiastica conticesceret, instat iterum S. Gregorius, pulsat denuo, & vehementius clamat, ad eamdem Brunichildem, vtpote malorum omnium fontem, ista scribens [e]:

[e] *Gregor. lib. 9. epist. 64. Ind. 4.*

DE PRAVIS MORIBVS SACERDOTVM CORRIGENDIS.

Cum scriptum sit, Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum: tunc regnum stabiliri creditur, cum culpa, quæ cognoscitur, citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione peruenit (quod dicere sine afflictione cordis nimia nõ valemus) ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudice ac nequiter conuersari, vt & audire nobis opprobriũ, & lamentabile sit referre. Ne ergo postquã huius nequitiæ hucusque se tetendit opinio, aliena prauitas aut nostram animã, aut regnum vestrũ peccati sui iaculo feriat: ardenter ad hæc debemus vleiscenda consurgere, ne paucorũ facinus multorum possit esse perditio. Nã causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim populi se peccatis intercessor obijciat, si sacerdos, qui exorare debuerat, grauiora committat? Sed quoniam eos, quorum

est

A est locus hæc insequi, nec solicitudo ad requisitionē, nec zelus excitat ad vindictam: scripta ad nos vestra discurrant, vt personam (si præcipitis) cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ vna cum alijs sacerdotibus hæc & subtiliter quærere, & secundum Deum debeat emendare.] Cogitasse namque Gregorium ad eos mittere Augustinum Anglorum Episcopum, ipsius epistolæ quæ extant apud Bedam [a] fidem faciunt. Pergit vero: Nec enim sunt dissimulanda quæ dicimus: quia qui emendare potest & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Prouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus, quos cupitis regnare feliciter, prouidete prouincijs; & priusquam Creator noster manū suam ad feriendum excutiat, de correctione huius sceleris studiosissime cogitate, ne tanto postmodum acrius feriat, quanto modo diutius & clementer expectat. Scitote autem, quod Deo nostro magnum sacrificium placationis offertis, si tanti labē facinoris de
B vestris citius finibus amputatis.] hæc ad Brunichildem Gregorius: & quidem verissimus vates inuentus fuit. Factum est enim, vt cum ista contemneret, & regnum ipse Deus ademerit duobus nepotibus, & ipsa infamissime perierit: sed de his suo loco. Quod autem absens sanctus Gregorius per litteras fecit, hoc præsens operatus est S. Columbanus sæpe redarguens Brunichildem, vt ex rebus ab eo gestis fideliter scriptis apparet, de quibus inferius.

Hoc eodem anno Augustinus ad Arelatensem Antistitem venit, vt ab eo, secundum S. Gregorij iussionē, ordinaretur Episcopus: quo reuerso in Britanniam, mox (vt ait Beda [b]) quidam ex ijs qui cum ipso Augustino in Angliam missi fuerant, ab eodem Romam cū litteris suis redire iussi sunt ad S. Gregorium, vt ab eo maior numerus verbū Dei annunciantium illuc mitteretur. Quinam autem fuerint qui in Vrbem sunt regressi, declarat ipse Gregorius in epistola [c] ad Reginam Anglorum data, nempe fuisse Laurentium, atque Petrum.
C Gregorius vero, *ijs acceptis litteris*, non defuit officio, vt petitio Augustini consequeretur effectum. Quamobrem vna cum Petro atque Laurentio alios dirigit. De quibus Beda: *Misit*, inquit, cum præfatis legatarijs suis complures cooperatores ac verbi ministros, in quibus primi & præcipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, Ruffinianus: & per eos generaliter vniuersa quæ ad cultum erant & ministerium ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamentaq. ecclesiarum, & sacerdotalia vel clericalia indumenta, sanctorum etiam Apostolorum ac martyrum reliquias, necnon codices plurimos.] His etiam in Gallias ad Regem Francorum litteras [d] dedit commendaticias, ad Clotharium videlicet, Brunichildem, Theodoricum, & Theodobertum Francorum Reges; commendauitq. [e] eosdem Episcopis Virgilio Arelatensi, Mennæ Tolosano, & Aetherio Lugdunensi. Reddidit pariter Gregorius litteras ad Augustinum Anglorum Apostolum,
D his congratulatus ipsi verbis, ipso epistolæ exordio [f]:

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia granum frumenti mortuum cadens in terram, multum fructum attulit, ne solum regnaret in cælo, cuius morte viuimus, cuius infirmitate roboramur, cuius passione a passione eripimur; cuius amore in Britannia fratres quærimus, quos ignorabamus; cuius munere, quos nescientes quærebamus, inuenimus. Quis autem narrare sufficiat, quanta hic lætitia in omnium corde Fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante Dei omnipotentis gratia, & tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctæ fidei luce perfusa est: quod mente & deuotione integerrima iam calcat idola, quibus prius vesano timore subiacebat: quod omnipotenti Deo puro corde substernitur: quod a praui operis lapsibus sanctæ prædicationis regulis ligatur: quod præceptis diuinis animo subiacet, & intellectu subleuatur: quod
E vsque ad terram se in oratione humiliat, ne mente iaceat in terra? Cuius hoc opus est, nisi eius qui ait: Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor? Qui vt mundū ostenderet non sapientia hominum, sed sua se virtute conuertere, prædicatores suos, quos in mundum misit, sine litteris elegit: hoc etiam modo faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus est per infirmos operari.] Reddens vero causam, ipsum Augustinū, ne ob tam grandia facta inflaretur, vt humiliter de se sentiat monet, ista subdens: Sed est in isto dono cælesti, frater carissime, quod cū magno gaudio vehemētissime debeat formidari. Scio enim, quod omnipotens Deus per dilectionē tuam in gente quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Vnde necesse est, vt de eodem dono cælesti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas vero, ne inter signa quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se eleuet, & vnde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat.] hæc & alia prouidus architectus, studens illæsa, quibus moles erigitur, instru-

[a] *Bed. lib. 1. c. 28.*

ERVNICHILDEM DENVO MONET S. GREGORIVS.

[b] *Beda lib. 1. c. 27.*

[c] *Beda lib. 1. c. 29.*

[d] *Gregor. lib. 9. epist. 55. 56. & supra 53. 54.*

[e] *Gregor. lib. 9. epist. 49. 50. 52.*

[f] *Idem lib. 9. epist. 58. Ind. 4.*

GRATVLATVR AVGVSTINO GREGORIVS.

menta ſeruare. Scripſit pariter ad Aldiberthum Anglorum Regem gratulatorias litteras A
de ipſius ex dæmonum cultu ad veram Chriſti fidem conuerſione; quas hic reddi inte-
gras, dignitas argumenti poſtulat atque perſonæ: ſic enim ſe habent[a]:

[a] Gregor. lib. 9. epiſt. 60. Ind. 4.

LITTERAE S. GREGORII AD REGEM ANGLORVM.

Propter hoc omnipotens Deus bonos quoſque ad populorum regimina perducit, vt per
eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona ſuæ pietatis impendat. Quod in Anglorũ gen-
te factum cognouimus, cui veſtra gloria idcirco præpoſita eſt, vt per bona quæ vobis con-
ceſſa ſunt, etiam ſubiectæ vobis genti ſuperna beneficia præſtarentur. Et ideo, glorioſe
fili, eam quam accepiſti diuinitus gratiam ſolicita mente cuſtodi: Chriſtianam fidem
in populis tibi ſubditis extendere feſtina: zelum rectitudinis tuæ in eorum conuerſione
multiplica: idolorum cultus inſequere, fanorum ædificia euerte, ſubditorum mentes*
in magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis
exempla monſtrando ædifica: vt illum retributorem inuenias in cælo, cuius nomen atque B
cognitionem dilataueris in terra. Ipſe enim veſtræ quoque gloriæ nomen etiam poſteris
glorioſius reddet, cuius vos honorem quæritis & ſeruatis in gentibus. Sic enim Conſtan-
tinus quondam pijſſimus Imperator Romanam Rempublicam a peruerſis idolorum culti-
bus reuocans, omnipotenti Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto ſecum ſubdidit, ſeq. cum ſub-
iectis populis tota ad Deum mente conuertit. Vnde factum eſt, vt antiquorum nomen
Principum ſuis vir ille laudibus vinceret, & tanto in opinione prædeceſſores ſuos, quanto
& in bono opere ſuperaret. Et nunc itaque veſtra gloria cognitionem vnius Dei Patris
& Filij & Spiritus ſancti Regibus ac populis ſibimet ſubiectis feſtinet infundere, vt &
antiquos gentis ſuæ Reges laudibus ac meritis tranſeat, & quanto in ſubiectis ſuis aliena
peccata deterſerit, tanto etiam de peccatis proprijs ante omnipotentis Dei terribile exa-
men ſecurior fiat. C

* mores

Reuerendiſſimus autem frater noſter Auguſtinus Epiſcopus in monaſterij regula do-
ctus, ſacræ Scripturæ ſcientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque vos
admonet, libenter audite, deuote peragite, ſtudioſe in memoria reſeruate: quia ſi vos eum
in eo quod pro omnipotente Deo loquitur auditis, idem omnipotens Deus hunc pro vo-
bis exorantẽ celerius exaudiet. Si enim (quod abſit) verba eius poſtponitis; quando eum
omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota
igitur mente cum eo vos in feruore fidei ſtringite, atque adniſum illius, virtute quam
vobis Diuinitas tribuit, adiuuate: vt regni ſui vos ipſe faciat eſſe participes, cuius vos fi-
dem in regno veſtro recipitis & facitis cuſtodiri. Præterea ſcire veſtram gloriam volu-
mus, quia ſicut in Scriptura ſacra ex verbis Domini omnipotentis agnoſcimus, præſen-
tis mundi iam terminus iuxta eſt, & ſanctorum regnum venturum eſt, quod nullo vm- D
quam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa im-
minent quæ ante non fuerunt, videlicet, immutationes aeris, terroresq. de cælo, & contra
ordinem temporum tempeſtates, bella, fames, peſtilentiæ, terræmotus per loca: quæ ta-
men non omnia noſtris diebus ventura ſunt, ſed poſt noſtros dies omnia ſubſequentur.

Vos itaque ſi qua ex his euenire in terra veſtra cognoſcitis, nullo modo veſtrum ani-
mum perturbetis: quia idcirco hæc ſigna de fine ſæculi præmittuntur, vt de animabus
noſtris debeamus eſſe ſoliciti, de mortis hora ſuſpecti, vt venturo Iudici in bonis acti-
bus inueniamur præparati.] Iſta quidem Gregorius (vt etiam ſuperius dictum eſt) quod
ob excreſcentia ſupra modum peccata atque flagella, prædictum a Domino prope eſſe
eius putaret aduentum: quem cum ipſe Deus nemini voluerit fieri manifeſtum, & Eccle-
ſia Dei, ipſius Chriſti admonitione aſsidue rogare ſit iuſſa, vt adueniat regnum illius: E
haud leuitatis arguendi ſunt Patres, qui ſuis ſæculis prope adeſſe mundi finem exiſtima-
runt: ſicut nemo prudens ac pius dixerit, leuitatis eſſe redarguendos Apoſtolos, ſi qui
ipſorum ſua ætate id euenturum videntur exiſtimaſſe, prænunciantes futuros aliquando
homines poſt ſuas ambulantes conſcientias, iſta omnia deriſuros; monentes econtra Fi-
deles, vt vigiles in bonis operibus inuenirentur: ad quos Petrus[b] de his agens: Cum igitur
hæc omnia diſſoluenda ſint; quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pie-
tatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, &c.] Demum vero Gre-
gorius his claudit epiſtolam:

DIES IVDICII PROXIMA SEMPER A SANCTIS CREDITA.

[b] 2. Petr. 3.

Hæc nunc, glorioſe fili, paucis locutus ſum, vt cum Chriſtiana fides in regno ve-
ſtro excreuerit, noſtra quoque apud vos locutio latior excreſcat, & tanto plus loqui li-
beat, quanto ſe in mente veſtra gaudia de gentis veſtræ perfecta conuerſione multipli-
cant. Parua autem xenia tranſmiſi, quæ vobis parua non erunt, cum a nobis ex beati

Petri

A Petri Apostoli fuerint benedictione suscepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam coepit, custodiat atque perficiat, atque & hic vitam vestram per multorum annorum curricula extendat, & post longa tempora in cælestis patriæ congregatione suscipiat.] huculque ad Regem Anglorum Gregorius. Recitatur hæc ipsa epistola a Beda in historia eiusdem gentis Anglorum: sed cum data ponatur anno decimonono Mauritij Imp. errore id factum apparet: nam hoc anno ea scripta esse monstratur ex Indictionis quartæ nota ibidem posita. Ad Aldibergam autē Reginam eius coniugem ista idē S. Gregorius [a]:

[a] *Gregor. lib. 9. epist. 59. Ind. 4.*

Qui post terrenam potestatem regni cælestis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum Creatori suo debet enixius laborare, vt ad ea quæ desiderat, operationis suæ gradibus possit ascendere, sicut vos fecisse gaudemus. Remeantes igitur dilectissimus filius noster Laurentius presbyter & Petrus monachus, qualis erga reuerendissimum fratrem & B coepiscopum nostrū Augustinum gloria vestra extiterit, quantaq. illis solatia vel qualem charitatem impenderit, retulerunt. Et omnipotentem Deum benediximus, qui conuersionem gentis Anglorum mercedi vestræ dignatus est propitius reseruare. Nam sicut per recordandæ memoriæ Helenam matrem pijssimi Constantini Imperatoris ad Christianam fidem corda Romanorum accendit, ita & per gloriæ vestræ studium in Anglorum gentem eius misericordiam confidimus operari. Et quidem iamdudum glorioſi filij nostri, coniugis vestri animos prudentiæ vestræ bono, sicut re vera Christianæ, debuistis inflectere, vt pro regni & animæ suæ salute *fidem* quam colitis sequeretur: quatenus & de eo & per eum de totius gentis conuersione digna vobis in cælestibus gaudijs retributio nasceretur. Nam postquam (sicut diximus) & recta fide gloria vestra munita & litteris docta est, hoc vobis nec tardum, nec debuit esse difficile.

AD ALDIBERGAM ANGLORVM REGINAM EPIST.

C Et quoniam Deo volente, aptum nunc tempus est: agite, vt diuina gratia cooperante, cum augmento *possitis*, quod neglectum est, reparare. Itaque mentem glorioſi coniugis vestri *in dilectione* Christianæ fidei adhortatione assidua roborate: vestra illi solicitudo augmentum in Deum amoris infundat, atque ita animos eius etiā pro subiectæ sibi gentis plenissima conuersione succendat, vt & magnum omnipotenti Domino de deuotionis suæ studio sacrificium offeratis, & ea quæ de vobis narrata sunt, crescant, & vera esse modis omnibus approbentur: quia bona vestra non solum iam apud Romanos, qui pro vita vestra fortius orauerunt, sed etiam per diuersa loca & vsque Constantinopolim ad sereniſſimum Principem peruenerunt: vt sicut nobis de Christianitatis vestræ solatijs lætitia facta est, ita quoque de perfecta operatione vestra Angelis fiat gaudium in cælis. Sic vos in adiutorio supradicti reuerendissimi fratris & coepiscopi nostri, & seruorum Dei, quos D illuc misimus, in conuersione gentis vestræ deuote ac totis viribus exhibete, vt & hic feliciter cum glorioso filio nostro coniuge vestro regnetis, & post longa annorum tempora futuræ quoque vitæ gaudia, quæ finem habere nescIunt, capiatis. Oramus autem omnipotentem Deum, vt gloriæ vestræ cor & ad operanda quæ diximus gratiæ suæ igne succendat, & æternæ mercedis fructum vobis de placita sibi operatione concedat.] ista ad Reginam Anglorum Gregorius.

Quod autem in litteris ad Regem datis monuerat eum vt idolorum templa destrueret: hæc, vt sibi visus est, in melius correxit, scribens ad Mellitum Abbatem his verbis [b]:

[b] *Apud Bedam lib. 1. hist. Anglor. c. 30. & Gregor. lib. 9. epist. 71.*

Dilectissimo filio Mellito Abbati Gregorius seruus seruorum Dei.

Post discessum congregationis nostræ, quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cum vero vos Deus omnipotens E ad reuerendissimum virum fatrem nostrum Augustinum coepiscopum perduxerit, dicite ei, quod diu mecum de causa Anglorum cogitans tractaui: videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in ijsdem fanis aspergatur, altaria destruantur, reliquiæ ponantur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est vt a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari: vt dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens & adorans, ad loca quæ consueuit, familiarius concurrat. Et quia boues solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, vt die dedicationis vel natalitio sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa eadem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solemnitatem celebrent, nec diabolo iam animalia immolent, sed ad

GREGORIVS MVTAT SENTENTIAM DE TEMPLIS IDOLORVM.

RITVS GENTILICII AD PIETATEM CONVERTENDI.

laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias re- A
ferant: vt dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant: nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse, non dubium est. Quia is qui locum summum ascendere nititur, necesse est vt gradibus, vel passibus, non autem saltibus eleuetur. Sic Israelitico populo in Aegypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum vsus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reseruauit, vt eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet: quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: vt etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueuerant, verumtamen Deo hæc & non idolis immolantes, iam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, vt ipse in præsenti illic positus perpendat, qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime fili. Data die decimaquinta Kalendarum Iuliarum, imperante, &c. Indictione quarta.] B

Quo pariter anno, cum per eosdem quos Augustinus ad Gregorium miserat, consuluisset ipsum de nonnullis ad Episcopale officium pertinentibus in administratione Ecclesiæ Anglicanæ: Gregorius ad consultationes eius singulas respondens, decretalem epistolam scripsit, quæ licet vltimo loco epistolarum eius sit posita, hic tamen est collocanda restificatione Bedæ, qui ipsam vna cum alijs litteris quarta Indictione datam affirmat [a]: tu eam prolixam nimis, si libet, consule.

a Beda lib. 1. hist. Angl. c. 27.

Tunc etiam post dies quinque, auctore Beda, apparet eumdem sanctum Gregorium misisse pallium ad sanctum Augustinum, iunctis his litteris [b]:

b Apud Bedam lib. 1. histor. Angl. c. 29.

Reuerendissimo ac sanctissimo fratri Augustino coepiscopo Gregorius seruus seruorum Dei.

Cum certum sit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia C
reseruari: nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere, vt spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia noua Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante, perducta est: vsum tibi pallij in ea ad sola Missarum solemnia agenda concedimus: ita vt per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ subiaceant ditioni, quatenus Londonienſis ciuitatis Episcopus semper in posterum a Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & Apostolica, cui Deo auctore deseruio, sede percipiat. Ad Eboracum vero ciuitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse iudicaueris ordinare: ita dumtaxat, vt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipsa quoque duodecim Episcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere, fauente Domino, disponimus, quem tamen D
tuæ fraternitatis volumus dispositioni subiacere. Post obitum vero tuum, ita Episcopis, quos ordinauerit, præsit, vt Londonienſis Episcopi nullo modo ditioni subiaceat.

PALLIVM MITTIT GREG. AD AVGVSTINVM, ET EPISCOPATVS DESIGNAT.

Sit vero inter Londonienſis & Eboracenſis ciuitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem consilio, concordiq. actione, quæ sunt pro Christi zelo agẽda, disponant vnanimiter, recte sentiant, & ea quæ senserint, non sibimet diserepando perficiant. Tua vero fraternitas non solum eos Episcopos quos ordinauit, neque eos tantummodo qui Eboraci per Episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Deo Domino nostro Iesu Christo auctore, subiectos: quatenus ex lingua & vita tuæ sanctitatis & recte credendi & bene viuendi normam percipiant, atque officium suum fide ac moribus exequentes, ad cælestia, cum Dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumem custodiat, reue- E
rendissime frater. Data die decima Kalendarum Iuliarum, Mauritio &c. Indictione quarta.]

Quæ autem dona miserit sanctus Gregorius ad Augustinum per eos quos hoc anno in Angliam dimisit, Beda recenset his verbis [c]: Per eos generaliter vniuersa quæ ad cultum erant ac ministerium ecclesiæ necessaria misit, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamenta quoque ecclesiarum, & sacerdotalia & clericalia indumenta, sanctorum etiam Apostolorum ac martyrum reliquias, necnon & codices plurimos; misit etiam litteras, quibus significat se ei pallium direxisse, &c.] Quid autem, vbi hæc omnia Augustinus accepisset, fecerit, ab eodem Beda audi, cum ait [d]:

c Beda lib. 1. hist. Angl. c. 29.

d Beda lib. 1. c. 33.

At Augustinus vbi in regia ciuitate sedem Episcopalem (vt prædiximus) accepit; recuperauit in ea, regio fultus adminiculo, ecclesiam, quam ibi Romanorum antiquorum fideli

A fideli opere factam fuisse didicerat, & eam in nomine sancti Saluatoris Dei & Domini nostri Iesu Christi sacrauit, atque ibidem sibi habitationem statuit & cunctis successoribus suis. Fecit autem monasterium non longe ab ipsa ciuitate ad Orientem, in quo eius hortatu Edilberthus ecclesiam beatorum Apostolorũ Petri & Pauli a fundamentis construxit ac diuersis donis ditauit, in qua & ipsius Augustini & omnium Episcoporum Dorouernensium simul & Regum Cantij poni corpora possent: quam tamen ecclesiam non ipse Augustinus, sed successor eius Laurentius consecrauit. Primus autem eius monasterij Abbas Petrus presbyter fuit, qui legatus in Galliam missus, demersus est in sinu maris qui vocatur Amplear, & ab incolis loci ignobiliter traditur sepulturæ. Sed omnipotens Deus, vt qualis meriti vir fuerit, demonstraret, omni nocte supra sepulchrum eius lux cælestis apparuit: donec animaduertentes vicini qui videbant, sanctum fuisse virum B qui ibi esset sepultus, & inuestigantes vnde & quis esset, abstulerunt corpus, & in Bolonia * ciuitate iuxta honorem tanto viro congruum in ecclesia posuerunt.] hæc de Petro, quem monachum hoc anno cum Laurentio & alijs a Gregorio Papa missum esse in Angliam, habent ipsius Gregorij litteræ ad Aldibergam Reginam superius recitatæ. Hæc sunt cunabula Ecclesiæ Anglicanæ.

AVG. ECCLES. RESTITVIT ET MONASTERIVM AEDIFICAT.

* Bononia

Fuit etiam hoc anno Gregorio [a] cum Hibernis agendum, quod ipsum consuluissent eius insulæ Episcopi, quid de Nestorianis agendum esset redeuntibus ad Ecclesiam, num denuo baptizandi? Respondit quidem ex antiquæ Ecclesiæ Catholicæ instituto, non esse rebaptizandos qui in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt; hincq. fieri, vt neque Eutychianos, neque Nestorianos, immo nec Arianos Ecclesia Catholica rebaptizet, quos sciret in nomine Trinitatis ab ipsis esse baptizatos, secus autem de Montanistis C atque Bonosianis, quos non baptizare in nomine Trinitatis certum esset: differre autem in ritibus Orientalem ab Occidentali Ecclesia, dum ista per manuum impositionem dumtaxat eiusmodi recipere in Ecclesiam pœnitentes consueuerit, Orientales vero eosdem per chrismatis suscipiant vnctionem. Porro hos, de quibus agitur, Nestorianos cum fidei Catholicæ professione esse recipiendos cum iubeat, eosdemq. perfecte edocendos incarnationis mysterium præcipiat: ipse eadem epistola catechesim perfectam apponit, qua populi instruantur. Ista Gregorius lecto decumbens, & doloribus (vt vidisti) vexatus assidue, atque inter barbarorum gladios in Italiam ac Siciliam euaginatos, quibus in primis precibus occurrendum putauit. Et quidem quod Sclauini (vt cœperant) non influxerint in Occidentales oras, Italiam, atque Siciliam; non armorum vis, sed preces intercesserant. Audi, rogo, quid hoc anno ipse de his scribat ad Siciliæ D Episcopos omnes circulari epistola [b]:

[a] *Gregor. lib. 9. epist. 61. Ind. 4.* RESPONDET GREG. AD CONSVLTATIONEM HIBERNORVM.

[b] *Gregor. lib. 9. epist. 45. Ind. 4.*

Super afflictiones & gemitus, quos annosa hic continuatione de hostibus sustinemus, maior nos metus excruciat, quod inimicos nostros omni adnisu ad Siciliæ inuasionem cognoscimus festinare. Sed ne hæc illis molientibus prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad Redemptoris nostri remedia conferamus; & quibus resistere virtute non possumus, lacrymis obuiemus. Nam quid vobis cauendum, quidve sit vehementius formidandum, ex istius prouinciæ debetis desolatione colligere. Itaque hortor, fratres carissimi, vt omni hebdomada, quarta & sexta feria litaniam inexcusabiliter indicatis, & contra barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium imploretis. Sed vt ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, vt voces actibus adiuuentur. Nam inanis fit oratio, vbi praua est actio. Quia igitur E quanto immane cernitis imminere periculum, tanto simul omnes in fletu debetis & gemitu occupari, filios vestros a sæculi peruersitate sacerdotali quamprimum adhortatione compescite. Discant iniusta contemnere, & quæ Deo placita sunt, amare: vt illos possitis habere ad impetrandam diuinæ misericordiæ gratiam adiutores. Nec si neglexeritis, actio eorum preces orationum superet, & sæuientis inimici gladius (quod absit) resecet, quos monentis verba non corrigunt. Deus autem noster iustus & pius est, & sicut perseuerantibus in prauitate districtus est, ita conuersis misericors. Ad ipsum ergo tota mente contriti cordis eiulatione curramus, ab ipso ereptionis nostræ solatia postulemus. Quoniam benignus & mitis est, si nos a malis nostris emendatos sua viderit mandata diligere, & hic nos potens est ab hoste defendere, & in futuro æterna nobis gaudia præparare.] hactenus litaniarum indictio ob imminentia ibi pericula. Profuisse quidem remedia ista, declarauit euentus; cum certum sit, nullam hostium passam esse incursionem

LITANIAS FACIENDAS AD BARB. VITANDOS MONET.

Siciliam,

Siciliam, & inaceſſam Sclauinis remanſiſſe Italiam. Iſta quidem Gregorius tunc po- A
tentior, cum grauius infirmatur.

At ægrotans ipſe Gregorius, ægrotantium quam exactiſſimam curam geſſit: teſtantur id ipſius litteræ ad Marinianum Rauennatem Epiſcopum, quem antea ſuum monachum, poſtea factum Epiſcopum licet ſæpe redarguerit auaritiæ & negligentiæ, blanditur illi tamen cum ſciuit ægrotum eſſe, Romamq. ad ſe vocat, vt curari melius poſſit, eumq. laudibus ornat, ac ſi ſanctiſſimus eſſet. Quibus diſcamus, quantum ſit ægrotis compatiendum atque præſtandum. Sed accipe epiſtolam [a] ipſam, quam admireris:

[a] *Gregor. lib. 9. epiſt. 28. Ind. 4.*

Venientes quidam Rauennates homines grauiſſimo mærore me percuſſerunt, quia fraternitatem tuam de vomitu ſanguinis retulerunt ægrotare. Ex qua re ſolicite & ſingillatim eos quos hic doctos lectione nouimus medicos fecimus inquiri, & quid ſinguli ſenſe- B
rint, quidve dictauerint, ſanctitati veſtræ ſcriptum tranſmiſimus: qui tamen quietem & ſilentium præ omnibus dictant: quam ſi tua fraternitas in ſua Eccleſia poſſit habere, valde ſum dubius. Et ideo videtur mihi, vt ordinata illic Eccleſia, vel qui Miſſarum ſolemnia explere valeant, vel qui Epiſcopij curam gerere, hoſpitalitatemq. & ſuſceptiones poſſint exhibere, quive monaſterijs cuſtodiendis præeſſe norint, tua fraternitas ad me ante æſtiuum tempus debeat venire: vt ægritudinis tuæ ego ſpecialiter, inquantum valeo, curam geram, quietem tuam cuſtodiam: quia huic ægritudini æſtiuum tempus medici vehementer dicunt periculoſum, & valde pertimeſco, ne ſi curas aliquas cum aduerſitate temporis habueris, amplius ex eadem moleſtia pericliteris.

Ego enim ipſe valde ſum debilis: & omnino valde eſt vtile, vt cum Dei gratia ſanus ad C
tuam redeas Eccleſiam: aut certe ſi vocandus es, inter tuorum manus voceris: & ego qui me proximum morti video, ſi me omnipotens ante te vocare Deus voluerit, inter tuas manus tranſire debeam. Si autem qualitas temporis ad veniendum præpedierit, aliquo paruo remedio * dato, apud Agonem agi poteſt, vt ipſe vobiſcum hominem ſuum vſque Romam tranſmittat. Si autem eadem ægritudine grauari te ſentis, & venire diſponis, cum paucis tibi veniendum eſt: quia mecum in Epiſcopio manens, quotidiana obſequia de hac Eccleſia habebis. Propterea nec hortor, nec admoneo, ſed diſtricte præcipio, vt ieiunare minime præſumas: quia dicunt medici huic moleſtiæ valde eſſe contrarium: niſi forte ſi grandis ſolemnitas exigit, quinque in anno vicibus concedo. Sed & a vigilijs quoque temperandum eſt, & preces quæ ſuper cæreum in Rauennate ciuitate dici ſolent, vel expoſitiones Euangelij, quæ circa Paſchalem ſolemnitatem a ſacerdotibus fiunt, per alium dicantur: & tua dilectio contra virtutem laborem ſibi minime imponat. Hæc au- D
tem dixi, vt ſi te melius ſenſeris, & venire diſtuleris, ſcias quid debeas ex meo mandato cuſtodire.] hæc ad Marinianum Gregorius.

* præmio

Quid autem de Mariniano ſit actum, ſi cupis ſcire: ex eiuſdem Gregorij litteris poſt biennium datis, nempe Indictione ſexta, aliquanto cum ſe melius habuiſſe cognoſces, atque Rauennæ manſiſſe: ad quem tunc iſta Gregorius [b]:

[b] *Greg. lib. 11. epiſt. 34. Ind. 6. edit. Rom.*

Multa nos, frater cariſſime, cogit infirmitas, ex quibus, ſi ſani eſſemus, iure reprehenſibiles videremur. Sed quia aliter ſubſiſtere in hoc fragili corpore poſiti non valemus, niſi eius languoribus ſeruiamus: erubeſcere quod imponit neceſſitas, non debemus. Et ideo quoniam eruptionem ſanguinis patientibus ieiunia medici omnino dicunt eſſe contraria; his fraternitatem tuam hortamur affatibus, vt reducens ad animum ea quæ eſt ſolita de ægritudine ſuſtinere, ieiunandi ſibi laborem minime imponat. Si autem, Deo miſeran- E
te, adeo melioratam ſe eſſe, ac virtutem ſuam ſufficere poſſe cognoſcit, ſemel aut *bis in* hebdomada ieiunare permittimus. Sed illud te præ omnibus ſtudere conuenit, vt exaſperationem ſentire nullo modo debeas: ne ægritudo, quæ modo leuior eſt, & quaſi ſuſpenſa creditur, per exacerbationem poſtmodum grauior ſentiatur.] hæc Gregorius: ex quibus intelligas, quanta eius conſueuerint eſſe ieiunia, cui neque adeo ſano bis tantum in hebdomada ieiunare, pro magna relaxatione concedit.

IEIVNIVM TEMPERATVM QVALE.

Qui res Rauennates ſunt proſecuti, Marinianum tradunt [c] peruenisse vſque ad annum Redemptoris ſexcenteſimum ſextum, ſicq. ſuperuixiſſe Gregorio; atque ad eius tumulum eiuſmodi inſcriptum fuiſſe epitaphium:

[c] *Ex Agnell. in vita eius, & Rub. lib. 4.*

Sanctificis ſemper monitis memorande ſacerdos
Hoc poſitus tumulo Mariniane iaces.

Corpore

A *Corpore defunctus, tamen est tua fama superstes:*
Artus obit terris, lux tua facta tenet.
Mœnibus his veniens Romana Antistes ab vrbe,
Tutasti precibus sancte Rauennatium.
Cuncta salutifere disponens tempora sæcli,
Te pius in populo, Christo regente, dedit.
Quod tamen his templis meruisset sumere busta,
Te placuisse Deo tanta sepulchra probant.
Vtq. vices cuius gessisti rite sacerdos,
Ipsius inq. locis sit tibi causa quies.]

Quem igitur pro sanitate corporis alterius adeo solicitum vidisti, pro salute animæ
B quantum fuerit Gregorius anxius, videre est in eo quod hoc eodem anno contigit de viro illo clarissimo Venantio Patricio, sed exmonacho, quem ad meliorem frugem & ad pristinam vitam repetendam anno primo sui Pontificatus litteris [a] frustra fuerat cohortatus: hunc enim cum audisset ab eius filiabus clarissimis feminis Antonia atque Barbara ad mortem ægrotare, valde de ipsius animæ salute solicitus ad Ioannem Episcopum Syracusanum de eo ita scribit [b]: Vestra igitur sanctitas primam quam decet curam negligere non debet, vt de anima eius cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile iudicium proponendo, ineffabilem eius misericordiam promittendo, vt ad habitum suum redire vel in extremis debeat: ne ei tantæ culpæ reatus in æterno iudicio obsistat.] vult eumdem Episcopum gerere curam filiarum eius, atque bonorum, quæ Fisci nomine potuissent periclitari. Erant ipsæ neptes Rusticianæ Patriciæ degentis Constantinopoli,
C de qua sæpe superius, vt apparet ex litteris [c] ad eam postea datis. Ad has vero consolatorias S. Gregorius litteras dedit de ægritudine patris, quæ extant [d].

a Gregor. lib. 1. epis. 33. Ind. 9.

DE VENANTII PATRICII ANIMA SOLICITVS GREG.

b Gregor. lib. 9. epist. 31. Ind. 4.

c Greg. lib. 11. epis. 24. Ind. 6.

d Gregor. lib. 9. epist. 30. Ind. 4.

Defuncto autem ipsarum parente Venantio, has Romam redire habuisse in animo, ad quod explendum sanctus Gregorius eas hortatus est, ex eius litteris ad finem Indictionis huius datis apparet, in quibus & ista leguntur [e]: Quod autem ad beati Petri Apostolorum principis limina festinare vos dicitis, opto nimis, & æstuanti animi desiderio expecto, vt dignis meritis iunctas vos in eius ecclesia videam: quatenus & vos de me solamen aliquantulum, & ego de vestri præsentia non paruam lætitiam acquiram. Viro autem reuerendissimo fratri meo Episcopo Ioanni & Romano Defensori causas vestras studui commendare, vt quæ cœperunt, Deo auctore debeant perficere. Xenium autem vestrum, duas racanas, quas de labore vestro esse mandastis, libenter accepi. Sed tamen
D cognoscite quia non mihi mandatum credidi: nam vos de labore alieno laudem quæritis, quæ fortasse adhuc ad fusum manum numquam misistis. Nec tamen me res ista contristat: quia opto vt sanctam Scripturam legere ametis: vt quamdiu vos omnipotens Deus viris coniunxerit, sciatis qualiter viuere, & domum vestram qualiter disponere debeatis.] hæc ipse ad eas virgines sibi affinitate coniunctas.

e Gregor. lib. 9. epist. 75. Ind. 4.

Quod autem ad publica negotia spectat: hoc eodem anno Gregorius Romæ Concilium habuit, in quo inter alia damnatus est Andras Græcus homo sub monachali habitu degens apud basilicam S. Pauli, detectus impostor atque falsarius; de quo scribit pariter ipse Gregorius ad Eusebium Thessalonicæ Episcopū verbis istis [f]: Lator præsentium Theodorus Ecclesiæ vestræ lector ad sanctorum Apostolorum limina veniens, dum omnes (homo quippe nouus) haberet incognitos, Andreæ monacho, qui ad sanctum Paulum in-
E clusus fuerat, res & chartas quas detulit, vt re vera olim noto, innocenter deposuit, credens quidem, quod mens ipsius, sicut & nos ante habueramus, cum habitu concordaret. Sed tantæ ille prauitatis inuentus est, vt si eius stultitiæ sub inclusionis suæ specie paulo adhuc amplius licuisset, multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet, & quæcumque potuisset, non leuia scandala generaret.

ROMANVM CONCILIVM.

f Gregor. lib. 9. epist. 69. Ind. 4.

ANDREAS IMPOSTOR ET FALSARIVS.

Nam inter alia quæ idem Andreas pessime cogitauit & fecit, eam quoque quam ad nos misistis, dum apud ipsum a præfato latore esset deposita, ita falsauit epistolam, vt quicumque eam legeret, vos nec Catholica nec recta sapere euidenter argueret. Ex qua re contigit, vt dum veritatem studiose quæreremus, eius quæ latebat iniquitas vulgaretur: & tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocumque laico crederentur. Et quia inter diuersa mala aliquos etiam sermones scripsit, atque eos ex nostro nomine titulauit, & suspicati * sumus ne eos alicubi transmiserit: fraternitas vestra solici-

* suspecti

tudinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tudinem gerat, & si quid tale repererit, eos & exscindi & omnino faciat aboleri: vt quod imperitus litterarum & Scripturæ diuinæ nescius, nostro (sicut diximus) nomine prænotauit, quorumdam animos non possit inficere. Nam nos nec Græcum nouimus, nec aliquod opus aliquando Græce conscripsimus. Alia vero mala ipsius, vel quid de eo a nobis in Concilio statutum sit, antedicti portitoris, quem fraternitati vestræ in omnibus commendamus, quia præsens inuentus est, relatione cognoscetis.] hæc de impostore cognito, & in Concilio damnato Gregorius. Quas vero nefandus homo de suis sceleribus pœnas dederit cum non scribat, nobis incertum: certi tamen reddi possumus, minime ipsum effugisse eas, quibus affici hoc anno Gregorius mandauit Hilarium subdiaconum, qui calumniatus fuerat Ioannem diaconum, de quo ad Anthemium ista scribit [a]:

[a] *Gregor. lib. 9. epist. 60. Ind. 4.*

Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet vltione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, vt eumdem Hilarium prius subdiaconatus, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publice castigatum faciat in exilium deportari, vt vnius pœna multorum possit esse correctio.] Si hanc in calumniatorem subdiaconum hoc anno seueritatem exhibuit, quantam oportuit exercuisse in talem falsarium, calumniatorem, & impostorem? Reperitur hoc quoque anno Gregorius dedisse litteras [b] de inquirendis atque seuere puniendis incantatoribus ac sortilegis.

[b] *Gregor. lib. 9. epist. 47. Ind. 4.*

Sicut vero aduersus impios atque scelestos homines sanctissimi viri zelus exarsit, ita econtra eos quos munus suum nouit religiose explere, fouit, & suis pene visceribus clausit. Videas hæc ex ipsius litteris [c] ad Bonum Abbatem cœnobij Lerinensis antiquitus fœcunditate sanctorum conspicui. Iste namque relaxatam a prædecessore monasticam obseruantiam fibulis disciplinæ restrinxit. Quem ipse Gregorius, de perseuerantiæ bono solicitus, vt perseueret admonens, salutaria monita impertitur.

[c] *Gregor. lib. 9. epist. 8. Ind. 4.*

Quod igitur ad dictum Concilium rursus pertinet, ibidem Probo Abbati data est a S. Gregorio testandi facultas de ijs bonis, quæ ante susceptum monasticum habitum habebat. Extant de ijs Acta publica [d] die & Cons. consignata, annoq. in primis aduentus Domini, his verbis: Imperantibus domno Mauritio & Tiberio AA. anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo primo, eodemq. domno vndecies Consule, sub die tertio Nonarum Octobrium, præsidente beatissimo & Apostolico Papa Gregorio, &c.] tu reliqua Acta consulas. Tanti namque momenti æstimabatur facultatem testandi dare monacho, etiam de bonis ante ingressum monasterij acquisitis, vt id Gregorius facere noluerit, nisi in Synodum conuocatis S. Rom. Eccl. presbyteris & diaconis Cardinalibus, & Episcopis qui in Vrbe tũc erant. Hactenus de rebus gestis S. Gregorij anni huius, cum prætermittamus alia plura quæ idem Gregorius hoc anno de priuatis negotijs ad diuersos scripsit, ne fastidium lector sentiat, quem ista cupientem ad ipsum epistolarum codicem amandamus.

[d] *Gregor. lib. 9. epist. 22. Ind. 4.*

BELLVM CIVILE IN GALLIIS INTER REGES FRANC.

Hoc anno, qui numeratur [e] quintus Regum Francorum Theodoberti atque Theodorici fratrum, conflatum est ciuile bellum inter eos atque Clothariũ filium Regis Chilperici, heredem vero Guntheramni; magnaq. facta vtrinque cæde, cessit victoria tandem Theodoberto atque Theodorico, fugiente Clothario. In qua pugna (inquit Aimoinus) Angelus Domini astans euaginatum visus est tenuisse gladium.] Et quidem visio non solum quod fieret, sed quod futurum erat, haud dubijs demonstrauit signis: siquidem ira Dei effusa supra Reges Francorum effecit, vt se inuicem ciuili bello consumerent. Ita quidem dum Gregorium & sanctum Columbanum sæpe monentes audire despiciunt, cito experti sunt de contemptu vindictam.

[e] *Aimoin. de gest. Franc. lib. 3. c. 87. 88.*

IESV CHRISTI ANNVS 602. GREGORII PAP. ANNVS 13. MAVRITII IMP. ANNVS 17.

LONGOBARDI RVRSVM BELLVM INFERVNT.

SEquitur Christi annus secundus post sexcentesimum, quintæ Indictionis: quo, absoluto tempore pacis initæ inter Romanos & Longobardos, rursum vtrinque certatum est: sed peccatis exigentibus, posteriores (vt sanctus Gregorius sæpe deplorat) tulere Romani victi ab Ariulpho (ita enim vocat eum Paulus diaconus [f]) Duce Spoleti. Id quidem hoc anno contigisse, eiusdem Pauli assertione manifeste probatur, dum ait, anno sequenti a bello habito inter Francorum Reges, in quo Clotharius superatus est, post bellum aduersus Romanos ipsum Ariulphum defunctum esse: quibus optime consentit, quod in epi-

[f] *Paul. diacon. lib. 4. c. 1.*

A in epistola hoc anno data ad Eulogium Alexandrinum Episcopum ista deplorat his verbis [a]: Pro me vero vt oretis peto: quia inter gladios Longobardorum, quos sustineo, podagræ doloribus vehementer affligor.] Accidit namque (vt diximus) peccatis exigentibus, vt Gentilis barbarus Romanos vicerit, opem illi ferente per sanctum martyrem Sabinum offenso numine, sicuti in vltionem Deus est vsus sæpe Regibus Babyloniæ ad plectendos Hebræos, prout sanctus Hieronymus in epistola ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani testatur, cum ait: Miseri Israelitæ, ad quorum comparationem Nabuchodonosor seruus Dei dicitur: Infelices nos, qui tantum displicemus Deo, vt per rabiem barbarorum illius in nos ira desæuiat.] ita Hieronymus. Sed audi rem gestam, admiratione quidem dignam, ita ab eodem Paulo diacono recensitam [b]:

[a] Greg. lib. 10. epist. 34. Ind. 5.

[b] Paul. diacon. lib. 4. c. 5.

Sequenti anno Ariulphus Dux, qui Faroaldo apud Spoletum successerat, moritur. Hic
B Ariulphus cum bellum contra Romanos in Camerino gessisset, victoriamq. patrasset, requirere a suis hominibus cœpit, quisnam vir ille fuisset, quem in prœlio, quod gesserat, tam strenue pugnantem vidisset. Cumq. sui responderent, se illic nullū fortius bellantem, quam Ducem ipsum vidisse; ille ait: Certe nullo per omnia meliorem ibi alium vidi: qui quoties me aduersæ partis aliquis percutere voluit, me semper suo clypeo protexit. Cumq. Dux ipse prope Spoletū, vbi basilica beati martyris Sabini Episcopi sita est, in qua eiusdem venerabile corpus requiescit, aduenisset: interrogauit cuius illa tam ampla domus esset. Responsum est ei a viris Fidelibus, Sabinum ibi martyrem requiescere; quem Christiani, quoties in bello contra hostes irent, præsidium haberent, ac eum propterea in suum auxilium vocarent. Ariulphus vero cum adhuc esset Gentilis, ita respondit: Et potest fieri, vt homo mortuus aliquod viuentibus auxilium præstet? Qui cum hoc dixisset,
C equo desiliens, eamdem basilicam conspecturus intrauit. Tunc alijs orantibus, ipse picturas eiusdem basilicæ mirari cœpit. Qui cum figuram beati martyris Sabini conspexisset, mox cum iuramento affirmauit, talem omnino eum virum, qui se in bello protexerat, formam habitumq. habuisse. Tuncq. intellectum est, martyrem Sabinum eidem in prœlio adiutorium contulisse.] hucusque de Ariulpho Paulus diaconus, qui de eius Christianitate verbum nullum. Quamobrem quo vsus erat Deus in puniendis Christianorum peccatis ministro, eumdem accepto muneri ingratum eodem anno mortis pœna affecit.

Qui igitur mœstus fuit S. Gregorius ex eiusmodi a Longobardis clade susceptа, lætatus nonnihil est schismaticorum & hæreticorum ad Catholicam communionem reuersione. Tergestinus enim Episcopus sponte ad Ecclesiam redijt, necnon hæretici nonnulli Eutychiani, Monophysitæ dicti, qui sponte ex Oriente Romam, vt hæresim detestarentur, fidemq. Catholicam amplexarentur, se contulerunt. Extat ad eumdem Episcopum sancti Gregorij epistola [c] ad vnitatem Catholicam prouocantis. Sed audi quam facere solerent redeuntes ad Ecclesiam fidei & vnitatis professionem: relata ipsa habetur apud sanctum Gregorium in eius epistolis his verbis [d]:

SCHISMATICI ET HAERETICI AD ECCL. REDEVNTES.

[c] Greg. lib. 10. epist. 30. Ind. 5. edit. Rom.

[d] Greg. lib. 10. epist. 30. Ind. 5. edit. Rom.

PROFESSIO CATHOLICA.

Quotiens cordis oculus nube erroris obductus, supernæ illustrationis lumine fit serenus, magna cautela nitendum est, ne latenter auctor schismatis irruat, & ab vnitatis radice eos qui ad eam reuersi fuerant, telo iterū erroris abscindat. Et ideo ego ille ciuitatis illius Episcopus, comperto diuisionis laqueo, quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona & spontanea voluntate ad vnitatem sedis Apostolicæ, diuina gratia duce, reuersus sum. Et ne non pura mente, seu simulate reuersus existimer, sub mei ordinis casu spondeo & anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te sancto Petro Apostо-
E lorum principi, atque eius vicario beatissimo Gregorio, vel successoribus ipsius, me numquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo ad schisma, de quo Redemptoris nostri misericordia liberante ereptus sum, reuersurum, sed semper me in vnitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & communione Romani Pontificis per omnia permansurum.

Vnde iurans, dico per Deum omnipotentem, & hæc sancta quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & salutem gentium atque illustrium dominorum nostrorum Rempublicam gubernantium, me in vnitate (sicut dixi) Ecclesiæ Catholicæ, ad quam Deo propitio sum reuersus, & communione Romani Pontificis semper & sine dubio permanere. Quod si (quod absit) aliqua excusatione vel argumento ab hac me vnitate diuisero; periurij reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inueniar, & cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem. Hanc autem confessionem, promissionisq. meæ chartulam notario meo cum consensu presbyterorum, & diaconorum, atque clericorum, qui me in hac

vnitate

vnitate obligantes in supraſcriptis omnibus prona ſimul voluntate ſecuti, atque proprijs manibus ſubſcripturi ſunt, ſcribendam dictaui, & propria manu ſubſcribens tibi tradidi. Acta in loco illo, die & Conſulibus ſupraſcriptis. *Subſcriptio Epiſcopi.* A

Ego ille Epiſcopus ciuitatis illius huic confeſſioni, promiſſioniq. meæ, præſtito de conſeruandis ſupraſcriptis omnibus ſacramento, ſubſcripſi.]

At vero vbi Tergeſtinus Epiſcopus reuerſus eſt, blanditijs primum tentatur a Seuero Grandenſi Epiſcopo ſchiſmaticorum capite: ſed minime acquieſcens, diram ab eo perſecutionem eſt paſſus, cuius rei gratia opus fuit vt ſanctus Gregorius aduerſus perſecutorem Seuerum imploraret auxilium Smaragdi Exarchi, quod contigit anno ſequenti, quo ad eumdem Exarchum pro eo litteras dedit [a]. Porro iſte Seuerus, qui dicitur Grandenſis Epiſcopus, haud dubium ipſe idem eſt cum Seuero Aquileienſi; ſed incenſa & diruta (vt dictum eſt) Aquileia, idem Seuerus in Grandenſi Eccleſia ſedem collocauit, vnde & Grandenſis eſt nominatus Epiſcopus, idemq. Metropolitanus, concedente id Pelagio Papa Eliæ Epiſcopo Aquileienſi, cum adhuc cum Romana Eccleſia communicaret, tempore Tiberij Imperatoris. Hæc de his quæ ad ſchiſmaticos ſpectant.

a Greg. lib. 12. epiſt. 40. Ind. 6. edit. Rom.

B

Quod autem pertinet ad Monophyſitas hæreticos Aegyptios ad Catholicam fidem conuerſos, in Siciliam primum, inde Romam ad Apoſtolorum limina venientes: extat ipſius S. Gregorij epiſtola [b] ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum, qua ipſos illi commendat, ne ab alijs hæreticis perſecutionem paterentur; ait enim: Latores præſentium in Siciliã venientes, a Monophyſitarum errore conuerſi ſunt, atque ſanctæ vniuerſali Eccleſiæ ſemetipſos adunauerunt. Qui ad beati Petri Apoſtolorum principis eccleſiam peruenientes, popoſcerunt a me, vt eos meis epiſtolis veſtræ beatitudini commendare debuiſſem: quatenus ab hæreticis, qui iuxta ipſos ſunt poſiti, nullam iam violentiã perpeti permittantur. Et quia vnus eorum dicit, monaſterium in quo fuit, a parentibus ſuis fuiſſe conſtructum: auctoritatem deſiderat a ſanctitate veſtra percipere, vt hi qui in eo ſunt hæretici, aut ad ſinum ſanctæ Eccleſiæ redeant, aut de eodem monaſterio repellantur. Hæc a nobis indicata vobis eſſe ſufficiant: nam de veſtra beatitudine nouimus, quia quicquid ad zelum Dei omnipotentis pertinet, cum omni facere feruore feſtinet.] hæc de his ad Eulogium S. Gregorius: atque de ſchiſmaticis & hæreticis ad Eccleſiã redeuntibus ſatis.

b Greg. lib. 10. epiſt. 54. Ind. 3. edit. Rom.

C

Fuit hoc anno eidem Gregorio in rebus Africanæ Eccleſiæ laborandum. Atque primum cum Clementius Primas prouinciæ Bizacenæ grauiũ criminum reus conſtitutus eſſet apud ipſum Romanum Pontificem: quod inter Longobardorum gladios ſæpius idem Pontifex verſaretur; placuit ipſi, vt ab Epiſcopis comprouincialibus cauſa quam exactiſſime tractaretur, collecto Epiſcoporum Concilio, ad quos iſta conſcripſit [c]: Ante multum tempus quædam ad nos de fratre noſtro Clementio Primate veſtro perlata ſunt, quæ cor noſtrum non modico mærore transfigerent: ſed prementibus diuerſis tribulationibus, & maxime circumſæuientibus hoſtibus, ea nobis non fuit ſpatium requirendi. Et quoniam ita ſunt grauia, vt tranſire indiſcuſſa nullo modo debeant: fraternitatem veſtram his hortamur affatibus, vt cum omni ſolicitudine ac viuacitate, veritatis indagare ſubſtantiam multis modis debeatis: vt aut ſi ita ſunt vt audita ſunt, vltione canonica reſecentur; aut ſi falſa, fratris noſtri innocentia diu ſub nefandæ opinionis dilaceratione non iaceat, &c.] monet enim pluribus, vt nauiter in opus incumbant.

CONCILIVM BIZACENVM IN CAVSA PRIMATIS PROV. BIZACENAE.

c Greg. lib. 10. epiſ. 31. edit. Ro.

D

Quod item ad Africanas res ſpectat: idem quoque hoc anno reſcripſit in cauſa Donadei in Numidia diaconi: qui ab Epiſcopo ſuo Victore iniuſte gradu depoſitus appellauit ad Apoſtolicam ſedem, auditusq. eſt a S. Gregorio, qui eius cauſam cognoſci voluit a Primate Numidiæ alijsq. eius prouinciæ Epiſcopis in publico Concilio, vt ſi re vera innocens diaconus repertus eſſet, digna cenſura percelleretur ipſe qui eum damnarat Victor Epiſcopus. Extant de his datæ Gregorij litteræ [d] ad Columbum in Numidia Epiſcopum. Porro in eodẽ Concilio celebrando in Numidia ab eius prouinciæ Primate Victore atque alijs collegis Epiſcopis cognoſci etiam mandat S. Gregorius cauſam Paulini Regenſis in eadem prouincia Epiſcopi, qui a ſuis clericis fuerat accuſatus. Erat inter alias accuſatio illa, quod Simoniacis ordines Eccleſiaſticos conferret: quod ſi verum eſſe inueniretur, tam Epiſcopos accipientes, quam dantes debere canonica pœna damnari iuſſit: præcipiens inſuper, vt in eodem ipſorum Concilio rurſus aduerſus Simoniacos pœnæ innouarentur. Hæc ad Victorem [e] Primatem Numidiæ, & ad Columbum in eadem prouincia Epiſcopum Gregorius ſcribit, plurimumq. cõmendat, præcipiens, vt ſi opus eſſet, Hilarius ſedis Apoſtolicæ

CONCILIVM IN NVMIDIA COLLECTVM.

d Greg. lib. 10. epiſt. 8. Ind. 2.

e Greg. lib. 10. epiſ. 31. edit. Ro.

E

A ſtolicæ Chartularius, in eadem prouincia degens ad Eccleſiaſtica curanda negotia, eidem Epiſcoporum Concilio intereſſe deberet. Scripſit [a] præterea & hac Indictione ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem, a quo acceperat cum litteris reliquias ſancti Agilei martyris, haberetq. de cura paſtorali ſaluberrimas admonitiones.

[a] *Greg. lib. 10. epiſt. 1. Ind. 5.*

Fuerunt hoc anno & alia iudicia Epiſcoporum ad Apoſtolicam ſedem delata, ab ipſo autem S. Gregorio alijs cognoſcenda delegata, vt cauſa Pauli Epiſcopi Diaclini *, quam delegat Ioanni Epiſcopo Primæ Iuſtinianæ vicem agenti ipſius Romani Pontificis. Extant de his ipſius Gregorij litteræ ſub hac Indictione datæ [b], & aliæ eodem argumento ad Conſtantium Epiſcopum [c]. Vides in his Apoſtolicæ ſedis auctoritatem adeo vigentem, vt neque bella, neque alia incommoda retinere potuerint homines, quo minus tam ab Oriente, quam Occidente ex Tranſmarinis Eccleſijs appellationes & alia iudicia deferrentur B ad Apoſtolicam ſedem.

* Doclealini DE PAVLO EPISC. DIACLINO.

[b] *Greg. lib. 10. epiſt. 32. Ind. 5.*

[c] *Greg. lib. 10. epiſt. 34. Ind. 5. edit. Rom.*

Quod autem ad Pauli Epiſcopi cauſam pertinet: damnatus hic ob corporale (vt ait Gregorius) peccatum, & ab Epiſcopatu depoſitus, cum alius in locum eius ſubrogatus eſſet, ipſe vi militum irrupit in eccleſiam, & bona auferens, ſubrogatum Epiſcopum pene ad mortem trucidauit. Quibus auditis, iubet idem S. Gregorius, vt tanti facinoris reus retrudi deberet in monaſterium ad perpetuam pœnitentiam vſque ad obitum communione corporis & ſanguinis Domini priuatus.

Qui igitur aduerſus facinoroſos Epiſcopos Eccleſiaſticæ vigore cenſuræ erigi conſueuit, idem inclinabat ſe (vt ſæpe vidimus) compaſſione erga fratres coepiſcopos quacumque vexatione oppreſſos, non deſpiciens, ſed prompte audiens & exaudiens eorum petitiones. Nam audi, quanam hoc anno erga Epiſcopum indigentem affectus fuerit ani-C mi compaſſione, eidem opem ferens: ſcribens enim ad Venantium Peruſinum Epiſcopum, hæc habet [d]:

[d] *Greg. lib. 10. epiſt. 52. Ind. 5. edit. Rom.*

AD EPISCOPVM FRIGVS PATIENTEM VESTEM MITTIT.

Fratrem & coepiſcopum noſtrum Eccleſium frigore omnino laborare cognouimus, pro eo quod hiemalem veſtem non habeat. Et quia aliquid ſibi a nobis petijt debere tranſmitti: fraternitati tuæ ad hoc per latorem præſentium tranſmiſimus amphimalum tunicam, vel pectoralem, vt a te ei debeat ſine mora tranſmitti. Et ideo ad prædictum fratrem noſtrum ſub omni illud celeritate ſtude tranſmittere; atque nobis hoc ipſum, quia tranſmiſeris, tuis renunciare epiſtolis non omittas: ſed ita fac, vt ad tranſmittendū (quia vehemens frigus eſt) moram aliquam minime facias.] hæc Gregorius quam propenſiſſima ſolicitudine fratris coepiſcopi proſpiciens egeſtati. Sed non prætereat (quod in hoc argumento verſamur) quam niſus ſit mærentem hominem, quem ante reprehenderat, D poſtea pariter conſolari. Audi, quæſo, quæ ſcribat ad Opportunum hoc itidem anno [e]:

[e] *Greg. lib. 10. epiſt. 14. Ind. 5. edit. Rom.*

CONSOLATVR MAERENTEM.

Peruenit ad me, quia ex eo tempore quo dilectionem tuam verbis aſperis propter quædam quæ mihi iure diſplicuerant, contriſtaui, magna tibi ſit oborta triſtitia, atque continuus animi mæror. Vnde te, dilectiſſime fili, volo cognoſcere, quia ego illa verba non aſperitate cordis, ſed amore tuæ animæ ſum locutus. Tu itaque ad omnipotentem Deum tota mente conuertere: quantum ſit fugitiua præſens vita, conſidera: æterna præmia lucrari feſtina: in quantum virtus ſufficit, caſtiga carnem, quæ quamdiu in voluptatibus vixit, animam caſtigauit *. Benignitatem proximis exhibe: pſalmodiæ & lacrymis horas vitæ frequentius impende: illata mala a proximis æquanimiter tolera. Si contra veritatem iniuriam pertuleris, lucrum puta: vt hæc agens, per temporalia, quæ deſpiciendo, pateris, ad cæleſtia regna pertingas.] iſta Gregorius, breui compendio totius Chriſtianæ E vitæ perfectionem perſtringens. Sed reliquas eius res geſtas proſequamur.

* mortificauit

Inter multiplicium negotiorum labores & afflictiones, quibus iugiter tenebatur, curam ſuſcepit hoc anno Gregorius vtriuſque baſilicæ, Pauli omnium ampliſſimæ, atque Petri, vt collabentia earum tecta inſtauraret: cuius rei gratia Sabino ſubdiacono iniunxit, vt prægrandes trabes incidendas curaret, atque ad mare deferendas, quo nauigio Romam perduci poſſent. Scripſit de his pariter & ad Arogem Ducem: extant ad eos datæ epiſtolæ [f]; ſed vitiatum ſcias codicem, vbi perperam legitur de partibus Britannorum eas eſſe mittendas. Quomodo enim tam longe petendæ trabes fuere, cum propinquiores eſſent in diuerſis Italiæ oris ſiluæ cæduæ earumdē trabium fertiles? Sed ſi qua in prouincia Sabinus degeret, & negotia Eccleſiæ ageret, intelligemus: plane ſcierimus, non ex Britānia eſſe petitas trabes, ſed e Brutina prouincia. Etenim ex diuerſis epiſtolis ad eumdē Sabinum ſubdiaconū ſuperius datis [g], in quibus de Rhegitanæ Eccleſiæ negotijs agitur, apparet ipſum

DE LIGNIS PRO BASILICIS APOSTOLORVM.

[f] *Greg. lib. 10. epiſt. 24. 25. 26. Ind. 5.*

[g] *Gregor. lib. 7. epiſt. 46. Ind. 2. lib. 8. epiſt. 3. 6. Ind. 3.*

curasse sedis Apostolicæ negotia in Brutiorum prouincia, vbi Rhegium est. Sicq. quod in litteris Gregorij dicitur de partibus Britannorum esse petendas trabes, restituendum est, vt dicere velit, de partibus Brutiorum, quæ prouincia hodie Calabria dicitur. Sed & quod ad Maurentium Magistrum militum de eadem re Gregorius scribit, vt litteras suas, quas ad dictum Sabinum subdiaconum mittit, quam citissime curet certo homini perferendas dare: cum constet eumdē Maurentium Neapoli constitisse (vt apparet ex eiusdem Gregorij litteris [a] ad eum datis) istud ipsum affirmare suadet. Recitat Paulus diaconus [b] epistolam S. Gregorij tunc eadem de causa scriptam ad Arogem, quem nominat Arigem, & loco Britannorum legit Brixiorum, siue Briccorum: sed Brutiorum esse legendum, quæ dicta sunt, indicant. Fuit Aroges Dux Beneuenti, cuius ducatus amplitudo regiones omnes continebat, quæ Hadriatico atque Tyrrheno includuntur. Est mentio de eodem Duce apud eumdem S. Gregorium in epistola ad Ioannem Episcopum Rauennatem libro secundo, & alibi. Sed & confirmat hæc omnia quæ dicta sunt auctoritas Anastasij Bibliothecarij, qui in Gregorio Secundo Romano Pontifice testatur trabes pro eadem omnium ampliſſima basilica sancti Pauli e Calabria esse petitas, atque Romam nauigio missas.

[a] Gregor. lib. 8, epist. 20. Ind. 2.
[b] Paul. diacon. lib. 4. c. 6.

Hoc anno S. Gregorius scribens [c] ad Ioannem subdiaconū Rauennatem, præuia occasione obitus Claudij Abbatis, recenset suas lucubrationes vel a se scriptas, vel ab alijs exceptas, vel translatas: atque primum: Præterea, inquit, quia idem carissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquentē de Prouerbijs, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateuco audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu & stylo dictauit, ne obliuione deperirent, vt apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legisset, inueni dictorum meorum sensum valde in multis inutilius fuisse permutatum. Vnde necesse est, vt tua experientia, omni excusatione & mora cessante, ad eius monasteriū accedat, & conuenire fratres faciat, vt sub omni veritate quantascumque de diuersis scripturis chartas detulit, ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime transmitte.] hæc de exceptis per Claudium Abbatem. alia vero occasione de libris a se scriptis & editis ista subdit:

[c] Gregor. lib. 10, epist. 22. Ind. 3.

SERMONES GREGOR. EXCEPTI AB ALIIS.

Illud autem quod ad me quorumdam relatione perlatum est, quia reuerendissimus frater & coepiscopus meus Marinianus legi commentarios * beati Iob publice ad vigilias faciat, non grate suscepi: quia non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quam prouectum generat. Sed dic ei, vt commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes sæcularium ad bonos mores præcipue informant. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotescere *. Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatolius diaconus (*Apocrisarius fuit hic a Gregorio missus post Sabinianum Constantinopolim, & ibi defunctus*) quærenti ac iubenti domno Imperatori librum regulæ pastoralis dedit, ægre suscepi: quem sanctissimus frater & coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit; & sicut mihi scriptum est, ei valde placuit: sed mihi valde displicuit, vt qui meliora habent, in minimis occupentur, &c.] subdit de supplendis ex Romano codice, quæ decurtata seu omissa in eo libro legerentur in codice Rauennate. Quod vero ad Claudij Abbatis successorem a monachis delectum Constantinum pertinet: reiecit illum sanctus Gregorius, eo quod, inquit, peculiaritati studeret, quodq. scisset ipsum profectum esse in Picenum ad aliud quod ibi haberet monasterium, solum, absque fratrum suorum aliquo teste. Sed de his hactenus.

* commenta DE LIB. MORALIVM NON PVBLICE LEGENDIS.

* innotescī

Quod autem ad rerum Orientalium statum pertinet: hoc anno occisum esse Mauritium Imp. vna cum filijs, & subrogatum Phocam, publica monumenta apud Gregorium *ita* descripta testantur vndecimi libri exordio [d]:

[d] Greg. lib. 11, cap. 1.

DE TEMPORE NECIS MAVRITII IMP. ET FILIORVM.

In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, per Indictionem sextam, die vigesimatertia mensis Nouembris, temporibus domini & beatissimi Papæ Gregorij, coronatus est Phocas & Leontia Augusta Septimo in Palatio, quod dicitur Secundianas, & occisus est Mauritius Imp. cum omnibus filijs suis masculis, id est, Theodosio iam coronato, Tiberio, Petro, Paulo, & Iustiniano, simul & Petro fratre suprascripti Mauritij Augusti; sed & aliqui procerum, qui ei cohærebant, id est, Constantius Patricius & Curator, & Placidas, sed & Georgius Notarius Principis.] hæc ibi quod ad tempus pertinet.

Plane accidit secundum illud Sapientiæ [e]: Audite Reges & intelligite. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet.] Ita quidem patefa-

[e] Sapien. 6.

A tefactum est horrendum Dei iudicium aduersus Mauritium Imperatorem, dum de facinore haud pridem perpetrato persoluit pœnam (vt licuit) talionis: dum enim ipse passus esset tot millia innocentium Christianorum a diro barbaro immanissime cædi, quos minimo potuisset redimere pretio, reus factus innoxij effusi sanguinis, ipse a tyranno vna cum natu minimis filijs crudelissime necatus est, nullo adiuuante, eripiente nemine. Sentiens vero ipse manum esse hanc Domini porrectam ad vlciscendum, specimen edidit probatissimi Christiani, conficiens sibi ex calice iræ Dei poculum medicinæ, quod sibi prodesset ad peccatorum suorum purgationem & perfectam salutem animæ consequendam. Sed age iam cuncta eodem quo se habuerunt ordine recensеamus.

Primum quidē quæ de Mauritij nece ostensa sint diuinitus Theodoro Siceotæ Episcopo Anastasiopolitano, dicenda sunt. Eleusius rem gestam sic narrat, qui illi inhærebat [a]: *a Vit. S. Theod. Sic. apud Sur. tom. 2. die 22. April.*

B Antequam Mauritius Imperator occideretur, cum in Dei genitricis monasterio vir sanctus præfinitum psalmorum numerum legeret, in sanctuario recens exædificato lucerna quæ semper ardet, extincta est. Quapropter vni ex fratribus annuit, vt eam accenderet: sed cum statim rursus extincta esset, frater redijt, & cum precibus eam iterum accendit. Repenteq. rursus extincta, vir sanctus illum reprehendens, tamquam inepte id fecisset; ipse accessit, & manu sua illam accendit. Sed cum illic adhuc staret, similiter rursum extincta est. Tunc fratribus omnibus congregatis, seuere locutus est ad hunc modū: Signum hoc, fratres, non simpliciter (mihi credite) nec temere contigit. Vos ergo diligenter explorate quid egeritis, & in conspectu Dei peccatum vestrum confitemini. Licet enim vos illud celare conemini, *Deus ipse* patefaciet. Cum autem fratres sibi nullius esse culpæ conscios respondissent, ad obsecrandum Deum accessit, vt sibi rem indicaret. Cumq. re

C diuinitus patefacta, *tristis esset*, & cum gemitu diceret: Vere tu Isaia naturam hominis expendisti, cum *diceres* [b]: Omnis homo fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: *aruit fœnum, & flos eius decidit*. & hæc loqueretur: fratres rogabant eum, vt rem omnibus patefaceret. Quibus cum præcepisset vt rem nemini indicarent, prædixit eis, quo mortis genere Mauritius Imperator esset interiturus. Fratribusq. merito id illi euenturum respondentibus ob ea quæ improbe gessisset: Sic ipse quidem, filij (inquit S. Theodorus) morietur, sed post eum multo deteriora contingent, quæ hæc ætas non expectat.] sed de his postea. *b Isai. 40.*

DE VISIONE OSTENSA S. THEODORO DE NECE MAVRITII.

Rursum vero prædictiones. Etenim ante annum Imperatoris necis hæc etiã præcessisse, Cedreni habent Annales: Monachus quidam, cuius vitæ exercitatio illustris erat, strictum gladium tenens, a foro vsque ad æneam portam procurrit, omnibus prædicens Imperato-

D rem gladio occisum iri. Sed Herodianus Mauritio palam, quæ ipsi euentura essent, denunciauit.] Tunc etiam & populum in Mauritij ludibrium Maurum quemdam hominē Mauritio similem super asinū imposuisse, & corona ex allijs confecta coronasse, & ac si Imperator esset, per vrbem duxisse, sannisque, iocis, scommatibus, ac sibilis insectatum eū vniuersum vulgus, affirmat: addit præterea, portenta monstraq. plura, & e cælo signa ad id indicandum præcessisse, quæ singula Nicephorus refert [c]; præcognitumq. Mauritio, ab eo se occidendum esse, cuius nomen duabus his litteris inchoaretur PH. cuius rei gratia Philippicus sororis ipsius maritus in suspicionem adductus est: sed diuinitus per somnium certiorem de nomine interfectoris Mauritium esse redditum. Narrat cuncta verbis istis Cedrenus: *c Nicephor. lib. 18. c. 38.*

ALIAE PRAEDICTIONES DE NECE MAVR.

Sic igitur eodem anno vltimo Mauritij Imp. ipse ad se reuersus, recordatusq. Deum ni-

E hil clam esse, eumq. pro meritis cuique suis siue bona siue mala tribuere: tum quam grauiter peccasset, quod captiuos redimere noluit: expediens esse cogitauit, vt in hac vita tēporaneas, & non in futura æternas pœnas daret. Itaque libellos supplices scripsit ad omnes Patriarchas, & monachos in omnia monasteria, etiam Hierosolymam misit, vt a Deo peterent, vt ipse de peccatis admissis in hac vita & non in futura pœnas lueret. Quin & in Philippicum impegit sororis suæ maritum, suspicatus ab eo cædem sibi parari, ex vaticinio quodam, quo significatum esset, ab PH. esse cauendum. Ceterum Philippicus innocens iuramentis modis omnibus apud eum se purgare non destitit. Mauritius autem, cum pro ipso vbique viri pij Dominum precarentur, quadam nocte in somnis eiusmodi visum vidit: nempe astare se ante Saluatoris imaginem in Palatij porta ærea collocatam, atque vna simul multam turbam captiuorum ipsum apud Dominum accusantium. Tum ipsum Iudicem iubere Mauritium causam dicturum sisti. Sicq. a satellitibus correptum, & in

MAVR. MALE SIBI CONSCIVS POENAS HIC EXOPTAVIT.

porphyretico vmbilico ibi posito constitutum, ab eodem Iesu Christo Domino interro- A
gatum fuisse, vbinam sibi pœnas rependi vellet, in hac scilicet vel futura vita? Ipsum autem Mauritium ita respondisse: Domine benignissime, iuste Iudex, hic malo potius, quam in altera vita. Nec mora, statim iussum esse, vt cum vxore sua & liberis, totaq. familia Phocæ militi trucidandus daretur. Expergefactus, statim accubitorem suum misit, qui Philippicum ad se perduceret.

PHILIPPICVS IN SVSPICIONEM ADDVCTVS LIBERATVR.

Cum autem vocari se nocte Philippicus cognouisset, qui iam antea se sciisset in suspicionem apud Imperatorem adductum, de se actum putauit: quamobrem antequam ad ipsum Imperatorem accederet, sacram Eucharistiæ communionem accepit, & abijt, vxorem Gordiam nomine relinquens ciulantem sacco cinereq. conspersam, dolorem immensum, quo angebatur, præferentem. Vt autem ad Imperatorem Philippicus venit, sese ad eius pedes stratus aduoluit. Sed Imperator, accubitore foras exire iusso, ipse ad Philippi- B
ci pedes accidit, dicens: Ignosce mihi, frater, quas tibi innocenti calumnias tribui. Suspicabar quidem te meæ vitæ insidias moliri, sed iam te innocentem cognoui. Hortor autem, vt dicas mihi, si quem Phocam militem in exercitu nostri. Noui, ait ille, quemdam, qui pridem ab exercitu missus, cum tua maiestate iurgauit. Quærenti autem Mauritio, quo ille præditus esset ingenio: respondit, hominem esse timidum & crudelem. Tum Imperator: Si timidus est, inquit, homicida est. Narrauitq. Philippico insomnium.] subdit vero de comete, qui apparuit, gladij formam habente, qui quasi lingua cælestis quæ essent euentura prædiceret. Post hæc vero quid referret legatio ad sanctos viros missa, sic breuiter narrat: Postridie Magistrianus, quem ad hoc ablegauerat Mauritius, venit a sanctis hoc responsum ferens: Probat Deus conuersionem tuam, & animæ salutem concedit, teq. totamq. familiam tuam collocat inter electos, sed Imperij cum dedecore iactu- C
ram patieris. Quibus auditis, Mauritius Deo laudes & gratias dixit.

PHOCAS CENTVRIO CREATVR IMPERATOR.

Inter hæc autem accidit, vt Petrus germanus Imperatoris litteras ipsius iussu ad exercitum mitteret, quibus iuberet, vt traiecto Istro, milites ibidem hiemarent. Quod cum audisset exercitus, commotus vehementer, seditionemq. faciens, de nouo creando Imperatore tumultuose agere incipiens, quem audacem scirent esse militem Phocam Centurionem super scutum eleuantes acclamant, salutantq. Imperatorem. Vbi autem ista innotuere Petro, mox Byzantium veniens, certiorem de his reddidit Imperatorem: qui iam aduentare sentiens hostem, nauim conscendit cum liberis & vxore; sed tempestate repulsus, vix periculũ euasit, delatus ad sanctum Autonomum: eademq. nocte podagræ dolores ipsum corripuere. Qui vero erant Constantinopoli contrariæ factionis Prasini, occurrentes Phocæ, eumdem plurimum honorauere, persuaseruntq. in Hebdomon venire. In- D
ter hæc accidit peti a populo aduersæ partis Theodosium filium Mauritij Imperatorem. His Mauritius aduersatus. Timens sibi Germanus in Deiparæ, Cyri dictum, templum aufugit: quo iussus abstrahi a militibus, sed tutatus est eum populus.] Sed hæc Theophanes pluribus.

At modo de promotione & vnctione Phocæ historiam prosequamur. Cum se contulisset ad Septimum Phocas, facti sunt illi obuiam Patriarcha Constantinopolitanus, necnon & senatores. Exegit vero ab eo Cyriacus Patriarcha ex more confessionem Catholicæ fidei, promissionemque, qua polliceretur iuxta ritum, se Ecclesiam a dissensionibus conseruaturũ immunem. Quibus peractis, idem Phocas in ecclesia S. Ioannis Baptistæ insignibus Imperatorijs decoratur; ex quo facto clades prouenit Imperij. Biduo post Pho-

LEONTIA AVGVSTA CREATA.

cas curru Imperatorio adnectus venit in Regiam. Quinta vero die Leontiam coniugem E
suam, corona ei imposita, Augustam nuncupauit.

Cum autem ex more pristino in editione spectaculorum Phocas totus esset, & in Circo de loci prærogatiua oborta contentio fuisset, populus tumultuatus Mauritium appellauit, quod nondum mortuus esset. Mouit res inexpectata inuidiam Imperatoris: qui mox excitatus, missis militibus ad Mauritium, eum ad portum Eutropij adduci iussit.

MAVRITIVS CVM FILIIS OCCIDITVR.

Vbi ante oculos eius iussi sunt necari quinque filij masculi. Ad quæ ille alta philosophia dixisse fertur illud Dauidicum: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Interea vero cum nutrix subtraxisset vnum e nece, & pro illo filium suum offerret: id Mauritius fieri vetuit, infantemq. suum prodidit, qui visus est e vulneribus lac dare cum sanguine. Tandem vero vltimo loco Mauritius ipse occisus est, cum se casu superiorem in omnibus demonstrasset. Horum omnium abscissa capita delata in campum iuxta tribunal, ad fœ-

torem

A torem vsque ibidem permanserunt, donec Phocas licentiam ea auferendi atque sepulturæ mandandi concessit, quæ vna cũ corporibus delata sunt ad sepulchrum S. Mamantis. Defuit autem liberorum Mauritij internecioni Theodosius ablegatus a patre ad petendum auxilium a Cosrhoe Persarum Rege: sed quomodo interceptus, & neci postea ipse etiam traditus sit, dicemus anno sequenti, quo contigit. De nece quoque coniugis & filiarum virginum suo item loco dicturi sumus. Habet hæc eadem de interitu Mauritij Theophanes totidem ferme [a] verbis, sed paulo copiosius explicat: vbi subditur, interfectum post hæc fuisse Petrum Mauritij fratrem, & alios proceres multos. Philippicum vero cognatum Imperatoris attonsum capite, sacerdotio initiatum, sectatum vitam quietam, tradit Cedrenus, cum videlicet iugalis eius idem vitæ genus arripuisset.

[a] *Miscel. lib. 17.*

Quomodo autẽ hæc quæ Constantinopoli gesta sunt, dæmones Alexandriæ nunciauerB rint, a Theophane ita narratur: Interea Calligraphus quidã Alexandriæ venerabilis vir, ex matutina vigilia domum vadens, media nocte videt statuas ex metallo æris abstractas, & voce grandi dicentes, interemptum Mauritium & filios ipsius, atque omnes casus, qui apud Byzantium fuerunt gesti. Mane vero facto, pergens, hæc Augustali retulit. qui præcepit ei, nulli hæc manifesta facere; scribensq. diem, præstolabatur exitum. Die vero nona prætereunte, ecce nuncius venit, indicans Mauritij interemptionem. Tunc Augustalis dæmonum vaticinium publicauit.] hæc ibi. Qui autem præter Mauritium & filios interempti fuerint, Nicephorus ea quæ sunt dicta prolixius prosecutus, ita recenset [b]: Proinde Petrum Mauritij fratrem *tyrannus* ferro necat. Occiditur præterea, de quo sæpe facta est mentio, dux Commentiolus, item Georgius Philippici filius, Præsentinus etiam, cui curas & consilia sua Petrus crediderat: postremo vero & Theodosius Mauritij succC cessor, ex itinere (vt dictum est) retractus.] sed de ipso agetur anno sequenti.

ALEXANDRIAE EODEM DIE COGNITA MORS MAVRITII.

[b] *Nicephor. lib. 18. c. 41.*

His enarratis, iam supereſt tantum, vt annos, quibus Mauritius imperauit, ad calculos reuocemus. Accidit namque, vt vnus errans, idem & reliquos rem absque exacta consideratione prætergredientes, in errorem eumdem secum ferret. Hæc dixerim, quod penes Græcos vel alios ferme omnes vna videtur esse communis assertio de tempore quo Mauritius imperauit, nimirum ipsum ad annum vigesimum peruenisse: istud quidem expressum inuenies apud Theophanem, Cedrenum, Nicephorum [c], qui & eius ætati tribuit annos sexagintatres: idemq. Zonaras habet, hoc ipsum Beda, & alij. Sed antequam alios corrigamus, ea primum menda, quæ voluendo cusos hactenus tomi huius terniones reperimus de inchoatis vel absolutis Mauritij Imp. annis, expurgemus: vt hac vna animaduersione corrigas omnes errores illapsos, vt singulos in annis singulis positos eius annos semD per inchoatos intelligas, non absolutos. His emendatis, exactam iam Mauritij Imperij temporis rationem ineamus.

DE ANNIS IMPERII MAVRITII.

[c] *Ibidem c. 40. in fine.*

Iam superius ex scriptoribus qui eodem tempore vixerunt, ostendimus creatum Mauritium anno Redemptoris quingentesimo octogesimosexto; idq. tam Græci quã Latini auctores testantur, qui eodem viuebant tempore: quo etiam anno Tiberium prædecessorem Mauritij mortuum tradunt, quarto Idus Augusti: a quo tempore si incipias numerare annos Mauritij vsque ad præsentem annum, quo testificatione publicorum Actorum & aliorum constat mense Nouembri Indictionis sextæ occisum Mauritium, & subrogatum Phocã: vtique reperies ipsum nonnisi annos sexdecim ac menses tres & aliquot dies imperasse.

Sed quoniã apud S. Gregoriũ & Bedã in publicis monumentis deprauatum interdũ inuenies numerum Indictionum, & discrepare ab alijs annis aliter consignatis: prouocamus lectorẽ ad Euagrium [d] rationem temporũ non obiter & oscitanter afferentem, sed summa (vt profiteatur) industria & diligentia statuentẽ, qui cum suæ ætatis tempora quã studiosissime recensere se profiteatur, erit ipse nobis instar omnium aliter sentientium. Repetenda sunt ergo hic verba ipsius ita dicentis: Vt autem ordinem temporũ accuratissime complectamur, intelligendum est, Iustinum Iuniorem per se solum ad annos duodecim & menses decẽ cum dimidio regnasse, atque vna cum Tiberio ad annos tres & vndecim menses, totumq. tempus regni sui annos sexdecim & menses nouem cum dimidio complexum esse. Regnauit autem Tiberius per se solum annos quatuor, cum Iustino autem tres, & menses vndecim.] Sunt hæc Euagrij verba, canonq. firmissimus temporis constitutus.

[d] *Euagr. lib. 5. c. 23.*

Sic igitur dum numerat ab obitu Iustiniani Imp, cui Iustinus successit: cum constet Iustinianum [e] Idibus Nouembris diem obijsse anno Domini quingentesimo sexagesimoquinto, atque teste eodem Euagrio [f], imperasse annos triginta octo & menses octo, sicq. obijs-

[e] *Ex Corippi carm. dict. sup.*

[f] *Euagr. lib. 4. c. vlt.*

se anno Redemptoris quingentesimo sexagesimoquinto : his si addas annos decem A
& septem minus mense vno cum dimidio, quibus imperauit Iustinus, peruenies ad annum Domini quingentesimum octogesimumsecundum. his iungas quatuor, quibus solum regnasse Tiberium idem Euagrius tradit: peruenies ad annum Domini quingentesimum octogesimumsextum: a quo tempore incipe numerare annos Mauritij vsque ad præmum octogesimumsextum: a quo tempore incipe numerare annos Mauritij vsque ad præsentem annum; vtique non amplius quam annos sexdecim & tres menses (vt superius dictum est) reperies. Hæc dicta sunto ad rectam annorum Imperij Mauritij rationem, auctore Euagrio omnia ob oculos habente, & annos Imperatoris ad exactissimam temporis rationem reuocante: quibus reliquos corrigas omnes & emendes, nisi auctores numero potius quam veritate pollentes sequendos existimes.

a Nicephor. lib. 18. c. 39. Porro scito calumniam fuisse, quam aduersa populi pars intulit[a] in Mauritium, quod Marcionis hæresis sectator esset: siquidem superius vidimus eiusdem fidem Catholicam B
b Gregor. lib. 9. epist. 40. Ind. 4. non solum receptam, sed prædicatam sæpe a sancto Gregorio Romano Pontifice[b], cuius de his sententia vera certaq. haberi debet, non inconstantis vulgi & perciti furore iactata
c Nicephor. lib. 18. c. 42. conuicia. Quæ vero laude digna de Mauritio Nicephorus ad finem habeat[c], accipe: ait enim: Mauritius Imp. summopere viros eloquentia insignes coluit: liberalis etiam erga eos, qui pulcherrimis optimisq. disciplinis præclaram operam nauassent. Celebria quoque opera in Romani Imperij ditione construxit: quorum est vnum sanctorum Quadraginta martyrum ecclesia, quam Tiberius antea ædificare aggressus fuerat. Sacram quoque Apostoli Pauli ædem Tarsi Ciliciæ eumdem construxisse ferunt. Fertur & illud quoque de eo, quod tertiam partem pensionum vectigalium subditis suis remiserit, quodq. liberaliter Byzantijs triginta talenta donauerit, vt aquæductuum meatus renouarent. Item præclarum illud stemma & ornamentum, quod ei Sophia Augusta socrus C
& coniunx Constantina ambitiose admodum & magnifice elaborarant, cum id ne semel quidem gestasset, maximo Dei templo intulit, & diuinæ mensæ consecratum, aurea catella suspendit: quod ipsum ornamentum vsque ad expugnationem vrbis durauit.] hæc Nicephorus.

QVAE DE MAVRITIO LAVDENTVR PRO BE FACTA.

Verum cur ad extrema hæc omnium calamitatum Mauritius tandem prolapsus inciderit vt intelligas, superiores eius gressus non recto tramite fixos memoria repete, quæ scilicet quantave aduersus libertatem Ecclesiasticam sanxerit, quæve in sanctissimum Patrem Gregorium perpetrarit. vt plane illam visus sit subijsse quodammodo pœnam, quæ
d Prouer. 30. in sacris Prouerbijs reperitur ita esse sancita[d]: Oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.] passus namque & hanc ignominiam esset, secto capite vsque ad putredinem in foro exposito, nisi vallatum semper fuisset D
a spectantibus & admirantibus populis. Hæc de his satis.

IESV CHRISTI ANNVS 603. GREGORII PAP. ANNVS 14. PHOCAE IMP. ANNVS 1.

PHOCAS ROMAE ACCLAMATVS IMPERATOR.

SExcentesimus atque tertius numeratur annus sextæ Indictionis, quo inchoatur Gregorij Papæ decimusquartus, & Phocæ Imperatoris primus, cum & Romæ idem acclamatus est Imperator mense Aprili: non enim ante illud tempus allatæ sunt Romam regnantium Augustorum imagines, de quibus hæc apud Gregorium in exordio vndecimi libri: Venit autem icona suprascriptorum Phocæ & Leontiæ Augustorum Romam septimo Kalendas Maij, & acclamatum est eis in Lateranis in basilica Iulij ab omni clero vel Se- E
natu: Exaudi Christe: Phocæ Augusto & Leontiæ Augustæ vita. Tunc iussit ipsam iconam dominus beatissimus & Apostolicus Gregorius Papa reponi in oratorio S. Cæsarij martyris intra Palatium.] hæc ibi ex Actis publicis.

Quod audis de imaginibus Augustorum Romam allatis; alias sæpe diximus, eas mitti solitas ab Imperatoribus in diuersas prouincias Imperio Romano subiectas, & ad Principis amicos, easdemq. dici consueuisse Laurata, quasi Laureata. Est de his ampla mentio in epistola Gregorij Papæ Secundi ad Leonem Isauricum Imperatorem, de qua suo loco inferius. His veluti Imperatori præsenti debitus honoris cultus deferri consueuit ab omnibus; & in eas peccans, maiestatis reus efficiebatur, vt superius dictum est in Constantino Magno, cum eius imaginem quidam Aegyptij lapidibus appetijssent. Est de veneratione imaginum Principum frequens mentio apud posteriorem Nicænam Synodum

A nodum, & Damascenum, vel alios, qui scripserunt de veneratione sacrarum imaginum.

Quod autem postquam ijsdem Augustorum imaginibus Romam missis, in basilica Iulij in Lateranis debitæ sunt a clero atque populo acclamationes exhibitæ, iusserit sanctus Gregorius reponi eas in oratorio sancti Cæsarij martyris intra Palatium: non putes locum illum fuisse in Palatino, vel Palatio Lateranensi, quod Patriarchium dicebatur, sed ecclesiam illam (quæ aliquando Diaconia, postea vero Titulus fuit) positam in viæ Appiæ diuortio a Latina, haud procul a Titulo S. Sixti. Aedes enim peramplæ illic erant siue vsui Pontificis, siue Imperatoris, cum Romæ esse contingeret, inseruientes, quæ Sacrum Palatium dicebantur, vt testatur Anastasius in Sergio Papa, quem illic eligi contigit aduersus altercantes inter se schismaticos. Perseuerauit eadem ecclesia antiqua nobilitate celebris vsque ad tempora nostra eodem nomine Tituli sancti Cæsarij in Palatio, B vt complura publica monumenta docent, atque nouissime Acta sacrosancti Concilij Tridentini, quibus subscriptus legitur Christophorus Cardinalis Madrucius Tridentinus, presbyter Tituli sancti Cæsarij in Palatio. Porro eamdem ipsam nimia vetustate collapsam, penitusq. inaccessam atque desertam, ob idq. e numero Titulorum expunctam a Sixto V. Pontifice, Clemens Papa VIII. Ecclesiasticarum antiquitatum tenacissimus custos & conseruator ipsam restituturus in Titulum, in veterem formam extruendam atque exornandam curauit: quo etiam nomine illi potissimum ei bene precantur, qui antiquam loci nobilitatem non ignorant. At de oratorio S. Cæsarij hæc obiter dicta satis. Iam rerum gestarum seriem prosequamur.

DE TITVLO S. CAESARII IN PALATIO.

Præstitit & Phocas haud dubium, quod reliqui omnes Augusti (vt sæpe superius est demonstratum) præstare consueuerunt, simulac electi essent Imperatores: nimirum, C vt fidei suæ professionem Catholicam mitterent ad Romanum Pontificem, quo in vniuersa Catholica Ecclesia nomen Catholicum communionemq. consequerentur. Non omisisse ipsum quæ vsitatæ solemnitatis essent, qui religiosos alios ritus in sua consecratione implesse voluit, par est credere. Porro sanctus Gregorius simulac accepisset de eius euectione in Imperium nuncium, litteras ad ipsum dedit: extant ipsæ, quibus intueri per transennam possis, quam deploratissimus esset status Romani Imperij sub Mauritio: sic enim se habet epistola [a] ad eum data de adepto Imperio gratulatoria, vt moris erat:

[a] *Gregor. lib. 11. epist. 38. Ind. 6. edit. Rom.*

Gloria in excelsis Deo, qui iuxta quod scriptum est [b], mutat tempora, & transfert regna: & qui hoc cunctis innotuit, quod per prophetam suum [c] loqui dignatus est, dicens: Quia dominatur Excelsus in regno hominum, & cui voluerit ipse dat illud. In omnipoten- D tis quippe Dei incomprehensibili dispensatione alternatim vitæ mortalis sunt moderamina: & aliquando cũ iniustorum multorum peccata refrenanda sunt, vnus erigitur, per cuius duritiam tribulationis iugo subiectorum colla deprimantur: quod in nostra diutius afflictione probauimus. Aliquando vero, cum misericors Deus mærentium multorum corda sua decreuit consolatione refouere, vnum ad regiminis culmen prouehit, per cuius misericordiæ viscera in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citius credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad Imperiale fastigium peruenisse gaudemus. Lætentur cæli, & exultet terra, & de vestris benignis actibus vniuersæ Reipublicæ populus nuncusque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur iugo dominationis vestræ superbæ mentes hostium. Releuentur vestra misericordia contriti ac depressi animi subiectorum. Virtus cælestis gratiæ inimicis E terribiles vos faciat, pietas subditis benignos.

[b] *Dan. 2.*
[c] *Dan. 4.*

EPISTOLA S. GREGORII AD PHOCAM.

Quiescat felicissimis temporibus vestris vniuersa Respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus proprijs secura possessio, vt sine timore habere se gaudeant, quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur in singulis sub iugo Imperij vestri libertas sua. Hoc namque inter Reges Gentium & Reipublicæ Imperatores distat, quod Reges Gentium domini seruorum sunt, Imperatores vero Reipub. domini liberorum. Sed melius hoc orando, quam suggerendo dicimus. Omnipotens Deus in cuncta cogitatione & opere cor vestræ pietatis suæ gratiæ manu teneat; & quæque iuste, quæque clementer agenda sunt, inhabitator vestri pectoris Spiritus sanctus benigne disponat: vt de temporali regno vestra clementia post multorum annorum curricula ad cælestia regna pertingat.] hæc Gregorius primum ad Phocam. Accidit vero, vt post hæc ab ipso Phoca receperit

MALA QVAE SVB MAVRITIO VIGEBANT.

Grego-

Gregorius litteras, quibus, persolutis quæ solerent reliqui Imperatores officijs, quæstus A
est ipse nouus Imperator cum sancto Gregorio, quod nullum inuenerit Constantinopoli
ex more residere sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apocrisarium. Accidit enim (vt anno supe-
riori dictum est) obijsse eum, qui in eadem muneris functione post Sabinianum missus
fuerat Anatolius, cui necdum suffectus quisquam erat. Ad hæc respondens Gregorius, se
excusat ob temporis iniquitatem, cuius causa nullus inuentus esset, qui eiusmodi pro-
uinciam subire vellet: adeo enim iniqua fuerunt & Romanæ Ecclesiæ molesta illa extre-
ma tempora Mauritij Imperatoris, Deo amplius non ferenda. Rescribens ergo Grego-
rius, simul etiam de miserando statu Romanæ Ecclesiæ eumdem certiorem reddit. litte-
ræ vero ipsæ sic se habent [a]:

[a] *Greg. lib. 11. epist. 45. Ind. 6. edit. Rom.*

POSTERIORES LITTERAE GREGORII AD PHOCAM.

Considerare cum gaudijs & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipoten- B
ti Domino laudes debemus, quod remoto iugo tristitiæ, ad libertatis tempora sub Impe-
riali benignitatis vestræ pietate peruenimus. Nam quod permanere in Palatio iuxta an-
tiquam consuetudinem Apostolicæ sedis diaconum vestra serenitas non inuenit, non hoc
meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit: quia dum ministri omnes huius nostræ
Ecclesiæ contrita asperaq. tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli
eorum poterat imponi, vt ad vrbem regiam in Palatio permansurus accederet. Sed post-
quam vestram clementiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen Imperij per-
uenisse cognouerunt: ipsi quoque, suadente lætitia, ad vestra vestigia venire festinant,
qui prius illuc accedere valde timuerant. Sed quia eorum quidam ita senectute sunt de-
biles, vt laborem ferre vix possint, quidam Ecclesiasticis curis vehementer implicantur:
& lator præsentium, qui primus omnium Defensor fuit, bene mihi ex longa assiduitate
compertus est vita, fide ac moribus approbatus: hunc aptum pietatis vestræ vestigijs iu- C
dicaui. Vnde eumdem, auctore Deo, diaconum feci, & sub celeritate transmittere stu-
dui, qui cuncta quæ in his partibus aguntur, inuento opportuno tempore, valeat cle-
mentiæ vestræ suggerere. Propter quod rogo, vt serenitas vestra pias aures inclinare di-
gnetur: vt tanto nobis valeat celerius misereri, quanto afflictionem nostram verius ex
eius relatione cognouerit.

BONIFACIVS APOCRISARIVS MITTITVR CONSTANTINOP.

Qualiter enim quotidianis gladijs & quantis Longobardorum incursionibus ecce iam
per trigintaquinque annorum longitudinem premimur, nullis explere vocibus sugge-
stionis valemus. Sed in omnipotenti Domino confidimus, qui quæ cœpit consolationis
suæ nobis bona perficiet: & qui suscitauit in Republica pios dominos, etiam extinguet
crudeles inimicos. Sancta itaque Trinitas vitam vestram per tempora longa custodiat,
vt de bono vestræ pietatis, quod tarde suscepimus, diutius gaudeamus.] hactenus ad D
Phocam Augustum Gregorius. Porro hic qui missus est ex Defensore diaconus Apocri-
sarius, Bonifacius fuit, vt apparet ex epistola data ad Cyriacum Constantinopolitanum
Episcopum: & cum puto Bonifacium, qui secundus post Gregorium successit Romanus
Pontifex. Sed & ad Leontiam Imperatricem aliam tunc epistolam dedit Gregorius
his verbis conscriptam [b]:

[b] *Greg. lib. 11. epist. 46. Ind. 6. edit. Rom.*

GREG. LITTERAE AD LEONTIAM AVGVSTAM.

Quæ lingua loqui, quis animus cogitare sufficiat, quantas de serenitate vestri Imperij
omnipotenti Deo gratias debemus, quod tam dura longi temporis pondera ceruicibus
nostris amota sunt, & Imperialis culminis leue iugum subijt, quod libeat portare subie-
ctis? Reddatur ergo Creatori omnium ab hymnidicis Angelorum choris gloria in cælo;
persoluatur ab hominibus gratiarum actio in terra: quia vniuersa Respublica, quæ multa
mæroris pertulit vulnera, iam nunc consolationis vestræ inuenit fomenta. Vnde nobis E
necesse est omnipotentis Dei misericordiam enixius exorare, vt cor vestræ pietatis sua
semper dextera teneat, eiusq. cogitationes cælestis gratiæ ope dispenset: quatenus tran-
quillitas vestra tanto rectius valeat sibi seruientes regere, quanto dominatori omnium
nouerit verius deseruire. In amore Catholicæ fidei faciat defensores suos, quos fecit ex
benigno opere Imperatores nostros. Infundat in vestris mentibus zelum simul & mansue-
tudinem: vt semper pio feruore valeatis, & quicquid in Deo exceditur, non inultum re-
linquere, & si quid in vobis delinquitur, parcendo tolerare. Det vobis in vestra pietate
Pulcheriæ Augustæ clementiam, quæ pro zelo Catholicæ fidei in sancta Synodo Helena
noua vocata est.

Omnipotentis Dei misericordia largiora vobis cum pijssimo domino spatia viuendi
concedat: vt quo vestra longius vita extenditur, subiectorum omnium consolatio vali-

dius

A dius confirmetur. Rogare forsitan debui, vt Ecclesiam beati Petri Apostoli, quæ nunc usque grauibus insidijs laborauit, haberet vestra tranquillitas specialiter commendatam. Sed quia scio quia omnipotentem Deum diligitis, non debeo petere quod sponte ex benignitate vestræ pietatis exhibetis. Quanto enim plus timetis Conditorem omnium, tanto amplius eius potestis Ecclesiam amare, cui dictum est[a]: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. & cui dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælo. Vnde nobis dubium non est, quam forti amore ad eum vos stringitis, per quem solui ab omnibus peccatorum nexibus desideratis. Ipse ergo sit vestri custos Imperij, sit vobis protector in terra, sit pro vobis intercessor in cælo: vt per hoc quod releuatis duris ponderi-
B bus in vestro Imperio subiectos gaudere facitis, post multa annorum tempora in cælesti regno gaudeatis.] hucusque ad Leontiam. Sane quidem (vt accidere solet, cum noui Principes regnare incipiunt) spes haud mediocris de Phoca Imperatore concepta erat, & meliora futura tempora sperabantur, eo quod vna cum Mauritio vel extincti, vel electi essent, qui prouincialium sanguinem suxerant magistratus illi, qui & durissima tyrannide (vt vidimus) vniuersos oppresserant.

GREG. EPIST. AD LEONTIAM AVG.

a *Matth. 16.*

Cum ergo Apocrisarium Gregorius Constantinopolim mitteret Bonifacium, eidem etiam ad Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum litteras dedit, easdemq. pacis conciliatrices: etenim illis ipsum hortatus est concordiam in Ecclesia custodire in spiritu humilitatis. litteræ autem sic se habent[b]:

b *Greg. lib. 11. epist. 47. Ind. 8. edit. Rom.*

Quanta sit pacis virtus, carissime frater, ex voce Dominica diligentius intuentes,
C quæ ait[c]: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: ita in eius nos decet dilectione persistere, vt locum præbere discordiæ nullo modo debeamus. Sed quia in radice ipsius aliter viuere non valemus, nisi mente & actu humilitatem, quam ipse auctor pacis docuit, teneamus: cum ea charitate, qua dignum est, suademus, vt profanam elationem, quæ animabus semper aduersa est, cordis pede calcantes, peruersi superbiq. vocabuli scandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis: ne a pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis; sed vnus in nobis spiritus, vna mens, vna charitas, vna in Christo, qui sua membra esse nos voluit, sit compago concordiæ. Nam quam durum, quam indecens, quam crudele, quamq. a sacerdotali proposito sit extraneum, pacem illum, quam alijs prædicat, non habere, sanctitas vestra consideret, & suos de superbia fratres scandalizare abstineat. sed hæc magis studeat, vt vanæ aut superfluæ elationis auctorem, humi-
D litatis queat ense prosternere: quatenus ex eiusmodi victoria suum vos habitaculum sancti Spiritus gratia sibi vendicet, & aperte impleatur in vobis quod scriptum est[d]: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Præsentium vero portitorem dilectissimum communem filium Bonifacium diaconum vobis in omnibus commendamus, vt quocumque necesse fuerit, solatia vestræ (sicut decet) inueniat sanctitatis.] hæc Gregorius in causa admodum deplorata: dum licet minime se audiri ferme certo compertum haberet, tamen noluit deesse officio, neque desperare penitus de hominis salute; quod suos monuerit Apostolos Dominus, dicens[e]: Nonne duodecim sunt horæ diei?] quasi significaret, nullius esse desperandam salutem, cum homo sui natura mobilis ad singula omnino momenta & interdum in melius mutari possit.

VLTIMAE GREGORII AD CYRIACVM LITTERAE.

d *2. Cor. 6.*

e *Ioan. 11.*

Iam vero prosequentes missum a Gregorio Apocrisarium, quæ agerentur Constanti-
E nopoli & in reliqua parte Orientalis Imperij, videamus, ad ipsum Gregorium postmodum reuersuri. Atque in primis quam diuersus ac pene contrarius extiterit Phocas ab ea quam de ipso spem conceperat sanctus Gregorius, atque ad ipsum scripserat, a Cedreno audiamus primum eius formam ita describente: Statura, inquit, fuit mediocri, deformis, terribilis aspectu, rubente capillo, supercilijs coeuntibus, mento raso, cicatrice in mala notatus, quæ ipso irascente denigrabatur: vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, a miseratione alienus, moribus ferus, hæreticus. Vxor eius Leontia ijsdem fuit moribus imbuta.] At quod hæreticus dicatur Phocas, calumniose id passus videtur. Verum tum ex eius sæuiente tyrannide, tũ ex aliunde emergentibus malis, fuisse tempora eius Imperij infelicissima, idem auctor tradit his verbis: Illius ætate omne genus malorum in Romanum Imperium exundarunt: nam & hominum & bestiarum mortua est immensa multitudo, & terra fruges negante, tum fames, tum grauissimæ pestes

QVALIS ASPECTV ET MORIBVS PHOCAS AVG.

obortæ

obortæ sunt, hiemesq. fuerunt adeo sæuæ, vt congelauerit mare, ac pisces perierint.] A refert idem hoc anno, quod cum circensi libertate populus Phocam dicterijs exagitasset, ab eodem dira passus sit, occisis alijs, alijs membris mutilatis.

THEODOSIVS MAVRITII FILIVS AD NECEM PETITVS.

Sed audi miserandam necem Theodosij filij Mauritij, quem ad Cosrhoen legatum a patre ad petendum auxilium missum diximus, ob idq. non necatum cum reliquis, sed postea, cũ hoc anno summa diligentia Phocæ captus esset. Fama obtinet (inquit Cedrenus [a]) Theodosium Mauritij filium ad Cosrhoen legatũ, missis a Phoca ministris, Nicææ captum, iussum necari, cum ad locum cui nomen est Leucactæ peruenisset. Theodosium porro petijsse, vt priusquam necaretur, diuinis impertiri posset mysterijs. Quod postquam impetrauerit, actis Deo gratijs, lapidem a terra sustulisse, eoq. ter pectus suum percussisse, ita orantem: Domine Iesu Christe, tu scis me nulli hominum iniuriam feciſſe: nunc autem mihi euenit vt tua iubet potentia. His dictis, caput ei fuit amputatum.] hæc de ne- B ce honestissimi iuuenis iam in sortem Imperij a patre ante delecti. Verum ista de Theodosio neque tunc temporis ita credita, sed alium in eius locum ad necem suppositum, iactatum fuit: vnde & factum est, vt nouæ fabricarentur contra Imperatorem insidiæ, de quibus suo loco dicendum inferius.

[a] Cedren. Annal. an. 1. Phoc. Imp.

Cum autem, ante obtruncatis qui Constantinopoli reperti erant, qui aberant quærerentur ad necem: fuit inter eos Georgius Cappadox, vir nobilis & insignis, de quo scribit Eleusius in rebus gestis sancti Theodori Siceotæ, cuius ipse fuit discipulus, & quæ vidit scriptis mandauit: ait enim, dum recenset miracula a sanctissimo viro edita [b]: Georgius Cappadox cum magna militum manu catenis collo manibusq. ac pedibus iniectis vinctus traherctur ad Phocam Imperatorem, tamquam imminutæ maiestatis criminibus obnoxius: cupiebat sanctum Theodorum inuisere, & eius se precibus commendare: eodem C & custodes desiderio tenebantur. Quamobrem ad eum se contulerunt; & accepta eius benedictione, illum rogarunt, vt Georgium vinctum admoneret, vt animo sincero se duci sineret, nec sibi, nec ipsis insidias faceret, ne in capitis periculum apud Imperatorem incurrerent. Id fecit sanctus pater: diuinarum enim Scripturarum vtens testimonijs, monebat eum, hæc inquiens: Fili, quæ sunt in hac vita, breuia caducaq. sunt: quæ vero in altera vita nos manent, stabilia & sempiterna. Caue igitur, ne tibi mortem consciscens, in æternum supplicium incidas. Illudq. considera, fili, & tibi ipse propone, vt siue hoc, siue alio crimine iure damnatus, capite plectaris, libenti animo supplicium subeas, vt in vita futura liber sis & absoluaris. Quod si nullius es tibi criminis conscius, multo libentius, si condemneris, supplicium adi, vt coronam eamdem accipias, quam sancti omnes, qui iniuria interfecti sunt, perceperunt. Expedit enim vim iniuste patientem D mori, quemadmodum & sancto Abel, & innocenti contigit Zachariæ, & sancto Ioanni Baptistæ, & sanctis Apostolis, & Christi martyribus.

[b] Extat apud Sur. tom. 2. die 22. April.

DE GEORGIO CAPPADOCE VINCTO AD PHOCAM DVCTO.

His & multis alijs diuinarum Scripturarum testimonijs Georgius animo confirmatus, vt diuinorum mysteriorum particeps fieret petijt. Tunc B. Theodorus ad custodes: Vereamini, inquit, filij, mysterium Domini, & soluite hunc, dum illud accipit: neque enim est, vt quisquam vinculis constrictus Christum suscipiat, qui pro nobis passus est, vt nos ab inferni vinculis liberaret. Cum autem illi excusarent se, dicerentq. id sibi non licere: Georgium enim esse virum nobilem ac strenuum, qui si solutus esset, & vellet ingratus esse & aufugere, nullo modo comprehendi posset: beatus Theodorus sumpto diuinæ communionis poculo, vt id illi impertiret, suspirans ad Deum suspexit, & illico vincula humi cum strepitu conciderunt. Quamobrem cum milites tumultuarentur, E & ad fores claudendas currerent, ne Georgius fugeret: Nihil, inquit sanctus Theodorus, timeatis: ego enim gratum & sincerum huius viri animum plane noui. Cum igitur diuina ei mysteria tribuisset, voluit etiam, vt simul cum custodibus apud se cibum caperet. Post autem, vinculis rursum iniectis, discesserunt.] hactenus auctor, qui intentus res admirandas Theodori prosequi, his enarratis, ad alia miracula viri admirabilis recensenda se confert, relicto Georgio cum satellitibus ipsum ducentibus.

INGENS SANCTI THEODORI MIRACVLVM.

Sed redeamus ad Phocam Imperatorem: Qui (inquit Nicephorus [c]) quinto ab inito Imperio mense, litteras ad Cosrhoen Persarum Regem (quod consuetudo huiusmodi a multo tempore Romanis ac Persis fuerit) per Lilium familiarem suum, qui etiam Mauritij cædem patrauit, misit: quibus litteris, ad Imperialem dignitatem conscendisse se, significabat. Ille vero iræ intemperijs actus, legitimam Mauritio vindictam præstare

[c] Niceph. lib. 18. c. 43.

FOEDVS INITVM ANTE CVM PERSIS RVPTVM.

volens,

A volens, pacta cum Romanis fœdera rupit, & pernicioſum illud orbi claſſicum cecinit. Id namque Perſarum ſimul & Romanorum felicem tranquillumq. ſtatum ſoluit, eoq. initio Perſicum bellum eſt ortum, & Perſæ Syriam, Palæſtinam, Phœnicem quoque breui ſubegere: ditioni quoque ſuæ Armeniam, mox Cappodociam, Galatiam, & Paphlagoniam adiecere. Quin impetu, quem cohibere non eſſet, ducti, ad ipſam vſque Chalcedonem, quæ ex aduerſo Byzantio ſita eſt, aduenere. Parte vero alia Auares Europam, omnia vaſtantes, percurrerunt, & cædes hominum plurima graſſata eſt, qualem haud quiſquam vmquam vidit, non tantum ciuibus paſſim, ſed ipſis etiam militaribus copijs interemptis.] hæc & alia Nicephorus, quæ paulo ante retulimus. Sunt hæc malorum initia: hicq. meminiſſe oportet S. Gregorij ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum oraculi, quo prænunciauit conquerentibus alijs de illorum temporum malis, fore vt eadem
B in poſterum adeo creſcerent, vt qui tunc viuerent, felices dicturi eos eſſent, qui præceſſiſſent. Porro hæc a Nicephoro enarrata, hoc anno cœpta, ad futura tempora ſunt propagata.

Cum his tumultibus Conſtantinopolitana ciuitas agitaretur, vt ad tyranni imperium pro animi arbitrio nobiliſſimorum virorum capita truncarentur; ad Euſebiam Patriciam coniugem Strategij viri clariſſimi, quo ſuperior malis his omnibus eſſet, breuem hanc epiſtolam [a] Gregorius hoc anno dedit, vnicuique in huiuſcemodi anguſtijs verſanti ob oculos ponendam:

a Greg. lib. 11. epiſ. 37. Ind. 6.

Etſi occupata mens veſtra diuitijs, aut fortaſſe regiæ ciuitatis tumultuoſis implicationibus, nos per epiſtolas ſuas viſitare poſtponit: noſtrum eſt tamen etiam aduerſa filiorum corda dulci charitate proſequi, eaq. ad benignum animum & admonendo & oran-
C do reuocare. Vnde nunc debitum ſalutationis alloquium ſoluens, hortor, vt excellentia veſtra a ciuitatis illius ſuperfluis tumultibus animum auertat, plusq. ea quæ animæ, quam quæ ſunt corporis cogitet. Tranſitoria eſſe omnia perpendat. Venturi Iudicis examen tremendum cum metu & lacrymis quotidie ſine ceſſatione conſideret: illumq. diem, in quo perturbanda ſunt omnia, cum timore ad animum reducat, vt iram Iudicis in ipſo iam die non timeat. Omniporens autem Deus hæc veſtris cogitationibus aſpiratione ſui ſpiritus infundat, vosq. & hic cum nobiliſſimo coniuge veſtro & tranquille viuere, & de domni Strategij ſalute gaudere faciat, atque poſt longa tempora ad æterna præmia peruenire concedat.] hactenus ad Euſebiam Gregorius.

GREG. EPIST. AD EVSEBIAM.

At nec Occidens ſine tumultu permanſit, Longobardis (vt dictũ eſt) termino pacis elapſo, cuncta vaſtantibus. De his enim ad Eulogium Alexandrinũ Epiſcopum hoc anno idem
D Gregorius ſcribens, hæc ait [b]: Rogo ergo, vt pro me peccatore enixius oretis: quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immenſa vaſtitas mortalitatis inter barbarorũ gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalẽ, ſed æternam conſolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, ſed interceſſione veſtræ beatitudinis hanc me obtinere confido.] hæc ad Eulogium, cuius in laborando pro fide Catholica ſtudium valde commendat; reprehendit tamen alijs litteris [c], quod Simoniam ab Alexandrina Eccleſia non eradicet. Quod autem laborare oculis eumdem Eulogium audiuiſſet, ad ſanandum morbum mittit ex Apoſtolorum catenis antidotum: ait enim ad finem eiuſdem epiſtolæ: Tranſmiſimus crucem paruulam, in qua de catenis amatorum veſtrorum ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum inſerta eſt benedictio, quæ oculis veſtris aſſidue ſupponatur: quia multa per eamdem benedictionem fieri miracula conſueuerunt.] De ſuis item anguſtijs an-
E ni huius hæc idem Gregorius ad Ruſticianam Patriciam [d]; Ego autem in tanto gemitu & occupationibus viuo, vt ad dies quos ago, me peruenisſe pœniteat, ſolaq. mihi conſolatio ſit mortis expectatio.] Audiſti Apoſtolicum virum inſtar Apoſtoli Pauli [e] ſupra modum grauatum ſupra virtutem, ita vt tæderet ipſum vitæ? habet eadem ſcribens [f] ad Philippum presbyterum. Et quidem exauditus eſt, vt haud diutius in huius vitæ detineretur anguſtijs, ea ſolutus anno ſequenti, vt ſuo loco dicemus. modo anni huius reliquas ab eo res geſtas proſequamur.

b Gregor. lib. 11. epiſt. 49. Ind. 6. edit. Rom.

c Gregor. ibid. epiſt. 49.

d Gregor. ibid. epiſt. 20. edit. Rom.

e 2. Cor. 1.

f Gregor. ibid. epiſt. 28.

Hoc anno miſſa eſt legatio a Francorum Regina Brunichilde & Theodorico eius nepote Rege ad S. Gregorium Papam: functi ea fuerunt nobiles Franci Burgoaldus & Varmaricarius, per quos petijt Regina dari ab ipſo Pontifice priuilegia eccleſiæ S. Martini, quam ipſa erexerat in ſuburbano Agaunenſi, necnon monaſterio ancillarum Dei, atque etiam xenodochio a ſe item in eadem ciuitate conſtructo. Conceſſiſſe petita omnia, Gre-

LEGATIO MISSA A REGIBVS FRANC. AD GREG. PAPAM.

gorius

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Greg. lib. 11. epist. 8. ind. 6.
[b] Aim. lib. 4. c. 1. in fine.

gorius ipse testatur in litteris [a] ad eam redditis. Sane quidem auctor est Aimoinus [b], tot A tantaq. pia ædificia a Brunichilde esse constructa, vt incredibile videatur, ab vna femina regnante dumtaxat in Austria atque Burgundia erigi potuisse.

Sed & alia fuit huius legationis mittendæ ratio, nimirum vt ijdem cum Imperatore recens creato pacem inirent opera ipsius Gregorij: qua in re omnem se nauaturum operam ipse pollicetur. Sed & quod missus fuerat ab ijsdem Mennas Tolosanus Episcopus a sede Apostolica iudicandus: illum iam iuramento purgatum, innoxiumq. repertum, se dimisisse testatur. Quomodo autem fieri soleret purgatio ista, accipe ex ipsius Gregorij verbis, cum ait: Mennam vero reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum, postquam ea quæ de eo dicta fuerant requirentes, in nullo inuenimus esse culpabilem: qui insuper ad sacratissimum corpus beati Petri Apostoli sub iureiurando satisfaciens, ab his quæ obiecta eius opinioni fuerant, se demonstrauit alienum: reuerti illuc purgatum ab- B solutumq. permisimus.] Requisitus etiam per eos legatos fuit, vt mala valetudine laboranti Episcopo alius subrogaretur. Quod fieri non debere respondit, sed Coadiutorem dandum eidem ita laboranti. Quod vero ijdem petijssent legati dari licentiam bigamum ordinandi: ad hæc ipse respondit: Similiter vero de quodam bigamo requisiti, an ad sacrum ordinem potuisset accedere: iuxta canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim, vt vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatis.] Postrema autem fuit de cogenda in Gallia Synodo petitio legatorum, de qua habet ista Gregorius:

DE SYNODO COGENDA PETITIO.

Præfati autem magnifici filij nostri, dato capitulari, inter cetera petierunt, quod sibi vestra perhibuere iussione mandatum, vt talis debeat a nobis in Gallias persona transmitti, quæ, facta Synodo, cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur, omnipotenti C Deo auctore, possit corrigere. In qua re gloriæ vestræ curam cognouimus, quam de vita animæ & de regni vestri soliditate cogitatis: quia Redemptorem nostrum formidantes, eiusq. in omnibus præcepta seruantes, & hic agitis vt diu regni vestri gubernacula subsistant, & post longa annorum curricula vos quoque de terreno regno ad regnum cæleste transeatis. Apto autem tempore, si Deo placuerit, venerandæ excellentiæ vestræ desideria implere curabimus.] hæc de his Gregorius, quæ vtinam serio & non per imaginem quamdam ab ijs acta essent, vti solent politici cuncta etiam religiosa affectare, quo apud suos & exteros æstimatione polleant, Romanumq. Pontificē eiusmodi illecebris alliciant, vt si possint, in ijs quæ moliuntur, ipsum habeant adiutorem; vt fecisse Brunichildem, exitus declarauit. Quod enim indigerent ijdem Reges Gregorij opera pro sanciendo fœdere cum Imperatore, ijdem quæ ante de cogenda Synodo ab ipsis (vt vidimus) petierat D Gregorius, modo se ab eo petere profitentur. Ipsum autem petitum a Regina priuilegium pro religiosis locis extat [e] adhuc integrum, quod tu consulas: hic nos tantum apponemus, quæ in fine habet aduersus Reges & alios ab ijs missos magistratus & Episcopos, si quid contra priuilegium ab Apostolica sede concessum tentare præsumpserint:

[e] Greg. lib. 11. epist. 10. Ind. 6.

GREG. PRAESCRIBIT LEGES REGIBVS, ET NON PARENTES REGNO PRIVAT.

Si quis vero Regum, inquit, sacerdotum, Iudicum, personarumq. sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit: potestatis honorisq. sui dignitate careat, reumq. se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: & nisi vel ea quæ ab illo male ablata sunt, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleuerit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat, &c.] Vides lector (quod & superius eadem occasione ostendimus) quantum insit in Romano Pontifi- E ce auctoritatis, vt in ijs quæ ipse concedit, Regibus leges præscribat, & eisdem, *nisi pareant*, pro pœna priuationem regni apponat; quam & appositam vidimus superius *in* priuilegio concesso ecclesiæ S. Medardi. Hæc, inquam, S. Gregorius; quem iure haud quisquam poterit vt vanum hominem illicita aduersus Reges & Principes præsumentem reprehendere, vel fastus arguere, ac mentis tumidæ nota signare, quem *doctissimum* & æque mitissimum omnium, humillimumq. non est qui non prædicet, atque ex eius rebus gestis ac scriptis affirmet.

Hoc anno Romæ error ille per S. Gregorium Papam corrigitur, quo quidam vel ex superstitione Iudaica, vel ritu Græco coli debere sabbatū, perinde atque Dominicum diem, prædicabant. Scribens enim de his ad populum Romanum, errorem refellit, dum ait [d]: Peruenit ad me, quosdam peruersi spiritus homines praua inter vos aliqua & sanctæ fidei

[d] Greg. lib. 11. epist. 3. Ind. 6.

aduersa

A aduersa seminasse, ita vt die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud, nisi Antichristi prædicatores dixerim? Qui veniens, diē sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se & resurgere simulat, haberi vult in veneratione diem Dominicum: & quia Iudaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum.] hæc Gregorius de Antichristo, qui non propter Christi resurrectionem (vt facere consueuit Ecclesia) custodiri faciet Dominicum diem, sed sui causa, cum ea se die resurrexisse mentietur. Subdit vero idem Gregorius: Aliud quoque ad me perlatum est, vobis a peruersis hominibus esse prædicatū, vt Dominico die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxuria ac voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus: si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus.] & infra: Nam si Dominico die corpus
B lauare, peccatum est: lauari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur: cur hoc, exigente necessitate, toti corpori negetur? Dominico vero die a labore terreno cessandum est, &c.]

Porro qui sedulo curæ vniuersalis Ecclesiæ prospiciebat, eo fortior animo, quo corpore infirmior apparebat, inter alia multa quæ hoc anno ex epistolis ad diuersos datis peregisse conspicitur, de redarguendo Paschasio Episcopo ad Anthemium subdiaconum litteras dedit, in quibus inter alia quæ correctione digna ipse Gregorius numerat, *illud* etiam ad postremum reprehendit, cum ait[a]: Hoc quoque eius culpis adiungitur, quod ita quotidie despectus cū vno aut duobus clericis dicitur ad mare descendere, vt & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis ac despicabilis videatur, vt nihil habere Episcopalis vel ingenij, vel reuerentiæ videatur. Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscas,
C qui eum obiurgare atque coercere, vt dignum est, distulisti.] hæc & alia ipse in detestationem Episcopi, qui contemptibilis appareret. Ex quibus intelligas, non recens esse vt Episcopi pluribus stipati famulis incedant, sed quam maxime antiquitus custoditum: adeo vt Pontificia censeretur reprehensione dignus, qui cum vno vel duobus clericis animi causa ad mare descenderet. Erat iste Paschasius Neapolitanus Episcopus, quem alijs quoque litteris[b] monet, vt Iudæos non per vim, sed rationibus ac mansuetudine ad fidem inuitaret. Extat ad eumdem Anthemium ipsius Gregorij alia scripta epistola[c], qua queritur de negligentia omnium Episcoporum Campaniæ prouinciæ, quos vult emendari.

[a] *Greg. lib. 11. epist. 31. Ind. 6. edit. Rom.*

[b] *Gregor. lib. 11. epist. 15. Ind. 6.*

[c] *Idem eod. lib. epist. 35.*

Inter alias Episcoporum causas, quæ hoc anno ex diuersis Ecclesijs ad Apostolicam sedem delatæ sunt, fuit ex Hispania deducta causa Ianuarij Episcopi[d] Malacitani, & Ste-
D phani alterius Ecclesiæ in Hispania Episcopi, qui Comitioli viri potentis opera abstracti a suis Ecclesijs, a quibusdam alijs Episcopis condemnati, in exiliū detrusi fuerant. Qui omnes ita iniuste oppressi ad Apostolicæ sedis iudicium recurrerunt, appellantes ipsum Romanum Pontificem. Horum querelas cum audiuisset Pontifex, seq. ad id teneri ex munere vniuersalis curæ pastoralis intelligeret, quod (vt ipse profitetur[e]) caput omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia existat, quæ omnes inferiores iudicet sedes; misit ad hoc in Hispanias Ioannem Defensorem, cui proficiscenti[f] commonitorium (ita dictum) dedit, admonitiones illas videlicet, quibus in causa prosequenda ac iudicanda vti debuisset, & ex earum præscripto cuncta peragere. His acceptis Ioannes Defensor in Hispaniam profectus, præsidens Iudex causæ, omnibus exacte perspectis, riteq. cognitis, pronunciauit
E sententiam, qua depositos ab Episcopatu Episcopos soluendos exilio, suisq. restituendos Ecclesijs iudicauit; Episcopos vero, qui eos iniuste deposuerant, in monasterium ad sex mensium spatium censuit detrudendos, subrogatos autem in locum ipsorum penitus reijciendos, priuatos ministerio cuiuslibet ordinis Ecclesiastici. Extat eiusdem Defensoris de his tunc lata sententia[g]. Sic igitur beneficio & auctoritate Apostolicæ sedis Romanæ Ecclesiæ, qui per sæcularem potentiam oppressi fuerant sacerdotes, Antistites venerandi ignominiose in exilium detrusi, reuocati suas singuli receperunt Ecclesias. Iniunxit idem Pontifex eidem Ioanni Defensori institutionem ac reformationem monasterij insulæ Capricanæ[h] apud Maioricam insulam positæ.

[d] *Idem lib. 11. epist. 52. Ind. 6. edit. Rom.*

CAVSA HISPANORVM EPISCOPORVM AD GREG. PAP. DELATA.

[e] *Gregor. lib. 11. epist. 56. Ind. 6. edit. Rom.*

[f] *Greg. lib. 11. epist. 52.*

EPISC. EXVLES RESTITVTI.

[g] *Apud S. Greg. lib. 11. epist. 55. edit. Rom.*

[h] *Greg. lib. 11. epist. 54. Ind. 6. edit. Rom.*

Concesit hoc anno S. Gregorius Papa Sardiniæ insulæ habitatoribus Vitalem Defensorem mittendū ad Phocam Imp. Constantinopolim pro subleuandis grauaminibus, quibus (vt superius est demonstratum) habitatores eiusdem insulæ affligebantur. Est de his

[a] Greg. lib. 11. epist. 57. Ind. 6.

epistola [a] ipsius ad eumdem Vitalem in Sardinia degentem, qua etiam monet redarguendum fuisse Ianuarium Calaritanum Episcopum ob hospitalia eius insulæ destituta: ait enim: Experientia tua indicante comperimus xenodochia in Sardinia constituta grauem habere neglectum. Vnde reuerendissimus frater & coepiscopus noster Ianuarius vehementissime fuerat obiurgandus, nisi nos eius senectus ac simplicitas, & superueniens ægritudo, quam ipse retulisti, suspenderet, &c.] De eius ægritudine rursus inferius huiusmodi occasione: De hoc igitur quod scripsisti fratrem & coepiscopum nostrum Ianuarium, tempore quo sacrificium celebrat, tantam pati frequenter angustiam, vt vix post longa interualla ad locum canonis redire valeat, quem reliquit; atque ex hoc multos dubitare, si communionem debeant de eius consecratione percipere: admonendi sunt vt nullatenus pertimescant, sed cum omni fide & securitate communicent: quia ægritudo personæ sacri mysterij benedictionem nec mutat, nec polluit. Secretius tamen omnino idem frater noster hortandus est, vt quoriens eamdem molestiam senserit, non procedat, ne ex hoc se & despiciendum præbeat, & infirmorum animis scandalum faciat.] hæc de his Gregorius, qui nouis angustijs ex ingruentibus Longobardorum motibus cruciatur. A B

Hoc enim anno Longobardorum Dux Arnulphus oppugnaturus Vrbem, parat exercitum mense Iunio, & cum proxime instaret dies natalis Apostolorum, molitur Vrbis excidium. De his Gregorius solicitus, scribit litteras ad Velocem Magistrum militum Imperatoris in alia Italiæ parte degentem, his verbis [b]:

[b] Greg. lib. 12. epist. 21. Ind. 7.

CONATVS GREGORII ADVERSVS LONGOBARDOS.

Et pridem expressimus gloriæ vestræ, quia milites illuc erant parati venire: sed quoniam inimicos congregatos & huc discurrere epistola vestra significauerat, hæc eos hic causa retinuit. Nunc vero vtile est visum, vt aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere & hortari, vt parati sint ad laborem, studeat: & occasione inuenta, cum gloriosis filijs nostris Mauritio & Vitaliano loquere; & quæcumque vobis, Deo adiutore, pro vtilitate Reipublicæ statuerint, facite. Et si huc, vel ad Rauennates partes nec dicendum Arnulphum * cognoueritis excurrere: vos a dorso eius, sicut viros decet fortes, laborate: quatenus opinio vestra ex laboris vestri qualitate amplius in Republica, Deo auxiliante, proficiat.] Scripsit vero & ad ipsos Mauritium & Vitalianum, vbi Arnulphus Romam direxit exercitum, verbis istis [c]: C

* Aiulphum

[c] Greg. lib. 12. epist. 22. Ind. 7.

DE MOTIBVS ARNVLPHI DVCIS LONGOB.

Gloriæ vestræ suscipientes epistolas, Deo gratias egimus, quia de salute vestra cognouimus: & de solicitudine vestra multum gauisi sumus, & mox ea quæ scripsistis parata fuerunt. Sed Aldio vir memorandus post aduentum hominum vestrorum nobis scripsit, quia in proximo iam Arnulphus esset: & timuimus, ne milites, qui ad vos diriguntur, in manus eius inciderent. Et tamen hic (quantum Deus adiuuerit) contra eum filius noster gloriosus Magister militum se parauit. Sed & gloria vestra, si huc perrexerit ipse hostis, quomodo consueuistis, cum auxilio Dei a dorso eius, quod potestis, perficite. Speramus enim in omnipotentis Dei virtute, & in ipsius beati Petri Apostolorum principis, in cuius natali sanguinem effundere desiderat, quia ipsum sibi contrarium sine mora inueniet.] hucusque Gregorius, quæ sunt militiæ tractans, cum vrgeret occasio. Quas quidem litteras hoc argumento scriptas, licet in codice sub septima sint Indictione collocatæ, sub sexta hac reponendas esse, ea potissimum ratio cogit asserere, quod cum hæc acta esse dicantur mense Iunio, quo natalis Apostolorum agitur, non possunt sub Indictione septima confecta dici: siquidem sanctus Gregorius mortuus reperitur sub eadem Indictione mense Martio, vt suo loco dicturi sumus. Sunt & aliæ litteræ eiusdem Gregorij ad eosdem eodem argumento datæ [d], cum & suadet eis, vt incursionem parante illo Romam versus, soliciti sint ipsi vt loca eius deprædentur, quo ita ipse reuocetur a cœptis. D E

[d] Greg. lib. 12. epist. 23. Ind. 7.

GREGORIVS TRIBVNVM MITTIT PRO CVSTODIA CIVIT. NEAP.

Ad hoc spectat, quod in his angustijs detentus idem S. Gregorius, pro custodia Neapolitanæ ciuitatis misit Constantium Tribunum, litterasq. ad milites dedit, vt illi parerent. Ita quidem ipse, Pontifex cum esset, militaria cogitur pertractare, inuigilareq. super ipsas etiã Imperatoris ciuitates, ne caperentur ab ingruentibus Longobardis. Sed audiamus ipsius Gregorij litteras, quæ sic se habent [e]: Sũma militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ Reipublicæ vtilitatibus exhibere, quodq. sibi vtiliter imperatum fuerit, obtemperare: sicut & nunc deuotionem vestram fecisse didicimus, quæ epi-

[e] Gregor. ibid. epist. 24. Ind. 7.

stolis

A stolis nostris, quibus magnificum virum Constantium Tribunum custodiæ ciuitatis deputauimus præesse, paruit, & congruam militaris deuotionis obedientiam demonstrauit. Vnde scriptis vos præsentibus curauimus admonendos, vti prædicto magnifico viro Tribuno (sicut & feciſtis) omnem debeatis pro sereniſſimorum dominorum vtilitate vel conseruanda ciuitate obedientiam exhibere: quatenus quicquid a vobis hactenus bene gestum agnoscitur, per præsentis temporis vigilantiam ac solicitudinem augmentetis.] hucusque ad milites Gregorius, non ad Episcopos, vt vetus habet editio: ad milites enim ipsum scribere, ipsius epistolæ argumentum satis ostendit. Vides, lector, quanta pollet etiam in politicis administrandis auctoritate Romanus Pontifex, dum ciuitati non suæ, sed subditæ Imperatori, quem vult deligit custodem, præficitq. Præfectum, cui pareant milites: hæcq. sub Phoca tyranno. O tempora hac ex parte felicia! Vtinam
B modo essent ipsi integra spiritalia iura, quæ maiori in dies ignominia tantæ sedis auersione contentiosa calcantur. Sed suo ipsorum damno (certo scito) Deum, qui talia agunt, experientur (quod nolim) vltorem.

Quod vero ad eiusmodi magno strepitu excitatos tumultus Longobardorum pertinet: nubeculam istam minantem Vrbis & totius Italiæ cladem, vento diffiatam esse apparet, ac sequenti anno, confecta iterum pace cum Longobardis, redditam perfectam serenitatem. At de rebus anni præsentis satis, cum tamen plura alia noscantur fuisse eiusdem Pontificis gesta negotia diuersi generis, ad quæ intuenda in litteris eius perspicuis cunctis lectorem reijcimus.

C IESV CHRISTI ANNVS 604. GREGORII PAP. ANNVS 14. PHOCAE IMP. ANNVS 2.

SEquitur ordine temporum Christi annus sexcentesimus quartus, ac S. Gregorij decimusquartus inchoatus iam anno superiori a tempore exordientis Indictionis septimæ, idemq. vltimus eiusdem Pontificatus, quo ipse quarto Idus Martias, Deo vocante, feliciter ex hac vita migrauit: de cuius felici ad Deum transitu antequam agamus, reliqua quæ his mensibus ab inchoata septima Indictione contigerunt, hic primum nobis sunt enarranda. Hoc igitur anno pax cum Agilulpho Rege Longobardorum iterum renouata
D est, quæ iam ante elapso tempore statuto cessarat. Sancita itaque pace, idem Rex auctus est prole mascula, quā pia mater Theodolinda in fide Catholica voluit baptizari. De quibus omnibus ipsa Regina certiorem reddidit sanctum Gregorium, datis ad eum litteris, missisq. Romam legatis. Ista cum accepisset sanctissimus Pontifex, ad Theodolindam Reginam, eidem gratulatus, litteras reddidit, misitq. sacra munuscula nato filio. litteræ autem sic se habent [a]:

PAX ITERVM CVM LONGOBARDIS FACTA.

Scripta quæ ad nos dudum a Ianuensibus partibus transmisistis, gaudij vestri nos fecere participes: propterea quod omnipotentis Dei gratia & filium vobis donatum, & quod valde excellentiæ vestræ est laudabile, Catholicæ eū fidei nouimus sociatum. Nec enim de Christianitate vestra aliud credendum fuerat, nisi id studere vos, vt quem diuino munere susceptistis, Catholicæ rectitudinis auxilio muniretis: vt & Redemptor noster familiarem
E te suam famulam cognosceret, & Longobardorum genti nouum Regem in timore suo feliciter enutriret. Vnde oramus omnipotentem Deum, vt & vos in mandatorum suorum via custodiat, & eumdem excellentissimum filium nostrum Adulouualdum in suo faciat amore proficere: quatenus sicut hic inter homines iam magnus est, sic quoque ex bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus.

[a] *Gregor. lib. 12. epist. 7. Ind. 7.*

EPIST. GREG. AD THEODOLINDAM.

Illud autē quod excellentia vestra scripsit, vt dilectissimo filio nostro Secundino Abbati, ad ea quæ scripsit, subtiliter respondere deberemus: quis vel petitionē illius, vel vestra desideria, quæ multis esse profutura cognoscit, si ægritudo non obsisteret, duceret postponenda? Sed tanta nos podagræ nūc infirmitas tenet, vt non solū non dictare, sed nec ad loquendum possimus assurgere: sicut & præsentium portitores legati vestri cognouerunt, qui nos & venientes infirmos inuenerunt, & discedentes in summo vitæ periculo atque discrimine reliquere.] ita quidem: nam eodem ipse Gregorius (vt paulo post dicturi sumus) ex-

DE SECVNDINI SCRIPTIS CONVINCENDIS.

tinctus est morbo. Sed quæ sunt reliqua eius epistolæ prosequamur: Sed si, inquit, omni- A
potente Deo disponente convaluero, ad cuncta quæ mihi scripsit, subtiliter respondebo.
Eam tamen Synodum, quæ piæ memoriæ Iustiniani tempore facta est, per latores præsen-
tium transmisi: vt prædictus filius meus dilectissimus ipsam legens, agnoscat quia falsa
sunt omnia, quæ contra sedem Apostolicam vel Catholicam Ecclesiam audierat. Absit
enim nos cuiuslibet sensum hæretici recipere, vel a tomo sanctæ memoriæ prædecessoris
nostri in aliquo deuiare: sed quæcumque a sanctis quatuor Synodis sunt definita reci-
pimus; & quæcumque reprobata sunt, condemnamus.] hæc ad plenam satisfactionem ab
eodem Gregorio scripta fuere.

MVNERA A GREGORIO AD INFANTEM MISSA.

Quod autem ad munera eidem filio Regis recens nato pertinet, hæc in ijsdem litteris
ita habentur expressa: Excellentissimo autem filio nostro Aduloaldo Regi transmittere
filateria curauimus.] ita quidem nominat quas veteres nominare consueuerant bullas B
ad collum appendi solitas: quæ autem filateria continerent, aperit dicens: Id est, Cru-
cem cum ligno sanctæ Crucis Domini, & lectionem sancti Euangelij theca Persica inclu-
sam.] Quæ vero Reginæ filiæ, sorori nati infantis, munera mittat, declarat, dum subdit:
Filiæ quoque meæ, sorori eius, tres annulos transmisi, duos cum hyacinthis, & vnum cum
albula: quæ eis per vos peto dari, vt apud eos nostra charitas ex vestra excellentia condia-
tur. Paterna præterea charitate persoluentes salutationis officium, petimus vt excellen-
tissimo filio nostro coniugi vestro pro nobis de facta pace gratias referatis, atque eius ani-
mum (sicut consueuistis) ad pacem de futuro per omnia prouocetis: quatenus mercedem
populi innocentis, qui in scandalo perire poterat, ante conspectum Dei, inter multa bona
quæ agitis, inuenire possitis.] hactenus litteræ S. Gregorij ad Reginam, communicantem
quidem Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, hærentem tamen & dubitantem adhuc de C
Quinta Synodo & Tribus in ea iam condemnatis capitibus, quorum causa schisma con-
flatum adhuc vigeret, & Secundinus ille, de quo superius, obiectiones scriptis mandasset,
ad quas Gregorium respondere rogarat. Quod autem id minime ipsum fecisse appareat,
causam asserere in promptu est, nimirum, quod (vt diximus) hoc anno mense Martio ex
hac vita in æternam requiem sublatus sit.

DE EPISTOLIS AD SVA LOCA RESTITVENDIS.

Qui igitur tot tantisq. cruciabatur doloribus, iam (vt vidimus) quadriennio iugiter
toleratis, non destitit strenue vsque ad extremum spiritum laborare, vt indicant eius epi-
stolæ quæ extant hoc anno datæ sub septima Indictione. Sunt tamen aliquæ ibidem col-
locatæ, quæ longe ante datæ esse inueniuntur, vt inter alias illa ad Domitianum Metro-
politanum [a], ad quem aliæ superius datæ reperiuntur Mauritij tempore. cognatus hic erat D
Imperatoris, degens Constantinopoli, vt superiores plures ad eum datæ litteræ docent:
cumq. in ijs sub hac septima Indictione collocatis habeatur mentio de Sabiniano diaco-
no, qui agebat ante plures annos Apocrisariũ Constantinopoli, plane ad ea sunt referen-
dæ tempora, quibus ille eo munere fungebatur in dicta regia ciuitate. Sicut & litteræ [b] ad
Augustinum in Anglia Episcopum, quæ vltimo loco ponuntur, quas datas esse ante tres
annos, nempe quarta Indictione, superius diximus. Id ipsum affirmauerimus de epistola
scripta ad Petrum subdiaconum in Sicilia, quam datam esse a S. Gregorio vndecima Indi-
ctione, ex eadem deducimus argumentum. His non tam explosis, quam ad sua loca desti-
natis, quæ fuerunt eiusdem Gregorij anni huius epistolæ atque postrema videamus.

a Greg. lib. 12. epist. 14. Ind. 7.

b Greg. lib. 12. epist. 30. Ind. 7.

Hoc itaque anno cum vacasset Ecclesia Anconitana pastore, delectus ad eã Florentius
Archidiaconus, etiam si doctus, a S. Gregorio minime probatus fuit, eo quod & fene-
ctute confectus, & tenacissimus esset, vt numquam domum eius (quod ait [c]) amicus ad cha- E
ritatem introiret; sed & illud additum tradit impedimentum, quod iurasset numquam ad
Episcopatum accedere. Ita quidem vigilantissimus semper ne quis in Episcopatum non
omni ex parte probatus irreperet, quæcumque hominis essent perscrutari diligentissi-
me voluit, vt complures ab ipso de his datæ epistolæ docent.

c Greg. lib. 12. epist. 6. Ind. 7.

DILIGENTIA GREG. IN PROBANDIS DELECTIS EPISC.

CONSVLTATIO FELICIS, ET GREGORII RESPONSIO.

Eodem quoque anno missa est ex Sicilia a Felice Episcopo Messanensi de nonnullis ad
ipsum Gregorium Romanum Pontificem consultatio. Extat ipsa Felicis epistola tomo se-
cundo Conciliorum: & licet cuius Felicis ea epistola sit, non appareat; tamen quod re-
periatur idem Gregorius haud pridem scripsisse ad Felicem in Sicilia Episcopum Messa-
nensem [d], facile inducor vt credam hunc eumdem esse Felicem. Causa autem præcipua
huius mittendæ consultationis ad S. Gregorium ea fuit, quod cum sciretur ipsum sanctum
Gregorium scribentem ad Augustinum in Anglia Episcopum concessisse vt ratum habe-

d Greg. lib. 12. epist. 10. Ind. 7.

retur

A retur matrimonium in gradu quarto affinitatis contractum: graue ſcandalum paſſi ſunt multi, potiſſimum vero Siciliæ Epiſcopi, eo quod ſanctus Gregorius ea concedens, haud conſentientia conſtitutionibus prædeceſſorum ſtatuiſſet, & longe diuerſa ab ijs quæ a ſacroſanctis Conciliorum decretis firmata eſſent. Sed Felicis conſulentis audiamus verba, quæ ſunt huiuſmodi:

Perlatum eſt ſiquidem a quibuſdam Roma venientibus, vos Auguſtino conſodali noſtro per venerabilem ſanctitatem veſtram poſtmodum Epiſcopo Anglorum genti ordinato & illuc directo, atque Anglis ſcripſiſſe, vt *olim ad fidem conuerſos per vos concedi, vt quarta progenie coniuncti non ſeparentur. Quæ conſuetudo dudum in illis aut in alijs partibus, quando vna vobiſcum ab infantia nutritus atque edoctus fui, non erat: nec in vllis prædeceſſorum tuorum decretis, aut reliquorum generaliter ac ſpecialiter Patrum inſtitu- B tis legi, aut hactenus ab vllis recte ſentientibus eſſe conceſſum didici. Sed ſemper vſque ad ſeptimum originis ſuæ gradū hoc a ſanctis deceſſoribus veſtris & ceteris ſanctis Patribus tam in Nicæna Synodo, quam & in alijs ſanctis Concilijs congregatis ſeruari debere reperi, & a recte viuentibus & Deum timentibus hominibus ſtudioſe præuideri cognouimus.] & inferius poſt duo alia ab eo quæſita, in id ipſum, cuius cauſa epiſtolam ſcribere aggreſſus erat, rediens, iſta ſubdit, ab eo admoneri petens, num pro Anglis tantum indulgendo ea ſtatuiſſet de quarto gradu, an omnibus etiam Eccleſijs ſeruanda proponeret: Nos, inquit, ea quæ legimus, & obſeruari a Fidelibus cognouimus, non increpanda (quod abſit) vobis ſignificauimus, ſed quid rationabiliter & fideliter ſuper his obſeruare debeamus, requirimus.

Et quoniam non modicum murmur ſuper hac re nobiſcum verſatur: quid reſpondere C fratribus & coepiſcopis noſtris debeamus, a vobis, quaſi a capite, reſponſum quærimus: ne ſuper his ancipites remaneamus, aut murmur vllum tam noſtris temporibus, quam poſt, inter vos & alios remaneat: rumorq. veſter, qui ſemper bonus & optimus fuit, detractionibus laceretur & ſubrodatur, aut nomen veſtrum (quod abſit) ſuperuenientibus temporibus blaſphemetur. Nos autem, quæ recta ſunt, auctore Deo, humili corde ſeruantes, vno vinculo charitatis vobis conſtricti, veſtram religionem in omnibus, vt fideles alumni, defendentes, a vobis quæ recta ſunt, quærimus. Scimus enim, vt ſemper ſanctæ ſedis Præſules, primo Apoſtoli, deinde ſucceſſores eorum fecerunt, vos vniuerſalis Eccleſiæ & maxime Epiſcoporum (qui oculi propter contemplationem & ſpeculationem vocantur) Domini curam gerere, ac de religione & lege veſtra aſſidue cogitare, &c.]

Hæc verbatim reddidiſſe voluimus, vt pateat quæ eſſet olim de diſpenſando in nuptijs D contrahendis, vel contractis, inuiolate obſeruata cenſura, cum magnum in Eccleſia Dei ſcandalum datum videretur, ſi quod de gradu ſeptimo hactenus ſeruatum eſſet, ad quartum ſanctus Gregorius redegiſſet. Cui quidem aduerſum ſe excitato rumori & conflato ſcandalo occurrere quantocyus ipſe non prætermittens, ad eamdem primam conſultationem reſpondit, non eſſe in exemplum adducendum, quod nouellæ Eccleſiæ Anglicanæ conceſſiſſet, vt in tertio & quarto gradu coniuncti legitime inter ſe matrimonium contrahere poſſent; ſed qui in gradu vetito contraxiſſent, in eo ex ſumma indulgentia permanerent. Quamobrem monet Gregorius, ne Fideles vſque ad gradum ſeptimum affinitatis matrimonium contrahant: quod non recens a ſe ſtatutum, ſed a prædeceſſoribus traditum ſibi ſeruandum inuiolabili lege proponit. In quam ſententiam hæc ait: Nam ſi ea deſtruerem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt; non conſtructor, ſed euerſor eſſe iuſte com- E probarer.] & inferius poſt multa in eamdem ſententiam inculcata, aliaq. ad quæſita ab eo reſponſa, hæc habet:

Progeniem vero ſuam vnumquemque de his qui fideliter edocti ſunt, & iam firma radice plantati ſtant inconuulſi, vſque ad ſeptimā obſeruare decernimus generationem; & quamdiu ſe affinitate agnoſcunt propinquos, ad huius copulæ non accedere ſocietatem præſumant. Nec eam quam aliquis ex propria conſanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli licet Chriſtianorum, vel licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis eſt Deo, & cunctis bonis hominibus. Inceſtuoſos vero nullo coniugij nomine reputandos, a ſanctis Patribus dudum ſtatutum eſſe legimus. Ideo nolumus nos in hac re a vobis, ſiue a ceteris Fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſiderando ne Chriſtianitatis bonum, quod cœperant, imperfectum dimitterent, egimus, &c.]

*non olim MATRIMONIVM INTRA SEPTIMVM GRADVM VETITVM.

EX MAGNA INDVLGENTIA ANGLIS CONCESSVM IN QVARTO GRADV CONTRACTVM TENERE.

monet autem, vt omnes inceſtuoſos ab Eccleſia ſegreget, tamquam peſtilentes oues, nec A niſi poſt legitimam ſatisfactionem in Eccleſiam recipiantur. Ad finem vero: Quod, inquit, ſpecialiter tibi tuisq. (vt tuæ litteræ innotuerunt) conſultis ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus.] hæc Gregorius, vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ leges ſanciens, vel potius a prædeceſſoribus ſancitas renouãs de matrimonijs inter Chriſtianos contrahendis. Frigeſcente autem ſpiritu, cum inualeſceret magis caro, ab Innocentio Tertio Romano Pontifice in Concilio Lateranenſi, ad grauiora peccata vitanda, relaxata eſt nonnihil fibula diſciplinæ, vt intra quatuor tantum gradus prohibitum fuerit matrimonium.

Reſpondens vero Gregorius ad reliquas duas Felicis conſultationes, non vexandos a ſubditis Epiſcopos, pluribus monet: & de eccleſiarum dedicatione reſpondet, vt quod dubitatur factum, ſit integre faciendum: eo quod (vt ait) non monſtretur iteratum, quod B non certis indicijs oſtenditur rite peractum.] Quod rurſum ad res Siciliæ ſpectat, maleficos ibi degentes magnopere eſt inſectatus. Quod enim in Dei lege ſcriptum eſſet [a]: Maleficos non patieris viuere] eoſdem deteſtatus, totis eſt ſemper viribus inſecutus. Scripſit de his [b] ad Cyprianum diaconum, mandans ipſos inquiri atque puniri, nec deſiſtere, etiam ſi reperiret ſæcularem præfecturam aduerſari. In fine enim poſt multa ad eoſdem maleficos inquirendos & puniendos inculcata, hæc addit: Virum autem glorioſum domnum Libertinum Prætorem in tali loco per contemplationem omnipotentis Dei adiutorem te habere confido. In hac tamen cauſa miteſcere minime debuiſti, etiam ſi tibi quilibet ſæcularis Iudex aduerſarius potuiſſet exiſtere.] hæc ad Cyprianum diaconum patrimonium ſancti Petri in Sicilia curantem ipſe Gregorius, qui & anno ſuperiori Paulum Scholaſticum ad huiuſmodi maleficos inſectandos vehementer hortatus fuit [c]. C

a Exod. 22. MALEFICOS EXAGITAT S. GREGORIVS.

b Gregor. lib. 12. epiſt. 13. Ind. 7.

c Gregor. lib. 11. epiſt. 56. Ind. 6.

Eodem hoc anno fatigarunt Gregorium contentiones inter Epiſcopum Epidauri [d] & Alcyſonum Corcyræ inſulæ Epiſcopum. Quod enim irruentibus barbaris (vt ſuperius dictum eſt) corpus ſancti Donati inde delatum fuit in Corcyram inſulam, collocatumq. in caſtro Caſſiopi dicto, Epidauri Epiſcopus illud ſibi caſtrum pariter ſtuduit vendicare, reſiſtente Alcyſono, qui ab Epiſcopo Nicopolitano Metropolita ſententiam accepit, qua ipſi caſtrum adiudicabat; quam ſententiam ſedes Apoſtolica confirmauit. Cum autem nouus eſt creatus Phocas Imperator, eumdem conuenit Epiſcopus Epidauri, falſaq. ingerens multa, eum monuit, vt pro ipſo contra latam ſententiam reſcriberet. Quod adeo iniquum vt per eumdem Imperatorem corrigeretur, ſanctus Gregorius litteras ad Apocriſarium Conſtantinopolim miſit, iubens vt conueniens Imperatorem agat, vt bene definita ſua quoque iuſſione confirmet. Quid vero hæc ſecutum ſit, intercurrente Gregorij morte, neſcitur. D

d Gregor. lib. 12. epiſt. 2. 3. 8. DE CAVSA CORCYRANA.

Quod autem vehementius ſancti Gregorij animum excruciauit, illud etiam fuit, quod Neapoli in Cãpania (licet vetus editio, in Gallia, habeat) ſacrilegium didicit perpetratum, cum miles per vim rapuit virginem Deo in monaſterio conſecratã. Redarguit vero Gudoinum Ducem Neapolitanũ, quod aduerſus eiuſmodi facinus vltor non inſurrexiſſet, cũ præſertim prædicatæ probitatis ipſe vir ab omnibus laudaretur: ad quẽ hæc breuiter ſcripſit [e]:

e Gregor. lib. 12. epiſt. 5. Ind. 7.

REDARGVITVR DVX OB INVLTVM SACRILEGIVM.

Cum inter multa bona, quæ nobis de magnitudine veſtra ſæpius nunciantur, illud in vobis plus laudabile dicitur exiſtere, quod caſtitatem diligitis, & diſciplinam (ſicut dignũ eſt) cuſtoditis: ſatis mirati ſumus, quod in milite illo, qui ancillam Dei diabolica inſtigatione perdiderit, diſtrictiſſima vindicta hactenus facta non fuerit. Nam moribus & bonitati veſtræ valde conueniẽs fuit, vt ante ad nos vltio, quã perpetratæ culpæ iniquitas peruenirer. E Sed quia vindictam huius ſceleris non voluntate veſtra, ſed aliorum ſurreptionibus credimus eſſe ſuſpenſam, neque hoc peccatum vel humerũ indiſciplinati militis, vel loca illa, in quibus commiſſum eſt, valeat premere: hortamur, vt ſine excuſatione aliqua vel modo, qualis vobis feruor ſit erga caſtitatis cuſtodiam demonſtrantes, ita pro exemplo aliorum ſtricte emendare tantũ facinus feſtinetis, vt & Deum vobis, in cuius ille hoc iniuriam perpetrauit, & timorem eius deſpexit, placabilem faciatis, & nos vobis de zeli veſtri rectitudine gratias referamus: nam tantam iniquitatem inultam remanere nullo modo patimur.] hæc Gregorius degens in lecto ægrotus, ſed in ijs quæ peccarentur in Deũ explorator vigilans, & vltor exurgens. Qui & ſicut ſegnẽ Ducem ad vlciſcendũ immane facinus arguit, ita & nimis feſtinum in excommunicationis ferenda ſententia Maximianũ Epiſcopum reprehendit; ad quem breuiter iſta [f]: Frequenter me admonuiſſe vos recolo, vt in proferenda

REDARGVIT PRAEPROPERVM EXCOMMVNICATOREM EPISC.

f Gregor. lib. 12. epiſt. 20.

ſententia

A sententia esse præcipites nullatenus deberetis. Et nunc ecce cognoui, quia reuerendissimum virum Abbatem Eusebium commota furore vestra fraternitas excommunicauit. Quod ego valde miratus sum, vt non antiqua eius conuersatio, non ætas longa, non ægritudo diuturna, ab ira vestrum animum flecteret. Quilibet enim in eo fuerit excessus, ipsa ægritudinis afflictio ei debuit pro flagello sufficere: quem enim diuina disciplina conterit, ei humana flagella addi superfluum fuit.] Et paulo post, vt eidem satisfaciat, ita monet: Eumdem tamen præfatum virum quanto furore exasperasti, tanta nunc dulcedine consolare: quia valde iniustum est, vt qui te plus amauerunt, ipsi te sine causa atrociorem contra se sentiant.] hæc Gregorius.

Vidisti primum quam animose insurrexit aduersus Ducem remissum nimis, & quomodo ad vindictam currentem nunc præcipitem nimis Episcopum, habenas retrahendo, re-
B traxit? ita quidem pro ratione personarum proficua aptans cuique medicamenta. Porro tranquillitatem animi in Episcopis plurimum commendauit; ad quam consequendam, vnam eam patere viam ostendit, si contemplationis studium Episcopus non remittat: quo nomine laudauit hoc anno Iunium Episcopum Catanensem, quod contemplationi vacaret: nam ad ipsum scribit hæc inter alia [a]:

Tantum, inquit, quieti vestræ congaudeo, quantum de meis occupationibus ingemisco: atque hoc summopere exhortor, vt si palatum cordis dulcedo tetigit intimæ suauitatis, ita introrsum rapiatur animus, vt triste sit omne quod foris sonat, omne quod foris delectat. Laudo autem, quod humana conuenticula cauetis: quia sæpe animus, qui renouari in Deo per compunctionis gratiam desiderat, per praua colloquia iterum veterascit. Quæsiui autem qui vobis inhæreret in lectionis sacræ collegio, & neminem reperi,
C & vehementer ingemui paupertatem boni. Et quamuis peccator ego valde: occultus tamen si ad beati Petri Apostoli limina venire volueris, in sacro eloquio strictum me poteris habere collegam.] hæc Gregorius: ex cuius postremis verbis, quibus dixit, non reperiri qui posset ei in sacræ lectionis collegio inhærere; & quod postea subijcit, se fore in sacro eloquio ipsi collegam: intelligas eiusmodi fuisse sacram exercitationem, vt simul positi viri interioris profectus studiosi, aliquid legerent de diuinis Scripturis, & de his quæ lecta essent, singuli qui præsentes essent, quid sentirent, dicere rogarentur. In huiscemodi spiritalibus epulis reficere se consueuisse sanctum Gregorium, ex ijs quæ ipse scribit in homilijs super Ezechielem intellexisti, dum & profitetur se ex fratrum in eiusmodi lectione collegarum responsionibus admodum profeciisse: nam audi eum rursum [b]:
D Scio enim, quia plerumque multa in sacro eloquio, quæ solus intelligere non potui, coram fratribus meis positus intellexi: ex quo intellectu & hoc quoque intelligere studui, vt scirem ex quorum mihi merito intellectus daretur. Patet enim, quia hoc mihi pro illis datur, quibus mihi præsentibus datur. Ex qua re, largiente Deo agitur, vt sensus crescat, & elatio decrescat.] hæc ipse; ex quibus quæ dicta sunt de lectione & colloquio de rebus diuinis simul haberi solitis, perspicue intelligere possis.

Quos vero Dei seruos longe abesse nouit, & apud se habere non posset, quod detinerentur alijs occupationibus impediti, eosdem frequentauit litteris, & eleemosynarum largitione fulciuit: quod cum in pluribus præteritorum annorum epistolis manifeste eluceat, eius rei non deest hoc etiam anno exemplum, cum scribit litteras ad Ioannem Abbatem montis Sinai in Arabia, cuius enixe implorat ad Deum preces, mittens ea quibus illum pro locis sibi subiectis indigere sciuisset: nam ad finem epistolæ [c]:
E Filio nostro Simplicio renunciante cognouimus, lectos vel lectisternia in Gerontocomio, quod a quondam illic Isauro constructum est, deesse. Propterea misimus lenas quindecim, rachanas triginta, lectos quindecim, pretium quoque de emendis culcitris vel naula dedimus: quæ dilectionem tuam petimus non indigne suscipere, sed in loco quo sunt transmissa præbere.] sed de eodem Ioanne Abbate consule superius dicta.

Eodem pariter anno, Indictionis videlicet septimæ, sanctus Gregorius basilicæ sancti Pauli peculiariter adscripsit latifundium ad Aquas Saluias cum alijs fundis pro luminaribus incendendis: quod quidem scripto voluit confirmatum, cuius est ista præfatio [d]: Licet omnia quæ hæc Apostolica habet Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli, quorum honore & beneficijs acquisita sunt, Deo sint auctore communia: esse tamen debet in administratione actionum diuersitas personarum, vt in assignatis cuique rebus cura adhiberi possit impensior. Cū igitur pro ecclesia B. Pauli Apostoli solicitudo debita nos commone-

ret,

[a] *Greg. lib. 12. epist. 25. Ind. 7. vet. edit.*

SYNAXIS IN LEGENDO ET COLLOQVENDO.

[b] *Greg. in Ezechiel. homil. 14. in princ.*

[c] *Greg. lib. 12. epist. 10. Ind. 7.*

[d] *Greg. lib. 12. epist. 9. Ind. 7.*

BASILICAE S. PAVLI ASSIGNATA PRAEDIA PRO LVMINARIBVS.

ret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum A
lumine suæ prædicationis impleuit; & valde incongruum esse ac durissimum videretur,
vt illa ei specialiter possessio non seruiret, in qua palmam sumens martyrij, capite est trun-
catus, vt viueret: vtile iudicauimus, eamdem massam, quæ ad Aquas Saluias nuncupatur,
cum omnibus fundis suis, &c.] Voluimus hæc reddidisse verbatim, quo scires non esse
figmentum, vel recens quoddam inuentum, quod dictum est superius suo loco, Apostolum Paulum ad Aquas Saluias capite truncatum fuisse. Extat hactenus eadem constitutio Gregorij in eiusdem basilicæ marmorea tabula incisa. Porro huiuscemodi donationum diuersis in Vrbe ecclesijs a sancto Gregorio collatarum alia item incisa lapidibus extant vetera monumenta, vt in ecclesia sanctorum Ioannis & Pauli Titulo Pammachij, in basilica sancti Petri, & alijs fortasse in locis. Eius autem quod pro foribus est basilicæ sancti Petri, sic se habet exordium vsque ad nomina eorum quæ donantur prædiorum: B

BASILICAE APOST. LVMINARIBVS DICATA OLIVETA A S. GREG.

Dominis sanctis ac beatissimis Petro & Paulo Apostolorum principibus Gregorius indignus seruus. Quotiens laudi vestræ vsibus seruitura quædam licet parua conquirimus, vestra vobis reddimus, non nostra largimur: vt hæc agentes, non simus elati de munere, sed de solutione securi. Nam quid vnquam sine vobis nostrum est, qui non possumus accepta reddere, nisi quia per vos iterum & ipsum hoc vt redderemus, accepimus? Vnde ego vester seruus reducens ad animum, multum me vobis, beati Apostoli Petre & Paule, esse deuotiorem, propter quod ab vberibus matris meæ, diuinæ potentiæ gratia protegente, intra gremium Ecclesiæ vestræ aluistis, & ad incrementum per singulos gradus vsque ad summum apicem sacerdotij, licet immeritum, perducere estis dignati: Ideoq. hoc priuilegij munusculum humili interim offerre deuotione præuidi. Statuo enim, & a meis successoribus seruandum sine aliqua refragatione constituo, vt loca vel prædia cum oliue- C
tis, quæ inferius describuntur, quæ pro concinnatione luminariorum vestrorum a diuersis quibus detinebantur recolligens, vestra vobis dicaui immutilata permanere. Id est, in patrimonio Appiæ, &c.] sunt omnia prædia cum oliuetis numero trigintaquinque. Ex quibus intelligas, quam abundans esse soleret copia lampadum incensarum, quarum tantum vsui tot tantaq. inseruire deberent oliueta.

Iam vero reliquum est, vt de tempore obitus ipsius Gregorij agamus: de quo certum est errare eos, qui dixerunt ipsum sexta Indictione defunctum. Ioannes enim diaconus cum hoc anno septima esse defunctum Indictione affirmat [a], idemq. asseuerat Beda. Et ne dici possit errorem in numerum irrepsisse; hæc omnia certiora redduntur (vt nulla de his possit dubitatio exoriri) ex dicta tabula donationis, quæ habetur in basilica sancti Pauli, ad cuius finem hæc habentur: Data octauo Kalendas Februarias, Imp. D N. Phoca D
PP. Aug. anno secundo, Consulatus eius anno primo, Indictione septima.] Quamobrem hoc anno eum esse defunctum, exploratissimum est. Puto quidem eam constitutionem fuisse postremam S. Gregorij, quem constat ad æternam vitam transijsse duodecima die mensis Martij. Habes ex his etiam quod corrigas in Paulo diacono, qui etsi sub anno secundo Phocæ obitum ponit sancti Gregorij, dum tamen fuisse octauæ Indictionis annum tradit [b], errare certum est.

a Ioan. diacon. lib. 4. c. 8.

DE OBITV S. GREG. PAPAE.

b Paul. diacon. lib. 8. c. 03.

Sic igitur sanctissimus Pontifex, qui se vere hic exulem senserat ac peregrinum, quod tamdiu in optatis habuit, atque multorum precibus iamdiu conatus fuerat impetrare, est feliciter consecutus, migrans dicta die duodecima Martij ex hac vita in illam æternam, ad quam, dum vixit, iugiter anhelauit. Sedit annos tredecim, menses sex, & dies nouem, vtpote qui creatus tertia die Septembris, mortuus est dicta duodecima Martij; *quod* E
tabulæ Ecclesiasticæ perpetua memoria notatum custodiunt. Sepultus est autem (*vt* ait Ioannes diaconus) in extrema porticu basilicæ sancti Petri. Quatuor enim porticus cum haberet basilica illa, duas scilicet hinc inde ab eius gremij lateribus positas: *quinque* vero erunt, si quis ipsum medium gremium inter porticus numeret, vt complures consueuerunt. Quæ igitur egrediendo basilicam a dextro latere extrema porticus est, extrema parte sepulchrum continuit sancti Gregorij, vbi adhuc extat subter altare sancti Andreæ, cuius ipse fuerat studiosissimus; licet non eadem forma, qua olim, modo extructum appareat: tunc enim in eo (vt testatur Ioannes diaconus) eiusmodi inscriptum epitaphium legebatur [c]:

c Ioan. diacon. in vit. S. Greg. lib. 3. c. 08.

EPITAPHIVM SEPVLCHRI S. GREGORII.

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas, viuificante Deo.

Spiritus

A *Spiritus astra petit: leti nil iura valebunt,*
Cui vitæ alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulchro,
Qui innumeris semper viuit vbique bonis.
Esuriem dapibus superauit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatq. actu, quicquid sermone docebat,
Esset vt exemplum mystica verba loquens.
Anglos ad Christum conuertit mente benigna,
Sic fidei acquirens agmina gente noua.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc pastor agebas,
B *Vt Domino offerres plurima lucra gregis.*
Hisq. Dei Consul factus lætare triumphis:
Nam mercedem operum iam sine fine tenes.] hactenus epitaphium, quod rude sæculum dare potuit, quo iam Latinum agrum, & montem ipsum quem fingunt poetæ Parnassum Musæ exules reliquissent. Sed præstat hic elogium sanctissimi viri de Gregorio recitare: vt intelligere possis, quanta gloria fuerit acceptus a posteris. Ildefonsus enim ille Toletanus Episcopus in libello quem confecit de viris illustribus (quem manuscriptum bibliotheca Vaticana custodit) numeraturus eius scripta, ipso ingressu operis, de Gregorio ista habet:

S. GREGORII LAVDES.

Gregorius Papa, Romanæ sedis & Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate summus, tantoq. per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine præditus,
C vt non modo illi præsentium temporum quisquam, sed nec in præteritis quidem par fuerit vmquã.] hucusque ex Isidoro [a] de viris illustribus, quẽ inferius citat. pergit vero ipse, hæc addens: Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnium illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.] At hæc si tibi videri possint hyperbolice dicta: quod ex his possis consequi, illud est, quod ea æstimatione ad posteros fama de sanctitate & doctrina Gregorij propagata est, vt maxima quæque Gregorium diligentibus visa sint ipso minora Gregorio.

[a] *Isidor. de vir. illustr. c. 27.*

Porro istiusmodi præmissis Ildefonsus de ipso præconijs, ad enumeranda ea quæ edidit commentaria se conuertit; quæ nos suo loco & tempore, quo singula scripta sunt, collocauimus. Verum ipsa diuino potius tribuenda esse numini, quam humanæ indu-

COLVMBA AD AVREM S. GREGORII.

D striæ, manifesta visio declarasse fertur. Etenim ad ipsum columbam desuper lapsam, cum quid de sacris litteris scribere vellet, visam a Petro diacono esse, & ea de causa columbam in capite ad aurem eius pingi consueuisse, Ioannes diaconus [b] asserit, ea ex causa scilicet, quod a diuino Spiritu (cuius columba symbolum tenet) quæcumque scripta ab eo sunt, ipsi esse suggesta, constans opinio fuit. Ceterum diabolum quibus valuit artibus per ministros suos conatum esse, vt eiusdem lucubrationes ignibus traderentur, idem Ioannes diaconus habet, qui hæc ait [c]:

[b] *Ioan. diacon. vit. S. Gregorij lib. 4. c. 69.*

[c] *Ioan. diacon. eod. cap.*

CALVMNIAE IN S. GREG. IACTATAE A MALEVOLIS.

Quo scilicet liberalissimo pastore defuncto, vehementissima fames eodem anno incubuit. Et quanto patrono tunc Roma caruerit, licet rerum inopia toto pene mundo monstrauerit, inuidorum tamen feritas minime recognouit: nam sicut a maioribus traditur, cum calumniarum veterum inceptores Gregorium prodigum dilapidatoremq.
E multiplicis Patriarchatus thesauri perstreperent, deficiente personali materie, ad comburendos eius libros cœperunt pariter anhelare. Quorum dum quosdam combussissent, & reliquos vellent exurere: Petrus diaconus familiarissimus eius, cum quo quatuor Dialogorum libros disputauerat, creditur * vehementer obstitisse, dicens, ad obliterandam eius memoriam librorum exustionem nihil proficere, quorum exemplaria, diuersis petentibus, mundi ambitum penetrassent: subiungens, immane sacrilegium esse, tanti Patris tot & tales libros exurere, super cuius caput Spiritum sanctum ipse in similitudinem columbæ tractantis frequentissime perspexisset.

* traditur

PETRI DIAC. TESTIMONIVM DE SANCTITATE GREGORII.

Cumq. dudum deuotum populum diaconus cerneret occasione temporis cum inuidis resultare, in hoc omnium sententiam dicitur prouocasse: Vt si quod dixerat, iureiurando confirmans, mori continuo meruisset, ipsi a librorum exustione desisterent: si vero superstes sui testimonij extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret.

Itaque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque cum Euangelijs in ambonem venerabilis leuita Petrus aſcendens: mox vt Gregorianæ ſanctitati teſtimonium præbuit, inter verba veræ confeſſionis ſpiritum efflauit, & a dolore mortis extraneus iuxta pyrgi baſim (ſicut hactenus cernitur) confeſſor veritatis meruit ſepeliri. Hinc eſt quod conſuetudinaliter Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper ſcribentis Gregorij caput depingitur, & quod expoſitionum illius pars maxima, quæ vtique ab inuidis exuſta recolitur, non habetur.] hæc Ioannes ex maiorum (vt air) traditione. A

Sed quæ fuerint iſta, ignota penitus Iſidoro atque Ildefonſo, qui recenſentes catalogum ſcriptorũ eius, licet præter illa, alia plura fuiſſe a S. Gregorio ſcripta teſtentur, de exuſtione tamen qua aliqua perierint, verbũ nullum. Fides ergo vacillat auctoris, eoq. magis, quod neque apud Paterium ipſius Gregorij Notariũ de his aliqua mentio habeatur: qui dum cuncta diuinæ Scripturæ teſtimonia ab ipſo Gregorio elucidata in ordinem ſuum redegiſſet, de exuſtione nihil, cuius, cum ipſe præſens Romæ eſſet, meminiſſe neceſſario debuiſſet: vnde apud me (vt dixi) fides auctoris valde redditur dubia. Sigebertus etiam nullam, obſtante Petro diacono, factam eſſe librorum exuſtionem teſtatur in Chronico, ſed de viris illuſtribus [a] ſecus, vbi & addit hæc de Paterio: Paterius Romanæ Eccleſiæ Notarius & Secundicerius, colligens omnia diuinæ Scripturæ teſtimonia, per quæ Gregorius obſcura ſuæ expoſitionis elucidauit, tres libros edidit, duos de teſtimonijs veteris Inſtrumenti, & vnum de teſtimonijs noui Teſtamenti; ipſumq. codicem appellauit, librum Teſtimoniorum.] hæc ipſe. Extat eiuſmodi Paterij lucubratio. Porro de ipſo Paterio ſæpe fit mentio in epiſtolis & alijs Actis publicis ſancti Gregorij. B

DE COMBVSTIONE LIBRORVM S. GREG. DVBIA ASSERTIO.

[a] *Sigeb. de viris illuſtr. cap. 41. & 43.*

Quod rurſus ad eiuſdem S. Gregorij ſcripta pertinet: dum audis apud Ioannem diaconum tredecim libros numeratos eſſe epiſtolarum ipſius ſecundum annorum numerũ quibus in Pontificatu vixit: cum hodie nonniſi duodecim numerentur, non putes vnum ex ipſis eſſe deperditum, ſed eoſdem omnes aliter numeratos, nempe vel per annos Pontificatus eius, vel ſecundum Indictiones digeſtos. Præter hæc autem Antiphonarium a S. Gregorio Eccleſiæ vſui relictum fuit, de quo Sigebertus: Quæ ſcriptura Gregoriũ tam illuſtrauit, quam illud quod Antiphonarium regulari muſicæ modulatione centonizauit, & ſcholas cantorum in Romana Eccleſia conſtituit.] hæc ipſe. Quibus adde Sacramentarium ſiue librum ſacramentorum, nempe ad ſacros ritus Miſſarumq. ſolemnia volumen pertinens, nuper cuſum. Sed & in ipſa Miſſarum celebratione (inquit Beda) tria verba maximæ perfectionis plena ſuperadiecit, *videlicet:* Dieſq. noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.] At hæc de ſcriptis ſancti Gregorij ſatis ſunto, præter illa quæ ſuis locis ſuperius diximus. C

Res vero geſtas ipſius non ab alio Ioanne diacono, quam ab eo quem diximus, ſcriptas fuiſſe, certo reperimus: verum ante ipſum a Paulo diacono id factum conſtat, ſed excidit eiuſmodi lucubratio. D

Quoniam autem habet quamdam ſcriptio cum pictura cognationem: quæ idem Gregorius in ſuo monaſterio picta reliquiſſet, ſuoq. titulo prænotata, quæ adhuc tempore Ioannis diaconi integra erant, ex eodem auctore Ioanne hic deſcribenda ſunt, qui ea refert in hunc modum [b]:

[b] *Ioan. diacon. in vit. S. Greg. lib. 4. c. 83.*

DE IMAGINE GORDIANI.

In eius venerabilis monaſterij atrio, iuſſu Gregorij, iuxta Nymphium duæ iconæ veterrimæ artificialiter depictæ vſque hactenus videntur. In quarum altera beatus Apoſtolus Petrus ſedens conſpicitur, eumq. ſtantem Gordianum Regionarium, videlicet patrem Gregorij, manu dextera per dexteram nihilominus ſuſcepiſſe. Cuius Gordiani habitus caſtanei coloris planeta eſt, & ſub planeta dalmatica, in pedibus caligas habens, ſtatura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condenſi, vultus grauis. E

DE IMAGINE S. SILVIAE.

In altera vero mater Gregorij ſedens depicta eſt Siluia candido velamine a dexrero humero taliter contra ſiniſtrum reuolto contecta, vt ſub eo manus tamquam de planeta ſubducat, & circa pectus ſub gula inferior tunica pſeudolactinei coloris appareat, quæ magno ſinuamine ſuper pedes defluat duabus zonis ad ſimilitudinem dalmaticarum, ſed latioribus omnino diſtincta: ſtatura plena, facies rotunda quidem & candida, ſed ſenio iam rugoſa, quam ipſa quoque ſenectus pulcherrimam fuiſſe ſignificat, oculis glaucis & grandibus, ſupercilijs modicis, labellis venuſtis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem mitram candentis brandei raritate niblatam *: duobus dexteræ digitis ſignaculo Crucis ſe munire velle prætendens: in ſiniſtra vero patens Pſalterium retinens, in quo

* vmblatam

hoc

A hoc ſcriptum eſt [a]: Viuet anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. A dextero vero cubitu vſque ad ſiniſtrum circa ſcapulas verſus aſcendens reflectitur, qui ita ſe habet: GREGORIVS SILVIAE MATRI FECIT. [a] Pſal. 118.

DE IMAGINE S. GREGORII.

Sed & in abſidicula poſt fratrum cellarium Gregorius eiuſdem artificis magiſterio in rota gypſea pictus oſtenditur, ſtatura iuſta & bene formata, facie de paternæ faciei longitudine & maternæ rotunditate ita medie temperata, vt cum rotunditate quadam decentiſſime videatur eſſe deducta, barba paterno more ſubfulua & modica, ita caluaſter, vt in media fronte gemellos cincinnos raruſculos habeat & dextrorſum reflexos: corona rotunda & ſpatioſa, capillo ſubnigro & decenter intorto ſub auriculæ medium propendente, fronte ſpatioſa, clatis & longis & exilibus ſupercilijs: oculis pupillas furuis non quidem magnis, ſed patulis ſubocularibus plenis, naſo a radice ſuperciliorum ſubtiliter B directo, circa medium latiore, deinde paulo recuruo, & in extremo patulis naribus præminente, ore rubro, craſſis & ſubdiuiduis labijs, genis compoſitis, mento a confinio maxillarum decebiliter prominente: colore aquilino & viuido, nondum (ſicut poſtea contigit) cardiaco: vultu miti, manibus pulchris, teretibus digitis & habilibus ad ſcribendum. Præterea planeta ſuper dalmaticam caſtaneam, Euangelium in ſiniſtra, modus Crucis in dextera: pallio mediocri, a dextero videlicet humero ſub pectore ſupra ſtomachum circulatim deducto, deinde ſurſum per ſiniſtrum humerum poſt tergum depoſito, cuius pars altera ſuper eumdem humerum veniens, propria rectitudine non per medium corporis, ſed ex latere pendet: circa verticem vero tabulæ ſimilitudinem (quod viuentis inſigne eſt) præferens, non coronam. Ex quo manifeſtiſſime declaratur, quia Gregorius dum adhuc viueret, ſuam ſimilitudinem depingi ſalubriter voluit, in quo poſſet a ſuis monaC chis non pro elationis gloria, ſed pro cognitæ diſtrictionis cautela frequentius intueri: vbi huiuſmodi diſtichon ipſe dictauit:

Chriſte potens Domine noſtri largitor honoris,
Indultum officium ſolita pietate guberna.

Vbi etiam tempore iam Petri Archidiaconi, & Ioannis Oeconomi, Saturninus monachus dextera læuaq. beati Gregorij effigies ſanctorum Apoſtolorum, quemadmodum modo videntur, depinxit. Quo ſcilicet loco nonnumquam diuinitus candela ſuccenditur, & in eiuſdem ſimilitudinis effigie pro regimine ſui monaſterij ſæpe B. Gregorius præſentatur.] hactenus de imaginibus Ioannes diaconus, his ſubijciens S. Gregorij in eodem monaſterio varias apparitiones, de quibus nos ſuo loco dicturi ſumus.

GORDIANVM DIACONVM FVISSE INDICAT EIVS HABITVS.

Sed miror, ab ipſo Ioanne diacono, dum contemplatus eſt atque deſcripſit GordiaD ni patris S. Gregorij imaginem, non conſideratum, vel ſi conſiderauit, non declaratum, eodem ferme habitu decoratas fuiſſe vtriuſque, patris ſcilicet, atque filij pictas imagines, nihilq. magis habuiſſe a patre Gregorium, niſi pallium, quod erat inſigne Pontificum: vtriuſque enim ait fuiſſe indumentum planetam caſtanei coloris, & ſub planeta dalmaticam. Ex quibus in eam adducor ſententiam, vt opiner patrem ſancti Gregorij fuiſſe aliquo modo ſacris initiatum: vt de plurimis accidiſſe conſtat hominibus coniugatis, qui accepto ab vxore conſenſu, vitæ ſe clericali, vel monaſticæ manciparunt. Quod inſuper idem Gordianus Regionarius nominetur, titulus iſte eſt ſeptem primi ordinis diaconorum, qui Regionarij dicebantur: vnde fit, vt interdum fuerim opinatus, ipſum fuiſſe diaconum Regionarium, nempe vnum ex ſeptem diaconis Cardinalibus.

Dalmaticam quidem fuiſſe inſigne diaconorum Romanæ Eccleſiæ, aliquando vero alijs E Eccleſijs ex priuilegio a Pontifice Romano conceſſam, ex eiuſdem ſancti Gregorij [b] epiſtolis patet. Sed & quod caligas habuiſſe in pedibus Gordiani imaginem dicit, vtique & hoc ipſum ad ornatum Romanæ Eccleſiæ diaconi pertinet. Erat enim diaconis Romanæ Eccleſiæ eiuſmodi ornamentum, quod interdū pro magno priuilegio concedi ſolitum alicuius nobilis Eccleſiæ diaconis, ſuperius dictum eſt ex ipſius S. Gregorij epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum [c], vbi agit de calceis compaginatis. Vides igitur, & attentius tu conſidera quem reddat pictura Gordiani patris S. Gregorij, num tantummodo Senatorem, vel ſacris initiatum diaconum Regionarium. Ceterum ipſi Ioanni diacono debemus plurimum, quod huiuſmodi antiquitus effigiata coloribus monumenta, iam omnino deperdita, nobis ſuis ſcriptis integra cuſtodiuit: ſed quæ ex alijs inde acceptis illis ſimilibus exemplaribus ſumma induſtria F. Angeli Rocchæ venerabilis Sacriſtæ S. D. N. Clementis Papæ VIII. formis expreſſa ſunt, hic tibi imprimenda curauimus.

[b] Gregor. lib. 7. epiſt. 113. Ind. 2. edit. Rom.

[c] Gregor. lib. 7. epiſt. 28. Ind. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IMAGINES. AD. VIVVM. EXPRESSAE

EX. ÆDICVLA. SANCTI. ANDREÆ PROPE. BEATI. GREGORII. MAGNI. ECCLESIAM, NECNON. EX. VITA. EIVSDEM. BEATI. GREGORII A. IOANNE. DIACONO. LIB. IV. CAP. LXXXIII. ET. LXXXIV. CONSCRIPTA.



GORDIANVS. S. GREGORII. PATER | S. GREGORIVS MAGNVS | SILVIA. S. GREGORII. MATER.

A Quod vero ad alias venerandas imagines ab eodē S.Gregorio pingi iussas pertinet: habes hæc ab Hadriano Pōtifice in epistola ad Carolum Magnum asserta: S.Gregorius Papa in monasterio suo pulchrum fecit oratorium, & ipsum diuersis historijs pingi fecit, atque sacras ibidem direxit imagines: vbi & cum beato Eleutherio pro ægritudine stomachi sui ingressus, in oratione pariter exauditi sunt, & ille vir S.Eleutherius (quē dicunt & mortuum suscitasse) ante ipsas sacras imagines se prosternens, diuinam rogare clementiā cum S. Gregorio non dubitauit; sed fidem ferentes perfectam, pariter exaudiri sunt: & vsque hactenus apud nos venerātur. Sed & ecclesiā Arianorum, cuius ipse S.Gregorius in Dialogis meminit, placuit eidem S. Gregorio, vt in fide Catholica, introductis illic beati Sebastiani & beatæ Agathæ martyrum reliquijs, dedicare debuisset: quod & factum est: & diuersis ipse beatus Gregorius pingi fecit eam tam in musiuo, quam in coloribus, & ve-
B nerandas imagines illic erexit, & a tunc vsque hactenus venerantur.] hæc Hadrianus.

At licet ipse Gregorius viuens sibi cauerit, ne sui corporis tegumenta honore & cultu sanctis debito populus veneraretur, ob idq. sancito (vt vidimus) canone statuisset, vt cum Pontificis Romani corpus ad sepeliendum deferretur, nullo tegmine velaretur: Deus tamen voluit, vt refossa postea vna cum corpore eius ornamenta Pontificia populus pio cultu prosequeretur: nam audi quid dicat idem Ioannes diaconus [a]: Huius beatissimi Gregorij venerabile corpus a Gregorio Quarto sedis Apostolicæ Præsule post annos centum vigintiquinque (*ita corrigas textum, qui habet, quinquaginta*) translatum ante nouellum Secretarium constructis absidibus, sicuti modo cernitur, sub altari sui nominis collocatur, quo eius anniuersaria solemnitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissima celebratur: in qua *pallium* eius, & filacteria, sed & baltheus eius consuetudinali-
C ter osculantur.] per *filacteria* autem Crucem pectoralem reliquijs refertam ad collum ferri solitam significari, ex ipsius Gregorij epistola [b] ad Theodolindam intelligere satis potes. Pergit vero ipse: Quæ singulatim considerata, & antiquitatem viri, & mediocritatem habitus, & speciem regularis propositi signis perspicuis repræsentant. Nam in eo quod pallium eius byssо candente contextum nullis fuisse cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obuolutum fuisse, non autem confixum dignoscitur, sicut vetustissimis musiuis vel picturis ostenditur. Quod autem reliquiarum filacteria tenui argento fabricata, viliq. pallio de collo suspensa fuisse videntur, habitus eius mediocritas demonstratur. Porro in exilitate balthei, quæ vnius pollicis mensuram numquam excedit, speciem propositi regularis olim a S. Benedicto statuti, cuius ipse vitam describens in Dialogo, regulam quoque laudauerat, eum seruasse luce clarius manifestat.] hæc
D ipse. Ceterum antiquitus, cum diuersi essent ordines monachorum, haud memini eosdem adeo habitu valde fuisse distinctos, vt vel ex cingulo, cuius quis obseruantiæ esset, dignosci facile potuisset.

Quod autem ad reliquas res gestas S. Gregorij: habet Anastasius ipsum feciſſe ciborium cum columnis quatuor ex argento puro super sepulchrum S. Petri Apostoli, statuisseq. vt supra sepulchrum eiusdem Apostoli Missæ celebrarentur.] constructisse quoque oratorium apud oratoria Hilari Papæ, monumenta ecclesiæ Lateranensis testantur, illicq. solitum ostendi stratum ipsius; ac locum illum dictum oratorium sanctæ Crucis ab eodem frequentatum, in ijsdē asseritur. Porro insignia monumenta ista sub Sixto Quinto deiecta doluimus. Ad postremum autem hæc idem Anastasius de ordinationibus ab eo habitis: Hic fecit ordinationes duas, vnam in Quadragesima, aliam in mense Septem-
E bris: creauit presbyteros trigintanouem, diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca sexagintaduos. & cessauit Episcopatus eius menses quinque & dies decem & octo.] hæc ipse. Porro nos non profitemur hic cuncta quæ sunt Magni Gregorij recitare: nam de aliquibus miraculis in promptu est quem consulas Ioannem diaconum, apud quem multa inuenies, quibus eius vitæ sanctitas commendetur. Breuitati (quantum licuit) consulendum nobis fuit, cum præsertim adhuc multa de ipso dicenda superſint.

Nam tempus a nobis exigit, & facta diu ante promissio cogit tractationem habere de eo quod fertur de Traiani anima precibus sancti Gregorij ab inferis liberata. Quamobrem hic antequam ad successorem Gregorij transeamus, quod attigimus antea secundo Annalium tomo ipso primo anno Traiani, & in eius obitu, pollicitiq. sumus locupletius suo loco tractare, fusius est pertractandum.

[a] *Ioan. diacon. vit. S. Gregorij lib. 4. c. 80.*

DE RELIQVIIS S. GREGORII A POPVLO ROM. HONORE CVLTIS.

[b] *Greg. lib. 12. epist. 7. Ind. 7.*

RELIQVAE RES GESTAE S. GREGORII.

DE VVLGATA QVAESTIONE ANIMAE TRAIANI AB INFERIS REVOCATAE.

Scimus commentum istud non inter aniculas tantum vulgusq. iactatum, sed Theologorum recentiorum ferme omnium ore versatum, eorum aliquibus affirmantibus Traiani animam precibus sancti Gregorij ab inferis reuocatam, aliquibus vero negantibus: rursumq. eos, qui factum id vt scriptum reperitur verum existimarunt, quomodo id se habere potuerit (cum multa veritati sentiant aduersari) longissimas easdemq. perplexas ingerere quæstiones, diuersa diuersis sentientibus: vt sit plane dolendum, in his vniuersam occupatam diu tentam scholam Theologorum Scholasticorum. Quos quidem in primis excusatione dignos quisque putarit, cum quam acceperint a Ioanne Damasceno historiam, nonnisi veram putarunt, vtpote a viro grauissimo scriptam, & a Ioanne diacono confirmatam: Deinde quod non est Theologorum, res gestas quam studiosissime disquirere: cum contingat etiam disputationis causa non semper proponi id quod vere est, sed sub conditione si sit, vt multis exemplis constat: sicq. acciderit, vt proposita quæstione ex facto a Damasceno narrato; quomodo id fieri potuerit, fusius disputarint. quo nomine ipsos excusatione dignos existimo.

At quid accidit? Cum a quibusdam ornatissimis alicuius nominis sæculi huius nostri Theologis eiusmodi de anima Traiani ab inferis reuocata historia, vt fabula inanis, penitus exploderetur: statim occursum est, vt ad suffulciendum quod absque fundamento corrueret ædificium, paucos ante annos ederetur libellus De vera liberatione animæ Traiani a pœnis inferni precibus sancti Gregorij Papæ. Quod igitur ex instituto suscepto elucidandæ historicæ veritatis, & ex promissione facta tenear duplici vinculo obligatus: in his erit aliquantulum immorandum. Sede, quæso, æquus arbiter lector: appello te veritatis amantem, non quem priuata affectio cum semel imbuerit, sit impossibile vel mille funibus ex rationibus a veritate bene compactis vel latum vnguem e sententia dimoueri.

In primis autem illud omnino leue & inane prorsus fundamentum, supra quod tota ista erecta moles innititur, est reuellendum: vt cum eam videris super nihilum fabricatam, euanescere, nec posse subsistere, statim intelligas. Traiani enim in primis laudata probitas stabilis veluti fundamenti loco statuitur: nimirum, quod dicatur eius Gregorius misertus ob eam causam doluisse, ingemuisse, addidisse etiam preces, quibus eum euocaret ab inferis. Iacto vero istiusmodi de Traiani vitæ integritate in historia fundamento cum Dio aduersari sciretur, idem veluti Latinis infensus, quod Græcus esset historicus, reijcitur ab auctore, qui fabulam hanc defendendam suscepit: sed plane decipitur, cum enormium Traiani vitiorum vnum tantum putauit assertorem esse Dionem, qui quidem haud meruit post tot sæcula eiusmodi calumniam pati, vir sane laudatissimus, Latinorumq. studiosissimus, quiq. in vrbe florentissima præ animi integritate ordinario Consulatu dignus est habitus. Sed ad eludendam istiusmodi obiectionem, inanemq. tergiuersationem, Latinos etiam adhibebimus testes: ac primum, quæ de eodem Traiano a nobis in hanc sententiam sunt dicta superius secundo tomo sub anno eius primo, ita repetamus hic totidem ferme verbis [a]:

a Annal. to. 2. Traiani an. 1. TRAIANVS MORIBVS TVRPISSIMVS.

Dio Cassius, suorum temporum scriptorum facile princeps, cum multa de Traiano laude dignissima prædicet, hæc tandem: Nihil omnino erat, quod optime non exerceret. Vini dumtaxat appetens, & in adolescentulos pronus citra calumniam habitus est, vtpote qui numquam ex eo turpe aut mali quicquam effecit. Nam qui vinum vsque ad satietatem biberet, sobrius tamen erat, neque in crimen, prægrauante vino, propulsus est: & in masculorum amoribus ita sibi temperauit, vt nihil per vim, dum voluptati obsequitur, moliretur.] Vides Dionem tantum abesse vt calumnijs agat liuore percitus, vt eumdem plus æquo excusare studuerit, cum nonnisi volentibus abuti consueuerit? Egregiam vero laudem, si volentes tantum (proh pudor!) pueros habuit in delicijs: quasi reperiri posset, nisi forte Christianus, qui non in omnibus assentiretur Imperatori. Quis non absque culpa vel pœna præstare se putaret, quod tam bonus peteret Imperator? Sed prouoco ipsos, qui eum laudant, ad suas ipsorum leges. Quid ipsorum poeta [b], qui his temporibus vixit?

b Iuue. satyr. 2.

Quod si vexantur leges ac iura, citari
Ante omnes debet Scantinia.]

Domitianum laudans, qui eiusmodi nefandum crimen legibus insectaretur. Qualis ergo ha-

habendus est Traianus Imperator, cuius comparatione, hac saltem ex parte, Domitianus omnium sceleſtiſſimus, ſanctiſſimus habeatur, quippe qui eiuſmodi facinoroſos, cuiuſuis conditionis eſſent, ſtatutis a lege pœnis mulctabat? nam Suetonius hæc de ipſo teſtatur [a]: Quoſdam ex vtroque ordine lege Scantinia condemnauit.] Sed quam eidem pœnæ præ ceteris Traianus fuerit obnoxius, qui nec in ſua explenda libidine nepoti pepercit? Scribit enim Aelius Spartianus hæc de Hadriano filio conſobrini Traiani: Fuitq. in amore Traiani, nec tamen ei per pædagogos puerorum, quos Traianus impenſius diligebat, Gallo fauente, defuit.] Inter optimos ne, vel ſaltem bonos recenſendus ille videri poteſt, qui ſcriptorum Græcorum & Latinorum antiquorum teſtimonio omnium turpiſſimus eſt habendus; quem & Iulianus [a] Cæſar Chriſtianorum hoſtis ex perſona Sileni ſugillat, quod a turpi & nefandiſſima voluptate victus eſſet, vt indignus haberetur, qui cum periculo Ganymedis inter deos videretur eſſe receptus? Vides quæ contra tuum Traianum fœdiora obiecerint alij teſtes, quorum comparatione fuerat tibi Dio laudandus, qui illum excuſat, & non calumnijs appetendus?

[a] *Suet. in Domit. c. 8.*

ABIPSIS GENTILIBVS TRAIANVS SVGILLATVS.

[a] *Iulian. Cæſ.*

At ſi iſtiuſmodi hiſtoricæ veritati admoueas clariores Sole radios Euangelicæ veritatis, inſpicies ſententia Pauli [b] ad Romanos ipſos ea de re ſcribentis, plane huiuſmodi delinquentes vel omnium ſceleratiſſimos Dei ſententia in reprobum ſenſum datos, atque a Deo penitus derelictos, hos inquam qui aliorum pondere ſcelerum in eiuſmodi imum turpitudinis cœnum ſinantur præcipites ferri: ait enim: Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutauerunt naturalē vſum in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu feminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis *inuicem*, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam *oportuit erroris* ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum *habere in notitia*: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ *non conueniunt*, repletos omni malignitate & malitia, &c.] Ecce Dei ſententia & Pauli *teſtimonio*, quam omnium ſceleratiſſimi habendi ſint, patet, qui ita effecti eſſent omnium turpiſſimi, ſic in eos numine vlciſcente peccatum impietatis.

[b] *Rom. 1.*

SODOMITICI DATI IN REPROBVM SENSVM.

Poſt hæc autem eiuſmodi adiecimus corollarium ex abſurdo: Qui fiet vt dicatur anima Traiani precibus S. Gregorij ab inferorum pœnis eruta, & in cælum elata; & affirmemus hominem impuriſſimum inter ſanctos in cælo vna cum Deo in æternam beatitudinem cooptatum, quem Iulianus Apoſtata ob eam cauſam nec ſub ipſa Lunæ concauitate in deorum conuiuium admitti voluit, niſi ab intemperanti eius animo prius cuſtoditus fuiſſet, cui admodum timebatur, Ganymedes? Cum Traianum (inquit Iulianus) conſpicatus Silenus, quamuis ſubmiſſa voce loqueretur, intelligi tamen volens, hæc verba protulit: Hoc tempore maxime ſumma cura & diligentia eſt adhibenda domino Ioui, quo illi cuſtodiatur Ganymedes.] Patietur ne quis, rogo (ſi ex fabulis deducere liceat argumentum) in ſummum cælum Traianum dici receptum, quem ne in infimum quidem cælum, niſi ſaluo Ganymede, putauit in conuiuium ſuorum deorum admitti? Hactenus ibi diximus: quibus videas Traiani nefandas turpitudines non vnius Dionis, ſed plurium, ſuorumq. Gentilium teſtificatione prolatas, terra cæloq. (cum ex cauſa fingere ita licuit) decantatas. Pro huius ne tam horrendo ſcelere inquinati & in ſuis peccatis atque infidelitate mortui liberatione ab inferis dicemus oraſſe Gregorium & exauditum eſſe, cum pro huiuſmodi nefandi criminis reis impijs Sodomitis adhuc viuentibus magnus pater credentium Abraham interceſſor factus non valuerit exaudiri, quin ignibus cælitus traderentur, quod non inuenti eſſent in eis iuſti, quos daret petenti Deo optimo maximo obſides?

Adde his alia execranda hominis crimina, quibus & ſe iniquiſſimum exhibuit in Chriſtianos. Dicent ne iuſtum Principem eum, qui tot Chriſtianorū innocentium millia crudeliſſime necari fecit? qui ætati non parcens, vel ſexui, ſæuijt velut beſtia truculenta, rabidus carnifex, iugulator inſontium, hac ex parte nequiſſimus & iniquiſſimus? quod & apologiæ ſanctorum Patrum pro Chriſtianis ad ipſum datæ teſtantur. Qua ergo fronte pro Traiano diuinum (vt aiunt) citant oraculum in reuelatione, quam dicunt factā ſanctæ Mathildi, qua dicitur Traianus omnibus virtutibus plenus, quem præter impietatem ex cultu idolorum eidem inhærentem, tot immanium vides criminum reum? Si ita comparatum hominem virtutibus plenum dixeris: ſileant penitus certa illa diuina oracula, quibus dicitur [c]: Qui in vno offendit, factus eſt omnium reus.] &, Modicum [d] fer-

[c] *Iac. 2.*
[d] *Galat. 5.*

mentum totam massam corrumpit.] Cum igitur auctor mendacij non sit Deus, non po- A
tuerunt ista diuinitus reuelari, quæ tam patentis mendacij arguuntur, vt virtutibus plenus ille dicatur, qui non in vno vel in minimis, sed in pluribus maximisq. peccatis offenderit.

HISTORIAE DE LIBERATIONE TRAIANI AB INFERIS COMPENDIVM.

Sed videamus, an solidiora sint, quæ super adeo inane fundamentum sunt ædificata. ostendunt quidem in omnibus par fundamento structuram, dum eiusmodi enarrant historiam: Cum anno secundo sui Pontificatus Gregorius procederet cum clero ex basilica Lateranensi ad S. Petri, per forum Traiani transiuit: vbi ob oculos posita simulacra in eodem collocata intuitus, inter alia admiratus est ea quæ ex ære vel lapide facta reddebant Traiani ex equo desilientis imaginem, & viduæ querenti adhibentis aures, & quod petebat implentis. Tunc in memoriam S. Gregorius nobile factum Traiani reuocauit, quo vindictam de nece filij viduam implorantem, licet esset in procinctu bellico, profecturus B
in Dacos, subsistens patienter audiuit, & ei in omnibus satisfecit, pecuniam copiose tribuens, vel (vt alij fabulantur) filium suum obsidem relinquens. Quod egregium factum (inquiunt) per inspectas imagines S. Gregorius in memoriam reuocans, ita compassione affectus est animo, vt pro Traiani animæ ab inferis liberatione Dominum exorarit: quem exauditum fuisse, per visum Angelus indicauit, monuitq. ne amplius ista præsumeret. Hæc summatim a nobis complexa sunt ex multis, cum tamen in eiusdem historiæ narratione non vna omnium sit assertio (cum vna sit veritas) sed prorsus diuersa: sed quod omnes æque a veritate procul errauerint, quis eorum sit potius audiendus, non habemus quem præponamus.

FALSA REDARGVITVR HISTORIA DE VIDVA ET TRAIANO.

Quoniam autē in vna narratione duæ quæ longe diuersis temporibus accidisse feruntur, C
iunguntur in vnum historiæ, altera de vidua sub Traiano, altera vero de eo quod post quingentos annos factum sit a S. Gregorio. De priori primum ac[e] arus, si rogem eos qui ista asserunt, quisnam eius ita compositæ narrationis auctor existat, neminem habent antiquorum historicorum quē prodant, quam nonnisi post sexcentos annos a Traiani temporibus auditam fuisse, vel scriptam, asserere possunt. Petierim rursus ab ipsis: Quisquis ille fuerit qui primus scripsit, vnde accepit? Vt enim quis rem gestam adeo admirandam ante annos quingentos gestam asserat pro constanti; certe vt audiendus sit, vnde acceperit, debet ingenue profiteri: quod si facere prætermittat, tunc (secundum illud Ecclesiastici [c]) leuis est corde, qui cito credit. Etenim sua ita cuilibet licebit fingere sibi somnia, si adeo facilem quemquam, qui audiat & credat, inueniet. Potuisset ista commentus, etsi non certum auctorem, aliquam saltem inditam statuis fictam inscriptionem, ad fidem de mendacio faciendam, testem adducere. Sed & cæca est stupida semper fictio, vt D
nesciat esse omni ex parte munita. Quæ igitur incognita prorsus fuit antiquis scriptoribus omnibus, qui res Traiani sunt prosecuti, itemq. posteris hactenus inaudita, cum data sæpius occasione eiusdem meminisse oportuisset: vt a recentioribus asserta recipi debeat, nulla quidem ratio persuadet.

c Eccli. 19.

Quam ergo ita super nullum hærere vides fundamentum, quomodo putas stabit vana constructio? Sed audi quibus, ne corruat, stipulis fulciatur, dum dicunt, accidere potuisse, vt eiusmodi historia scripta fuerit a Dione, sed ab eo qui Dionem in compendium redegit, Xiphilino fuerit prætermissa; & sic Dione deperdito, pariter ipsa perierit. Rogo ipsos: Quomodo qui recitat illam scisse potuit, si nec apud Xiphilini compendium eam inuenerit, nec apud ipsam integrā Dionis historiam, quæ exciderat? Quod si tamen ea cuncta vera esse dixerimus: quantum declamandum erit in Plinium, qui panegyricum Traiano dicens, cum ipsius recte gestorum seriem texuit, rei adeo memorandæ, cuius tam præclara monumenta extarent, nullam prorsus fecerit mentionem? sicq. oscitantiæ solertissimus scriptor redarguendus esset, qui ab omnibus quam exactissimus commendatur. vt ex his intelligas, quam eiuscemodi excogitatum commentum non a vero tantum, sed etiam a verisimilitudine procul absit. E

MENDAX IN OMNIBVS REDARGVITVR HISTORIA.

In eo autem quod asserit auctor, sanctum Gregorium per forum Traiani transeuntem æneæ statuæ inspectione commotum, vt oraret pro redemptione animæ Traiani a pœnis inferni: putauit imperitus nugator, ipsius inquam auctor historiæ, tempore sancti Gregorij eo splendore quo ante fuerat, perstitisse forum Traiani, statuasq. erectas super bases suas perseueraſſe eo decore quo antea fuerant collocatæ. Quod si in memoriam reuocasset tot clades Vrbis ante sancti Gregorij tempus illatas, haud facile inuenisset tale

quod

A quod elinxit historiæ argumentum. Vt enim mittamus illam Vrbis expilationem sub Alarico factam: quis nescit in illa alia deprædatione per Genfericum Vuandalorum Regem (quod auctore Procopio [a] liquet) suis fuisse ornamentis præclarioribus Vrbem spoliatam, ac statuis æneis insignioribus, quæ essent ob oculos positæ, cuiusmodi extabant in foro Traiani, ipsumq. etiam nec peperciſſe ijs quæ pro imbricibus erant in tectis æneis teguliis? etenim eodem auctore liquet, ipsum Capitolium detexisse tabulis æneis auratis, quibus contectum erat: quæ omnia deferenda in Africam nauigio imposita tradit, perijsse autem cuncta naufragio. Quid præterea reliquas sæpe factas Vrbis eiusdem semel ab Erulis, sæpius a Gothis deprædationes memorem? Sed reuoca in memoriam, quæ de Vrbe ruinis crebris attrita ipsemet sanctus Gregorius testatur sæpe, vt inter alia super Ezechielem [b]. Quid? putas peperciſſe barbaros æneis statuis, quos etiam intra B petras æs impactum atque plumbum reuulsiſſe, Cassiodorus [c] est auctor? Hæc satis sunto ad conuincendam erroris assertam historiam, quam non veritate tantum, sed (vt diximus) verisimilitudine etiam carere penitus, prudens lector intelligit.

a Procop. de bello Vuand. lib. 1.

b Greg. in Ezechiel. hom. 18. & dialog. lib. 2. cap. 1.

c Cassiod. lib. 3. epist. 31.

Sed & quod ad ipsum Gregorium spectat: adijciam amplius, vt consultum sit æstimationi sanctissimi Patris, quod ipse vt id faceret tantum abfuit, vt ne cogitatione quidem aliquando fuerit meditatus: qui econtrario insectatus est eos, atque hæreticos etiã appellat, qui Redemptorẽ nostrum, cum descendit ad inferos, peccatores omnes positos in inferno confitentes ipsum Deum, saluasse dixere. Est de his eius epistola [d] ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyterum Georgium, & Theodorum diaconum. Postquam enim huiusmodi esse hæreticos ex sententia Philastrij & Augustini asseruit, hæc subdit: Hæc itaque omnia pertractantes, nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet: C quia descendens ad inferos Dominus illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide & bona operatione seruauit. Quod enim per Euangelium dicit [e]: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum: omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deũ post mortem non potuit, qui se a Deo male viuendo separauit.] Hæc ipse cum doceat, quis adeo imprudens dixerit, tentasse ipsum Gregorium precibus obtinere, quod nec Christo ipsi ad inferos descendenti fuisse concessum asseruit, & secus sentire, esse hæreticum prædicauit? Ista dixerimus, & sæpesæpius inculcauerimus, ad indicandum non solum id quod asseritur non fuisse a Gregorio factum, sed nec in mentem ipsi cadere potuisse, qui dictæ sententiæ adeo fuerit aduersatus.

QVAM PROCVL ABFVIT VT ID GREGORIVS COGITARIT.

d Greg. lib. 6. epist. 15. Ind. 15.

e Ioan. 12.

Sed vnde, dices, tantus error inualuit, vt ejusmodi historia tamquam vera absque aliqua discussione a nonnullis magni nominis Theologis accepta, non primum D de eius fide quæsitum, sed dumtaxat quomodo fieri potuerit, repugnante diuina lege, fuerit ab ijsdem adeo disputatum? In promptu est dicere. Quod enim eadem asserta reperiretur a viro sanctissimo, magniq. nominis Theologo, Ioanne inquam Damasceno, haud in dubium reuocandam putarunt, vel vt falsam reijciendam esse duxerunt; cum præsertim eam vti rem certam indubitatamq. ipse prodiderit verbis istis [f]: Prodeat in medium Gregorius Dialogus antiquioris Romæ Episcopus, vir (vt omnes norunt) tum vitæ sanctitate, tum eruditione clarus ac celebris; quem, cum sacris operaretur, cælestem ac diuinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse narrant. Hic cum per locum lapidibus stratum aliquando iter faceret, dedita opera constitit, intensissimasq. pro peccatorum Traiani remissione preces ad animarum amantem & misericordem Dominum fudit, statimq. vocem huiusmodi diuinitus emissam audiuit: Preces E tuas exaudiui, ac Traiano ignosco. Tu vero posthac caueto, ne mihi pro impijs supplex sis. Quodq. istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testatur.] hæc Damascenus, quæ cum Gregorio cognomento Dialogo adscribantur, non Primo, sed Secundo Gregorio tribuenda essent.

S. IOANNIS DAMASC. DE ANIMA TRAIANI LIBERATA ASSERTIO.

f Damasc. in orat. de fidel. defunct.

At cum hæc vtcumque a tanto viro, tanto præconio, orbis totius attestatione absque vel leui aliqua dubitatione noscerentur allata, absque aliqua veritatis exactiore discussione credita acceptaq. a reliquis fuerunt; cum præsertim quæ ita simpliciter narrata sunt, penicillo orationis coloratam alij eamdem historiam fusius scriptam ediderint: adeo vt complures eam vti rem veritate constantem acceperint, quæ tamen (mea sententia) ad lapidem Lydium primum fuerat afferenda, atque an vere ita se res habuisset, commentumve esset & impostura, solicitius exquirendum. Quod cum fieri omissum fuerit: vel sero saltem consulentes integritati ac maiestati pariter Chri-

stianæ religionis, an verum vel falsum sit, quod tanti viri testificatione narratur, discu- A
tiendum quam diligenter erit.

VIRI AVCTORITAS NON PRAEIVDICAT VERITATI.

Ac primum quidem ab omni impostura suspicione virum sanctissimum immunem reddimus, nihilq. ab ipso commenticium esse factum, vel excogitatum, constanter asserimus: sed quod ipse vere factum accepit ac credidit, hoc ipsum quomodo audiuit, scriptis suis bona fide mandauit. At in his quæ ad rerum gestarum veritatem spectant, quam frequenter accidat falli etiam prudentissimos, non in antiquis tantummodo, sed & in his quæ facta dicuntur in eodem loco quo ipsi sunt, & quo viuunt tempore, cum vsus doceat, pluribus demonstrare, superuacaneum esse putamus. Ob idq. nihil est, vt quantauis siue sanctitatis, siue doctrinæ cuiuslibet prærogatiua viri, quod non factum sit vmquam vt factum asserentis, ipsi veritati præiudicium possit inferre; cum in his quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus, fideiq. Orthodoxæ professor B
atque defensor aliquando falli. Sit in exemplum, quod qui maior est Damasceno Theologus, ita antonomastice dictus, celeberrimus sanctitate atque doctrina Gregorius Nazianzenus in ea oratione quam de sancto Cypriano ad populum habuit, manifestissimo lapsus errore cognoscitur, cum duos in vnum Cyprianos conflat, Antiochenũ, atque Carthaginensem, quos constat fuisse diuersos, inter seq. distinctos. Num, rogo te, eminentia superexcellens vndique comparata cumulataq. in viro tanto efficere potest, vt quod mendacium est, veritas sit, & quod perinde ac verum ab eo falsum assertum est, recipiatur ab omnibus? Minime gentium, dices; sed reijciendum penitus asseres, quod contrarium historicæ veritati a quouis allatum firmatumq. vt verum fuerit. Ita quidem iure, omnesq. prudentes hoc ipsum dicent, ac firmiter profitebuntur.

Cum nihil igitur præiudicij inferat veritati viri prærogatiua, vt indiscussum tamquam C
diuinum oraculum quicquid ab eo dictum fuerit citra sancta Ecclesiastica dogmata, vt verum accipiendũ sit: patere, quæso, vt dicta primum a Ioanne Damasceno de liberata Gregorij precibus Traiani anima ab inferis, quæ in medium sunt allata, examinemus. Sufficere quidem potuissent ad mendacium arguendum, quæ de historia nulla veritate suffulta a nobis superius sunt demonstrata. Sed quoniam (vt audisti) Oriens, & Occidens, atque vniuersus orbis rei gestæ testis adducitur; hoc ipsum perscrutandum nobis erit.

Accidere solet interdum, vt aliquid vulgo allatum, si quis certos velit examinare testes, an verum sit; neminem id serio testantẽ inueniat, fiatq. vt quod ab omnibus dici iactatur, asseratur a nemine, rumorq. ille euanescat in auras: quod plane in hac causa, de qua agi-

INCOGNITA LATINIS HISTORIA.

tur, factum reperimus. Cum enim post obitum sancti Gregorij, labentibus annis centum & amplius quod excurrit, id de eo reperiretur ipse Damascenus esse testatus: Ioannes D
diaconus, qui sub Ioanne Octauo trecentis ferme post annis ab ipso Gregorio vixit, ac scripsit in Vrbe vitam ipsius, vbi ad locum hunc deuenit, vt narraret rem adeo celebrem, scriptoq. firmatam, consignatamq. certis testibus posteris eam relinqueret: hæsisse plane est visus in salebris, dum nihil habuit quod ad rem testandam ex Archiuo Romano peteret, vel ex alijs Italiæ locis, aut Galliarum, Hispaniarumve, aut aliarum prouinciarum Ecclesijs adducere posset: sed migrandum ipsi fuit ad diuisos penitus toto orbe Britannos, ex Anglicana inquam Ecclesia accersere testes. Vides igitur hyperbolem illam de Occidentis & Orientis testificatione, ceu bullam leuem inflatam vento, sui inanitate disruptam euanuisse.

Quid igitur de re tanta idem scrutatus Ioannes diaconus in mediũ adducat, audi, cum
a Ioan. diacon. in vit. S. Greg. lib. 2. c. 44. ait[a]: Legitur etiam penes easdem Anglorũ Ecclesias, quod Gregorius per forum Traiani E
(quod ipse quondam pulcherrimis ædificijs venustauerat) procedens, iudicij eius, quo viduam consolatus fuerat, recordatus, &c.] inferius vero post enarratam dictam historiam, eam plane fide dubiam tradit, cum subdit: Sed cum de superioribus miraculis Romanorum sit nemo qui dubitet; de hoc quod apud Saxones legitur, huius precibus Traiani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maxime dubitari videtur, quod tantus doctor nequaquam præsumeret pro Pagano prorsus orare, qui quarto Dialogorum suorum libro docuerit, eamdem causam esse cur non oretur a sanctis in futuro iudicio pro peccatoribus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impijsq. defunctis.] hæc de ratione allata cur non reciperetur, sed maxime dubitaretur de historiæ veritate. Quibus satisfacere ipse cupiens, addit ista: Non aduertentes, quia non legitur pro Traiano Gregorium exorasse, sed tan-

EX ANGLIA QVID ACCEPTVM.

tum

A tum fleuiſſe: ſic enim cum non orauerit, Gregorius plangendo potuit exaudiri, ſicuti cum Moyſes [a] dolendo taceret, potuit clamaſſe videri, &c.] *a Exod. 14.*

Sed inſulſa defenſio, cum & mendacium mendacio ſuffulcitur, allato exemplo de Moyſe, quod tantum tacuerit, & non orauerit: cum etſi non verbis expreſſis, mente tamen oraſſe, & ad Deum potentiori modo orando clamaſſe, omnium eadem ſit ſanctorum Patrum ſententia. Sed & Ioannis iſta defenſio deſtruit ipſam, quæ a Ioanne Damaſceno narratur, hiſtoriam; cum ab eo ſatis expreſſe dicatur oraſſe Gregorius, a Deoq. reprehenſus, ac monitus ne amplius id præſumeret. Hinc tu videas ipſum Ioannem diaconum citare minime voluiſſe Damaſcenum, quod ex eius ſententia Gregorius videri poſſet præuaricator, dum quæ docuerat, idem ipſe contrario facto deſtruxerit, ſecundum Pauli ſententiam [b]: Si quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico; præuaricatorem me conſtituo.] Rur- *b Galat. 2.*
B ſum vero ad probationem facti, quod diuinæ quoque Scripturæ repugnare ſentiret, addit Ioannes diaconus Traiani animam ita fuiſſe a pœnis inferni liberatam, vt tamen haud fuerit in cælum aſſumpta. hæc ipſe, in his multum laborans, vt dubium quod aſſerit factum, quoquo modo fieri potuiſſe demonſtret. Qui ſi de re geſta fortiora nanciſci teſtimonia potuiſſet, minime quidem prætermiſiſſet afferre, dum labentem molem nullo fundamento ſubnixam, vt potuit, ſtuduit ſuffulcire. IOAN. DIAC. DISCREPAT A DAMASCENO.

Sed multo grauius errarunt Græci, qui nulla veritatis facta diſcuſſione, adeo plenam fidem his adhibuere, vt in ipſorum Euchologio, capite nonageſimoſexto, eiuſmodi pro defunctis preces habeantur: Quemadmodum Traianum per intenſam ſerui tui Gregorij Dialogi interceſſionem flagro ſoluiſti: exaudi etiam nos te orantes non pro idolorum cultore, ſed pro fideli ſeruo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam prouocauit.] LEVITAS GRAECORVM ARGVITVR.
C ita Græci. At Gregorium Dialogum ſcias non nominatum ab ipſis Primum, ſed Secundum Gregorium, vt ſuo loco dicetur. Verum quod ad preces attinet: Romana Eccleſia, quæ non circumfertur omni vento doctrinæ, nec vnius vel alterius leui aſſertione mouetur, ſed ſtans ſupra firmam petram, quæ vera certaq. tradita nouit, atque ſecura ſolidaq. conſiſtere, ipſa recipit atque ſectatur, procul ab eiuſmodi genere precum ſemper abhorruit. Præſtabat quidem in re tanta, quid ſancta Romana teneret Eccleſia, cuius Pontificis ea actio prædicaretur, quidve ipſa ſeruaret, Græcos ipſos quam diligentiſſime explorare, ſimul & conſulendo requirere, atque demum eius exempla ſectari. Sed vbi ab ea illi diuiſi ſunt ſchiſmate, in quæ non ſunt mala prolapſi?

His igitur duobus primarijs auctoribus, altero Græco, Latino altero, confutatis: qui eiuſmodi commentum nihilominus ſectati ſunt recentiores, delinientes nullo ſtantem
D fundamento ſtructuram abſque temperamento, alij alia addiderunt pro mentis arbitrio. Nam ex ipſis dixerunt alij, Traianum ad vitam reuocatum a ſancto Gregorio, & baptizatum, rurſumq. vita functum abijſſe in cælum: Alij, non reuixiſſe corpus, ſed clanculo animam a Gregorio baptizatam: Alij, nequaquam ab inferis liberatam, ſed pœnis (vt dicunt) alleuiatam: atque ita fabulas fabulis addidere, vt ridiculum etiam illud demum ſit ſuperadditum de Traiani cranio cum viuida adhuc lingua reperto, qua ipſe ſuam miſeriam deplorans, ad commiſerationem ſanctum Gregorium commouerit, & ad preces pro ipſo ad Deum fundendas. FABVLA FABVLIS ORNATA.

Sed iam faceſſant hæc ludicra, riſu potius deſpicanda, quam diſputatione ſeria confutanda. Cum enim in eo argumento verſemur, quo diuinæ Scripturæ vis inferatur: non tantum non audiendæ ſunt aniles fabulæ: ſed etſi quæ ſolida, firmave & veritate con-
E ſtantia videri poſſent, eadem nonniſi cognita prius atque diſcuſſa, penituſq. examinata, & centies ad Lydium admota lapidem, vix audienda eſſent, probanda omnino nequaquam. At quid præterea? Adducunt in medium ex ſanctæ Brigidæ ſiue Brigittæ, quod (vt aiunt) habetur quarto libro eius reuelationum, capite decimotertio, cum agitur de eleemoſynis & orationibus pro animabus Fidelium defunctorum alijſq. ſuffragijs, diuina ſententia reuelatum, in exemplumq. a Chriſto ſancti Gregorij factum inductum, cum ipſe ſuis precibus animam Imperatoris ex inferis in ſublimem gradum euexit. Rurſum vero his ſubnectunt, quod ſanctæ Mathildis nomine libro quinto viſionum ac reuelationum ſcriptum legitur capite ſexto de animabus Sampſonis, Salomonis, Origenis, atque Traiani, cum ei diuinitus reuelatum ponitur noluiſſe Deum de illis occulta pandere diuerſis ex cauſis ibi narratis: & cum ad ſtatum animæ Traiani ventum eſt: Quod ego ſtatuerim, inquit, mea liberalitate de anima Traiani, nolo vt homines ſciant, REVELATIONES QVAE ADDVCVNTVR IN TESTIMONIVM.

vt fi-

vt fides Catholica ex hoc magis augeatur: quamuis enim iſte tandem fuerit omnibus virtutibus plenus, fuit tamen infidelis, baptiſmate carens.] Audiſti in omnibus iſtis non puto diuinitus allatis, ſed humanitus fabricatis, inter ſe inuicem repugnantiam? A

Veneror quidem (vt par eſt) ſanctas ipſas ac colo; ſed de reuelationibus ipſis factis, vel potius ipſis adſcriptis, ea dumtaxat recipio, quæ Eccleſia recipit, quam ſcimus non potuiſſe iſta probare, quæ ſunt inter ſe adeo pugnantia. Nonne ſunt inter ſe contraria, noluiſſe Deum de animæ Traiani liberatione certi aliquid ſciri, & voluiſſe iſtæc reuelari, ac reddi omnibus manifeſta? ita plane. Quomodo igitur idem Dominus S. Brigittæ quam manifeſtiſſime tradidit, precibus ſancti Gregorij Traiani animam alleuatam; Mathildi vero item diuinitus traditum affirmatur, nolle Deum vt ſciant homines de anima Traiani quid factum? Nonne repugnant inter ſe, reuelatum ſanctæ Brigittæ fuiſſe, Traiani animam liberatam, & manifeſtatum Mathildi, non eſſe voluntatis Dei vt ſciant hoc homines? ſane quidem. Sed dices colligi ex Mathildis ſcriptis poſſe, liberalitate diuina Traiani animam liberatam. Tunc (quod deterius eſt) reperies in eodem contextu verborum contrarias ineſſe ſententias, nempe: Nolo vt ſciant homines: & quod contrarium eſt, Hominibus oſtendo quid factum.

REVELATIONES INANES CONVINCVNTVR. B

Sed & accipe repugnantem antecedentibus conſequentiam, vbi roganti de ſtatu illarum nominatarum quatuor animarum, reſponſum ipſi poſtea a Domino ponitur in hanc ſententiam: Quid ipſe egerit de anima Sampſonis velle occultum eſſe, vt homines timeant, nec de inimicis ſuis vindictam expetant: Et de Salomonis anima æque præſtare non detegi, vt homines fugiant peccata carnalia: De Origenis pariter animæ ſtatu, quis ſit, latere homines velle, ne ſcientia inflati, ſuperbia elati pereant. Si ergo vt magis timerent homines, iſta omnia fieri noluiſſe manifeſta dicit: quomodo non magis ad incutiendum timorem præſtabat reddere penitus manifeſtum illos eſſe damnatos? Cum econtra tacendo, viſus ſit prædicaſſe ſilentio, quod ſciri non expediret, nempe eos eſſe ſaluatos, vt tacendo in timore homines contineret; qui ſi ſciſſent, magis fuiſſent timore liberi: ſicq. ex ſilentio imminui potius quam augeri timor peccantibus poſſit, dum de eorum damnatione ad inferos omnino ſiletur, & ex ſilentio ſpes magis ſaluationis augetur, quæ ex ipſo ſilentio amplius prædicari videtur. Quod ſi hæc ſub ſilentio fecit Deus (vt aiũt) nota Mathildi, plane præuaricationis ipſa arguitur eo modo (vt diximus) manifeſtãs. C

a Pſal. 11. Sed abſit vt credã quid huiuſmodi diuinitus pronunciatum. Eloquia [a] enim Domini caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum, quæ nec rubiginis quicquam admittant. Nec fiat vt credam quid huiuſmodi fuiſſe ſanctiſſimis feminis reuelatum, vel ab ipſis eſſe conſcriptum, ſed tantum ipſarũ nomine ab alijs promulgatum. Abeant igitur vana commenta, ſileant prorſus inanes fabulæ, ſepelianturq. æterno ſilentio, data venia ijs, qui quod factum acceperunt, verum putantes, de eo ſcripſerunt: laudetur tamen zelus eorum, qui quod aſſertum inuenerunt, quomodo ſe habere potuerit, ſcholaſtice diſſeruerunt: magis vero laude digni habeantur, qui emunctis naribus odorati falſitatem, errorem ſunt deteſtati. Sic itaque tandem poſtliminio veritas reddita, ſua fulgens integritate ac ſinceritate firma tutaq. conſiſtat, nec amplius hiſtorica veritas iſtiuſmodi labefactetur ineptijs. D

Vidiſti quidem quam leuibus ac friuolis nitatur res tanta fabellis, & traducatur vndique mendacijs hiſtoria tanti momẽti: quæ etſi teſtes grauiſſimos potuiſſet habere ſibi inuicem conſentientes, in nullo diſcrepantes, pluresq. conteſtes id ipſum aſſerentes, omniq. genere probationum id affirmantes: adhuc tamen ob offenſam maieſtatem Euangelicæ veritatis, & ſacra totius Eccleſiæ Catholicæ firmata ſtabilitaq. dogmata, adhuc inquam fuiſſet iure meritoq. de veritate hiſtoriæ dubitandum, eaq. ad diſcuſſionem exactiſſimam reuocanda; ſed & probata veraq. inuenta, non tamen continuo diuulganda, ſed veluti arcanum quoddam in ſacris Eccleſiæ penetralibus retinenda. Quanto ergo magis prudens quiſque facile iudicauerit eſſe obliuione delendam, damnandamq. ſilentio, quæ probatione deſtituitur, mendacijs ſcatet, nec ſaltem veriſimili aliqua nititur coniectura, neque vllo ſtabili fundamento ſubſiſtit? dignamq. eſſe (quod vetus prouerbium habet) reijci in Beatam, in quam Traianus moriens eſt proiectus ad inferos? E

Sed & execratione æque inſectanda ſunt, quæ nomine Ioannis & Petri diaconorum ſancti Gregorij in medium afferuntur ex codice Vaticano ſcripta, quæ ob id recipienda ſimplices putent tamquam diuinum oraculum: quaſi non omnis copioſa bibliotheca referat

A ferat similitudinem sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis, bonos & malos continens libros, probatos & improbatos, vtiles & inanes simul amplexans, illos vt sequatur, reijciat vero istos. Sed audi quæ ibi pluteo tertio, numero centesimo quinquagesimotertio, in codice Dialogorum sancti Gregorij ad finem eius appositа sunt, velut additamentum: Anno secundo Pontificatus diui Gregorij Papæ collecta Cardinalium & Episcoporum & ceterorum Romanæ Ecclesiæ multitudine clericorum, ecclesiam istam, quam ad honorem sancti Andræ Apostoli in Cliuo Scauri construxerat, in qua etiam religionis rudimenta & sanctitatis susceperat incrementa, eo quo decuit, prout eius anima desiderabat, consecrauit honore, quam & plenarie dotauit, & priuilegijs Apostolicis præmuniuit. Consecratione vero peracta, flexis ad terram genibus, se Domino humili supplicatione prosternens, preces fudit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe Fili Dei viui, qui dixisti Apostolis tuis, & per Apostolos vniuersis fidelibus Christianis: Quæcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: peto ab omnipotentia tuæ maiestatis, quatenus quicumque deinceps in huius ecclesiæ circuitu se delegerit sepeliendum, modo fidem tenuerit Christianam, in perpetuum non sit incendijs mancipandus, sed potius ad æternæ vitæ gaudia sublimandus. Oratione vero completa, apparuit ei Angelus Domini, dicens: Gregori, exaudita est oratio tua secundum quod a Domino postulasti. Sed quia hoc poscere præsumpsisti, nihilominus & quia pro anima Traiani Imperatoris viri infidelis orandum esse duxisti, scias te in hoc sæculo a corporali quam pateris infirmitate fore minime liberandum; a qua, si duo hæc a Domino non petijsses, liberatus proculdubio fuisses. Et certe sicut cælestis nuncij vera fuit atque perpetua de exaudita oratione annunciatio, ita etiam infirmitatis non leuandæ cassa nequaquam C extitit comminatio: nam stomachi languore, continuo dolore, continuisq. febribus licet lentis vsque ad vitæ exitum laborauit. Hanc autem orationem & diuinam reuelationem beatus Gregorius nobis, videlicet Petro diacono, & Ioanni diacono patefecit: quas ad scientiam posterorum nos styli duximus officio transmittendas.] hæc vanus impostor.

ALIA REFELLITVR IMPOSTVRA.

Sed vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum.] ita iure dixerim cum Hieremia[a]. Non ista Petrus atque Ioannes S. Gregorij Papæ diaconi dixere, vel scripsere: neque istius temporis scriptio illa esse probatur, sed longe posterioris sæculi: non enim in vsu hoc tempore fuit Romanæ Ecclesiæ, vt sanctus nominaretur Diuus, vel ante Episcopos ponerentur Cardinales, vt factum huius exordio scriptionis intelligis. Quæ & in eo insuper patentis arguitur mendacij, dum languore stomachi iugiter ad obitum vsque laborasse S. Gregorium mendax auctor affirmat: nam ex ipsius Gregorij epistolis plurimis D (vt vidimus) in locis mendacium detegitur, dum quo vexaretur iugiter morbo, sæpissime ipse queritur. Stomachi infirmitas longe ante Pontificatum ipsum vexauit: sed nec quidem a secundo Pontificatus anno iugi cœpit vsque ad obitum morbo grauari, at longe postea, vt suo loco superius demonstratum est.

[a] *Hierem.* 8.

Considerandum præterea, quantum sit tanto indigna doctore quæ asseritur facta petitio, vt omnes deligentes sepulturam in circuitu eius ecclesiæ, dummodo fuerit fide Christianus, non sit perpetuis inferni flammis mancipandus, sed ad æternæ vitæ gaudia sublimandus. Nam primum, quod ad locum spectat: nonne semper moris fuit in Ecclesia Dei, vt certis conscriberetur limitibus e parte aliqua ecclesiæ cœmeterium? Quomodo ergo dicitur: In huius ecclesiæ circuitu si quis delegerit sepeliri? Vbi aliquãdo eius forma inuenta est cœmeterij, illius præsertim ecclesiæ, quæ haberet sibi inhærens monasterium? E Rituales plane omnes veteres libri repugnant & contradicunt.

Sed & quid tam alienum a S. Gregorio, quam ab ipso petitum dicere, vt Christiana fide quis imbutus, ex loci sepulturæ electione tantum, liber sit a pœnis inferni, & certus æternæ gloriæ paradisi? Conferantur ista cum illis quæ ab ipso Gregorio reperiuntur esse conscripta ijs omnino contraria, nempe procul abesse, vt Christianus homo, quẽ criminalis culpa sequatur, loco possit sacro iuuari. Vbi enim in Dialogorũ quarto volumine agit de Valentini corpore ab ecclesia post mortem proiecto, hæc in fine habet[b]: Ex qua re, Petre, collige, quia his quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat vt etiam de sua præsumptione iudicentur: quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.] hæc ibi. Et in fine sequentis capitis[c]: Quid igitur loca sacra sepultis prosunt, quando ij qui indigni sunt, ab ijsdem sacris locis diuinitus proijciuntur?] ista vbi agit de tinctoris corpore in ecclesia sepulto, ac postea non inuento. Et dum superius

[b] *Greg. dialog. lib. 4. c. 53.*

[c] *Ibid. lib. 4. c. 54.*

rius in eodem argumento versatur, agens de femina sanctimoniali sepulta incensa reperta, ad finem hæc ait[a]: Qua ex re aperte datur intelligi, quia hi, quibus peccata dimissa non fuerint, ad euitandum iudicium sacris locis post mortem non valeant adiuuari.] hæc sunt germana scripta Gregorij, eadem vt admodum seria tertio inculcantis: quibus explodas impostorum commenta, & exuffles alia cuncta quæ his aduersari noscuntur; eoq. magis, quod ista scripsit Gregorius anno quarto sui Pontificatus (eo enim anno ipsum scripsisse libros Dialogorum, ex ijs quæ suo loco superius dicta sunt, satis superq. exploratum habetur) ea vero de saluatione eorum qui sepelirentur in circuitu eius ecclesiæ, anno secundo eiusdem Pontificatus accidisse ab impostore finguntur. vt plane conspiciatur, si talia præcessissent, quibus asseritur ratione loci sacri ad sepulturam delecti liberari aliquem a gehenna, & fieri compotem paradisi; contra hæc ipsa suis scriptis toties repetitis Gregorium ipsum pugnasse, destruxisseq. penitus omnem de loco sacro fiduciam, si vitæ bene institutæ merita non adsint. Feruntur alia a Gregorio vel instituta, vel acta, quæ recentiores scriptores congesserunt: quæ cum antiquorum careant auctoritate, libentius prætermittimus: disquirimus enim atque examinamus, & non absque delectu confarcinamus historias, vt quæcumque a recentioribus scripta reperimus, absque maiorum testificatione vera putemus.

[a] *Greg. dialog. lib. 4. c. 51.*

A

B

His igitur iam purgatis quisquilijs, eiectisq. sordibus, quibus sub specie quadam pietatis Dei Ecclesia ab impostoribus videbatur aspersa; cum iam dictis factisq. Magni Gregorij omni ex parte, explosis nugis, sit bene consultum, diutius quam par erat in his immorati, quæ anni huius sunt reliqua videamus.

DE CREATIONE SABINIANI PAPAE.

Vbi itaque post Gregorij Papæ obitum sedes vacasset menses quinque ac dies decem & nouem, ipsis Kalendis Septembris (vt Anastasius habet) communi consensu eligitur Sabinianus. id quidem tam Latini quam Græci omnes æque confirmant: ex quibus redarguas Nicephorum[b] Callistum, dum post sanctum Gregorium somniat quemdam Innocentium eius successorem alijs scriptoribus penitus inauditum. Porro Sabinianus hic ille est, qui diaconus cum esset, ab eodem S. Gregorio missus fuit (vt vidimus) Constantinopolim Apocrisarius: quo reuocato, suffectus in locum eius est Anatolius: eoq. defuncto, subrogatus est, Phoca creato Imperatore, anno superiori Bonifacius æque diaconus. Fuit Sabinianus natione Tuscus, patria Volaterranus, ex patre nomine Bono. Ceterum non caruisse Sabiniani electionem tumultu, indicat successoris Constitutum ab ipso de electione Summi Pontificis editum, de quo suo loco dicemus.

[b] *Niceph. lib. 18. cap. vlt.*

C

Quod autem sub hoc eodem Redemptoris anno Beda recenseat sancti Augustini in Anglia Episcopi obitum: hic opportune reliqua eiusdem Augustini, quæ nulla certi anni nota tradita reperiuntur, sunt ante eius obitum referenda, atque in primis recensendæ Synodi, quas idem Metropolitanus habuit cum Episcopis antiquæ Britannorum Ecclesiæ, iam multo tempore a communione Catholicæ Ecclesiæ diro schismate ante diuisis. Narrat quæ in eis acta sunt exactissime Beda his verbis[c]: Interea Augustinus adiutorio vsus Edilberthi Regis, conuocauit ad suum colloquium Episcopos, siue doctores maximæ & proximæ Britonũ prouinciæ, in loco vbi vsque hodie lingua Anglorum Augustinicizat, id est, robur Augustini, in confinio Vectiorum & Occidentalium Saxonum appellatur. Cœpitq. eis fraterna admonitione suadere, vt pace Catholica secum habita, communem euangelizandi Gentibus pro Domino laborem susciperent. Non enim Paschæ diem Dominicum suo tempore, sed a decimaquarta vsque ad vigesimam Lunam obseruabant: quæ computatio octogintaquatuor annorum circulo continetur. Sed & alia plurima vnitati Ecclesiæ contraria faciebant. Qui cum longa disputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Augustini ac sociorum eius assensum præbere voluissent, sed suas potius traditiones vniuersis, quæ per orbem sibi in Christo concordant Ecclesijs, præferrent: sanctus pater Augustinus hunc laborioſi ac longi certaminis finem fecit, vt diceret: Obsecremus Deum, qui habitare facit vnanimes in domo patris sui, vt ipse nobis insinuare cælestibus signis dignetur, quæ sequenda traditio, quibus sit vijs ad ingressum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger; & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota atque omnibus sequenda credatur.

[c] *Beda histor. Ang. lib. 2. c. 2.*

DVAE SYNODI IN ANGLIA HABITAE AB AVGVSTINO.

D

E

Quod cum aduersarij inuiti licet concederent: allatus est quidam de genere Anglorum oculorum luce priuatus, qui cum oblatus Britonum sacerdotibus, nihil curationis

vel

A vel sanationis horum ministerio perciperet: tandem Augustinus iusta necessitate compulsus, flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, deprecans, vt visum cæco, quem amiserat, restitueret, & per illuminationem vnius hominis corporalem in plurimorum cordibus Fidelium spiritalis gratiæ lucem accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus, ac verus summæ lucis præco ab omnibus prædicatur Augustinus. Tum Britones confitentur quidem intellexisse se, veram esse viam iustitiæ, quam prædicaret Augustinus, sed non se posse absque suorum consensu ac licentia priscis abdicare moribus. Vnde postulabant, vt secundo Synodus, pluribus aduenientibus, fieret. CAECO DAT LVCEM AVGVSTINVS.

Quod cum esset statutum, venerunt (vt perhibent) septem Britonum Episcopi, & plures viri doctissimi, maxime de nobilissimo eorum monasterio, quod vocatur lingua Anglorum Bancornabug, cui tempore illo Dinooth Abbas præfuisse narratur. Qui ad B præfatum ituri Concilium, venerunt primo ad quemdam virum sanctum ac prudentem (*ita quidem ab ipsis creditum*) qui apud ipsos anachoreticam ducere solebat vitam; consulentes, an ad petitionem Augustini suas deserere traditiones deberent? Qui respondebat: Si homo Dei est, sequimini illum. Dixerunt: Et vnde hoc possumus probare? At ille: Dominus, inquit, ait: Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Si ergo Augustinus ille mitis est & humilis corde, credibile est quia iugum Christi & ipse portet, & vobis portandum offerat: Sin autem immitis ac superbus est, constat quia non est de Deo, neque vobis eius sermo curandus est. Qui rursus aiebant: Et vnde vel hoc dignoscere valemus? Procurate, inquit, vt ipse prior cum suis ad locum Synodi adueniat: & si vobis appropinquantibus assurrexerit, scientes quia famulus Christi est, obtemperanter illum audite.] RVRSVS EPISCOPORVM CONVENTVS.

C Falsum sane signum dignoscendi humilem dedit pseudopropheta, & plane Apostolicis dictis omnino contrarium. Sententia siquidem est sancti Ioannis Apostoli, nullo dignandos honore vel officio humanitatis eiusmodi homines ab Ecclesia Catholica diuisos, ita dicentis [a]: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.] cum videlicet huiusmodi homines sunt pertinaces, quales existimare potuerit hos Augustinus, quos sæpe admonitos nulla flexisset Apostolicæ sedis auctoritas, cuius condemnarentur exemplo, cum quod ipsam sciebant obseruare, illi pertinaci animo facere renuissent, dum nec adeo patenti edito diuinitus signo penitus acquieuissent: aduenisseq. eos putarit contentionis gratia, non conuersionis; qui re vera (vt Pharisæi Dominum) vt ipsum eo signo tentarent, venerant. Sed pergit ille: Sin autem vos spreuerit, nec coram vobis assurgere voluerit, cum sitis numero plures; & ipse spernatur a vobis.] O malum consilium! Spernendus ne est Iudex a reis vocatis causam dicere, si a Iudice eiusmodi obsequij officijs non colantur? Vbi sententia Apostoli dicentis [b]: Obedite præpositis vestris etiam discolis?] & Domini asserentis [c], sedentibus pharisaico fastu super cathedram Moysi obediendum esse Scribis & Pharisæis? Subdit vero reliqua rerum gestarum Beda in hunc modum: FALSVM DATVM SIGNVM.

[a] *Ioan. epist. 2.*

[b] *Hebr. 13.*

[c] *Matth. 23.*

Fecerunt vt dixerat. Factumque est, vt venientibus illis, sederet Augustinus in sella. Quod illi videntes, mox in iram conuersi sunt, eumq. notantes superbiæ, cunctis quæ dicebat, contradicere laborabant. Dicebat autem eis: Quod in multis quidem nostræ consuetudini, immo vniuersalis Ecclesiæ contraria geritis: Et tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, Vt Pascha pro tempore celebretis, Vt ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, iuxta morem Romanæ sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ compleatis, Vt E genti Anglorum vna nobiscum prædicetis verbum Domini: cetera quæ agitis, quamuis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse respondebant, conferentes ad inuicem: Quia si modo nobis assurgere noluit, quanto magis si ei subdi cœperimus, iam nos pro nihilo contemnet? Quibus vir Domini Augustinus fertur minitans prædixisse, quod si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi: & si nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus vltionem essent mortis passuri. Quod ita per omnia, vt prædixerat, diuino agente iudicio, patratum est. Siquidem post hæc ipse, de quo diximus, Anglorum Rex fortissimus Edilfridus, collecto grandi exercitu, ad ciuitatem Legionum, quæ a gente Anglorum Legaceastir, a Britonibus autem rectius Carlegion appellatur, maximam gentis perfidæ stragem dedit. Cumq. bellum acturus videret sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite CONDITIONES AB AVGVSTINO PRAESCRIPTAE.

bellum

bellum agente conuenerant, seorsum in tutiore loco consistere: scisitabatur, qui essent A
hi, quidve acturi illo conuenissent? Erant autem plurimi eorum de monasterio Bancor,
in quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, vt cum in septem portiones esset cum
præpositis sibi Rectoribus monasterium diuisum, nulla horum portio minus quam trecen-
tos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum viuere solebant.

Horum ergo plurimi ad memoratam aciem, peracto ieiunio triduano, cum alijs oran-
di causa conuenerunt, habentes defensorem nomine Brocmalium, qui eos intentos pre-
PROFLIGANTVR SCHISMATICI. cibus a barbarorum gladijs protegeret. Quorum causam aduentus cum intellexisset Rex
Edilfridus, ait: Ergo si aduersum nos ad Deum suum clamant, profecto & ipsi, quamuis ar-
ma non ferant, contra nos pugnant, qui aduersis nos imprecationibus persequuntur. Ita-
que in hos primum arma verti iubet, & sic ceteras nefandæ militiæ copias non sine magno
exercitus sui damno deleuit. Extinctos in ea pugna ferunt de his qui ad adorandum vene- B
runt, viros circiter mille ducentos, & solum quinquaginta fuga esse lapsos. Brocmalius
ad primum hostium aduentum cum suis terga vertens, eos quos defendere debuerat, in-
ermes ac nudos ferientibus gladijs reliquit. Sicq. completum est præsagium sancti Ponti-
ficis Augustini, quamuis ipso iam multo ante tempore ad cælestia regna sublato: vt
etiam temporalis interitus vltionem sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuæ salutis
consilia spreuerant.] hactenus de his Beda: quibus plane cum videris Britannorum Epi-
scoporum, eorumdemq. schismaticorum animum refractarium ab vnitate Catholicæ
Ecclesiæ penitus resilientem: satis assequi potes, lector, causam, cur eorum patriam,
ipsam Britanniam insulam Deus tradiderit barbaris dominandam: vt acciderit eis se-
[a] *Matth. 21.* cundum illud Euangelicum [a]: Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti
fructum eius.] Ita plane iudicia Domini iustificata in semetipsa, vt qui refugit finum C
matris, incidat in extraneos, eosdemq. hostes, vindices sceleris a Deo immissos: quod
& in reliquas gentes ab Apostolica recedentes Ecclesia fieri consuetum, plurima docent
exempla. Quid vero præterea hoc anno ab ipso Augustino ante obitum gestum sit de
subrogatione & creatione nouorum Pontificum, pergit Beda referre.

Hoc eodem namque anno in Anglia idem Augustinus ob propagationem Christianæ
religionis creauit duos Episcopos, Mellitum, atque Iustum. Porro rem gestam ita Beda
[b] *Beda histor. Angl. lib. 2. c. 3.* enarrat [b]: Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quarto Augustinus Britannia-
NOVI EPISC. CREATI ET NOVAE ECCLESIAE ERECTAE. rum Archiepiscopus ordinauit duos Episcopos, Mellitum videlicet, & Iustum: Melli-
tum quidem ad prædicandum prouinciæ Orientalium Saxonum, qui Thamesi fluuio di-
rimuntur a Cantio, & ipsi Orientali mari contigui, quorum metropolis Londonia ciui-
tas est super ripam præfati fluminis posita, & ipsa multorũ emporium populorum terra ma- D
riq. venientium. In qua videlicet gente tunc temporis Saberethus nepos Edilberthi ex so-
rore Ricula regnauit, quamuis sub potestate positus eiusdem Edilberthi, qui omnibus (vt
supra dictum est) vsque ad terminum Humbri fluminis Anglorum gentibus imperabat.
Vbi vero & hæc prouincia verbum veritatis, prædicante Mellito, accepit; fecit Rex Edil-
berthus in ciuitate Londonia ecclesiam sancti Pauli Apostoli, in qua locum sedis Epi-
scopalis & ipse & successores eius haberent. Iustum vero in ipso Cantio Augustinus ordi-
nauit Episcopum in ciuitate Dorouerni, quam gens Anglorum a primario quondam il-
lius qui dicebatur Rotschester cognominat. Distat autem a Dorouerni millibus pas-
suum ferme vigintiquatuor ad Occidentem: in qua Rex Edilberthus ecclesiam beati
Andreæ Apostoli fecit. Qui etiam Episcopis vtriusque huius Ecclesiæ dona multa, sicut
& Dorouernienſis, obtulit; sed & territoria ac possessiones in vsum eorum qui erant cum E
Episcopis adiecit.

Defunctus est autem Deo dilectus pater Augustinus, & positum corpus eius foras
S. AVGVSTINI EPISC. OBITVS ET SEPVLTVRA. iuxta ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli, cuius supra meminimus, quod
ea necdum fuerat perfecta, nec dedicata: mox vero vt dedicata est, intro illatum, in por-
ticu illius Aquilonari decenter sepultum est; in qua etiam sequentium Archiepisco-
porum omnium sunt corpora tumulata, præter duorum tantummodo, id est, Theodori
& Berthualdi, quorum corpora in ipsa ecclesia posita sunt, eo quod prædicta porticus
plura capere nequiuit. Habet hæc in medio sui pene altare in honorem beati Grego-
rij Papæ dedicatum, in quo per omne sabbatum a presbytero loci illius Agendæ eo-
rum solemniter celebrantur. Scriptum vero est in tumba eiusdem Augustini epitaphium
huiusmodi:

HIC

A HIC REQVIESCIT DOMINVS AVGVSTINVS DOROVERNIENSIS ARCHIEPISCOPVS PRIMVS, QVI OLIM HVC A BEATO GREGORIO ROMANAE VRBIS PONTIFICE DIRECTVS, ET A DEO OPERATIONE MIRACVLORVM SVFFVLTVS, ET EDILBERTHVM REGEM AC GENTEM ILLIVS AB IDOLORVM CVLTV AD FIDEM CHRISTI PERDVXIT, ET COMPLETIS IN PACE DIEBVS OFFICII SVI DEFVNCTVS EST SEPTIMO KALENDAS IVNIAS EODEM REGE REGNANTE.] pergit vero Beda[a]: *a Beda lib. 2. c. 4.*

Successit autem Augustino in Episcopatū Laurentius, quem ipse idcirco adhuc viuens ordinauerat, ne se defuncto, status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi pastoris Ecclesiæ, hoc est, beatissimi Apostolorum principis Petri; qui fundata Romæ Ecclesia Christi, Clementem B sibi adiutorem euangelizandi simul & successorem consecrasse perhibetur.] Verum id S. Gregorij Papæ nutu Augustinum fecisse, certum est, cum ne id fieri posset, canones ante vetuissent. Quomodo autem per eumdem magna est facta ad Christianam religionem atque ad Catholicam vnitatem accessio non Anglorum tantum, sed & aliorum, idem auctor ita narrat[b]:

DE LAVRENTII SVCCESSORIS AVGVSTINI EPISCOPATV.

b Beda de gest. Angl. lib. 2. c. 4.

Laurentius Archiepiscopatus gradu potitus, strenuissime fundamenta Ecclesiæ, quæ nobiliter iacta vidit, augmentare, atque ad perfectum debiti culminis & crebra voce sanctæ exhortationis & continuis piæ operationis exemplis prouehere curauit. Denique non solum nouæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed & veterum Britanniæ incolarum, necnon & Scotorum, qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere solicitudinem curabat. Siquidem vbi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo & Britonum in ipsa Britannia vitam ac professionem minus C Ecclesiasticam in multis esse cognouit, maxime quod Paschæ solemnitatem non suo tempore celebrarent, sed (vt supra docuimus) a decimaquarta Luna vsque ad vigesimam Dominicæ resurrectionis diem obseruandum esse putarent: scripsit cum coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam, obsecrans eos & contestans vnitatem pacis & Catholicæ obseruationis cum ea quæ toto orbe diffusa est Christi Ecclesia tenere.]

FIDEI PROPAGATIO PER LAVRENTIVM.

Eadem plane qua Britanni, pariter & Scoti erant schismatis fuligine tincti, ac discessionis ab Ecclesia Romana rei: ob idq. eadem qua Britanni, & ipsi sunt a Deo vindicta mulctati, vt feris barbaris traderentur, Anglis videlicet atque Saxonibus, secundum illud a Hieremia[c] prædictum Israeli: Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, gentem robustam.] & inferius: Quod si dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noster D hæc omnia? Dices ad eos: Sicut dereliquistis me, & seruistis Deo alieno in terra vestra, sic seruietis alienis in terra non vestra] vtpote quæ possidebitur ab extraneis. Deos plane alienos colere omnes schismatici quodammodo conuincuntur, eo quod vnus Deus nonnisi in vna recte colatur Ecclesia, a qua qui declinat, ad alienos deficere reperitur, iuxta illud Samuelis[d]: Quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.] Sane si quis prudens tamquam ex alta specula in vniuersum terrarum orbem conijciat oculos; plane conspiciet, hac vna potissimum ex causa traditos esse Christianos populos barbaris in seruitutem, quod ipsi prius recesserint ab Ecclesia. Ita & Africanis contigit dari Vuandalis, vbi dura mente communicare cum totius orbis Catholica Ecclesia recusarunt: ita Hispanis tradi Sarracenis, vt in huius tomi fine dicetur: ita Orientalibus omnibus, vlciscente Deo, factum apparet, cum desciscentes ab Ecclesiæ E Catholicæ communione dati sunt barbaris opprimendi. Sed quid Laurentius Episcopus vna cum suis ad eos scripserit, ex eius epistolæ parte, quam Beda recitat, videamus: sic enim se habet:

SCHISMATICI A DEO PVNITI.

c Hierem. 5.

d 1. Reg. 15.

Dominis* carissimis fratribus Episcopis vel Abbatibus per vniuersam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Iustus Episcopi, serui seruorum Dei. *Domnis

Dum nos sedes Apostolica more suo, sicut in vniuerso orbe terrarum, in his Occiduis partibus ad prædicandum gentibus Paganis dirigeret, atque in hanc insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse, antequam cognosceremus, credentes quod iuxta morem vniuersalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reuerentia sanctitatis tam Britones quam Scotos venerati sumus: sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putauimus. Scotos vero per Dagamum Episcopum in hanc quam superius memorauimus in-

sulam, & Columbanum Abbatem in Gallijs venientem, nihil discrepare a Britonibus in eorum conuersatione didicimus. Nam Dagamus Episcopus ad nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio, in quo vescebamur, sumere voluit.] huc usque ex epistola recitat Beda, ad ostendendum tam Britones quam Scotos ab Ecclesia Catholica fuisse ante diuisos. sed & subdit: Misit idem Laurentius cum coepiscopis suis etiam Britonum sacerdotibus litteras suo gradu condignas, quibus eos in vnitate Catholica confirmare satagit. Sed quantum hoc agendo profecerit, adhuc præsentia tempora declarant.] hactenus Beda de rebus in Anglia gestis hoc tempore.

Quot autem quantosve labores adeo paucos numero Roma missos Dei sacerdotes oportuit subijsse, vix æstimari potest: vbi non solum ad Anglorum gentem numerosissimam ab idolorum cultu auito reuocandam, & veræ religioni iungendam, fuit illis diu noctuq. haud impigre laborandum, sed etiam ad Britannos & Scotos a schismate liberandos & Catholicæ Ecclesiæ iungendos laboriosissime insudandum; eoq. magis, quod si fieri potuisset vt ij Catholicæ redderentur Ecclesiæ, ijsdem ad conuersionem reliquorum Anglorum, qui adhuc infideles remanserant, vti possent. Erant plane regiones albæ ad messem, & cum multa messis appareret, operarij tamen perpauci reperiebantur. Sed inane est redditum huiuscemodi consilium, aduersantibus illis, & inuidentibus (vt queritur Beda) Anglorum saluti, cum peregrini tantummodo illis Euangelium prædicarent sacerdotes. Verum non defuit perpaucis ijs diuina virtus, quæ in arduis semper in summa rerum desperatione ipsis præsto fuit, prout quæ suis inferius locis dicentur, facile demonstrabunt.

VENALES HONORES IN ORIENTE.

Sed iam Orientales res anni huius hactenus intactas inuisamus. Eo erat statu misero Respublica constituta, vt in ea non vetus nobilitas, nec probata virtus ad magistratus adipiscendos haberent accessum, sed pecunia tantum esset cuiusque conciliatrix honoris ac dignitatis, & quod turpius atque sordidius videri poterat, id minime secreto agi soleret, sed inolita diu consuetudine publice venales expositi magistratus fuerint, auctione proposita. Vix credi hæc possent, nisi de his certam exploratamq. fidem faceret epistola[a] sancti Gregorij hoc anno ad Honoratum diaconum his verbis conscripta, cuius alia occasione superius etiam meminimus:

[a] *Greg. lib. 12. epist. 27. Ind. 7.*

DE EMPTIONE EXCONSVLATVS.

Filius meus domnus Venantius, nepos quondam Opilionis Patricij, ad beatum Petrum Apostolum venit, hoc a me summopere petiturus, vt causam eius tuæ dilectioni commendare debuissem. Honores enim non habet, & chartas Exconsulatus petijt, pro quibus triginta auri libras transmisit, vt ei debeant comparari. In qua re volo vt dilectio tua se summopere impendat: quia talis vir est, cui etiam honor sine pretio debeatur. Et quia easdem chartas emere paratus est, vt dixi; non valde necesse est vt ex me aliquid serenissimis Principibus dicatur, sed magis ex se agat dilectio tua, quatenus oblatis in sacella consuetudinibus honores mercatur accipere. Si quid tamen potueris mitius agere, maximam de eo mercedem habebis. Sed ita fac vt labor eius, quo hic ad nos fatigatus est, vacuus non sit. Si vero in eadem causa difficile aliquid esse perspexeris: etiam quia per me hoc postulet, indicare debes, & cuius bonitatis, cuius modestiæ sit atque sapientiæ, sereniss. dominis intimare.] hæc Gregorius, qui dum id tribuit consuetudini, nihil est quod Phocæ tyrannidi solummodo imputetur.

RES BELLICAE IN ORIENTE.

Quod vero ad res ipsius Phocæ Imperatoris pertinet, hoc ipso anno[b] Cosrhoes Rex Persarum, pace iam fracta, collectum copiosum exercitum in Romani Imperij prouincias immisit: ipsum namque & Narses post necem Mauritij rebellans, Edessamq. obtinens, aduersus nouum Imperatorem concitauit: Cum Phocas creat Magistrum militum Domitiolum siue Domitium, mittitq. aduersus Narsetem Germanum Prætorem; pactisq. cum Abarum Rege inducijs, totum militiæ robur in Orientem perduxit; occiso vero Germano, Leontium contra eumdem Narsetem impellit. Sed male pugnatum cum esset a Romanis, obtinente Cosrhoe victoriam, in Leontium ira Phocæ Imperatoris conuersa est, quem vinctum cum ignominia duci iussit. Hunc finem res anni huius sunt consecutæ.

[b] *Miscel. lib. 17. ann. 2. Phoca.*

Quomodo autem tanta accepta clade Domitius incolumis euaserit precibus viri sanctissimi Theodori Siceotæ, de quo sæpe superius: Eleusium, qui aderat, ista narrantem audi: ait enim, dum miracula ab eo edita referre pergit, his verbis[c]: Paucis post diebus interfe-

[c] *Apud Sur. to. 2. die 22. April.*

A interfectus est Mauritius Imperator, & Imperio potitus est Phocas. Qui cum in Orientem misisset Domitium consobrinum (*nepotem alij hunc dicunt*) vt exercitum duceret aduersus Persas, qui regiones nostras vastabant & prædabantur: is autem Domitius de hostium impetu, qui in Cappadociam vsque peruenerant, deq. Sergij Patricij Imperatoris propinqui interitu intellexisset, magno in mærore & metu versabatur, nec iter susceptum audebat perficere. Audita igitur serui Dei fama, ad eum se in monasterium contulit, seq. ad eius pedes abijciens, supplex rogabat, vt pro se Deum precaretur, vt scire posset quid sibi agendum esset; in dubio enim se propter hostium incursum versari. Respondens illi Dei seruus: Abi, inquit, fili, in nomine Dei, & susceptum iter perfice: incolumis enim ad exercitum peruenies. Verum cũ in acie stabis aduersus Persas, & prœlium inibis, in magno discrimine versaberis. Sed commenda te Deo, & sancto eius mar-
B tyri Georgio, vt te a periculo integrum conseruet. Cum igitur te periculum premet, memor eris huiusce precationis, & Deus te a periculo eripiet. Hæc & alia multa tempori congruentia locutus, benedixit ei, atque abire permisit.

DOMITIVS AD S. THEODORVM DIVERTIT.

Peruenit igitur incolumis ad exercitum, vt vir sanctus prædixerat. Cumq. inito cum Persis certamine, insidijs peteretur, magnoq. esset in discrimine cum vniuerso exercitu, meminit verborum sancti viri, cuius precibus Deo fuerat commendatus; & pedes in cannetum ingressus delituit, atque ita periculo se subduxit: collectoq. exercitu, in Roma-
C norum loca se contulit, & ad Imperatorem peruenit. Quo quidem in itinere virum sanctum inuisit, & magna cum fide ad pedes eius prostratus gratias egit Deo, qui se precibus ipsius a tanto periculo eripuisset; & confessus est omnia, quæ beatus vir prædixerat, contigisse. Solemni igitur Dominico die celebrato, & suscepta viri sancti benedictione, ad regiam vrbem profectus est, & ex eo tempore magna in veneratione habuit beatum Theodorum, & sanctam eius mansionem; & semper cum ab Oriente ad regiam vrbem iter faceret, ad sanctum virum diuertebat, multaq. munera eius mansioni & sancti Georgij templo & oratorijs relinquebat.] hucusque de his Eleusius. Quæ autem hæc secuta sint, dicentur anno sequenti.

DOMITIVS INCOLVMIS REDIT CONSTANTINOPOLIM.

IESV CHRISTI ANNVS 605. SABINIANI PAP. ANNVS 1. PHOCAE IMP. ANNVS 3.

D SExcentesimus quintus adest annus octauæ Indictionis, algore & sterilitate, ex qua dira fames est orta, lugubris. de quibus ista Paulus diaconus [a]: Fuit, inquit, hiems frigida nimis, & emortuæ sunt vites pene in omnibus locis, messesq. percussæ vredine passim euanuere. Debuit etenim mundus famem sitimq. pati, quando decedente tanto doctore, animas hominum spiritalis alimoniæ penuria, sitisq. ariditas inuasit.] hæc Paulus diaconus hoc anno octauæ Indictionis, licet penuriam alij ad superiorem referant annum: sed prima ista est hiems post Gregorij obitum, quem anno superiori, vere inchoante, defunctum constat, eademq. octauæ huius fuit Indictionis. Subdit idem auctor [b]: Sequenti mense Iulij Adaluualdus * Agilulphi filius creatus est Longobardorum Rex apud Mediolanum in Circo in præsentia patris sui Agilulphi Regis, astantibus legatis Theo-
E doberti, & pax firmata est perpetua cum Francis.] hæc ipse, qui & de obitu Seueri Patriarchæ ista subiungit [c]:

a Paul. diac. lib. 4. c. 9. vet. edit.

FAMES INGENS.

b Paul. diac. lib. 4. c. 10. vet. edit.

*Adulouualdus

ADALVVALDVS REX LONGOB. CREATVS.

His diebus defuncto Seuero Patriarcha, ordinatus est loco eius Ioannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere cum consensu Regis Agilulphi. In Gradu quoque ordinatus est Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Episcopis qui erant sub Romanis: & ex illo tempore cœperunt duo esse Patriarchæ] nempe Aquileiensis, atque Gradensis: immo & eadem ex causa incolatus Aquileiensis Forum Iulij etiam eodem est nomine nobilitatum; adeo vt idem Aquileiæ Patriarcha, dictus quoque inueniatur Patriarcha Foroiulienſis: ita apud Vualfridum Strabonem [d] & apud Marianum Scotum appellatum inuenias.

c Paul. diac. eod. cap. & in nou. edit. 34.

DE AQVILEIENSI ET GRADENSI PATRIARCHIS.

d Vualfr. Strab. de reb. Eccles. c. 25.

Quod autem ad historiam de duobus Patriarchis, Aquileiensi altero, altero vero Gradensi simul creatis pertinet: qui rẽ gestam minime sunt accuratius prosecuti, diuinantes dixere, alterum, nempe Aquileiensem ab Agilulpho electum, Gradensem vero a Gra-

denſi populo, remq. delatam ad Romanum Pontificem, ab eoq. Ioanne reiecto, pro- A
batum eſſe Candidianum. Sed hæc ipſi (vt diximus) diuinando. Porro veritas geſtæ rei
ex Mantuano Concilio proditur, quod celebratum eſt ſub Eugenio Papa anno quarto
Pontificatus ipſius. extat in noſtra bibliotheca in vetuſto codice, quo & Pauli diaconi
hiſtoria ſcripta habetur: ad finem enim ipſius poſita ſunt Acta Concilij, in quo agitata
eſt eiuſmodi controuerſia inter Aquileienſem & Gradenſem Epiſcopos. Res igitur mi-
nime acta eſt inter Catholicos & Catholicos (vt iſti putant) neque inter hæreticos &
hæreticos, ſchiſmaticos & ſchiſmaticos, ſed inter ſchiſmaticos & Catholicos, fauen-
te electioni ſchiſmatici Aquileienſis Epiſcopi Agilulpho Rege Longobardorum, Gra-
denſis vero promotioni Italiæ Exarcho. Exarchus enim tum ob quietum pacificumq.
EXARCHI STV DIA ADVERSVS SCHISMATICOS. Eccleſiæ ſtatum comprimere ſtuduit Aquileienſem Epiſcopum ſchiſmaticorum validiſſi-
mum propugnatorem, tum etiam ob Reipublicæ commoda ægre patiebatur Iſtriæ Epi- B
ſcopos ſchiſmate eſſe diuiſos, quos minis & pœnis Eccleſiæ Catholicæ cogebat eſſe
coniunctos.

Vt igitur contra ſchiſmaticum Epiſcopum Aquileienſem eligeretur qui Romanæ com-
municaret Eccleſiæ, laborauit Exarchus, cõpulitq. Iſtriæ prouinciæ Epiſcopos non ſequi
Aquileienſem, ſed Gradenſem, quem elegiſſent: atque ita duo diuerſi, inter ſeq. contrarij
electi ſunt Patriarchæ; pro Romanis, Catholicis ſcilicet, Candidianus Gradenſis Epi-
ſcopus; & pro ſchiſmaticis Ioannes Aquileienſis, cui fauebat (vt audiſti a Paulo diacono)
Agilulphus, Exarchus autem Gradenſi patrocinabatur. Sicq. res tranſacta eſt, quo-
uſque Aquileienſes perſeuerarunt in ſchiſmate: redditis vero ipſis Eccleſiæ Catholicæ,
æque ſublatum eſt ſchiſma, ſuisq. iuribus integrata a Mantuano Concilio atque Romano
Pontifice Eccleſia Aquileienſis. C

Sed præſtat eiuſdem Concilij iam hic recitare partem Actorum, quæ ad eiuſmodi hi-
ſtoriam elucidandam ſpectare noſcuntur. Sic enim ſe habent, dum cauſa ponitur migra-
tionis Aquileienſis Epiſcopi Gradum, ex ſcriptis allatis pro Aquileienſibus ſchiſmati-
cis, verbis iſtis: Relatum ergo a nonnullis eſt in eadem Synodo, *Mantuana videlicet*,
HISTORIA DE AQVILEIEN. ET GRADEN. EPISCOPIS. quod eo tempore quo Longobardi Italiam inuaſerunt, Romanam Eccleſiam vir ſanctiſ-
ſimus Benedictus Papa regebat; Aquileienſi quoque ciuitati, eiuſq. populo Paulus Pa-
triarcha præerat. Qui Longobardorum barbariem & immanitatem metuens, ex ciuita-
te Aquileienſi & de propria ſede ad Gradus inſulam confugiens, plebem ſuam, om-
nemq. theſaurum, & ſedem ſanctiſſimam Marci & Hermagoræ ſecum ad eamdem inſu-
lam detulit, idcirco non vt ſedem aut primatum Eccleſiæ ſuæ ſuæq. prouinciæ conſti-
tueret inibi, ſed vt barbarorum rabiem poſſet euadere. Qui duodecim annis ſacerdo- D
tium gerens, ab hac luce ſubtractus eſt, regendamq. Eccleſiam Probino reliquit. Iſto
quoque defuncto, præfatæ Eccleſiæ Aquileienſi ſacerdos Elias præficitur. Et hoc quo-
que mortuo, Seuerus huic ſuccedens, regendam ſuſcepit Eccleſiam. Defuncto ita-
que Seuero, ordinatur loco eius Ioannes Patriarcha in Aquileia eo tempore quo Agi-
lulphus Rex Longobardorum regnabat: in Gradu quoque ordinatus eſt hæreticus Can-
didianus.]

Hic attende, lector, quod dum Candidianus hæreticus appellatur, quem Roma-
num, nempe communicantem Romanæ Eccleſiæ Paulus diaconus nominauit: aperte
cognoſcere potes, eius aduerſarios fuiſſe ſchiſmaticos, qui (vt ſæpe ſuperius dictum eſt)
hæreticos appellare conſueuerunt damnantes Tria illa capitula; qui re vera conſen-
tientes Quintæ Synodo, Catholici erant; reliqui vero qui his aduerſarentur, ſchiſmati- E
ci: ex quorum ſcriptis hæc quæ recitata ſunt, illata fuere in dicta Acta Synodi Mantua-
næ, ſicut & reliqua quæ ſequuntur his verbis: Hic enim Candidianus non per conſen-
ſum comprouincialium Epiſcoporum, nec in ciuitate Aquileia, ſed in diœceſim & ple-
bem Aquileienſem Gradus, quæ eſt perparua inſula, contra canonum ſtatuta & ſan-
ctorum Patrum decreta ordinatus eſt. Inter alia probat hoc huius Aquileienſis Ec-
cleſiæ Ioannis Antiſtitis epiſtola ad Agilulphum Regem directa, cuius textus inter cete-
ra ad locum talis eſt:

Qualis autem vnitas dicitur facta, vbi ſpatha, vbi clauſtra carcerum, vbi flagella fu-
ſtium, vbi longa exilia, crudeliumq. pœnarum diſcrimina parabantur? Et miſeri ſuffra-
ganei Eccleſiæ noſtræ, ſcilicet Epiſcopi Iſtriæ cum ſumma vi & neceſſitate a Gradenſi
caſtro Rauennam compulſione diſtrictiſſima ducebantur Græcorum] Exarchi potentia

ſcilicet

A scilicet a Græco Imperatore in Italiam missi, cuius imperio ad Candidianum ordinandum (vt dictum est) vocati fuerant Istriæ Episcopi. Sed pergit: Necnon etiam ibi loquendi licentia negabatur, atque Candidianus inutilis, qui ob sui sceleris immanitatē præfatæ sanctæ recordationis a domino Seuero decessore nostro sub anathematis interpositione obligatus est, ne ad potiorem gradum vmquam accederet: quum a se eiq. corde fauentibus in prædicto Gradensi castro adulterium matri Ecclesiæ improbe ingerens, ordinatur Episcopus. Et Petrus, Prouidentius, seu Agnellus Episcopi Istriæ, qui adhuc fidem sanctam tenebant, & Candidiano necdum consentiebant, de Ecclesijs suis a militibus tracti, & cū graui iniuria & contumelijs ad eum venire compulsi sunt. Si enim ei recte consentientes essent, voluntarie illi consentire debuerant, non autem per vim. Et post pauca: Sic laborate & agite, quatenus & fides Catholica vestris augeatur temporibus, & in Gradensi castro, post-
B quam infelix Candidianus de hoc sæculo ad æterna supplicia transmigrarit, altera iniqua ordinatio ibi minime celebretur, nec populus iste amplius tribuletur. Et vere si hoc, Domino auxiliante, egeritis: quod primum est, Christus Dominus potestati vestræ erit bonorum operum retributor: & quia Gradus mari & fluctibus cingitur, & Istria quæ prius Aquileiæ suæ metropoli subiecta fuerat, Smaragdo Exarcho existente, tum a Longobardis capi non potuerat, sed ad iura Græcorum transijt: quo factum est, quod Rex nullum ei potuit præstare auxilium: ac per hoc, ipso annitente Exarcho, Istriæ Episcopi de Ecclesijs suis a militibus Græcorum tracti sint, & hunc Candidianum ordinare compulsi.] hucusque ex Ioannis Patriarchæ Aquileiensis epistola ad Agilulphum Regem Longobardorum, quem patronum interpellat aduersus Catholicos pro schismaticis.

C Sane quidem propensiores fuisse Agilulphum atque eius coniugem Reginam Theodolindam erga schismaticos, cum ex epistolis sancti Gregorij Papæ superius est demonstratum, tum etiam ex recitatæ epistolæ fragmento satis apparet. Factum est autem postea, vt Patriarcha Aquileiensis Gradensi castro exutus, non amplius apud Gradum sedem tempore turbinis bellici collocauerit, sed sese contulerit ad Forum Iulij: vnde & accidit (quod nuper diximus) vt idē & Iuliensis Patriarcha nominaretur: hactenus enim qui Aquileiensis erat Episcopus, idem & Gradensis dicebatur, vt vidimus de Seuero ex Gregorio: etenim extant Acta Synodalia sub Elia Aquileiensi Episcopo tunc Catholico & Romanæ Ecclesiæ communicante, in quibus de his agitur, & recitatur epistola Pelagij Papæ ad Eliam, qua conceditur vt Gradum loco Aquileiæ ipse teneat, sitq. eadem metropolis, quæ & noua Aquileia ab ipso est nuncupata: vnde euenit vt idem Episcopus & Pa-
D triarcha aliquando Aquileiensis, aliquando vero Gradensis nominaretur. At de his modo satis.

SABINIANI PAP. OBITVS.

Moritur autem hoc anno, octaua Indictione, vndecimo Kalend. Martias Sabinianus Papa, cum sedisset menses quinque & dies vndeviginti. ita consentiunt omnes veteres, atque etiam Græci, nempe ipsum esse defunctum eodem quo creatus est anno. Scripti codices repentini eius obitus causam terribiliorē afferunt: cuius totius rei gestæ tragœdiā Sigebertus ita summatim complexus est: Cum Sabinianus Papa & ipse liberalitati Gregorij prædecessoris sui derogaret, Gregorius eum per visum ter pro culpa tenaciæ & huius derogationis increpatum, quod non resipisceret, etiam quarto horribiliter increpans, & comminans, in capite percussit. Quo ille dolore vexatus, non multo post mortem obijt.] hæc Sigebertus. Cuius rei gratia accidit, vt eo defuncto (vt habet Anastasius) non ex more
E per medium ciuitatis deferretur cum funebri pompa corpus eius ad basilicam sancti Petri, sed eijceretur extra Vrbem per portam sancti Ioannis, deferreturq. extra muros vsque ad pontem Miluium, inde vero inferretur in ipsam sancti Petri ecclesiam, vbi est sepulturæ mandatum: exasperatum enim admodum fuisse aduersus eum populum Romanum, eo quod triticum Ecclesiæ non erogasset (vt S. Gregorius consueuerat) in pauperes, sed venum exposuisset triginta solidis modium vnum. De eo præterea hæc idem Anastasius: Hic in ecclesia beati Petri luminaria dedit.] & paulo inferius: Hic Ecclesiam clero impleuit. Hic fecit Episcopos per diuersa loca numero vigintisex. Et cessauit Episcopatus eius menses vndecim, dies vigintisex.] Hæc de vacatione sedis cum Anastasius scribat, nescio quomodo vnum dumtaxat diem tribuat aliquis ex recentioribus: nos quem antiquiorem & fideliorem Anastasio sequamur, habemus neminem. Præterea repugnat ratio, cum non sedere soleret electus Pontifex, nec consecrari, nisi (vt ferebat iniquitas tempo-

ris) Imperator ratum id habuiſſet : quare diutiores eſſe conſueuerunt ſedis Romanæ A vacationes.

Porro eadem dira vrgente fame, in deteſtationem immiſericordis auaritiæ magnum Sigebertus narrat accidiſſe miraculum, quod verbis iſtis deſcribit ſub Pontificatu eiuſdem Sabiniani[a]: Hoc tempore, inquit, pauper quidam cum a nautis eleemoſynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero: Deſiſte eleemoſynam petere a nobis, qui nihil præter lapides habemus: cum ſubieciſſet pauper: Omnia ergo vertantur in lapides: quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuerſum eſt, colore & forma rerum eadem permanente.]hæc ipſe. Et quidem ex diuinæ Scripturæ præſcripto, quod eſt in Eccleſiaſtico[b], accidit: Non exaſperes pauperem in inopia ſua. Cor inopis ne affixeris, & non protrahas datum anguſtianti. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.] vt non adeo mirum videatur id fa- B ctum eſſe: ſed potius mirandum ſit, ſi maledictionem pauperum non ſemper ſtatimq. diuina vltio ſubſequatur. At de anni huius penuria ſatis.

a Sigeber. in Chron.

CIBARIA IN LAPIDES CONVERSA.

b Eccleſ. 4.

Quod ſpectat ad res Orientales, nihil præterea hoc anno factum proditur[c], niſi quod ad cladem Romani Imperij Duces a Coſrhoe miſſi ſint: cum Phocas in necem Narſetis, qui rebellarat, cuncta miſcens, per fas & nefas, iteratis eum iuramentis præſtitis ad Romanos redire tandem perſuaſit: quem cum in poteſtatem accepiſſet, periurus atque fidifragus viuum comburi præcepit. Hunc tandem conſecutus eſt finem celeberrimus Dux, Perſarum & aliorum barbarorum victorijs ſi quis alius ante glorioſiſſimus. quare ex eius obitu magnus Romanis dolor acceſſit, ac timor incuſſus: Perſæ vero gaudio exultarunt, eo quod vel ipſum tantum Narſetis nomen pauendum omnibus illis eſſet. Effecerunt iſta, vt Phocas tyrannus potius quam Imperator ab omnibus haberetur, vtpote qui C non hoſtium, ſed Romanorum cæde ſtabilire ſibi conaretur Imperium, eo præſertim tempore, quo Perſæ aduerſus Romanos in dies magis magisq. ſæuirent. Ipſe vero Phocas ſentiens ſe ab omnibus timeri tantum, amari autem a nemine, omnes ſuſpectos habens, amabat ipſe nullum, ac nouas ſuorum cædes pro tenuiſſimis ſuſpicionibus in dies meditans, ciuium ſanguine ciuitatem infecit.

c Cedren. & Miſcel. hoc anno 3. Phoca.

NARSES VIVVS COMBVSTVS A PHOCA IMP.

IESV CHRISTI ANNVS 606. BONIFACII PAP. III. ANNVS 1. PHOCAE IMP. ANNVS 4.

D

BONIFACIVS PP. III. CREATVR.

CVm ſextus ſupra ſexcenteſimum annum ageretur, nona Indictione, vbi iam (teſte Anaſtaſio) Romana ſedes ceſſaſſet anno fere integro, vndecim ſcilicet menſibus atque vigintiſex diebus, decimoquinto Kalendas Martias Papa creatur Bonifacius ex diacono, Ioannis filius, Romanus patria, qui a ſancto Gregorio miſſus fuerat Conſtantinopolim Apocriſarius ad Phocam Imperatorem. Accidiſſe vidimus, vt qui eo functi eſſent munere, ijdem in Summum Pontificem ſæpius deligerentur: ita Vigilium, Paſchalem, Gregorium, atque Sabinianum (vt dicere de reliquis omittamus) electos fuiſſe reperimus. Quod enim (vt dictum eſt) ex Orientalium Imperatorum tyrannide electioni cleri oporteret accedere conſenſum Imperatoris; eum eligere ſtudebant, quem ſcirent eidem fore gratum. Vt de Bonifacio iſto apparet contigiſſe, qui vſque ad Gregorij obitum Conſtantinopoli degens, eumdem ſibi Phocam demeruit, in eius ſe inſinuans amicitiam. E

PHOCAS CONTRA CYRIACVM FAVET BONIFACIO.

Cuius rei cauſa factum eſt, vt cum ex more litteras ad eum Phocas Imp. ſcriberet, in odium Cyriaci Conſtantinopolitani Patriarchæ profeſſus ſit ſolum Romanum Pontificem eſſe dicendum Oecumenicum, nempe vniuerſalem Epiſcopum, Conſtantinopolitanum nequaquam. id quidem ipſum Bonifacium ab eo obtinuiſſe, Anaſtaſius his verbis teſtatur: Hic, inquit, obtinuit apud Phocam Principem, vt ſedes Apoſtolica beati Petri Apoſtoli caput eſſet omnium Eccleſiarum, id eſt, Romana Eccleſia: quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.] hæc Anaſtaſius. Habet eadem Paulus diaconus[d] totidem ferme verbis, quæ ſic ſe habent: Hic Phocas Imperator, rogante Papa Bonifacio, ſtatuit ſedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ primam eſſe, cum prius Conſtantinopolitana ſe primam omnium ſcriberet.] hæc Paulus. Quod enim interceſſiſſent quædam inimicitiæ & odiorum fomenta inter Phocam ipſum atque Cyria-

d Paul. diac. de geſt. Longobar. lib. 4. c. 11. vet. edit.

A riacum Patriarcham, in eius odium fauisse videtur ipse Imperator Romano Pontifici præter morem suorum prædecessorum. Siquidem Mauritius nullum locum dedit petitionibus & querelis sancti Gregorij crebrius expostulantis, quod tum Ioannes, tum eius successor Cyriacus nomen sibi vsurparant Vniuersalis, & petentis vt ab eiusmodi nomine cessaret, & eo titulo penitus abstineret, perseuerante illo nihilominus in sententia. Infensus ergo Cyriaco Phocas Imperiali edicto sanciuit, decere eiusmodi nomen Romanam tantum Ecclesiam, ipsiq. soli conuenire Romano Pontifici vt diceretur Vniuersalis, non autem Episcopo Constantinopolitano.

Quæ vero simultatis occasio hoc anno exorta fuerit inter Phocam atque Cyriacum, tum apud Theophanem, tum etiã apud Cedrenum ex Græcorum Annalibus hoc anno expressum habes. A Theophane enim hæc his verbis patefiunt: Anno Imperij Phocæ quarto SIMVLTATVM OCCASIO INTER PHOCAM ATQVE CYRIACVM.
B Sclfolasticus eunuchus, vir glorioſus Palatij, Constantinam dominam olim Augustam coniugem Mauritij Imperatoris cum tribus filiabus eius accipiens, ad magnam ecclesiam confugit, consilio Germani Patricij desiderantis Imperium. Fit igitur seditio magna in vrbe. Germanus autem Demarcho Prasinorum talentum auri misit, vt cooperaretur ei: primores autem vulgi id admittere noluerunt. At vero tyrannus in ecclesiam ad abstrahendum mulieres destinauit. Sane Patriarcha Cyriacus tunc restitit tyranno, minime passus e templo tyrannice abduci mulieres. Verum iuramentis certo eo reddito a Phoca, quod non læderet eas, educuntur e templo, & clauduntur in monasterio.] hæc ibi. Quod igitur expetita præda, Cyriaci opera e manibus esset elapsa, ex qua fomenta subministrari videret noui creandi Imperatoris; in Cyriacum (vt dictum est) Phocas exacerbatus, in ipsum quod valuit tunc expleuit: ceterum sequenti anno necem mulie-
C rum regiarum a Phoca imperatam, suo loco dicetur. Ipse vero Cyriacus (vt creditur) mærore confectus, hoc eodem anno (vt Annales Græcorum habent) ex hac vita sublatus est.

Ista autem cũ ita se habuisse perspexeris, hic tibi lector ex veteri historia nouam illationem a Nouatoribus factam proponentes, risum, puto, mouebimus, cum videris ad pictum INANIS NOVATORVM CONATVS.
in pariete leporem turbas confluxisse vndique venatorum, & latrasse vbique canes, quasi quæsitam diutissime prædam nactos. Sagacissimi siquidem Nouatores (quorum præcipuus est ille conatus, vt ad labefactandum Ecclesiæ Romanæ primatum comportent vndique machinas) simulac inuenerunt a Phoca Imp. Romanæ Ecclesiæ tributum esse primatum: quot putas ipsos plausibus accepisse sententiam, eamq. acclamationibus celebrasse, & declamationibus exaggerasse, nimirũ, quod eius super omnes Ecclesias præro-
D gatiua sit tyrannice vsurpata, a tyranno cõcessa, a Phoca scilicet Imperatore primitus impertita Bonifacio Tertio huius nominis Ecclesiæ Romanæ Pontifici? Verum cum exultant [a] sicut victores capta præda, eisdem perinde accidisse videtur, ac reprobi Saulis apparitoribus atque nuncijs (vt de diuina Scriptura prodatur exemplum [b]) cum putantes se Dauidem, quem quærebant, iam tenere captiuum, & vincire catenis; illo elapso, pellitum simulacrum loco ipsius apprehendisse videntes, cum rubore senserunt se fuisse delusos, vbi longe aliter quam putarent, accidisse nouerunt.

a Isai. 9.

b 1. Reg. 19.

At quomodo potuit Phocas super Constantinopolitanam Ecclesiam Romanæ contulisse primatum, quem numquam aliquem Constantinopolitanum Episcopum profiteri PRIMATVS ROM. ECCL. SEMPER COGNITVS.
desijsse, quis poterit inuenire? Nonne vidimus nuper, a sententijs Ioannis Episcopi Constantinopolitani esse a pluribus appellatum ad Apostolicam sedem, & aduersus la-
E tam ab eo sententiam sanctum Gregorium iudicasse, nec ipsum Ioannem ab ipsius Apostolicæ sedis iudicio resilijsse? Nonne & eius successorem Cyriacum vidimus esse professum, subiectum se esse Romano Pontifici, prout superius dictum est suo loco? Si hæc de refractarijs Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarchis dici possunt, atque probari: de pacificis & obsequentibus quid dicendum? Si hoc iure sedi Apostolicæ debitum; quid de nomine altercandũ? Nonne longe ante Phocam nomen Oecumenici a Synodo Chalcedonensi & a Patriarcha Alexandrino Romano Pontifici esse oblatum certum est, vt testatur ipse Gregorius [c], vt taceamus de inferioribus Episcopis? Quid ergo suo edicto contulit Romanæ Ecclesiæ Phocas? Nihil plane, nisi quod declararit sua sententia, indebite vsurpari ab Episcopo Constantinopolitano Oecumenici nomen, quod Romanæ dumtaxat deberetur Ecclesiæ: cum alioqui Romanam Ecclesiam semper tenuisse primatum super omnes totius orbis Ecclesias, ne ipsi quidem aduersarij contradixerint, vt superius

c Gregor. lib. 7. epist. 30. Ind. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rius suis locis latissime est demonstratũ: sed in eo dumtaxat cum dictis Ecclesiæ Constanti- A
nopolitanæ Episcopis cõtrouersia erat, quod inuitis ac reclamantibus Romanis Pontificibus, Constantinopolitani Episcopi titulum sibi Oecumenici vsurpassent. Quod ergo Phocas in odium Cyriaci (vt dictum est) adiudicasset causam Rom. Pontifici, vt non Constantinopolitanus, sed ipse solus Oecumenicus diceretur: putarunt rerum ignari, a Phoca eiusmodi Romano Pontifici tributum esse priuilegium, vt in Ecclesia Catholica primatum gereret. Sed quam hæc ridenda sunt & sibilis insectanda (si ita liceret Christianæ modestiæ) omnes intelligent, qui ab aduentu Domini vsque ad Phocam elapsos annos singillatim in Annalibus recensuerint, atque viderint vix aliquem prætercurrere annum, quo non eluceat Ecclesiæ Romanæ primatus: adeo vt facilius sit negare non lucere Solem, vel ignem non calefacere, quam eiusmodi fulgentes veritatis sparsos vbique radios obscurare. B

a Molinæum, Othomanũ, vel his similes auctor insectatur.

Eant miserrimi leguleij [a] huiusmodi adeo obtusis & infantilibus certantes spiculis (quæ sagittas infantium iure dixeris) ad labefactandam super firmam petram Romanam Ecclesiam diuinitus stabilitam. Nihil igitur præterea a Phoca (vt dictum est) obtinuit Bonifacius, quam quod a Mauritio sæpe petijsset Magnus Gregorius, vt vana de titulo Oecumenici blaterantem Ioannem primum, deinde Cyriacum cohiberet: erat enim de nomine tantum quæstio, de ipsa scilicet Vniuersalis tituli inscriptione neganda illis.

b Gregor. lib. 4. epist. 32. Ind. 13.

Nam in epistola ad Mauritium de his data hæc habet ipse Gregorius [b]: Secundum petitionem prædicti Sabiniani diaconi (*Apocrisarius erat iste tunc Apostolicæ sedis*) aut pijssimus dominus ipsum dignetur iudicare negotium, aut sæpe nominatum virum, vt ab hac tandem intentione cesset, deflectere. Si ergo iudicio pietatis vestræ iustissimo, vel clementibus admonitionibus cesserit, omnipotenti Deo gratias referimus: sin au- C
tem in eadem diutius contentione perstiterit, hac de re iam veritatis sententiam tene-

c Luc. 14.

mus, quæ ait [c]: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c.] ita depositionem comminatus. Quod ergo expetijt a Mauritio Gregorius, & non obtinuit, vt vanum hominem titulum sibi indebitum vsurpantem compesceret: hoc a Phoca obtinuit Bonifacius, vt coercuerit Cyriacum sibi inconcessa sumentem. Sic igitur edictum Phocæ non dedit primatum Ecclesiæ Romanæ, sed illi tantum iure competere nomen Oecumenici iudicauit. vt plane aperta adeo luce veritatis cum ista constent, leguleios pœniteat Nouatores id in con-

d Prou. 9. 15.

trouersiam adduxisse: quibus acciderit secundum illud Prouerbiorum [d]: Os stulti confusioni proximum est.] & illud: Os stultorum pascitur imperitia.] Sed in his vlterius non immorandum.

CYRIACI CONSTANTINOP. OBITVS.

Vbi igitur hæc per Phocam Imperatorem sunt instituta, Cyriacus Constantino- D
politanus Episcopus, propugnator acerrimus præsumpti Oecumenici tituli, mærore consumptus ac dolore confectus diem obijt, vbi sedisset annos decem, & vndecimum inchoasset. In cuius locum subrogatus est Thomas diaconus & sacellarius magni templi.] hæc Cedrenus hoc anno quarto Phocæ Imperatoris. Sed quæ sunt reliqua Bonifacij Papæ videamus.

CONCILIVM ROMANVM.

Hic vbi primum sedem Pontificiam est adeptus, ad corrigendum prauum vsum, qui in electione Pontificis in Romanam Ecclesiam irrepsisse videbatur, addixit animum: cuius rei causa Episcoporum Concilium in basilica Vaticana collegit. Ambitio namque verecundiæ nescia eo procaciæ adigebat aliquos Romanæ Ecclesiæ clericos, vt superstite adhuc Pontifice, de eo qui esset post eius obitum eligendus in successorem, tractarent. At licet alias ante fuisset sacris legibus Pontificijs vetita eiusmodi facinorosa molitio, E
adhuc tamen Synodali simul Pontificioq. decreto id rursum esse tollendum Bonifacio visum fuit; de quo Anastasius Bibliothecarius ista habet: Hic fecit Constitutum, *decretum scilicet*, in ecclesia beati Petri, in qua sederunt Episcopi septuagintaduo, presbyteri Romani trigintaquatuor, diaconi & clerus omnis, sub anathemate, vt nullus Pontifice viuente, aut Episcopo ciuitatis suæ, præsumat loqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis eius, adunato clero & filijs Ecclesiæ, tunc electio fieret; & quem quisque voluerit, haberet licentiam eligendi sibi sacerdotem.] hæc in dicta Romana Synodo serio pertractata fuerunt ac stabilita. Perierunt Acta Synodi huius, sicut & alia

BONIF. PP. III. OBITVS.

eiusdem Bonifacij: Qui hoc eodem anno ex hac vita decessit duodecima die mensis Nouembris, vbi sedisset menses tantum octo & dies viginti tres. Ita ex Anastasio, cuius etiam testificatione proditur cessasse Episcopatus eius menses decem & dies sex.

Hoc

A Hoc eodem anno, cum adhuc Bonifacius Papa Ecclesiæ præsideret, redijt e Gallijs Faustus monachus discipulus S. Benedicti; scriptamq. a se vitam S. Mauri abbatis, cui comes accesserat, secum ferens, ipsi Bonifacio probandam obtulit. hæc Leo Ostiensis [a]: porro in eius commentarij præfatione de his agitur. sed hic finis præsentis anni. *a Leo Ost. hist. Casin. lib. 1. cap. 3.*

IESV CHRISTI ANNVS 607. BONIFACII PAP. IV. ANNVS 1. PHOCAE IMP. ANNVS 5.

B SExcentesimus septimus decimæ Indictionis cũ ageretur annus, Bonifacius ex Valeria ciuitate Marsorum, Ioannis medici filius, ex presbytero, eius nominis Quartus, Pontifex creatur die decimaoctaua Septembris. Qui statim domum suam in monasterium erexit, quod & reditibus locupletauit: Idemq. cum videret Phocam Imperatorem erga Romanos Pontifices propensiorem (quod nemo Romanorum Pontificum hactenus tentasset) ab ipso Imperatore dari sibi Pantheon nobile Romæ delubrũ petijt, vt illud expurgatum ab antiquæ sordibus idololatriæ, in honorem Dei genitricis Mariæ & sanctorum Martyrum Domino consecraret. Quod ipso liberaliter concedente, id quod optauit, absque mora feliciſſime præstitit. hæc ex Anastasio. Sic igitur mirandum illud tot antiquorum scriptorum præconijs celebratum, a Marco Agrippa ter Consule tempore Augusti Imperatoris templum erectum, Iouiq. Vindici consecratum, cessit tandem vsui Christianæ religionis post sexcentos trigintaduos annos. Intactum id quidem permanserat a demo- BONIFACIVS PP. IV. CREATVR. PANTHEON DEO DICATVM.

C lientibus (vt dictum est) dæmonum sedes Romanis Christianis ob solidæ molis structuram firmissime stabilitam; neque adhuc Christianæ religionis vsui fuerat mancipatum, quod id fieri, execrabile videretur. Nam ex S. Gregorio vidimus, primum ab ipso decretum, vt nouæ gentis Anglorum Christianorum quæ erant templa idolis dedicata diruerentur: sed postmodum ab eodem nouellæ plantationi indultum fuisse, vt eadem integra remanerent, dummodo expurgata solemni ritu, ex profanis sancta reddita, sacro cultui aptarentur. Sic igitur Pantheon in ecclesiam commutato & consecrato, tituloq. Dei genitricis Mariæ nobilitato, sacrisq. Martyrum reliquijs ex cœmeterijs extra Vrbem positis locupletato, nomen ipsi comparatum est, vt Dei genitricis templum ad Martyres diceretur, quo decorum titulo hactenus perseuerat.

Quod ad res pertinet Orientales: turbulentissimus fuit iste annus Constantinopolita-

D nis: nam detecta coniuratione, Phocas in cædem nobilissimorum exarsit. Quomodo autem ista se habuerint, in Annalibus ex Theophane in Miscella digestis ita narrantur [b]: Anno Imperij quinto Phocas filiam suam Domitiam Prisco Patricio & Comiti excubitorum iunxit, & factis in Palatio Marniæ nuptijs, iussit fieri ludum equestrem. Demarchi autem vtriusque partis, Prasinæ scilicet & Venetæ principes apud quatuor columnas cum Imperialibus signis statuerunt Prisci ac Domitiæ signa, *nempe ipsorum imagines*. Quibus auditis Imperator iratus est, & mittens adduxit Demarchos, Theophanem scilicet & Pamphilum; & statuens nudos, iussit eos decollari. Cum enim misisset Protocursorem, vt interrogaret eos, quo præcipiente fecerint hoc: dixerunt, quia secundum consuetudinem Lineatoris hoc fecerunt. Porro Lineatores siue Mensores interrogati, quam ob causam id fecerint, dixerunt: Quia cum Imperatores ab omnibus nominati sint, hoc a nobis ipsis fe- *b Miscel. lib. 17.* PRISCVS ET DOMITIA VT IMPERATORES HABITI.

E cimus.] Quod enim in fauſtis nuptiarum acclamationibus ijdem, nempe filia & gener Imperatoris, æque fuissent acclamati Imperatores; ij quibus cura ornandi pompam incumbebat (dicebantur hi Mensores, siue Delineatores) eorumdem imagines cum insignibus Imperatorijs publice exposuerunt. Sed pergit auctor: Sane Priscus timore tenebatur, ne forte Imperatoris iram incurreret. Turbis autem clamantibus misericordiam concedi sibi, veniam dedit Phocas. Extunc ergo Priscus indignationem passus, non erat recte cum Phoca.

Interea mulier quædam, Petronia nomine, fit Constantinæ Imperatrici relictæ Mauritij ministra, quæ ad Germanum responsa ferebat. Porro cum fama dilataretur, quod Theodosius Mauritij filius viueret, spem bonam tam Constantina quam Germanus habebant. At vero scelerata Petronia hæc tyranno manifesta fecit. At tyrannus Constantinam Theoprepio Exarcho ad torquendum prodidit. Quæ dum torqueretur, Romanum Patri- CONSTANTINA CVM FILIABVS ET ALIIS OCCISA.

cium

cium nosse interlocutiones suas confessa est. Qui comprehensus atque discussus, etiam A
alios fore in insidias tyrannidis sibi cooperatores perhibuit. Comprehensus est autem
Theodorus Orientis Præfectus, quem tyrannus interemit: Helpidij quoque pedes præ-
cidens tradidit igni, Romanumq. decollauit. Porro Constantinam cum tribus filiabus, in
loco vbi Mauritius interemptus est, gladio trucidauit, Germanum autem & eius filiã ore
macheræ occidit, similiter & Ioannem, & Zizam Patricium, & Theodosium, qui Subad-
iuuiæ dignitate habebatur insignis, & Andream Sanctoeroben, & Dauid Chartophyla-
cem Hormisdæ.] hucusque de cæde nobilium Annales habent: eadem hoc anno Cedre-
nus & alij narrant. Quod autem de Theodosio adhuc superstite credito dictum acce-
pisti, a Nicephoro melius ista cognosce, dum ait [a]:

[a] Nicephor. lib. 18. c. 41.

DE THEODOSII OBITV ET VITA RVMOR INCERTVS.

Fama autem obtinet, percussorem Theodosio parcentem, alium pro eo admodum illi B
similem iugulasse; ipsum vero Theodosium profugum in locis multis multa expertum,
postea morbo interijsse. Atque ea quidem fama per omnes Romani Imperij ditiones vul-
gata est; sed eam barbarus quidam erro, perquam tenui coniectura id facere ausus, pro-
tulit, propterea quod caput eius solum, vna cum alijs qui cæsi sunt, exhibitum non sit.
Verum inquisitio ipsa satis solicitudine summa defatigata, Theodosium etiam mortuum
esse cognouit.] hucusque Nicephorus de Theodosio, qui ad necem matris (hoc additum
ad calamitatem) atque sororum & propinquorum, mortuus, est creditus viuere. Subdit
his vero Nicephorus de sepulchro ipsorum: Eorum autem, ceterorumq. Imperialium cor-
porum (decem autem fuere) reliquiæ longo post tempore in Mamantis martyris templo
prope murum, cui Xylocerus nomen est, repositæ sunt. Templum autem id Pharasmanes
eunuchus constructit, qui sub Iustiniano Imperialis cubiculi præfectus fuit. Porro in com-
munis sepulchri eorum monumento epigramma hoc insculptum est: C

EPITAPHIVM MAVRITII, CONSTANTINAE, ET FILIORVM.

O ego mille modis Regum miseranda duorum,
Mauritij coniunx, filia Tiberij:
Edocui Regina satis, fœcundaq. mater,
Quam sint multorum commoda sceptra Ducum.
Militis infidi iaceo, populiq. furore:
Et mecum coniunx, progeniesq. iacet.
Nec miseræ Niobes ego sum vitale cadauer.
Plura ne Cisseis, plura Iocasta tulit?
Esto, iure pater: cur pignora parua necantur
Humani prorsus nescia turba doli?
Non iam Roma meis carpes e frondibus vmbram: D
Eruta Threïcio stirps Aquilone iacet.] ita apud Nicephorum, & apud alios

[b] Apud Cedren. in Compend.

alia translatione, Græce autem sic [b]:

Ἀ δ' ἐγὼ ἡ ξιτάλαινα, κὴ ἀμφοτέρων βασιλήων,
Τιβερίου θυγάτηρ, Μαυρικίῳ τε δάμαρ
Ἡ πολύπαις βασίλεια, κὴ ἡ δάξασα * λοχεύω,
Ὡς ἀγαθὸν τελέθει κὴ πολυκοιρανίη,
Κεῖμαι σὺν τεκέεσσι καὶ ἠμετέρῳ θαλακοίτῃ,
Δήμου ἀταδαλίῃ, κὴ μανίῃ σφαπῆς.
Τῆς Ἑκάβης ἔτλην πολυχαίτεα, τῆς Ἰοκάστης,
Αἰ αἰ τῆς Νιόβης ἔμπνοος εἰμὶ νέκυς.
Ναὶ ναὶ τὸν γλυκὺπαν· τί μάτην τὰ νεογνὰ ἔκτφνας,
Ἀνθρώπων κακίης μηδὲν ἐπισταμένα;
Ἡμετέρῃς πατρίδεσσι κατάσκιος ἕρκεϊ Ρώμη,
Ῥίζα γὰρ σκυλάξει Θρηικίοις ἀνέμοις.]

Ex pia Mauritij familia pleræque pietate insignes feminæ extitere: exornat vero Ec-
clesiasticas tabulas tum Græcorum tum Latinorum eiusdem filia, Sopatra nomine san-
ctissima virgo, inter sanctos relata, anniuersariaq. commemoratione donata vna cum
Eustolia Romana, quarum natalis in Ecclesia agitur die nona Nouembris [c]. Est
præterea mentio apud Sophronium [d] de Damiana clarissima femina & maxime pia
atque sorore Imperatoris Hierosolymis vitam degente vna cum nepte sua ac Mauritij,
hac videlicet occasione:

[c] Menol. & Ro. Martyrolog. ea die.

[d] Prat. Spirit. c. 127.

Narrauit nobis, inquit, eadem Abbatissa Damiana & hoc, dicens: Die sancto para-

sceue

A seeue, antequam includerer, abij ad sanctos Cosmam & Damianum, & illic totam noctem peregi. Venit itaque sero anus quædam ex Galatia Phrygiæ, & dabat omnibus qui in templo erant duo minuta. Die igitur quadam neptis mea & fidelissimi Imperatoris Mauritij veniens ad sanctam ciuitatem orationis gratia, egit ibi annum integrum. Assumpsi ergo eam, & duxi ad sanctos Cosmam & Damianum. Cum igitur in oratorio essemus, aio cognatæ meæ: Vide filia, quia venit anus quædam dans duo minuta (ea enim mihi sæpius dederat) Sume illa, ne superbias. Illa autem indignans dicebat: Oblatum habeo accipere? Tunc dixi ei: Etiam accipe: mulier enim sancta est, & magnæ virtutis. Tota enim hebdomada ieiunat, & quicquid hebdomada laborans lucratur, erogat ijs qui in templo hoc inueniuntur. est enim vidua quasi annorum octoginta. Sume igitur duo minuta, & da illa tu quidem alteri: tantum ne respuas anus istius sacrificium. Ista nobis loquentibus,
B ecce anus veniens duo minuta erogabat, venienſq. dedit mihi cum omni silentio: dedit autem & nepti meæ, dicens: Accipe ista, & comede. Cum ergo abijsset, agnouimus quod Deus illi reuelasset quod dixeram ei, vt acciperet, & alteri pauperi daret. Misit igitur vnum ex pueris suis, & de duobus minutis emit lupinos, & comedit. Asserebat autem coram Deo dicens, eos tamquam mel dulces fuisse, ita vt miraretur & glorificaret Deum, qui dat gratiam seruis suis.] hæc ibi a nobis hic occasione filiorum & aliorum Mauritij propinquorum relata.

Porro ad Phocæ crudelitatem & illud vtique addendum, quod cum ex Imperatore in tyrannum conuersus, in nobilium ciuium necem debaccharetur, & quemcumque vel leuis tangeret suspicio detruderet in carcerem: cum vnus carcer, qui eos includeret, haud adeo spatiosus esset, ipsi pædore atque fœtore mirum in modum cruciabantur: ve-
C rum quod non caperet omnes, commiseratione piæ feminæ est dilatatus. Glicas siquidem auctor est [a], eumdem qui vnicus tempore Constantini ædificatus est carcer Constantinopoli, absque aliquo incremento vsque ad Phocam Imp. permansisse: quo tempore nobilissima matrona commiserata eiusmodi intolerabile carceratorum cruciamentum ex loci angustia pereuntium, suam cessit domum Imperatori ad carcerem ampliandum. Dum in his esset Phocas, Cosrhoes Rex Persarum suo exercitu superiorem & inferiorem Syriam deprædatus est, nullo sibi obuiam facto qui resisteret. Hæc Annales.

CARCER DILATATVS.

[a] *Glic. Annal. in Constantino Magno.*

Eodem quoque anno ægrotans idem Phocas Imperator a diuina misericordia non derelinquitur, sed sanatur a S. Theodoro cognomento Siceota, de quo sæpe superius. Quomodo autem id acciderit, ex Eleusio eius discipulo scriptore ipsius vitæ hic reddamus: sed prius quod ingens hoc pariter tempore prodigiū accidisse narrat, describamus: ait enim [b]:
D Cū in oppidis finitimis supplicationes fierent, & Cruces quæ gestari solent, horribili miserandoq. spectaculo per se concuterentur & cōmouerentur: interrogatus vir diuinus Theodorus quid sibi id vellet, respondit: Deum, o filij, precibus placate; quoniam magnæ mundo imminent calamitates. Domitius autem Patricius vir clarissimus promiserat se auream Crucem ad supplicationis adorationisq. vsum effecturum. Itaque misit vir sanctus Epiphanium diaconum ad illum. Qui cum aurifici aurum dedisset, diaconum rogauit, vt tantisper moraretur, dum aurifex opus conficeret. Et sanctissimus Patriarcha Thomas, qui post beatæ memoriæ Cyriacum in Pontificia regiæ ciuitatis sede successerat, laudata viri glorioſi pietate, dedit etiam ipse particulam venerandi ligni sanctæ Crucis, & particulam sancti sepulchri Saluatoris nostri Dei, & veli particulam sanctissimæ Dei genitricis, conijciendas in vmbilicum illius Crucis, quæ ex auro conflabatur. Quæsiuit au-
E tem ex ipso diacono, vtrum verus fuisset ille Crucium motus, qui in regione Galatarum factus fuisse dicebatur. Cumq. diaconus id affirmasset, valde timuit beatissimus Patriarcha, & solicitudine plenus epistolam scripsit ad seruum Dei, rogans eum, vt quam celerrime ad se in ciuitatem regiam proficisceretur.] annuit vir sanctus. Quæ autem proficiscens miracula in via ediderit, idem auctor pluribus narrat, quæ dicere præternittimus breuitatis causa: tu, si libet, consulere auctorem poteris. Ipse vero illis enarratis, de his quæ sunt gesta Constantinopoli, istam texit historiam:

[b] *Extat apud Sur. die 22. April.*

PORTENTVM INGENS DE CRVCIBVS SE COLLIDENTIBVS.

Ingressus igitur in vrbem regiam, a beatissimo Thoma Patriarcha honorifice & magno cum gaudio susceptus est. Et cum inter se consalutassent, obtulit ei discipulum suum Ioannem, & vitæ sanctitatem ac mores eius commendans, petijt vt eum monasteriorū Præfectum constitueret: quod statim fecit sanctissimus Patriarcha, palliumq. tribuit, & præmisit ad sancta monasteria. Phocas etiam Imperator eum accersendum curauit: manuum

enim

PHOCAS SANATVR A S. THEODORO.

enim ac pedum doloribus excruciatus iacebat. Sancto igitur viro ingresso, & manus suas illi imponente atque precante, subleuatus Imperator rogauit eum, vt pro se proq. Imperio precaretur. Quamobrem admonuit eum vir sanctus, vt ab hominum afflictione & sanguinis effusione tempararet, si preces suas a Deo vellet exaudiri. A

Cum autem ab Imperatore discessisset, rogauit eum beatissimus Thomas Patriarcha, vt pro sua in illum beneuolentia apud se diuerteret, & Deum obsecraret, vt in cœlesti vita simul inuenirentur. Et quæsiuit ab eo, an verus fuisset admirabilis ille Crucium in supplicationibus motus. Quod cum verum fuisse intellexisset, cœpit orare virum sanctum, vt indicaret quid signũ illud portenderet. Tum sanctus recusare, seq. abiectum atque humilem dicere, nec scire quid responderet ad interrogata. Prostratus ille ad pedes eius, se surrecturum negauit, nisi in ea re sibi morem gereret. Scio enim, inquit, tibi non signum hoc solum, sed alia multa esse nota: neque enim illud ad hunc vsque diem neglexisti. Quod si B neglexisses, tamen patefiet tibi, si petieris a Deo. Cum igitur se desiderio eius satisfacturum promisisset Christi seruus, eum surgere coegit; & lacrymans: Nolebam, inquit, te

THEOD. PRODIGIVM EXPLICAT, ET VENTVRA MALA PRAEDICIT.

affligi: neque enim expedit hæc te scire. Verum quando ita vis, scito ea Crucium concussione multa nobis grauia molestaq. prænunciari. Significat enim plurimos a religione nostra defecturos, & barbararum gentium incursiones, & magnam sanguinis effusionem, & ingens exitium, & in vniuerso orbe seditiones fore, & sanctas ecclesias desertum iri, & diuini cultus atque Imperij interitum, & aduersarij aduentum appropinquare. Reliquum est, vt tamquam gubernator Ecclesiæ & populi pastor Deo totis viribus assidue supplices, vt ignoscat populo, & pro misericordia sua hæc omnia moderetur.

His auditis, beatissimus Patriarcha magno timore mæstitiaq. correptus, cum lacrymis cœpit rogare sanctum virum, vt Deum obsecraret, quo animam suam tolleret, ante- C quam ab illis calamitatibus opprimeretur. Cumq. vellet sanctus Theodorus in patriam redire, quoniam quietis & silentij sui tempus aduentabat; id illi non permisit beatissimus Patriarcha. Increbuerat enim rumor, ciuitatem haud ita multo post absorptum iri. Quamobrem voluit vt apud se hiemem traduceret. Namque dicebat, se precibus eius apud Deum pro populo indigere, vt saltem mala differat, quæ comminatur. Cum autem vir sanctus locum proprium ad habitandum postularet, iussit vt in sancti Stephani mansione, quæ Romanorum dicitur, habitaret. Natali igitur die Saluatoris nostri Dei illic sese inclusit, vt quietem & abstinentiam solitam obseruaret.] hactenus de rebus gestis anni huius: quæ autem sequuntur, sequenti potius contigisse noscuntur, nosq. suo loco narraturi sumus.

Quod ad prodigium spectat a Theodoro generatim tantum Patriarchæ petenti expli- D

QVOMODO IMPLETA PRAEDICTIO.

catum, ne timentem ipsum nimio terrore concuteret: euenta ipsa, quæ paucos post annos contigerunt, quot quantaq. mala portenderit, declararunt. Etenim præter immanes Christianorum cædes a grassantibus Persis vbique in Oriente patratas, sancta ciuitas Hierosolyma ab eisdem capta est, & sanctissima Cruce spoliata, quæ ab ipsis in Persidem translata fuit. His accessit nouorum hæreticorum post annos item paucos ab inferis portis eruptio: fuerunt hi Monothelitæ, qui vniuersæ Ecclesiæ Orientali grauissima damna dederunt. Sed & quod his omnibus funestius acerbiusq. videri potest, hoc pariter sæculo ex Nestorianis, Arianis, Iudæisq. confiatũ est immane illud monstrum, quod vniuersum pene sibi orbem subegit, atque in dies magis magisq. maioribus accessionibus armorũ potentia fœuijt aduersus Cruces bella gerens. Hoc enim fuisse videtur quod dicebat sanctus, Aduersarij aduentum appropinquare, nempe nefandissimum Mahometem sectæ Mahometa- E norum principem, quæ (vt suo loco dicturi sumus) hoc deploratissimo sæculo paucos post annos sumpsit exordium, tanto antea significata portento. Hic rursum meminisse oportet etiam S. Gregorij Papæ ad Maximum Salonitanum Episcopum epistolæ [a], qua item est de his proditum vaticinium, quo tanta mala obuentura prædixit, vt beati a posteris dicendi essent maiores, innumeris licet calamitatibus pressi, quod ea ex hac vita sublati non viderint. sed repetenda hic sunt eius verba prophetice dicta: Nolite, inquit, de talibus omnino contristari: quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt; ita vt comparatione sui temporis, felices nos æstiment dies habuisse.] licet fame, bellis assiduis, & peste fuerint ea tempora funestissima, sed florentissima videri potuerunt cum posterioribus comparata,

[a] Gregor. lib. 8. epist. 30. Ind. 3.

ANnus qui sequitur octauus post sexcentesimum, Indictionis vndecimæ, multis itidem malis calamitosus plane Orientalibus extitit & infelicissimus. Annales siquidem habent [a], factam esse mortalitatem atque penuriam omnis rei, insuper effusum rursus sanguinem nobilium ciuium, & Persarum grassationes Chalcedonem vsque, deuicto Romano exercitu. hæc omnia sexto Phocæ anno contigisse narrantur ex Theophane in Annalibus. Siquidem Phocas postquam Mauritij cognationem e medio sustulit, Commentiolum Thraciæ Prætorem & multos alios necauit: quorum omnium pertæ-
B sus eius gener Priscus, qui anno superiori in discrimen adductus fuit, aduersus eum coniurationem moliri cœpit. de eo enim hæc ex Theophane in ijsdem Annalibus: Anno Imperij Phocæ sexto Priscus intueri non sustinens tam iniusta homicidia, quam cetera mala quæ a Phoca patrabantur, scripsit ad Heraclium Patricium & Prætorem Africæ, quo Heraclium filium suum & Nicetam filium Gregoræ Patricij Subprætorem suum mitteret, quatenus contra Phocam tyrannum venirent. Audiebat enim eum rebellionem meditari in Africa: vnde nec nauigia hoc anno Constantinopolim conscenderunt.] At quæ hoc anno tentari cœpta fuere, sequenti sunt executioni mandata. dicemus de his suo loco.

PRISCVS PHOCAE SOCERO MOLITVR INSIDIAS.

Quod vero ad bellicas acceptas clades pertinet, hæc apud eosdem Annales scripta leguntur: Præterea Persæ vna cum Cardarige Duce egressi ceperunt Armeniam & Cappa-
C dociam, pugnantesq. Romanorum verterunt militias, ceperuntq. Galatiam & Paphlagoniam, & venerunt vsque Chalcedonem sine parcitate depopulantes omnem ætatem. Et hi quidem foris portam Romanis tyrannidem inferebant: Phocas vero his peiora intrinsecus patrabat, occidens atque captiuans.] hæc ibi.

Quo pariter anno Thomas Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset annos duos & menses septem, secundum Nicephori Chronicon, ex hac vita (quod valde cupijt & precibus impetrauit) libens volensq. discessit. Rem gestam Eleusius Theodori Siceotæ discipulus, suorum temporum rerum scriptor, his verbis ita recenset [b]:

OBITVS THOMAE EPISC. CONSTANTINOPOL.

[a] *Miscell. lib. 17. Cedren. Annal. in Phoca.*

[b] *Eleus. in vit. Theod. apud Sur. tom. 2. die 22. April.*

Quo tempore, inquit, contigit vt sanctissimus Patriarcha in morbum incideret. Itaque nuncium misit ad beatum Theodorum, rogans eum, vt Deum precaretur, vt sibi daret vitæ finem. At Christi seruus respondit, quamuis ipse, vt sanctus olim Apostolus Paulus,
D dissolui & esse cum Christo cuperet, tamen cum magis esset necessarium vt pro populi salute in corpore maneret, oraturum potius vt illi vitam & sanitatem elargiretur. Sed nuncium rursus ad Dei seruum misit Patriarcha: Per Dominum, inquiens, obtestor te, pater, si diligis me, vt pro mutua & fraterna inter nos beneuolentia, Deum obsecres, vt depositum pignus suum recipiat e corpore meo, meq. ab imminentibus periculis liberet: neque enim spectare possum, quæ tu prænunciasti. Tunc Dei seruus flexis genibus, & fusis pro ipso precibus, nunciauit ei per Epiphanium ministrum, se quidem vitam eius pro salute omnium exoptasse: verum quoniam tantopere flagitasset pro se preces fundi, vt dissolueretur & esset cum Christo, iussis ipsius obtemperasse, & Deum illi quæ cuperet concessurum, & petitionem eius eodem die impletum iri. Quamobrem si iubes, inquit, vt veniam ad te, statim id faciam: sin minus, nos tamen vicissim apud
E Christum Dominum conspiciemus. Hoc audito beatissimus Patriarcha gauisus est gaudio magno, & Deum laudans monuit seruum eius ne exiret, neve a quietis & abstinentiæ suæ discederet instituto: contentum enim se esse promisso eius, quod se vicissim apud Christum essent conspecturi. Hoc & Imperator cum intellexisset, sanctissimum Patriarcham inuisit. Qui cum omnibus benedixisset, ante horam vespertinam cum prudentia atque constantia mirabili ad Dominum migrauit. Huius obitu cum serui Dei familiares angerentur, quod tam amicum atque beneuolum Patriarcham amisissent: Nolite, inquit vir sanctus, modicæ fidei homines & pusilli animi, dolere & conqueri: qui enim futurus est Patriarcha, non minus nos diliget.

Quod & factum est. Sergius enim, qui creatus est Patriarcha, venit ipse ad Dei seruum, nec permisit vt prius a quoquam certior fieret, sed de improuiso eum psalmos canentem offendit, & ad pedes eius prostratus, rogauit illum, vt pro se Dominum precaretur, quo

SERGIVS EPISCOP. CONSTANTINOP.

diuina ipſius gratia dignus effectus Epiſcopatu & Apoſtolica ſede, ex voluntate eius po- A
pulum in pace regeret & gubernaret: ſe enim iuniorem eſſe & imperitiorem, quam vt ſi-
ne præcipuo & ſingulari Dei præſidio id præſtare poſſet. At Dei ſeruus, precibus fuſis,
ipſumq. complexus: Idcirco, inquit, tibi iuueni tantũ Deus onus impoſuit, vt maiore vir-
tute viribuſq. ſuſtineas calamitates & moleſtias impendentes, id quod præceſſor tuus ſibi
præſtare non poſſe videbatur. Confirma igitur te, & robuſtus ſis, atque viriliter age: Deo
enim confiſus, ſpero adminiſtrationem tuam & diuturnam & præclaram fore. Ex eo
tempore maiores vires ſuſcipiens Patriarcha in ſuo munere adminiſtrando recte ſe geſſit,
& maiore quam præceſſor ipſius beneuolentia virum ſanctum eſt proſecutus.] hæc de Ser-
gio auctor.

Porro Sergius inſtar Saul [a], qui ipſo exordio coram Samuele magnum ſpecimen a 1. Reg. 9.
dedit optime adminiſtrandi regni, cum eſſet humilis in oculis ſuis, neque (teſte di- B
uina Scriptura) eſſet vir melior illo in Iſrael; ex vita hactenus virtutibus exculta
pie ſancteq. ducta, magnam de ſe apud omnes, præſertim vero apud præclaros ſanctitate
viros concitarat expectationem: cuius rei gratia ſanctus Theodorus ita magnifice ea-
dem ferme fauſta reſponſa de eo dedit, quæ de Saule Samuel, eo quod eamdem ipſe
ſpem de Sergio concepiſſet, quam Samuel de Saule. At non ſemper propheticus ſpiri-
tus prophetis ſanctis inhæret futura aperiens cuncta, vt fuſius ſanctus Gregorius docuit
ſuper Ezechielem. Quæ igitur de Sergio prænunciata audiſti a Theodoro (ne ſcanda-
lum patiaris) non prophetice dicta intelligas, ſed (vt accepiſti) quod ita ipſe fore ſpe-
raret: Deo enim confiſus, inquit, ſpero adminiſtrationem tuam & diuturnam & præcla-
ram fore.] talia namque de ipſo ſperare cogebat vita Sergij famaq. vulgata, & oſtenſa il-
la tunc conuenientis ipſum & ſternentis ſe ad pedes eius humilitas. C

Eſt carmen Georgij Piſidæ admirandi huius temporis nominis apud Græcos in poetica facultate, quo vitæ huius vanitatem deplorat, ad eumdem Sergium Patriarcham inſcriptum, vbi inter alia ab ipſa animi demiſſione eumdem plurimum commendat his iambis:

SERGII LAVDES EX GEORGIO PISIDA.

Lumen coruſcum Chriſtianorum chori,
Tu mens paterna, cor ſuperbum neutiquam,
Volites per aſtra quamquam, & adeas æthera,
Te deprimis, congrederis & mortalibus, &c.] Et in carmine de opificio mundi hæc de eodem Sergio:

Hæc Patriarcha clamitatq. & dictitat. D
Vt balbus is ſit plurima ob ieiunia,
At non loquendo intus ſonum magnum dedit,
In cordis igne cum indidit linguam ſuam,
Hanc condiditque, & reddita eſt vocalior:
Tacensq. clamat, guttur vt Moſis ſacrum,
Attenditurq. idem, licet non agitet os.
Largo imbre terram irrorat, atque oculis pluit:
Ningit frequenter lacrymarum cum impetu.
Hunc nos, latere etſi videtur, nouimus:
Nam notus infra lumina abijciens erat,
Cum ſenſa ſurſum animi eleuaret omnia.
O paſſionum barbararum carnifex, E
Siquidem has trucidas ore ſermonis ſacri:
Munita cum ſint noſtra monſtres mœnia:
Sunt quippe liberi vrbium muri tui:
Ex ſilicibus ſtrue alta propugnacula
Chriſto angularis lapidis in loco ſito.] hæc & alia ſumma laude digna de Sergio Georgius Piſida: quibus tu intelligas, quantæ tunc eſſet Sergius iſte in Oriente æſtimationis.

Verum ſicuti Saul, ita & iſte in tranſuerſum actus, non in eadem qua cœperat animi demiſſione perſiſtens, in foueam erroris lapſus, ex eadem, ſicut ille, numquam exurgens, peſſime perijt, ex optimo nequiſſimus redditus, caput & dux factus Monothelitarum hæreticorum, de quo inferius plura eademq. funeſta dicenda erunt.

Sed

A Sed quæ sunt reliqua gestorum viri sanctissimi Theodori Constantinopoli degentis, videamus. Reprehendebat (inquit Eleusius) vir sanctus illum morem, quo multi, præsertim in dignitate constituti, post mysteriorum perceptionem ad lauacra se conferebant. Quamobrem clericorum cœtus sanctissimæ magnæ ecclesiæ ad eum se contulit, & sic eum est alloquutus: Quoniam audiuimus, pater sanctissime, te eos reprehendere, qui post mysteriorum perceptionem se lauant; ad te confugimus, vt intelligamus vtrum id ex sacræ Scripturæ lectione, an aliunde didiceris. Vir diuinus ita respondit: Legimus in Scripturis sanctis [a]: Omne mendacium a malo est: & [b], Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Scitote igitur Deum mihi indicasse, eos valde peccare, qui post sanctam communionem ad balnea se conferunt, vt corpus lauent & curent. Quis enim vnguento delibutus & aromatibus, eorum abstergit suauitatem? Quis simulac cum Imperatore pransus B est, ad balneum currit?] hæc ipse. Quod vero eiusmodi non essent paruipendenda, signis post hæc editis Deus dicta ab eo voluit confirmasse: pergit enim Eleusius:

RELIQVA THEODORI CONSTANTINOPOLI DEGENTIS.

[a] 1. Ioan. 2.
[b] Psal. 5.

Cum autem adhuc in eadem mansione moraretur, multæ turbæ eo currebant, vt benedictionem susciperent. Et cum ad eum quidam vexatus a dæmone accessisset, & multa vociferaretur, increpans eum, & pectus eius manu percutiens, spiritui immundo, qui in illo erat, imperauit vt exiret, & statim egressus est, cum alijs fratribus spectantibus, tum Zoilo Dei studiosissimo, qui eorum præfectus postea factus est. Alia item complura miracula fecit, dum illic esset, per gratiam Christi Dei nostri. Quare pietatis colentissimus Christophorus mansionis præfectus, & fratres omnes cupientes imaginem ipsius apud se manere, pictorem accersiuerunt, qui perspecta eius facie, effigiem illius exprimeret. Cum igitur eorum desiderio pictor satisfeciisset, antequam virum sanctum dimitterent, C duxerunt eum vbi imago illa erat, vt ei benediceret. Qui cum grauitate subridens: Vos, inquit, fures estis: cur enim hoc feciistis, nisi vt aliquid aliquando furemini? Et cum ei benedixisset, discessit.] Quæ autem ab eo ibidem gesta sunt cum Domitio Patricio cognato Phocæ Imperatoris, ex eodem auctore sic accipe:

IMAGO SANCTI THEODORI A PICTORE EFFIGIATA.

Domitius vero Patricius vir clarissimus domum suam, quæ in Arcadianis est, virum sanctum adduxit, vt familiæ suæ benediceret. Cumq. Irenem coniugem suam, feminam pietatis amantissimam, adduxisset: Benedic, inquit, domine, huic conseruæ meæ, ex qua ego, cum simul diu vixerimus, nullos adhuc liberos suscepi; quamobrem in mœrore versamur. At vir sanctus cum ei precibus fusis benedixisset: Dei gratia, inquit, hæc tibi filios mares pariet. Adduxit denique familiam vniuersam & famulos & ancillas, vt omnibus benediceret: inter quos ancilla quædam post omnes sequens, occultum dæmonium D habebat, & magno cum dolore tunc e lectulo surrexerat. Hanc vir vere diuinus procul conspicatus, iussit vt ad se adduceretur: & cum illam sinistra manu comprehendisset, cœpit dextera sua pectus eius percutere, & vexantem dæmonem increpare, ne occultus maneret, sed patefieret. Statim igitur dæmon moueri cœpit, & tamquam vim patiens vociferari. At vir sanctus, ea humi proiecta, & pede super collo eius imposito, ad Orientem conuersus, tacite precabatur, vt labia tantum moueret, nec vox eius exaudiretur. Cumq. ad precationis finem peruenisset, clara voce, vt omnes possent intelligere, laudem & gloriam subiecit sanctissimæ Trinitatis. Mansit igitur puella diu muta: sed cum interim reliquis omnibus benedixisset, ab eo excitata surrexit incolumis, & in omni vita sua sana permansit. Porro Domitij coniunx Irene (vt vir diuinus prædixerat) tres filios peperit, cum statim post eius benedictionem primum filium concepisset. Dimissus ergo E Christi seruus ab Imperatore & a Patriarcha, ad monasterium suum reuersus est.] hæc de rebus ab eo gestis Constantinopoli: reliqua quæ subijciuntur, sequenti anno accidisse noscuntur.

DOMITIVS PATRICIVS QVAE A S. THEODORO OBTINET.

Hoc eodem anno moritur vir sanctissimus Eulogius Episcopus Alexandrinus, cum sedisset (vt habet Nicephori Chronicon) annos viginti septem, vir sane tum sanctitate, tum etiam doctrina insignis, hoc deploratissimo tempore a Deo concessus ad restaurandam collapsam iacentemq. diu Ecclesiam Alexandrinam, hæreticos atque schismaticos reuocans ad Ecclesiam. Huius fuerunt præclara scriptorum monumenta, quæ a Photio numerantur, videlicet, liber ipsius in quo S. Leonis Papæ & Cyrilli Alexandrini partes tuetur pro vnione hypostatica, de qua actum est in Concilio Chalcedonensi, quam Petrus, Theodosius, & alij impugnabant, quos omnes confutat. Alius præterea ab ipso

EVLOGII EPISC. ALEX. OBITVS ET SCRIPTA.

scriptus est eodem ferme argumento commentarius aduersus Seuerianos, Theodosianos, & Gaianitas, eosdemq. Acephalos eamdem vnitatem impugnantes. Insuper eiusdem sunt vndecim orationes seu apologiæ pro Concilio Chalcedonensi & sancto Leone Papa, eædemq. summa pietate atque doctrina refertæ. Rursus idem Eulogius scriptum reliquit librum alium contra Agnoitas. hæ sunt quæ Eulogij a Photio recensentur lucubrationes. Quomodo autem sanctus Leo ipsi Eulogio rependit gratias, quod pro suæ epistolæ defensione laborasset, audi quæ de Theodoro Episcopo apud Sophronium legantur [a]: A

a Sophron. prat. spirit. c. 148.

Theodorus sanctissimus Episcopus Darnæ ciuitatis, quæ in Libya est, narrauit nobis, dicens: Cum essem cubicularius sancti Papæ Eulogij, vidi in somnis virum venerandi habitus, statura procerum, dicentem mihi: Nuncia meum Papæ Eulogio aduentum. Ad quem ego: Quis es domine, qui iubes vt nunciem? Respondens ille dixit: Ego sum Leo Pontifex Romanus. Ingressus igitur ego nunciaui, dicens: Sanctissimus & beatissimus Papa Leo Romanæ sedis Antistes conuenire vos vult. Cum hoc audisset Papa Eulogius, exurgens concitus occurrit in occursum eius. Salutantesq. se inuicem, oratione facta, resederunt. Tunc vero diuinus & eximius Leo dixit sancto Eulogio: Scis quare huc venerim ad vos? Respondit ille: Non. Ait ipse: Veni, vt vobis gratias agerem, quia rite & magnifice pro epistola mea respondistis, quam scriptam misi ad fratrem meum Constantinopolitanum Patriarcham, sensum quidem & sententiam meam aperientem, hæreticorum autem ora obstruentem. Scito autem, frater, quia non mihi tantum vestrum diuinum laborem studiumq. contulisti, sed etiam supremo culmini Apostolorum Petro, & ipsi præ omnibus quæ a nobis prædicatur veritati, quæ est Christus Deus noster. Ista vero non semel, sed bis terq. conspiciens, trina apparitione firmatus, enarraui sancto Papæ Eulogio. Qui cum audisset, lacrymatus est, extendensq. in cælum manus suas, Deo gratias retulit, dicens: Gratias tibi ago, dominator Christe Deus noster, quia cum indignus sim, veritatis tuæ preconem me facere dignatus es, & per orationes seruorum tuorum Petri ac Leonis paruam & modicam alacritatem nostram, tamquam duo viduæ minuta, summa & ineffabili benignitate suscipere dignatus es.] hactenus de Eulogio, qui inter sanctos receptus anniuersaria die in Ecclesia celebratur Idibus Septembris. Successit vero in locum eius Theodorus Scribon. B C

DE S. VICTORIS MARTYRIS INVENTIONE.

Res autem Occidentalis Ecclesiæ his temporibus subobscuræ, in Gallia tantum inuentione corporis S. Victoris [b] martyris luce coruscant, de quo hæc miranda habet Aimoinus [c]: Beatus vero Enchonius Pontifex Maurienensis corpus sancti Victoris, qui Solodori vna cum sancto Vrso passus fuerat, hoc modo inuenit: Quadam nocte in sua ciuitate quiescentem reuelatio diuina per visum admonuit, vt surgens quantocyus, ad ecclesiam, quam Sedelenba quondam Burgundionum Regina in suburbano Genabensi construxit, iret. Ibi in medio basilicæ designat locum, quo corpus sanctum esset humatum. Cumq. Episcopus Genabensem festinus adijsset vrbem, assumptis secum Rustico & Patricio Antistitibus, biduano peracto ieiunio, nocte sequenti eo loci quo glorioſi martyris quiescebant membra lux cælestis apparuit. Tunc hi tres Domini sacerdotes, eleuato quo tegebantur lapide, inuenerunt sanctum in arca argentea iacentem, cuius facies septumpliciter quam cuiuslibet viuentis hominis diuino irradiata splendebat fulgore. Huic tam egregij martyris inuentioni interfuit Theodoricus princeps, qui loco illi maximam portionem facultatis Vuarincharij contulit, quam ille (vt præfati sumus) eleemosynis delegauerat erogandam. Ad sepulchrum denique beatissimi Victoris, Christi potentia multa exinde miraculorum ostendit signa.] hæc de Victoris martyris inuentione, de quo consule quæ in Notis ad Romanum Martyrologium [d] diximus. Hæc autem in detestationem recentiorum hagiomachorum dicta sunto; qui sciant testes esse in cælo martyres eorum impietatis, atque eosdem vindices affuturos. D E

b Sigeb. in Chronic. hoc anno. c Aimoin. lib. 3. c. 90.

d Not. in Rom. Martyrolog. die 30. Septemb. c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 609. BONIFACII PAP. IV. ANNVS 3. PHOCAE IMP. ANNVS 7.

CHristi Redemptoris annus sexcentesimus nonus, duodecimæ Indictionis, calamitatibus in dies maioribus auctus voluitur, quo omnia vbique cædibus flagrant: de quibus antequam agamus, de Bonoso hoc anno (vt habent Annales [a]) creato Comite Orientis aliqua dicenda erunt. Phocas siquidem ingenio ferox æquales sibi homines truculentos ad Rempublicam administrandam deligebat, quos præsertim vidisset nobilium sanguine cruentatos: ex quorum numero delectus ab eo fuit Bonosus, auctusq. Comi- B tiua Orientali, quæ maxima omnium consueuit esse præfectura. Cui tamen ea reliqua fuit religio, vt in prouinciam proficiscens, voluerit B. Theodori, de quo nos plura superius, precibus communiri. Quæ autem inter vtrumque transacta fuerint, ex Eleusio, qui interfuit, dignam Annalibus recenseamus historiam: ait enim [b]: Bonosus homo immitis, cum in Orientis partes Proconsul iret, & ad monasterium appropinquaret, audita viri diuini fama, nuncium ad eum misit, rogans, vt ad oratorium sancti Gemelli veniret; quoniam illic ipse Deum adoraturus, cuperet viri sancti benedictionem accipere, cum non posset ad monasterium accedere, quia festinaret proficisci. Ad eum igitur venit sanctus Theodorus: cumq. pro illo precaretur, & ipse staret, nec ceruicem inclinaret, vir sanctus apprehensis frontis eius capillis, eum deorsum traxit. Ita virtus fiduciam sumere consueuit, nec humanam metuere potestatem. Iustus enim (vt scriptum est [c]) C confidit vt leo.

Nos autem, qui cum viro sancto eramus, valde timebamus, ne Proconsul vt erat vir ferus & crudelis, cõtumelia se affectum existimans, indignaretur. At ipse humaniter & precationem & reprehensionem suscipiens, virum sanctum veneratus est, & manum eius deosculans pectori suo admouit, obsecrans eum, vt pro se Deum oraret, vt a dolore quodam, quo pectus eius laborabat, liberaretur. Quare vir sanctus digitis pectus eius leniter percutiens: Tibi prius, inquit, orandum est, vt interior homo corrigatur & conualescat: illo enim curato, facile exterior liberabitur. Hoc ego quoque pro me Deum rogo. Quamobrem da te lenitati, & Deum time, vt preces meæ exaudiantur. Nam si ego quidem pro te orem, tu autem pietatem & virtutem negligas, inanis erit mea precatio. Esto igitur clemens & misericors in homines Christianos. In magistratu tuo ne te crudelem & inhumanum D præbeas; sed peccata tua considerans, in aliorum peccatis vindicandis sis mitis ac benignus. Caue ne vmquam effundas sanguinem innocentem. Si enim is qui fatuum aliquem tantum appellarit, reus futurus est; quanto magis punietur a Deo, qui iniuste sanguinem effuderit?

Hæc pietatis semina in animo eius tamquam in terra fœcunda cũ vir sanctus coniecisset: ille nummos aliquot protulit, quos viro sancto religionis gratia daret: recusantẽq. coegit accipere, rogans vt singulos singulis fratribus distribueret. Cui vir sanctus, antequam eos conspexisset: Quomodo, inquit, cum sint quinquaginta nũmi, ita distribui poterunt, vt singuli fratres, qui sunt centum, singulos accipiant? Tunc ille viri diuini verba admiratus, respondit: Quinquaginta profecto sunt, vt ore tuo sancto, venerande pater, pronunciasti. Mox igitur totidem alios mittã, vt omnibus satis esse queant. Quod & fecit. Sic iustorum E virtus solet homines etiam superbos, mites ac mansuetos reddere.] Sic quippe Deus, quo viri iusti verba in corde Præsidis altioribus fixa radicibus iugiter inhærerent, in re quantumlibet leui voluit per ipsum prophetico spiritu abscondita fieri manifesta de nummorum numero. Pergit vero auctor alia digna viro sanctissimo miracula recensere, quæ tu videas: nos ipsius Bonosi Orientis Præfecti modo in procinctu positi vestigia prosequamur.

Qui ergo aduersus Persas Romanorum regiones infestantes a Phoca Imperatore missus cum exercitu fuit, ob exortum Antiochiæ ciuile bellum reuocatur, ad illudq. compescendum conuerti præcipitur. Quodnam autem & quale istud fuerit, ex Annalibus accipe, vbi hæc ita narrantur [d]: Anno Imperij Phocæ septimo, Antiocheni Iudæi simultate inquieta commissa contra Christianos, occidunt Anastasium magnum Patriarcham Antiochiæ, mittentes pudenda eius in os eius, & post hæc trahentes eum in plateam vrbis.

[a] *Miscell. lib. 17. hoc anno 7. Phocæ.*

BONOSVS COMES ORIENTIS.

[b] *Extat apud Sur. tom. 2. die 22. April.*

[c] *Prou. 28.*

MONETVR BONOSVS A THEODORO.

[d] *Miscell. lib. 17. an. 7. Phocæ Imp. & Cedren. anno vltimo.*

ANASTASIVS EPISC. ANTIOCHEN. OCCIDITVR A IVDAEIS.

Interfecerunt autem & ciuium multos, & incenderunt eos. Phocas vero fecit Comitem Orientis Bonosum, & Chotin Magistrum militum, & transmisit eos aduersus illos, & non valuerunt sedare inquietudinem illorum. Coaceruantes vero exercitus, irruerunt in illos, & plurimos occiderunt, & quosdam eorum detruncatis artubus, ab vrbe reddiderunt extorres.] hæc breuiter de rebus Antiochenis. Eadem Nicephorus cum referat [a], errore eum lapsum superius demonstrauimus, dum hunc esse putauit Sinaitam Anastasium eius prædecessorem, cum constet illum sub Mauritio Imperatore mortuum, hunc sub Phoca esse necatum. Porro iste Anastasius, qui ita inique adeoq. crudeliter ab ijsdem Dei hostibus, qui Christum Dominum Redemptorem interfecerunt, occisus est, inter sanctos martyres meruit cooptari, atque anniuersaria memoria in Ecclesia [b] celebrari.

[a] *Niceph. lib. 18. c. 44.*

[b] *Rom. Martyrolog. die 22. Decemb.*

Sed quæ rursus hoc anno mala patrata sunt, & ex lætis luctus prouenit, ex ijsdem citatis sæpe Theophanis Annalibus accipe, vbi ista habentur [c]: Phocas autem fecit Circensem ludum, & Prasini conuicijs eum lacessere, clamantes: Iterum in gabasta bibisti (*sicut fuerat acclamatum, cum creatus est Imperator, ignominiæ causa*) Iterum sensum perdidisti (*erat autem Gabasta poculi genus prægrande.*) Cum igitur ita populus acclamasset, iussu Phocæ Cosmas Præfectus multos ex eis detruncauit, quosdam vero decollauit, nonnullos autem in saccos missos in mari necauit. Porro Prasini coaceruati miserunt ignem in prætorium, & incenderunt curiam, & scrinia, & carceres, ex quibus egressi vincti fugere. Hinc iratus Phocas eos militia priuat.] & inferius:

[c] *Miscel. an. 7. Phoca.*

TVMVLTVS ET CAEDES POPVLI.

Hoc anno hiems enormis efficitur, ita vt maris mollicies in glaciei duritiam verteretur. Tum Phocas Macrobium Scribonem iussit sagittari apud Septimum pendentem in lancea in qua tyrones exercebantur, quasi conscium insidiarum suarum. Theodorus enim Præfectus Cappadox & Helpidius Præpositus armamenti, & alij diuersi consilium fecerunt in Hippodromo Phocam occidendi. Et facto prandio, Theodorus Præpositus Prætorio cœpit eis texere intentionem suam. Contigit autem illic inueniri Anastasium Comitem largitionum. Prandio ergo facto, & enarratis his quæ insidiarum erant, pœnituit Anastasium illic se repertum, & non dixit quæ cordi suo inerant, sed siluit. At vero Helpidius perdurabat, dicens: Non vultis, vt cum sederit in solio super Hippodromum, hunc comprehendam, & euellam oculos eius, & sic eum interficiam? Et pollicebatur eis dare currus. Re præterea Phocæ nota ex proditione Anastasij facta, iussit Præfectum Helpidium, & primores qui sciuerant rem, cum omni diligentia discuti. Cumq. discuterentur, quæ insidiarum fuerant, confessi sunt, & quod Theodorum voluerint facere Principem. Porro Phocas iussit decollari Theodorum, Helpidium, Anastasium, & ceteros qui insidias suas cognouerant.] hucusque res Phocæ anni huius: quibus vides ipsum infelicissimum, cum tyrannice inuasisset Imperium, idem & tyrannice administrasse, ex quo tandem miserrime cæsus sublatus est, vt sequenti anno dicemus; quem præstasset apud milites lixam, quam Imperatorem professum esse. Eo cæca dominandi cupiditas homines impellere solet, vt dum quod est supra vires appetunt, tenereq. non valent, sub molis ruina oppressi deficiant.

PHOCAE PARANTVR INSIDIAE.

INSIDIARVM CONSCII NECANTVR.

Hoc eodem anno Eysychius Hierosolymorum Episcopus, vbi sedisset annos octo (vt habet Nicephori Chronicon) ex hac vita migrauit; successitq. ipsi Zacharias, de quo plura suis locis dicturi sumus.

Quod ad res pertinet Occidentis, scito Africam totam in procinctu fuisse ob bellum, quod inferendum parabatur ab Heraclio aduersus Phocam Imperatorem: cum & Gallia ferueret bellis ciuilibus, & Italia gemeret sub gladijs Longobardorum. Res vero anni huius Romanæ Ecclesiæ prorsus obscuræ remanent.

BELLICI APPARATVS.

IESV CHRISTI ANNVS 610. BONIFACII PAP. IV. ANNVS 4. PHOCAE IMP. ANNVS 8.

QVi sequitur ordine annus Christi sexcentesimus decimus, Indictionis decimætertiæ, idem numeratur Phocæ Imperatoris octauus & vltimus: hoc enim anno ex hac vita exijt sæuissime trucidatus. Quomodo autem hæc se habuerint, ex Annalibus in Miscella

A scella ex Theophane recensitis describemus [a]. Verũ (quod semel admonuisse sat erit) scito supputationem annorũ Domini, quæ apud Græcos reperitur, differre ab ea quæ apud Latinos est, annis octo: siquidem hunc quem octauum Phocæ Augusti annum omnes numerant, eumdem illi sexcentesimum secundum Domini annum ponunt: sed nec constans vna eademq. est apud eos Christi annorum supputatio: etenim in hunc vsque annum quo occisus est Phocas, Nicephorus [b] numerat annos Domini sexcentos vigintiquinque; Latini autem recte sexcentos decem supputant: Quo, inquiunt, Heraclius in Africa Imperator appellatus venit cum nauibus castellatis habentibus intra se arculas, & imagines Dei matris, quemadmodum Præses Georgius quoque perhibet, ducens & exercitum copiosum ab Africa & Mauritania: similiter & Niceta filius Gregoræ Patricij per Alexandriam & Pentapolim habens secum multum populum pedestrem. DesponB sauerat autem Heraclius Eudociam filiam Rogati Afri, quæ illo tempore Constantinopoli erat vna cum Epiphania matre Heraclij. Audiens autem Phocas quod mater Heraclij in ciuitate esset, necnon & Eudocia, quæ ipsi fuerat desponsata, tenuit eas & obseruit in Dominico monasterio, quod cognominatur Nouæ pœnitentiæ.

Cum autem abijsset Heraclius Abidum, inuenit Theodorum Comitem Abidi, & scisciatus ab eo, cognouit quæ Constantinopoli mouebantur. At vero Phocas misit fratrem suum Domentiolum Magistrum ad custodiendos muros longos: qui cum comperisset Heraclium Abidum adijsse, muris dimissis, fugit, & introiuit Constantinopolim. Porro Heraclius apud Abidum recepit omnes exules principes, quos ibidem Phocas relegauerat in exilium, & ascendit cum eis Heracleam. Stephanus autem Cyzici Metropolites acceptum stemma sanctæ Dei genitricis Mariæ de ecclesia, detulit Heraclio. Præterea cum
C Constantinopolim peruenisset, diuertit ad portum Sophiæ, initoq. bello, vicit gratia Christi tyrannum. Vulgus autem hunc comprehensum interfecerunt, & igne apud Taurum (*siue dixeris forum Bouis*) cremauerunt.] hæc Theophanes. Ex Cedreno autem adduntur ista: vexisse nimirum secum ex Africa Heraclium venerandam quoque imaginem Saluatoris nullo manuum ministerio factam, sed miraculo effigiatam; quam etiam secum habuisse, cum aduersus Cosrhoen profectus est in bellum Persicum, itidem Annales edocent, nosq. suo loco dicemus. Plane consultius esse experimento cognitum est contra hostes ferre Christi Redemptoris atque Dei genitricis imagines, quam more Romano, Imperatorum effigies. Quæ autem contigerint post belli naualis victoriam, idem Cedrenus ista addit, distincte satis necem Phocæ pertractans:

Tunc Photinus quidam, cuius vxori Phocas stuprum intulerat, in Regiam cum militiD bus irrumpit, Phocam ignominiose e solio detrahit, Imperatoria veste spoliat; nigraq. circumdatum veste, & numellis incluſum contemptim ad Heraclium deducit. Qui vt primum conspexit Phocam: Miser, inquit, ita ne Rempublicam gubernasti? At deploratus Phocas respondit: Tuum est rectius eam gerere. Illico autem Heraclius iubet manus & pedes, mox humeros & pudenda amputari, tandem & caput: trunci quod reliquum fuit, milites in foro Bouis combusserunt.] hunc tandem consecutus est finem immanissimus tyrannus. Subdit vero Cedrenus: Adiuuit Heraclij conatum etiam Crispus gener Phocæ, quem Imperio potitus Heraclius Cappadociæ Præsidem fecit. Sed cum Crispus ibi seditionem moueret, Heraclius eum in Senatum perduxit; manuq. tenens chartam, in qua indicia Crispi insidiarum in Heraclium erant scripta, ea caput Crispi pulsauit, dicens: Miser, qui ne socero quidem fidem præstiteris: quid faceE res amico? In clericum ergo eum redigit, & solum vertere iubet: itaque in exilio mortuus est. Porro quidam sanctus monachus, Phoca imperante, Deum ad disceptationem prouocans, quæsiuit, cur tam impium Christianis imposuisset Imperatorem? Audiuitq. vocem, cum quidem neminem videret, sibi dicentem: Deteriorem illo alium inueniri potuisse nullum, & hoc meruisse Constantinopolitanorum flagitia.]

Ad postremum de Phoca illud non prætermittendũ, ipsum, dum imperaret, contendisse magnis studijs, vt ij quos in bello aduersus Christianæ fidei hostes certantes occidi contigisset, inter martyres censerentur. Hac ipsum puto via collapsam militiam Romanorum exercitus, eneruatumq. militũ robur erigere atque firmare conatum esse, cum videret annis singulis a Rege Persarum eos sterni atque fugari: probe sciens, non viros tantum, sed & feminas ætate quoque tenellas fortiores ea spe extitisse tortoribus, atque inermes superasse etiam Imperatores. Cum autẽ eiusmodi animi sui consiliũ prodidisset in medium, &

per

[a] *Miscel. in Heracl. an. 1.*

ANNORVM CHRISTI SVPPVTATIO GRAECORVM DIVERSA.

[b] *Niceph. lib. 18. c. 26. in fin.*

EXPEDITIO HERACLIANA IN PHOCAM.

VICTORIA POTITVR HERACLIVS.

IMAGINES SACRAE IN BELLO PERVNTVR.

PHOCAS OBTRVNCATVR.

PHOCAS INTER MARTYRES HABERI OPTAVIT NECATOS IN BELLO.

per ſacerdotes, quorum ſciret arbitrij eſſe ſancire canones, ea perfici poſtulaſſet: mini- A
me auditus fuit. Reſtiterunt tunc magna laude Conſtantinopolitanus & alij qui cum eo ibi erant Antiſtites, vtentes potiſſimum auctoritate ſancti Baſilij, cuius eſſet ad Amphilochium canon pœnitentialis de ijs qui in bello feciſſent homicidium, vt non impertiretur eis ſacra communio abſque præuia pœnitentia. Cum audiſſet ille tanti Patris ſententiam, eius ceſſit auctoritati, ab inſtituto penitus ceſſans. Habet iſta Theodorus [a] Balſamon, dum eiuſdem ſancti Baſilij canones interpretatur. Sic igitur Phocas (vt dictum eſt) hoc anno occiditur, cum Imperij annum octauum inchoaſſet. Fuiſſe autem vna cum Phoca alios fratres eius & neceſſarios enecatos, Zonaras auctor eſt.

[a] *Theodor. Balſam. in can. 13. Baſil. epiſt. ad Amphiloch.*

HERACLIVS IMPERAT.

De Heraclio autem in Imperatorem Conſtantinopoli coronato iſta produnt Græcorum Annales: Ingreſſus ergo Heraclius regalia, coronatus eſt a Sergio Patriarcha in oratorio S. Stephani in Palatio ſito. Coronata eſt vero eodem die Eudocia (*ita ex Fabia* B *dicta, vt teſtantur Zonaras atque Cedrenus*) ſponſa eius in Auguſtam: & accepit vterque a Sergio Patriarcha nuptiarum coronas; & vno eodemq. die Imperator ſimul & ſponſus oſtenditur.] Cuius effigies habitudoq. corporis ita deſcribitur: Fuit Heraclius ſtatura mediocri, robuſtus, firmo pectore, oculis elegantibus ac nonnihil cæſijs, fuluo crine, albus, barba lata atque prolixa: ſed Imperator factus, extemplo comam totondit, ac mentum raſit, qui eſt Imperatorum habitus. Fuit autem ipſe genere Cappadox, ex viris illuſtribus ortus, & diuitijs florentiſſimus, manu promptus ac robuſtus, Conſtantinumq. minime degenerem ex coniuge prima ſuſcepit.] hæc Glicas, atque Cedrenus.

CAEDVNTVR ROMANI A PERSIS.

Fuiſſet plane hic annus in omnibus ex nece tyranni feliciſſimus, niſi Perſarum cladem eſſet expertus. Etenim hæc Annales habent: Menſe vero Maij caſtra mouerunt Perſæ contra Syriam, & ceperunt Apameam & Edeſſam, & venerunt vſque Antiochiam. Porro Ro- C
mani occurrentes eis ſuperati ſunt, & perijt omnis populus Romanorum, adeo vt valde pauci ex his euaderent.] hic rerum Orientalium ſtatus, in meliori tamen ſpe ob tyrannum demptum de medio collocatus.

Hoc item anno Theodorus Alexandrinus Epiſcopus vbi ſediſſet annos duos (vt habet Nicephori Chronicon) mortuus eſt, atque in eius locum creatus eſt Ioannes cognomento Eleemoſynarius, cuius res præclare geſtas ſcriptis mandauit Leontius Neapolis Cypri eiuſdem æqualis, quæ cognita atque recepta fuere in Concilio Nicæno poſteriori. Fuit ipſe Ioannes genere Cyprius, filius Epiphanij eiuſdem inſulæ Præfecti: de cuius electione memoria ſatis digna Leontius iſta habet [b]: Hinc euadit omnibus manifeſtus non priuatis ſolum & principibus, ſed etiam ipſi Imperatori. Heraclius autem tunc ſceptra tenebat Romanorum. Quamobrem cum ciuitas Alexandrina tunc eſſet orbata Patriarcha, ad D
hunc virum toto contendit deſiderio, & rogabat Imperatorem, ne ipſa a ſcopo ſuo excideret, ſed ab eo Pontifice paſceretur eorum Eccleſia. Et ille quidem magnum illum accerſit protinus, & omnibus modis conatur ei perſuadere, vt ad ſedem aſcendat. Ille autem ſtrenue reſiſtit, dicens ſe timere rei magnitudinem, nec ſe poſſe tantam ſuſtinere dignitatem. Cum vero Nicetas dignitate Patricius (*hunc puto Nicetam illum, qui occidit Phocam Imperatorem, de quo hoc eodem anno ſuperius*) qui tunc multum poterat apud Imperatorem, & beato Ioanni erat frater ſpiritu, & vinculis amicitiæ erat ei optime coniunctus, & alioqui recte ſciebat virtutem eius incomparabilem, & nouerat illum (ſi vllus eſſet alius) ea ſede eſſe dignum, vehementer inſtaret Imperatori, dicens ne eum remitteret, ſed vel inuitum ad ſedem eueheret: vrgens Imperator maiore impetu & ſpiritu perſuadet Ioanni, vt ſuſcipiat Pontificatum, vt qui reputauerit non ſine Dei numine fuiſſe E
tantam Alexandrini populi commotionem & Imperatoris contentionem. Fit itaque ſedis Marci ſucceſſor, tempore quidem neſcio quotus poſt illum, ſed non multum remotus a vita illius & virtute; quomodo etiam poſſunt oſtendere, quæ ſtatim poſt ſuſceptam adminiſtrationem recte ab illo ſunt geſta.

[b] *Leont. vit. Ioan. apud Sur. die 23. Ianuar.*

IOANNES ELEEMOSYNARIVS ALEXANDRIN. EPISC.

QVAE IPSO SVAE SEDIS INITIO IOANNES EGERIT.

Poſtquam enim aſcendit ſedem, hoc ante alia omnia contendit, vt renouaret Marci prædicationem & fidem Patrum qui præceſſerant, & hæreticorum quæ enata fuerant zizania euelleret radicitus. Nam cum Petrus Cnaphæus blaſphemam quamdam in Diuinitatem additione hymno ter ſancto auſus eſſet inſerere, & ei quod eſt, Sanctus immortalis, adieciſſet, Qui crucifixus eſt propter nos: diuinus ille vir, hac blaſphemia ſublata, impatibilē & immortalē Diuinitatem ſuo dogmate aſſeruit, & gregē ita ſentire docuit.] quamuis enim Eulogius eiuſdem Eccleſiæ ſanctus Epiſcopus in id ipſum plurimum laboraſſet, multumq.

A multumq. profeciſſet, tamen deficiente qui eos in officio contineret, in morbum grauiori damno relapſi ſunt: cuius rei cauſa plurimum Ioanni quoque laboris remanſit, ex quo & magnum prouentum collegit. Nam audi quæ mox Leontius ſubdit: Cum autem inueniſſet ſeptem ſola Orthodoxorum oratoria, ea effecit decies plura, vt qui ea ſeptuaginta conſtituerit. Deinde omne confert ſtudium, vt qui capti fuerant omne genus hæreſibus, conuerterentur ad pietatem.] Correxit inſuper hic, quod corrigendum ſcripſerat ſanctus Gregorius Papa (vt vidimus) ad Eulogium, nempe de extirpandis Simoniæ malis fruticibus, quos in agro eius Eccleſiæ mirum in modum excreuiſſe, vehementer doluit: quomodo autem continuo ſecurim appoſuit ad radicem infelicis arboris, ita pergit dicere de eo Leontius: Fuit zelus eius vehementiſſimus in ordinationibus, vt eæ quidem puræ eſſent a lucris & muneribus, nulla autem earum fieret citra examinationem. Præ-
B terea autem maximam adhibuit diligentiam in defendendis ijs quibus fiebat iniuria, & ne Iudices gratificando perſonis ius proderent, ſed iuſtitiæ trutina ponderarent iudicia, & nec ad gratiam reſpicerent, nec ad odium.

DIGNA EPISCOPO OPERA.

Quod autem erat ei maximum & maxime proprium, erat miſericordia in pauperes, & in curandis indigentibus inſatiabilitas & procliuitas, quæ non poterat comprimi, & nihil omnino parcere pecunijs, adeo vt etiam ſæpe ad fundum ipſum perueniret. Cum itaque præter alia ſua beneficia, extruxiſſet xenodochia & noſocomia & ptocotrophia, eis frumentū attribuit quotidianum; tantæq. hæc erant ei curæ, vt etiam pauperibus feminis, quibus ad pariendum non erant habitacula, neque aliquid eorum quæ ſunt apta ad earum curationem, ſeptē domos attribuerit ex diuerſis locis ciuitatis, effeceritq. vt in eis eſſent lecti, & ſtragula, & ſuppeditatio alimentorum, qua reficeretur indigentia parientium.
C Præter hæc pauperibus quoque clericis prouidebat, & vnicuique pecuniæ præbebātur annuæ: non eis autē ſolis, ſed etiā Epiſcopis, quibus ſumptus minime ſuppetebant ad victū.]

His addenda ſunt quæ hoc ipſo ſedis ſuæ exordio idem Ioannes circa pauperum curam memoratu digna inſtituit. Ait enim Leontius: Cum primum eius fidei creditus fuiſſet Epiſcopatus, ijs accerſitis qui res Eccleſiæ diſpenſabant, ijs etiam ſimul audientibus qui erant a ſecreto: Non eſt, inquit, iuſtum, o fratres & in miniſterio ſocij, vllius alterius rei curam gerere prius quam Chriſti. Euntes itaque per totam ciuitatem, ſingulatim deſcribite meos dominos. Cum autem illi, poſtquam hoc dixiſſet, dubitarent, & quinam eſſent Patriarchæ domini, interrogarent: Quos vos (dixit ille) pauperes & mendicos ſoletis appellare, eos ego dominos meos & adiutores nomino: nam ij ſoli mihi poſſunt opem ferre, vt a Chriſti regno non excidam. Poſtquam autem cito factum fuerat quod iuſ-
D ſerat, intellexit, omnes qui numerati fuerant, efficere ſeptem millia & quingentos; & iuſſit vnicuique eorum dari ſumptum diurnum. Poſt hæc autem ſuum conuertit ſtudium ad hoc, vt iuſtis ponderibus & menſuris vterentur qui vendebant in ciuitate: quod quidem pulchre fecit vir iuſtus, publice præſcriptis edictis.

SINGVLOS PAVPERES DESCRIBI FECIT IOANNES.

Porro hoc quoque ab illo factum eſt, quo magnam curam gerebat eorum quibus fiebat iniuria. Nam cum accepiſſet multos ad eum acceſſuros, & de ijs quæ illis factæ fuerant iniurijs ſupplicaturos, ab ijs qui ipſum ſequebantur arceri: quid facit? Duobus hebdomadæ conſtitutis diebus, quarto inquam die & die paraſceues, ſedens in templi porticibus, ſe cuilibet volenti præbebat adeundum, nonnullos ex ijs qui erant virtute inſignes habens ſecum confidentes. Quibus ſæpe dictitabat illud dignum quod ſcriptis & memoriæ mandetur: Si nobis (dicens) qui ſumus homines, licet omnino ad Deum accedere abſque vllo
E interceſſore, & de quibus volumus eum rogare: quomodo non ipſi quoque noſtris conſeruis portas aperuerimus abſque vllo impedimento? & non cuilibet, cui eſt opus, benignam aurem præbuerimus? Scimus enim eadem menſura qua menſi fuerimus, eamdem nos eſſe menſuram viciſſim accepturos. Cum autem (vt conſueuerat) aliquando præſediſſet & nullus acceſſiſſet, ſurgens veſpere, receſſit triſtis & lacrymans. Nullo vero audente rogare cauſam, cur eſſet triſtis: diuinus qui aderat Sophronius: Quid eſt, inquit, o vir diuine, quod te affecit moleſtia, & animi ægritudine bonam tuam impleuit animam? Ille autem miti ac leni voce: Hodie, inquit, miſerandus Ioannes non ab aliquo vllam accepit mercedem, neque vllum vel minimum piaculum potuit offerre Chriſto pro multis & magnis ſuis delictis, quomodo neque alias vmquam. Quid hoc illo minus (niſi etiam maius dixeris) quod dicunt eſſe cuiuſdam Imperatoris Romanorum, qui dixit: Hodie non regnauimus, quoniam neminem affecimus beneficio? Cum itaque ſacroſanctus

ctus intellexisset Sophronius, quid sibi vellet quod ab eo dictum fuerat: Te potius, inquit, A lætari oporteret, & non tristitia affici, o beatissime domine, quod tibi commissum gregem feceris viuere in tanta pace, vt nullus de re aliqua cum vicino habeat controuersiam, sed tamquam Angeli aliqui absque vlla lite & contentione viuant in terra. Cum autem verum esse quod dixerat inuenisset vir mitissimus, statim fuit traductus ad animi lætitiam, & pro eo Deo egit gratias. Hoc dicunt etiam esse imitatum, qui Heraclio in Imperio successit, Constantinum, qui etiam huius diuini viri fuit filius secundum spiritum.] hucusque de primordijs tanti Præsulis Ioannis Leontius.

Quod vero pertinet ad res Occidentales: celebrata est hoc anno, mense Martio, viuente adhuc Phoca Imp. a Bonifacio Quarto Pontifice Synodus Romæ de rebus Anglorum. Mellitus enim Londonienſis* Episcopus ea de causa Romam ad Bonifacium ipsum se contulit. De his autem hæc Beda habet[a]: His temporibus venit Mellitus Londoniæ Epi- B scopus Romam, de necessarijs Ecclesiæ Anglorum causis cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reuerendissimus cogeret Synodum Episcoporum Italiæ, de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit, anno octauo Imperij Phocatis Principis, Indictione decimatertia, tertia die Kalendarum Martiarum: vt quæque erant regulariter decreta, sua quoque auctoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, secum Anglorum Ecclesiæ mandata atque obseruanda deferret vna cum epistolis, quas idem Pontifex Deo dilecto Archiepiscopo Laurentio & clero vniuerso, similiter & Edilbertho Regi atque genti Anglorum direxit. Hic est Bonifacius quartus a beato Gregorio Romanæ vrbis Episcopo, qui impetrauit a Phocate Principe donari Ecclesiæ Christi templum Romæ, quod Pantheon vocabatur ab antiquis, &c. vt supra.] At epistolæ a Bonifacio Papa scriptæ in Britanniam ad diuersos de- C siderantur, sicut & eiusdem Concilij Romæ habiti Acta. Recens namque erat erectum monasterium extra mœnia Londinij siue Londonij ciuitatis, pro cuius regulari obseruantia Mellitus solicitus Romam se contulerat: vtpote quod illud ipsum fore sciret, si bene custodiretur, amplum seminarium, ex quo omnes Ecclesiæ quæ erant in Anglia sibi asciscerent Antistites. His accedebat alia causa, quæ & potissima videri poterat, de ecclesiæ S. Petri eiusdem monasterij facta diuinitus dedicatione, num rata haberi deberet. Nam quid valde mirandum tunc acciderit, Ealredus Abbas scriptor grauissimus, qui res gestas S. Eduardi Regis Anglorum scriptis tradidit, hoc ipsum posteris probe testatum reliquit verbis istis[b]:

Tempore quo Rex Ethelbertus, qui regnauit in Cantia, prædicante beato Augustino fidei sacramenta susceperat, nepos eius Sebertus (*Saberethum hunc vocat Beda*[c]) qui D Orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem Episcopo euangelizante suscepit. Hic Londonijs, quæ regni sui caput habebatur, intra muros ecclesiam beati Pauli fabricauit, & Episcopali honore, Mellitum Episcopum instituens, honorauit: extra muros vero in Occidentali parte in honore beati Petri monasterium insigne fundauit, & multis possessionibus ditauit. Nocte autem dedicationem eiusdem ecclesiæ præcedente, piscatori cuidam Thamensis fluuij, qui idem monasterium præterfluit, vlteriori ripa in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promissa mercede, transponi se ab eodem & petijt & promeruit. Egressus autem de nauicula, ecclesiam, piscatore cernente, ingreditur. Et ecce subito lux cælestis emicuit, miroq. splendore illustrans omnia, noctem conuertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo ciuium supernorum ingredientium, melodiaq. cælestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus E quæ ad ecclesiæ dedicationem spectant solemnijs, redit ad piscatorem piscium piscator egregius hominum. Quem dum diuini luminis fulgore perterritum & alienatum pene sensibus reperisset, blanda consolatione reddit hominem sibi, animum rationi.

Ingredientes cymbam simul vterque piscator, ait Petrus: Numquid pulmentarium non habes? Et ille: Inconsuetæ, inquit, lucis perfusione stupidus, & expectatione tui detentus nihil cepi, sed promissam a te mercedem securus expectaui. Ad hæc Apostolus ait: Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piscator, & mox impleuit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant eiusdem generis pisces, præter vnũ miræ enormitatis esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus: Hunc, qui præ ceteris pretio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piscem Episcopo: pro nautica vero mercede cetera tibi tolle. Huius generis copia abundabis in vita tua, & longo tempore post te progenies tua:

CONCILIVM ROMAE PRO ANGLIS.

*Londinienſis

a *Beda histor. Angl. lib. 2. c. 4.*

MIRACVLVM DE CONSECRATA SVA ECCLESIA A S. PETRO.

b *Ealred. in vit. S. Eduardi Reg. apud Surium die 5. Ian.*

c *Beda histor. Angl. lib. 2. c. 3.*

A tua: tantum ne vltra piſcari audeatis celebritate Dominica. Ego ſum Petrus qui loquor tecum, qui cum meis conciuibus conſtructam in meo nomine baſilicam dedicaui, Epiſcopalemq. benedictionem meæ ſanctificationis auctoritate præueni. Dic ergo Pontifici quæ vidiſti & audiſti; tuoq. ſermoni ſigna parietibus impreſſa teſtimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione: ſuppleat quod omiſimus, Dominici corporis & ſanguinis ſacroſancta myſteria: populumq. ſermone erudiens, notificet omnibus, hunc locum me crebro viſitaturum, hic me fidelium votis & precibus adfuturum, ſobrie vero & pie & iuſte in hoc ſæculo viuentibus cæli ianuam reſeraturum. His dictis, confeſtim ab eius oculis diſparuit.

Mane autem facto, Epiſcopo Mellito ad dedicandam eccleſiam procedenti, cum piſce piſcator occurrit, & omnia quæ ſibi mandata fuerant, pandit. Stupet Antiſtes, reſera-
B tisq. eccleſiæ valuis, videt pauimentum vtriuſque alphabeti inſcriptione ſignatum, parietem biſſenis in locis ſanctificationis oleo linitum, totidem cæreorum reliquias duodenis Crucibus inhærere,& quaſi recenti aſperſione adhuc cuncta madeſcere. Quod videns Epiſcopus,vna cum populo Deum benedicebat, & illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piſcatoris illius tota ſucceſſio, quæ ſicut a patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro, eiq. ſeruientibus decimas offerebat. Vnus autem ſemel fraudem auſus inferre, mox tamdiu artis caruit beneficio, donec confeſſus reatum, & ablatum reſtitueret,& promitteret correctionem.] hucuſque de his Ealredus. Ad hæc igitur tam grandia Summo Pontifici ſignificanda (ſi coniectura agere interdum licet) vtique opinatus fuerim Mellitum Romã conceſſiſſe ad conſulendum ipſum, numquid ſtandum foret viſis eiuſmodi, vt amplius eccleſia illa minime conſecrari debe-
C ret, ſimulq. & quæ opus erant pro eiuſdem monaſterij optima inſtitutione ab eodem Pontifice requiſiſſe.

Hoc itidem anno ſexcenteſimo decimo,qui ab Hiſpanis notatur Era ſexcenteſima quadrageſimaoctaua,celebratum eſt Toletanum Concilium ſub Gundemaro Rege,qui tertius fuit a Reccaredo primo ex Gothis Rege Catholico:poſt eũ enim Liuba regnũ tenuit annos duos, & annos ſex menſesq. decem eius ſucceſſor Vuittericus.Quænam autem huius celebrandi Concilij cauſa præceſſerit, ex eius Actis ſatis accipitur, necnon ex eiuſdem Regis Gundemari conſtitutione hoc eodem anno edita,quam ſubijciemus.Cum enim Toletanæ Eccleſiæ primatum aliqui labefactare ſtuderent, quaſi non totius ipſa eſſet Carthaginenſis prouinciæ Metropolis,ſed tantum Carpetaniæ: hac de cauſa,ad hæc definienda,Synodum hanc oportuit congregari. Qui aduerſabantur, ea potiſſimum ratione agebant,quod
D apparebat in ſubſcriptione facta per Euphemium Epiſcopum Toletanum in Concilio tertio Toletano ipſum ſe ſubſcripſiſſe Metropolitanum prouinciæ Carpetaniæ. Quod ergo tunc ex modeſtia factum videri poterat, ne quid iuris ob id imminutum eſſet Eccleſiæ Toletanæ,ex eaq. occaſione negotium faceſſeretur Toletanis Antiſtitibus:viſum eſt Concilio, ipſiq. Regi iſta per Synodale decretũ debere fieri notiora. Hæc quidem ex ijs quæ in eadem Gundemari conſtitutione habentur, ſatis colligi poſſe videntur. Sic igitur in hoc Concilio nihil præterea actum apparet ab Epiſcopis prouinciæ Carthaginenſis, qui in vnum conuenerunt numero quindecim, niſi vt profiterentur Eccleſiam Toletanam Carthaginenſis prouinciæ eſſe Metropolim, eamq. antiquitus conſecutam eſſe dignitatem. Porro decretum ipſorum ſic ſe habet:

CONCILIVM TOLETANVM SVB GVNDEMARO REGE.

Conuenientibus nobis in vnum pro religione & fide quam Chriſto debemus, placuit,
E ne quid vltra in nobis abſurdum vel illicitum oriatur, alterna collatione decretum iuſtiſſimæ promulgare ſententiæ, quo perſpicue clareat inter nos ordo ac diſciplina Eccleſiaſticæ dignitatis, & agnoſcatur fraternæ concordia pacis. Tali ergo diſpoſitione neceſſarium contuentes ob ſtudium noſtri ordinis communi electione decreuimus congruum eſſe prouida diſpoſitione iudicium, fatentes huius ſacroſanctæ Toletanæ Eccleſiæ ſedem Metropolitani nominis habere auctoritatem, eamq. noſtris Eccleſijs & honoris anteire poteſtate & meritis. Cuius quidem principatus nequaquam collationis noſtræ conniuentia nuper eligitur, ſed iamdudum exiſtere, antiquorum Patrum Synodali ſententia declaratur, ea dumtaxat Concilij forma, quæ apud ſanctum Montanum Epiſcopum in eadem vrbe legitur habita. Proinde ergo diſpoſitionem noſtram inſtructæ collationis definitione celebrantes, elegimus ne quis vltra comprouincialium ſacerdotum inani ac peruerſa contentione obnitatur huius ſacroſanctæ Eccleſiæ Toletanæ primatum contemnere,

DE PRIMATV ECCL. TOLET. IN HISPANIA.

temnere, neque peruicaci schismatum studio ad summos sacerdotalium infulatorum ordines, remota huius sedis potestate, a nobis quempiam (sicut hactenus factum est) prouehere. Talem itaque specialiter a nobis ac successoribus nostris deferri dignitatis honorificentiam huic Ecclesiæ pollicemur, qualem in decretis sanctorum Conciliorum beatissimi Patres Metropolitanis Ecclesijs decreuerunt. Huius ergo & nos reuerentiæ obseruationem fideli custodia pollicemur: huius honorificentiam conseruari diligenti prospectu a successoribus nostris per metas sequentium ætatum volumus. Sane quicumque ex nobis vel successoribus nostris hæc statuta transcenderit, anathema sit Domino nostro Iesu Christo, atque culmine sacerdotali deiectus, perpetua excommunicationis sententia prædamnetur. Facta constitutio sacerdotum in vrbe Toletana sub die X. Kalendarum Nouembrium, anno regni primo pijssimi atque gloriossissimi Gundemari Regis, Era DC.XLVIII.] Sequitur deinde subscriptio quindecim Episcoporum.

Post hæc vero facta est constitutio a Gundemaro Rege probante quæ a Dei sacerdotibus statuta essent; quæ eidem Concilio apposita his verbis habetur:

Flauius Gundemarus Rex venerabilibus Patribus nostris Carthaginensibus sacerdotibus.

CONSTITVTIO GVNDEMARI REGIS DE ECCL. TOLETANA.

Licet regni nostri cura in disponendis atque gubernandis humani generis rebus prõptissima esse videatur: tunc tamen maiestas nostra maxime glorioſiori decoratur fama virtutum, cum ea quæ ad Diuinitatis & religionis ordinem pertinent, æquitate rectissimi tramitis disponuntur: scientes, ob hoc pietatem nostram non solum diuturnum temporalis imperij consequi titulum, sed etiam æternorum adipisci gloriam meritorum. Nonnullam enim in disciplinis Ecclesiasticis contra canonum auctoritatem per moras præcedentium temporum licentiam sibi de vsurpatione præteriti Principis fecerunt: ita vt quidam Episcoporum Carthaginensis prouinciæ non reuereantur contra canonicæ auctoritatis sententiam passim ac libere contra Metropolitanæ Ecclesiæ potestatem per quasdam fratrias & conspirationes inexploratæ vitæ omnes * Episcopali officio prouehi, atque hanc ipsam præfatæ Ecclesiæ dignitatem, imperij nostri solio sublimatam contemnere, perturbantes Ecclesiastici ordinis veritatem, eiusq. sedis auctoritate, quam prisca canonum declarat sententia, abutentes. Quod nos vltra modo vsque in perpetuum fieri nequaquam permittimus, sed honorem primatus iuxta antiquam Synodalis Concilij auctoritatem per omnes Carthaginensis prouinciæ Ecclesias Toletanæ Ecclesiæ sedis Episcopum habere ostendimus, eumq. inter coepiscopos tam honoris præcellere dignitate, quam nominis, iuxta quod de Metropolitanis per singulas prouincias antiqua canonum traditio sanxit, & auctoritas vetus permisit. Neque eamdem Carthaginensem prouinciam in ancipiti duorum Metropolitanorum regimine contra Patrum decreta permittimus diuidendam, per quod oriatur varietas schismatum, quibus subuertatur fides, & vnitas scindatur. Sed hæc ipsa sedes (sicut prædictum est) antiqua, nominis sui ac nostri cultu imperij, ita & totius prouinciæ polleat Ecclesiæ dignitate, & præcellat potestate.

* homines

Illud autem quod iampridem in generali Synodo Concilij Toletani a venerabili Euphemio Episcopo manus subscriptione notatum est, Carpetaniæ prouinciæ Toletanam esse sedem Metropolim: nos eiusdem ignorantiæ sententiam corrigimus, scientes proculdubio Carpetaniæ regionem non esse prouinciam, sed partem Carthaginensis prouinciæ, iuxta quod & antiqua rerum gestarum monumenta declarant. Ob hoc, quia vna eademq. prouincia est, decernimus, vt sicut Bætica, Lusitania, vel Tarraconensis prouincia, vel reliquæ ad regni nostri regimina pertinentes, secundum antiqua Patrum decreta singulos noscuntur habere Metropolitanos, ita & Carthaginensis prouincia vnum eumdemq. quem prisca Synodalis declarat auctoritas, & veneretur Primatem, & inter omnes comprouinciales summum honoret Antistitem: neque quicquam contempto eodem vltra fiat, qualia hactenus arrogantium sacerdotum superba tentauit præsumptio.

Sane per hoc auctoritatis nostræ edictum amodo & viuendi damus tenorem, & religionis vel innocentiæ legem; nec vltra postmodum inordinata licentia ab Episcopis similia fieri patimur: sed per nostram clementiam, præteritæ negligentiæ, pietatis intuitu & veniam damus, & indulgentiæ opem concedimus; & dum sit magna culpa hactenus deliquisse, maioris tamen ac inexpiabilis censura tenebit obnoxios, qui hoc nostrum decretum ex auctoritate priscorum Patrum veniens, temerario ausu violare tentauerit; nec vltra veniam delicti faciemus admissi, adempti, si dehinc honorem eiusdem Ecclesiæ quilibet

A libet Carthaginenſium ſacerdotum contempſerit: ſubiturus proculdubio inobediens tam degradationis vel excommunicationis Eccleſiaſticæ ſententiam, quam etiam noſtræ ſeueritatis cenſuram. Nos enim talia in diuinis Eccleſijs diſponentes, credimus fideliter regnum imperij noſtri ita diuino gubernaculo regi, ſicut & nos cultũ ordinis, zelo iuſtitiæ accenſi, & corrigere ſtudemus, & in perpetuum ſeruare diſponimus.] hactenus conſtitutio regia, cui non Epiſcopi dictæ Synodi, ſed ex alijs Hiſpaniæ prouincijs & Galliæ Narbonenſis ſubſcripti habentur numero vigintiſex: qua (vt apparet) Rex nihil ſua poteſtate decernit, ſed quæ a Concilijs olim eſſent decreta, ſeruari mandat, appoſitis pœnis per Epiſcopos latis vel ferendis, ſuæ addita comminatione cenſuræ. Cui quidem conſtitutioni cum Epiſcopi vigintiſex (vt diximus) ſubſcripti legantur, primo loco S. Iſidorus chirographum ſuum ita appoſuit:

B Ego Iſidorus Hiſpalenſis Eccleſiæ prouinciæ Bæticæ Metropolitanus Epiſcopus, dum in vrbem Toletanam pro occurſu regio aduenieſſem, agnitis his conſtitutionibus, aſſenſum præbui, atque ſubſcripſi.] itidem Innocentius Emeritenſis Metropolitanus Luſitaniæ ijſdem verbis, ac deinceps ceteri. Quod vero nec dicto Concilio, neque conſtitutioni Gundemari ſubſcriptus reperiatur Epiſcopus Carthaginenſis: refugiſſe idem videri poteſt his intereſſe decretis, quæ ſciret in præiudicium prærogatiuæ ſuæ Eccleſiæ ferri, cum ipſe Metropolitanum ſe eſſe eiuſdem Carthaginenſis prouinciæ iactaret, Toletanum vero partis eius quæ Carpetania dicebatur. Vt autem non vnius Carthaginenſis prouinciæ, ſed totius Hiſpaniæ Toletanus Epiſcopus Primas eſſet, ab Eccleſia Romana Toletanam Eccleſiam eſſe conſecutam certum eſt, neque id ſemel, ſed repetitis ſæpius poſtea priuilegijs perpetuo ſtabilitum.

C Quando autẽ primum acciderit, vt Toletana Eccleſia ab Eccleſia Romana huiuſmodi conſecuta ſit priuilegium, id fateor mihi hactenus inexploratum. Nam quod aliqui tradunt id eſſe conſecutam Eccleſiam Toletanam a temporibus S. Petri Apoſtoli & ab ipſo Petro, haud probari poteſt. Quomodo enim id tunc factum potuit, ſi an primatum ipſa gereret vnius prouinciæ Carthaginenſis, in controuerſiam deductum fuit hoc tempore Gundemari Regis, vt ex ipſius edicto liquet? Certe quidem id Rex minime prætermiſiſſet aſſerere, qui Toletano Epiſcopo tantummodo tribuit, vt inter coepiſcopos prouinciæ Carthaginenſis ipſe primatus iure præcellat, vt ex recitato conſtat edicto. Hæc & alia ſunt quæ me de Toletanæ Eccleſiæ primatu huius temporis ſuper omnes Hiſpaniarum Eccleſias dubitare compellunt. Ceterum ſummo honore ſuper omnes alias Hiſpaniarum Eccleſias ſemper habitam eſſe Toletanam, euidens illud eſt argumentum, quod lon-

D ge frequentiora illic reperiuntur ſacra Concilia celebrata.

IESV CHRISTI ANNVS 611. BONIFACII PAP. IV. ANNVS 5. HERACLII IMP. ANNVS 2.

CHriſti Redemptoris annus ſexcenteſimus vndecimus, Indictionis decimæquartæ, qui ſequitur, ærumnoſus Romano Imperio extitit, cum (vt ex Theophane [a] produnt Annales) Perſæ ex more irrumpentes in Armeniam & Cappadociam, poſt ingentem prædam hominum & vaſtationem potiti ſunt Cæſarea Cappadociæ, populumq. captiuum duxerunt. Iam libere quo volebant Perſæ abſque obice graſſabantur, exercitu Romano-

E rum peſſumdato. Quo pariter anno Eudocia Auguſta, tertia die Maij, Heraclio Imp. peperit filium Heraclium minorem, qui & Conſtantinus iunior dictus eſt: ſed eodem anno ipſa deceſſit Imperatrix, decimaquinta inchoata Indictione. Quid vero inhumanum acciderit in eiuſdem Auguſtæ funere, a Zonara accipe ita narratum: Cum eius funus ornatu regio per forum efferretur, puella quædam barbara proſpectans, ſpatham imprudens in feretrum deiecit: ob quod factum comprehenſa, & cremata, Imperatrici infeliciter parentauit.] hæc ipſe.

[a] *Theoph. an. 2. Heraclij Imp.* CAESAREA A PERSIS CAPTA.

HERACL. IVN. NASCITVR. MORITVR AVGVSTA.

Quod ad res Occidentalis Eccleſiæ pertinet, ſcriptorum inopia remanſerunt prorſus obſcuræ, niſi quod Eccleſia Gallicana vita & obitu ſanctiſſimi Præſulis Bituricẽſis Auſtregiſili claruit: de quo erroris arguas eum qui in annum vigeſimumſeptimum poſt ſexcenteſimum eius obitum refert. Etenim cum conſtet ante Theodoricũ Francorum Regem eſſe defunctum, quem poſt triennĩ liquet ex hac vita migraſſe; nequaquã ad tempus illud potuit

S. AVSTREGISILI EPISC. BITVRICENSIS OBITVS.

peruenisse. Res ab eo gestas quam fidelissime conscriptas fuisse, lector accuratus intelliget. A
Hic adolescens inter aulicos apud Guntheramnum Regem militans, bene institutæ vitæ splendore emicuit, opeq. tandem Aetherij Lugdunensis Episcopi missionem e curia obtinuit, vt inter clericos vitam in ecclesia ageret, initiatusq. fuit subdiaconatu a beato Aunario Antisiodorensi Episcopo: ac tandem post digna facta, præcedentibus prophetijs, vocatus est post Apollinarem ad regimen Bituricensis Ecclesiæ, cui cum bene præfuisset annis duodecim, egregie virtutibus atque miraculis coruscans, vita functus est tempore isto, cum Theodoricus Rex ad corradendas pecunias totus esset, & ad id aptos delegisset viros improbos, atque inter alios Guarnerium sæuum immisericordemq. penitus hominem exactorem misisset: cum interim ipsum sanctum Austregisilum contigit diem extremum claudere, postquam exactiori sacerdotali robore restitisset. Sed quomodo id acciderit, ab eodem auctore cuncta fidelissime prosequente sic accipe[a]: B

[a] *Acta Austregisili Episc. capita extant apud Sur. die 20. Maij.*

GVARNERII EXACTORIS IMPETVM FREGIT S. AVSTREGISILVS.

Cum adhuc, inquit, in humanis ageret beatus Austregisilus, tamquam pastor bonus curam Ecclesiæ & plebis sibi commissæ quotidie peruigilem gerebat, eamq. a luporum faucibus seruare studebat. Accidit autem, vt ex palatio Theodorici Regis, ipso Rege permittente, ad vrbem Bituricensem accederet Guarnerius homo sæuissimus, auaritiæ & turpi lucro addictus, superbia tumidus, ab ea vrbe pecuniam Regis nomine, quam dare non consuesset, exacturus. Permoti ciues insolito onere, omnes ad beatum Austregisilum confugiunt: orant vt hanc vim ab ipsis propulsare velit. Vir sanctus ad Deum se confert, diurnis atque nocturnis precibus eius aures continenter pulsat, vt populum suum hac vexatione liberaret. Iam ad vrbem aduentabat miser ille Guarnerius; & ad eum exit sanctus Episcopus, atque pro commissa sibi plebe murum se opponit, paratus etiam, si res postulet, Christi exemplo pro ouibus suis animam ponere. Dicit Guarnerio: Vnde venis, homo improbe, & quid facere instituisti? Non permittat Deus, vt in hanc intres vrbem, & ciuium censum agas. Tum vero Guarnerius acri ira commotus, quod inuito Episcopo non posset Regis & suam explere voluntatem, furibundus ad Regem abit: nunciat illi, renitente Austregisilo Episcopo, quod ipse iussisset, se facere non potuisse. Interea vero beato fine Austregisilus quieuit in pace.] cum magna adhuc cura super gregem inuigilaret, miracula edens, quæ auctor enarrat: idemq. quid in Guarnerium factum post viri sancti obitum sit, verbis istis refert, cum ait: C

Eius diaconus Sulpitius illi successit. Redit postea Guarnerius, executurus sub Sulpitio, quod sub Austregisilo non poterat. Sulpitius vero anxius, ad Dominum confugit, ab illo consilium rei bene gerendæ petens: erat enim vir mitis & lenis, hominisq. violentiæ vt resistere posset, non videbat. Deinde Guarnerium adit: orat, vt qui sub ipsius de- D
cessore ab huiusmodi onere immunes fuissent, illos etiam suis temporibus pateretur solita gaudere libertate. At Guarnerius, homo ferus, viri Dei preces contempsit. Dixit itaque illi Sulpitius: Si quidem contra ius & fas tua eris potitus voluntate, non diu tamen impune feres. Ille vero in vrbem ingreditur, facit vt erat iussus: omnibusq. pro voto expeditis, corpore, non animo adit S. Austregisili ecclesiam, tamquam preces illic oblaturus.

SVO DAMNO GVARNERIVS IN AVSTREGISILVM OBLOCVTVS.

Vt vidit autem monumentum sancti viri a fidelibus Christianis auro argentoq. mirifice exornatum, dixit arrogantissime: Austregisilus aurum suum & argentum in pauperes erogare debuit, non iubere vt suum sepulchrum illo tegeretur. Non hoc ille dicebat, quod ei curæ essent pauperes, sed instar Iudæ proditoris auaritia æstuabat. Postea a sepulchro viri Dei discedens, orationis causa altaria circuibat. Cumq. in ipsa basilica ambularet: lignum quoddam, ad quod vela suspensa erant, ab alto ruit super caput eius. E
Manauit igitur sanguis a capite per oculos & barbam, & ad terram vsque defluxit. Et miser ille clamauit voce qua potuit: Austregisilus dum vixit, semper in me hostili animo fuit, & iam mortuus me prope interficit. Ita infelix nec culpam agnouit suam, nec a beato viro veniam petijt, immo vero feruens malitia Augustodunum ire instituit, vt eius loci Episcopum perderet.

DIRA VINDICTA IN GVARNERIVM.

In ipso autem itinere in pago quodam, cum omnes recubuissent, surrexit a mensa, & ad exonerandum ventrem secessit. Interim somno correptus obdormit. euigilans dicit assistentibus: Austregisilus & Sulpitius hac hora vrceum aureum miserunt mihi. Quis vestrum habet illum?] ita illusus homo aurum rapiens, aurum somniat: sed plenum ira Dei vas illud fuisse, declarauit euentus: nam pergit auctor: Negantibus illis, se quicquam huiusmodi vidisse, sua verba repetijt, nescius quid diceret. Mox vero intestina eius &

viscera

A viscera omnia in cloacam deciderunt, eaq. nocte vitam perdidit. Ex eo tempore nemo ausus fuit regiorum ministrorum ab vrbe Bituricensi eam pecuniam extorquere, absterrente omnes tam diro interitu illius, qui talis exactionis primus auctor fuisset.] Subijcit auctor alia admiranda de eodem sancto aduersus rerum Ecclesiasticarum inuasores. Sed de his hactenus. Propagata est ad posteros memoria sancti Austregisili tum ob vitam sanctissime ductam & miraculis insigniter illustratam, tum etiam quod in cælis ipsum viuere mundo defunctum post obitum signa edita declararunt: colit Dei Ecclesia memoriam eius anniuersaria celebritate vigesima die Maij. Qui autem ipsi successit Sulpitius, pariter inter sanctos adnumeratur.

Porro qui ob bella quibus Theodobertum fratrem e regno pellere laborauit, Theodoricus Rex subditos grauiter afflixit, in se diuinam vindictam concitauit: adeo vt
B vbi se voti compotem factum, fratre perempto, putauit, ipse miserrime luens pœnas, regnum atque vitam perdiderit: sed hæc post triennium acciderunt, cum antea sanctum Columbanum e regni sui finibus expulisset, vt dicturi sumus anno sequenti. Sicq. omnis illa, quæ non super iustitiam religiosamq. Christiano Regi decentem vitam regni moles innixa erat, sed super prudentiam carnis, quæ mors [a] est, vno ferme momento collapsa perijt funditus, nulla relicta posteris filijs suis regni propagine. Sed de Theodorico ex impiæ Brunichildis auiæ consilio hauriente diuinam vltionem dicturi sumus anno sequenti.

[a] Rom. 8.

IESV CHRISTI ANNVS 612. BONIFACII PAP. IV. ANNVS 6. HERACLII IMP. ANNVS 3.

C QVi nouus voluitur annus sexcentesimus duodecimus, Indictionis decimæquintæ, iræ Dei minime expers fuit, cum malorum ingruentium nullus finis esset, vel saltem momentanea quies. Cessantibus enim hoc anno Persis iam victorijs exatiatis, prædisq. expletis, inuadentes Romanum Imperium Sarraceni in Syriam incursiones sæuissimas habuerunt, ferro igniq. cuncta miscentes: cum interea Heraclius Epiphaniam filiam Augustam nuncupauit, quæ (vt habet Theophanes) a Sergio Patriarcha coronata est; idq. anni huius exordio: vergente vero ipso ad finem, iam prima Indictione currente, ab eodem Patriarcha Heraclius iunior eiusdem Imperatoris filius, idemq. Constantinus cognominatus, coronatus est, cum Imperator aduersus Persas in sequentem annum expeditionem pararet. Hunc filium fuisse secundum spiritum Ioannis Episcopi Alexandrini, auctor est Leontius in vita ipsius Ioannis.

SARRACENORVM IN SYRIAM GRASSATIONES.

D Quod ad res Francorum anni huius pertinet, infeliciter accidit, vt Theodoricus Rex malis consilijs Brunichildis obtẽperans, aduersus Dei seruos bellũ gesserit, ex quo diram in se vindictam prouocauit, qua postea exuitur vita simul & regno. Hic enim est ille annus, quo S. Columbanus probatissimæ sanctitatis Abbas, cum opera Brunichildis per Theodoricum Regẽ expelleretur e suo quod in eius regno constructerat monasterio, vaticinatus est fore, vt intra triennium ipse penitus regno priuaretur, & monarchiam totius Galliæ Clotharius obtineret. Cum igitur intra triennium ea contigissent impleri, errare plane noscuntur, qui eiusmodi persecutionẽ ad alia tempora referunt. Nos autem rei gestæ historiã a Iona (non a Beda, vt errore aliqui putant) qui his temporibus vixit, & ab Eustasio successore Columbani hæc accepit, omni sinceritate conscriptam, ab omnibusq. fida auctoritate receptam, hic reddamus. Magno plane Dei beneficio factum apparet, vt vir tantus ex Hiber-
E nia in Gallias veniens, illustraret temporibus his perditissimis Ecclesiam Dei: quem præexcelsum meritis si quis aliqua ex parte exæquet Eliæ, haud mea sententia a scopo veritatis aberrarit; cum videre sit in sanctissimo viro eremum cum suis colente, præter mirificam abstinentiam, & exactissimam monasticam obseruantiam, atque alias eius eminentes virtutes, Dei honoris zelum & fortitudinem animi ad Principes arguendos; qui & in eo similior est visus Eliæ, quod persecutoribus non caruerit, nouo Acab, & altera Iezabele, vt tu ipse probe cognosces, cum res anni huius ab eo gestas accipies.

Iam annus vigesimus agebatur (vt idem Ionas Abbas est auctor) ex quo sanctus Columbanus veniens ex Hibernia Luxouiense in Gallia monasterium erexerat, cum persecutione cogente, inde exul cogitur proficisci: qua vero causa præcedente, eumdem auctorem exacte cuncta prosequentem attende: qui ab exordio regni Theodoberti ac Theodorici incipiens, ita ait [b]: Mortuo Childeberto infra adolescentiæ annos, regnauerunt filij

[b] Ion. in vita S. Columb. c. 27.

Childeberti duo, Theodobertus & Theodoricus cum auia sua Brunichilde. Regno Bur- A
gundionum Theodoricus potitur, regnũ Austrasiorum Theodobertus suscepit regendum.
Theodoricus ergo quia in terminis regni sui beatum Columbanum haberet, gratulabatur
non minimum. Ad quem cum sæpissime veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concu-
binarum adulterijs misceretur, & non potius legitimi coniugij solamine frueretur, vt re-
galis proles ex honorabili Regina prodiret, & non potius ex lupanaribus videretur emer-
gi. Cumq. iam ad viri Dei imperium Regis sermo obtemperaret, & se ab omnibus illi-
citis segregare sponderet: mentem Brunichildis auiæ, secundæ (vt erat) Iezabelis, anti-
quus anguis adijt, eamq. contra virum Dei stimulatam superbiæ aculeo excitat, quia cer-
neret viro Dei Theodoricum obedire. Verebatur enim, ne si abiectis concubinis Reginam
aulæ præfecisset, & dignitatis & honoris sui modum amputasset.] O cæcam fallacemq. ac
sibi ipsi penitus mentientem prudentiam carnis, dum peccatis putat stabilitatem sibi pa- B
rare dominij, iuriumq. proculcatione ius quærere posse regnandi! Qualem autem ista sibi
ruinam pararit, dum ijs artibus perpetuitatem regnandi quæsiuit, declarauit euentus.
Sed pergit Ionas*:

* Ion. in vit. S. Columbani c. 18. apud Bedam.

REDARGVIT BRVNICHILDEM, ET DETESTATVR PROLEM REGIAM COLVMBANVS.

Euenit ergo, vt quadam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret: erat enim
tunc apud Brocoriacum villam. Cumq. illa eũ in aulam venisse cerneret, filios Theodorici,
quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cum vidisset,
sciscitatur quid sibi velint. Cui Brunichildis ait: Regis sunt filij: tu eos tua benedictione
robora. At ille: Nequaquam, inquit, istos regalia sceptra susceptũros scias, quia de lu-
panaribus emerserunt. Illa furens, paruulos abire iubet. Egrediens ergo vir Dei regiam
aulam, dum limitem transiliret, fragor (*terræmotus scilicet*) exortus totam domum qua- C
tiens, omnibus terrorem incussit, nec tamen miseræ feminæ furorem compescuit. Parat
deinde insidias moliri, vicinisq. monasterijs per nuncios imperat, vt nulli eorum extra
monasterium iter pandatur, neque receptacula monachis eius vel quælibet subsidia
tribuantur.

Cernens autem beatus Columbanus regios animos aduersum se permotos, ad eum pro-
perat, vt suis monitis miseræ pertinaciæ impetum frangat: erat enim tunc temporis ad
Spissiam villam publicam. Quo cum iam Sole occumbente venisset, Regi nunciant virum
Dei inibi esse, nec in regijs domibus metari velle. Tunc ait Theodoricus, melius esse vi-
rum Dei opportunis subsidijs honorare, quam Dominum ex seruorum eius offensa ad ira-
cundiam prouocare. Iubet ergo regio cultu opportuna parari, Deiq. famulo dirigi. Ira-
que venerunt, & iuxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cum vidissent dapes & pocula
cultu regio administrata, inquirit quid sibi velint ista. Aiunt illi, sibi a Rege esse directa. D
Abominatus autem ea, ait: Scriptum est: Munera impiorum reprobat Altissimus. Non
enim dignum est, vt famulorum Dei ora cibis eorum polluantur, qui non solum suis, ve-
rum etiam aliorum habitaculis famulis Dei aditum denegant. His dictis, vascula omnia
in frusta disrupta sunt, vinaq. ac sicera solo diffusa, & cetera separatim dispersa. Pauefa-
cti autem ministri, rei gestæ causam Regi nunciant. Tunc ille pauore perculsus, cum auia
diluculo ad virum Dei properat, precantur de commisso veniam, se in posterum emen-
dare pollicentur. His placatus promissis, ad monasterium redijt. Sed polliciti vadimo-
nij iura non diu seruata violantur: exercentur miseriarum incrementa, solitaq. a Rege
adulteria patrantur.

Quo audito, beatus Columbanus litteras ad eum verberibus plenas direxit, commina-
turq. excommunicationem, si emendare delicta non vellet. Ad hæc rursum permota E
CONCITATVR THEODORICVS REX ADVERSVS COLVMBANVM. Brunichildis, Regis animum aduersus beatum Columbanum excitat, omniq. conatu per-
turbare contendit, orabatq. proceres aulicos optimates omnes, vt Regis animum con-
tra virum Dei perturbarent. Episcopos autem solicitare aggressa est, vt de eius religio-
ne detrahendo, statum regulæ, quam suis custodiendam monachis indiderat, macularent.
Obtemperantes igitur aulici persuasionibus miseræ Reginæ, Regis animum contra virum
Dei perturbant, cogentes vt accederet, ac religionem probaret. Coactus itaque Rex ad
virum Dei Luxouium venit, conquestusq. est cum eo, cur a prouincialiũ moribus disce-
deret, & intra septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret. Beatus itaque
Columbanus, vt erat audax & animo vigens, talia obijcienti respondit, se consuetu-
dinem non habere vt sæcularibus hominibus & a religione alienis famulorum Dei ha-
bitationis pandat introitum, sed opportuna aptaq. loca ad hoc habere parata, quo

omnium

A omnium hoſpitum aduentus ſuſcipiatur. Ad hæc Rex: Si, inquit, largitatis noſtræ munera & ſolaminis ſupplementum capere cupis: omnibus in locis omnium patebit introitus. Vir Dei reſpondit: Si quod nuncuſque ſub regularis diſciplinæ habenis conſtrictum fuit, violare conaris: nec tuis muneribus, nec quibuſcumque ſubſidijs me fore a te ſcias ſuſtentandum. Et ſi hanc ob cauſam tu hoc in loco veniſti, vt ſeruorum Dei cœnobia deſtruas, & regularem diſciplinam macules: ſcito tuum regnum funditus ruiturum, & cum omni propagine regia demergendum. Quod poſtea rei probauit euentus. Iam enim temerario conatu Rex refectorium ingreſſus fuerat. His ergo territus dictis, foras celer repedat. Duris poſt hæc viri Dei increpationibus Rex vrgetur. Contra quæ Theodoricus ait: Martyrij coronam a me tibi inferendam ſperas? Non eſſe ait tantæ dementiæ ſe, vt hoc tantum patraret ſcelus: ſed quæ ſunt potioris conſilij agere, & vtiliora paraturum: Vt
B quia ab omnium ſæcularium moribus deſciſcat, qua venerat, ea via repedare ſtudeat. Aulicorum ſimul conſona voce vota prorumpunt, ſe habere non velle his in locis, qui omnibus non ſocietur. Ad hæc beatus Columbanus ſe dicit de cœnobij ſeptis non egreſſurum, niſi violenter abſtrahatur.

Diſceſſit ergo Rex, relinquens virum quemdam procerem, nomine Baudolfum. Is enim cum remanſiſſet, virum Dei a monaſterio pellit, & penes Veſocionenſe oppidum perducit ad exulandum, quoaduſque regalis ſententia de eo quid voluiſſet, decerneret.] At Dominus voluit oſtendere, non egreſſum eſſe ſolum Columbanum, ſed diuinam virtutem illi indiſſolubili vinculo iunctam eum ſequi. Nam attende quid accidit: Commorans ergo inibi, audit carcerem plenum eſſe damnatorũ hominum mortis damna expectantium. Ad quem vir Dei properat, ingreſſusq. oſtium, nullo obſtante, verbum Dei damnatis depromit:
C ſpondentq. illi, ſi liberarentur, emendaturos, & de commiſſa noxa pœnitentiam acturos. Beatus itaque Columbanus poſt hæc miniſtro Domoali, cuius ſuperius fecimus mentionem, imperat, vt manu ferrum, quo compedes irretiti erant atque innexi, apprehendat & trahat: quod ille apprehenſum trahit, & velut frutex putrefactus per partes comminuitur, egrediq. carcerem damnatos ſolutis compedibus iubet. Peracto autem Euangelici cultus officio (pedes enim lauit, linteoq. abſterſit) imperat deinde vt eccleſiam petant, & commiſſi ſceleris pœnitendo ac fletibus abluendo culpas lauent. Properantes ergo illi, eccleſiæ fores obſeratas reperiunt.

COLVMBANVS DVCITVR IN EXILIVM.

VINCTOS LIBERAT COLVMBANVS.

Tribunus igitur militum cum vidiſſet virtute Dei per beatum Columbanum damnatorum compedes fractos, & vacuum ſibi tantummodo relictum ergaſtulum, inſequi calces damnatorum, ac ſi a ſomno excitatus, cum militibus cœpit. Illi vero poſt tergum ap-
D propinquare ſatellites videntes, & fores eccleſiæ obſeratas cernentes, gemina vallati anguſtia, virum Dei compellant, vt eruantur. Ille autem anxio anhelitu ſurſum caput attollit, precaturq. Dominum, vt ſua virtute ereptos e ferro non ſinat denuo tradi ſatellitum nexui. Nec morata auctoris bonitas, fores firmis obſeratas clauſtris reſerat, atque in anguſtia poſitis aditum pandit, perniciq. curſu ingrediuntur eccleſiam. Fores autem poſt damnatorum introitum in oculis militum abſque humana manu obſerantur, ac ſi cuſtos vſu clauigero perniciter & reſeraſſet & obſeraſſet. Perueniens ergo beatus Columbanus cum ſuis, ſimulq. & Tribunus cum militibus, fores obſeratas repererunt: Aſpaſiumq. nomine cuſtodem quærunt, vt claues largiatur. Qui cum veniſſet, clauigeroq. vſu fores reſerare voluiſſet, ait ſe numquam diligentius obſerata clauſtra inueniſſe. Nec quiſquam poſt auſus eſt damnatis iniuriam inferre, quos diuina virtus eruerat.]

E Iſta tam grandia atque patentia eo potiſſimum tempore a ſeruo ſuo Deus peragi voluit, quo aduerſarijs eius innoteſceret, qualis eſſet, quem exturbarent & eijcerent: vt vel timore concuſſi Pharaonem ſaltem imitarentur, qui viſis prodigijs, quem a ſe reiecerat Moyſem, iterum atque iterum reuocauit. His quidem admonitus qui eum in exilium deducebat, ab eo recedens, dimittit ipſum abire liberum: at Reges non ſic. nam audi Ionam [a]: Cum nullus, inquit, contrarius exiſteret, ipſe per mediam vrbem cum ſuis ad monaſterium regreditur. Quo audito Brunichildis ac Theodoricus, quod ſcilicet ab exilio reuertiſſet, atrocioribus iræ aculeis ſtimulantur, iubentq. militum cohortem, vt rurſum virum Dei abſtrahant, & ad priſtinum prorſus exilium reuocent. Venientes ergo milites cum Tribuno, peragrant ſepta monaſterij, virumq. Dei perquirunt. Reſidebat autem ille in atrio eccleſiæ, librumq. legebat. Vbi cum ſæpe veniſſent, & prope eum tranſirent, ita vt nonnulli in eius pedes offenderent, & veſtimentis ſuis eum tangerent, ſed obcæcatis

[a] *Ion. in Columbano c. 19.*

ITERVM QVAESITVS AD EXILIVM COLVMBANVS.

luminibus nequaquam eum viderent; erat ſpectaculum pulcherrimum. Ille autem ouans A
cernebat quærentes, nec omnino videbatur: illi in medio eorum poſitum, cum viderentur ab eo, non videbant. Venitq. Tribunus, intuitusq. per feneſtram, virum Dei videt inter ipſos reſidere & legere: cernensq. virtutem Dei, ait: Quid tam intente atria eccleſiæ peragratis, nec omnino reperitis? Nequaquam amplius inſaniæ errore cor veſtrum decipiatur: non enim vos poteritis eum inuenire, quem virtus diuina tegit. Redite ab hac intentione, & Regi properemus nunciare, quia eum minime reperiſtis. Datur autem manifeſte intelligi, Tribunum militum non ſponte ad parandum viro Dei iniuriam veniſſe, & ideo ad eum videndum lumen meruiſſe.

Renunciantibus ergo illis auribus Regis, ille aucto furore miſeræ intentionis, Bertharium Comitem ad eum requirendum attentius virorum cum præſidio, ſimulq. & Baudolfum, quem ſuperius miſerat, deſtinauit. Quo cum veniſſent, beatum Columbanum B
in eccleſia poſitum pſallentem & orationi deditum cum omni congregatione fratrum reperiunt, ſicq. virum Dei alloquuntur: Vir Dei, precamur, vt tam regijs, quam etiam noſtris præceptis obedias, egreſſusq. pergas eo itinere, quo primum his aduentaſti in locis. At ille: Non enim, inquit, reor placere Conditori, ſemel natali ſolo ob Chriſti timorem relicto, denuo repedare. Cumq. nullatenus cernerent ſibi virum Dei obedire, relictis quibuſdam, quibus ferocia animi fortior erat, Bertharius abſceſſit. Hi vero qui remanſerant, virum Dei hortantur, vt illis miſereatur, qui ad tale opus patrandum infeliciter fuerant relicti, eorumq. periculo conſuleret: qui ſi eum violenter non abſtraherent, mortis periculum incurrerent. At ille ait, iam ſæpius teſtatum eſſe, niſi vi abſtraheretur, ſe non diſceſſurum.

Illi autem gemino vallati periculo, vndique vrgente formidine, pallium, quo indutus C
erat, attingunt: alij genibus prouoluti, cum lacrymis precantur, vt pro tanti ſceleris culpa illis ignoſceret, qui non ſuis deſiderijs, ſed regijs obtemperarent præceptis. Videns itaque vir Dei, periculum aliorum fore, ſi ſuæ ſeueritati ſatisfaceret, cum omnium eiulatu atque mærore egreditur, deputatis a Rege cuſtodibus, qui quouſque ditionis ſuæ regno pelleretur, non eum relinquerent, ſed pariter cum illo ambularent: inter quos primus Ragamundus erat, qui cum vniuerſis fratribus velut funus ſubſequentibus, Nannetes eum vſque perduxit. Anxius itaque pater tantorum membrorum diſpendio, cælos reſpicit: Aeterne, inquiens, conditor rerum, tu nobis locum præpara opportunum, quo tibi tuæ famulentur in ſæcula plebes. Conſolatur deinde vniuerſam ſimul cohortem, vt ſpem non perdant, ſed omnipotenti Deo immenſas laudes rependant. Se hoc non diſpendium ſuum vel ſuorum pati, ſed ob multiplicandas monachorum plebes hanc eſſe D
datam occaſionem. Et quicumque ſe ſequi velint, promptiſſimo animo ad ſuſtinendas iniurias conuenirent: qui vero in ſupradicto cœnobio remanere voluerint, ſecuri in hoc loco remanerent: cito Dominum de eorum mærore vnctionem daturum.

PERDVCITVR EXTRA REGNVM THEODORICI COLVMBANVS.

Sed cũ æquo animo de cuſtodia paſtoris ſegregari nollent, cuſtodes Regis inquiunt, nequaquã hinc ſe ſequi alios permiſſuros, niſi eos quos ſuí ortus terra dederat, vel qui e Britannicis aruis ipſum ſecuti fuerant; ceteros qui Gallico orti forent ſolo, præceptis eſſe regijs inibi remanſuros. At cum egregius pater cerneret vi a ſe ſua mẽbra diſcerpi, tam ſuus quam etiam membrorum ſuorum dolor multiplicabatur, & pro tanti ſceleris pondere Dominum omnium conſolatorem deprecatur, vt quos a ſe regia pertinacia ſegregabat, ipſe ſua cuſtodia tueretur. Inter quos venerabilis vir, qui poſt in eodem monaſterio pater extitit, Euſtaſius diſcipulus & miniſter ſancti viri violenter auellitur, intendente ſuper eum E
Nugetio * auunculo eius, qui Lingonicæ Eccleſiæ Pontifex erat. Egreſſus ergo vir ſanctus cum ſuis vigeſimo anno poſt incolatum eremi illius, per vrbem Veſontionem Auguſtodunumq. ad Auellonem caſtrum peruenit.]

COLVMBANVS COGITVR RECEDERE A SVIS.

*Nicetio

Porro qui eum auulſus ab alijs ſecutus eſt intimus diſcipulus ipſius Euſtaſius, vt Lucas Paulum, totum iter illud ad Italiam vſque accurate recenſuit, ſcribens Itinerarium: a quo Ionas, qui vitam ſancti conſcripſit, accipiens intexuit Actis eius, prout ipſe eum citans profiteri videtur, relegens loca ſingula, ſingulasq. perſonas, apud quas hoſpitio ſuſceptus eſt ſanctus: ſicq. ſicuti veram certamque, ita elegantiſſimam hiſtoriam ſcripſit; quam ſi integram legeris, plane diſces totum illud iter exilij nihil aliud fuiſſe, quam longe ductum eiuſdẽ viri Dei triumphum, quo ipſius victoria aduerſus Reges, & eorum deteſtanda crudelitas ſignis atque prodigijs eſt vbique locorum decantata. Nos autẽ breuitatis cauſa

EX EVSTASIONAS CVNCTA DESCRIPSIT.

ca

A ea quæ tunc crebro sunt facta in via miracula referre prætermittimus, hic illa tantummodo redditurl, quæ ipsi cum Clothario Rege primum, inde vero cum Theodoberto pariter Rege Francorum interceſſerunt. Sed primum quæ vltima est verba locutus cum Ragamundo misso a Rege Theodorico, vt extra limites regni sanctum virum deduceret, audiamus.

PRAEDICTIONES COLVMBANI DE REGNO FRANCORVM.

Ait enim Ionas, quod cum Antisiodorum peruenissent, ad eum qui se ducebat conuersus Columbanus, hæc dixit: Memento, o Ragamunde, quod Clotharium, quem nunc spernitis, intra triennium dominum habebitis. At ille: Cur, inquit, talia domine mi ais? Illeq. ait: Videbis prorsus quæ dixi, si tunc vitã cum superis feras.] Hoc ipsum vaticinium depromere coactus est Columbanus, dum vna cum affine Theodoberti & amico Theodorici in conuiuio resideret in via apud Turonensem Episcopum Leuparium, qui ipsum visitantem S. Martini sepulchrũ exceperat mensa. Nam de his hæc Ionas [a]: Cum hora refectionis cum

a Ion. in vita S. Columbani c. 21.

B eo in mensa resideret, interrogatus cur retro ad patriam repedaret; respondit: Canis me Theodoricus a meis fratribus abegit. Tunc vnus e conuiuis, Chrodoaldus nomine, qui amitã Theodoberti Regis in coniugiũ habebat, Regi tamen Theodorico fidelis erat, huic viro Dei humili voce respondit, esse melius lac potare, quam absynthium.] putabat enim ea verba in amaritudine animi & cordis odio ab ipso prolata. Cui vir Dei ait: Cognosco te Regis Theodorici fœderis iura seruare velle. At ille fatetur, se fœdus fidei promissæ, quamdiu valeret, obseruare. Cui beatus Columbanus respondens: Si, inquit, Regis Theodorici vinctus es fœdere, amico tuo & domino lætus eris a me legatus directus. Hæc ergo eius auribus infer: Et ipsum & suos liberos intra triennij circulum esse delendos, radicitusq. eius stirpem Dominum esse eradicaturum. Cur, inquit supradictus vir, famule Dei talia promis? At ille: Non enim queo silere, quæ mihi loquenda Do-

C minus tradit.] hæc ibi tunc Columbanus.

Sed quomodo, cum ad Clotharium Regem peruenit, eadem prædixit, ab eodem auctore sic accipe [b]: Post ad Clothariũ Chilperici Regis filium, qui in Austrasijs Francis regnabat in extrema Gallia ad Oceanum positis, pergit. Porro Clotharius audierat, quantis qualibusve iniurijs virum Dei Brunichildis ac Theodoricus fatigauerant. Quem cum vidisset, veluti cæleste numen * recepit, oransq. precatur, vt si velit, intra sui regni terminos resideat, seq. ei, prout voluerit, famulaturum. At ille nequaquam ait his in locis se consistere velle, vel ob suam peregrinationem augendam, vel illis inimicitiarum occasionem sedandam. Tenuit ergo eum Clotharius quantis potuit penes se diebus: castigatusq. ab eo pro quibusdam erroribus, quibus vix aula regia caret, spondet se Clotharius iuxta eius imperium omnia emendaturum. Erat enim Clotharius solers in amore

b Ion. in vit. S. Columb. c. 23.

* munus

QVAE COLVMBANVS CVM REGE CLOTHARIO.

D sapientiæ: inuentum ergo optatum munus gratificabatur. Morante igitur eo penes Clotharium, lis oritur inter Theodobertũ & Theodoricum, disceptantibus vtrisque de regni termino. Et vtrique ad Clotharium legatos dirigunt, vterque aduersus fratrem auxilium postulat. Quod Clotharius beato viro insinuare procurat, consulens, si videretur eius consilio, se vni consentiendo, contra alium dimicare. Ad quem ille, prophetico repletus spiritu, ait: neutris eum fore pariturum consilijs, in suam autem intra triennij tempus ditionem vtrorumque regna venire. Videns autem Clotharius a viro Dei talia sibi prophetico ore dici, neutri parere voluit: sed promissum sibi tempus fideliter expectans, postea potitus est triumpho victoriæ.] hæc ad Clotharium dicta Deus voluit miraculis ibidem recensitis consignari, ne posset de eorum euentu vllatenus dubitari.

Dignum plane consideratione videtur, quanto suo damno Reges in seruos Dei delin-

E quant, & quantum sibi acquirant emolumenti, cum eos amore prosequũtur atque fouent. Exemplo plane id perspicue cernere est in eodem, de quo est sermo, Francorum Rege Theodorico: qui licet peccatis haud leuibus esset obnoxius; dum tamen Columbanum Dei seruum bene habuit & officijs frequentauit, prospera illi cuncta ac felicia euenerunt, atque in bellis victorias & alia bona plurima est consecutus. simulac vero redarguentem prosequitur odio, persequitur, & extra regnum proijcit: mox ac si a fundamentis reuulsus esset lapis, cui regni moles inniteretur, bello exorto ciuili, nutare cœpit, ac breui totum penitus collapsum est ipsius regnum, vt audies.

Sed quæ sunt modo anni huius reliquæ eiusdem sancti res gestæ, prosequamur. Venisse eum post hæc ad Theodobertũ Regem, idem Ionas affirmat, qui subdit [c]: Exinde ad Theodobertum Regem venit. Quem cum Theodobertus vidisset, ouans suis sedibus recepit. Iam enim multi fratrum post eum ex Luxouio venerant, quos ille veluti ex hostium præ-

c Ion. ibid. c. 26.

da

da ereptos suscipiebat.] Porro illis in regionibus ipsum aliquantisper morari ob conuer- A
sionem proxime positorum Sueuorum, diuinus Spiritus iussit, cui obtemperans, idololatras ad Christi fidem conuertit. Quomodo autem acciderit, audi: Sunt (inquit Ionas)
SVEVI IDOLOLATRAE AD CHRISTVM CONVERSI. inibi vicinæ *apud Moguntiam* nationes Sueuorum. Vbi cum moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos sacrificium profanum libare velle, vasq. magnum, quod vulgo cupam vocant, quod viginti modios amplius nec minus capiebat, ceruisia plenum in medio positum. Ad quod vir Dei accessit, scisciturq. quid de illo fieri vellent. Aiunt illi, se deo suo Vadono nomine, quem Mercurium (vt alij aiunt) autumant esse, libare velle. Ille autem pestiferũ opus audiens, vas insufflat, miroq. modo vas cum fragore dissoluitur, & per frusta diuiditur. Vas ergo dum rapido cum liquore ceruisiæ prorumpit, manifeste est datum intelligi diabolum in eo vase esse occultatum, qui per profanum liquorem caperet animas sacrificantium. Videntes autem barbari, stupefacti, aiunt B
magnum virum Dei habere halitum, qui sic posset dissoluere vas ligaminibus munitum. Castigatos itaque Euangelicis dictis, vt ab his segregarentur sacrificijs, domum redire imperat. Multi enim eorum tunc per beati Columbani suasum vel doctrinam ad Christi fidem conuersi baptismum sunt consecuti: alios quos iam lauacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum Euangelicæ doctrinæ monitis suis, vt bonus pastor, Ecclesiæ finibus reducebat.] In sequentem vsque annum illic moratum esse Columbanum, auctor ostendit. Quæ autem antequam recederet, Theodoberto Regi iam aduersus fratrem bello certanti suaserit, suo loco dicturi sumus.

Dum vero anni huius res gestas S. Columbani Ionas recenset, ad S. Desiderium Vien-
S. DESIDERIVS EPISC. VIENNEN. POST EXILIVM MARTYR EFFECTVS nensem Episcopum orationem conuertens, hæc ait: Eo itaque in tempore Theodoricus & Brunichildis non solum aduersus Columbanum insaniebant, verum etiam & contra C
sanctissimum Desiderium Viennensis vrbis Episcopum aduersabantur. Quem primo exilio damnatum, multis iniurijs affligere nitebantur, ad postremũ vero glorioso martyrio coronarunt. Cuius gesta scripta habentur, quibus & quantis aduersitatibus glorioſos apud Dominum meruit habere triumphos.] hæc de his Ionas obiter, ad Columbanum suum mox stylum conuertens. Non tyrannice primum irrupit Rex in Desiderium, sed eum antea in Concilio Cabilonensi per suæ factionis Episcopos damnari præcepit: qui depositus gradu, iectus est in exilium, atque martyrium consecutus. Eadem de Desiderij Episcopi exilio atque martyrio alij, qui prosecuti sunt res Francorum, testati sunt: sed Acta quæ citat Ionas, nondum vidimus. Hoc ipso namque Redemptoris anno S. Desiderium martyrio vita functum, lapidibus obrutum, Sigebertus testatur in Chronico, & (vt puto) ex eius martyrij Actis. Ado eiusdem Viennensis Ecclesiæ Episcopus tradit S. Desiderio subroga- D
tum fuisse Domnolum virum pietate insignem, cuius charitas in redimendis captiuis maxime enituerit. Porro Desiderius in numerum sanctorum martyrum cooptatus, in Ecclesia Catholica duplici memoria annua [a] celebratur.

a Martyrolog. Rom. 11. Febr. & 23. Maij.

IESV CHRISTI ANNVS 613. BONIFACII PAP. IV. ANNVS 7. HERACLII IMP. ANNVS 4.

CVm Christi Redemptoris annus ageretur sexcentesimus decimustertius, Indictionis primæ, rursum consueta Persarum irruptione afflictatum est Orientis Imperium: de
b Miscel. lib. 18. an. 4. Heraclij. DAMASCVS A PERSIS CAPTA quo ista in Græcorum Annalibus [b]: Anno Imperij Heraclij quarto cœperunt Persæ Da- E
mascum, & captiuum duxerunt populum multum: Heraclius autem Imperator, legatis ad Cosrhoen missis, rogauit eum, vt parceret hominum sanguinem immisericorditer fundendi, & definiret tributa, & acciperet pacta. Qui legatos inefficaces dimisit, nulla eis reddita ratione, sperans comprehendere Romanum modis omnibus principatum.] hæc de rebus bellicis ex Theophane. Ex quo autem Damasci hic facta est mentio, quid in eius territorio contigerit, vbi per Sarracenos ante aliquot annos incursio facta est, hic describendum putamus, quod certus annus, quo id acciderit, non ponatur. Porro eiusmodi ingens miraculum scriptum fuit per S. Anastasium Sinaitam, de quo plura superius; postea autem in oratione de imaginibus tertia a Ioanne Damasceno recitatum eius verbis in hunc modum:

Quatuor passuum millibus a Damasco distat locus, qui Carsatas dicitur, quo in

loco

A loco sancti Theodori templum est. In hoc templum ingressi Sarraceni, omnibus illud sordibus & immunditijs ex feminarum & puerorum atque animalium rationis expertium commixtione fœdauerunt. Quadam igitur die cum plures ipsorum considerent, & colloquerentur, vnus eorum sagittam in S. Theodori intorsit imaginem, & dexterum ipsius humerum vulnerauit: statimq. sanguis defluxit, & ad extremam vsque imaginis partem decidit, omnibus id quod factum fuerat, sagittamq. in humero sancti defixam, & sanguinem emanantem contuentibus. Quo tamen admirabili signo perspecto, non resipuerunt, nec eum qui sagittam coniecerat pœnituit, nec quisquam eorum commotus est, non recesserunt e templo, nec illud commaculare destiterunt. Attamen extremo sunt affecti supplicio. Cum enim viginti essent eorum familiæ qui in templo commorabantur, intra paucos dies acerbo omnes morbo deleti sunt, cum eo in loco nemo ipsorum diebus illis in- IN SACRILEGOS DIVINA VINDICTA.
B terierit, exceptis ijs qui in templo fuerant commorati. Hæc igitur imago sagitta percussa adhuc supereſt, sagittæq. vulnus habet & vestigia sanguinis. Multi autem eorum qui rem viderunt, & eo tempore fuerunt, quo res hæc admiranda contigit, adhuc viuunt: & ego eius imaginem vidi, & quod vidi monumentis mandaui.] hactenus de his Damascenus ex Anastasio Sinaita; quæ incerto nobis anno facta, hic (vt dictum est) Damasci cladis a barbaris illatæ occasione certo anno voluimus consignata posuisse.

Quo item anno Heraclius, defuncta iam antea vxore, incestuosas nuptias contrahens, neptem suam (quod nefarij est existimatum exempli) in matrimonium duxit. de quo hæc HERACLII INCESTVOSVM CONIVGIVM.
ex Theophane in Annalibus Græcorum: Heraclius eodem anno duxit incestu Martinam neptem suam vxorem, & pronunciauit eam Augustam coronatam a Sergio Patriarcha.] hæc ibi. Porro detestandum id habitum est facinus, nec a Deo sine vindicta dimissum:
C Zonaras enim, vbi de Heraclij obitu agit, necnon Cedrenus, & alij, eum turpia passum tradunt atque nefanda, quæ referunt: quibus quisque intelligere potuisset, Deo maxime displicuisse eiuscemodi nuptias, quantumlibet Patriarchæ consensione suffultas, quas adeo monstruosa vindicta fuerit prosecutus.

Hoc eodem anno, quo absoluitur tertius Imperij Heraclij, & quartus inchoatur, migrat ex hac vita ad Deum celeberrimus ille sanctus Theodorus Siceota ex Episcopo Archimandrita, de quo plura sæpeq. superius dicta sunt. Eleusius eius discipulus, qui res ab S. THEODORI SICEOTAE OBITVS.
eo gestas scriptis mandauit, hæc de tempore obitus in fine habet [a]: Decessit e vita sanctissimus & beatissimus ac fidelissimus Christi seruus Theodorus tertio Imperij anno pietatis & Christi studiosissimi Imperatoris Heraclij, quo quidem anno filius eius Deo carissimus creatus fuit Cæsar, Indictione prima, die vigesimasecunda mensis Aprilis. Cuius
D precibus vtinam ad Christi Dei nostri tribunal misericordiam consequamur, &c.] hæc auctor, qui eamdem de rebus gestis viri sanctissimi scriptionem eiusmodi testificatione consignatam reliquit, ad finem eius hæc habens, de quibus & superius mentio facta est: Hæc ego Eleusius, qui & Georgius a S. Theodoro vocatus sum, omnia Deo adiuuāte conscripsi. Neque vero miraculorum ipsius expers fui, sed ea maxime omnium expertus sum. Cum enim parentes mei ex oppido Adigermaro oriundi diu simul vixissent, nec vllos possent liberos suscipere, ad sanctum virum accesserunt; cumq. zonas, quibus ille benedixerat, accepissent, ego conceptus sum, & in lucem editus, & infans ipsi oblatus: qui & in eius sancto monasterio enutritus, a religiosissimo præfecto litteras didici. Cumq. parentes mei filium alterum S. Theodori precibus suscepissent, eius illi nomen imposuerunt. Duodecim igitur annorum spatio, quo apud illum vixi, multorum miraculorum, quæ
E ab ipso facta sunt, inspector fui: quæ autem ab illo superioribus temporibus gesta fuerant, ea vel a ministris eius qui spectatores extiterant, vel ab ijsdem qui curati sunt, accepi: quamquam & multa me oblitum esse confiteor, & nonnulla propter imbecillitatem meam prætermisisse. Pauca igitur e plurimis attigi, &c.] Porro sancti Theodori memoria in benedictione est tam apud Græcos, quam Latinos, æque anniuersaria die celebrantes natalem ipsius, quo ex hac vita discessit (vt dictum est) vigesimasecunda mensis Aprilis.

Hic idem est annus, quo Theodobertus Francorum Rex victus a Theodorico fratre, initiari clericatu coactus, tandem occiditur: quod supplicium anteuertisset omnino, si S. Columbani consilijs paruisset. At quomodo se hæc habuerint, accipe ex eodem, de quo superiori anno, auctore Iona [b]: Interea, inquit, inter Theodoricum Theodobertumq. lis firmatur, ac quisque aduersus fratrem vsque ad internecionem desæuit, vtris- [b] Ion. in vit. S. Columbani c. 27.

que

que gentium robore ſuperbientibus. Inter hæc vir Dei Columbanus ad Theodobertum A
accędit, eiq. ſuadet vt cœptæ arrogantiæ ſupercilium deponat, ſeq. clericum faciat,
& in eccleſia poſitus ſacræ ſubderetur religioni, ne ſimul cum damno præſentis regni
VATICINIVM COLVMBANI DE THEODOBERTO REGE. æternæ pateretur vitæ diſpendia. Quod dictum & Regi & omnibus circumſtantibus riſum excitat, aientes ſe numquam audiſſe merungum in regno ſublimatum voluntarie clericum fuiſſe. Deteſtantibus ergo omnibus, beatus Columbanus ait: Si voluntarius nullatenus clericatus honorem ſumit, in breui inuitus clericus exiſtet. His ergo dictis, vir Dei ad cellulam remeat; moxq. prophetici dicti euentum res non diu dilata affirmat. Nec mora, Theodoricus Theodobertum ad bellum prouocat, & prope Tullum deuictum fugat, poſtq. collecto exercitus robore perſequitur. Simili modo gentium multarum Theodobertus robore vallatus, ad Tulbiacenſe caſtrum pugnaturus occurrit. Ibi prælio inito, innumeræ gentium phalanges ex vtroque exercitu perierunt, & victus tandem B
Theodobertus fugit.

Eo igitur tempore vir Dei in eremo morabatur, contentus tantum vnius miniſtri Chagnoaldi famulatu. Ea hora ergo qua apud Tulbiaçum commiſſum eſt bellum, ſupra quercus putrefactum truncum vir librum legens reſidebat: quem ſubitus ſopor oppreſſit, & quid inter duos Reges ageretur vidit. Moxq. excitatus, miniſtrum vocat, cruentamq. Regum pugnam indicat, ac multum humanum ſanguinem fuſum ſuſpirat. Cui temerario conatu miniſter ait: Pater mi, Theodoberto tuis precibus præbe ſuffragium, vt communem debellet hoſtem Theodoricum. Ad hæc B. Columbanus ait: Stultum ac religioni alienum conſilium adminiſtras: non enim Dominus ita voluit, qui nos pro inimicis noſtris orare præcepit. Inquiſiuit ergo poſt miniſter temporis diem & horam, repetitq. ita
THEODOBERTVS REX OCCIDITVR. fuiſſe, ſicut viro Dei fuerat reuelatum. Perſecutus eſt ergo Theodobertum Theodoricus, C
& ſuorum proditione captum ad auiam Brunichildem direxit. Quem cum auia recepiſſet, quia Theodorici partibus Brunichildis fauens erat, furens Theodobertum fieri clericum rogauit, at non poſt multos dies impie nimis poſt clericatum perimi iuſſit.] hæc de exitu Theodoberti Ionas ſui temporis ſcriptor. At recentiores qui proſecuti ſunt res Francorum, de Theodoberti clericatu nihil: addunt vero, Brunichildem ſæuiſſe in filios Theodoberti, eos omnes neci tradentem. Sed de clericatu Regis præſtat audire eos qui tunc præſentes his fuere. Sic igitur perijt Theodobertus anno regni ſui decimoſeptimo, cum & ipſe eo anno coniugem occidiſſet. Cum vero Theodoricus ad annum decimumoctauum ſui regni peruenisſe tradatur, ſequenti anno de eius obitu acturi ſumus.

At de Columbano horum omnium propheta diuinitus inſpirato narrationem repetamus. Quidnam autem in mente habuerit, ſi Deus annuiſſet, modo dicendum: Interea D
(inquit Ionas [a]) cogitatio in mentem ruit, vt Veneticorum, qui & Sclaui dicuntur (*ſiue potius Sclauorum, qui in Venetiæ prouinciæ partibus degerent*) terminos adiret, cæcaſq. mentes Euangelica luce illuſtraret, ac ab origine per deuia aberrantibus veritatis viam panderet. Cumq. hoc votis patrandum ineſſet, Angelus Domini per viſum apparuit, paruoq. ambitu, velut paginali ſolent ſtylo orbis deſcribere circulum, mundi compagem monſtrauit: Cernis, inquiens, quod maneat totus orbis deſertus? perge dextra læuaq. qua eligis, vt laboris tui fructus comedas. Intellexit ergo ille, non eſſe gentis illius in promptu fidei profectus: quieuitq. in loco, donec aditus ad Italiam viam pandat.] Et poſt alia nuper recenſita, ſubdit iſta [b]:

a Ion. in vita S. Columbani c. 26. in fine.

b Ion. ibid. c. 29.

COLVMBANVS IN ITALIAM VENIT. Beatus ergo Columbanus cum vidiſſet (vt ſuperius diximus) deuictum a Theodorico Theodobertum, relicta Gallia atque Germania, Italiam ingreditur; vbi ab Agilulpho E
Longobardorum Rege honorifice receptus eſt: qui largita optione, vt intra Italiam quocumque in loco voluiſſet, habitaret, Dei conſultu actum eſt, dum ille penes Mediolanum vrbem moraretur, vt hæreſis eorum fraudes, id eſt Arianæ perfidiæ, Scripturarum cauterio diſcerpere ac diſſecare vellet, contra quos etiam libellum florentis ſcientiæ edidit.] Longobardi namque magna ex parte eiuſmodi tenebantur morbo oppreſſi, quos curare propenſiori ſtudio Columbanus laborauit. Pergit Ionas dicere de monaſterio ab eodem ædificato in loco Bobium appellato.

Porro eum qui comitatus eſt ſanctum virum in Gallijs, Euſtaſium, Luxouium ad monaſterium primum redire iuſſum, ex eodem auctore colligitur, & eo qui res geſtas ſancti Vualerici Abbatis conſcripſit, eiuſdem temporis ſcriptore, qui & teſtatur a ſancto Columbano relictum præfectum monaſterij Luxouienſis eumdem Vualericum diſcipulum

ſuum

A suum, eximiæ sanctitatis virum & in miraculorum editione præstantem, qui vna cum Eustasio vindicauerunt monasterium Luxouiense e manibus laicorum, qui postquam sanctus Columbanus recessit, diripere eius bona non sunt veriti. Porro ab eodem Vualerico propagatum est monasticũ institutum in Gallijs, ædificante ipso aliud monasterium, adiuuante Clotharío Rege Francorum, apud Ambianum. Extant [a] eius res gestæ fideliter scriptæ in omnibus consentientes veritati, quibus & traditur a Iona Abbate conscriptam esse vitam S. Columbani; quod & affirmat Sigebertus de viris illustribus.

a Habet eas Surius die 21. Apr.

Accidit præterea, vt hoc anno primus Rex Anglorum Christianus Edilberthus ex hac vita transiret; de quo ista Beda [b]: Anno ab incarnatione Dominica sexcentesimo decimotertio (qui est annus vigesimusprimus ex quo Augustinus Episcopus cum socijs ad prædicandum genti Anglorum missus est) Edilberthus Rex Cantuariorum post regnum B temporale, quod quinquaginta & sex annis glorioſissime tenuerat, æterna cælestis regni gaudia subijt: qui tertius quidem in Regibus gentis Anglorum cunctis Australibus eorum prouincijs, quæ Humbro fluuio & contiguis ei terminis sequestrantur a Borealibus, imperauit; sed primus omnium cæli regna conscendit.] & inferius: Defunctus vero est Rex Edilberthus die vigesimaquarta mensis Februarij post viginti & vnum annos acceptæ fidei, atque in porticu sancti Martini intra ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli sepultus, vbi & Bertha Regina *coniunx* condita est. Qui inter cetera bona, quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta illi iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum consilio sapientium constituit: quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur & obseruantur ab ea. In quibus primitus posuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiæ, vel Episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret: vo- C lens scilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam susceperat, præstare.] Vides quod fundamentum posuit, dum ad stabiliendum perpetuo regnum animum semel addixit? Subdit vero Beda de persecutione facta sub eiusdem Regis successore:

b Beda histor. Angl. lib. 2. c. 5.

EDILBERTHI ANGL. REGIS OBITVS.

At vero post mortem Edilberthi cũ filius eius Eadualdus regni gubernacula suscepisset, magno tenellis adhuc ibi Ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solum Christi fidem recipere noluerat, sed & fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter Gentes auditam Apostolus testatur, ita vt vxorem patris haberet. Quo vtroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum reuertendi ijs, qui sub imperio sui parentis, vel fauore, vel timore regio, fidei & castimoniæ iura susceperant. Nec supernæ flagella districtionis perfido Regi castigando vel corrigendo defuere: nam crebra mentis vesania & spiritus immundi inuasione premebatur. Auxit autem procellam huiusmodi perturbationis etiam D mors Saberethi Regis Orientalium Saxonum: qui vbi regna perennia petens, tres filios suos, qui Pagani perdurauerant, regni temporalis heredes reliquit, cœperunt illi mox idololatriæ, quam viuente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palam seruire, subiectisq. populis idola colendi liberam dare licentiam.

ECCL. ANGLICANA PERSECVTIONEM PATITVR.

Cumq. viderent Pontificem celebratis in ecclesia Missarum solemnijs Eucharistiam populo dare: dicebant (vt vulgo fertur) ad eum, barbara inflante stultitia: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Saba (sic namque eum appellare consueuerant) dabas, & populo adhuc in ecclesia dare non desistis? Quibus ille respondebat: Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes. Sin autem lauacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi: Nolumus, inquiunt, fontem illum intra- E re, quia nec illo opus nos habere nouimus: sed tamen pane illo refici volumus.

Cumq. diligenter ac sæpe ab illo essent admoniti, nequaquam fieri posse vt absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicet: ad vltimum furore commoti aiebant: Si non vis assentire nobis in tam facili causa quam petimus, non poteris iam in nostra prouincia demorari. Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire iusserunt. Qui expulsus inde, venit Cantium, tractaturus cum Laurentio & Iusto coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumq. est communi consilio, quia satius esset, vt omnes in patriam redeuntes, libera ibi mente Domino deseruirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primo Mellitus ac Iustus, atque ad partes Galliæ secessere, ibi rerum finem expectare disponentes. Sed non multo tempore Reges, qui præconem a se veritatis expulerant, dæmoniacis cultibus impune seruiebant: nam egressi contra gentem Genuissorum in prœlium, omnes pariter cum sua militia

REGES IMPII EXPELLVNT EPISCOPVM.

MELLITVS ET IVSTVS DISCEDVNT EX ANGLIA.

corrue-

corruerunt: nec sic (licet auctoribus perditis) excitatum ad scelera vulgus potuit corrigi, A atque ad simplicitatem fidei & charitatis, quæ est in Christo, reuocari.] hæc de discessione Episcoporum Beda: quomodo autem diuino monitu sint reuocati, sequenti anno, quo contigit, dicturi sumus.

IESV CHRISTI ANNVS 614. BONIFACII PAP. IV. ANNVS vltimus. HERACLII IMP. ANNVS 5.

BONIFACII PAPAE OBITVS.

DEVSDEDIT PAPA CREATVS.

DEcimoquarto supra sexcentesimum anno Redemptoris nostri, Indictione secunda, vltima Maij (licet aliqui habeant, vigesimaquinta eiusdem mensis) Bonifacius Papa Quartus eius nominis moritur, cum sedisset annos sex, menses octo, ac dies trede- B cim, atque ordinationibus duabus creasset diaconos octo, & Episcopos per diuersa loca vigintiquinque: sepultusq. est in basilica S. Petri. Cumq. post obitū vacasset sedes menses quinque & dies duodecim, Deusdedit Romanus, filius Stephani, ex subdiacono creatur Romanus Pontifex decimatertia die Nouembris. Hæc ex Anastasio. Vt autem subdiaconus Romanus Pontifex crearetur, nunc primum accidit absque maiorum exemplo: vt plane in clero magnas fluctuationes concitatas esse, sit argumento. Sed vt, omissis alijs, Deusdedit eligeretur, egregia eius id sanctitas præstitit, qua mirifice inter tot tenebras illustratus emicuit.

Quo pariter anno Ecclesia Anglicana collapsa resurgit, & maioribus in dies incrementis augetur ac stabilitur. Siquidem Rex Adelualdus filius Edilberthi præter spem omnem Christianus effectus, Episcopos qui in Galliam fugerant, Mellitum & Iustum reuocauit C post annum in Angliam. Quomodo autem hæc adeo inexpectata a Deo concessa fuerint, a Beda sic narrantur [a]: Cum vero Laurentius Mellitum, Iustumq. secuturus, ac Britanniam esset relicturus, iussit ipsa sibi nocte in ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli, de qua frequenter iam diximus, stratum parari. In quo cum post multas preces ac lacrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset, atque obdormisset: apparuit ei beatissimus Apostolorum Princeps, & multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, sciscitabatur Apostolica districtione, quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oues Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Christi, quos mihi in iudicium suæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis ab infidelibus & D inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli? His beati Petri flagellis simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto, venit ad Regem, & retecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus, ei ostendit. Qui multum miratus, & inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere: vt audiuit, quia causa suæ salutis Episcopus ab Apostolo Christi tanta esset tormenta plagasq. perpessus, extimuit multum, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, & baptizatus, Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consulere & fauere curauit.

[a] Beda lib. 2. cap. 6.

LAVRENTII EPISC. CORREPTIO, ET ADELVALDI REGIS CONVERSIO.

Misit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitum & Iustum, eosq. ad suas Ecclesias libere instituendas redire præcepit. Qui post annū ex quo abierant, reuersi sunt. Et Iustus quidē ad ciuitatem Rhofi, cui præfuerat, redijt: Mellitum vero Londonienses Episcopum E recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis seruire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quanta patri ipsius regni potestas, vt etiam nolentibus ac contradicentibus Paganis, Antistitem suæ posset Ecclesiæ reddere. Verumtamen ipse cum sua gente, ex quo ad Dominum conuersus est, diuinis se studuit mancipare præceptis. Denique & in monasterio beatissimi Apostolorum Principis ecclesiam sanctæ Dei genitricis fecit, quam consecrauit Archiepiscopus Mellitus.] hæc Beda.

REVOCANTVR IN ANGLIAM EPISCOPI.

Sed de Britannia in Gallias transeat oratio, narratura terribile Dei iudicium aduersus improbum Regem Theodoricum, & nefariā Brunichildem Reginam eius auiam, qui post alia peccata deformia (vt vidimus) addiderunt vt bellum excitarint aduersus Dei seruos: nam postquam S. Desiderium Episcopum Viennensem occidendū curarunt, & S. Columbanum e suo regno longius expulerunt, aliud etiam nefandum sacrilegium his additum est

ab

A ab impia femina: etenim virum sanctissimum necandum iussit Delfinum Episcopum Lugdunensem, vt Beda testatur [a], qui dum agit de Vuilfridi in Vrbem peregrinatione, hæc ait: Cum mensis aliquot in studijs occupatus felicibus exegisset, redijt ad Delfinum in Galliam, & tres annos apud ipsum commoratus, attonsus est ab eo, & in tanto habitus amore, vt heredem sibi illum facere cogitaret: sed ne hoc fieri posset, Antistes crudeli morte peremptus est, & Vuilfridus ad suæ potius, hoc est, Anglorum gentis Episcopatum reseruatus. Nam Brunichilda Regina, missis militibus, Episcopum iussit interfici: quem ad locum quidem, in quo decollandus erat, secutus est Vuilfridus clericus illius, desiderans cum eo (tametsi ipso multum prohibente) pariter occumbere. Sed hunc vbi peregrinum atque oriundum de natione Anglorum cognouere carnifices, pepercere illi, neque eum trucidare cum suo voluere Pontifice.] hæc Beda. Risimus autem
B recentiorem auctorem, qui conatus est eamdem Brunichildem excusare, Aethiopem lauans, quæ ab omnibus historicis huius temporis sacrilega, sanguinaria, & vbique nefaria conclamatur: neque enim Gregorij laudes crimina postea commissa purgant. Iam vero vbi completa est iniquitas eius, adfuit tempus vt eiusdem S. Columbani sæpius repetitum vaticinium impleretur, quo prædixerat fore vt intra triennij temporis spatium Clotharius totius Galliæ regno potiretur.

[a] Beda lib. 5. cap. 20.

DELFINVS EPISC. LVGD. OCCIDITVR.

Iam accepisti anno superiori, bello victum a fratre Theodorico Theodobertum e medio internecione esse sublatum anno regni sui decimoseptimo, quem superiorem annum fuisse, ex ipsius regni exordio satis exacte superius est demonstratum: cum vero vno amplius anno Theodoricum regnasse maiores tradant, vtique hoc anno ipsum finem imposuisse regnandi, dicere opus est. Quem quidem fulmine ictum interijsse, Ionas [b] Abbas
C sui temporis historiam scribens testari videtur: veneno autem necatum dolo Brunichildis auiæ ob inimicitias post obitum Theodoberti ortas, testatur Aimoinus [c], refertq. aliorum sententiam dicentium eum ex hac vita ereptum dysenteriæ morbo, decimooctauo regni sui anno. Sed accipe quæ Ionas de eius interitu habet, & addit de vindicta Clotharij in Brunichildem diuini iudicij seueritate vibrata. Vbi enim de Theodoberti obitu egit, ista mox subdit: Porro Theodoricus penes Metense morans oppidum, diuinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est. Post quem Brunichildis filium eius Sigebertum in regnum suffecit.]

THEODORICI REGIS FRANCORVM INTERITVS.

[b] Ion. in Columban. c. 28.

[c] Aimoin. lib. 3. c. 100.

Antequam autem reliqua prosequamur, non prætereamus de hoc Sigeberto filio Theodorici in Regem prouecto egregium facinus, quod hoc tempore, ipso exordio eiusdem regni accidit: scribit id Vualfridus Strabo magni nominis suæ ætatis auctor in re-
D bus gestis S. Galli Abbatis de virgine eiusdem Regis sponsa, Fridiburga nomine, a S. Gallo a dæmone liberata, & Deo dicata, dignum quidem memoria exemplum, quod intexatur Annalibus. Vbi enim de virgine ornata narrationem absoluit, hæc auctor [d]: Non multis euolutis diebus, volens Rex idē puellam suis thalamis sociare, celebri edicto sacerdotum & principum suorum senatum nuptiarum præcepit adesse solemnijs. Cumq. stipatus agmine procerum, introisset vbi ipsa manebat, dixit illi: Ascendamus in palatium: nam nuptiæ paratæ sunt, sacerdotes & capita populorum cum benedictionibus congruis aduenerunt. Quibus illa auditis, cecidit ad pedes eius, dicens: Mi domine, quia præterita passio suo me pondere tabefecit, vires absorbuit valetudo contraria, & membrorum officia ægritudine sunt resoluta: da mihi vel septem dierum inducias, vt aliquatenus virium detrimenta recuperem, & sic tuis possim applicari conspectibus. Quam petitionem dum
E Rex pie susciperet, ad palatium remeauit.

[d] Apud Sur. 16. Octob. c. 21.

FRIDIBVRGAE VIRGINIS DIGNVM FACINVS.

Transactis interea septem diebus, circa matutinum officium, puella cum duobus viris totidemq. puellis ecclesiam beati Stephani protomartyris introiuit, & secedens post ianuas templi, exuit se vestimentis regalibus, & habitum propositi sanctioris assumpsit, nescientibus hoc viris qui pariter cum illa aduenerunt. Deposito ergo terrenæ dignitatis amictu, sanctimoniæ nitorem cum quodam sui secuta contemptu, accessit ad altare, & in faciem proruens, Dominum studiosius adorauit: ac deinde cum se erigeret, cornu comprehendit altaris, & huiusce modi voces emisit: Beate Stephane, qui sanguine tuo testimonium Christo perhibuisti, deprecationem meam tuis meritis Domino commendato, vt tua intercessione hodie cor domini mei Regis conuertat secundum voluntatem meam, ne valamen, quod amore Dei suscepi, auferat de capite meo.

AD SACRVM ASYLVM FRIDIBVRGA CONFVGIT.

Viri ergo qui erant cum illa, hæc videntes, venerunt ad Regem, & nunciauerunt ei

quæ facta fuerant. Et ille aduocans sacerdotes & quosdam principes suos, cœpit inqui- A
rere ab eis, quid super hac re faciendum censerent. Cyprianus Arelatensis Regi respon-
dit: Quia (vt liquido claret) puella hæc, cum a dæmonio erueretur, hoc se voto, quod
perfecisse videtur, constrinxit: cauendum tibi est, ne forte, si irritum feceris votum
eius, rediuiuo dæmonum comprimatur incursu, & sint illi nouissima peiora prioribus,
tu vero tanti criminis reatum incurras. Rex ergo iustitiæ tenax, & timore Domini ple-
nus, huic consilio deuotæ mentis pandit assensum: & ingressus ecclesiam, fecit afferri ve-
stem nuptijs præparatam, & coronam sponsæ nitoribus imponendam. His allatis, dum
puellam ad se iussisset accedere: sponsa Dei iam Agni comitatibus hærens, auelli non po-
tuit ab altari; quia se timebat de ecclesia protrahendam.

Cumq. instantius aræ cornibus inhæreret, Rex eam, ne timeret, admonuit: Hodie, B
inquiens, per omnia tuæ voluntatis videbis effectum. Porro illa inter spem & metum po-
sita, caput super altare reclinans: Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum vo-
luntatem eius. Rex vero iussit sacerdotibus, vt eleuarent eam, & ad se perducerent.
Quo facto, induta est, illo iubente, veste regali, & sacro velamine coronata. Intuitus
autem eam Rex religiosus, dixit illi: Ecce meis te nuptijs præparatam, sponsi cælestis,
Domini nostri videlicet Iesu Christi cedo complexibus. Et dexteram eius comprehen-
dens, posuit in altari: deinde ecclesiæ limen excedens, lacrymis absconditū patefecit amo-
rem. Post hæc vocauit eam, & iuxta se fecit in palatio residere, & donis ingentibus hono-
ratam, præfecit monasterio ancillarum Dei, quod in honore B. Petri principis Apostolo-
rum constructum est in Metensium ciuitate, vbi gesta sunt vniuersa quæ proxima narratio-
ne retulimus. In his autem omnibus perficiendis secuta est puella consilium beatissimi
Galli, qui eam, Domino auxiliante, a dæmonio liberauit.] hactenus de Fridiburga filia C
Gunzonis Ducis, sponsa vero Sigeberti Regis. In quo glorioso facinore non minus eluxit
pietas Regis, cum religionem suis censuit affectibus præponendam, quam virginis de con-
temptis regalibus nuptijs ingens animi fortitudo.

Sed obfuit pio Regi auia Brunichildis, a qua post Theodorici patris obitum euectus
fuerat in Regem: quotquot enim aduersus Brunichildem odium conceperant, in Sige-
bertum illud penitus conuertebant. Obfuit & detestabilis vita parentis, vt diuinitus im-
missa vindicta omnes filios eius secundum sancti Columbani oraculum cito pertigerit. de
his enim Ionas ista habet [a]: Itaque Clotharius memor prophetiæ viri Dei, collecto
exercitu, fines regni, qui suæ ditioni debebantur, conatur accipere. Contra quem Si-
gebertus cum hostium cuneis pugnaturus aduenit. Quem Clotharius captum perimit,
fratresq. eius quinque Theodorici filios cum auia Brunichilde cœpit: pueros separatim D
peremit: Brunichildem vero primo ignobiliter camelo impositam, hostibus gyrando
monstrauit; postq. indomitorum equorum caudis irretitam miserabiliter vita priua-
uit. Funditus ergo radicitusq. deleta Theodorici stirpe, Clotharius potitus est trium
regnorum solus monarchia. Quo facto beati Columbani prophetia in omnibus impleta
est.] hæc Ionas: eadem pluribus Aimoinus & alij recensentes cuncta feminæ improbæ sce-
lera, quam non duorum, sed vnius indomiti equi caudæ alligatam tradunt, ficq. miseran-
do modo raptatam mori calcibus equi coactam. hæc quidem Rex, vt clamanti in eam po-
pulo satisfaceret. Ait enim Aimoinus [b]:

Acclamantibus cunctis, *postquam camelo imposita est circumducta*, inauditis eam
debere subijci pœnis, iubet immitem exhiberi equum, crinesq. miserrimæ Reginæ
cum brachijs caudæ eius colligari, ac demum ad cursum concitari. Sicq. primo impe- E
tu currentis equi calcibus cerebrum dispersum, reliqua vero membra per aspera quæ-
que sentibus rupibusve protracta loca dissipata sunt.] hunc consecuta est finem femi-
na suorum propinquorum cædibus per multa annorum spatia exatiata: decem namque
Reges eius opera & consilio fuisse extinctos, Clotharius numerauit. Porro tanta istius
scelera tolerauit Deus, vsquedum in seruos suos non est furens femina debacchata. Has
ipsa messuit fruges ex mundanæ prudentiæ semine, quæ nihil non tentauit facinoris, vt
regnaret, possetq. mori Regina: talemq. triumphum meruit ex cæde multiplici con-
iunctorum, ac tali morte obire diem illa, quæ Dei seruos hostiliter est persecuta.

Sic igitur Brunichilde vna cum spuria prole Regum e medio sublata, Clotharius so-
lus monarchiam totius Galliæ (secundum quod sanctus Columbanus prædixerat) est
consecutus: memorq. viri sanctissimi vaticinij, legationem ad eum satis dignam mittit

per

[a] *Ion. in vit. S. Columbani c. 28.*

BRVNICHILDIS ET FILIORVM THEODORICI INTERITVS.

[b] *Aimoin. lib. 4. c. 1.*

CLOTHARIVS SOLVS REGNAT IN GALLIA.

A per Eustathium præfectum Luxouiensis monasterij eius discipulum vna cum collegis nobilibus monachis, vt rogarent ipsum remeare in Gallias ad locum ex quo eiectus fuerat, Obijt diligenter munus susceptum legationis Eustathius: verum persuadere id minime potuit Columbano, vtpote qui probe sciret iam imminere sui corporis dissolutionem; præstitit autem illud, vt paræneticas ad Regem litteras daret, easdemq. commonitorias, quibus eum intra limites bene institutæ vitæ contineret: quas Rex pius gratissime accepit, & ex earum præscripto vitam moresq. composuit. Habet hæc omnia Ionas in fine rerum gestarum eiusdem Columbani. De eodem Clothario Rege illud quidem habetur expressum, fuisse studiosissimum seruorum Dei, qui sciret eorumdem cultu conciliare sibi pariter Deum. Inter alios autem sanctissimos viros, qui diebus his florebant in Gallijs, fuit Arnolphus Metensis Episcopus vitæ moribus & miraculis clarus: hunc sibi adhibuerat
B in consilijs Rex Theodobertus: quomodo autem & Clotharius eius vsus est opera, dicemus anno sequenti.

PROFICIT CLOTHAR. MONITIS COLVMBANI.

Inhærebat præterea lateri Regis Faro nobilis vir & prudentissimus, qui postea creatus Episcopus Meldensis egregia claruit sanctitate, in cuius rebus gestis fideliter scriptis mentio habetur de legatione contumelioſa a Saxonibus ad Clotharium missa hoc ipso anno, nempe monarchiæ ipsius exordio, cuius causa ipsi legati subijssent supplicium mortis, nisi Faro intercessisset. Res gesta ita narratur[a]: Non desunt qui scribant, missos tum
C ad Clotharium Regem (*cum susceperit Francorum monarchiam*) a Saxonum gente legatos, eosq. verbis iniuriosis vsos, vsque adeo Clotharij animum exacerbasse, vt iusserit eos confestim interfici, ira præcipite eum extimulante. Et quamuis proceres eum a tali facinore dehortarentur, dicerentque, si legatis quamuis inimicæ gentis eam vim afferat, eum ius gentium violaturum, & contra ipsas quoque Francorum leges venturum: nihil tamen apud iratum Regem efficere potuisse, quod ruptis moderationis habenis, sanum consilium non admitteret. Tum vero magna vsum prudentia Faronem, dixisse, vt fieret quod Rex mandasset, sed ita tamen vt in posterum diem legatorum cædes differretur. Eam sententiam omnium sedisse animis, legatos ea nocte a milite custoditos: ad eos autem accessisse Faronem, & tantum suis apud eos sermonibus effecisse, vt Christiana religione voluerint initiari. Atque id cum ille Regi & aulicis indicasset, non solum vita donatos, sed etiam muneribus affectos ad suos cum gaudio reuertisse.] hæc de legatis. De ipso autem Farone, quomodo sæculo atque curiæ nuncium remiserit, ita idem prosequitur auctor:

[a] *Apud Sur. die 28. Octobr.*

COHIBET IRAM REGIS FARO.

Interea autem cum apud Clotharium Regem multa præclare gereret, sororem Fa-
D ram virginem sanctissimam cognouit magno ipsius videndi desiderio teneri. Accessit igitur ad eam, & in tantum familiari eius colloquio sapientiq. sermone permotus est, vt amplissimos palatij honores, Regisq. singularem amicitiam sibi negligendam putarit, ipsiusq. coniugij oblectamenta, adhuc vigente iuuentutis flore, respuerit, & consentiente vxore Blidechilde, Ecclesiastico ordini se adiunxerit, ecclesiam beati Stephani Meldensis, quæ tum magna premebatur paupertate, multis villarum opibus ditarit, sanctæ quoque Faræ cœnobium magnifice sublimarit, & non ciues modo, sed etiam peregrinos & exules suis facultatibus sustentarit. Crescente autem fama sanctitatis eius, gens Anglorum magno eius amore incensa, puellas virgines mittebat, quæ eius opera in monasterijs Faræ, & alio quodam, Christo militarent.] testatur id quidem etiam Beda[b], qui & meminit de Farone Meldensi Episcopo hospite Hadriani, qui a Vitaliano Papa in
E Angliam missus[c] fuit, fitq. mentio eiusdem in Actis S. Eustasij Abbatis Luxouiensis, vbi & plura de sorore eius Burgundofora, eadem cum Fara, quasi Burgunda Fara. Sed de his modo satis.

DE S. FARA ABBATISSA.

[b] *Beda lib. 4. c. 23.*

[c] *Beda lib. 4. c. 2.*

Iam vero qui auditur ab Oriente luctus, & quæ Hierosolymis clamat vox sanguinis, in se stylum conuertit. Hoc siquidem anno quinto Heraclij Imperatoris a Cosrhoe Persarum Rege Syrias cum exercitu deuastante sacrosancta Hierosolymitana ciuitas capitur, & qui in ea erant Christiani captiui misere ducti sunt, Iudæisq. vili pretio venumdati, qui ab ipsis non more gentium in seruitute retenti sunt, sed diuersis innumerisq. afflicti supplicis dire admodum trucidati. Luctuosa quidem historia, lugubrisq. tragœdia, quæ tamen quam breuissime in Annalibus a Theophane ita reperitur esse descripta:

HIROSOLYMA CAPTA A PERSIS.

Anno quino Imperij Heraclij cœperunt Persæ Iordanem bello & Palæstinam & sanctam ciuitatem, & multos in ea per Iudæorum manus interfecerunt, id est (vt quidam aiunt)

millia nonaginta. Isti enim ementes Christianos, prout vnusquisque habere poterat, occidebant eos. Zachariam vero Hierosolymitanum Præsulem comprehensum, & pretiosa & viuifica ligna S. Crucis cum multa præda abduxerunt in Persidem.] hæc Annales, paucis his verbis dignam ingenti volumine historiã perstringentes: vt hoc doloris ad luctum accedat, quod dignam prolixa narratione tractationem nimia breuitate restrinxerint, & quodammodo præfocauerint, fortasse ne legentis animum nimio mærore conficerent. Sed contrarium sæpe accidit: etenim vberiores lacrymas elicit lacrymarum ipsa compressio, cum terminum dolor tandem inueniat, si liberæ ei semel relaxentur habenæ. A

IOANNES ELEEMOS. SVBVENIT HIEROSOLYMITANIS.

Si quæ autẽ in tanta vastitate inueniri potuit consolatio, subministrata est ea quidem à magno illo Alexandrino Patriarcha Ioanne, de quo scribit ista Leontius: Cum Persæ populati essent vniuersam Syriam; qui eorum manus potuerunt effugere, tum laici qui magistratum gerebant & priuati, tum clerici cũ Episcopis confugiunt Alexandriam. Quibus omnibus diues ille & minime angustus conuiuator quotidie suppeditabat quæ erant ad vsum necessaria, non ad indigentium aspiciens multitudinem, vt aliquid faceret quod esset sordidi & illiberalis animi, sed ad eum qui aperit manum, & omne animal implet benedictione. Cum autem Rasmizsus dux exercitus Cosrhoe vastasset & depopulatus esset veneranda loca Hierosolymorum: postquam hoc audiuit ille homo Dei, & quod omnia sancta fuissent igni tradita, defiet quidem non secus ac Hieremias, id quod factum fuerat. Non hactenus autem constitit eius commiseratio, sed mittit etiam Chrysippum quemdam virum pium, tradens ei multum auri, frumentumq. & alia alimenta & indumenta, & ad ea vehenda iumenta plurima, tum vt aspiceret vastitatem, tum etiam vt eos qui remanserant ex captiuitate satis per ea quæ dicta fuerunt recrearet. Præterea autem Theodorum quoque Amathuntis Episcopum, & Anastasium Præfectum magni montis Antonij, & Gregorium Episcopum Rinocurorum emittit ad eos recipiendos, qui abducti fuerant in captiuitatem, vim auri præbens prope innumerabilem.] hæc Leontius obiter. B C

THRENI ANTIOCHI DE HIEROSOLYMA CAPTA.

Non defuit eiusmodi Hierosolymitano excidio, præter Ioannem Episcopum Alexandrinum, alius qui proxime cuncta vidit lamentator, & qui Threnos scripserit Hieremias, & ad lugendum pariter alios inuitarit. Fuit iste Antiochus monachus Palæstinus vitæ sanctitate mirificus & doctrina celebris, cuius extant homiliæ centum vndetriginta; qui sparsim eiusmodi cladem in suis homilijs deploraſſe apparet, vt cum ait [a]: Debemus lacrymas profundere amaritudinis plenas. Primum quidem, quod ciuitas sancta incendio conflagrarit, Crux quoque sancta Christi Dei nostri in Persidem transmigrarit. In eorum item gratiam qui tot attriti bellis perierunt: nobis enim erant concorpores, & eadem nobiscum insigniebantur fide. Ad quem modum Ioel propheta clamat [b]: Plangite sacerdotes qui ministratis altari, quia misere afflicta est omnis terra. Flete sacerdotes qui ministratis Domino, & dicite: Parce Domine populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eius nationes, vt ne dicant: Vbi est Deus eorum?] & rursum eadem lugendo refricat [c]. Insuper alibi his verbis [d]: Si quando alias, nunc maxime temporis, iuxta quod dictum est: Neque enim nunc vel obgannire licet, aut aperire os. Siquidem Domine seruis tuis, & ijs qui te colunt, confusio iusta est & illatum opprobrium. Tibi enim Deo nostro iustitia, nobis autem confusio vultus nostri (vt hæc probat dies) nobis, Principibus nostris, & Regibus nostris: quia peccauimus, inique egimus, & a rectitudine defleximus viæ tuæ, nec mandatis tuis obediuimus. Quæ enim prophetico afflatus spiritu futura præcinuit Hieremias, nunc temporis contigere. Is enim ait [e]: Confusi sumus, quia audiuimus opprobrium nostrum: operuit ignominia faciem nostram, quia ingressi sunt alienigenæ sanctuaria nostra in domum Domini, &c.] D E

a Antioch. hom. 107. tom. 2. Biblioth. san. Pat.

b Ioel. 2.

c Antioch. homil. 90.

d Antioch. homil. 69.

e Hierem. 31.

PRECES ANTIOCHI, SIVE EXOMOLOG.

Sed sicut & Hieremias ad Threnorum calcem preces apposuit fructuosas, eodem quoque modo sanctus Antiochus addidit orationem ad Deum conuersus, sermonem precatorium fundens, qui inscribitur Antiochi exomologesis, quæ ad homiliarum finem legitur in hunc modum: Domine Deus omnipotens, magnus tu & admirabilis, qui custodis testamentum tuum & misericordiam tuam his qui te diligunt & custodiunt mandata tua. Memor [f] esto miserationum tuarum & copiosæ misericordiæ tuæ, quæ a sæculo sunt. Ne obliuiscaris testamenti tui, qui dixisti [g]: Si mandata mea non custodieritis, visitabo in virga iniquitates vestras, & in verberibus iniustitias vestras, misericordiam autem meam non dispergam a vobis; & quæ procedunt per labia mea non faciam irrita. Confirmen-

f Psal. 24.

g Psal. 88.

tur

A tur sermones isti tui, Here benignissime, & aufer peccata nostra, quippe qui miserator es & longanimis. Tibi enim Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio facies nostras adoperuit (vt hæc dies probat) quia peccauimus coram te Domine, neque exaudiuimus vocem tuam, vt ambularemus in mandatis tuis quæ dedisti in conspectu nostro; sed contempsimus te, Domine Deus noster: eoq. cohæserunt nobis ingentia mala hæc. Ne sic quidem conuersi sumus ad custodiam mandatorum tuorum, sed abiuimus vnusquisque in sensum prauui cordis nostri, vt faceremus quæ mala sunt coram oculis tuis Domine. Ecce sanctuaria nostra hæc deserta: ciuitas igni succensa est, populus in captiuitatē abductus. Facti sumus in opprobrium his qui in circuitu nostro sunt. Facti sumus subtus & non supra: quia peccauimus tibi Domino Deo nostro, eo quod non audiuimus vocem tuam. Ob hoc expulisti nos, & destruxisti nos, & commouisti terram, &
B conturbasti eam. Ceterum tu longanimis cum sis & copiosæ misericordiæ, sana contritiones eius, quia commota est vehementer: populus enim tuus expertus est dura, super quo frustra inuocatum est nomen tuum. Impleti sunt sermones prophetarum tuorum super nos: Quia venerunt [a] gentes in hereditatem tuam, & polluerunt templum tuum, in quo mysterium perfectum est dispensationis vnigeniti tui: & sanctuarium tuum igni succenderunt, quin & Hierusalem posuerunt in pomorum custodiam: morticinia seruorum tuorum in medio iuxta ac in circuitu Hierusalem passim disiecta sunt, nec erat qui sepeliret. [a] Psal. 78.

Fortitudinem nostram, ornamentum ac decus, salutis inquam nostræ spem, nempe Crucem Christi tradidisti fidei aduersarijs. Facti sumus opprobrium tam vicinis, quam qui longissime dissiti sunt, subsannatio & derisio omnibus gentibus. Auertisti enim nos
C retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos, diripiebant sibi. Dedisti nos tamquam oues ad escam expositas, & inter gentes dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, & non erat multitudo in commutationibus nostris. Tradidisti nos in manus inimicorum exlegum, ac Regi iniquo, omniumq. qui per vniuersam terram gradiuntur longe malignissimo addixisti nos. Ne sic quidem vniuersis flagellis tuis attriti indoluimus: adeo sensus nostri nimia contentione ac studio in malum propendent ab vsque pueritia, sed & ad annos prouecti viriles in huiusmodi vitijs solito amplius occallescimus. Prorsus Domine iustus tu in omnibus quæ fecisti nobis: nunc demum scimus, quia peccata nostra ipsa restiterunt nobis: peccata enim nostra nimis quam multa increuerunt in conspectu tuo Domine. Sed misericordia tua Domine anticipet nos, quia tu in nobis Domine, & nomen tuum sanctum inuocatum est super nos. OPPROBRIVM DELET CHRISTIANORVM.

D Quiescat, obsecro, ira furoris tui, & ne confundas nos in finem, neque memineris iniquitatum nostrarum antiquarum & ne a nobis quidem recens commissarum: neu indignos nos pronuncies tuis miserationibus: quin potius reminiscere quia tanti nos æstimauit tua benignitas, quos pretioso tuo sanguine redimeres. Peccauimus, placare Domine: inique gessimus; tua, Here, condonet indulgentia: offendimus, conciliator sancte. Illustra faciem tuam Domine super seruos tuos, qui tyrannica impressione premuntur inclementer: eq. solio sublimi tuo mitte eis & suggere auxilium, o potens. Populum tuum ab omni calamitate, cui misere succumbit, eripe, & ab omni legis tuæ præuaricatione redimito, & e manu præuaricatorum subduc illos. Per tuæ viscera pietatis excute a nobis Domine ac disperge impendens omne vitæ discrimen: neque in finē tuam hanc hereditatem tradideris in internecionem, tametsi nostræ iniquitates id promereantur. Quin potius
E tuæ nos anticipent miserationes Domine Deus noster: etenim a sæculo non desinis copiosæ & exuberantis misericordiæ tuæ dona effundere in omnem creaturam tuam. Tu quidem omnium nostrum refugium factus es, & in te sperantium asylum salutare. Esto nobis Domine turris fortitudinis a facie inimicorum nostrorum, neu sinas ad internecionem & cladem extremam tradi in eorum manus qui te non nouerunt, animas confitentium tibi: neque patiaris Domine tam insigni ignominia aspergi hereditatem tuam a gente sic effreni & impudenti.

Magis tu inclina Domine aurem tuam & exaudi, ac respice de cælo sancto tuo ad hanc nostrā exinanitionem, ac demolitionē & excidium ciuitatis tuæ Hierusalē, pro qua inuocatum est nomen tuum super ipsam cunctam Ecclesiā tuam, cuius substructionē supra solidam petrā collocasti, dicens: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Exaudi Domine orationem seruorū tuorum, aureisq. tuas accommoda nostris deprecationibus. Illustra faciem

tuam ſuper ſanctuarium tuũ:neque enim fiducia ſubnixi iuſtificationum noſtrarũ,noſtram A
hanc ſupplicationem tuæ maieſtati offerimus.Nam qua fronte id auſint, qui te quotidia-
na acceſſione peccatorum exacerbant ? Magis vero ſub vmbram tuarum confugimus
miſerationum : multæ ſunt enim . Domine exaudi : Eſto Domine placabilis : Domine at-
tende . Parce, mi Domine, populo tuo,& ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt do-
minentur ei gentes : ne quando dicant : Vbi eſt Deus eorum ? Neque propter iniquitates
noſtras vmquam permiſeris , vt nomen tuum ſanctum blaſphemetur in gentibus quæ te
non nouerunt . Tibi Domino Deo noſtro iuſtitia , nobis autem confuſio faciei vſque in
præſens. Huc enim vſque negleximus ad te conuerti : calloſæ adeo ſumus ac præduræ cer-
uicis . Si mutabit Aethiops pellem ſuam , & nos vitæ hactenus peſſime inſtitutæ propoſi-
tum immutabimus . Plane mala hæc omnia in nos propterea reciderunt ; neque ſic ad
pœnitentiæ portum nos recepimus , aut reſipuimus , magis vero prioribus peccatis pecca- B
ta adiecimus . Ne ſic quidem Domine rogauimus faciem tuam, vt vel ſero auocares nos a
cogitationibus cordis noſtri peſſimi .

Euigilaſti tandem Domine , experrectus ſuper flagitijs noſtris , & ſuper nos induxiſti
virgam furoris tui : ſiquidem iuſtus es Domine in omnibus : non enim exaudiuimus vo-
cem tuam , vt per viam mandatorum tuorum ingrederemur . Sed & nunc Domine Deus
noſter,quandoquidẽ in ſignis & portentis ab inſano errore idololatriæ ſummouiſti nos,fe-
ciſtiq. tibi ipſi nomen vſque in præſens : quieſce, obſecro Domine . Imminuti enim ſumus
ſuper terram , & tamquam immundi omnes nos effecti . Quaſi pannus mulieris menſtrua-
tæ iuſtitia noſtra , inq. morem marceſcentium foliorum ipſi defluximus propter iniquita-
tes noſtras . Non enim ſupereſt qui inuocet nomen tuum . Sane quam iuſte auertiſti a no-
bis faciem tuam . Et nunc, Domine, Pater noſter tu es , nos autem lutum , opera manuum C
tuarum omnes nos . Ne iraſcaris nobis valde , neve in tempore memineris peccatorum
noſtrorum : quin potius vide Domine , quia populus tuus omnes nos .

Ciuitas ſancti tẽpli tui in ſolitudinem redacta eſt, & gloria Sion incendio conflagrauit,
ſimulq. monumenta gloriæ noſtræ vniuerſa conciderunt.Ad hæc etiam omnia,alliſiſti nos
Domine valide,& humiliaſti vehementer . Neque enim viam iniuimus vitæ melioris, ma-
gis autem per calles deuios,nempe poſt peccata noſtra . Parce Domine populo tuo & he-
reditati tuæ , proq. gloria nominis tui erue nos de manu inimicorum noſtrorum : vt noue-
rit terra omnis, quia tu Domine Deus noſter in bello potens , & miſerationes tuæ in gene-
rationẽ & generationem perſeuerant ſuper populum tuum de ſe alioqui minus præſumen-
tem . Ceterum, o hominum amator clementiſſime , quid te oremus peccatores , aut ap- D
precemur nobis ſecundum quod oportet , plane neſcimus , qui ſumus terra & cinis: ha-
bemus tamen apud tuam benignitatem qui pro nobis interpellet , nempe Verbum tuum
nulla prorſus aſpergine peccati decoloratum , quod per tuæ viſcera miſericordiæ miſiſti,
ſuũ vt plaſma reuocaret in vitam.Caro factus Filius idem tuus noſtri cauſa paſſus eſt cruci
ſe affigi . Is aboleuit quod aduerſum nos erat chirographum peccatorum noſtrorum , fa-
ctus propitiatio . Sed & Spiritum ſanctum tuum totius ſanctitatis infuſorem miſit . Et hic
pro nobis quoque interpellat , non quidem ſeruili more , ſed prout tantam addecet maie-
ſtatem, & conſueta in nos benignitate ; cui etiam curæ eſt tuum hoc plaſma. Here mi, me-
mor eſto tantæ iſtius tuæ erga nos clementiæ .

Crucis etiamnum reminiſcere vnigeniti tui,& a magnitudine gloriæ tuæ nobis emitte
miſerationes tuas , neque non gratiam ac donum ſancti Spiritus tui , qui ſuo ad nos gra-
tioſo aduentu recta prouehat ad ea exempla , quæ tibi cum primis placent , ac demum vi- E
tam illam aſſequi promereamur æternam . Nos igitur , indigni licet , o Domine , fiducia
tamen ſubnixi tuæ ſolius gratiæ , petimus propter immaculatum Filium ac Verbum Patris
Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum , qui dixit [a]: Petite, & dabitur vobis : Quærite, & in-
uenietis : Pulſate,& aperietur vobis . Omnis enim qui petit accipit ; & qui quærit inue-
nit ; & pulſanti aperietur . Iterum : Si igitur vos cum ſitis mali, noſtis dona bona dare fi-
lijs veſtris:quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus ſe? Eoq.
te addecet gloria omnis , honor ſuſpiciendus , & ſupplex cultus , o Pater , Fili , & Spiritus
ſancte , nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.] hucuſque Antiochi cum peccato-
rum confeſſione precatio , nec quidem inutilis & inefficax .

a Matth. 7.

Etenim non (vt olim,cum tempore Sedeciæ Regis facta eſt Hieroſolymorum deſolatio)
ad ſeptuaginta annos retardata eſt eius reſtauratio , neque vt ſub Tito Imperatore facta

eſt

A est numquam resarcienda vastatio, sed paucos post annos contigit hostium præpotens debellatio, & captiuorum qui aderant, necnon sancti Episcopi Zachariæ & aliorum postliminio reuersio, atque sanctissimæ Crucis cum triumpho solemnis restitutio, ecclesiarumq. (vt suo loco dicturi sumus) integra restauratio.

Porro sciendum, preces has, aliasq. Antiochi homilias ita ab eo elaboratas esse hoc ipso tempore, vt suis prodesset monachis non valentibus loco vno consistere, sed ob eorumdem barbarorum grassationes huc atque illuc per loca deserta salutem sibi quærentibus: vt scilicet illi in tanta penuria verbi Dei, secum in pera sua ferrent quem manducarent panem spiritualem, ac ne exortes penitus essent monasticæ vitæ institutorum. Quod autem istud fuerit animi ipsius consiliũ, accipe ex ijs quæ ipse earum exordio est præfatus ad Eustathium [a], cuius exhortatione elaborandum opus susceperat: Tale enim, inquit, [a] *Antioch. hom. 66.*
B scribendi munus vestra susceptum exhortatione: quod momentis singulis loca & ciuitates permutare cogimur per hanc Chaldaicæ gentis tempestatem, quæ totum pene terrarum orbem sua premit tyrannide.] & paulo post: Non ausus vni vobis peculiariter, sed in commune omnibus qualemcumque hanc inferre doctrinam.] hæc & alia de concionibus quas temporibus ijs ipse pertexuit. Sed & in epistola nuncupatoria præfixa operi hæc felicius explicantur, simulq. & martyrij sanctorum monachorũ, quod octo ante dies quam caperetur Hierosolymorum ciuitas contigerat, enarratio. Quod autem ipsum exordium minus integrum habeatur in Antiocho Latinitate donato & in lucem edito, cum desint nonnulla ipsius epistolæ ad Eustathium: id tibi ex Vaticano codice integro reddere integrum, operæpretium me facturum existimo: sic enim se habet ex versione Federici Metij vsu litterarum amicitia mihi coniunctissimi, præfixo epistolæ eiusmodi titulo:

C Epistola Antiochi monachi Lauræ Sabæ Abbatis ad Eustathium præpositum monasterio Datalenæ Ancyræ ciuitatis Galatiæ.] his adiectum a glossario: *Lauram neoterici Græci insignia dicunt monasteria pro magna hominum copia, quæ deuotionis ergo instar multarum aquarum confluunt.*

Cum ad me scripseris, Eustathi pater venerande, te magna affici molestia, dum e loco ad locum & e regione in regionem migrare cogeris metu vigentis Chaldæorum calamitatis, fame etiam & siti laborare non panis & aquæ, sed iuxta Euangelicum * dictum, verbi Dei, cum neque libros circumferre possitis, neque ita facile in locis in quibus exulatis, quæ vultis, inuenire valeatis: cumq. meæ præceperis humilitati, vt epitomen aliquam diuinarum Scripturarum ad te mitterem, quæ neque circumferendo grauis esset præ magnitudine, neque sui tenuitate in ea aliquid eorum quæ ad vtilitatem & salutem
D animæ faciunt, desideraretur: Obtemperaui libenter tuis mandatis, & quamprimum quod petis faciundum curaui. E sacra igitur Scriptura centum quinquaginta excerpsi capita iuncta quidem simul, inuicem tamen ita disiuncta, vt qui ea legerit, nulla confusione trahatur. Et hæc tuæ misi pietati: quæ cum acceperis, Deo, quam par est, gloriam & gratiarum actionem reddas, qui suam virtutem imbecillis impertitur, vt in infirmitate perficiantur. Tu vero contra tuis Deo gratis precibus nos foueas, vt quod reliquum est nobis vitæ tempus iuxta Dei voluntatem peragere possimus. Si vero aliquid (vt facile fieri potuit) imperfectum offenderis, ignoscas (quæso te) meæ tenuitati, tum etiam temporis angustiæ tribuas, qua tuis mandatis volui obtemperare.

EPISTOLA ANTIOCHI AD EVSTATHIVM.
* Propheticum

Quoniam vero illud præterea scripsisti, vt tibi aliquid diceremus de sanctis patribus nostræ Lauræ, an vera sint quæ a nonnullis audisse dicis de eorum videlicet vita & nece,
E cum vix illa credi possint, & sensum omnem superent: necessarium propterea duxi, breuibus tibi prius aperire quæ ad illos attinent, ea deinceps subijcere quæ diximus sacræ Scripturæ capitula. De laudabili vero vita eorum in præsentiarum agere, id temporis non postulat, nec mea lingua illa posset facile percurrere. Illud tantum dicam, quod re vera homines erant diuini (si homines tantum illos oporteat dicere potius quam Angelos, cum in exercitatione spirituali, & monastica vita, & laboribus quos pro pietate sustulerunt a iuuentute sua, insenuerint) senes quidem venerandi & canos capillos habebant, sed mente magis præstabant & humilitate, honesti, modesti, veridici, irreprehensibiles, iusti, pij, ab omni turpitudine & prauitate alieni, omnibus bonis exornati, & diuino repleti amore: nonnulli ipsorum centum excesserunt annos, & quinquagintasex in quieta & monastica vita cum peregissent, nec e Laura & monasterio vmquam recesserunt: nonnulli vero neque ad ecclesiam processerant, nec ciuitatem amplius viderant, ex quo vi-

DE MARTYRIBVS NECATIS A SARRACENIS.

tam

tam monasticam semel fuerant amplexati: varijs etiam virtutibus emicabant, terrestres A
scilicet Angeli, & cæleſtes homines. quapropter hunc finem sunt adepti, & victoriæ præmium sunt consecuti.

Cum enim Ismaelitæ ad nostrum accessissent monasterium, vna septimana antequam sancta ciuitas fuisset occupata, & vniuersa ecclesiæ sacra vasa iam diripuissent: plerique patres aufugerunt quamprimum: remanserunt autem in monasterio qui fortiores Christi fuerant serui, sacrum illum locum destituere nullo pacto volentes. Barbari vero cum illos comprehendissent, & multos dies illos inhumane tractassent & tormentis afflixissent, pecunias hoc pacto se inuenturos putantes, apud quos nihil huius sæculi reperiebatur.] hucusque sunt quæ desiderantur in codice ex quo Godefridus Tilmannus transtulit in Latinum & edidit, quæ ex Vaticano suppleuimus: reliqua autem quæ sequuntur, ex versione Tilmanni promuntur his verbis: B

SARRACENI FVRVNT IN SANCTOS MONACHOS.

Illi simulatque intellexerunt sua se tandem spe & proposito excidisse, in efferatissimam versi rabiem, ad vnum membratim beatos illos conciderunt. Qui & lætitia incredibili perfusi, ac proinde alacri vultu renidentes, omni cum actione gratiarum animas reddiderunt Domino, quippe non ita pridem in votis habuerant resolui & esse cum Christo. Corpora vero plusquam tragice cæsa cum non paucos dies in humum disiecta sine sepulturæ beneficio iacuissent, ab Arabia illo vsque adproperauimus. Et quidem eximius Abbas Nicomedes spectaculum illud miserabile cæsorum patrum contemplatus, deliquio animi concidit, atque illinc relatus mortuus prope est. Modestus præterea & ipse sanctissimus aduentum nostrum cum anteuertisset, & sanctorum illorum lustrasset prius habitacula omnia, itidem angore animi contractus, multis se proluit lacrymis, ac sancta quæ eatenus resederant lipsana (*hoc est, sanctorum reliquias*) circumplexus, in patrum superiorum deposuit conditorijs. C

Is ad hæc vbi solemnem persoluit ex more sermonem consuetum, illud mox oraculum Isaiæ exerta voce deprompsit[a]: Viri iusti tolluntur, & nemo recogitat. A facie iniquitatis sublatus est iustus. Erit in pace sepulchrum eius, & spes illorum immortalitate plena. In paucis[b] vexati, in multis bene disponentur: quia Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se, & quasi holocausti hostiam accepit eos in tempore visitationis ipsorum, splendescent ac refulgebunt. Et hæc de sanctis illis cum edisseruisset, vnumquemque nostrum hortari cœpit, ne quo emigraremus loci illius nostri desertores, magis vero eas quæ imminebant tentationes generoso pectore perferremus, Dominicæ illius memores sententiæ[c], quia angusta est porta & arcta via quæ ducit ad vitam; sed & Apostoli dicentis[d]: Quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Huius itaque admonitioni visum est gerere morem, eoq. in Laura duos prope menses permansimus.] D

a Isa. 57.

b Sapien. 3.

c Matth. 7. Luc. 13.

d Act. 14.

Subdit vero de fuga illinc rursus inita ad aliud monasterium, & inde ad aliud, ac de alijs hinc inde dispersis. & inferius de ijsdem sanctis monachis a Sarracenis occisis: Numerus, inquit, sanctorum patrum, quos tyrannica sustulit impressio, est quadragintaquatuor. Horum memoria Maio mense celebratur decimaquinta * mensis die.] addit his de spirituali præfectura sanctæ ciuitatis collata Modesto sanctissimo monacho; sed de ea suo loco dicturi opportune sumus. Porro eorumdem martyrum diem natalem celebrat Ecclesia Catholica decimasexta mensis Maij, qua descripti habentur in sacris tabulis, ex quibus dicta die annis singulis eorum memoria publico præconio redditur Christiano populo rediuiua.

*decimasexta

IVDAEORVM IN CHRISTIANOS INSVLTATIO.

Præter igitur immensa mala, quæ a Sarracenis & multo magis a Persis sunt illata, insultatio his accessit & perfidorum exprobratio Iudæorum in Christianos ac persecutio, potestate (vt vidimus) a Persis accepta occidendi, omniq. crudelitate in eos sæuiendi: adeo vt collapsæ penitus visæ sint res Christianorum, dato in captiuitatem sacrosancto vexillo Crucis, quod hactenus appareret dæmones etiam superasse. Pusillo quidem animo & fide imbecilla præditi homines graue sunt scandalum passi, deficientibus ex eis aliquibus ad Iudæos, quasi victa Cruce, extinctum ipsum videretur Christianæ religionis robur atque potentia. Ad debiles enim peruertendos satis præpotens ob oculos positum spectaculum videri poterat, Christi cuncta loca profanata cernere, vbi vel natus vel passus Dominus esset, sacrosanctumq. vexillum ab impijs e templo absque vlla vel leui saltē vltione manu violenta sublatum, aliasq. sacras reliquias conculcatas, ac vasa sacra diuinis aptata mysterijs manibus contrectata nefandorum, & eorum vsui mancipata. hæc inquam & alia huiusmodi satis erant ad debilium deiectionē: ad fortiorū vero casum E

diabolica

A diabolica quoque acceſſit tentatio, in angelum lucis apparens ipſe diabolus. Nam audi miſerandum caſum monachi Sinaitæ, quem idem deſcribit Antiochus [a]:

a Antioch. homil. 84.

SINAITAE MONACHI LABENTIS IN IVDAISMVM MISERANDVS CASVS.

Fuit, inquit, in monte Sina monachus quidam, qui celebre adeo edidit ſuæ continentiæ ſpecimen, vt in cellula multos vixerit annos incluſus: poſtremo multifarijs reuelationibus diaboli & inſomnijs illuſus, ad Iudaiſmum delapſus eſt & carnis circumciſionem. Cum igitur diabolus huic identidem vera quædam inſomnia demonſtraſſet, & veluti obiecta illecebra ineſcaſſet illius obſcuratam mentem: nouiſſime oculis illius obijcit copioſam turbam Apoſtolorum, martyrum, aliorumq. omnis generis Chriſtianorum denſiſſimis tenebris & omni dedecore oppletam: parte oppoſita, Moſen, prophetas, populum quoque Iudæorum (Deo alioqui inuiſum) offert ſplendida admodum luce conſpicuos, inq. gaudio & hilaritate vitam traducentes. Hæc cum ſpectaſſet miſer, cueſtigio ſurrexit,
B derelictoq. ſancto illo monte, in Palæſtinam vſque peruenit, rectaq. contendit in Noara & Libyadem, aſyla Iudæorum. Cum iſtis denarraſſet, quæ ſibi viſæ fuiſſent, diabolicas apparitiones, circumciſus eſt, ac profeſſus Iudaiſmum, accepit vxorem, inq. omnium proſpectu aduerſus Chriſtianos edidit dogmata, propugnator factus Iudaicæ ſuperſtitionis.

VINDICTA IN MONACH. APOSTATAM.

Hunc ego vidi ac plerique monachorum: neque enim quatuor anni ſunt a morte illius, qua miſere perruptus eſt: catarrhi enim profluuium aliquandiu paſſus, & vermium arroſione contabeſcens, expirauit. Hunc cum vidiſſemus ego & alij aliquot monachi, correpti timore ingenti, cum luctu lamentati ſumus. Erat id ſane quam miſerabile ſpectaculum. Vir hic totus incanuerat in monaſtica exercitatione, conſenueratq. laboribus attritus: & is tandem cum mulieribus iocabatur, immundarum carnium, nempe Iudaicarum guſtu ſe defœdabat & inquinabat, verba loquebatur obſcœna & impudica,
C *blaſphemabat Chriſtum, Spiritum ſanctum non tolerandis afficiebat contumelijs. Et hunc talem illi ſine lege Iudæi ſecundũ vocabant Abraham.]* hucuſque de his Antiochus. Sed redeamus ad Coſrohen Crucem ſanctam Hieroſolymis in Perſidem transferentem.

S. CRVX INTACTA TRANSLATA IN PERSIDEM.

Plane admiratione dignum illud fuit, impium hominem adeo eſſe reueritum ſalutis noſtræ trophæum, vt nec auſus fuerit ab ipſa theca, qua operiebatur, ſignaculum amouere, & claue aperire, vt vel illud inſpiceret; ſed timore perculſum, vti in ſacroſancto templi loco aſſeruabatur, eodem modo in Perſidẽ voluiſſe transferre, veluti demum intactum Hieroſolymam reportatum fuit: quod teſtatus eſt Modeſtus tunc Hieroſolymorũ Epiſcopus, itemq. vniuerſus clerus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Tradit hæc omnia Suidas in Heraclio. His adde quæ in eamdẽ ſententiam apud Adonem [b] in Martyrologio narrata habentur, nimirum ſumma religione Crucem in Perſide aſſeruatam & honorifice cuſtoditam.

b Ado in Martyrol. 14. Sept.

CRVX VINCIT CVM VICTA VIDETVR.

D Adde his maiora, nempe quod ſicut qui in Cruce pependit, tunc vicit omnia, cũ victus atque mortuus viſus eſt: ita plane cum a Coſrhoe capta veluti ſe defendere neſcia Crux fuit inter hoſtium manubias collocata, tunc ipſa victorem vicit, & Chriſtianum populum liberauit, atque triumphans, debellatis penitus hoſtibus, diuina potentia ad propria remeauit: vt longe id ſuperet miracula illa, quæ Arca [c] fœderis, cum captiua ducta eſt, in terra Philiſthinorum olim edidit: etenim tunc etſi afflicti, non tamen victi ab Iſraelitis penitus ſunt Philiſthæi.

c 1. Reg. 5.

DE VIRTVTE IMMENSA S. CRVCIS.

At nequaquam fuit ligni aridi tanta præſtare, ſed plane virtutis diuinæ eius qui Deus & homo in Cruce pependit, cuius poteſtas omnem ſuperat poteſtatem atque potentiam, ipſe Rex Regum & Dominus dominantium, ſtatuens per infame ſupplicium Crucis ſaluos facere credentes, vt quod infirmius eſt Dei, hoc fortius ſit apud homines. Quod cum ſem-
E per in Eccleſia ſit demonſtratum ſiue per lignum, ſiue per ſignum Crucis ſanctiſſimæ: hoc quoque tempore maxime claruit, cum ab hoſtibus delata fuit in Perſidem. Vbi cum eſſet, terrorem ingentem ijſdem Perſis incuſſit, quod iactaretur ab ipſis Deum Chriſtianorum in eam prouinciam adueniſſe: vt plane non emortuum illuc viſum fuerit lignum aduectum, ſed virga vigilans, & ſceptrum viuens omnibus dominans. Hæc quam vera ſint, teſtimonium petamus ab ipſis Perſis, ex Actis inquam ſanctiſſimi martyris Anaſtaſij Perſæ, quæ quidem non a Metaphraſte ſcripta fuere, ſed deſcripta potius, & ante ipſum Metaphraſtem cognita probataq. in ſacroſancto Nicæno poſteriori Concilio, & a Latinis vt fide digniſſima recepta, atque emendata a Beda, ſi quæ vitio tranſlatoris potuiſſent mendoſa videri. Audi igitur ex ipſo exordio præfationis auctorem [d]:

d Extant apud Sur. die 22. Ianuary.

Cum, inquit, magna ciuitas Hieroſolymorum capta fuiſſet a Rege Perſarum, & ſacra illa loca, quæ mei Chriſti videre conuerſationem & Cruci affixionem & reſurrectionem,

Medo-

CRVCIS VIRTVS NON POTEST ESSE CAPTIVA.

Medorum lanceæ & igni, ijs quos ipse nouit modis, essent trãdita: & multa alia capta A
sunt cum ciuitate, & salutis quoque nostræ trophæum, mortis solutio, peccati internecio,
lignum inquam viuificæ Crucis illinc translatum est in Persidem: quod quidem mihi
videtur diuinioris esse gratiæ, & eius qui est crucifixus, solius dispensationis, quæ sæpe no-
uit etiam per aduersarios ea contexere, quæ sunt meliora & vtiliora. Postquam enim salu-
taris Crux Domini hostilibus capta fuit manibus, & in Persidem (vt diximus) in ea ca-
ptiuitate captiua abducta est a barbaris; imitatur eum qui in ea fuit affixus, Christum; vel
potius ipsa Persiam euertit, & spoliat falsam religionem, & quæ se dignæ erant captiuas
abducit animas vere laudabili & longe pulcherrima captiuitate; aut (vt magis proprie di-
cam) a captiuitate reuocat, & eis rursum pristinam restituit libertatem.

ANAST. PERSAE CONVERSIONIS ORIGO

Simulac enim ingreditur Persidem, eam statim totam illustrans radijs suæ gratiæ, fe- B
rit quidem animas infidelium, non secus ac Sol, qui laborantem oculum ingreditur: fi-
deles autem non secus ac fulgor quidam apparens in tenebris, reuocat. Ex quibus fuit
vnus is qui nobis nunc est propositus Anastasius, & si nondum quidem cultu, sed iam
moribus & instituto. Qui processit quidem e vico, qui vocabatur Rasnuni, est vero re-
gionis Razech, quæ sita est in Perside. Erat autem nomen eius moribus conueniens &
ex re ipsa magis cognitum (is enim vocabatur Magundat) Erat autem illius Bau filius,
qui erat in re magica præstantissimus & eruditissimus. Qui cum præesset communi ludo
litterario, & multos haberet adolescentes ad eum ventitantes, captus amore præstigia-
rum, & cum in hoc solum omne suum studium poneret, nempe in rei magicæ exercita-
tione, in filio maxime arte vtitur, & rem magicam eum tam diligenter docet, vt in eius
cognitione patri nihil esset reliquum, quod non notum quoque esset filio.

ANAST. PERSA AFFLATVR DIVINO SPIRITV

Cum autem adolescentiæ ætatẽ iam attingeret, & Rex Cosrohe nouũ exercitum in Per- C
side colligeret, ipse quoque cum alijs refertur in numerum tyronum. Quoniã vero vene-
randa Crux Domini totam agitabat & perturbabat Persidẽ, infidelibus quidem horrorem
& terrorem incutiens, fidelibus autem suauiter admodum & placide illucescens: de ea qui-
dem fama quædam per omnes peruadebat, fama inquam, quæ paulo crassius & indoctius
prædicabat, Christianorum Deum adesse Persis. Ad quam hic adolescens repente fuit ac-
census animo. Iam enim occulte eum tangebat ille ignis, quem Christus venit iacere
super terram: qui quidem non sinebat quiescere pulchram illius adolescentiam: sed sta-
tim omnes obibat partes, de eo sciscitans quam vehementissime poterat & diligentissi-
me. Cum audiret autem ab omnibus, eam esse Crucem, in qua Christus Dei Filius, qui a
Christianis adoratur, fuit crucifixus; veluti ignem igni adiecit, & quæstioni coniunxit
quæstionem, & ex responsione accepit occasionem alterius interrogationis, & multo ma- D
gis sitiebat discere, quemadmodum ex cælo quidem descenderit, cum sit Deus, &
quemadmodum etiam factus sit homo, & cur etiam sit ad Crucem condemnatus, & a
quibus, & an sit ad cælum reuersus, vnde descenderat.

ANASTASIVS INSTRVITVR CHRIST. FIDE.

Cum autem a pijs ei annunciaretur carnis susceptæ diuini consilij mysterium, aures
quidem pietatis semina libenter suscipiebant, anima vero producebat sensim spicam fi-
dei, & ei desiderium paulatim innascebatur, subibatq. æmulatio eius perpessionum: quæ
cum in eius anima aucta & amplificata essent, eum informant & instituunt ad optimum
vitæ genus, clarumq. & insignem testem, martyrem inquam efficiunt, vt iam procedens
declarabit oratio.] Subdit his, quomodo idem relicto Persarum exercitu, amore suscipien-
di baptismatis, se contulit ad Romanorum exercitum, indeq. Hierapolim, vbi apud ar-
gentarium degens genere Persam hominem Christianum, latius res didicerit Christia- E
norum; incensus vero fuerit multo magis ad subeundum martyrium, vbi in ecclesia-
rum (vt ait auctor) parietibus picta intueretur certamina sanctorum martyrum. Quo-
modo autem inde abijt Hierosolymam, atque consecutus est sacrum baptismum, suo lo-
co dicemus.

FVLGENT IN PERSIDE CRVCIS MIRAC.

Illuxit & virtus Crucis tunc in Perside ijs etiam qui vincti absque spe redemptionis te-
nebantur in carcere, dum per hostiam illam in Cruce primitus immolatã, diuinitus libe-
rantur. Rem admirandam Leontius tradit sui temporis scriptor, & rei in sua patria ge-
stæ narrator *: Dicebat enim, inquit, quod a Persis quidam abductus captiuus, in cu-
stodia quæ appellatur Lethe asseruabatur vinctus. Lex autem erat apud Persas, vt qui
coniecti erant in eam custodiam, numquam reuocarentur, & ea ratione consentaneum
est eam fuisse vocatam Lethen, id est, obliuionem. Illinc autem cum quidam potuissent

an-

* *Leont. in vit. S. Ioannis Eleemosyn.*

A aufugere & in Cyprum venire, affirmarunt parentibus adoleſcentis, cum eſſe mortuum in cuſtodia. Illi vero tres quotannis Synaxes celebrabant, tamquam eo mortuo. Quatuor anni præterierant, cum filius illinc aufugiens, redit domum. Quem cum parentes non tamquam qui fugiſſet e cuſtodia, ſed tamquam qui ſurrexiſſet e mortuis, cum magno ſtupore aſpexiſſent, & fuiſſent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant & dicebant, quæ anima quæ talem vidiſſet, faceret & diceret; & quemadmodum ei tamquam iam mortuo fecerant iuſta quæ fiunt mortuis: & cum eum docuiſſent, quinam eſſent ij dies, nempe dies ſanctorum Theophaniorum, & dies ſalutaris Paſchæ, & dies ſanctæ Pentecoſtes. Hæc cum ille audiſſet & in memoriam reuocaſſet, parentibus affirmabat, quod ijs ipſis diebus relaxabatur a vinculis aduentu cuiuſdam qui geſtabat lampadem, & fruebatur omni ſecuritate; diebus autem ſequentibus tenebatur vinculis, ſicut prius.] hæc B Leontius in Ioanne.

DE CAPTIVO MISSAE OBLATIONE SAEPE VINCVLIS SOLVTO.

Sed iam Hiſpaniarum res inuiſamus. Siſebuti regnantis in Hiſpanijs annus hic quartus numerandus erit, ſecundum Iſidori Chronicon, dum vno amplius anno Heraclium præcedere Siſebutum in regno affirmat: nam quem ponit Heraclij quintum, quartum aſſerit Siſebuti, ſicut ab ipſo conſcripta breuiter Gothorum hiſtoria docet. qui & in Chronicon præfatione tradit ſe vſque ad Heraclij & Siſebuti tempora ipſum Chronicon perduxiſſe: quod nuper editum habes iam erroribus emaculatum, quantum licuit, & doctis notis illuſtratum a Garſia Loaiſa, viro quidem diſerto, cuius induſtria ſacra Concilia & alia Eccleſiaſtica Hiſpaniæ monumenta, carie conſumpta & ſitu obſita, mirifice illuſtrata iam fulgent. Sed quod idē Iſidorus illic poſtremo loco ponit, hic reddamus: In Hiſpania quoque, inquit, Siſebutus Gothorum Rex quaſdam eiuſdem Romanæ militiæ vrbes cepit, & Iudæos C regni ſui ſubditos ad Chriſti fidem conuertit] ſed violentia quidem adhibita, vt canon quinquageſimus ſeptimus Toletani quarti magni Concilij docet his verbis, dum de Iudæis agit: Ergo non vi, ſed libera arbitrij facultate, vt conuertantur, ſuadendi ſunt, non potius impellendi. Qui autem iampridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt (ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti) quia iam conſtat eos eſſe ſacramentis diuinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam percepiſſe, & chriſmate vnctos eſſe, & corporis Domini & ſanguinis extitiſſe participes: oportet vt fidem etiam, quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, &c.]

IVDAEI IVSSI INVITI BAPTIZARI.

Quamnam vim ipſe Rex adhibuerit, vt Iudæi ad fidem conuerterentur, lex ab eo de his data ſignificat, quæ ſic ſe habet [a]: Cum Veritas ipſa petere & pulſare nos doceat, præmonens quod regnum cælorum vim patitur: in nullo eſt dubium, quod illę indultæ D gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non feſtinat. Proinde ſi quis Iudæorum, de his ſcilicet qui nondum ſunt baptizati, aut ſe baptizare diſtulerit, aut filios ſuos vel famulos ſuos nullo modo ad ſacerdotes baptizandos remiſerit, vel ſe ſuosq. de baptiſmo ſubtraxerit, & vel vnius anni ſpatium poſt legem hanc editam quiſpiam illorum ſine gratia baptiſmi tranſierit: horum omnium tranſgreſſor quiſquis ille repertus fuerit, & centum flagella decaluatus ſuſcipiat, & debita mulctetur exilij pœna: res tamen eius ad Principis poteſtatem pertineat, qualiter ſi incorrigibilem durior cum cuſtodierit vita, perpetua in eius, cui Princeps largiri voluerit, poteſtate permaneant.] hactenus lex. Ado Viennenſis ait, Iudæorum, qui baptizari renuerunt, nonnullos fuga lapſos ad Francos migraſſe in Gallias. nonaginta millia Iudæorū tunc baptizata fuiſſe, alij [b] tradunt. Porro & hoc ipſum factitatū eſſe in Gallijs ſub Dagoberto Rege Clotharij E filio, hortante Heraclio Imperatore, hiſtorici qui Francorum res ſunt proſecuti [c] confirmant: factumq. hoc ipſum poſtea ab eodem Heraclio Hieroſolymis, ex eius legibus [d] liquet.

a Leg. Vuiſigoth. lib. 12. tit. 3. l. 3.

LEX SISEBVTI DE IVDAEIS BAPTIZANDIS.

b Aimoin. hiſt. Franc. lib. 4. c. 22.

c Aimoin. ibid. & Append. ad Greg. Turon.

IN GALLIIS ET IN ORIENTE IVDAEI BAPTIZARI IVSSI.

d Iur. Oriental. lib. 1.

Fuit eiuſdem Imperatoris in Iudæos accenſus zelus, cum & illi in Chriſtianos inſito medullis odio flagrantes graſſati eſſent tempore quo Coſrhoes Perſarum Rex (vt diximus) potitus fuerat ſancta Hieroſolymorum ciuitate. Porro alia interceſſit cauſa, cur de baptizandis cunctis Iudæis Heraclius tum apud ſuos tum apud exteros durus fuit exactor, nempe quæ apud Gregorium Turonenſem ita ponitur, cum agitur de fine eiuſdē Heraclij Imperatoris: Cum eſſet litteris nimium eruditus, aſtrologus efficitur: per quod cernens a circumciſis gentibus diuino nutu Imperium eſſe vaſtandum, ad Dagobertum Regem Francorum dirigens, petit ab eo vt omnes Iudæos regni ſui ad fidem Catholicam baptizandos præciperet. Quod protinus Dagobertus impleuit. Heraclius per omnes prouincias Imperij tale idemq. facere decreuit: ignorabat enim vnde hæc calamitas contra

Imperium

Imperium surrectura esset] nempe a Sarracenis, ijsdemq. Hebræorum instar circumcisis. A Sed hæc de Heraclio postea contigerunt, vbi defuncto Clothario, eius filius Dagobertus regnare cœpit; hic autem occasione Sisebuti Regis sanctionis narrata. De his Tudensis agens in Chronico, affirmat ista de Iudæis facta esse ipso eius regni exordio; ait enim: Initio regni, Iudæos ad fidem Christianam promouens, æmulationem quidem habuit, sed non secundum scientiam: potestate enim compulit, quo prouocare fidei ratione oportuit. Sed (sicut scriptum est) siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur.] hæc ipse, qui eumdem Regem egregia sanctitate præditum commendat, de quo in fine ipsius dicturi sumus.

IESV CHRISTI ANNVS 615. DEVSDEDIT PAP. ANNVS 1. HERACLII IMP. ANNVS 6.

COSRHOES AEGYPTVM ET ALIAS PROVINCIAS DEPOPVLATVS.

QVi sequitur annus sexcentesimus decimusquintus, notatur Indictione tertia: quo, nullo resistente, Cosrhoes (vt habent Annales [a]) inuasit Aegyptum, excurrensq. Libyam, Carthaginem vsque peruenit, quam frustra tentauit: plurimisq. in captiuitatem abductis, onustus præda est reuersus in Persidem. Est de his item mentio apud Leontium occasione narrationis historiæ Ioannis Episcopi Alexandrini, perpetuis quidem dignæ monumentis, cum de ingenti fame agit, quæ vexauit Aegyptum: ait enim [b]:

a Miscel. lib. 14. ex Theophane, & Cedren. in Compend. hoc anno 6. Heracl.
b Leont. in vit. Ioan. Eleemos.

Cum magna multitudo eorum qui manum Persicam effugerant, confugisset Alexandriam, & esset magna alimenti penuria, maxime quod nec illo tempore Nilus ascendisset, vt consueuerat, & pecuniæ Ecclesiæ essent consumptæ: coactus est ille magnus mille libras auri mutuas accipere ab aliquibus. Cum autem eas quoque consumpsisset, agitabatur magna solicitudine, & Dei orabat benignitatem, vt in rebus dubijs aliquam viam excogitaret. Sed etiam si ad tantam redactus fuisset inopiam, non fuit tamen victus a calamitate, non diuinas leges & sacras constitutiones affecit dedecore, nec intermisit commissum sibi gregem accurate regere. Itaque cum quidam clericus ex ijs qui secundas nuptias contraxerant, abundans diuitijs vellet consequi gradum diaconatus, resciuisset autem has Patriarchæ angustias, & arripuisset tempus tamquam opportunum, si pecunijs leuata inopia, assequeretur id quod desiderabat, chartam tradit beato Ioanni, quæ sic habebat:

SIMONIACVS OPPORTVNAM CAPTAT OCCASIONEM.

Cum accepissem angustias in quas redacta est munifica dextera domini mei, non existimaui oportere me quidem degere in delicijs & rerum abundantia, dominum autem meum redactum esse in angustias. Sunt autem apud me frumenti quidem multa millia, auri autem centum libræ & quinquaginta. Eas velim per te dare Christo, si tamen iudicatus fuero dignus eius diaconatu per sanctam tuam ordinationem. Inuentum enim [c] alicubi dictum fuisse apud Apostolum, ex necessitate, legis quoque fieri translationem.] Vidisti artem, & attendisti fraudes, quibus inuadit Ecclesiæ septa pecunijs Simoniacus? Sane quidem meminisse debemus, fuisse S. Gregorij querelam apud Eulogium Alexandrinum Episcopum de Simoniaca peste, quæ Alexandrinam Ecclesiam inuasisset. Sed quid ad hæc Ioannes, ita Leontius pergit narrare:

REIICITVR A IOANNE SIMONIACVS.

Eum ergo seorsum accersit Patriarcha, non volens multis præsentibus eum afficere dedecore, & dicit ei: Tua quidem oblatio, o fili, est magna & huic tempori necessaria, sed est vitiosa, & propter hoc ipsum non admittenda. Non ignoras enim, quod oues quæ ex lege [c] offerebantur, si non essent vitij expertes, etiam si essent magnæ, non poterant admitti ad sacrificium. Qua de causa nec munera [d] Cain Deo fuerunt accepta. Illud autem ex necessitate [e] etiam fieri legis translationem, hoc ab Apostolo dictum esse scimus de lege veteri. Quid enim tibi videtur quod situm est apud fratrem Domini Iacobum? sic autem habet [f]: Qui totam legem impleuerit, in vno autem lapsus sit, esse omnium reum. Fratres autem nostros pauperes, etiam si nos versemur in inopia, qui aluit Deus vsque in hodiernum diem, ipse eorum quoque de cetero curam geret, si modo nos eius mandata seruemus immobilia. Quid enim quod facere non possit? aut quid sit difficile ei, qui [g] quinque panes in deserto aliquando multiplicauit, si decem modios qui sunt in meo horreo benedixerit, eos in magnam augere multitudinem? Quamobrem tibi, o fili, conueniet id quod Simoni dictū est in Actis [h]: Non est tibi pars, neque sors in hac parte.] hæc ad eum Ioannes magna erga Deum fiducia præditus. Sed quid mirandū fuerit subsecutū, attende.

c Leuit. 22.
d Genes. 4.
e Hebr. 7.
f Iacob. 2.
g Ioan. 6.
h Act. 8.

Non

A Nondum ille (inquit Leontius) dimissus domum ire, re infecta redierat: cum magno Ioanni significatur, duas naues Ecclesiæ in portum appulisse, ferentes ex Sicilia multa frumenti millia. Quod quidem cum ille audiuisset, procidens ad genua Deo egit gratias, dicens: Qui quærunt te Domine, & seruant tua mandata, non minuentur omni bono. Quamobrem magnifico sanctissimum nomen tuum, quod non permiseris seruo tuo, vt tuam gratiam venumdaret pecunia. Sed sic quidem in angustijs dilatatus fuit inclytus, quod non pro vsu rerum necessariarum prodidit accuratam regulæ obseruationem.] hucusque Leontius: quibus plane docetur, quanta suadeat mala prudentia carnis, cum in Deum peccare consulit potius, quam de eius prouidentia spem concipere, eradicans quam fideles habere iubentur erga Deum fiduciam: quo fit vt res Ecclesiæ quotidie in deterius prolabantur, si humana prudentia nitamur potius, quam spe in Deo firmi-

PRVDENTIA CARNIS ADVERSATRIX ECCLESIAE.

B ter collocata.

Accessit autem hoc anno ad mala quibus Romanum Imperium adeo esset in Oriente labefactatum, vt etiam in Occidente quod residuum erat nutare cœperit, rebellante Ioanne Præfecto vrbis Neapolitanæ, cæso Ioanne Exarcho. cuius rei gratia missus est in Italiam Eleutherius Exarchus, qui & ipse post quadriennium suæ administrationis in tyrannum erupit. Quod enim prope collapsum crederetur Romanum Imperium, Persis absque obice vbique grassantibus; quodq. adeo infirmæ vires esse scirentur tunc regnantis Heraclij, vt eius consternatus penitus animus cerneretur: creuit audacia sceleratorum, qui istiusmodi deiectionis Imperatoris consideratione animum erexerunt; atque ipse qui in Italiam fuerat missus Exarchus, studere cœpit, vt pereuntis Imperij sibi partem aliquam vendicaret: ad quod magis impellebat ipsa securitas. Etenim Heraclius cum non satis

TYRANNI IN ITALIA.

C esset ob oculos grassantibus Persis occurrere; quomodo putaretur rebus Italicis esse subuenturus, & non magis fore contempturus crederetur ipsum quod intra fauces erat Longobardorum Italiæ regnum, quod etsi e tyranni manibus eriperetur, a barbaris tamen iam fixas illic sedes habentibus vt defenderetur, nulla penitus spes esse videri posset?

Hæc agitans mente Eleutherius, non statim defectionem instituit, sed ad conciliandos sibi primum subditorum animos iustissimi principis munus exoluit, vt prædecessoris Ioannis cædem vlciscereturr: quo facto, Romam se contulit, atque inde Neapolim, vbi contra Ioannem illum cognomento Compsinum eius ciuitatis ac prouinciæ Præfectum, qui se principem constituerat, arma mouens, eum subegit atque occidit, seq. Regem appellauit Italiæ. Habet hæc paucis istis Anastasius in rebus gestis Deusdedit Rom. Pon-

IOANNES TYRANNVS OCCIDITVR.

D tificis: Eodem, inquit, tempore veniens Eleutherius Patricius & cubicularius occidit omnes qui in nece Ioannis Exarchi & Iudicis Reipublicæ fuerant mixti. Hic venit Romam, & susceptus est a sanctissimo Deusdedit Papa optimo. Qui egressus de Roma, venit Neapolim, quæ tenebatur a Ioanne Compsino intacta. Et sic pugnando Eleutherius Patricius ingressus est Neapolim, & interfecit tyrannum: reuersusq. est Rauennam: & data roga militibus, pax facta est in tota Italia.] hæc apud Anastasium: sed de tyrannide eius & nece dicetur suo loco in successore Deusdedit Pontificis.

Fuit infaustus item hic annus Italiæ itidem ob terræmotus vehementissimos, & ob eam quæ eos subsecuta est lues elephantiæ. Tuncq. accidit, vt cum afflictatæ Vrbi prospiceret ipse sanctissimus Pontifex Deusdedit, præsensq. visitaret ægrotos, miseratione commotus, vnum ex illis, in quo Christum (qui ab Isaia [a] quasi leprosus ob immanes cruciatus,

DEVSDEDIT PAPA OSCVLO SANAT LEPROSVM.

[a] *Isai. 53.*

E quos passurus erat, præcognitus fuit) contemplatus, exosculatusque, diuino miraculo ab eodem morbo reddiderit mundum. testantur id veterrima Ecclesiastica monumenta [b], ex quibus in eius natali die, cum fieri ipsius solet in Ecclesia commemoratio anniuersaria, eiusmodi miraculum publice decantatur.

[b] *Martyrolog. Rom. die 8. Nouembr.*

Quod spectat ad res Francorum: cum anno superiori Clotharius, peremptis hostibus, solus totius Galliæ regni monarchiam consecutus esset, nihil antiquius habuit, quam vt coleret pietatem, Deiq. amicos, viros sanctos (vt anno superiori dictum est) vsu sibi amicitiæ iungeret, atque consiliarios adhiberet. Fuit ex ijs vnus Arnulfus Metensis Episcopus, cui suum filium Dagobertum tradidit instituendum, quem regni totius heredem fore speraret. tanti enim sanctum hunc virum faciebat Clotharius Rex, vt eo inconsulto quicquam facere non auderet, itemq. Regina; qui non interdiu tantum, sed noctu etiam eumdem sæpius adire solerent: vnde curialibus canibus oblatrandi in eum &

CLOTHARII PIETAS.

famam eius dilacerandi ac corrodendi occasio data est. Sed quam seuere Deus vltus A
sit in huiusmodi detractores, accipe ab auctore qui tunc vixit & scripsit, Iona Abba-
te, qui post alia miranda de viro sancto relata ista subijcit: Quidam scelestus homo, nomi-
ne Notto, ausus est irrogare cum complicibus suis Episcopo sancto iniuriam, asserens sci-
licet eum non esse cultorem Dei, sed potius hominem deditum voluptati, ad cuius le-
ctum nocturnis horis non solum Rex, verum etiam Regina tamquam consilium flagitan-
tes interdum properarent.

DIVINA VLTIO IN DETRACTORES.

Cum ergo vir ille die quadam, aluo referto vino, vna cum detrahente socio suo
strata petisset, iubente Domino, omnia vestimenta illorum vallantur vndique flamma.
Quibus illico cum ingenti clamore prosilientibus, & aquam circa nates ac genitalia lo-
ca, vbi camisiæ illorum acerrime cremabantur, inijcientibus, nec omnino flammam
diuinitus missam extinguere valentibus, tandem ad instar porcorum luto volutabri sese B
pariter inuoluunt, & ibi diu vociferantes, vix ad vltimum pœnam, quam merito patieban-
tur, euaserunt. In quibus profecto impletum est hoc, quod scriptum est in psalmo *: Detra-
hentem secreto proximo suo hunc persequebar. In tantum vt & illud diuina censura fa-
ctum non ambigamus, quod detractores isti vehementissime cremabuntur in partibus
illis, vbi libido, de qua calumniabantur virum iustum, regnare non dubitatur. Nec
multo post auctor huius detractionis, præfatus videlicet Notto, in huiusmodi criminibus
diffamatur apud Regem, vt scelera eius vna cum vita regalis gladius amputaret, necnon
& filius eius eidem sententiæ subiaceret.] hæc de vltione diuinitus in detractores im-
missa. Qui rursum subijcit ista:

* Psal. 100.

Per idem tempus, cum beatus Arnulfus iam pene omnes thesauros Ecclesiæ in vsus
pauperum erogasset, supererat adhuc discus argenteus habens libras septuagintaduas. C
Hunc quidam Hugo primus procerum dato pretio comparauit: Sed omnipotens Deus
non passus est, vt laicus illo frueretur, qui in honorem beati Stephani protomartyris
olim consecratus habebatur. Prædicto siquidem Hugone præpeti morte prostrato, discus
ille Clothario Regi allatus est: qui cum, referentibus quibusdam, comperisset hunc
a beato Arnulfo ob alimoniam pauperum venumdatum fuisse, mox tamquam cælitus
inspiratus, iubet eum velociter superpositis centum aureis ad Metensem ciuitatem san-
cto Pontifici deferri.] hæc auctor, qui & recitat fragmentum epistolæ Regis eiusdem
ad Arnulfum eremi secreta captantem, & nuncium remittere Ecclesiæ cupientem,
verbis istis:

VAS SACRVM NON IMPVNE RETINET LAICVS.

CLOTHARII AD ARNVLFVM EPISC. EPISTOLAE FRAGMENTVM.

Hoc quod per epistolam vestram, domine pater, rogare voluistis, vt in loco vestro al-
ter substituatur Episcopus: nullatenus nostra præsumptio facere præsumit; sed potius D
omni deuotione rogamus, vt si in bonorum operum exercitio vitam alicubi ducere deli-
beratis, apud populum vobis commissum, sicut cœpistis, conuersando, exemplum eius
promerendæ salutis.] hæc ex Clotharij ad eum epistola scripta. Coluit præterea Clo-
tharius sanctum Gaudericum Cameracensem Episcopum, qui hoc ipso tempore egregia fu-
rebat sanctitate, vt eius Acta [b] testantur. Sed & magno honore prosecutus est sanctam Go-
dobertam virginem discipulam sancti Eligij Episcopi Nouiomensis, a quo & Deo dicata
fuit. Huic idem Rex suum cessit palatium ad monasterium erigendum, quod & villis lo-
cupletauit. Extant res ab ea præclare gestæ [c].

b Apud Sur. die 17. Augusti.

c Apud Sur. die 11. April.

Quod autem ad bellicas eiusdem Clotharij expeditiones pertinet, hoc ipso exordio
monarchiæ in Gallia exercitum aduersus Burgundiam mouit. Quæ vero tunc gesserit
sanctus Lupus Episcopus Senonensis, eius Acta declarant his verbis [d]: Mortuo Theodo-
rico Principe, Rex Clotharius in Burgundiam veniens, hostili manu armatum Blidebo-
dem ducem misit in Senones. Illo ergo tela atrociter in oppidum vibrante, sanctus Epi-
scopus Lupus in Domino fidens, ad protomartyris Stephani ædem se contulit. Cumq. ad
conuocandum populum signum ecclesiæ tangeret, viribus hostes destituti, tantoq.
sunt terrore correpti, vt nullam sibi salutis opem superesse putarent, nisi fuga sibi con-
sulerent. Ita vir sanctissimus, dum instar Moysi ad cælum tollit manus, hostes profligat.
hæc ibi.

d Extant apud Sur. tom. 5. die 2. Septemb.

DE VSV CAMPANARVM.

Porro quod ait auctor, S. Lupum ad conuocandum populum signum ecclesiæ tetigisse: illud fuisse prægrande tintinnabulũ quod vocant campanam, quæ habentur inferiu
declarant: nam post multa hæc ibidem: Clotharius Rex vbi comperit signum vel campa
nam S. Stephani sonum edere gratissimum, iussit eam Parisios transferri, vt eius tinnitu

sæpius

A sæpius delectaretur. Displicuit ea res beato Episcopo. Itaque mox vt ablata est a Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ocyus iubet suo illam loco restitui. Vbi autem ad pontem Senonicum ventum est, redijt illi pristinus sonus, & ob sancti viri merita septimo milliario auditus est.] hæc de campana Senonensi: quibus declaratur, iam hoc tempore in vsu frequenti eas esse receptas. In Oriente autem adhuc consuetudo illa perseuerabat pulsandi ligna ad populum conuocandum.

Hoc pariter anno mirificus ille Dei cultor Columbanus, Regum prauorum terror & vindex, ex hac vita migrauit; de quo ista Ionas habet: Beatus Columbanus, expleto anni circulo, in antedicto cœnobio Bobiense, vita beata functus, animam membris solutam cælo reddidit nono Kalendas Decembris: cuius strenuitatem si quis nosse velit, in eius dictis reperiet. Reliquiæ autem eius eo habentur in loco conditæ, vbi & virtutum de- S. COLVMBANI ABBATIS OBITVS.
B core pollent, præsule Christo.] hæc Ionas, qui & eius successoris Attalæ laudandam vitam æque conscripsit. Constat quidem subrogatum esse in ipsius locum Attalam Burgundionem origine, suo magistro sanctitate non imparem. Porro qui dum vixit Columbanus Dei Ecclesiam in tot tenebris sanctitudine vitæ & miraculorum editione veluti fulgentibus radijs illustrauit, æque post obitum clarus miraculis, ab ipsa Ecclesia consueto sanctis viris honore annis singulis coli cœpit. Carens autem Columbano Clotharius Rex Francorũ, eius discipulo & successore in Luxouiensi cœnobio Eustasio fruebatur; adeoq. coluit monachos eiusdem Luxouiensis monasterij, vt ex eo complures ad Episcopatum promouendos curarit: recensentur hi a Iona in Eustasio, Chagnoaldus Episcopus Lugduni, Acharius Viromandorum & Nouiomensis & Tornacensis, Rachnacarius Augustoduni & Basileæ, Audemarus Bononiæ & Tharonensis oppidi.

C

IESV CHRISTI ANNVS 616. DEVSDEDIT PAP. ANNVS 2. HERACLII IMP. ANNVS 7.

S Excentesimus decimussextus vertitur Redemptoris annus, quarta currente Indictione: quo Agilulphus Longobardorum Rex moritur, vbi regnasset (vt Paulus [a] diaconus ait) annos vigintiquinque, cui successit maior natu filius Adaluualdus sub tutela Reginæ matris Theodolindæ: Sub his, inquit, ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ donatio- AGILVLPHI REG. OBITVS.
nes per loca venerabilia largitæ.] Sed famosa illa fuit munificentia, quam exhibuerunt [a] *Paul. diac. lib. 4. c. 15.*
D basilicæ in honorem S. Ioannis Baptistæ erectæ in Modoetia, de qua ista idem Paulus [b], deq. eius erectione viuente adhuc ipso Agilulpho perfecta: [b] *Paul. diac. lib. 4. c. 22. in vet. edit. Ascensian.*

Per idem quoque tempus, inquit, Theodolinda Regina basilicam beati Ioannis Baptistæ in Modoetia construxit pro se & pro viro suo & pro filijs & filiabus & cunctis Longobardis Italicensibus, vt ipse sanctus Ioannes sit intercessor pro cunctis ad Dominum. Et illi venerunt inter se vnanimiter maiores natu cum Rege suo, vna cum Theodolinda Regina dicentes: Si sanctus Ioannes pro nobis interpellator sit ad Dominum Deum nostrum Iesum Christum, nos omnes vnanimiter pollicemur illi vt per illius interpellationem habeamus iuuamen Domini nostri Iesu Christi tam in bello, quam in alijs locis omnibus, quocumque ituri sumus. DE ECCL. S. IO. BAPT. IN MODOETIA.

Ab illo ergo die in omnibus actibus eorum cœperunt inuocare S. Ioannem, vt illis præ-
E beret auxilium virtute Domini nostri Iesu Christi: & illi omnes permanebant illæsi, victoresq. extiterunt super cunctos aduersarios suos. Locus autem ille supra Mediolanum duodecim millibus est, quem Regina dedicandum curauit, multisq. ornamentis auri & argenti mirifice decorauit, prædijsq. ditauit, familiasq. & possessiones multas eidem loco addixit in honorem sancti Ioannis Baptistæ. Dicamus assertionem scripturæ Theodolindæ Reginæ: Offert glorioſissima Theodolinda Regina vna cum filio suo Adaluualdo Rege sancto Ioanni patrono suo de dono Dei, & de dotibus chartulam suæ donationis, quam in suorum præsentia scribere fecit. Si quis quolibet tempore hanc testem voluntatis suæ corruperit, in Iudicij extremi die cum Iuda traditore damnetur. Ordinatio vero eius talis fuit: De rebus sancti Ioannis nullo modo se debet aliquis intromittere, nisi tantum sacerdotes qui ibi seruiunt die ac nocte, tantumq. famuli & famulæ qui ibi subiecti sunt, communiter debeant viuere.] hæc apud Paulum dia- OBLATIO THEODOLINDAE.

conum, quæ desiderari videntur in nonnullis scriptis codicibus: accidisse enim potuit vt A
ex ipso originali exemplari donationis aliquis fortasse ista ad Paulum apposuerit, qui post
hæc pergit narrare de habitu quo vti solerent eo tempore Longobardi; quod si cupis,
tu ipsum consulas.

Quod pertinet ad res Oriētalis Imperij, calamitosum plane illud reddunt Annales, nempe eo vsque progressos esse Persas, vt per Libyam venerint Carthaginem, eamq. obsessam diu tandem ceperint. Tantopere inualuit potentia Cosrhoes, vt cum totam depopulatus esset Asiam, inuaserit post Aegyptum Africam quoque, nullo obice opposito. Ita Deus permisit barbarum Regem ad populorum peccata plectenda libere pro arbitrio in Orientem & Occidentem longe lateq. grassari: cum vero ipsi placuit, redegit eum in nihilum. Inter tot tantaq. orbis flagella Heraclius stupiditate quadam oppressus, omissa omni de bellicis rebus cura, ad suos filios honoribus proue hendos incumbit: hoc siquidem anno B
a Miscel. lib. 18. an. 7. Heraclij. (vt ijdem habent Annales [a]) creat Consulem Constantinum Iuniorem, qui & Heraclius dictus est; insuper & minorem eius fratrem ex Martina genitum, Constantinum itidem nominatum, Cæsarem appellat.

MODESTVS CVRAT HIEROSOLYMORVM ECCLESIAM.

Quod vero Ecclesia sancta Hierosolymitana, abducto in Persidem Zacharia Patriarcha captiuo, absque pastore relicta esset: iniuncta est eius administratio Modesto patri monachorum cuiusdam monasterij Palæstinæ: qui quidem magno animi ardore non ea tantum quæ ad animarum curam spectare videbantur, quietemq. monachorum extorrium, summo studio pertractauit, sed etiam in restituendis igne consumptis ecclesijs (licet impossibile videretur rem tantam monachum vnum posse præstare) alterum se Zorobabelem exhibuit. Locuples testis de his omnibus est Antiochus monachus in epistola ad Eustathium, quam superius citauimus, in qua de Modesto primum hæc habet: Nos pro- C
inde humiles & abiecti, gratia primum Dei, deinde seria admodum & accurata diligentia præmemorati sanctissimi Modesti, sedentariā hanc exigimus vitam in liberiore & tranquilliore otio.] & inferius rursum: Gratia enim Christi, sed & solerti sedulitate iam dicti venerandi apprime patris nostri Modesti, cuncta id temporis incoluntur effuse istius eremi monasteria.] ac paulo post:

Superfunt nuncia aliquot sane quam læta, quorum fideli relatu & vestra & omnis finceriter Christiani anima merito possit exhilarescere. Hæc igitur valde promptus & alacer annuncio vobis: Modestus sanctitatis eximiæ vir (de quo non semel dictum) non eorum modo prouidam gerit curam solicitus, quæ per hanc vastam eremum sparsim disiecta sunt, monasteriorum, sed & moderandæ huic ciuitati ac vniuersæ circum finitimæ regioni solerter prospicit, Deo eidem cooperante in omnibus. Hic enim ad vi- D
uum nobis exprimit imaginem noui cuiuspiam Beseleelis, aut certe Zorobabelis. Gratia etenim plenus Spiritus sancti, templa Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ quidem

TEMPLA INCENSA HIEROSOLYM. RESTAVRANTVR

barbarico igne conflagrarunt, in sublime erigit omni prorsus digna veneratione, puta ædes sanctæ Caluariæ, ac sanctæ Resurrectionis, domum insuper dignam omni honore venerandæ Crucis, quæ mater ecclesiarum est, sed & sanctæ Assumptionis ædem a fundamentis exædificat: adeo vt per hæc læta initia de futuris quoque spes amplissimas concipiamus, idq. vel ob eos maxime, qui huc sperantur venturi ab externis regionibus, sancta hæc loca vt adorent, vt omnes in cōmune glorificemus Deum.] hactenus Leontius.

Quod enim Zacharias viueret, non alius admissus est Hierosolymorum Episcopus, cum non liceret in eōdem loco Episcopos duos esse; licet ob Episcopalem præfecturam idem, viuente adhuc Zacharia, fuerit nominatus Hierosolymorum Præfectus, vt in Actis E
S. Anastasij martyris, dum agitur de eius baptismo post Zachariæ reditum per Modestum Hierosolymis exhibito, vt suo loco dicturi sumus. Sed re vera si non Episcopus, loco tamen Episcopi, vsquedum idem postliminio redijt Zacharias, Modestus illam administrauit Ecclesiam, cuncta restituens: adeo vt maximæ fuerit consolationis in tanto mærore videre (quod impossibile putabatur) exædificari cuncta quæ exusta fuerant sacra ædificia, aduersantibus præsertim Iudæis, & Persis ipsis Palæstinam obtinentibus, atque tyrannice dominantibus, vt quæ dicturi sumus, ostendent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 617. DEVSDEDIT PAP. ANNVS 3. HERACLII IMP. ANNVS 8.

ANnus agitur Domini sexcentesimus decimusseptimus, quinta Indictione: quo Deusdedit Papa, vbi sedisset annos tres minus diebus quinque, ex hac vita decessit octaua die Nouembris. Ita quidem secundũ Anastasij rationem, necnon Martyrologiũ Rom. & alia, quæ celebrant eiusdẽ natalem diem octaua Nouembris: vnde nefas putamus a tanta resilire auctoritate: qua ratione (vt dictum est) ipsum habuisse in sede minus dies quinque ab annis tribus apparet. Porro de eodẽ Deusdedit ista idem Anastasius habet: Hic clerũ multum dilexit, sacerdotes & clerũ ad loca pristina reuocauit. Hic dimisit propter obsequia sua B ad omnem clerum rogam vnam integram. Hic fecit ordinationes tres, & in eis presbyteros nouem, diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca numero vigintinouem.] hæc tantum de eo Anastasius: vt plane dolendum sit tanti Pontificis facta scriptorum inopia adeo obscura esse relicta, quæ quidem oportuit insignia fuisse, cum ipsum antiquitus Ecclesia Dei coluerit vt sanctum, eoq. titulo receperit inter sanctos, atque annua commemoratione assidue sit venerata. Huius scriptorum fragmentum tantum extat vnius epistolæ ad Gordianum quemdam in Hispania Episcopum datæ, quod retinet Gratianus [a] in suo Decretorum volumine, quod vnicum tanti viri monumentum hic præterijsse noluimus: sic enim se habet:

DEVSDEDIT PAPAE OBITVS.

[a] 30. q. peruenit ad nos.

Peruenit ad nos diaconus vester, sanctitatis vestræ epistolam deferens, quod quidam viri ac mulieres præterito sabbato Paschali die, præ magno populorum incursu, nescien- C tes, proprios filios susceperint ex lauacro sancto. Cupis ergo scire, si pro tali accidente ratione debeant viri ac mulieres ad proprium vsum redire, an non. Nos vero mœsti in hac re inquisiuimus priorum patrum nostrorum dicta. Inuenimus autem in archiuis huius Apostolicæ sedis iam talia contigisse in Ecclesijs Isauriæ, Ephesiorum, simulq. Hierosolymæ, aliarumq. ciuitatum. Episcopis etiam earum ciuitatum ab hac Apostolica sede volentibus scire, vtrum viri ac mulieres redirent ad proprium torum: beatæ memoriæ sanctissimi patres Iulius, Innocentius, & Cælestinus cum Episcoporum plurimorum & sacerdotum consensu in ecclesia Apostolorum Principis prohibentes talia, perscripserunt & confirmauerunt, vt nullo modo se in coniugium reciperent mulieres ac viri, quicumque aliqua ratione susceperint natos proprios, sed separarent se; ne suadente diabolo, tale vitium innotescat.

DE SPIRITVALI COGNATIONE DECRETVM.

D Scitis quia quomodo septem sunt dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismi a primo pabulo sacrati salis & ingressu ecclesiæ vsque ad consummationem sancti Spiritus per chrisma. Ab hoc ergo primo sancti Spiritus dono vsque ad septimum nullus Christianus suam commatrem in coniugium suscipere debet: & qui præsumpserit, tamdiu vinculo anathematis religetur, donec pœnitentiam digne egerit.] hucusque fragmentum epistolæ Deusdedit apud Gratianum descriptum. adduntur ab alijs alia, nempe restituendam esse dotem, & liberam facultatem nubendi concessam post annum: sed neutrum apud Gratianum.

Post mortem vero Pontificis Deusdedit vacasse sedem mensem vnum & dies sexdecim, idem qui supra Anastasius habet: licet alij codices legant, dies sex. qua ratione dicen- BONIFACIVS QVINTVS PAPA ELIGITVR. dum est, successorem ipsius Bonifacium, eius nominis quintum ordine, subrogatum esse die E decimaquarta Decembris, vel secundum alios vigesimaquarta. Quod vero hic ad finem anni huius creatus fuerit Pontifex, in sequentem annum a Beda ponitur, vbi ait [b]: Iste Bonifacius post Deusdedit Ecclesiæ præfuit anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo decimooctauo.] hæc ipse. Fuit Bonifacius hic patria Neapolitanus, de quo plura inferius suo loco. Ante tempus autem ordinationis Bonifacij (inquit Anastasius) Eleutherius eunuchus Patricius & Exarchus tyrannidem cum sumpsisset, Rexq. Italiæ dici voluerit, venturus Romam, a militibus Rauennatibus in via occisus est, caputq. eius missum Constantinopolim ad Imperatorem.] Hæc breuiter de extincto tyranno.

[b] Beda lib. 2. c. 7.

Quo tempore monachus vagus & profugus e monasterio Luxouiensi, nomine Agrestinus, deficiens ad schismaticos, alios secum præcipites in ruinam abducere cupiens, magnos tum in Italia tum in Gallia motus excitat. Sed cum nihil penitus proficere valuisset, inhærentibus cunctis communioni Catholicæ & Apostolicæ sedis (sicut alias semper cum

DE AGRESTINO MONACHO ET SCHISMATICO.

in Gallijs eadem esset mota quæstio) in eaq. firmiter permanere statuentibus, certamen A
aliud suscipit, aduersus scilicet monastica instituta a sancto Columbano relicta suis.
Traxit seditiosus homo in hanc pugnam ad suas partes plures Episcopos, rumores vbi-
que excitans: vsque adeo, vt ad hos comprimendos Clothario Francorum Regi opus fuerit
dare operam vt cogeretur Matiscone Concilium. Hæc autem quomodo se habuerint, Io-
nas [a] Abbas sui temporis res gestas prosecutus, cuncta exacte quam sinceriſſime scripsit
in vita Eustasij, ex quo ista tibi depromimus:

a Ionas in Eustasio apud Bedā.

AGRESTINVS INSVRGIT IN EVSTASIVM.

Cum iam, inquit, *Eustasius in monasterio Luxouiensi successor sancti Columba-*
ni ab omnibus haberetur gratus, vt nullus se beatum Columbanum perdidisse gemeret, qui eius doctrinis imbutus fuisset, omniumq. Francorum procerum honore fulciretur, & præcipue Clotharij Regis amore ac veneratione eluceret, præsertim cum cernerent in discipulo magistri instituta per omnia manere: exarsit more suo liuidus aduersus san- B
cti viri famam Chelidrus, excitans contra eum vnum ex subditis Agrestinum nomine, qui quondam Theodorici Regis Notarius fuerat, & quadam compunctione cordis tactus, omnia quæ possederat relinquens, & Luxouiū veniens, se & sua omnia eidem venerabili patri tradiderat. Is inquam (vt cuncta replicem) religionis speciem in monasterio gestans, post non longum tempus conuersationis eius, arrogantia mentis elatus, postulat vt gentium esse prædicator permitteretur. Quem vir sanctus diu obiurgans increpat, dicens, eum rudem adhuc in religione non debere ad tale opus idoneum se putare, proponens ei in exemplum Hieremiam, qui electione Domini prædicator designatus, se dignum esse denegat, dicens [b]: A a a Domine Deus, ecce puer ego sum, & nescio loqui. Moysen quoque, qui electus a Domino, tardioris & impeditæ linguæ se esse testatur.

b Hierem. 1.

APOSTOLATVM AD GENTES SIBI ARROGAT AGRESTINVS.

His & huiusmodi dissuasionibus cum nihil proficeret; quem tenere non valet, ire per- C
mittit. Qui cum in regionem Baioariorum veniisset, nullum fructum exercens ibi, post aliquantū temporis ad Aquileiam transit. Aquileienses enim discordabant a communione sedis Apostolicæ (de qua Dominus in Euangelio ad beatum Petrum loquitur, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam) ob Trium videlicet capitulorum dissensionem, quæ præsenti operi necessarium non duximus inserere. Itaque veniens Aquileiam, socius statim schismatis effectus, Romanæ sedis a communione seiunctus ac diuisus est, totius orbis communionem quicumque Romanæ sedi iungeretur damnans, in sola Aquileia Orthodoxam fidem retineri decertans. Quo schismate imbutus, epistolam venenosam & increpationibus plenam ad beatum Attalam Bobiensis cœnobij patrem per Aureum Adaluualdi Regis Longobardorum Notarium dirigit. Quam epistolam beatus Attala perlectam, & ridicu- D
lo habitam, mihi tradidit seruandam: quam ego etiam per multorum spatia annorum abditam penes me habui, & postea mea negligentia perdidi: nec alius vtique quilibet eam, sed ipse proprio stylo scripsit.

FVGATVS VT SCHISMATICVS AGRESTINVS ALIVD BELLVM EXCITAT.

Directa itaque ad beatum Attalam epistola, ipse ad Luxouium properat: Eustasium schismatis aculeis tentat, si sanam mentem sua vesania corrumpere queat. Venerandus autem vir Eustasius paternis effaminibus errantem increpat; vt resipiscat, hortatur & obsecrat. Cumq. salutaribus monitis & salubri antidoto mentem peste corruptam curare nequisset, a suo suorumq. collegio segregatum abire coegit. Fugatus igitur ab Eustasio miserabilis Agrestinus, huc illucq. diuertit, vt aliquos sui erroris fautores facere posset.] Cū vero a sententia recessisse videri potuisset; ex nouo certamine quærit sibi coronam, qui ex primo retulerat ignominiam. Quodnam istud fuerit, Ionas ita declarat: Sed E
cum nihil eius imperitia longo tempore peragere quiuisset, tandem aduersus regulam B. Columbani liuido dente garrire cœpit, ac velut cœnosa sus grunniens, per quoscumque potuit parilitatis suæ similes abominabile murmur excitauit, annuente sibi Appellino Genuensis vrbis Episcopo, qui ei consanguinitate proximus erat. Hic denique Appellinus vicinos Episcopos singulatim sibi iungere in auxilium Agrestini nisus est omni studio, ita vt Regem Clotharium tentaret si suæ partis assentator fieri voluisset. At ille sciens & experimento cognitam habens beati Columbani sanctitatem & discipulorum eius doctrinam, postquam diu redarguere tentauit grunnientis hæretici sectam, nec præualere potuit aduersus eam: statuit vt Synodali examinatione probaretur, non ambigens de auctoritate venerabilis viri Eustasij, quin omnes aduersantes sanctæ regulæ sua prudentia superaret.

Tunc

A Tunc emanante regali auctoritate, multi iam Burgundiæ Episcopi in suburbio Matisconensis vrbis conueniunt: inter quos maximus hæreticorum Vuarnacharius quidam, dum & ipse fieri vellet assentator Agrestinianæ partis, ipso die quando aduersus Eustasium altercatio futura erat, morte præuentus interijt. Sed nec eo terrore turbati ceteri consultores aduersæ partis, qui conuenerunt, deductum in medium Agrestinum depromere cogunt, quid contra regulam Columbani vel Eustasij obijciendum haberet. Tum ille trementibus labijs assistens, & nihil auctoritatis vel elucubrati eloquij habens, ait superflua quædam & canonicæ institutioni cõtraria in eorum studijs teneri, cochleam videlicet, quam lamberent, Crucis signo crebro signari, & in ingressu cuiuslibet domus intra cœnobium tam introeuntem quam egredientem benedictionem postulare: Columbanum etiam a ceterorum Ecclesiasticorum more descisscere, & sacra Missarum solemnia B multiplicatione orationum vel collectarum celebrare.

CONCIL. MATISCONENSE COGITVR.

Auditis huiusmodi obiectionibus, beatus Eustasius conuersus ad suæ partis Episcopos dixit: Vos, o decus sacerdotij, probare debetis, qui in Ecclesijs veritatis ac iustitiæ seminarium distribuant, & qui veritati ac religioni aliena tradant. Quicquid enim a norma veri tramitis dissentit, extra Ecclesiæ corpus segregari debet. Vestrum est discernere obiecta, an sint a Scripturarum serie aliena. Agrestinus ait: Tuo ore nobis edicito: nosse enim a te volumus, quod dignum super hoc responsum reddas? Sanctus Eustasius respondit: Nequaquam, ait, reor contrarium esse religioni, si cochleam quam Christianus lambit, vel quodcumque vas, aut poculum Crucis signo munit, cum per aduentum signi Dominici pellatur pestis aduersantis inimici.]

Fuisse quidem in more positum apud Christianos antiquitus, vt ad omnem actum & C ad omnem potũ & cibum signarent se signaculo Crucis, præter illa quæ de his Tertullianus tradit in libello de corona militis, & sanctus Hieronymus ad Eustochium, ex Eusebio suo loco vidimus Christianos milites in castris Ethnici Imperatoris militantes ex eo indicio detectos fuisse Christianos esse, quod ad omnem potum signarent poculum Crucis signo. Ad aliud vero accusationis caput quod obijciebatur, Eustasium ita respondisse, Ionas affirmat: Introeuntem vero monachum cellulam, vel exeuntem, benedictione Domini armari, ratum duco, iuxta Psalmistæ vocem [a]: Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in sæculum. Licet enim hoc ad vnumquemque Christianum referatur, vt gratia baptismi per fidem in Ecclesia seruetur, in eo videlicet, qui ad eam ingreditur, & vsque ad finem perseuerantiæ vigore firmetur: de quotidiano tamen D motu, siue ingressu, vel egressu, seu progressu vnumquemque nostrum signo Crucis armari, vel benedictione sodalium fas duco roborari.

[a] *Psal.* 120.

Multiplicationem vero orationum in sacris officijs credo omnibus proficere Ecclesijs: quia dum plus Dominus quæritur, plus inuenitur; & cum vberius oratione pulsatur, eo citius exaudire probatur. Nihil enim amplius desiderare debemus, quam orationi incumbere, sicut Dominus sub Apostolorum numero hortatur [b]: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Sic & Apostolus [c] nos sine intermissione iubet orare: sic omnis Scriptura sacra hortatur nos ad Dominum sine cessatione clamare. Nihil equidem tam vtile, tamq. salutare, quam Creatorem multiplicatione precum & assiduitate orationum pulsare.] ita quidem quod de multiplici collectarum numero (vt dictum est) argueretur monastica institutio, nihil iudicatum est esse quod repugnaret constitutionibus sanctorum E Patrum; quibus illud tantum prohibitum fuisse, suo loco diximus, ne quis præsumeret orationes in ecclesia publice recitandas ex sua inuentione proponere. Sed pergit Ionas:

[b] *Matth.* 26. & *Luc.* 22.
[c] 1. *Thes.* 5.

His & horũ similibus responsis confusus Agrestinus, addit garrulitatis noxam: calumniatur capitis comam inepte præcidi, & ab omnium hominum more descisci. Eustasius autem, vt erat virtute patientiæ & scientiæ comptus: In præsentia, ait, omnium horum qui præsto sunt sacerdotum, ego eius discipulus & successor, cuius tu disciplinam & instituta damnas, te ad diuinum iudicium cum eo intra præsentis anni circulum causaturum inuito, vt iusti Iudicis examine sentias, cuius famulum tuis detractionibus maculare procures. His dictis, metus quosdam eorum qui Agrestinianæ partis fautores erant, perculit, hortanturq. omnes vt pacis nexu corda iungerent, & vt iste temeritatis audaciam tolleret, & ille paterno affectu labentem pijs correptionibus solueret. Ad hæc Eustasius:

PACEM SVADENT EPISC.

Vestris,

Vestris, inquit, libens satisfacerem precibus, si misera mens duritiam vecordiæ molliret, A
& correctis cauterio morbis, vel antidoto visceribus defectis, redux ad salutifera monita
remeare nitatur. Cogentibus ergo cunctis, Agrestinus simulatam pacem postulat, quod
postea actibus deprompsit. Eustasius vero mitis animi suasione flexus poscentium, pa-
cem tribuit, & pacis osculum illi porrexit.] hæc de fine Matisconensis Synodi Ionas: in
qua cum nihil vmquam obiectum sit ab Eustasio schismaticum illum esse hominem &
a Catholicæ Ecclesiæ communione seiunctum, vtique par est credere ipsum ante iudi-
cium, vt illic agere posset, quoquo modo palinodiam recantasse: alioqui illi pacem dari,
a 2. Ioan. repugnante sententia Apostolica [a], ex qua nec Aue ei dicendum erat, nequaquam insis-
sent Episcopi, neque Eustasius implere curasset. Sed finem initæ palæstræ spectemus. Ete-
nim etsi ad pacis osculum receptus est, haud tamen arma dimisit, sed occultauit, suo
illa tempore exerturus, vt fecit. nam audi Ionam: B

Vix ad interuallum breuis spatij manifestam vesaniam suam Agrestinus verecundiæ
ROMARICVS ET AMATVS SEDVCTI AB AGRESTINO. metu repellens, cœpit iterum monasteria tentare, & sub specie discipuli pretium proditionis taxare. Ad quemdam namque virum venerabilem Romaricum nomine venit, qui
primæ nobilitatis fuerat apud Theodobertum Regem habitus; postq. per exemplum
Columbani, ac per Eustasij prædicationem monitus, ad Luxouium veniens, monachicæ
institutioni se subdidit. Quo diu sub regulari tenore vitam agente, postea Eustasio an-
nuente, puellarum monasterium in suo proprio inseruit, & regulam Columbani illis cu-
stodiendam indidit. Cumq. iam multa religione polleret, ad eum Agrestinus pergit, sese q.
subditum atque obedientem simulat; simulq. Amatum, quem ibi Eustasius ob imbuen-
dam regulam præfecerat, mollibus sugillationibus tentat. Nam quibusdam sacræ reli-
gionis regulis ab eis neglectis, tam Amatus quam Romaricus ab Eustasio obiurgati fue- C
rant. Læsos ergo eos vt præsensit Agrestinus, exasperatas mentes suis assertionibus iun-
gere volens, stimulauit venenata verba sanas mentes recipere, & in contemptum regulæ
Columbani propriam vesaniam propagare. Poh dolor! exitiale vas ac letifera doctrina
repletum sanas mentes diabolica insania maculauit. Abiectis etenim pristinis institutis,
rudibus conati sunt præfati iam viri instruere plebem doctrinis.

Deinde nefandus Agrestinus ad venerabilem matrem Burgundoforam iter dirigit (*Ab-
batissa hæc erat monasterij sanctarum virginum, S. Columbani discipula*) vt etiam illam
TENTATVR FRVSTRA A SCHISMATICO S. BVRGVNDOFORA. suis stimulationibus, si valuisset, macularet. Quem beata virgo Christi non femineo more,
sed virili confudit responsione, dicens ad eum: Num tu confutator veritatis, & nouorum
introductor argumentorum ad hoc huc accessisti, vt veneno tuo dulcia mella perfunderes,
& vitalia alimenta letali amaritudine commutares? Miser ac detestabilis, tu detrahis il- D
lis, quorum ego virtutes agnoui, quorum doctrinam salubrem recepi, ex quorum eruditio-
b Isai. 5. ne multos cælestia regna penetrasse comperi. Meminisse te velim Isaiæ dictum [b]: Væ qui
dicit malum bonum, & bonum malum. Festina ergo ab his venenatis assertionibus rece-
dere, ne te ira Dei comprehendat. Confutatus itaque his famulæ Dei increpationibus
impius Agrestinus, rursus ad Romaricum & ad Amatum repedat, vt cœptum opus erro-
ris ad effectum nequitiæ perducat.] Magna plane ista fuit Burgundofora & celebris sa-
ctitate virgo, cuius res præclare gestas idem Ionas (vt ipse profitetur in vita sancti Co-
lumbani) conscripsit, de qua dicturi sumus postea. Sed de vltione diuinitus in seditiosos
immissa idem Ionas narrare pergit his verbis:

Nec defuit illis vltio diuina, cum & ipsi & alij complures iam ad hoc aspirarent, vt
DEI VINDICTA IN SCHISMATICOS. peruersi dogmatis hæretici huius assentatores, *id est, consentientes*, fierent. Lupi siqui- E
dem per intempestam noctem intra septa monasterij irrumpentes, aliquos ex fratribus
morsibus suis laniarunt, atque in prædicta peste derelictos diræ morti miserabiliter tradi-
derunt. Quemdam etiam Plereum nomine, qui adhuc discordiæ fomitem vehementer ad-
ministrabat, dæmonum rabies peruasit, & ignobiliter ad extrema perduxit: nam propria
manu ipse laqueo se suspendit. Porro cum hæc vltio nequaquam fieret correctio delin-
quentiũ, maior protinus vindicta secuta est. Subito namque fulgur ingens e cælo lapsum,
tanto fragore percutit locum, deuastat monasterium, tegumenta subuertit, plebem exu-
rit, vt præsens correptio manifeste monstraret futuram debere fugere iram: mortuiq. sunt
ad præsens plusquam viginti homines, auctore tamen totius criminis ad pœnitentiam
reseruato, vt si cognosceret semetipsum & rediret, sanitatem proculdubio reciperet: nul-
lum etenim Dominus perire desiderat; sed semper, quamuis grauibus delictis obrutum,

per

A per pœnitentiæ fomenta redire expectat. Cumq. sibi sæpius pœnitentiæ locum datum infelix Agrestinus non cognouisset: vt Eustasij sententia ad iudicium eum inuocantis prævaleret, ante triginta dierum circulum quam vertentis anni meta compleret, a seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus interijt; & occasio criminis dicebatur vxoris permixtio: quod quamuis multi dixerint, & vera asserere vellent, nostrum tamen affirmare non est: cuncta enim, iuxta Salomonem [a], adducet Deus in iudicium pro omni reatu, siue bonum, siue malum.] subdit de duobus ab eo subuersis monachis ad pœnitentiam receptis, necnon de Episcopis qui aduersabantur ad saniorem mentem reuersis, & erga instituta eadem propensioribus redditis, deq. mira propagatione ordinis, & alijs monasterijs recens erectis post superatas eiusmodi tentationes. Audisti finem schismaticorum, & ad declarandam veritatem Dei iudicium in vindictam prævaricatorum interpositum?

[a] *Eccl.* 12.

B Quod ad lapsos restitutos pertinet, subdit ista Ionas: Post hæc Amatus & Romaricus Eustasij patris indulgentiam postulantes, ab eo recipiuntur, & in pristinum gradum restituuntur.] Quod vero ad Amatum spectat, vere se pœnitentem exhibuit, adeo vt sanctitate claruerit; moriensq. se probe Catholicum esse declarauit, edita publice fidei professione: nam qui eius vitæ res gestas est prosecutus, hæc de ipsius pœnitentia & professione Catholica ante obitum [b]: Iam annũ in eo cilicio & cinere egerat, die ac nocte iugiter precibus vacans, cum præ nimio membrorum cruciatu, cute & carnibus exesis, nuda ossa parerent. Interim ille nihilominus cum lacrymis semper Domino loquebatur. Cum autem finem adesse sentiret, cuidam fratri ait: Affer epistolam Leonis Papæ, quam ille ad sanctum Flauianum scripsit, in qua Catholicæ fidei plenissima ratio cõtinetur. Allata est epistola; & cum illi legeretur, ita dixit: Sic credo, o Trinitas ineffabilis: Ita confiteor,

[b] *Vit. S. Amati Sur. die 13. Sep.* AMATVS POENITENS ET SANCTVS.

C Deus omnipotens: Ita de te sentio, Fili Dei Christe Iesu: Sic de te intelligo, Spiritus sancte, æterne Deus: Atque ita vnum Deum in Trinitate, trinumq. in vnitate confiteor.

Cum autem summa esset humilitate præditus, indignum se putauit, qui intra ecclesiæ septa sepeliretur. Iussit igitur sibi fodi sepulchrum in ipso aditu basilicæ Matris Dei, & hoc epitaphium, quod ipse composuit, ei imponi:

OMNIS HOMO DEI QVI IN HVNC LOCVM SANCTVM AD ORANDVM INTROIERIS, SI MERVERIS OBTINERE QVAE POSTVLAS, PRO ANIMA AMATI POENITENTIS HIC SEPVLTI DOMINI MISERICORDIAM DEPRECARI DIGNERIS: VT SI QVID MEA PRAVITAS DE MEIS PECCATIS OBTINERE NON POTVIT TEPIDE POENITENDO, OBTINEAT VESTRA TANTORVM CHARITAS SEDVLO DOMINI MISERI-

D CORDIAM DEPRECANDO.] hactenus epitaphium, quo veri pœnitentis specimen edidit; qui & ob præclara merita inter sanctos relatus, Idibus Septembris [c] anniuersaria memoria in Ecclesia celebratur.

[c] *Martyrolog. Rom. ea die.*

Romaricus etiam & ipse digne omnes veri pœnitentis numeros explens, sancto fine quieuit, & inter sanctos æque adnumeratus rediuiua memoria annis singulis colitur sexto Idus Decembris [d]. Sed mirati sumus, eos qui ipsorum res gestas sunt prosecuti, de lapsu nihil dicere: adeo vt omnino hoc remansisset incognitum, nisi Ionas in Eustasio, rerum sui temporis scriptor, id amplis notis testatum reliquisset, maiori vtique gloria Dei, & proficuo exemplo in eius Ecclesia, in qua raro contingit redeuntem ab hæresi siue schismate digne pœnitere. sed de his hactenus.

[d] *Martyrolog. Rom. dicta die.*

Quod ad res Orientales pertinet: cum nullã sibi adesse vim resistendi Persarum Prin-

E cipi Heraclius Imperator sentiret, tandem ad preces supplices se conuertit: & quamuis antea eodem vsus remedio, fuisset iam missa legatione repulsus; rursus tamen nouam legationem ad Cosrhoen Regem Persarum decernit, qua ab eo quibusuis iniquis conditionibus pacem exposceret. Non deerant argumenta perualida ad mouendum Regem, si apud superbum & fastu tumidum elatum victorijs hominem aliqua ratio locum habere potuisset: verum inflata arrogantia mens expers mox omnis redditur rationis. Præpotens vero præ ceteris illud potuisset ferream emollire ceruicem, quod idem ipse Cosrhoes profugus, exors regni, suis redditus infensissimus, fuisset tamen ab Imperatore Romano (vt suo loco dictum est superius) magna potentia in Imperium restitutus atque defensus: cuius præstiti adeo immensi beneficij si memor, si gratus existere voluisset, parere vtique naturæ legibus debuisset, vt redderet quod acceperat beneficium. At quid omnium legum exors barbarus truculentus? Quo cernit Romanum Imperatorem

DE LEGATIONE HERACLII AD COSRHOEN REG. PERSAR.

magis

magis se subijcere, eo se ipse aduersus eum omnemq. Christianorum gentē insolentius extollit, nec veretur impiam illam pacis conditionem per legatos præscribere, qua vellet, si pacem cuperet, ipsum cum omnibus suis Christianæ religionis fieri negatorem, cultorem vero Solis Persarum dei. Referunt enim hæc Annales [a] hoc anno his verbis: Anno octauo Imperij sui rursus Heraclius misit in Persidem legatos ad Cosrhoen postulans pacem. At Cosrhoes iterum eos spreuit, asseuerans: Non parcam vobis, donec Crucifixum abnegetis, quem Deum fatemini esse, & adoretis Solem.] hæc ibi. At respexit tandem, sero licet, Deus in Regem Assyriorum, quem dedit in opprobrium gentibus. sed de his suo loco dicendum erit.

[a] *Apud Miscel. lib. 16. an. 8. Heracl. Imp.*

QVi primus Bonifacij Papæ numeratur annus, idem & Redemptoris ponitur sexcentesimus decimusoctauus, Indictionis sextæ: cum ipse Pontifex in eminenti Petri cathedra collocatus, pastorali munere mentis oculis lustrans orbem, vnde lugeat, conspiciens vbique tragœdias; ex restitura tamen iam pene collapsa in Anglia Christiana religione, vnde lætetur, reperit argumentum, quod scilicet, qui iam profugi redijssent Episcopi, iterata Euangelij prædicatione, ex iacto semente manipulos læti referrent. Acceptis enim ipse Bonifacius litteris de conuersione Eadualdi * Regis, eiusq. sororis Edilbergæ, vxoris Eduini Regis, admodum lætatus, primum omnium diligentem operarium Euangelicum digna remuneratione prosequitur, & amice congratulatur. Etenim scribens ad Iustum Roffensem Archiepiscopum, eidem pallium in signum elargitæ plenitudinis potestatis mittit. Extant quidem ipsæ Pontificis litteræ hic merito recitandæ, quæ sic se habent [b]:

* Adelualdi Eadbaldi

[b] *Apud Bedam lib. 2. c. 8.*

Dilectissimo fratri Iusto Bonifacius.

BONIF. PAPAE V. EPIST. AD IVSTVM.

Quam deuote, quamq. etiam vigilanter pro Christi Euangelio elaborauerit vestra fraternitas, non solum epistolæ a vobis directæ tenor, immo indulta desuper operi vestro perfectio indicauit. Nec enim omnipotens Deus aut sui nominis sacramentum, aut fructum vestri laboris deseruit, dum ipse prædicatoribus Euangelij fideliter repromisit [c]: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quod specialiter, iniuncto vobis ministerio, eius clementia demonstrauit, aperiens corda gentium ad suscipiendum prædicationis vestræ singulare mysterium. Magno enim præmio fastigiorum vestrorum, delectabilem cursum bonitatis suæ suffragijs illustrauit, dum creditorum vobis talentorum fidelissimæ negotiationis officijs, vberem fructum impendens ei quod signare possitis, multiplicatis generibus præparauit. Hocq. etiam illa a vobis repensatione collatum est, qui iniuncto ministerio iugiter persistentes, laudabili patientia redemptionem gentis illius expectatis; & vestris vt proficerent meritis, eorum est saluatio propinata, dicente Domino: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saluari ergo estis spe patientiæ, & tolerantiæ virtute: vt infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata, sui consequerentur misericordiam Saluatoris.] hæc dum Bonifacius Papa inculcat, satis ostendit, profectionem ipsorum in Galliam non fuisse fugam, vt illuc amplius reuertendi desierit animus, sed potius ad tempus factam secessionem, vt ibi redeundi tempus expectarent opportunum; cuius rei gratia adeo eorum tolerantia a Bonifacio commendetur. Sed pergit epistola:

[c] *Matth. 28.*

Susceptis namque apicibus filij nostri Eadualdi Regis, reperimus quanta sacri eloquij eruditione eius animum ad veræ conuersionis & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cælestis certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium pleniſſimam salutem, immo quoque vicinarum, vestræ quoque prædicationis ministerio credimus subsequendam: quatenus (sicut scriptum est) consummati operis vobis merces a retributore omnium bonorum Domino tribuatur. Et vere per omnem terram exisse sonum eorum, & in fines orbis terræ verba ipsorum, vniuersalis gentium confessio, suscepto Christianæ sacramento fidei, protestatur.

Pallium præterea per latorem præsentium fraternitati tuæ, benignitatis studijs inuita-

ti,

A ti, direximus: quod videlicet tantum in sacrosanctis mysterijs celebrandis licentiam vtendi impertiuimus: concedentes etiam tibi ordinationes Episcoporum, exigente opportunitate, Domini præueniente misericordia, celebrare: ita vt Christi Euangelium plurimorum annunciatione in omnibus gentibus, quæ necdum conuersæ sunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas hoc, quod sedis Apostolicæ humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate seruare, intendens cuius rei similitudine tam præcipuum indumentum humeris tuis baiulandum susceperis: talemq. te Domini implorata clementia exhibendum stude, vt indulti muneris præmia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal summi & venturi Iudicis repræsentes. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.] hucusque Romani Pontificis epistola. DE VSV PALLII.

Quod ad statum rerum Orientalium spectat, nihilo hic annus superiore felicior fuit, etsi
B non cum Persis res acta: Chaganus enim Auarum Rex dolo, sub pacis nomine decipiens Heraclium Imperatorem, suburbia Constantinopolitanæ vrbis est deprædatus. hæc pluribus tradunt Annales summatim ex Theophane relata, & a Cedreno eadem repetita.

Edidit hoc nono anno sui Imperij Heraclius, exigente Sergio Patriarcha Constantinopolitano, pragmaticam sanctionem, ne quis cooptaretur in clerum, nisi in defuncti locum subrogaretur. Accidebat enim vt procerum fauore complures sese intruderent in eam Ecclesiam, adeo vt reditus ad alendos omnes non suppeterent. Id ergo cum ipse Patriarcha iam statuisset, ab eodem Imperatore ea quæ a se decreta essent, pragmatica sanctione firmari petijt, quæ sic se habet[a]:

[a] *Nouell. Impp. lib. 2. Nouel. 4.*

Etiam ea quæ sæpenumero ab hominibus excogitata præclare videntur, casus quidam forte fortuna superuenientes ad statum plane diuersum traducunt. Quale quiddam
C cum nunc quoque contigerit, vt ad præsens mandatum respiceremus, nos incitauit. Quippe cum ij qui clero sanctæ maioris Ecclesiæ in hac vrbe regia continentur, eius res non mediocriter grauari perspexerint, multis sanctitatem vestram molestantibus, vt diuersas personas in clerum recipiat, & in oratoria sanctissimæ Matris Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi qui Deus est, tam id quod est in Blachernis, quam quod in ijs quæ Vrbicij appellantur, adeo quidem vt inde diariorum quantitas *(quæ alij quotidianas vocant distributiones)* quæ ipsis datur, magnopere excrescat: Deinde petentibus vt aliqua etiam officia Ecclesiastica committantur alijs, de quibus non exigua rebus eiusdem sanctissimæ Ecclesiæ vtilitas proueniret. Cumq. quod ita geritur, correctionem consequi petiuerint: gratificandum tam sanctitati vestræ, quam ijs qui dicto clero continentur, duximus: vt certarum personarum numero circumscribantur indicatarum religiosarum ædium cle-
D rici, & qui Ecclesiastici ministerij officia gerunt: ita vt nemo possit inter indicatos clericos recipi, vel curas Ecclesiasticas suscipere prius, quam aliquibus ex eorum ordine deficientibus, ad eum numerum, qui vobis vniuersis placuerit, vel clerici dictarum religiosarum ædium, vel Ecclesiasticæ curationes redigantur. HERACL. SANCTIO DE CLERICIS ECCLES. CONSTANTINOPOL.

Hæc ergo vobis ita placita postquam nostras ad aures peruenerunt, precibus etiam nobis oblatis, vt per sanctionem nostram pragmaticam recte a vobis trutinata confirmarentur: non abs re nos, qui de commodis eiusdem sanctissimæ maioris Ecclesiæ Dei solicite semper cogitamus, reapse precibus vestris annuendum duximus, dictamq. sanctionem pragmaticam sanctissimæ apud nos Ecclesiæ largiti sumus, licentia vobis per eam concessa, vt eum qui manifesta emolumenta rebus Ecclesiæ affert, idq. vel per donationem, vel pactiones, vel per supremam voluntatem, vel alia ratione beneficium id quod ei da-
E tur excedentia: prius etiam quam dicti clerici, vel Ecclesiasticorum officiorum administratores ad statutum numerum redacti fuerint, citra vllam prohibitionem, voti sui compos fiat, ordine sacrorum canonum nihilominus obseruando: siue is ipse qui hoc agit, in aliquem ex prædictis cleris recipi voluerit, aut officium Ecclesiasticum consequi; siue animus ei sit alteri personæ hunc ordinem impetrare.

Hæc igitur cum indicata sanctio pragmatica contineat: retulit ad nos in præsenti sanctitas vestra, diuersas quidē personas indicatis cleris adscribi cupere, vel Ecclesiasticum officium accipere, vel tale quid alteri cuipiam impetrare, sed vereri ne postea quidam eis negotia facessant, inquirendo, quanam re ad vtilitatem rerum Ecclesiasticarum peracta, voti sui compotes facti fuerint; quando post aliquod elapsi temporis interuallū eis huiusmodi probatio difficilis accidat: Et quidem alios nolle nota esse, quæ tum in ipsos, tum erga Ecclesiam facta sint: vnde fiat, vt nonnulli ab ijs faciundis reuocentur, quæ ad vtilitatem

rerum

rerum Ecclesiæ spectant. Quamobrem ne per hanc occasionẽ id quod nuper ad eius vtilitatẽ est excogitatũ, damni causam ei præbeat: nos scientes supra omnes alios sanctitatem tuam Ecclesiæ sanctissimæ conducentia solicite curare atque perficere, fiduciam ei præstamus, quod haudquaquam indicatæ sanctionis, etiã absque illa obseruatione quæ per eam exponitur, ad dicta duo capita pertinentia procuret, respiciens (vt solet) ad ipsum Deum, qui omnium quidem religiosarum ædium inspector est, sed in primis sanctæ Dei maioris Ecclesiæ in hac ipsa regia vrbe, a qua citra intermissionem tot ac tantæ circa pias actiones expensæ proficiscuntur. Confidimus enim, quod etiam sola per se sanctitas vestra relatorum ab se capitum quodlibet examinans, in proposito negotio ea cum consultet, tum agat, quæcumque rebus Ecclesiasticis vtilitatem siue manifestam, siue quæ ignota vulgo esse debeat, afferre possunt.] quæ sequuntur (vt vides) litteris fuere grandiusculis exarata in Græco etiam exemplari Latinis notis: LEGI. DAT. VIII. KAL. MAIAS, C.P. DOMINORVM NOSTRORVM PIISSIMORVM PERP. AVGG. HERACLII ANNO NONO, ET HERACLII NOVI CONSTANTINI FILII IPSIVS ANNO SEPTIMO.]

Huic inscriptioni adijcimus aliam itidem temporis huius indicem, quam in Confessione ecclesiæ sanctæ Cæciliæ in Vrbe trans Tiberim positam legimus hisce verbis:

HIC REQVIESCIT THEODORVS V C GRAECVS VIZ . . . . . , TEVS QVI FVIT FIDELIS ET CARVS AMICVS MVLTORVM Romanæ Reip. VBLICAE IVDICVM AMICITIAE CVSTOS BENIGNVS PIVS DOMVI suae BENE PRAEPOSITVS . QVEM ETIAM LOCVM COMPARAVIT AVV . . . . . IORE ARCHIPBO TIT SCAE CECILIAE SOLIDOS SEX. DEPOSITVS DIE QV artadecimaVGVSTI IND. SEPTIMA. ET EIVS FILIVS THEODORIC . qui BIXIT M VII DEPOSITVS IDVS OCTOBRIS IMP DD NN PIISSIMIS AVGG HERACLIO ANNO NONO PC EIVSDEM DN ANNO OCTABO. ATQVE HERACLIO CONSTANTINO NOVO FILIO IPSIVS ANNO SEPTIMO INDICT. SEPTIMA. QVI VIXIT ANNOS PLVSMINVS LXXV.

DE PRETIO PRO SEPVLTVRA.

At quod audisti pretium datum pro sepultura: id quidem ex antiqua consuetudine, quam S. Gregorius abolere conatus est, vt ipse testatur in epistola ad Messalinum Episcopum [a], vbi hæc ait: Secundum nostrum institutum noueris nos illicitam antiquam consuetudinem a nostra Ecclesia omnino vetuisse, nec cuiquam assensum præbere vt loca humandi corporis pretio possit adipisci. Nam si Gentiles (vt arbitramur) viri Sichimitæ Abrahæ [b] pro Sarra mortua, atque in loco proprio humanda, sepulturam gratis obtulerunt, & vix magna eius importunitate coacti sunt vt pretium de loco sepulturæ percipe-D rent: nos qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa quid facere debemus. Hoc ergo fraternitatis vestræ iudicio committimus.] hæc Gregorius. Vides igitur post ipsius obitum eius decretum de sepultura pretio non tradenda exoleuisse. Sed quomodo iuste pieq. pro sepulturæ loco perpetuo conseruando aliquid tradatur & accipiatur, tu consule Canonistas id pluribus disputantes.

a *Gregor. lib. 7. epist. 4. Ind. 1.*

b *Genes. 23.*

IESV CHRISTI ANNVS 619. BONIFACII PAP. V. ANNVS 2. HERACLII IMP. ANNVS 10.

E

CONCILIVM SPALENSE.

SExcentesimus vndeuigesimus annus agitur, Indictionis septimæ, quo & nonus numeratur Sisebuti Hispaniarum Regis, secundum Chronicon Isidori: cum celebrata est in Hispania Synodus Spalensis, ita dicta, vt haud obscure titulus eius significat verbis istis: Synodus habita in ciuitate Spali, sub die Iduum Nouembrium, anno nono regnante glorioſissimo Principe Sisebuto, Era sexcentesima quinquagesimaseptima.] Sed licet ita titulus habeat, breuitatis causa, pro Hispalensis, Spalensis dicta videtur, sicut loco Hispalis, Spalis, cum non dubium sit intelligi de præclarissima illa ciuitate, quæ in Bætica prouincia est, cuius bene notus, qui eidem Synodo præfuit, Episcopus Isidorus erat.

In hac autem Synodo controuersiæ plures diuersarum Ecclesiarum per sessiones singulas, quæ extant numero tredecim, sunt decisæ, & quidem satis erudite, vt pote S. Isidori, qui præfuit, doctrina examinatæ. In quibus obiter illud notamus, improbari ministros

Episcopi

A Episcopi esse laicos. Sunt enim hæc verba in nona sessione, cum de œconomo statuunt, vt sit clericus, sicut & alij : Oportet nos & diuinis libris & sanctorum Patrum obedire præceptis, constituentes, vt hi qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione, nec habitu.] Sed & illud obseruatione dignum, veteri monachis omnem consuetudinem cum dicatis Deo virginibus: nam hæc in vndecima sessione: Ea circa monachos disciplinæ cautela seruata, vt remoti ab earum peculiaritate, nec vsque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum: sed nec Abbati, vel ei qui præficitur, extra eam quæ præest, loqui virginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum pertinet, licebit; nec cum sola quæ præest frequenter eis loqui oportet, sed sub testimonio duarum aut trium sororum, ita vt rara sit accessio, & breuis omnino locutio. Absit enim vt monachos (quod etiam dictu nefas est) Christi virginibus familiares esse velimus, &c.] ita sanctissimi Patres, non amplius his securitatis tribuentes, quam Adam & Euæ in paradiso Dei existentibus.

Quid autem actum sit cum hæretico Eutychiano eius partis quæ dicitur Acephalorum, demonstrat decima sessio. Iam diaboli opera in Hispanias vsque ex Orientalibus oris venenum diffusum erat, vt nisi quantocyus eidem remedium parasset sanctissimus Isidorus, perfacile illud potuerit Hispaniarum Ecclesias labefactare. Magno vero diuinæ dispensationis beneficio impegit in scopulum, qui ex Oriente venenatas merces detulit in Hispanias: scopulum dixerim fidei robore fortem atque constantem Isidorum Episcopum. Sed breuiter totius duodecimæ sessionis progressum audi, quæ sic se habet: Duodecima Actione ingressus est ad nos quidam ex hæresi Acephalorum, natione Syrus (vt HAERETICI ACEPHALI EVTYCHIANI CONVERSIO.
asserit ipse) Episcopus, duarum in Christo naturarum proprietatem abnegans, & Dei-
C tatem passibilem asserens: cuius dum nostris sensibus tanti erroris confusio patuisset, prolatis illi de incarnatione Domini nostri Iesu Christi testimonijs, sanctorumq. Patrum sententijs recitatis, omni eumdem exhortatione ad veræ fidei rectitudinem sacerdotali modestia inuitauimus. Qui salutaribus monitis pertinaciter per multos diuturnosq. communionis conflictus renitens, tandem gratia diuina edoctus, cunctis coram astantibus, hæresim propriam abdicauit, duasq. naturas & vnam personam in vno eodemq. Domino nostro Iesu Christo confessus est, credens impassibilem naturam Deitatis, atque in sola humanitate suscepisse infirmitates passionum & Crucis. Conuersus itaque atque receptus, susceptæ fidei confessionem cum stipulatione iureiurando protulit, atque ab omnibus purgatus apparuit. Taliq. pro merito gaudentes, Christo gratias egimus, quod eumdem post prauitatem hæresis, ad rectitudinem fidei diuina gratia pro-
D mouisset. Quem optamus, vt permanens in fide Christi pure ac deuotissime conseruetur.] ita Patres.

Qui scientes quam infida esse soleat fides hæreticorum pœnitentiam præseferentium, ad omne malum cauendum vel quod per eumdem in Hispania factum esset, vel fieri post hæc posset, salubri inito consilio, sequenti sessione quæ vltima est numero decimatertia, edito canone, perfectam edidere doctrinam, qua penitus Acephalorum error confutaretur, parantes antidotum ad omnes morsus venenosi serpentis, perfectam de incarnatione Domini confessionem ponentes, quam & singuli singulis subscriptionibus muniuere octo numero qui Synodo interfuerunt Episcopi.

Porro ipse Rex Hispaniarum Sisebutus hoc ipso anno nono sui regni ex hac vita transiuit ad superos, pietate quidem vir insignis, de quo hæc apud Chronicon Lucæ Tuden- SISEBVTI REGIS OBITVS.
E sis: Adeo, inquit, post victorias clemens fuit, vt multos ab exercitu suo hostes in seruitutem redactos, pretio illorum dominis dato, absolueret: adeo vt eius thesaurus redemptio fuerit captiuorum. Ecclesiam sanctæ Leocadiæ præfatus Princeps miro opere fundauit.] fuisse ipsum moribus sanctum, scientijs eruditum, & in bello manu potentem, idem affirmat. Sed de Sisebuto Rege hactenus, qui successorem habuit Reccaredum paruulum filium, qui ab obitu patris post sex menses itidem moritur: eiq. successit Suinthilla anno sequenti; qui pulsis ijs qui nomine Imperatoris aliquas tenebant in Hispania ciuitates, ipse solus monarchia potitur Hispaniarum.

Inter hæc autem in Oriente tumultus bellici in dies magis augentur, Persis Galatiam CAPTA A PERSIS ANCYRA GALATIAE.
inuadentibus, qui & Ancyram eius prouinciæ Metropolim occuparunt. Tot cladibus obrutus Heraclius Imperator, cogitur rursum cum Auarum Rege Gaiano inire concordiam, & petere pacem, paraturus anno sequenti expeditionem in Persidem, si liceret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

APPARATVS AD BELLVM PERSICVM.

VIgesimus supra sexcentesimum annus adest, Indictione octaua: quo Heraclius Imperator, inita pace cum Auarum Rege Gaiano, totus est in expeditione paranda aduersus Persas, sequenti anno contra eos moturus exercitum. Sed quod primum existimatur robur exercitus, pecunia cum careret, nec vnde mutuo eam acciperet, vspiam esset, vel aliquod a populis exigendi tributum spes vlla reliqua remaneret, sæpe ijsdem spoliatis a Persis: eo tandem adactus est, vt ab ecclesijs & alijs religiosis domibus mutuo pecuniam quæreret, quam esset eisdem restituturus: sed & quod ea non satis esset, sacris B vsus est vasis aureis vel argenteis ad conflandam pecuniam, qua posset militibus pro templis ipsis certantibus stipendia soluere. Hæc autem de pecunia & vasis sacris in pecuniam conflatis, Theophanes sic habet: Sumptis autem mutuo venerabilium domorum pecunijs, a penuria coarctatus, accepit etiam Ecclesiæ magnæ multa candelabra simul & vasa ministratoria: quibus conflatis, exarari fecit in his nummos aureos & argenteos plurimos.]

Porro collectio istiusmodi pecuniarum non facta est Constantinopoli tantum, sed & in alijs totius Imperij ciuitatibus, in quibus pretiosum aliquid inuentum esset. Legati sunt in Orientalem vniuersam plagam ab Imperatore Quæstores viri quidem insignes: Alexandriam autem & in vniuersam Aegyptum missus est Nicetas Patricius, de quo superius diximus. Hic igitur cum Alexandrinæ Ecclesiæ pecunias in fiscum inferre co- C naretur, nactus est aduersantem Ioannem Alexandrinum Episcopum, qui cuncta soleret in pauperes erogare, cum negaret se daturum, quod suum non esset, sed pauperum. At quomodo hæc altercatio memoria digna transacta sit inter ipsum Nicetam Patricium, atque Ioannem, petamus a Leontio Neapolis in Cypro Episcopo, qui omni sinceritate res ab ipso Ioanne gestas scriptis mandauit [a]. Sunt ea huiusmodi quæ in magnam admirationem legentem adducant, vt nisi essent a grauissimo eius temporis scriptore prodita, vix fidem apud aliquem inuenirent. Sed hic totidem verbis reddamus: sic enim se habent:

[a] Extant apud Sur. die 23. Ianuar.

IO. ELEEMOSYNARIVS RESTITIT NICETAE EXACTORI.

Accedens ad beatum Ioannem Patriarcham Nicetas Patricius: Manus, inquit, Imperatoris eget multis pecunijs, quas ad necessarios vsus Reipublicæ quotidie consumat. Nam ipse quoque vides, in quantas angustias redacta sit Respublica. Oportet er- D go, vt quæ temere & ad nihil quod oportet a te consumuntur, deferantur ad ærarium publicum. Ille autem nihil propterea conturbatus: Non est, inquit, iustum, vt quæ Regi cælesti sunt consecrata, prodantur Regi terreno: est hoc enim plane sacrilegium, & non paruum in Deum peccatum. Sin autem tibi visum est sic facere: ecce quæcumque sunt Ecclesiæ, ea accipe, & fac vt volueris, si quidem nulla ratio ab hac te abducit sententia: mea enim voluntate ne obolum quidem dimittam eorum quæ sunt reposita.] hæc quidem ipse: cui, eo quod causa esset Deo grata, vt per Heraclium Persæ debellarentur, & sancta Crux vindicaretur ex ipsorum manibus, ad rem tantam diuinitus aliæ, quas donaret Nicetæ Patricio & Quæstori, sunt suppeditatæ pecuniæ, vt proxime audies, magno miraculo, quod exigebat maxima causa, ipsa scilicet vindicatio sanctissimæ Crucis de manibus barbarorum. pergit enim Leontius: I

AVRVM DIVINITVS SVPPEDITATVM.

Nihil ergo (nescio quomodo) ex eo repressus vir ille admirabilis *Nicetas*, vocat eos qui sequebantur, & statim iubet tollere pecunias, nihil aliud relinquens Patriarchæ, nisi solas centum libras auri. Interim autem dum descendebant ij qui eas portabant, occurrunt quibusdam ascendentibus ad Patriarcham, qui mellis amphoras afferebant ad eum, in quarum nonnullis inscriptum erat, MEL PRIMARIVM, in alijs autem, MEL FVMO CARENS. Postquam ergo hæc vidit Patricius, & agnouit inscriptionem, significauit Patriarchæ, vt ad ipsum mittatur vna ex amphoris. Cum is autem cuius fidei hæc commissa fuerant, eorum (vt mos est) feciisset periculum, & deinde intellexisset quod in eis factum erat miraculum, & beato Ioanni significasset quod sunt omnia auri plena; illico vnum mittit ad Patricium, quod inscriptum erat, MEL PRIMARIVM. Ad eum autem mittit etiam litteras, quarum hæc erat vis:

Domi-

A Dominus, qui dixit[a]: Non te dimittam, nec te derelinquam: ipse pro ijs, quas tua cel- *a Hebr. 13. Ioſ. 1.*
situdo nunc abstulit, pecunijs reddidit alias: id autem tibi declarabit quæ nunc ad te mis-
sa fuit amphora, quæ est vna ex ijs. Scias ergo, quod Deum, qui spiritum & alimentum
omnibus suppeditat, homo in quem cadit interitus, nequaquam poterit in angustum
redigere.] hæc breuiter ad Nicetam Patricium Patriarcha. Pergit reliqua ita nar-
rare Leontius:

Porro autem præcipit etiam ijs qui ferebant amphoram, vt eis præsentibus aperire-
tur in conspectu Patricij, & ei renunciarent, quod aliæ omnes, quas vidit, ita se habent,
& sic sunt auro plenæ. Cum eum ergo inuenissent conuiuantem, ei tradunt epistolam,
ostendentes etiam amphoram. Quam quidem postquam vidit: Irascitur mihi omnino
dominus meus, inquit; neque enim vnam mihi solam misisset. Qui autem portabant,
B quomodo fuerat eis imperatum, cum in eius conspectu aperuissent amphoram, & pecu-
nias effudissent, annunciabant fuisse reliquas auro similiter repletas. Cum vero perle-
gens epistolam, inuenisset quod homo Deum non potest in angustum redigere: ad se po-
stea reuersus, & timore repletus (eorum enim quæ non recte facta sunt pœnitentia cito
mouetur generosa virtutis amans anima) Viuit Deus, exclamauit, nec humilis Nice-
tas sustinebit tentare eum in angustum redigere. Cum statim itaque surrexisset, & quas-
cumque ex Ecclesia sustulerat pecunias rursus sumpsisset, & ipsam quæ missa fuerat
amphoram, quin etiam e suo libras trecentas addidisset, ascendit ad Patriarcham, ve-
niam petens inconsiderati consilij. Ille autem eum lubenter excipiens, neque ei expro-
brauit, neque aliquid locutus est quod ei afferret molestiam, sed verbis potius animum
consolantibus & spiritualibus admonitionibus confirmatum amandauit. Ab eo autem
C tempore tanto fuerunt inter se coniuncti vinculo amicitiæ, vt etiam Patriarcha fuerit eius
filiorum susceptor.] hactenus Leontius de magno illo Dei Eleemosynario, cui re vera non
semel e cælesti thesauro potentiæ diuinæ, cui omnia parent, vnde dare pauperibus posset,
copiose Deus est elargitus: ne putes a tanto viro scriptas fabulas, cui testimonium perhi-
bet septima œcumenica Synodus, ex cuius Actis habetur expressum etiam Simeonis
Sali vitam ipsum scripsisse, necnon historiam sui temporis, incipientem a Mauritio nar-
rare eas quæ fuerunt in Ecclesia perturbationes, qua caremus. Porro qui exscripsit ex
prototypo, Metaphrasten paraphrastice aliquid addidisse ad Acta Leontij, non nega-
mus, vt quæ postea addidit haud veritate constantia verbis istis:

Hic re vera bonus pastor, diuinus inquam Patriarcha, credens principi pastorum Chri-
sto, qui iubet[b]: Si persecuti fuerint vos in vna ciuitate, fugite in aliam: cũ esset Alexandria *b Matth. 10.*
D tradenda Persarum manibus, diuina prouidentia illinc quidem recedit, migrat autem in
suam patriam Cyprum, suum ei corpus largiturus, vt quæ eum aluerat: præsciuerat
enim iam appropinquare decessum.] hæc inquam ab ipso addita, nulla est apud me dubi-
tatio: etenim Persarum incursionem factam in Aegyptum diu ante contigisse, certum est
ex ijs quæ superius dicta sunt: quo tempore ipse nequaquam suam reliquit Ecclesiam,
etsi latebras, ne captiuus duceretur, captasse potuit. Ceterum huius Alexandria profectio-
nis alia causa longeq. diuersa fuit. Cum enim virtutem tanti viri Nicetas Patricius co-
gnouisset, optauit eum ducere ad Imperatorem Constantinopolim, quo ab ipso percepta
benedictione, securior ille ad Persicum bellũ proficisceretur: id quod demonstrant ipsius
verba Leontij, quæ sequuntur in hunc modum: Is itaque, cuius sæpe mentionem feci-
mus, Patricius Nicetas, accepta occasione ex eo quod Persæ irruperant, obsecrat virum
E diuinum, vt veniat vsque ad regiam ciuitatem, precibus & benedictione impertiturus Im-
peratorem.

DE RECESSV IO. EPISC. ALEXANDRINI.

Ille autem cum sciret qualis esset fides viri clarissimi, annuit quidem petitioni. Cum
ambo autem naue veherentur, & iam essent in medio mari, incidunt in grauem tempe-
statem. Cum vero nauis tam vehementer quateretur fluctibus, vt mox esset mittenda
in profundum, visus est nocte illa, qua fuerat excitata tempestas, Patricius in somnis
videre Patriarcham cum pauperibus aliquando quidem per totam nauem circumcur-
santem, aliquando autem cum ipsis manus extendentem, & e cælis petentem auxilium.
Cum autem iam in Rhodum insulam peruenissent, ipse ille Patriarcha cum a se discessisset,
re vera vidit & non in somnis splendidum virum eunucho similem, aureum sceptrum
habentem in manibus, ad eum accedentẽ dicere: Vocat te Rex Regum.

Statim ergo accersito Patricio, cum dixisset qualem habuisset visionem: Tu, inquit, o A vir splendidissime, studuisti nos deducere ad eum qui regnat in terra: qui autem cælum & terram & omnia sua tenet ditione, prior ad se accersijt. Ille vero hoc dicto tristitia affectus, & dolore repletus, non potuit quidem eum retinere; sed cum venerabilium eius precum fructum iucunde accepisset, quam potuit officiosissime eum dimittit in Cyprum.

TESTAMENTVM IOANNIS ELEEMOSYNARII.

Cum autem in suam ciuitatem peruenisset Amathuntem, iussit Scribis vt scriberent testamentum, quod sic habebat: Ioannes humilis quidem seruus seruorum Dei, propter autem mihi impositam Pontificatus dignitatem gratia Christi liber, ago tibi gratias, Domine Deus meus, quod me dignum censueris, qui tua tibi offerrem, & quod ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum, nisi tertia pars nummi, quam ipsam iubeo quoque dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo. Quando enim Dei permissione creatus fui Episcopus Alexandriæ, inueni in meo Episcopatu circiter octo millia librarum auri: B ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures his pecunias; quas cum cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam.

OBITVS EIVSDEM IOAN. ET MIRACVL. IN SEPVLTVRA.

Cum hoc testamentum sic fecisset, ille magnus homo Dei deposuit spiritum in manus Dei viuentis. In eius autem sepultura fit miraculum, quod nulli cedit ex ijs quæ vmquam facta sunt mirabilia. Nam cum esset deponendus in æde oratoria admirabilium operum effectoris Tyconis, in quadam capsa, in qua erant condita duo corpora Episcoporum, videre licebat hæc mortua corpora veluti animata tribuere cultum beato corpori: nam a se inuicem seiuncta id medium accipiunt. Et hoc quidem quod euenit in eius sepultura, visum est multorum oculis.] pergit Leontius alia narrare miracula, quæ post obitum ad eius sepulchrum facta sunt; sed hæc satis ad institutum. Porro celebris est toto orbe Christiano memoria S. Ioannis Eleemosynarij, cultu sanctis debito honorata, quæ anniuersaria C die qua obijt, hactenus repetita in Ecclesia [a] magno præconio perseuerat.

[a] *Martyrolog. Rom. die 23. Ianuar.*

GEORGIVS IOANNI SVCCEDIT IN EPISCOPATV.

Ioanne itaque ad superos (vt vidimus) euocato, hoc ipso anno, qui decimus ponitur sedis eius (tot enim tradit Nicephorus vixisse in Episcopatu) in locum ipsius suffectus est Georgius. hunc illum esse consobrinum putamus eiusdem Ioannis, de quo in Actis Leontius elegantem hanc scribit historiam:

Magni Ioannis consobrinus erat, nomine Georgius. Is contumelia affectus ab aliquo caupone ciuitatis, vehementer fuerat morsus, & id ferebat grauissime. Id enim faciebat magnum quod erat inter eos discrimen, nempe & eius cum magno affinitas, & nimiæ sordes & humilitas eius qui fecerat iniuriam. Accedit ergo seorsum ad beatum Ioannem adolescens, lacrymis & dolore cordis, quo angebatur, deplorans iniuriam. Cum sic eum vidisset victum ab omni perturbatione Patriarcha, volens eum demulcere & veluti re- D creare: Et ausus est, inquit, omnino os aduersus te aperire, & omnino contumelia afficere aliquis eum, qui est mihi carissimus? Benedictus Dominus, rem in ipso faciam, vt admiretur omnis Alexandria.

MANSVETVDINIS DIGNVM EXEMPLVM.

Postquam autem vidit eum propter id quod dixerat, paululum remisisse de animi ægritudine: Fili, inquit, mihi iucundissime, si re vera vis meæ paruitatis esse & nominari consobrinus, para te ipsum non solum aduersus contumelias, sed etiam si sit amplius aliquid dicendum, etiam aduersus ipsa flagra. Vera enim nobilitas non ex sanguine & carne, sed ex virtute animæ accipit formam & characterem. Statim ergo accersito principe cauponum, ei denunciauit, ne consuetum deinceps vectigal acciperet ab eo qui suum consobrinum affecerat contumelia, aut aliquid ex ijs quæ ab eo de more dabantur Ecclesiæ. Propter quæ admirati omnes incomparabilem illius patientiam, intellexerunt omnes hoc esse supplicium, quod erat miratura tota Alexandria.] hucusque Leontius. Porro quod antiquitus in more esset positum Ecclesiæ Alexandrinæ, vt defunctis illis Episcopis qui præstantiores fuissent, & eam illustrassent Ecclesiam, aliquis ex eorum propinquis successor eligeretur (vt vidimus de Cyrillo nepote Theophili in locum eius subrogato) inde ducimus argumentum, vt quem ponunt successorem Ioannis Georgium, is fuerit eiusdem, quem diximus, consobrinus. Sed de his satis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 621. BONIFACII PAP. V. ANNVS 4. HERACLII IMP. ANNVS 12.

CVm ageret Heraclius in Imperio annum duodecimum, & annus esset Domini sexcentesimus vigesimusprimus, mense Aprili, die quarta, Indictione nona (*ita corrigendum pro decima*) celebrata solēnitate Paschali, mox secūda feria vesperi motus est contra Persidem.] hæc ex Theophane. Et paulo post: Dimisitq. filium suum cum Sergio Patriarcha in vrbe, disponendi causa negotia vna cū Bonoso Patricio viro sagaci & per cuncta prudenti atque perito. Scripsit autē & ad Gaianum Regem Auarum preces curā agen- HERACLII EXPEDITIO IN PERSAS.
B di super Romanorum negotijs, tamquam qui secum amicitiam fuerit pactus, tutorem filij sui hunc appellans. Motus autem a regia vrbe, exiuit per locum qui dicitur Portæ, nauigio iter agens.] Quomodo vero antequam in hostes proficisceretur, delectu habito, exercuit ad prœlium desides milites, narrat, cum & iuramento se militibus loco parentis obstrinxit. Sed quomodo id tunc ab eo factum sit, itidem ex Theophane accipe: Imperator venerandam Christi imaginem manibus sumens, illam videlicet, quam non hominis manus coloribus pinxit, sed Dei virtus, qua effectum est vt sine semine conciperetur in vtero & nascerētur, id miraculo ante præstiterat, ea inquam sumpta, iurauit vniuerso exercitui se vna HERACLIVS CONFIRMAT MILITES.
cum illis vsque ad mortem strenue certaturum, militesq. omnes loco filiorum habiturum. ita beneuolentia potius quam potentia sibi conciliauit exercitum, fortemq. reddidit aduersus Persas eiusmodi verbis:

C Videte fratres & filij, quot inimici Dei conculcauerint regionem nostram, & vrbes exterminauerint, & altaria concremauerint, & mensas incruentorum sacrificiorum sanguinibus homicidiorum repleuerint, & ecclesias, quæ flagitia non admittunt, flagitiosissimis repleuerint voluptatibus.] his adiecit præcepta, quibus omnes commonuit sectari iustitiam ac pietatem, & a peccatis penitus abstinere. Hæc omnia ex Theophane: reliqua petimus ex Cedreni Annalibus, in quibus ista subijciuntur, quibus allocutus sit Sergium Patriarcham: In manibus Dei, Deiparæ, & tuis relinquo vrbem hanc, & filium meum. Inde magnum templum ingressus, atratus calceos, pronus procubuit, & ita precatus est: Domine DEI AVXILIVM SVPPLEX IMPLORAT HERACLIVS.
Deus & Iesu Christe, ne nos propter peccata nostra hostibus tuis irridendos præbeas, sed intuere in nos, ac miserere nostri, & victoriam de hostibus tuis concede, ne glorientur scelerati, & tuæ insultent hereditati. Hunc ita animo demisso orantem videns Georgius Pi-
D sidensis, ita allocutus est:

Nigrum, Imperator, nunc indute calceum,
Rubefacies tinctum cruore Persico.

Inde Heraclius in manus sumpta Christi imagine, quam sine manuum opera effectam supra retulimus, Euxinum mare aduersus Persas nauigauit.] Sed quid ante hæc hostes? ex eodem sic accipe:

Interea Saes * a Cosrhoe Persarum Rege cum magno exercitu contra Romanos missus, * Sain LEGATI LXX. DECEPTI A SAI ET MALE HABITI A COSRHOE.
vniuersum Orientem vastat: cumq. ad Chalcedonem vsque peruenisset, ibi aliquandiu assedit. Idem Heraclium simulata pacificationis spe ad colloquium de pactis inuitauit. Et Imperator Sais fallacibus verbis deceptus, mittit cū eo septuaginta de proceribus suis legatos ad Cosrhoen, quos Saes vinctos cum contumelia in Persidem adduxit. Sed Cos-
E rhoes Sai, quod Heraclium vidisset, neque cepisset, cutem detrahi, legatos Romanos in custodiam dari, maleq. tractari iussit.] Aderat tunc cum Sai Persarum exercitus duce Anastasius Persa, qui postea martyr fuit, & hoc anno Persas relinquens ad Christianos transfugit, de quo ista [a] in rebus gestis ipsius: Erat ei quidam frater genere & cōmilito: ambo autem relati in numerum exercitus Sain, venerunt vsque ad inclytam Chalcedonem. *a Act. S. Anast. apud Sur. die 22. Ian.*
Cum autem diuinus Heraclius eruptione facta in Persidem contra Sain retraxisset, rursum Persa exercitum aggressus est, & in suam regionem vehementi studio est reuersus. ANAST. PERSA AD CHRISTIANOS TRANSIT.
Exercitum autem Persicum relinquit Anastasius, & refertur in aliū multo meliorem & diuiniorem.] prosequitur auctor, quomodo diuertit Hierapolim, & ibi rudimenta quædā fidei Christianæ susceperit, ac demum Hierosolymam petens, ibi a Modesto curante illam Ecclesiam est baptizatus. Sed antequam ista videamus (quod ita temporis ordo postulat) bellica prosequamur ex ijsdem Annalibus, in quibus hæc rursus de rebus gestis anni istius:

Alium deinde aduersus Romanos ducem emittit, nomine Sarbarum: qui maximis cum A
copijs Asiam ingressus, Romanorum ditionem deprædatus est.

DIGNVM SPECTACVLVM AB AVCTORE PROPONITVR.

Dignum plane consideratione spectaculum, cum altera ex parte vides astare Cosrhoen florentissimo pollentem exercitu, victorijs exaturatum, tot tantisq. triumphis ex subiugato tam in Oriente quam in Occidente Carthaginem vsque Imperio Romanorum elatũ, exuuijs sacris onustum, quibus & vicisse non Christianos tantum, sed ipsum Christianorum Deum & Dominum Iesum Christum superbissime iactaretur, cum trophæo est illo potitus insigni, quo vniuersa quæ sunt in terris atque apud inferos idem Dominus Iesus Christus subiugasse, a colentibus eum fidelibus vere diceretur; eumdemq. ipsum Cosrhoen tumido fastu Romanorum contemnentem Imperatorem, quem quantumlibet indignis conditionibus ipsius amicitiam omni demissione poscentem recipere dedignatur. In aduersam vero partem conuertens oculos, Heraclium intueris vbique ab Orientalibus & Oc- B
HERACLII VIRIVM IMBECILLITAS.
cidentalibus hostibus exagitatum, prouincijs spoliatum, exercitibus omnibus sæpe priuatum, a suis plerumque Præfectis in tyrannos mutatis elusum, ipsumq. tandem pro foribus vrbis pro libertate pugnare coactum, eumdemq. omni humana fiducia destitutum, a superis auxilium implorare, diuinoq. tantum auxilio fretum mouere acies, quas non ipse, sed Christus ducat, vniuerso exercitui conspicuus in imagine; atque ante altare procumbentem, deiectum humi pro suarum virium diffidentia, in signumq. doloris atratum, atque animo consternatum.

ROBVR PERSARVM.

Quidni desponderet animum, considerans robur Persarum inuictum ac penitus insuperabile, quos, dum ipsum Romanum Imperium florentissimum esset, tot bellicosissimi Imperatores superare minime potuissent, immo ab ijsdem victi plerique ipsorum indignissima pati coacti essent. Si tanta tunc pollerent ijdem barbari fortitudine, cum antiquis C
terminis retinerentur occlusi a limitaneis Romanorum legionibus coarctati: quanta iure putaret modo eos præstare potentia, esseq. viribus superiores, cum in Africam vsque Imperium propagassent? Quæ enim mens humana, hæc meditata, non languescret, & non deficeret penitus humanis viribus destituta cæcutiens prudentia carnis?

Sed tunc viribus auctus resurgit, cum didicit omnem suam in Deo collocare fiduciam, exemplo magni ducis, manu fortis, belligeriq. Regis & Prophetæ, dicentis [a]: Ad me ipsum conturbata est anima mea, propterea memor ero tui.] qui & quantum ex hoc sibi spondeat, alibi secure fatetur, vbi ait [b]: In Deo faciemus virtutem, & ipse ad ni-
HERACL. OMNEM SPEM COLLOCAT IN DEO.
hilum deducet tribulantes nos] ipse scilicet Dominus Deus exercituum, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio [c]. Viresccre sentit magis langueſcentem animum, dum eum irriguo diuinarum promissionum infundit, dum recolit dictum a Do- D
mino [d]: Confidite, ego vici mundum.] &, Data [e] est mihi omnis potestas in cælo & in terra.] dumq. Apostolico classico illa audit pronunciata [f]: Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, & castra verterunt exterorum.] dumq. scit magna fiducia dictum a Ionatha [g], & repetitum ab Asa Rege Iuda [h]: Non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis.] cum ille vno tantum milite armigero suo stipatus ingentes copias vicerit Philisthinorũ, iste vero longe impari numero fugarit prostraueritq. decies centena millia hostium falcatis curribus sepia: sed & cum in mentem reuocat etiam absque militibus pugnasse aliquando pro populo Dei aduersus hostes [i] cælestes acies, eosdemq. penitus deleuisse.

a *Psal.* 41.
b *Psal.* 59.
c *Psal.* 23.
d *Ioan.* 16.
e *Matth.* 28.
f *Hebr.* 11.
g 1. *Reg.* 14.
h 2. *Paral.* 14.
i 4. *Reg.* 19.

IVSTITIA ET RELIGIO HERACLII EXERCITVM COMITANTVR.

Talia vero tantaq. de Deo sperare posse pietas suadebat, atque iustitia promittebat. Militabat enim in castris ipsa religio, comitabatur vero iustitia: sanctificat illa bellum, E
ista coronat. Quænam vmquam religiosior hac bellandi causa præcessit, qua sacrosancta atque viuificum Crucis lignum Hierosolymis ablatum & translatum in Persidem repetitur, atque tot damna & ignominiæ illatæ vbique sanctis ecclesijs vindicantur, & quæ adhuc remanserant integræ defenduntur, & in omnibus pro religione ipsa seruanda certatur? Quod vmquam isto prœlio iustius, quo cum iusta quærantur, ingratissimi omnium Principis, qui Romanorum armis amissum receperat regnũ, iniustitia propulsatur, adeo læso ab ipso iure naturæ, & iure gentium violato, atque diuino penitus proculcato?

LEGITIMVM BELLVM.

Quod igitur religiosum iustumq. susceptt bellũ Heraclius, æque religiose ac iuste aggreditur atque prosequitur: cum primum (vt vidimus) ex legis diuinæ præscripto [k], hosti pacem obtulit, quam ille penitus respuit. His accesserunt efficaces ad Deum preces, cultusq. iustitiæ. Quæ vero quantave hæc secuta sint bona, anni singuli qui sequuntur significa-

k *Deuter.* 20.

ca-

A cabunt: haud enim tot ampliſſima dona valuerunt anni vnius periodo circumſcribi. Sed quæ ſubijciant ſuperius dictis [a] Annales, audi ſummatim iſta reddentes, quæ ſui magnitudine volumen expoſcerent:

[a] *Cedrenus in Annal. an. 12. Heraclij Imp. ante eum Theophanes, Zonaras, & alij.*

Vt Armeniæ fines intrauit, occurrere ſibi intellexit turmam equitum Perſarum, quibus animus erat ſubito ipſum adoriri. Sed Romani qui in primo erant agmine, cum in hos incidiſſent, multis cæſis, ducem eorum vinctum ad Heraclium adduxerunt. Ingruente hieme, in Ponticam regionem deflexit Heraclius: cumq. eum ibi hiematurum Perſæ opinarentur, clam ipſis reuerſus in Perſidem irruit. Hoc auditum barbarorum animos deiecit. Et eorũ ductor *Sarbarus nomine* cum Romanorum auertendorũ cauſa in Ciliciam duxiſſet, rebus ſuis metuens, neceſſe habuit Romanos a tergo ſubſequi. Cumq. ſtatuiſſet nocte quadam obſcura furtim hoſtes lædere, accidit forte vt Luna ea nocte emerge-
B ret. Itaque Romanos aggredi non auſus, montes occupat, atque inde digreſſus leuia committit prœlia, in quibus omnibus Romana res fuit ſuperior. Animos exercitui auxit Imperatoris alacritas, qui audacter in primam aciem profiliebat, ac pro ſuis propugnabat. Iuſta deinde conſerta pugna, victores Romani Perſicum exercitum deleuerunt: tantum paucis quibuſdam fuga elapſis, omnibus hoſtium impedimentis potiti ſunt. Ob hæc Romani Deo & Imperatori gratias egerunt. Ceterum Heraclius exercitu cum duce in Armeniam ad hiberna dimiſſo, Byzantium redijt.] hucuſque in Græcorum Annalibus de rebus geſtis hoc anno in Perſas: quibus hæc adduntur ad alia ex Theophane in Miſcella: Porro Romani, extentis in cælum manibus, Deo gratias referebant, & pro Imperatore, qui ſe bene probauerat, *indeficienter* orabant. Qui enim antea nec Perſicum audebant puluerem videre, nunc immota inuenta eorum tabernacula ſpoliant. Quis enim ſpe-
C raſſet Perſarum inexpugnabile genus terga daturum Romanis?] hæc ibi & alia quæ narrata ſunt totidem ferme verbis habentur expreſſa. Sic igitur tot tantaq. Crux Chriſti dona largitur, vincens Perſas, cum captiua detinetur a Perſis.

VICTORIA DE PERSIS.

Sed iam quem transfugam ad Romanos reliquimus Perſam voluntate Chriſtianum, conueniamus, eiusq. Hieroſolymam proficiſcentis & ſanctum baptiſmum ſuſcipientis veſtigia conſectemur. Acta enim ipſius ab auctore eius temporis ſcripta eſſe noſcuntur, cognitaq. in Nicæno poſteriori Concilio, quæ iſta habent [b]:

[b] *Apud Sur. die 22. Ianuar.*

DE ANASTASIO PERSA.

Primum quidem *poſt fugam ad Romanos*, cum veniſſet Hierapolim, diuertit ad quemdam Perſam Chriſtianum arte argenti conflatorem: & cum artem conflandi argenti exercuiſſet, manus quidem habebat intentas operi, animus autem ſemper & cogitatio in
D Dei amore verſabatur & alebatur, eumq. ſibi adhuc magis accendebat, & ab ipſo rurſus inflammabatur vehementius. Quamobrem eum rogabat ille beatus, vt diuinum baptiſmum conſequeretur, & omnino a prioribus ſordibus expurgaretur, & ab illa labe præſtigiarum: vt non ſolum voluntate & electione, ſed anima quoque & corpore eſſet purgatus, & fieret Chriſti partis, quam deſiderabat, illius ſignatus ſignaculo. Cum ille autem ex Perſis timeret periculum, & ideo morando, rem differret in futurum: interim quidem ad diuina templa aditione maghum ſuum ſolabatur deſiderium, & cum argenti conflatore ad ipſa adeunte ipſe quoque ſimul adibat, & cum orante ſimul orabat. Et cum ſanctorum miracula & certamina videret deſcripta in parietibus, de ijs admodum diligenter rogabat. Cum vero audiuiſſet, qualis eis vita, mores, & virtus, & qualia propter Chriſtum certamina, & qualem apud ipſum rurſus fiduciam eis liceret conſequi: non poterat amplius continere id quod eius parturiebat animus, ſed ſtatuit proficiſci Hieroſoly-
E mam, & baptiſmum illic conſequi.

Cum ergo in ſanctam peruenisſet ciuitatem, & acceſſiſſet in domum cuiuſdam qui ipſe quoque argenti conflandi exercitabat artem, ei aperit cauſam ſui aduentus, nempe quod vellet traduci ad pietatem & verum Dei cultum, & ad Chriſtum adduci per baptiſmum. Ille autem eum adducit ad Eliam ſanctæ Reſurrectionis ſanctiſſimum presbyterum: qui cum ſupinis (vt dicitur) manibus iuuenem accepiſſet, de eo refert ad Modeſtum, qui ſedi præerat Apoſtolicæ, & ſic diuinum baptiſmum aſſequitur, & venerandæ Crucis vere pulcher fructus oſtenditur; & Anaſtaſius, *ex Magundat*, tranſinutato nomine appellatur, ſumpta denominatione a reuocatione & ad meliora mutatione a priori infidelitate & præſtigijs. Vna autem cum eo baptizatur quoque quidam alius qui erat eiuſdem etiam patriæ & regionis, cuius Anaſtaſius, qui fuit eius quoque ſocius in perferendo pro Chriſto martyrio, & eaſdem eſt Edeſſæ coronas conſecutus.

ANASTASIVS PERSA HIEROSOLYMIS BAPTIZATVR.

Cum

Cum autem manſiſſet Anaſtaſius octoginta dies apud presbyterum, quibus non licet egredi eos qui modo fuere illuminati: rogauit eum diuinus Elias, quidnam de ſe deinceps velit. Ille autem rogauit vt habitum conſequeretur monaſticum. Cum vero ad hoc quoque annuiſſet presbyter (iam enim veluti ex quadam pellucida veſte & ex decoro habitu & ſtatu oſtendebatur nobilitas animæ, & quali virtute futurus eſſet Anaſtaſius, & ideo ipſe facile ceſſit eius precibus) venit cum eo poſt diuini myſterij celebrationem ad monaſterium ſancti Anaſtaſij, vt eius quoque fieret manſionis particeps, cuius futurus erat virtutis ſocius, ſicut etiam nominis. Ac monaſterium quidem ad quartum lapidem erat remotum a ſancta ciuitate, ei autem præerat Iuſtinus vir & alioqui clarus & boni ſpiritus, varijs donis ornatus. Quem cũ ſimul cum multis quoque alijs rogaſſet presbyter, in monaſterium admiſſus eſt Anaſtaſius anno decimo * Imperij Heraclij illius egregij & fidelis.] hæc auctor: corrigendus eſt tamen numerus errore corruptus, dum id accidiſſe dicit anno decimo Imperij Heraclij, cum liquido conſtet Sais ducis Perſarum, ſub quo Anaſtaſius militabat, aduentum Chalcedonem contigiſſe anno duodecimo Heraclij Imperatoris.

ANASTASIVS SVB IVSTINO ABBATE INSTITVITVR.

* duodecimo

Conueniunt his quæ dicta ſunt de monaſterio Anaſtaſij, quæ habet Antiochus huius & ipſe temporis ſcriptor in epiſtola ad Euſtathium, dum eiuſdem monaſterij meminit, aitque: Confugimus ad monaſterium ciuitati propinquum, quod quidem ab Hieroſolymis diſtat ſtadijs fere viginti, cui nomen Abbatis Anaſtaſij.] deq. Iuſtino Præfecto eiuſdem monaſterij iſta habet: Iuſtinus hic, Dei cum ſit ſapientiſſimus cultor, in illo ſuo monaſterio, gratia præduce Chriſti, numeroſam admodum confluentium eo loci adſciuit congregationem, ſic tenax & obſeruans canonis ac ceterarum conſtitutionum Laurenſis cœnobij, vt ab his neutrobi euariet, ſui ſemper ſimilis: adeo vt non facile quis vſpiam inueniat inter vitæ communis profeſſores, qui ſic tueatur ac ſeruet mordicus ſpiritualem viuendi ſanctionem. Floret is, & quotidiana virtutum acceſſione ſuccreſcit, fitq. magnus temporis progreſſu, vt ille olim eximius Iſaac: ita vt & nos quoties aciem mentis in hunc vnum preſſius intendimus, ac veluti ad ſcopum recta collineamus, incredibili perfundamur gaudio. In omni circum regione tanti patris celebritas inſtar pellucidi luminaris micat, ſplendoremq. ſuum eiaculatur. Semen eſt hic ſancti patris noſtri Sabæ.] hæc de Iuſtino Abbate Antiochus ad Euſtathium, a nobis hic relata tum ad pulchram conſenſionem vtriuſque hiſtoriæ demonſtrandam, tum etiam ad declarandum ſub quam ſancto viro fuerit Anaſtaſius ſpiritalibus inſtitutis educatus. Porro conueniemus eumdem Anaſtaſium iterum, cum martyrij candidatum eum agon excipiet.

IVSTINI ABBATIS VIRTVTES.

CHriſti Redemptoris annus adeſt ſexcenteſimus vigeſimusſecundus, Indictionis decimæ: quo ſancta Crux capta a Perſis & in Perſide collocata, ſua potentia, immo eius qui in ipſa paſſus eſt virtute corroboratos erectoſq. Romanos ad nouas victorias prouehit & exaltat, contra vero erectos ſuperbia Perſas, elatoſq. continuatis plurium annorum victorijs deprimit vſque ad ipſius Coſrhois miſerandum interitum. Iſta inquam omnia non humana virtute ſunt facta (nam ferme ſemper Perſis vis Romana ſuccubuit) ſed Chriſti potentia, cuius veneranda imago præcedebat Romanos exercitus: quod etiam ipſi fi profeſſi ſunt Perſæ, cum accidit ſecundum illud cantici Moyſi [a]: Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia? Nonne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.] ſed magna cum inuidia Iconoclaſtarum, qui optaſſent peſſumdatum potius Romanum Imperium, quam præuia ſancta Chriſti imagine vincere. Iam vero quæ hoc anno decimotertio Heraclij Imperatoris facta ſunt, videamus.

VIS MAGNA CRVCIS CHRISTI IN PERSIDE DEMONSTRATA.

a Deut. 32.

Vt tantis a Deo augeretur hoc potiſſimum anno Heraclius beneficijs, etiam in eo ipſius erga Deum pietas interceſſit, cum hæreticum hominem prauam hæreſim ſibi ſuadere tentantem confutauit, redarguit, atque a ſe procul abiecit. Iſta quidem habet Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in epiſtola data ad Honorium Romanum Pontificem, recitata in Actione duodecima Sextæ Synodi, verbis iſtis: Ante aliquod certum tempus, cum aduer-

A aduersus Persas confirmatus dominus noster & magnus victor Imperator promouebat exercitum propter certamina a Deo sibi creditæ Christo amabilis Reipublicæ, & ad partes Armeniæ prouinciæ peruenisset: vnus ex principibus impiæ partis Seueri execrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens, ad eius pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens, & hoc profecto dumtaxat satisfaciendo; in quibus pijssima eius ac regalis magnanimitas (cum ceteris enim donis Dei etiam diuinorum dogmatum locupletari scientia meruit) dum redarguisset ac depompasset prauam eius impietatem, profanis eius astutijs, sanctæ nostræ Ecclesiæ vt verus eius propugnator recta atque immaculata e diuerso protulit dogmata, inter quæ & vnius operationis Christi veri Dei nostri mentionem effecit.] hæc Sergius, dum prauam suam sententiam Imperatoris nomine nobilitare studuit, cum tamen non Imperator, sed ipse esset hæreticus, licet adhuc occul-
B tus: nomine enim Imperatoris (quod suis scriptis indidit) studuisse hæresim propagare, quæ inferius dicentur, ostendent. Haud namque concordat, vt redarguens Heraclius hæreticum Seuerianum duas in vnum confundentem naturas, vnam ipse cum eo operationem in Christo statueret. Sed de his suo loco inferius.

Quod autem pertinet ad ipsas res in bello gestas, eas (breuiter licet) Græcorum reddunt Annales, vel qui ex vetustioribus monumentis a Cedreno sunt descripti, vel qui a Theophane: nos (vt anno superiori fecimus) quæ desiderantur in alteris, ex alteris concinne supplebimus. Qui vero ex Theophane ab Anastasio traduntur accepti, hæc habent:

Anno Imperij sui decimotertio Heraclius profectus a regia vrbe, celeriter in Armeniam properauit. Cosrhoes autem Rex Persarum misit Sarmanazarim (*quem alij vocant Sarnabazam*) cum exercitu suo, vt in Romanorum terram intraret. Heraclius autem scri- SECVNDA EXPEDITIO HERACLII IN PERSAS.
C bebat Cosrhoi, vt pacem amplecteretur.] fecerat id etiam alias ante Christianus Imperator (vt dictum est) ex diuinæ legis[a] præscripto, qua iubetur, vt illaturus bellum in hostes, pacem prius eis offerat; quam si accipere recusent, tunc armis agendum. Præmissa igitur legatione pacis, eam contestationem apposuit, quod si Cosrhoes pacem respueret, sciret (inquit auctor) se cum exercitu suo in Persidem ingressurum.] Verum ventosa hæc visa est Cosrhoi comminatio Imperatoris, cui nec tantum virium atque animi inesse putaret, vt tam ardua vel cogitare posset, nempe missum a Cosrhoe ingentem exercitum a tergo sibi relinquere, & vlterius procedendo caput petere, ipsumq. aggredi Regem tot tantisq. victorijs glorioſum, cuius vel nomen etiã longe positis Afris territamento esset. Cosrhoi igitur omnia ista de Heraclio inania penitus visa sunt: non enim audere illum Persidi appropinquare putabat: verum euenta ipsum longe falli significarunt. Siquidem
D Imperator (subdunt Annales) duodecima Kalendarum Maiarum die ingressus est Persidem. Quo Cosrhoes comperto, Sarmanazarim reuerti iussit; & collectis ex tota Persida militibus suis, & traditis eis Sathin, velociter eos adunari Sarmanazari iussit.

[a] *Deut. 20.*

Heraclius autem, aduocato exercitu suo, verbis exhortatorijs incitabat eos, dicens: Viri fratres, Dei amorem in mente sumamus, iniuriam eius requirere satagamus. Stemus igi- HERACLII CONCIO AD MILITES.
tur fortiter aduersus inimicos, qui multa dira in Christianos operati sunt. Reuereamur Romanum Imperium, quod eiusdem ipsius est Domini, & non alterius: & stemus aduersus hostes impijs telis armatos. Induamus fidem, nec timeamus interemptionem & intemptricem gentem: quia intra terram Persarum consistimus, & ingens fuga fert periculum. Vindicemus corruptiones virginum: reciſa commilitonum membra nostrorum videntes, corde doleamus. Non sunt hæc nullam mercedem habentia, sed vitæ perennis
E præmia. Stemus vigilanter, & Dominus nobis cooperabitur, & perdet inimicos nostros.] hactenus ex oratione Imperatoris, non quidem ab historico (vt assolet fieri in profanis) oratorijs coloribus picta, arbitrioq. eloquentis oratoris luculenter efficta, sed pure reddita ex verbis eiusdem loquentis, ac sincere descripta; in qua potius aliquid sit diminutum, quam additum. Sed pergit auctor:

Cumq. Imperator his & alijs quamplurimis commonitionibus populum exhortatus esset, respondit ei vnus pro omnibus: Dilatasti angustiam cordis nostri, domine, os QVAE RESPONDIT EXERCITVS.
tuum in admonitione dilatans: acuerunt sermones tui gladios nostros, & animos qui vinci nequeunt, effecerunt. Expeditos nos tuis verbis exhibuisti. Erubescimus in pugnis, te aspicientes, non procedere: & iussiones tuas in omnibus sequimur. Hæc nomine omnium dicta. Imperator autem sumptis militijs, mox ad Persidem interiorem accessit, igne comburens vrbes & castra.] Vidisset plane, qui mente aliquid amplius quam corporis oculis intueri

a Isai. 45. DEVS PRAEST CHRISTIANO EXERCITVI. intueri solet, Heraclio præstitum, quod olim Deus fuerat Cyro pollicitus verbis illis a: A Perge fortiter. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam: & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.] Etenim cum sæpe Romanis, vt Iuliano & alijs, vitio datum sit, quod incaute nimis se ad perdendum exercitum in regiones Persarum immiserint, cum & longe præstantioribus numero atque fortitudine militibus polleret Romanus exercitus, & ex vniuerso terrarum orbe suppeditarentur pecuniæ Imperatori, ipsaq. militaris disciplina vigeret, & longe infirmiores essent hostes, attriti sæpe ac bellis superati a milite Romano: quomodo non temeritatis nota fuisset fugillandus Heraclius, qui cum adeo paucis ijsdemq. collectitijs copijs ad nomen tantum Cosrhois fugere solitis, hostium prouincijs post terga relictis, auderet in Persidem ingredi, & ipsum aggredi Cosrhoen; nisi certo sciisset præire exercitum Deum? quod declaratum est illo signo, de quo in psalmo b: Cum pertransires in de- B
b Psal. 67. serto, terra mota est: etenim cæli distillauerunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.] nam pergit auctor:

Fit etiam terribile hic quoddam miraculum. In æstiuo quippe Solstitio æther sudore factus est madidus, animos Romani exercitus recreans, adeo vt hinc spem optimam sumerent, *secundum quod sequitur*: Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata est: tu vero perfecisti eam.] Equidem (vti vidimus anno superiori) sicut Luna non obfuit Romanis copijs, sed profuit, ita nec Sol hoc anno ijsdem fuit detrimento, eam benedictionem feliciter consecutis, qua dicitur c: Per diem Sol non vret
c Psal. 120. te, neque Luna per noctem.] ita quidem, cum ad imperium d Domini castra mouerentur,
d Num. 9. & ad imperium eiusdem tabernacula figerentur. Sed videamus maiora quæ sunt secuta: nam subdit idem auctor: C

Audiens præterea Heraclius quod Cosrhoes apud Gazacoten ciuitatem cũ quadraginta millibus bellicosorũ esset virorum, impetu aduersus illũ perrexit. Et præmissis quibusdam ab eo Sarracenorum sibi subditorum, Cosrhois occurrunt vigiliæ, & horum quosdam occiderunt, quosdam vero vinctos compedibus cũ prætore ipsorum Imperatori præsentarunt. Hoc comperto Cosrhoes, derelicta tam ciuitate quam militia, fuga vsus est.] Quis neget ista diuinitus facta, vt ob necem vigilum turpi fugæ tantus Persarum Rex omnium quicumque fuerant potentissimus se suosq. committat? Accidit enim secundum diuinum
e Deut. 11. oraculum e: Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus
f Deut. 34. Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis.] & secundum illud f: Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient a facie tua.] Sed quæ post fugam Cosrhois Heraclius diuino præsidio fultus egerit, ista accipe ex Theophane in Annalibus: At He- D
raclius insecutus, quosdam præoccupatos occidit: ceteri autem hac illacq. palantes dissipati sunt.

TVRPIS FVGA COSRHOIS.

Cumq. peruenisset Imperator ad Gazacotensium ciuitatem, in suburbanis huius reficiebat exercitum suum. Persæ vero qui confugerant ad eum, perhibebant, quod Cosrhoes fugiens, igne consumpserit omnia sata in locis illis, & peruenerit ad ciuitatẽ Thebatmam in Oriente sitam, in qua erat templum Ignis, & pecuniæ Crysilydorum (*seu Cræsi Lydorum Regis, vt habet Cedrenus*) & impostura carbonum: & his acceptis, idem Cosrhoes Damastager, *siue Dagaster*, iter egerit. Imperator autem profectus a Gazacotensium ciuitate, peruenit Thebatmam, & ingressus in eam, igne combussit templum Ignis: & tota ciuitate combusta, persecutus est Cosrhoen in angustias regionis Medorum.] hæc ex Theophane: in Annalibus vero Cedreni, non in Thebatma, sed in Gazacote fuisse thesau- E
ros Regis & templum Ignis, traditur his verbis:

SVPERSTITIO PERSICA ET IMPOSTVRAE REGIS COMBVSTAE.

Heraclius persequens, bellatores interficit, fugientes dissipat, vrbemq. Gazacoten capit. Ea in vrbe fuit fanum Solis, thesaurus Crœsi Lydorum Regis, & impostura carbonum. Ingressus autem in eam, abominandum offendit Cosrhois simulacrum & effigiem eius in globi formam, referente palatij tholo tamquam in cælo sedentem. Circum erant Sol, Luna, & astra, quibus ille superstitiosus tamquam dijs seruiebat, circumstantibus sibi angelis sceptrigeris. Machinas porro impius parauerat, quæ eo ex loco guttas pluuiæ instar emitterent, sonitumq. tonitrus æmulum ederent. Hæc omnia, ipsamq. Ignis ædem, totamq. vrbem combussit Heraclius: propereq. Cosrhoen per angustias Mediæ insecutus, multas vrbes, multosq. agros vastauit.] hæc ibi. Quæ cum audis, memoria pariter repete, quam vera sint, quæ superius dicta sunt, cum de captiua ducta Cruce

Domi-

A Domini in Persidem actum est, eam nimirum ad demolitionem nefandorum idolorum, ad deiectionem superbissimi Regis, & conuersionem complurium Persarum esse perductam: quod declarauit euentus, vt tum ex his quæ hactenus facta intellexisti, tum ex ijs quæ inferius suo loco dicentur, accipies. Sicut enim magno Philisthinorum & deorum ipsorum damno illata est captiua Arca in templum Dagon: ita plane, sed longe maiori iactura regni Persarum & superstitionis ipsorum, sanctissima Crux captiua in Persidem ducta est. At quid post hæc reliqua anni huius parte Heraclius? accipe ex ijsdem Annalibus ista referentibus:

Imperator iussit populum, *exercitum scilicet*, tribus diebus diuinum oraculum præstolantem, caste ac pure conuersari: sicq. responso accepto, in Albania decreuit hieme commorari.] quomodo autem id acciderit de diuino responso, ita apud Cedrenum
B reperies: Triduo exercitum lustrat; apertisq. postea inuiolatis Dei Euangelijs, inuenit sibi mandari vt in Albania hiemet.] Frequentem fuisse eiusmodi consultationem diuini numinis per Euangelij siue totius sacræ Scripturæ codicis apertionem, quæ superiori tomo dicta sunt, satis ostendunt. Enituit tunc in Christiano Principe charitas vere Christiana in libere dimittendis quotquot captiuos e Persida duxerat: nam audi reliquum itineris vsque in Albaniam:

Dum vero abiens iter ageret, habens secum copiosam Persarum prædam, haud paucos incursus a Persicis cuneis pertulit: ipse vero diuina cooperatione triumphum de omnibus retulit. Cum vero vehemens tempestas & gelu eum occupasset in via, haberetq. quinquaginta millia captiuorum, compassus eis corde, omnium vincula soluit, indulgentiam ac libertatem omnibus tribuens: ita vt omnes cum lacrymis exorarent,
C etiam eum Persidis totius fieri liberatorem a mundi exterminatore & trucidatore Cosrhoe.] hactenus de rebus ab Heraclio gestis hoc anno.

HERACLII MISERICORDIA ERGA CAPTIVOS.

IESV CHRISTI ANNVS 623. BONIFACII PAP. V. ANNVS 6. HERACLII IMP. ANNVS 14.

A Dueniente anno Redemptoris sexcentesimo vigesimotertio, vndecima Indictione, ab Heraclio hæc gesta esse aduersus Persas, produnt Annales [a]: Anno decimoquarto
D Heraclij Imperatoris Cosrhoes ducem exercitus constituit Sarablacam virum sceleratissimum magna elatum superbia, tradiditq. ipsi exercitum eorum militum, qui dicuntur Cosrhoitæ & Perozitæ, qui habebantur ceteris robustiores assueti prœlijs, eumq. aduersus Heraclium misit in Albaniam: qui vbi illuc peruenerunt, nequaquam aduersus Imperatorem pugnare ausi sunt, sed tenuere loca angusta, quibus in Persidem iter claderetur, expectantes occasionem Heraclio insidiandi. Heraclius vero, simulac ver illuxit, escis ad vsum exercitus lagiter præparatis, per apertos campos Persidem versus iter faciebat: Sarablacas vero per angustias montium atque vallium accelerauit, & occurrit ei in Persidem properanti. De his autem Heraclius ad suos, ne timerent, verba fecit, vtpote difficillimis itineribus fessos, hortaturq. alacriter pergere contra Cosrhoen. Exercitus vero parere renuit, aduersantibus Lazis atque Absagis vlterius progredi. Cuius rei gratia in
E discrimina inciderunt. Etenim dum moras nectunt, alius dux Persarum, cui nomen Sarbaras, siue (vt alij tradunt) Sarbazanes, omni fultus potentia mittitur a Cosrhoe aduersus Heraclium, quem insequebatur Sarablacas, qui eum ad prœlium prouocare minime audebat, expectans Sarbaram iam aduentantem.

[a] *Miscell. lib. 18. an. 14. Heracl. & Cedren. eod. an.*

ANNVS TERTIVS BELLI PERSICI.

HOSTIVM AVCTAE VIRES.

Quod cum Romanus exercitus comperisset, intellexit quam proficuæ hostibus moræ illæ cessissent, contra sui Imperatoris consilium: sicq. timore perculsi, supplices ad pedes Heraclij accidentes, pœnitentes, inobedientiæ veniam, ne interirent, omnes pariter petierunt. Hos bono animo esse iubet Heraclius, & aduersus Sarablacam inire bellum curauit, antequam cum eo Sarbaras iungeretur, quem multis incursionibus factis die noctuq. perterruit; sed & festinauit post progredi cum suis aduersus Cosrhoen, dimissis retro vtrisque Persarum ducibus. Inter hæc duo transfugæ ex Romano exercitu ad Persas accedentes, nunciant timore perterritos Romanos captare fugam. Cum autem fama esset,

VENIAM PRECANTVR MILITES.

set, alium insuper ducem cum exercitu a Cosrhoe aduersus Heraclium decretum iam esse in procinctu, nomine Sain *: duo illi priores duces, ne quam se putabant præ manibus habere victoriam, expectantes, ipsum eius participem facerent, partem illam gloriæ sibi derogare putantes, festinarunt Heraclium obtinere: qui noctu recedens, sequenti die in loco opportuno castra metatus est: eum vero cum fugientem Persæ putarent, inordinate aggressi sunt, qui magna ex parte ab Heraclianis Dei ope repulsi atque occisi fuere vna cum altero ipsorum duce Sarablaca ense in dorso transfixo, cum & captis impedimentis, insperataq. sunt Romani potiti victoria. A

* Sathin

PERSAE PLVRES CVM DVCE IPSORVM OCCISI.

Sed aduentu Sain animos resumpsere Persæ, quiq. fuga dispersi erant, ipsum adiere: sicq. iterum inualescentes illi, timorem haud modicum ingessere Romanis, quos insequi pergunt per loca deuia & difficilia in Hunnorum prouinciam tendentes. Cum Lazi atque Absagi, qui in Romano militabant exercitu, formidantes, reliquerunt exercitum, atque in patriam suam reuersi sunt. Ex quo factum est, vt celeriori cursu & ardentioribus animis exercitus Persarum Heraclium perstringere conaretur. B

REPARANT ET AVGENT VIRES PERSAE.

Tunc ad suos, quos videbat animo consternatos, concionem Heraclius habuit, monens eos ne timerent, vtpote qui Deum haberent secum, cuius ope facillime accidere posset, vt vnus mille insequeretur: hortaturq. vt hilari animo, si opus sit, mortem oppetant martyrum instar: quos & occisos pro Christianæ religionis gloria, & Imperij incolumitate, atque salute fratrum, fore tandem vt posteri omnes magno sint prosecuturi præconio. Quibus dictis, struit acies hilari vultu, tamquam pugnaturus cum Persis, qui iam aderant & ipsi parati ad prœlium. Ita dispositi vtrinque sunt cunei, qui immobiles a mane vsque ad vesperam constitere, vtrisque pugnam aggredi detrectantibus. Vespere autem Romanus Imperator cum suis cœptum prosecutus est iter, insequentibus eum Persis: sed cum illi hos studeant viæ compendio præuenire, vt intercluderent iter, incidunt in paludes, & in magnum discrimen deueniunt: cuius rei gratia Heraclio vlterius progrediendi fuit aditus securior patefactus in Armeniam vsque, insequentibus a longe nihilominus Persis Romanos auctis copijs ex regionibus illis sibi subiectis. Qui putantes fugatos iam Romanos ac nonnisi in fuga salutem sperare, factum est, vt ipsi nihil sibi timentes, in ipso itinere quo Romanos insequebantur, satis redderentur incauti, minime cogitantes a Romanis celeri fuga abeuntibus posse damnum aliquod imminere. C

HERACLIVS HORTATVR SVOS IN DISCRIMEN ADDVCTOS.

Cum Heraclius ea bene vsus occasione, intempestæ noctis & procellosæ silentio, delectis equitibus qui in exercitu robustiores essent, duobus ex ijsdem confectis agminibus, ei qui primum ductabat agmen iubet irruere in Sarbaram, ipse cum reliquis subsecutus. Hora itaque noctis nona progressi, nullo obice, omnes quos habuere obuios occiderunt: vixq. ex eis reuersus est vnus, qui quod agebatur Sarbaræ nunciauit. Quo audito, mox nudus surgens e lecto, nudus nudũ pauidus conscendens equum, fuga suæ saluti consuluit, relictis omnibus principibus & satrapis, insuper & mulieribus cum omnibus impedimentis, qui cum supra domorum tecta effugium sibi parassent, suppositio igne, omnes cremati sunt, cæsi alij, alij vero capti, vt pene nullus euaserit ex ijs qui sub Sarbara militarent. Inuenta sunt spolia ipsius ducis exercitus Sarbaræ & arma aurata illa quidem omnia, & zona lapidibus pretiosis intexta, simul & calcei ijsdem ornamentis æque decori. His omnibus potitus Heraclius, insperatam victoriam consecutus, eodem in loco tranquillo animo hiemauit. Hæc sunt quæ hoc anno per varios casus gesta, tum Theophanes, tum reliqui Græcorum Annales fideliter produnt. D

INGENTI HERACLIVS POTITVR VICTORIA.

Sic igitur diuino consilio ingens illa arbor [a] altis firma radicibus ad imperium Domini iussa præcidi, ad eam securi licet posita, haud vno vel altero ictu sterni potuit, vt in id non vnius vel alterius anni operam insumi satis fuerit, sed oportuerit annis pluribus laborare: ita Deo, qui in sacra imagine & in virtute Romanum exercitum præcedebat, cuncta disponente, ne essent fidentes sibi ipsis, neve dicerent [b]: Manus nostra excelsa fecit hæc omnia.] qui tunc victoriam e manibus præripiebat aliquando, cum in militari robore potius fiduciam collocassent; contra vero tunc Dei virtus enituit, cum res magis deploratæ videri possent: vt hoc anno accidit, cum derelicto Heraclio a socialibus copijs, satis bene sibi videri poterat esse consultum, si cum reliquis suis incolumis fines Romanos attingeret. Ita quidem cum in castris primum locum religio sibi vendicat, accidere solet vt ipse Deus milites ducat. E

a Dan. 4.

FORTISSIMVM REGNVM PERSICVM HAVD POTVIT FACILE SVPERARI.

b Deut. 32.

Dum

A Dum autem apud Lazos esset Heraclius Imperator, magnam amicitiæ coniunctionem inijsse cum Cyro Lazorum Episcopo, testatur Sergius Constantinopolitanus Episcopus in epistola [a] ad Honorium Romanum Pontificem. Fuisse illum tunc quidem Catholicum, & postea translatum ab eo in Ecclesiam Alexandrinam, quæ suo loco dicentur, ostendent.

[a] Sex. Synod. Act. 12.

IESV CHRISTI ANNVS 624. BONIFACII PAP. V. ANNVS 7. HERACLII IMP. ANNVS 15.

B SEquens annus Domini vigesimusquartus post sexcentesimum, duodecima Indictione, æque laboriosus fuit Romanis bello Persico occupatis, quo diuina protectio adfuisse cognita est Imperatori: vt merito illud Dauidicum Heraclio ipsi fuerit occinendum [b]: Obumbrasti super caput meum in die belli:] cum videlicet casus tulit, vt cum giganteæ staturæ homine iniret singulare certamen, dum in prima acie certare fuerit compulsus. Hæc autem & alia anni huius quomodo se habuerint, ex sæpe citatis Annalibus accipe [c]:

QVARTVS ANNVS BELLI PERSICI.

[b] Psal. 139.

[c] Theophan. an. 15. Heracl. & Cedren. compend. Annal. eod. anno.

Anno decimoquinto Imperij, cum exercitu, itinere quod per Taurum montem in Syriam ducit, superato, septimo die post exhaustum magnum laborem, ad Tigrin fluuium peruenit. Inde per Martyropolim & Amidam itinere facto, exercitum & captiuos quiete refecit. Indeq. litteras de rebus suis Byzantium misit, quæ magnum in vrbe gaudium excitauerunt. Sarbaras porro aduersus eum tendebat. Ideo Heraclius, misso militum C agmine, claustra quibus ad eum iter erat, seruare iubet; & ipse per exitus profectus qui versus Orientem sunt, se aduersus barbaros fert. Tum Nymphio amne traiecto, ad Euphratem peruenit. Erat is ponte ex funibus & lana contexto instratus, quem Sarbaras solutum in alteram partem transtulit. Ceterum Heraclius vadum fluminis reperit, dum ad ripam eius decurrit: itaque præter omnium opinionem Euphratem transijt mense Martij.

Inde occupatis Samosatis, rursum Taurum transijt, & Germaniciam peruenit, Adanaq. peragrata, ad Sarum amnem accedit. Interim Sarbaras, rursum ponte extento, Euphratem transijt, Romanosq. insequitur. Imperator, Saro transmisso, exercitum quiete relaxat. Venit & barbarus ad alteram fluminis partem; cumq. cerneret amnem, pontem, & propugnacula in eo a Romanis occupata, castra posuit. Romani porro incomposito D agmine per pontem excurrentes, multos Persas interfecerunt, nequicquam Imperatori monenti obtemperantes, ne ita nullo ordine euagarentur, atque insidijs hostium se exponerent. Itaque non multo post a Persis per insidias circumuenti, pœnas suæ contumaciæ & temeritatis dederunt. Ipse tunc Imperator suis in periculo constitutis opem tulit, ac quemdam giganti similem in medio pontis secum congressum ferijt, inq. profluentem deturbauit. Cuius casu reliqui etiam barbari territi, cum fugam facerent, obsistente ponti angustia, alij in amnem deiecti, alij gladijs interfecti sunt. Imperator eo tempore paucis quibusdam stipatus, pugnam obijt fortitudine quam pro hominis natura maiore; adeo quidem, vt Sarbaras admiratione perculsus, cuidam Cosmæ cognomento Margaritæ dixerit: Vides ne, o Cosma, Cæsarem (agnoscebatur enim insignibus Imperatorijs) quanta is audacia prœlium subit, solusq. contra tantam multitudiE nem certat? Nox superueniens prœlium diremit. Barbarus autem sibi metuens, retro abijt. Imperator porro suos ad Sebasteam adducit, ac traiecto Halis flumine, ibi hiemat. At Cosrhoes insania percitus, donaria omnium ecclesiarum, quæ sub Persis erant, abstulit; vtq. Heraclio molestam rem faceret, Christianos omnes ad societatem Nestorianæ hæresis adegit.] hæc tunc impius; sed adeo immanis sacrilegij cum impietate coniuncti meritas postea pœnas dedit, vt quæ dicturi sumus palam ostendent. Hic finis rerum gestarum anni huius, eiusdemq. quarti belli Persici.

IMPERATOR CVM GIGANTE CONGREDITVR ET SVPERAT.

Sed iam Occidentalem Ecclesiã inuisamus, quæ hoc anno aucta nouo sancto coruscat. Siquidem constat, auctore Beda [d], hoc ipso anno Mellitum Dorouernienſem Episcopum in Anglia virum Apostolicum miraculis clarum ex hac vita migrasse, de quo hæc ipse in fine: Erat autem Mellitus quidem corporis infirmitate, id est, podagra grauatus, sed

[d] Bed. lib. 2. cap. 7.

MELLITI EPISCOPI LAVDES.

mentis greſſibus ſanus, alacriter terrena quæque tranſiliens, atque ad cæleſtia regna ſemper amanda, petenda, & quærenda peruolans. Erat carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior. Denique, vt vnum virtutis eius (vnde cetera intelligi poſſint) teſtimonium referam: tempore quodam ciuitas Dorouernienſis per culpam incuriæ igne correpta, crebreſcentibus cœpit flammis conſumi: quibus cum nullo aquarum iniectu poſſet aliquis obſiſtere, iamq. ciuitatis eſſet pars vaſtata non minima, atque ad Epiſcopum furens ſe flamma dilataret: confidens Epiſcopus in diuinum, vbi humanum deerat auxilium, iuſſit ſe obuiam ſæuientibus & huc illucq. volantibus ignium globis efferri. A

Erat autem eo loci, vbi flammarum impetus maxime incumbebat, Martyrium beatorum quatuor Coronatorum. Ibi ergo perlatus obſequentum manibus Epiſcopus, cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multum laborando nequiuerat. Nec mora, ventus qui a Meridie flat, vbi incendia ſparſerat, contra Meridiem reflexus, primo vim furoris ſui a læſione locorum quæ contra erant, abſtraxit, ac mox funditus quieſcendo flammis pariter ſopitis atque extinctis compeſcuit. Et quia vir Dei igne diuinæ charitatis fortiter ardebat, qui tempeſtates poteſtatum aeriarum a ſua ſuorumq. læſione crebris orationibus vel exhortationibus repellere conſueuerat, merito ventis flammisq. mundialibus præualere, & ne ſibi ſuisq. nocerent, obtinere poterat. Et B

MELLITI OBITVS. hic ergo poſtquam annis quinque rexit Eccleſiam, Eadbaldo regnante, migrauit ad cælos, ſepultusq. eſt cum patribus ſuis in ſæpe dicto monaſterio & eccleſia beatiſſimi Principis Apoſtolorum, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo viceſimoquarto, die octauo Kalendarum Maiarum.] hactenus de feliciſſimo ſancti Melliti ad cælum tranſitu Beda. Vides ergo in omnibus mirabilem Deum in ſanctis ſuis, eaſdem diuerſis in locis

a Hebr. 11. operari virtutes, de quibus Apoſtolus ad Hebræos [a] ſcribit, nempe quod ſancti per fidem, C præter alia magna, extinxerunt impetum ignis in Britannia, & effugauerunt aciem gladij eodem pariter anno in Oriente.

IESV CHRISTI ANNVS 625. BONIFACII PAP.V. ANNVS 8. HERACLII IMP. ANNVS 16.

QVINTVS AN. BELLI PERSICI ROMANIS FELIX. QVi ſequitur belli Perſici annus quintus, idemq. Domini ſexcenteſimus vigeſimusquintus, Indictione decimatertia, Romanis felix illuxit; eluxitq. eo magis diuina potentia, quo aduerſariorum conatus fortiores atque multipliciores apparuere: vt niſi D diuinum auxilium Romano Imperio multipliciter affuiſſet, illud a barbaris penitus diſſipatum eſſet. Qui enim tam ſæpe, tamq. ignominioſe fugatum-ſe ac ſuperatum Coſrhoes a Romanis vidit, omnes quas tum valuit vires collegit, omnemq. excogitauit artem, machinatusq. eſt conſilium, quo Imperatorem vna cum ſubiecto ipſi populo perderet. Quidnam agit? Conatur omnibus viribus conuertere bellum e Perſide in Romanum ſolum, vt æque cogeret Imperatorem in patriam reuerti, atque ſui tutari ſedem Imperij: Quod vt præſtaret, inijt fœdus cum barbaris omnibus quibus potuit ad inuadendam Conſtantinopolitanam vrbem: paciſciturq. in primis cum Auarum duce Romanis formidando Gaiano, homine perfido atque fidifrago; cuius fidei, recedens ab Vrbe, res Romanas, prolemq. ſuam Heraclius commendarat. Solicitat inſuper Bulgaros atque Sclauos ſiue Sclauinos, omnesq. ſimul barbaros permouet ad inuadendam capiendamq. ipſam E vrbem regiam Conſtantinopolim: aliaq. inſuper in Imperatorem comparat damna atque diſcrimina, & multiplices parat interitus. Sed quomodo ab ijs omnibus eum Deus eripuit, videamus, relegentes ipſos Græcorum Annales a Theophane primum editos & ab Anaſtaſio Latinis datos, a Cedreno vero Græcis in compendium redactos: ex quibus omnibus ſimul omni fide conſcriptis nos iſta reddimus æque fideliter hiſce verbis [b]:

b Theophan. an. 16. Heracl. Imp. & eod. an. Cedr.

Anno decimoſexto Imperij Heraclij Coſrhoes Perſarum Rex nouam fecit militiam prœlium initurus, peregrinos & ciues & ſeruos, ex omni natione facta electione, coaceruans. Qua delectione Sain tradita Prætori, alia quinquaginta millia ex phalange Sarbaræ electa tollens, huic ſociauit, nominauitq. illos Chryſolocas, quaſi aureum cuneum, & hos aduerſus Imperatorem direxit. Porro Sarbaram cum reliquo

exercitu

A exercitu suo Constantinopolim misit, quatenus Hunnos qui essent in Occidente, quos Auares vocant, cum Bulgaribus & Sclauinis atque Gipedibus concordia sociarent, sicq. aduersus vrbem Constantinopolitanam properarent, & hanc vnanimiter obsiderent. Cum autem hoc didicisset Imperator, exercitum suum triplici parte diuidens, vnam ex illis præmittit ad custodiam vrbis: alia tradita Theodoro fratri, contra Sain bellare præcepit: humiliore sibi parte retenta, in Lazicam properat regionem, & in ipsa degens, Turcos ab Oriente, quos Gazaros vocant, in auxilium aduocat.] Sed audi mira quæ ista ab Imperatore ita bene disposita secuta sunt: BARBARI COEVNT ADVERSVS ROM. IMPERIVM.

Sain Cosrhois primarius dux pollens selectissimis copijs, ijsdēq. (vt dictum est) præ excellentia aureis nominibus nominatis, perueniens ad fratrem Imperatoris Theodorum, bellauit contra eum. Deo autem per intercessionem semper laudabilis Dei genitricis opi- GRANDO CONTERIT HOSTES.
B tulante, bello commisso, grando miræ magnitudinis contra barbaros cecidit, eorumq. plurimos perculit: at vero Romana acies tranquillitate aeris potita est. Vertunt autem Romani Persas, & interficiunt multitudinem copiosam. Hoc comperto, Cosrhoes irascitur contra Sain: qui ex multo animi mærore ægrotans, mortuus est. Cuius corpus sale conditum Cosrhoes ad se iussit afferri, quod pluribus reddit confossum vulneribus.] hic finis potentissimi ducis, per quem Cosrhoes, sicut prius, se consecuturum perfectam victoriam existimabat. Accedunt his alia felicissima, dum moti per Imperatorem Orientales Turci, qui Gazari dicebantur, a tergo Persarum regnum inuadunt: quod in Annalibus ita describitur:

Porro Gazari, disruptis Caspijs portis, Persidem adeunt in regionem Adrahigæ vna cum ipsorum duce Ziebil, qui dignitate secundus a Gaiano Principe erat: & quæcumque
C loca peragrabant, tum Persas deprædabantur, tum ciuitates & villas igni tradebant. Profectus vero obuiam Heraclius Imperator, ijsdem occurrit a Lazica. Ziebil autem ipso viso accelerans, complectitur eum collo, & adorat eum, Persis eius ciuitatis inspicientibus. Vniuersus autem populus Turcorum in terram cadentes, omnes proni super faciem extensi, Imperatorem eo honore venerabantur, qui excederet morem consuetum: similiter & principes eorum super saxa concidentes, eodem schemate procidunt. Obtulit autem & Ziebil filium suum primogenitum Imperatori; eiusq. sermonibus delectatus, tam vultum quam prudentiam eius admiratur. Electisq. Ziebil quadraginta millibus virorū fortium, dedit Imperatori in auxilium: porro ipse reuersus est in regionem suam. His Imperator acceptis, statim contra Cosrhoen procedit.] Magna quidem Dei benignitate actum est, vt cum omnes qui in Occidente essent barbari rebellarent aduersus Imperatorem, vt ci-
D uitatem regiam obsiderent, qui erant in Oriente fortissimi populi sponte cum validis copijs præsto essent ipsi Imperatori, & in Cosrhoen molestissimi. Sed quid actum a barbaris Constantinopolim inuadentibus, audiamus. Sic enim pergit auctor:

At vero Sarbaras Cosrhois dux Chalcedonem properans, Auaresq. Thraces vrbi appropinquantes, hanc depopulari parant, multis machinis aduersus eam commotis: CONSTANTINOPOLIS DIVINITVS OBSIDIONE LIBERATA. ijdemq. & nauium sculptarum ex Istro flumine multitudine infinita delata, sinum repleuerunt maris. Decem sane dies vrbem obsidentes, bellum terra mariq. gerentes, Domini virtute pariter & cooperatione, necnon & intemeratæ Dei genitricis & virginis Mariæ intercessionibus superati sunt: amissis vero terra mariq. ingenti numero suis, magno cum dedecore discesserunt.] Vigebat tunc quidem Constantinopoli, post omnipotentis Dei primarium honorem, cultus Deiparæ Virginis, cui ab ipsis Constantini temporibus
E eadem vrbs dedicata, eiusq. nomine appellata est ciuitas Virginis. Quamobrem & Constantinopolitani ciues omnes ipsam Dei genitricem enixius inuocare soliti erant, sicut & Heraclium feciſſe apparet, eiusq. ope tam grandia confeciſſe quæ diximus, atque hoc eodem anno a Theodoro superatum robustissimum Persarum exercitum, pariterq. a tot leonibus faucibus inhiantibus vrbem ereptam. Ex quibus singulis discant duces exercitus, quibus debeant niti e superis petitis auxilijs, & pollere viribus, nimirum conciliare sibi obtinentem cuncta semper a Deo precibus suis Dei genitricem Mariam.

Ne autem inanis hæc fiducia videretur de ope Mariæ Virginis; diuinitus factum VISA HOSTIBVS DEI GENITRIX VRBIS LIBERA TRIX. est, vt non solum obsessi id perspicuo intelligerent, sed etiam hostes ipsi suo experirentur damno: nam audi quæ a Cedreno narrantur: Tale enim, inquit, quippiam

hostibus accidit. Viderunt barbari prima luce, cum Sol oriretur, mulierem quam- A
dam illustrem eunuchis comitatam, porta Blachernarum exeuntem *(erat namque a Blachernis Deiparæ templum a Constantinopolitanis frequentari solitum)* quam cum Heraclij opinarentur vxorem esse, & ad suum Principem ob mariti absentiam ire pacis petendæ causa, transitum ei concesserunt, subsequentem ex vrbe hominum turbam ipsi adortudæ causa, transitum ei concesserunt, subsequentem ex vrbe hominum turbam ipsi adorturi. Vt vero fossæ ambitum egressam, non ire ad Regem viderunt, insecuti sunt eam vsad locum, cui Veteris saxi nomen est; vbi cum fere iam essent assecuti, illa cum suis ex oculis & conspectu eorum euanuit. Ipsi autem tumultu concitato, inter se congressi, ad vesperam vsque mutuo strages ediderunt. Mane insequentis diei dux causam inquirens, quod maiorem suorum partem intestino conflictu perijsse videret, turpiter domum redijt: statimq. classis ab obsidione recessit; quam domum reuertentem in Euxino mari oborta tempestas ita afflixit, vt perpauci ad suos redierint. Sarbaras, tametsi hæc ei molesta ac- B
ciderant, tamen obsidionem Chalcedonis non soluit: sed hiemauit ibi, populans tranimarina,& vrbes euertens.] hæc ibi. Quæ autem gesta sint per Heraclium Imperatorem vna cum Turcis aduersus Cosrhoen progredientem, in sequentem annum Annales reijciunt, nosq. suo loco de his agemus. Sic igitur hisce adeo præclaris de hostibus diuino præsidio acceptis victorijs, clausus est præsens annus quintus Persici belli.

CONVERSIO BOREALIVM ANGLORVM PER PAVLINVM TENTATA.

Dum hæc aguntur in Oriente, Deus vbique mirabilis, in Occidentali Ecclesia Catholica nouæ plantationis multiplices futuras propagationes spem concitat. Hoc siquidem anno ad Anglos Boreales, quibus præerat Rex Eduinus, porta aperta est prædicationi S. Paulini Episcopi Eboracensis, cum ad eas gentes suscepit feliciter Apostolatum. Fuerat iam ante Paulinus missus a sancto Gregorio Papa vna cum Mellito, Iusto, atque Ruffiniano (vt testatur Beda [a]) cum monitus fuisset ab Augustino, ad ingentem messem C
nouis opus esse messoribus: postea autem, hoc videlicet anno, a Iusto Archiepiscopo Episcopus est ordinatus, vt idem Beda [b] pluribus in locis profitetur. ex quibus corrigas quod in eiusdem auctoris reperitur epitome, ipsum a Iusto Episcopum ordinatum anno Domini sexcentesimo vigesimosecundo: quod potius hoc anno factum esse, idem auctor disertis verbis profitetur, etiam cum ad calculum reuocat annos quibus sedit, dum agit de obitu eius. Etenim cum anno sexcentesimo quadragesimoquarto eum esse defunctum affirmet sexto Idus Octobris [c], tradatq. sedisse annos decem & nouem, & menses duos, ac dies vigintivnum; constetq. insuper ex eodem auctore [d] ipsum consecratum esse Episcopum duodecimo Kalendas Augusti: plane asserere cogimur, hoc anno ipsum creatum esse Episcopum. His iam de tempore satis elucidatis, quonam modo aperta sit ei ianua ad annunciandum gentibus illis Euangelium, ex eodem auctore Beda dicendum D
erit, qui ita rei gestæ narrationem aggreditur [e]:

a Bed. lib. 1. c. 29.

b Bed. lib. 2. c. 7. in fin.

PAVLINI EPISCOPI CREATIONIS TEMPVS.

c Bed. lib. 3. c. 14.

d Bed. lib. 2. c. 9.

e Bed. lib. 2. c. 9.

NVPTIAE REGIS EDVINI GENTILIS CVM EDILBERGA CHRISTIANA.

Huic, inquit, genti *Nordanhumbrorum, hoc est, Anglorum Aquilonarium ob fluuium Humbrum ita dictorum*, occasio fuit percipiendæ fidei, quod præfatus Rex eius Eduinus cognatione iunctus est Regibus Cantuariorum, accepta in coniugem Edelburga filia Edelberti Regis, quæ alio nomine Tate vocabatur. Huius consortium cum primo ipse, missis procis, a fratre eius Eadbaldo, qui tunc regno Cantuariorum præerat, peteret: responsum est, non esse licitum, Christianam virginem Pagano in coniugium dari, ne fides & sacramenta cælestis Regis consortio profanarentur Regis qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus. Quæ dum Eduino verba nuncij referrent, promisit se nihil omnibus modis contrarium Christianæ fidei, quam virgo colebat, esse facturum: quin potius permissurum, vt fidem cultumq. suæ religionis cum omnibus qui E
secum venissent viris siue feminis, sacerdotibus seu ministris, more Christiano seruaret. Neque abnegauit se etiam eamdem subiturum esse religionem, si tamen examinata a prudentibus sanctior ac Deo dignior posset inueniri. Itaque promittitur virgo, atque Eduino mittitur, & iuxta quod dispositum fuerat, ordinatur Episcopus vir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa veniret, eamq. & comites eius, ne Paganorum possent societate pollui, quotidiana exhortatione & sacramentorum cælestium celebratione confirmauit. Ordinatus est autem Paulinus Episcopus a Iusto Archiepiscopo sub die duodecima Kalendarum Augustarum, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimoquinto, & sic cum præfata virgine ad Regem Eduinum quasi comes copulæ carnalis aduenit, sed ipse potius toto animo intendens, vt gentem quam adibat, ad agni-

tionem

A tionem veritatis aduocans, iuxta vocem Apostoli [a], vni viro virginem castam exhibe- [a] 2. Cor. 11.
ret Christo.

Cumq. in eam prouinciam venisset, laborauit multum, vt & eos qui secum venerant, ne a fide deficerent, Domino adiuuante contineret, & aliquos (si forte posset) de Paganis ad fidei gratiam prædicando conuerteret. Sed sicut Apostolus ait [b] (quamuis multo tempore illo laborante in verbo) Deus sæculi huius excæcauit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio Euangelij gloriæ Christi.] hucusque Beda de rebus gestis a Paulino hoc anno, reliqua in annum sequentem reijciens, eadem narraturus: cuius nos vestigia assectamur. Istæc autem cum resciuisset sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bonifacius Pontifex superstes adhuc, cum sui esse muneris intelligeret, vniuersi orbis Ecclesijs, salutiq. omnium hominum animarum prospicere, cuestigio litteras dedit ad ipsum Regem Eduinum, hor- STVDIVM PAVLINI PROPAGANDAE FIDEI. [b] 2. Cor. 4.
B tans eum ad idolorum cultum relinquendum, Deiq. veri religionem fidemq. sectandam. Extant ipsæ quidem a Beda recitatæ his verbis [c]: [c] Apud Bed. lib. 2. c. 10.

Viro glorioso Eduino Regi Anglorum, Bonifacius Episcopus, seruus seruorum Dei.

Licet summæ Diuinitatis potentia humanæ locutionis officijs explanari non valeat; quippe quæ sui magnitudine ita inuisibili atque inuestigabili æternitate consistit, vt eam nulla ingenij sagacitas, quanta sit, comprehendere differeq. sufficiat: quia tamen eius humanitas ad insinuationem sui reseratis cordis ianuis, quæ de semetipsa proferantur, secreta humanis mentibus inspiratione clementer infundit, ad annunciandam vobis plenitudinem fidei Christianæ, sacerdotalem curauimus solicitudinem prærogare: vt perinde Christi Euangelium, quod Saluator noster omnibus præcepit gentibus prædicari, vestris quoque sensibus inferentes, salutis vestræ remedia propinemus. Supernæ igitur maie- BONIFACII PAP. AD EDVINVM REGEM EPISTOLA.
C statis clementia, quæ cuncta solo verbo præceptionis suæ condidit & creauit, cælum videlicet & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt (dispositis ordinibus, quibus subsisterent) coæterni Verbi sui consilio, & sancti Spiritus vnitate dispensans, hominem ad imaginem & similitudinem suam ex limo terræ plasmatum constituit, eiq. tantam præmij prærogatiuam indulsit, vt eum cunctis præponeret, atque seruato termino præceptionis, æternitatis subsistentia præmuniret. Hunc ergo Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quod est indiuidua Trinitas, ab ortu Solis vsque ad occasum humanum genus, quippe vt creatorem omnium atque factorem suum, salutifera confessione fide veneratur & colit: cui etiam summitates imperij, rerumq. potestates submissæ sunt: quia eius dis-
D positione omnium prælatio regnorũ conceditur. Eius ergo bonitatis misericordia, totius creaturæ suæ dilatandæ subsidijs, etiam in extremitate terræ positarũ gentium corda frigida, sancti Spiritus feruore, in sui quoque agnitione mirabiliter est dignata succendere.

Quæ enim in glorioſi filij nostri Audobaldi Regis, gentiumq. ei suppositarum illustratione clementia Redemptoris fuerit operata, plenius ex vicinitate locorum vestram gloriam conijcimus cognouisse. Eius ergo mirabile donum & in vobis certa spei cælestis longanimitate conferri confidimus: cum profecto glorioſam coniugem vestram, quæ vestri corporis pars esse dignoscitur, æternitatis præmio per sacri baptismatis regenerationem illuminatam agnouimus. Vnde præsenti stylo glorioſius vos adhortandos cum omni affectu intimæ charitatis curauimus: quatenus abominatis idolis, eorumq. cultu, spretisq. fanorum fatuitatibus, & auguriorum deceptibilibus blandimentis, credatis in Deum Patrem omnipotentem, eiusq. Filium Iesum Christum, & Spiritum sanctum: vt credentes a diabolicæ captiuitatis nexibus, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis cooperante po-
E tentia, absoluti, æternæ vitæ possitis esse participes.

Quanta autem reatitudinis culpa teneãtur adstricti hi qui idololatriarũ pernicioſissimam superstitionem colentes amplectuntur, eorum quos colunt exempla perditionis insinuant. Vnde de eis per Psalmistam dicitur [d]: Omnes dij gentiũ dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Et iterum [e]: Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt. Similes ergo efficiuntur his, qui spem suæ confidentiæ ponunt in eis. Quomodo enim iuuandi quamlibet possunt habere virtutem ij, qui ex corruptibili materia, inferiorum etiam suppositorumq. tibi manibus construuntur, quibus videlicet artificium humanum accommodans, eis inanimatam membrorum similitudinem contulisti: qui nisi a te moti fuerint, ambulare non poterunt, sed tamquam lapis in vno loco positus, ita con- [d] Psal. 95. [e] Psal. 113.

ſtructi, nihilq. intelligentiæ habentes, ipſaq. inſenſibilitate obruti, nullam neque lædendi neque iuuandi facultatem adepti ſunt? Qua ergo mentis deceptione eos deos, quibus vos ipſi imaginem corporis tradidiſtis, colentes ſequimini, iudicio diſcreto reperire non poſſumus. A

Vnde oportet vos, ſuſcepto ſigno ſanctæ Crucis, per quod humanum genus redemptum eſt, execrandæ diabolicæ verſutiæ ſupplantationem, qui diuinæ bonitatis operibus inuidus æmulusq. conſiſtit, a cordibus veſtris abijcere; iniectisq. manibus hos quos eatenus materiæ compage vobis deos fabricaſtis, confringendos diminuendosq. ſummopere procurare. Ipſa enim eorum diſſolutio, corruptioq. quæ numquam viuentem ſpiritum habuit, nec ſenſibilitatem a ſuis factoribus potuit quolibet modo ſuſcipere, vobis patenter inſinuet, quod nihil erat quod eatenus colebatis, dum profecto meliores vos, qui ſpiritum viuentem a Domino percepiſtis, eorum conſtructione nihilominus exiſtatis: B quippe quos Deus omnipotens ex primi hominis, quem plaſmauit, cognatione deductos, per ſæcula innumerabilibus propaginibus pullulare conſtituit. Accedite ergo ad agnitionem eius qui vos creauit; qui in vobis vitæ inſufflauit ſpiritum; qui pro veſtra redemptione Filium ſuum vnigenitum miſit, vt nos ab originali peccato eriperet, & ereptos de poteſtate diabolicæ nequitiæ cæleſtibus præmijs muneraret.

Suſcipite verba prædicatorum, & Euangelium Dei quod vobis annunciant: quatenus credentes (ſicut ſæpius dictum eſt) in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum eius Filium, & Spiritum ſanctum, & inſeparabilem Trinitatem, fugatis dæmoniorum ſenſibus, expulſaq. a vobis ſolicitatione venenoſi & deceptibilis hoſtis, per aquam & Spiritum ſanctum renati, ei cui credideritis, in ſplendore gloriæ ſempiternæ cohabitare eius opitulatione & munificentia valeatis. Præterea benedictionẽ protectoris veſtri bea- C ti Petri Apoſtolorum principis vobis direximus, id eſt, camiſiam cum ornatura in auro vna, & læna Ancyriana vna: quod petimus vt eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat, quo a nobis noſcitur deſtinatum.] hucuſque Bonifacius ad Eduinum Anglorum Regem nondum Chriſtianum. Ad coniugem quoque eius Edelburgam (ſubdit Beda[a]) huiuſmodi litteras idem Pontifex miſit] quibus iſte inerat præfixus titulus:

[a] Bed. lib. 2. c. 11.

Exemplar epiſtolæ beatiſſimi & Apoſtolici Bonifacij Papæ vrbis Romæ, directæ Edelburgæ Reginæ Eduini Regis.

Dominæ glorioſæ filiæ Edelburgæ Reginæ Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

BONIFACII PAP. AD EDELBVRGAM REGINAM EPISTOLA.

Redemptoris noſtri benignitas humano generi, quod pretioſi ſanguinis ſui effuſione a vinculis diabolicæ captiuitatis eripuit, multa prouidentia, quibus ſaluaretur, propinauit remedia: quatenus ſui nominis agnitionem diuerſo modo gentibus innoteſcens, Creato- D rem ſuum ſuſcepto Chriſtianæ fidei agnoſcerent ſacramento: quod quidem in veſtræ gloriæ ſenſibus cæleſti collatum munere myſtica regeneratio veſtræ purgationis patenter innuit. Magno ergo largitatis Dominicæ beneficio mens noſtra gaudio exultauit, quod ſcintillam Orthodoxæ religionis in veſtri dignatus eſt conuerſione ſuccendere; ex qua re non ſolum glorioſi coniugis veſtri, immo totius gentis ſuppoſitæ vobis intelligentiam in amorem ſui facilius inflammaret.

Didicimus namque, referentibus his qui ad nos glorioſi filij noſtri Audobaldi Regis laudabilem conuerſionem nunciantes peruenerunt, quod etiam veſtra gloria, Chriſtianæ fidei ſuſcepto mirabili ſacramento, pijs & Deo placitis iugiter operibus eniteſcat; ab idolorum etiam cultu, ſeu fanorum, auguriorumq. illecebris ſe diligenter abſtineat, & ita in amore Redemptoris ſui immutata deuotione perſiſtens inuigilet, vt ad di- E latandam Chriſtianam fidem inceſſabiliter non deſiſtat operam commodare. Cumq. de glorioſo coniuge veſtro paterna charitas ſolicite perquiſiſſet, cognouimus, quod eatenus abominandis idolis ſeruiens, ad ſuſcipiendam vocem prædicatorum ſuam diſtulerit obedientiam exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo congeſta eſt, ab eo quod pars corporis veſtri ab agnitione ſummæ & indiuiduæ Trinitatis remanſit extranea. Vnde paternis officijs veſtræ glorioſæ Chriſtianitati noſtram commonitionem non diſtulimus conferre, adhortantes, quatenus diuinæ inſpirationis imbuta ſubſidijs importune & opportune agendum non differas, vt & ipſe, Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti cooperante potentia, Chriſtianorum numero copuletur, vt perinde intemerato ſocietatis fœdere iura teneas maritalis conſortij. Scriptum namque eſt[b]: Erunt duo in carne vna.

[b] Matth. 19.

Quo-

A Quomodo namque vnitas vobis coniunctionis ineſſe dici poterit, ſi a veſtræ fidei ſplendore interpoſitis deteſtabilis erroris tenebris remanſerit ille alienus?

Vnde orationi continuo inſiſtens, a longanimitate cæleſtis clementiæ illuminationis illius beneficia impetrare non deſinas: vt videlicet, quos copulatio carnalis affectus vnum quodammodo corpus exhibuiſſe monſtratur, hos quoque vnitas fidei etiam poſt huius vitæ tranſitum in perpetua ſocietate conſeruet. Inſiſte ergo, glorioſa filia, & ſummis conatibus duritiam cordis ipſius religioſa diuinorum præceptorũ inſinuatione mollire ſummopere dematura, infundens ſenſibus eius, quantum ſit præclarum, quod credendo ſuſcepiſti myſterium; quantumve ſit admirabile, quod renata præmium conſequi meruiſti. Frigiditatem cordis ipſius ſancti Spiritus annunciatione ſuccende: quatenus amoto torpore pernicioſiſſimi cultus, diuinæ fidei calor eius intelligentiam tuarum exhortationum
B frequentatione ſuccendat: vt profecto ſacræ Scripturæ teſtimonium per te expletum indubitanter præclareat: Saluabitur [a] vir infidelis per mulierem fidelem. Ad hoc enim miſericordiam Dominicæ pietatis conſecuta es, vt fructum fidei creditorumq. tibi beneficiorum Redemptori tuo multiplicem reſignares. Quod equidem, ſuffragante præſidio benignitatis ipſius, vt explere valeas, aſſiduis non deſiſtimus precibus poſtulare. [a] 1. Cor. 7.

His ergo præmiſſis, paternæ vobis dilectionis exhibentes officia, hortamur, vt nos (reperta portitoris occaſione) de his quæ per vos ſuperna potentia mirabiliter in conuerſione coniugis veſtri ſubmiſſæq. vobis gentis dignatus fuerit operari, proſperis quantocyus nuncijs reueletis: quatenus ſolicitudo noſtra, quæ de veſtri veſtrorumq. omnium animæ ſalute optabilia deſideranter expectat, vobis nunciantibus releuetur; illuſtrationemq. diuinæ propitiationis in vobis diffuſam opulentius agnoſcentes, hilari confeſſione
C largitori omnium bonorum Deo, & beato Petro Apoſtolorum principi vberes merito gratias exoluamus. Præterea benedictionem protectoris veſtri beati Petri Apoſtolorum principis vobis direximus, id eſt, ſpeculum argenteum, & pectinem eburneum inauratum: quod petimus vt eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat, quo a nobis noſcitur deſtinatum.] hactenus ad Reginam Bonifacius Papa. Quomodo autem vir eius Eduinus Rex fidei Chriſtianæ ſuſcipiendæ admodum refractarius, vrgentibus malis tandem reliquit idola, atque demum effectus eſt Chriſtianus, ſuo loco dicturi ſumus.

Ceterum in hunc vſque annum Bonifacium Papam peruenisſe, ex recitatis eius litteris, & ſignificatione temporis ordinationis Paulini, poſt quam illæ ſcriptæ noſcuntur, certum eſt: ex quibus eos corrigas, qui eiuſdem Pontificatui tribuunt annos dumtaxat quinque & paulo amplius, quem hoc anno vigeſimaquinta die menſis Octobris vita functum eſſe,
D Anaſtaſius tradit, cum videlicet ſediſſet annos ſeptem, menſes decem, diem vnum. Porro de rebus ab eo geſtis ex pluribus hæc tantum ab eodem Anaſtaſio referuntur: BONIF. PP. V. OBITVS.

Hic conſtituit vt nullus traheretur ab eccleſia, *qui ad eam confugiſſet, renouans ſcilicet antiquos canones atque decreta prædeceſſorum*. Inſuper hic conſtituit vt acoluthus non præſumat reliquias ſanctorum martyrum leuare, ſed tantum presbyter. Inſuper hic conſtituit vt in Lateranis acoluthus non baptizaret cum diacono, ſed ſubdiaconi ſequentes. Hic perfecit cœmeterium ſancti Nicodemi, & dedicauit illud. Erat enim Bonifacius mitiſſimus ſuper omnes homines & miſericors. Hic clerum amauit, rogamq. integram clero ſuo dedit, *donationem videlicet, ita dictam ab erogando*. Qui defunctus ſepultus eſt ad beatum Petrum Apoſtolum die vigeſimaquinta menſis Octobris.] Et paulo poſt: Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, creauit presbyteros vigintiſeptem,
E diaconos quatuor, Epiſcopos per diuerſa loca numero vigintinouem. Et ceſſauit Epiſcopatus eius menſes ſex & dies decem & octo.] hæc apud Anaſtaſium, at pauca quidem & exilia reſpectu aliorum quæ nobis ob inopiam ſcriptorum remanſerunt obſcura: qui enim tanta polleret probitate, præſtantiora quidem peregiſſe, mihi facile perſuadeo. Fuerunt enim ſilentio plane ſepulta quæ his temporibus geſta ſunt cum ſchiſmaticis in Italia conſtitutis, & alia huiuſmodi plura. BONIF. RELIQVAE RES GESTAE.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

HONORIVS PAPA CREATVS.

SExcentesimus vigesimusextus Domini annus adest, Indictione decimaquarta; quo decimatertia die mensis Maij Honorius Campanus ex patre Petronio, Consulari homine, creatus est Romanus Pontifex. laudatissimus ipse quidem apud Anastasium habetur: res autem ab eo gestas, annis singulis, quibus peractæ esse noscuntur, in medium afferemus, easdemq. omni fide probatas. Quod vero sextus hic numeretur annus belli Persici: quomodo a Romanis, diuino impertito auxilio, bene pugnatum est aduersus Persas, ex Theophane dicturi sumus omnium antiquiore, atque Cedreno, & alijs, his primum verbis [a]: B

a Theoph. hoc anno Heracly. & Cedrenus in Compend. eod. anno.

ANN. SEXTVS BELLI PERSICI.

Anno decimoseptimo, hieme in Persidem Heraclius cum Turcis ingressus, improuiso Cosrhoen perterruit. Sed Turci hiemem ac crebras Persarũ excursiones ægre ferentes, neque tolerandis ærumnis socios se Imperatori præbere sustinentes, paulatim ex castris dilabi, tandemq. vniuersi, desertis Romanis, domum reuerti cœperunt. Tum Imperator suos ita est allocutus: Videtis, fratres, neminem nobis adesse velle, præter vnum Deum, & quæ cum sine semine peperit, Virginem. Id eo fit, vt cælitus nobis misso auxilio, in nobis ac omnibus istis suam demonstret potentiam.] ista tum quidem magna fide pollens Heraclius, nec sane frustra, vt declararunt euenta: hoc namque anno superato nouo præpotenti a Cosrhoe electo duce nomine Razate, ipsum Cosrhoen in angustum valde redegit. Incensis enim pluribus ciuitatibus, alijsq. locis obuiam positis, pridie Idus Decembris collatis signis, aduersus Razatem prœlium inijt, in quo cum ipse Imperator, tum ex C aduerso Razates in prima acie (vt in re maximi momenti) pugnarunt, rati nimirum, quorum altera prima acies præualeret, eo victoriam vniuersi exercitus inclinaturam.

HERACL. VINCIT PERSAS ET FVGAT COSRHOEN.

Enituisse tunc quidem in pugna virtutem Imperatoris, ita ijdem Græcorũ produnt Annales: Pridie sane Idus Decembris gestum est bellum: & ante omnes prosiliens Imperator, principi Persarum exercitus occurrens, diuina virtute, Deiq. genitricis opitulatione hunc deiecit.] aliosq. ab Imperatore cæsos addunt; ipsum vero Imperatorem, vulnerato equo, in discrimen adductum, ictibus plurimis scuto repulsis; factumq. tandem, vt victoria a Romanis staret glorioſa admodum, vtpote incruenta, cæsis nimirum ex Romanis dumtaxat numero quinquaginta, vulneratis nonnullis, ex quibus postea decem tantum mortui sunt: potituſq. tunc fuit Heraclius opimis spolijs Razatis, nimirum auratis armis; quod totum Deo, Deiq. genitrici, quam in auxilium totius belli adsciuerat Imperator, tributum est. D

Pugnatum autem tradunt a primo mane vsque ad horam nonã. Sed licet Romani victores extiterint, haud tamen a reliqua hostium parte fuga captata est; quæ se recepit in castra, expectans vniri cum superuenturis copijs a Cosrhoe missis. At Imperator bene vsus occasione victoriæ, contra Cosrhoen festinauit, quem haud admodum longe abesse sciret. Sed ipse suorum clade cognita, expeditus ad fugam, inde recessérat, relictis palatijs campestribus, quibus ad delicias vtebatur, vbi animalium diuersorum viuaria reperta sunt; quibus potitus Heraclius, ex illis pauit exercitum. Hæc vsque ad Kalendas Ianuarias facta produntur: quæ vero post hæc secuta sunt, suo loco anno sequenti, quo contigerunt, reddenda erunt. Celebrasse autem Natalem diem Domini cum exercitu Imperatorem ijsdem in locis absque timore, sed summa cum tranquillitate Deo gratias agentem, ijdem produnt Annales. Istum adeo felicem nactum est finem bellum anni huius, cum E Deus ipse (vt contestatus est Imperator) vna cum Dei genitrice Maria in castris adesset Romanis opitulaturus.

COSRHOES A SVIS PATITVR IGNOMINIAM

Præcesserat ista quidẽ confessio Anastasij Persæ iam religione Christiani atque professione monachi: hoc namque anno Cæsareæ est tentus a prouinciæ Præside, qui a Cosrhoe missus Præfectus erat in Palæstinam, quã suo imperio adiecisset. Fuit plane celebre eiusmodi certamen martyris, totiq. Christiano orbi conspicuum, hocq. anno cœptum, sequenti vero consummatum. Magna quidẽ diuini consilij dispensatione actum est, vt cum sæuissimus ac maxime impius Cosrhoes nulla iam conditione accepturum se Romanos ad pacem legatis ad hoc missis ante responderit, nisi Christo abnegato, omnes Persarũ colerent idola; ipse audiret Persas incipere esse Christianos, & opus esse iam ipsum in suos animaduertere, quod facti tunc Christiani, essent superstitionis patriæ desertores, & confessores

sponta-

A ſpontanei, validiq. præcones nominis Chriſti: ex quibus quidem ſpecies reddita eſt priorum temporum, cum Gentiles Imperatores quo magis inſanirent aduerſus Chriſtianos, eo copioſior multitudo ex gentibus ipſis conuerteretur ad fidem. Ne autem egregium certamen martyrum, quo pariter Coſrhoen, diuerſo tamen modo, vinci contigit, obuoluti ingrato ſilentio præterijſſe videamur, qui tot Imperatoris prœlia per ſex annos integros recenſuimus; hic ipſum ex eorum Actis deſcribere, operæpretium exiſtimamus.

Debet autem in primis meminiſſe lector, primo anno Perſici belli hunc ipſum nobilem Perſam Anaſtaſium, de quo eſt ſermo, iam plene redditum Chriſtianum, initiatumq. monaſticis inſtitutis in monaſterio S. Anaſtaſij apud Hieroſolymam poſito vitam monaſticam coluiſſe, ibiq. adeo profeciſſe, vt cum virtutum omnium culmen propemodum attigiſſet, quod reliquum ſibi eſſe videretur, optarit pro Chriſti nomine vitam quoque pro-
B fundere, impellente ad hoc eum diuino Spiritu, quo agebatur & mouebatur pariter; præcedentibus ſignis haud dubijs illis quidem, quibus monitus contulit ſe Cæſaream Palæſtinæ. Qui enim cum Syria ſuperiori etiam Palæſtinam ſibi ſubegerat Coſrhoes, haud eam dimiſerat, ſed Præſidem illi prouinciæ præficere conſueuerat, qui Cæſareæ degebat; apud quem contigit Anaſtaſium fidem Chriſtianam primum profiteri. Quomodo autem res ſe habuerit, eius Acta recitata atque probata in Nicæno poſteriori Concilio docent his verbis [a]:

[a] *Extant apud Sur. die 22. Ianuar.*

ANASTASIVS PERSA PROGREDITVR FIDEI CONFESSOR.

Cum peruenisſet Anaſtaſius vſque ad Cæſaream Palæſtinæ, in templo Deiparæ virgi-
C nis duobus diebus moratur: & exinde eum rurſus excepit templum omni ex parte laudandæ Euphemiæ veluti quodam viæ duce vtentem clanculum, qui plane eius dirigebat greſſum ad martyrium. Nam cum accederet ad templū illius ſemper laudandæ Euphemiæ, videt quoſdam Perſarum magos occupatos in quibuſdam præſtigijs; zeloq. protinus concitatur eius animus: ſciebat enim, quam ea res eſſet impia & ſcelerata, eo quod ipſe quoque in ea improba arte eſſet verſatus: Quænam, inquit, tanta caligo veſtris offuſa eſt oculis, vt ne ea quidem aſpiciatis, quæ ante pedes veſtros ſita ſunt, quemadmodum in vniuerſum ſcilicet eſt deceptio, quæ veſtram leuitatem ludificatur & facilitatem, & eorum quos vos rurſus ad eumdem vobiſcum corripitis interitum?

QVALIS ANTEA ANASTASIVS.

Hanc illi admirati in dicendo libertatem & audaciam, rogauerunt, quiſnam eſſet, & quid eum impuliſſet vt hæc diceret. Ille autem: Fui ego quoque, inquit, aliquando vobis ſimilis, & eodem falſus errore, & eiſdem dedi operā præſtigijs. Hæc audacter dixit, cum nihil eum puderet ſuæ quam ab ineunte ætate acceperat, impietatis & ſordium vitæ prioris, ſed potius gloriaretur, quod in fidem eſſet translatus, & ſacro baptiſmo ablutus. Dein-
D de prolixa cœpit vti oratione, rem eſſe execrandam arguens, & quam eſſet inſigniter abſurda aperiens, & ſic paulatim ſeipſum eis exemplum adducens, & ſimiliter eos inuitans ad meliorem mutationem. Illi autem non ſolum ad hæc fuere ſurdis ſimiles, ſed cum etiam vehementer rogarunt ne tam impudenter quæ ſunt apud Perſas præclara contemneret, & in vulgus irridenda proponeret. Exinde ille vere egregius & deſiderabilis Anaſtaſius feſtinabat ad delectabile & iucundum martyrij hoſpitium.

Cum non longe autem a ſe remotum eum quidam vidiſſent ex ijs qui dicuntur a Perſis Caballarij, ſedentes apud Derbas, ſicut etiam conſueuerunt (hoc autem eſt prætorium eius, qui apud eos dicitur Sellarius) Certe hic eſt delator, dixerunt inter ſe ſermone Perſico. Ille autem cum verbum ſenſiſſet, & linguam non ignoraſſet, vt qui ipſe quoque eſſet Perſa, & in eadem voce qua illi eruditus, eos torue & acriter intuens: Non ſum

ANASTASIVS PROFITETVR SE CHRISTIANVM.

E delator, inquit: ſunt hæc, ait, nugæ & ineptiæ: ſed potius ſeruus Ieſu Chriſti, & vobis quidem melior: ſiquidem & ego fui aliquando ſicut vos, & in Caballariorum numerum fui relatus. Hæc cum illi audiſſent, & e cathedra ſtatim exilijſſent, eum detinuerunt. Deinde cum Sellario quoque fuiſſet annunciatum, egreditur etiam ille ex prætorio. Et cum quiſnam is eſſet, interrogaſſet, & vndenam veniret, & quæ ad ipſum pertinebant, diligenter examinaſſet: dat ſeruandum Anaſtaſium in cuſtodia tutiſſima. In qua iam tres dies incluſus, neque cibum, neque potum, neque aliquid aliud ab eis omnino accipere ſuſtinuit, ſed ſic omnino ieiunus detentus eſt in cuſtodia, vt qui futurorum pro Chriſto periculorum aleretur ſola expectatione.

ANASTASII ITERATA CONFESSIO.

Cum autem iam rediiſſet Marzabanas ex peregrinatione (neque enim tunc erat Cæſareæ) & de Anaſtaſio ſignificaſſet Sellarius: vinctus ſtatim adducitur martyr in prætorium. Interim vero dum Marzabanas erat in aliquibus alijs curis occupatus, agnoſcit aliquis

quis ex pijs Anastasium, qui eum in venerando templo Deiparæ aspexerat. Cum ergo A sic eum agnouisset in prætorio, & eum interrogasset, quanam de causa illic adesset, eius scopum & institutum laudans, & eum eo nomine beatum pronuncians, eius promptum & alacrem animum magis confirmat in rebus grauibus & asperis, vt neque propter Christum timeret vincula, nec tormenta, nec mortem, sed Marzabanæ responderet strenue & viriliter. Certe etiam cum fuit apud tyrannum introductus, nec genu quidem flexit, vt semper mos est Persis adorationem reddere maioribus; sed generosum, & qui in seruitutem redigi non poterat, animum per externa significabat. Cum ergo fixis oculis eum satis esset intuitus Marzabanas, partim quidem vt constanti aspectu ei terrorem incuteret, partim autem vt eum consideraret diligentius, rogauit eum, quisnam esset, & cuias. Ille vero respondit: Verus sum Christianus. Quod si velis etiã scire cuias sim: sum quidem Persa genere ex regione Razech, vico autem Rasnuni: qui ipse quoque aliquando fui B Caballarius, & in rebus magicis exercitatus. Cumq. sic essem minister tenebrarum, potui (vt vides) transire ad lucem e tenebris, & discere veritatem.

Marzabanas autem cum nondum feciſſet periculũ quam esset generosus athleta, sed putaret rem esse facilem & expeditam eum a sua traducere sententia, cœpit illius mentem non secus ac parui alicuius pueri paruis tentare promissionibus ille vere parui & abiecti animi: Desiste, dicens, ab hoc errore ad patriam religionem. Si enim sic feceris, dabo tibi equos & nummos & multa bona. Martyr autem cælum intuens: Absit, inquit, Rex Christe, vt beatam tuam fallam confessionem. Propter quæ eum tamquam volens pudore afficere Marzabanas: Quid autem, placet ne tibi, inquit, hoc habitu indui, quo nunc es indutus? Ille vero: Non minoris, respondit, eum facio, quam tu hanc tuam dignitatem. Quamobrem ille ira commotus: Certe tu, inquit, vteris cohabitante dæmone: neque C aliud per te ipsum loqueris, quam quæ tibi ipse suggesserit. Ad ea martyr: Quando eram, inquit, in errore, male honorans impietatem, aut potius ab illa affectus ignominia, tunc grauis dæmon mecum cohabitabat: nunc habeo ipsum Christum cohabitantem, qui tuos expellit dæmones. Cum autem adiecisset Marzabanas: Quid ergo? Non times, inquit, ne hæc ad Regem referantur, ille vero acerbe te cruci affigat? Quomodo, inquit, hominem timuerim, qui est patibilis, in quem cadit interitus? Nam etsi corpus superauerit, capi tamen non potest anima, & ei non possunt omnino parari insidiæ.

MARZABANAS AFFERIT LABORIBVS ANASTASIVM.

Hæc ergo non ferens Marzabanas, iubet ferreis collaribus collum & alterum ex pedibus subiectum vinciri, & ductum ad ergastulum, illic lapides cogi ferre grauissimos. Quod quidem cum eius iussu factum esset, & ad ferendos lapides semper sanctus manus afferret, manus sanctas, manus quæ multum poterant apud Deum, corporeis laboribus plura D erant quæ extrinsecus ei afferebantur. Multi enim ex Persis ad eum accedentes, & maxime ex ijs qui orti erant ex eodem vico ex quo Anastasius, veluti proprium reputantes dedecus quæ in illum fiebant, exprobrationem aduersus proximum (vt cum diuino [a] Psal. 14. uid [a] dicam) sumebant: Cur hoc feciſti? dicentes: cur antiquam nobilitatem gentis affeciſti contumelia effectus Christianus, & tantam nobis inussisti ignominiam, propterea in vincula coniectus & maleficorum damnatus supplicio? quod quidem nostri ferre non possunt oculi.

Cum his autem grauibus linguæ verberibus, manuum quoque beato verbera infligebant, vehementer verberantes, atque barbam vellentes, & eius vestimenta lacerantes; & lapides quos quatuor simul iuncti ferebant, eos soli Anastasio ferendos [b] Psal. 128. imponebant: adeo vt ipse rursus loqui visus sit cum Dauide [b]: Supra dorsum meum fabri- E cauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Idq. cum nec ferre posset ferrum quod erat collo & pedi eius impositum, sed sub eodem ferro alius quoque cum martyre pedem haberet vinctum, quæ quidem ei nectebant omnino multiplicem coronam martyrij. Habes (si vis) alios quoque dolores & occasiones aliarum coronarum, hoc ipsum inquam, quod in conspectu eorum qui ipsum nouerant, hæc & multa alia probra ab eis pateretur, quæ iam prius dicta sunt: a quibus adeo mansit nihil affectus, vt ea putaret potius encomia propter Christum, quam cor eius ab eis moueretur aliquid.]

SAEVIT IN ANAST. MARZABANAS PERSA.

Cum autem Marzabanas eumdẽ rursus vocatum frustra tentasset ad Persarum superstitionis cultum reuocare, verberibus ab eo exigit obedientiam: extentum enim humi, verberibus dire tam diu affici iussit, donec profiteretur facere quod iuberetur. Tunc autem ille duo præstitit: alterum, vt carnifices rogarit ne vinciretur, immobilem se mansurum

polli-

A pollicitus absque vinculis: alterum, ne cum ipso etiam monasticum habitum veluti sacrosanctum indumentum verberarent, sed nudum expoliatum plagis afficerent. Cum vero neque ab eo male affecto verberibus aliquid extorquere potuisset de cultu Christiano deserendo promissionis, iterum detrudi Anastasium in carcerem Marzabanas iussit, duplici iam confessione nobilitatum. Sed rursum reuocatus ad Marzabanam, & vt sacrificaret, iterum requisitus, cum id præstare penitus renuisset, denuo est retrusus in carcerem. Vbi cum esset, inuisitur a monachis eius monasterij, vbi ipse ante degebat: sed & Angelorum visitatione dignus habitus est, perspicua facta etiam Iudæo homini in eodem cum ipso degenti carcere: quæ apud Acta eius martyrij lector copiosius enarrata inueniet. Subijcit his auctor alia plura, quæ facta sunt Cæsareæ de celebratione diei festi sanctissimæ Crucis, quam idem ibi Anastasius celebrauit, & alia vsque ad migrationem in
B Persidem, cum missus est ad Cosrhoen Regem: quæ in annum sequentem reijcimus, quo esse peracta noscuntur.

At vero iam ad res nouæ & coalescentis Ecclesiæ Anglicanæ stylum conuertamus. Qui enim litteris Bonifacij Papæ cohortantis ipsum ad Christianam religionem amplexandam minime adhuc fuerat persuasus Rex Eduinus, de quo diximus; Dei misericordia factum est, vt in vitæ discrimen adductus, veritatis luminis aliqua saltem ex parte cœperit fieri particeps. Hæc autem quomodo acciderint, Beda sic narrat[a]:

DE CONVERSIONE EDVINI REGIS.

a Bed. lib. 2. c. 9

Anno, inquit, sequenti, *ab inito coniugio scilicet, quod factum est anno superiori*, venit in prouinciam quidam sicarius, vocabulo Eumerus, missus a Rege Occidentalium Saxonum, nomine Cuichelmo, *sperans* se Regem Eduinum regno simul & vita priuaturum: qui habebat sicam bicipitem toxicatam, vt si ferri vulnus minus ad mortem Regis sufficeret,
C peste iuuaretur veneni. Peruenit autem ad Regem primo die Paschæ iuxta amnem Dorouentionem, vbi tunc erat villa regalis. Intrauitq. quasi nuncium domini sui referens: & cum simulatam legationem ore astuto volueret, exurrexit repente, & euaginata sub veste sica, impetum fecit in Regem. Quod cum videret Lilla minister Regis amicissimus, non habens scutum ad manum, quo Regem a nece defenderet, mox interposuit corpus suum ante ictus pungentis. Sed tanta vi hostis ferrum infixit, vt per corpus militis occisi etiam Regem vulneraret. Qui cum mox vndique gladijs impeteretur, in ipso tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Fordherio, sica nefanda peremit.

EDVINVS IN VITAE DISCRIMEN ADDVCTVS.

Eadem autem nocte sacrosancta Dominicæ Paschæ pepererat Regina filiam Regi, cui nomen Eanfled. Cumq. idem Rex præsente Paulino Episcopo gratias ageret dijs suis pro nata sibi filia: contra Episcopus gratias cœpit agere Domino Christo, Regiq. astrue-
D re, quod ipse precibus suis apud illum obtinuerit, vt Regina sospes & absque dolore graui sobolem procrearet. Cuius verbis delectatus Rex, promisit se, abrenunciatis idolis, Christo seruiturum, si vitam sibi & victoriam donaret pugnanti aduersus Regem, a quo homicida ille, qui eum vulnerauerat, missus est: & in pignus promissionis implendæ, eamdem filiam suam Christo consecrandam Paulino Episcopo adsignauit: quæ baptizata est die sancto Pentecostes, prima de gente Nordanhumbrorum, cum duodecim alijs de familia eius. Quo tempore curatus a vulnere sibi pridem inflicto Rex, collecto exercitu, venit aduersus gentem Occidentalium Saxonum, ac bello inito, vniuersos quos in necem suam conspirasse didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicq. victor in patriam reuersus, non statim & inconsulte sacramenta fidei Christianæ percipere voluit: quamuis nec idolis vltra seruiuit, ex quo se Christo seruiturum esse promiserat: verum
E primo diligentius ex eo tempore & ab ipso venerabili viro Paulino rationem fidei ediscere, & cum suis primatibus, quos sapientiores nouerat, curauit conferre, quid de ijs agendum arbitrarentur. Sed & ipse cum esset vir natura sagacissimus, sæpe diu solus residens, ore quidem tacito, sed in intimis cordis multa secum colloquens, quid sibi esset faciendum, quæ religio seruanda, tractabat.] & post multa superius recitata idem Beda ista addit[b]:

FILIA EDVINI BAPTIZATA.

EDVINVS CONSVLTAT DE FIDE CHRIST. SVSCIPIENDA.

b Bed. libr. 2. cap. 12.

Sed & oraculum cæleste, quod illi quondam exulanti apud Redualdum Regem Anglorũ pietas diuina reuelare dignata est, non minimũ ad suscipienda vel intelligenda doctrinæ monita salutaris sensum illius iuuit. Cum ergo videret Paulinus difficulter posse sublimitatem animi regalis ad humilitatem viæ salutaris & suscipiendum mysterium viuificæ Crucis inclinari, ac pro salute illius simul & gẽtis cui præerat, & verbo exhortationis apud homines & apud diuinam pietatem verbo deprecationis ageret; tandem (vt verisimile vide-

videtur)didicit in ſpiritu,quod vel quale eſſet oraculum Regi quondam cælitus oſtenſum. A Nec exinde diſtulit, quin continuo Regem admoneret, explere votum, quod in oraculo ſibi exhibito ſe facturum promiſerat, ſi temporis illius ærumnis exemptus ad regni faſtigia perueniret. Erat autem oraculum huiuſmodi:

DE PERSECVTIONE QVAM PASSVS EST EDVINVS.

Cum perſequente illum Edelfrido, qui ante eum regnauit, per diuerſa occultus loca vel regna multo annorum tempore profugus vagaretur, tandem venit ad Regem Rednaldum, obſecrans vt vitam ſuam a tanti perſecutoris inſidijs tutando ſeruaret. Qui libenter eum excipiens, promiſit ſe, quæ petebat, eſſe facturum. At poſtquam Edelfridus in hac eum prouincia apparuiſſe, & apud Regem illius familiariter cum ſocijs habitare cognouit: miſit nuncios, qui Redualdo pecuniam multam pro nece eius offerrent, neque aliquid profecit. miſit ſecundo, miſit tertio, & copioſiora auri & argenti dona offerens, & bellum inſuper illi,ſi contemneretur,indicens. Qui vel minis fractus, vel corruptus muneribus, ceſſit deprecanti, & ſiue occidere ſe Eduinum, ſeu legatarijs, *legatis ſcilicet ipſis*, tradere promiſit. B

Quod vbi fideliſſimus quidam amicus illius animaduertit, intrauit cubiculum quo dormire diſponebat (erat enim prima hora noctis) & euocatum foras, quid erga eũ agere Rex promiſiſſet, edocuit, & inſuper adiecit: Si ergo vis, hac ipſa hora educam te de hac prouincia,& ea in loca te introducam, vbi numquam te vel Redualdus vel Edelfridus inuenire valeant. Qui ait: Gratias quidem ago beneuolentiæ tuæ: non tamen hoc facere poſſum quod ſuggeris, vt pactum quod cum tanto Rege inij, ipſe primus irritum faciam, cum ille mihi nihil mali fecerit, nihil adhuc inimicitiarum intulerit. Quin potius ſi moriturus ſum, ille me magis quam ignobilior quiſquam morti tradat. Quo enim nunc fugiam, qui per omnes Britanniæ prouincias tot annorum temporumq. curriculis vaga- C bundus hoſtium vitabam inſidias?

VISIO CAELITVS MISSA EDVINO IN ANGVSTIIS LABORANTI.

Abeunte igitur amico, remanſit Eduinus ſolus foris; reſidensq. mæſtus ante palatium, multis cœpit cognitionum æſtibus affici; quid ageret, quove pedem verteret, neſcius. Cumq. diu tacitis mentis angoribus & cæco carperetur igne, vidit ſubito intempeſtæ noctis ſilentio appropinquantem ſibi hominem vultus habitusq. incogniti. Quem videns,vt ignotum & inopinatum, non parum expauit. At ille accedens, ſalutauit eum, & interrogauit, quare illa hora, ceteris quieſcentibus, & alto ſopore preſſis, ſolus ipſe mæſtus in lapide peruigil ſederet? At ille viciſſim ſciſcitabatur,quid ad eum pertineret, vtrum ipſe intus an foris noctem tranſigeret. Qui reſpondens, ait: Ne me æſtimes tuæ mæſtitiæ, & inſomniorum, & forinſecæ ac ſolitariæ ſeſſionis cauſam neſcire. Scio enim certiſſime qui es, & quare mæres, & quæ ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi,quid D mercedis dare velis ei, ſi quis ſit, qui his te mæroribus abſoluat, & Redualdo ſuadeat, vt nec ipſe tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hoſtibus perimendum tradat? Qui cum ſe omnia quæ poſſet, huic tali pro mercede beneficij daturum eſſe reſponderet: adiecit ille: Quid ſi etiam te Regem futurum, extinctis hoſtibus, in veritate promittat, ita vt non ſolum omnes progenitores tuos, ſed & omnes qui ante te Reges in gente Anglorum fuerunt, poteſtate tranſcendas?

PRAEDICTIONES QVO TENDERINT.

At Eduinus conſtantior interrogando factus, non dubitauit promittere, quin etiam ei qui tanta ſibi beneficia donaret, dignis ipſe gratiarum actionibus reſponderet. Tum ille tertio: Si autem, inquit, is qui tibi tanta taliaq. dona veraciter aduentura prædixerit, etiam conſilium tibi tuæ ſalutis ac vitæ melius atque vtilius quam aliquis de tuis parentibus ac cognatis vmquam audiuit, oſtendere potuerit: num ei obtemperare & monita E eius ſalutaria ſuſcipere conſentis? Nec diſtulit Eduinus, quin continuo polliceretur, ſe in omnibus ſecuturum doctrinam illius, qui ſe tot ac tantis calamitatibus ereptum, ad regni apicem proueheret. Quo accepto reſponſo, confeſtim is qui loquebatur cum eo, impoſuit dexteram ſuam capiti eius, dicens: Cum hoc ergo tibi aduenerit,memento huius temporis ac loquelæ noſtræ, & ea quæ nunc promittis, adimplere ne differas. Et his dictis (vt ferunt) repente diſparuit; vt intelligeret non hominẽ eſſe qui ſibi apparuiſſet, ſed ſpiritum.

MVTATA MENS REDVALDI.

Et cum regius iuuenis ſolus adhuc ibidem ſederet,gauiſus quidem de collata ſibi pia ac benigna conſolatione; ſed multum ſolicitus ac mente ſedula cogitans, quis eſſet ille, vel vnde veniſſet, qui hæc ſibi loqueretur: venit ad eum præfatus amicus illius, lætoq. vultu ſalutans eum: Surge, inquit, intra, & ſopitis ac relictis curarũ anxietatibus, quieti membra ſimul & animum compone: quia immutatum eſt cor Regis, nec tibi aliquid mali fa-

cere,

A cere, sed fidem potius pollicitam seruare disponit. Postquam enim cogitationem suam, de qua tibi ante dixi, Reginæ in secreto reuelauit, reuocauit eum illa ab intentione, admonens, quia nulla ratione conueniat tanto Regi amicum suum optimum in necessitate positum auro vendere, immo fidem suam, quæ omnibus ornamentis pretiosior est, amore pecuniæ perdere.

Quid plura? fecit Rex vt dictum est; nec solum exulem nuncijs hostibus non tradidit, sed etiam eum, vt in regnum perueniret, adiuuit. Nam mox redeuntibus domum nuncijs, exercitum ad debellandum Edelfridum collegit copiosum, eumq. sibi occurrentem cum exercitu multum impari (non enim dederat illi spatiũ quo totum suũ congregaret atque adunaret exercitum) occidit in finibus gentis Merciorum ad Orientalem plagam amnis qui vocatur Idle: in quo certamine & filius Redualdi, vocabulo Regnheri, occisus est. VICTORIA ADVERSVS EDELFRIDVM.

B Ac sic Eduinus, iuxta oraculum quod acceperat, non tantum Regis sibi infesti insidias vitauit, verum etiam eidem perempto, in regni gloriam successit.] Hæc cum impleta essent, venit tempus exigendi ab eo quod cælesti nuncio pollicitus erat se facturum, quicquid monstraretur ab eo qui super caput ipsius manum esset impositurus: quod vt præstaretur a Paulino Episcopo Deus volens, ipsum sanctum de omnibus ijs quæ transacta fuerant cum Eduino admonuit, & vt ab eo promissionem exigeret, pariter iussit. Sed audi Bedam:

Cum ergo, prædicante verbum Dei Paulino, Rex credere differret, & per aliquod tempus (vt diximus) horis competentibus solitarius sederet, & quid agendum sibi esset, quæ religio sequenda, sedulus secum ipse scrutari consuesset: ingrediens ad eum quadam die vir Dei Paulinus, imposuit dexteram capiti eius, & an hoc signum agnosceret, requi- PAVLIN. CVM SECRETVM REGI PANDIT, VT CREDAT ADDVCIT.

C siuit. Qui cum tremens ad pedes eius procidere vellet, leuauit eum, & quasi familiari voce affatus: *Ecce*, inquit, hostium manus quos timuisti, Domino donante, euasisti: *ecce regnum* quod desiderasti, ipso largiente, percepisti: memento vt tertium, quod promisisti, facere non differas, suscipiendo fidem eius, & præcepta seruando, qui te & a temporalibus aduersis eripiens, temporalis regni honore sublimauit. Et si deinceps voluntati eius, quam per me tibi prædicat, obsecundare volueris, etiam a perpetuis malorum tormentis te liberabit, & æterni secum regni in cælis faciet esse participem. Quibus auditis Rex, suscipere quidem se fidem quam docebat, & velle, & debere, respondebat: verum adhuc cum amicis principatibus & consiliarijs suis sese de hoc collaturum esse dicebat, vt si & illi eadem cum eo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ Christo consecrarentur. Et annuente Paulino, *fecit vt dixerat.*] habenD tur Regis iussu indicta comitia, eaq. maximi ponderis, vtpote de vera religione sectanda. Vocantur & primates, simulq. totius collegij Gentilicij sacerdotum Pontifex maximus: cuius cor Deus ita mouit, vt ipse dicendo sententiam primus de idololatria abijcienda statuerit, firmiterq. decreuerit: nam audi Bedam:

Habito enim cum sapientibus consilio, sciscitabatur singillatim ab omnibus, qualis sibi doctrina hæc eatenus inaudita, & nouus Diuinitatis qui prædicabatur cultus videretur? Cui primus Pontificum ipsius, Coifi nomine, continuo respondit: Tu vide Rex, quale sit hoc quod nobis modo prædicatur: ego tibi verissime, quod certum didici, profiteor, quia nihil omnino virtutis habet religio illa, quam hucusque tenuimus. Nullus enim tuorum studiosius quam ego culturæ deorum nostrorum se subdidit; & nihilominus multi sunt, qui ampliora a te beneficia quam ego, & maiores accipiunt dignitates, maGENTILIS PONTIFICIS SCITA SENTENTIA.

E giscq. prosperantur in omnibus quæ agenda vel acquirenda disponunt. Si autem dij aliquid valerent, me potius iuuare vellent, qui illis impensius seruire curaui. Vnde restat, vt si ea quæ nunc nobis noua prædicantur, meliora esse & fortiora, habita examinatione, perspexeris, absque vllo cunctamine suscipere illa festinemus. Cuius suasioni verbisq. prudentibus alius optimatum Regis tribuens assensum, continuo subdidit:

Talis, inquiens, mihi videtur, Rex, vita hominum præsens in terris ad comparationem eius quod nobis incertum est temporis, quale cum te residente ad cœnam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio, & calido effecto cœDE VITAE BREVITATE SENTENTIA, ET VERITATE QVAERENDA.

naculo, furentibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium pluuiarum vel niuium, aduenienscq. vnus passerum domum citissime peruolarit; qui cum per vnum ostium ingrediens, mox per aliud exierit; ipso quidem tempore quo intus est, hiemis tempestate non tangitur; sed tamen minimo spatio serenitatis ad momentum excurso, mox de hieme

in hiemem regrediens, tuis oculis elabitur: ita hæc vita hominum ad modicum apparet: A quid autem sequatur, quidve præcesserit, prorsus ignoramus. Vnde si hæc noua doctrina certius aliquid attulerit, merito sequenda esse videtur. His similia & ceteri maiores natu ac Regis consiliarij diuinitus admoniti prosequebantur.

Adiecit autem Coifi *primus Pontificum*, quia vellet ipsum Paulinum diligentius audire de Deo, quem prædicabat, verbum facientem. Quod cum, iubente Rege, faceret; exclamauit, auditis eius sermonibus, dicens: Iam olim intellexeram, nihil esse quod colebamus: quia videlicet quanto studiosius in eo cultu veritatem quærebam, tanto minus inueniebam. Nunc autem aperte profiteor, quia in hac prædicatione veritas claret illa, quæ nobis vitæ, salutis, & beatitudinis æternæ dona valet tribuere. Vnde suggero, Rex, vt tẽpla & altaria, quæ sine fructu vtilitatis sacrauimus, ocyus anathemati & igni tradamus. Quid plura? præbuit palam assensum euangelizandi beato Paulino Rex, & abrenunciata B idololatria, fidem se Christi suscipere confessus est. Cumq. a præfato Pontifice sacrorum suorum quæreret, quis aras & fana idolorum cum septis, quibus erant circumdata, primus profanare deberet: ille respondit: Ego. Quis enim ea quæ per stultitiam colui, nunc ad exemplum omnium aptius, quam ipse per sapientiam mihi a Deo vero donatam, destruat? Statimq. abiecta superstitione vanitatis, rogauit sibi Regem arma dare & equum emissarium, quem ascendens, ad idola destruenda venit: non enim licuerat Pontificem sacrorum vel arma ferre, vel præter quam in equa equitare. Accinctus ergo gladio, accepit lanceam in manu, & ascendens emissarium Regis, pergebat ad idola. Quod aspiciens vulgus, æstimabat eum insanire. Nec distulit ille, mox vt appropiabat ad fanum, profanare illud, iniecta in eo lancea, quam tenebat: multumq. gauisus de agnitione veri Dei cultus, iussit socijs suis destruere ac succendere fanum cum omnibus septis suis. Ostendi- C tur autem locus ille quondam idolorum non longe ab Eboraco ad orientem amnem Doruentionem, & vocatur hodie Gotmundin Gaham, vbi Pontifex ille, inspirante Deo vero, polluit ac destruxit eas quas ipse sacrauerat aras.] Hæc quidem hoc anno facta esse, discriminans singula tempora Beda declarat, qui & anno sequenti Redemptoris nostri sexcentesimo vigesimoseptimo baptizatum primo fuisse ipsum Eduinum Regem, ac deinde alios proceres, docet, nosq. suo loco ea describenda seruamus.

PONTIFEX IDOLORVM DEMOLITVS DEORVM FANVM.

Sunt ista sacra cunabula Ecclesiæ Anglicanæ tot signis, prodigijs, atque prædictionibus cœpta non humana arte (id enim impossibile erat) sed diuina potentia, per Apostolicos tamen viros Roma a Pontifice Romano missos; quos veritatem sincere docere, & præcedentes prophetiæ, & miracula subsequentia quam manifestissime declararunt. Vt plane ingemiscendum & exclamandum cum Hieremia [a] sit pijs omnibus nostri temporis: Obstu- D pescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.] ita quidem, cum auersione contiosa auersi sunt a fonte vnde primum ipsis Euangelium fluxit, & hæreticis inhæserunt. Sed vnica spes illa solatur, vt excisæ arboris rigatis radicibus sanguine martyrum, rursus eædem fœcundiore germine pullulent.

SACRA ECCLESIAE ANGLICANAE CVNABVLA.

a Hierem. 2.

Hoc pariter anno, qui numeratur Clotharij Regis trigesimusnonus ab obitu Chilperici parentis (quem mortuum diximus anno Redemptoris quingentesimo octogesimoseptimo) idem Rex [b] consortem sibi regni adsciuit Dagobertum filium suum ex Beretrude Regina susceptum, atque S. Arnulfo Metensi Episcopo (vt superius diximus) educandum traditum, quem ab eodem optimis moribus imbutum, eiusdem Arnulfi Acta E testantur.

b Aimoin. lib. 4. cap. 8.

Quod vero ad rerum Longobardorum statum pertinet: hoc ipso anno eorum Rex Adalualdus, cum regnasset annos decem, eiectus regno est, subrogato in eius locũ Arioualdo. Habet enim de his ista Paulus [c]: Sub ijs, *nempe Adalualdo, & matre ipsius Theodolinda*, ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ donationes per loca venerabilia largitæ. Sed cũ Adalualdus euersa mente insaniret, postquam cũ matre decem regnauerat annis, de regno eiectus est, & a Longobardis in eius locum Arioualdus substitutus est.] hæc Paulus: qui licet non dicat eiusdem mentis euersionem arte venefica procuratam, ex ijs tamen quæ inferius idem asserit, filium Arichis itidem Longobardorum Regis ex potione dolose propinata eadem esse passum, id ipsum accidisse Adalualdo possumus existimare. Ceterum id passum esse Adalualdum, vbi mater eius Theodolinda ex hac vita decessisset, videri po-

c Paul. diacon. lib. 4. c. 5.

ADALVALDVS REGNO PRIVATVR, ET SVBROGATVR ARIOVALDVS.

test:

A test: etenim ante filium eam decessisse, inde conijcimus, quod post filij obitum nusquam amplius de ea fit mentio, quæ in tot turbinibus Longobardorum necessario fuerat nominanda, cum regia polleret auctoritate.

Ceterum haud putamus Adalualdum Regem ita mente motum fuisse, vt omnem penitus rationis vsum amiserit: etenim si ita fuisset, minime putandum pro eo restituendo in regnum Honorium Pontificem adeo laborasse. Sanctus enim Pontifex cum accepisset Regem eiectum qui Catholica fide præstabat, inq. locum eius fuisse subrogatum Arioualdum, idq. fauore Episcoporum Cisalpinorum, hominem præsertim Arianæ hæresis sordibus labefactatum, nihil prætermisit studij & diligentiæ vt eos puniret, litterasq. de his dedit ad Isacium Rauennatem Exarchum: qui laborauit, vt qui eiectus fuerat Adalualdus, restitueretur in regnum, & perfidus eijceretur Arianus. Porro Pontificis Roma-

HONOR. PAPA LABORAT PRO RESTITVTIONE ADALVALDI REGIS.

B ni epistola apud Iuonem ita breuiter scripta legitur:

Delatum est ad nos, Episcopos Transpadanos Petro Pauli filio suadere conatos esse, vt Adalualdum Regem desereret, Arioualdoq. tyranno se applicaret. Quamobrem quia Petrus prauis eorum consilijs respuit obedire, & sacramenta Regi Agoni (*Agilulpho videlicet*) Adalualdi patri præstita sancte cupit seruare: & quia hoc Deo & hominibus est ingratum, vt qui tale facinus vindicare deberent, eorum ipsi suasores existant: rogamus vos, vt postquam Adalualdum diuino in regnum (vt speramus) auxilio reduxeritis, prædictos Episcopos Romam mittere velitis, ne scelus huiusmodi impunitum relinquamus.] hactenus apud Iuonem.

Desijsse autem a cœptis Exarchum, pacemq. cum nouo Rege inijsse, eamq. integram seruatam esse constat. Quod vero Exarchus cum tyranno pacem sanxerit,

C nullam aliam puto causam interceßisse potiorem, quam cum vires Romani Imperij simul collectæ essent contra Cosrhoen ad bellum Persicum, haud satis videri poterant ad aliud bellum in Italia contra vniuersam gentem Longobardorum agendum. Cum igitur restitutio Adalualdi haud adeo facilis futura cognita esset, Exarchus visus est mutasse consilium, cessasseq. de Adalualdo esse solicitus. Quid autem contra absentes Cisalpinos Episcopos Honorius canonum vindex egerit, haud compertum habetur. Sed & res gestæ tum ab Exarcho, tum ab Arioualdo, remanserunt prorsus obscuræ: Paulus enim diaconus, quod de Arioualdo Longobardorum Rege nihil scribat, hisce verbis excusat: De cuius rebus gestis ad nostram notitiam minime aliquid peruenit.] sicq. silentio sepultam relinquit historiam duodecim annorum Regis Longobardorum, ita plane de rebus suorum Longobardorum haud adeo benemeritus,

D multa præteriens, quæ nos ex diuersis scriptoribus eius temporis in medium adduximus, atque pariter adducemus, & de hoc ipso Arioualdo multa ex Iona Abbate huius temporis historico, de quo superius meminimus, dicturi sumus. Hic enim in rebus gestis S. Bertolfi, de his quæ acciderunt sub Attala Abbate, hæc habet de eodem Rege Arioualdo Arianæ sectæ addictissimo:

Cum aliquo tempore Blidulfus presbyter, *eiusdem vero Bobiensis monasterij monachus*, a beato patre Attala ad Ticinum vrbem directus fuisset, ibique peruenisset, obuium habuit Arioualdum Regem Longobardorum Arianæ sectæ credulum. Is ergo cum vidisset Blidulfum presbyterum, ait ad suos: De Columbani monachis iste est, qui nobis salutantibus apta denegat respondere. Cumq. iam haud procul abesset presbyter, salutauit eum Rex, ironice tamen. Ad hæc Blidulfus: Salutem, in-

BLIDVLFVS PRESB. QVID IN REGEM ARIANVM.

E quit, optarem tuam, si tu seductoribus tuis non faueres, & alienis a veritate Christi doctrinis animum non accommodares. Iustum etenim esset, ineffabilem Trinitatem vna Deitate confiteri, non tres potestates, sed tres personas; nec vnam trium nominum personam, sed tres in veritate, Patris, & Filij, & Spiritus sancti personas, vna voluntate, potestate, & essentia. Hæc paulisper audiens Rex, cum progressus fuisset, iracundia succensus, questus est, se non habere ministros, qui obruente noctis caligine monachum illum ita contumaciter in conspectu suo locutum solicitarent, & fustibus ac sudibus conscissum morti traderent.

Tunc vnus vesanior ceteris, ad hoc patrandum, se respondit esse paratum. Dicit ei Rex: Si voluntati meæ satisfeceris in hoc, muneribus te mox, illucescente die crastino, ditabo. Progressus itaque pessimus ille, alium sibi sceleris socium similem sibi assumit, & obortis

tetris tenebris, viam qua monachus a cœna cuiusdam Christiani, qui inuitauerat eum, ad A
hospitium regredi debuit, vigilanter custodit. Cum ergo monachus inopinate venisset ad
locum custodiæ, percussus in cerebro, & omni compage corporis collisus, pro mortuo ca-
dauere relictus est ab ipsis satellitibus, nullo de populo id sentiente: erat enim abditus lo-
cus, sed nec vocem dare quiuerat, anticipatus loco & immanibus ictibus.] Consideraſti
ne, lector, barbarum Regem, eumdemq. perfidum Arianum, in presbyterum insultantem
sibi, alioqui sui regni monachum monasterij, vlciscendo, erubuisse diei lucem, sed tene-
bras noctis interfectorem expectare voluisse? Vnde intelligas, quam eo deteriores sint
nostri temporis Nouatores gloriantes cum quid huiusmodi ipsos in Orthodoxum ho-
minem ex optato contigerit perpetrare. Sed audi miranda quæ Ionas subdit his
verbis:

QVAM DETERIORES ARIANIS NOVATORES.

Porro is ad cuius domum meratus fuerat, nesciens quidem euentum rei, sed tamen B
suspicatus hoc ipsum quod euenerat (erat enim & ipse presbyter) arrepto baculo, venit
ad locum, reperiensq. iacentem ac si somno depressum, excitare conatus est. Ad cuius il-
le vocem, velut ab stratu incolumis surgit, nec plagarum vestigijs apparentibus, cum eo
pariter ad hospitium pergit, indicans qualiter a latronibus quibusdam comprehensus,
diriſſimis plagis mactatus fuisset, nec tamen aliquid inde sensisset. Peractis deinde cau-
sis pro quibus exierat, ad monasterium repedauit. Post cuius discessum protinus ille, qui
se spontaneum ad iniquum opus patrandum indiderat, dæmonio corripitur, & diuersis
pœnarum incendijs flagellatur, commissum facinus exitiabiliter confitetur. Vniuersus
autem populus in eius cruciatibus timore perculsus clamauit, & dixit: Quicumque Bo-
biensibus monachis malum aliquod intulerit, simili vltioni subiacebit: & qui Arianorum
persuasionibus acquieſcit, tales iras iusti Iudicis merito sustinebit. C

INCOLVMIS A DEO REDDITVS PRESBYTER.

DIVINA VLTIO IN PERCVSSOREM.

Videns facinus suum infelix Arioualdus diuinitus manifestatum: confusus inde & me-
tuens, ne sibi tale quid eueniat: ipsum quem vis horrida torquebat, cum conuiatoribus
ad beatum Attalam dirigit, postulans vt commissum malum ignoscat, spondens se mul-
tum eius obsequio paratum fore, si sua dona dignaretur accipere. Beatus pater Attalas
respondit, se numquam in perpetuum Ariani hominis dona susceptur um. Rogat tamen
vniuersos fratres, vt pro pestifero qui adductus fuerat, orationem ad Dominum fundant.
Quibus attentius orantibus, pestifer ille sanitati redditur, sed vitæ lucris non diu poti-
tur. Nam cum ad propria redire desideraret, correptus igne febrium, inter pœnales in-
cendij calamitates vita priuatus est. Quem nequaquam iuxta aliorum sepulchra sepelire
ausi sunt, sed procul ab hominibus in quodam conspicuo loco posuerunt, quo praterecun-
tes dicerent: Hic iacet ille miser humatus, qui Bobiensibus monachis crudelitatem suam D
ostendit.] hæc de presbytero, qui ob zelum Catholicæ fidei adeo vehementer est in Re-
gem ipsum Arianum inuectus. Quid autem tunc pariter acciderit monacho fanum ido-
lorum incendere satagenti, ex eodem Iona Abbate audi mira: narratis enim quæ nuper ac-
ta sunt, mox ista prosequitur recensere:

DONA ARIANI HOMINIS RESPVVNTVR.

Per idem tempus alius monachus, Moroueus nomine, ad Terdonam vrbem a beato
patre Attala directus, ad quamdam villam supra Yram fluuium sitam peruenit: vbi fa-
num inter arbores positum videns, allatum ignem suppoſuit, lignorumq. congeriem in
modum pyræ coaceruauit. Quod videntes cultores fani, Moroueum apprehensum, diuq.
fustibus cæsum, & ictibus collisum, in fluuium demergere conantur: sed monachum vn-
da recipere nolebat, quamquam ille omnimode pro tali causa mori paratus esset.
Cumq. cernerent non posse demergi, quem Domini miseratio custodiret, proster-
nunt super vndas Moroueum, maceriamq. lapidum desuper coaceruant, vt immane
pondus corpus eius submitteret vndis: relictoque (vt ipsi rebantur) cadauere, ad me-
tatus reuertuntur. Quibus abeuntibus, Moroueus nihil mali sentiens, incolumis a
fluuio surgit, ac disruptis nexibus, Terdonam ingreditur; & peracto negotio suo, ad
monasterium repedat. Continuo diuina vltione prosequente, omnes qui ad opus illud
patrandum crudeles se exhibuerant, diuersis pœnis afflicti sunt: alios namque cæ-
citas, alios ignis vrit, alios contractio publica, alios omnium membrorum debilitas
inuasit, diuersiq. diuersa percepere tormenta: quorum tamen aliqui ad Bobiense cœ-
nobium se deduci rogauerunt, & postulata iam venia, per pœnitentiæ medicamen-
ta illatas pœnas euaserunt; reliqui omnes in eadem vltione mortui sunt.] hæc Ionas

DE MOROVEO INCENSORE DELVBRI.

de re-

A de rebus quæ suo tempore acciderunt, qui sub eodem Attala se annos nouem transegisse in eodem monasterio, ipse testatur, dum eiusdem Attalæ res gestas sua scriptione prosequitur. Sed redeamus ad reliquas res gestas cum Honorio Papa sub successore eius Bertolfo Abbate, & eodem Rege Arioualdo, qui etsi hæreticus esse non desierit, ad meliorem tamen frugem in ijs quæ ad mores pertinent reuocatus est. Id enim Ionas, eiusmodi sui temporis retexens historiam, ita tradit: Cum iam, inquit, egregijs moribus, bonitate, disciplina, & omni virtutum ornamento polleret, cœpit antiquus anguis quiddam contrarietatis aduersus eum machinari. Excitauit enim quemdam Proclum nomine, Cleronensis vrbis Ponrificem: qui vt subiectum sibi præfatum Abbatem cum cœnobij supplemento faceret, omni nisu intendebat, vicinosq. Pontifices & alios quoslibet primates ad id peragendum muneribus attentabat. Super eadem quoque re
B adijt Arioualdum Regem Longobardorum, qui eodem tempore regnabat. Sed cum nihil aliud a Rege responsi accepisset, nisi vt Ecclesiastico iure probarent, vtrum cœnobia procul ab vrbibus sita, Episcopali debeant ministrari dominio: ille omnes quos potuit suo intentui iungit.

EPISC. CLERONENSIS QVID IN MONACHOS BOBIEN.

Cumq. hæc agerentur, vnus aliquis ex aula clam præfato Bertolfo totius machinamenti causam per internuncium manifestauit. At ille statim experiendi causa quosdam de pueris suis direxit ad Regem. Quibus Arioualdus inter alia respondit: Non est meum sacerdotum causas discernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet iudicare.] Vides Regis quamuis Ariani scitum responsum, quem imprudens Episcopus aduersus monachos interpellauit? ita plane adeo perspicuum est, semper sacra per homines sacros, & Ecclesiastica per Ecclesiasticos viros tractari debere, vt neque hæretici ipsi Princi-
C pes tenebris errorum offusi id potuerint non vidisse, solis temporis huius cæcutientibus Nouatoribus, qui rebelles facti sunt lumini: nam ne tanta luce coruſca videre quæ sunt omnibus nota cogantur, crassa obstinatione, obductis mentis oculis, spontanea sunt cæcitate percussi. Sed pergit Ionas: Scisciantur illi qui a sancto Abbate missi fuerant: Vtrum Rex fautor esse velit prædicti Episcopi, an Abbatis sui? Ad quod Rex, nequaquam se, ait, illis fauere velle, qui famulo Dei molestias aliquas aut iniurias vellent irrogare.

EXPLORAT MENTEM REGIS ABBAS.

Cum ergo venerabilis Bertolfus Regem quamuis barbarum & Arianæ sectæ credulum tam humane de causa sua locutũ fuisse cognouisset: poscit, vt supplemento ipsius, Romam ad sedem Apostolicam venire queat. Quo statim largis manibus impenso, Romam iter arripiens, ad Honorium Papam accessit.] Quamuis enim (vt dictum est hoc eodem anno paulo superius) pax composita esset inter Longobardos atque Romanos, vt commeatus
D esset vtrinque liber: tamen vetitum fuisse videtur ab Ariano Principe, ne cuiquam ex suis liberum esset adire Romanum Pontificem, quem sensisset sibi suisq. dogmatibus aduersari, atque Adalualdo studere; quod & datis litteris ad Exarchum, recitatis superius, declarauit. His tamen posthabitis, æquitatis amans Princeps licet Arianus aditum illi ad Pontificem Romanum aperuit. Quid autem egerit sanctus Abbas, vbi Romam se ad Honorium contulit, ab eodem auctore sic accipe:

BERTOLFVS ROMAM VENIT AD PONTIFICEM.

Cum Pontifici, inquit, rei causam ille patefecisset: ille de industria quærit, quæ sit consuetudinis suæ regularis disciplina.] hæc idcirco, ne si forte errones monachi essent, faueret illis, ab Episcoporum potestate dimouens. Cum vero (subdit auctor) cuncta alacri animo in aures Præsulis digessisset: placuit beato Honorio, vt regularis series religionis cultum ac humilitatis indicia teneret. At vbi hæc omnia vera relatione perdidicit, sanctus
E Papa quotidiano affamine venerabilem Bertolfum roborare nisus est, vt cœpti itineris labore non relinqueret, & Arianæ pestis perfidiam Euangelico mucrone ferire non abnueret.

RES GESTAE CVM HONORIO PAP.

Erat enim venerabilis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, dulcedine & humilitate pollens. Lætabatur e gentibus socium reperisse, cum quo dulcia promeret effamina; nec prorsus delectabatur vt cito ab eius consortio segregaretur: sed cum vehemens æstus quiescendi longum prohiberet spatium, præbuit optatum munus sanctus Papa patri memorato Bertolfo, priuilegia scilicet sedis Apostolicæ, quatenus nullus Episcoporum in præfato cœnobio quolibet iure dominari conaretur. Percepto ergo munere optato, ad patriam reuersi sumus.] ex his vides, lector, ipsum scriptionis auctorem Ionam, vt Lucam Pauli, comitem fuisse peregrinationis Abbatis sui Bertolfi, vbi Romam ille se contulit. qui & pergit:

LAVDES HONORII PAPAE.

Cumq. peracto aliquanto itineris spatio, Tuscanis aruis postpositis, Apennini rura

AEGROTAT S. BERTOLFVS.

attingentes, ad castrum, cui nomen Bismantum est, veniissemus, tanta vis febrium Bertol- A
fum patrem oppressit, vt omnino morte præueniri crederetur. Erat enim vigilia passionis
beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Cumq. iam atra nox irrueret, ille inter ignes fe-
brium accersiuit me, ac curis mens dedita, de nocturna vigilia inquisiuit. Sed cum ego
dicerem, omnia iam bene esse disposita, ille ait: Et tu ante stratum meum per totam noctis
metam, quousque dici prorumpat crepusculum, excuba. Cum ergo excubassem, quous-
que intempesta nox irrueret, tantus sopor oppressit me, vt sursum caput attollere non va-
lerem: omnesq. qui erga tentorium sarcinas, vel equos custodientes excubabant, simili
sunt oppressi sopore.

A S. PETRO CVRATVS S. BERTOLFVS.

Interea beatus Apostolorum princeps Petrus aduenit, ac super stratũ ægri patris astans:
Surge, inquit, & sospes cum conuiatoribus tuis abscede. Inquirente autem beato patre, B
quis esset, qui sibi talia iuberet, ille respondit: Ego sum Petrus, cuius hodie clara in toto
orbe celebrantur solemnia. Et hæc dicens, abscessit. At ille timore perculsus, trepido cor-
de sciscitari cœpit a me, si audissem vocem, vel aspectum alicuius vidissem. Ad quod ego
respondi: Minime. Non cernis, inquit, suluam lucem, vbi Petrus Apostolus pergit? Tunc
tandem agnoscens quid causæ gestaret interrogatio eius, vix obtinere merui enixis pre-
cibus, vt mihi rei panderet veritatem.] hæc in reditu ab Vrbe acciderunt: pergit reliqua
de sancto viro miranda referre, sed satis ista ad institutum. Hæc autem omnia cum sub
Arioualdo Rege gesta esse Ionas affirmet, qui præsens fuit, nec tamen quotonam regni
eius anno facta sint, certo tradat, eadem hic ipso exordio Arioualdi recensuisse voluimus;
quæ cuncta Paulum diaconum præterierunt, cui Ionæ scripta incomperta fuisse noscuntur.

C

IESV CHRISTI ANNVS 627. HONORII PAP. ANNVS 2. HERACLII IMP. ANNVS 18.

DE S. ANASTASIO IN PERSIDEM DVCTO, ET TORMENTIS ADDICTO.

ANno, qui sequitur, Domini sexcentesimo vigesimoseptimo, Indictione decima, die
vigesimasecunda mensis Ianuarij, S. Anastasius Persa, post iteratam sæpe anno
superiori confessionem, Cæsaræa Palæstinæ ad Cosrhoen Regem in Persidem missus, ma-
gna animi constantia post dira tormenta martyrium consummauit. Quomodo autem ea
acciderint, eius Acta omni fide posteris tradita docent: quæ cum dubium non sit scripta
esse ab eiusdem temporis auctore, alterum de duobus eum fuisse mihi facile persuadeo; vel
Antiochum monachum, quem huius temporis scriptorem in eo argumento versatum vi- D
dimus, dum scilicet aliorum monachorum tunc a Sarracenis occisorum historiam texuit
ad Eustasium scribens; aut Sophronium, qui (vt dicemus) paulo post factus est Hieroso-
lymitanus Episcopus, & ipse eodem tempore claruit inter scriptores Ecclesiasticos. Quic-
quid sit, sicuti martyr in tanta caligine toti orbi Christiano glorioſus effulsit, ita pariter
res ab eo præclare gestæ, scriptis mandatæ, vbique vulgatæ atque receptæ innotuere. sed
prosequamur ea quæ de ipso in Persida hoc anno accidisse liquent.

CRVCIS GLORIA FVLGET IN ANASTAS.

Magna quidem Dei prouidentia contigisse declararunt euenta, vt homo Persa Christi
confessor, Crucisq. prædicator & vindex vocaretur in Persidem, completurus agonem at-
que consummaturus martyrium, vt ibi tamquam in theatro Crucem ab ignominia vindi-
caret, atque eius gloriam prædicaret. de qua sibi videbatur Rex impius triumphasse; eam-
demq. confitendo sanguine illustraret, conspicuamq. morte redderet, & post mortem quot E
miraculis, tot fulgoribus decoraret, a qua ipse omnem esset fortitudinem consecutus: vt
nihil plane aliud ostenderet factum esse, cum sancta Crux in Persidem est delata, quam
sceptrum Dominantis aduectum, quo Persarum Imperium frangeretur, secundum illud
Dauidicum [a]: Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.] Tunc enim
sicut fortius, ita & clarius ipsius sanctæ Crucis potentissima virtus enituit. Etenim perspi-
cuo est declaratum exemplo, Cosrhoen inuictum ante superari penitus cædiq. minime po-
tuisse, nisi postquam Crux in Persidem est allata; atque cum cæsus est martyr, auctus est
tanto milite Romanus exercitus, qui cælestes secum duceret legiones. Sed iam certamen
ipsum martyris spectemus oculis, quod Acta eius martyrij ita exhibent [b]:

a Psal. 2.

b Vit. S. Anast. Pers. apud Sur. die 22. Ianuar.

Cum iam peruenisset in Persidem, datur in custodiam, sitam in quodam prædio, quod
vocatur Bethaloe, quæ ad sextum lapidem distat a Discartha, in quo Rex versabatur Cos-
rhoes.

A rhoes. Qui vero cum eo erat frater, in domo Cortacti, qui erat illius Iesdin filius, hospitio fuit acceptus. Et carcer quidem martyrem habuit cum maleficis. Cum autem post aliquot dies de eo fuisset relatum ad Cosrhoen: ille misso vno ex Magistratibus eum rogauit, quisnam esset, & cuius, & quidnam eum mouisset vt patriam relinqueret religionem. Is vero per quendam respondet interpretem: nam ne voce quidem Persica volebat vti amplius, vt qui eam abiurasset linguam vna cum religione, aut linguæ potius esset infensus propter falsam religionem. Respondet ergo: Quoniam (dicens) vester deorum cultus est manifestum exitium & error dæmonum: quem quidem cum ipse aliquando sequerer, nuper luce commutaui tenebras, & die noctem, & Sole obscuram caliginem, illi Deo me dedicans, qui est cæli, & terræ, & omnium quæ videntur & mente percipiuntur, opifex. COSRHOES AVDIT DE ANASTASIO.

Cui Magistratus: Miser, inquit, non eum quem vos Christiani colitis, cruci Iudæi
B affixere? Quomodo ergo Persicæ religioni Christianorum res prætulisti? Martyr autem: Quod fuerit quidem, inquit, a Iudæis crucifixus, ipse quoque assentior, sed sua sponte, & pro nobis ingratis, & qui sumus beneficij accepti immemores. Eius enim benignitatis & clementiæ est hoc vel maxime admirabile, quod cum esset Deus & Saluator omnium, & opifex huius vniuersi, non solum propter nos serui formam accepit, cum de cælo descendisset, sed etiam pro nobis crucem volens subijt & mortem, vt nostrum peccatum tolleret, quod ex maligni insidijs & fraudibus inflictum erat hominibus. Vos autem inimicum prætulistis, qui stulte illius fraudes in hodiernum vsque diem sequimini, & Soli sacrificatis, & Igni, & Lunæ, nullam ne Christi quidem cædis, si non alterius, ducentes rationem. CRVCIS GLORIAM PRAEDICAT ANAST.

Respondens autem Magistratus: Quid tibi, inquit, cum his stultis verbis & superua-
C caneis? Ecce enim tibi a Rege insignes dignitates, & zonæ aureæ, & equi, & quæcumque illustria & glorioſa sunt parata: Agedum ergo, patriam suscipe religionem. Ad hæc martyr: Mihi, inquit, o Præses, quæ hic sunt iucunda & valde expetenda & inuidiosa, nomen scilicet, deliciæ, & diuitiæ, & splendor, iam sunt diu abhinc contemptui, vt qui vitam susceperim monasticam; & a sola spe, quam hinc concepi, pendeam. Huius rei, etiam antequam loquar, hic venerandus monachorum habitus, & hic vilis pannus certus est nuncius. Quomodo ergo ea, in quæ omne studium, omnemq. meam curam contuli & solicitudinem, ea nunc habebo contemptui, Regis qui est ad tempus, & in quem cadit interitus, inductus promissionibus? Ad quæ cum non haberet Magistratus quid diceret, reducit ad eum qui miserat e custodia, ei lingua omnia significans. Qua de causa ille non leuiter indignatus, iubet cum sua suasione vim quoque adhibere, & verbis etiam
D miscere supplicia. HABETVR QVAESTIO DE ANASTASIO.

Sequenti autem die, cum rursus Magistratus venisset ad custodiam, ea quæ imperata fuerant, cœpit reipsa exequi, & iussit vt per vim protrusum illinc athletam abducerent: ipse quoque multas minas intentans, vehementiq. insultu & tumultu se fortẽ & strenuam illam animam perterrefacturum existimans. Ille vero nihil effeminatum, nihil quod sit pusilli & abiecti animi, & nihil quod sit indignum ijs quæ præcesserant, præseferens, cum illa consueta & iucundissima morum simplicitate: Ne labores, inquit, neque defatigeris, domine Præses: Mihi enim, qui sum mei Christi gratia confirmatus, non persuadebis vt a pietate deficiam. Fac ergo quæcumque vis, a nullo abstinens. QVAESTIO REPETITA.

Hanc Anastasij cum prudentia constantiam nulla moderatio excepit, aut humanitas: sed vinctus, more Persico, virgis cædebatur crudeliter. Cum is autem verberaretur, hoc
E decantabat Magistratus: Cum maximis Regis donis & honoribus persuaderi non sustinueris, ad hæc sis deinceps paratus. Sic enim te quotidie verberans, consummam plagis. Ille autem cum eum iuberet rursum quæ vellet facere, iubet martyri relaxato a vinculis, cum extensus esset supinus, lignis medias intercipi tibias, vtraque autem eorum extrema premere viros aliquot robustos, qui & corporum magnitudine & ætatis vigore præstarent. Martyr autem, cum sic eius tibiæ premerentur vsque ad ossa, magno & excelso animo & plane philosophico tolerabat. Quod quidem cum vidisset Magistratus, & cognouisset se ex eo magis augere eius patientiæ & tolerantiæ constantiam: rursus in tutissimam eum tradit custodiam, vt de eo rursum referret ad Regem. ANAST. DIRA PATITVR.

Cum is autem cui erat commissa cura carceris, Sellarius, esset religione Christianus, & ideo eorum misereretur, qui pro pietate laborabant & eo quod est bonum & honestum, & eis qui vellent ex Christianis concederet ingressum: interdiu ingrediens sine vlla prohibitione

VISITATVR A CHRISTIANIS ANASTASIVS

bitione frater monasterij, qui cum martyre venerat ex Cæsarea, consolabatur illam aspe- A
ram & tetram in carcere habitationem, & quos ex plagis senserat dolores, & quas ex vinculis & alia malorum perpessione acceperat molestias. Multi quoque alij viri pij, cum quibus illius quoque Iesdin filij ad eum ingredientes, ad speciosos eius pedes & bona aperte euangelizantes procidebant, & vincula deosculabantur, & rogabant vt ab eo aliquas consequerentur preces & benedictiones. Cum is autem hæc omnino minime admitteret (ille enim toto semper animo & mente humanæ gloriæ, huius inquam vanæ & infidæ & fallacis, & quæ nihil habet firmum ac stabile, resecabat occasiones) ipsi vinculis ceram immittentes, quæ ex illis exprimebatur, effigiem, tamquam maximum aliquod remedium & salutare ad omnem morbum & dolorem soluendum efferebant.

RVRSVM REPETITA QVAESTIO.

Non multum temporis intercessit, & rursus veniens ille Magistratus in custodiam, an B
iussis cederet regijs, frustra interrogabat, aut potius quærens occasionem gratificandi animo crudelissimo, qui pœnas cupiebat sumere. Cum is autem non parum ægre tulisset interrogationem, & magna contentione & motione capitis, id quod sæpe dixerat, tunc quoque respondisset: Scito me Christo & pietati nihil esse prælaturum: iubet eum rursus quoque clauis verberari, sicut prius. Cum vero viri statuam potius, quam virum visi essent verberare, quantum licuit conijcere, ex eo quod esset eius animus plane inflexibilis: eo quidem relicto in custodia, recedit Magistratus, & aliquot interiectis diebus ad eum reuertitur, varias artes & rationes excogitans, & nunc quidem minis & promissis, nunc autem minis & supplicijs eum reuocans ad negandam pietatem.

DIRIS AFFICITVR TORMENTIS ANASTASIVS.

Cum autem idem esset Anastasius, & nec his inclinaretur, nec illis deliniretur, prio- C
ribus vinculis & plagis est traditus. Deinde cum fuisset relaxatus a vinculis, ex altera manu suspenditur, cum lapis grauissimi ponderis esset alligatus alteri ex pedibus. Cum eum ergo sic pendentem & sic diuullum duabus horis reliquisset Magistratus, videretq. robur & firmitatem minime dissolui martyri, illum quidem remittit: ad Regem autem reuersus, immutabilem eius mentem significat & summam animi fortitudinem. Ipse quoque ei consulit, ne amplius periculum faciat in Anastasio, nec permittat vt tanta altitudo & magnitudo Imperij ab vnius viri constantia videatur superata.

ALII SEPTVAGINTA MARTYRES.

Hinc cum omnem spem superandi martyris Rex abiecisset, mittit post decimumquin- D
tum diem & eumdem Magistratum & quosdam alios ex subditis, vt non solum sanctum, sed multos quoque alios Christianos cum eo interimerent. Illi autem cum venissent in carcerem, expellunt Christianos captiuos non pauciores quam septuaginta, vna cum martyre: cum quibus erant ij quoque qui cum Anastasio Cæsareæ damnati fuerant ad custodiam, signaculiq. & vinculorum fuerant ei socij. Quos cum eduxissent ex prædio Betsaloes, in quo fuerat carcer ædificatus, & ad fluuium statuissent, eos singulatim diuidentes, & eorum collo funem inijcientes, & miserabiliter ante oculos martyris suffocantes: sancto in vnoquoque summergendo dicebant: Cur vis, sicut vnus ex his, violenter tolli de medio, & non potius Regi parere, & priorem consequi felicitatem? Ille autem cum his mentem adhibuisset, & in cælum oculos sustulisset, & Deo ingentes egisset gratias, quod iam pro ipso mortem videret esse subeundam: Deinde ad illos quoque conuersus: Ego, inquit, pro Christi mei charitate, ardentiq. & vehementi in eum amore expectabam omne membrum minutatim conscindi, expectans nouam aliquam & inauditam mortem. Quoniam autem hæc est ea, quam vos mihi minamini: ago tibi gratias soli Deo meo & Saluatori Christo, quod morte, quæ vsqueadeo vacat omni labore & molestia, quam quidem paulo post ipsa quoque attulisset natura, me voluisti emere honorem mar- E
tyrij. Cum hæc dixisset, & hæc vltima verba præclare esset locutus, æquali morte sic quoque est consummatus.

S. ANASTASIO CAPVT AMPVTATVR.

Carnifices autem cum sacrum illud caput amputassent, vt eum esse interfectum ostenderent, ad Regem deferunt. Sellarium vero, qui præerat custodiæ carceris, cum esset Christianus, & sciret martyrum honorare corpora, vellet autem sancti tollere reliquias, & eas separare ab alijs, ne tantum lateret bonum permixtum cum ceteris corporibus; prohibuere carnifices. Cum filijs autem Iesdin annunciata fuisset viri consummatio, ad quam euntem martyrem illorum pueri consequebantur & illi seruiebant, ij pecunia corrumpunt carnificum diligentiam, & vt corpus sibi liceret in loco separato deponere, non paucis emunt pecunijs. Deinde is quoque monachus, qui cum martyre excesserat e Cæsarea, & cum decertante ad finem vsque manserat, cuius etiam sæpe fecimus mentionem,

cum

A cum & pueros filiorum Ieſdin, & quoſdam ex ijs, qui illic erant, monachis in noctem ſequentem aſſumens, vt martyris corpus pie ſancteq. componeret, veniſſet (O quomodo, o Chriſte, laudabo miraculorum tuorum magnitudinem?) inuenit canes alia quidem corpora toro ore exedentes, ab hoc autem ſolo ſe abſtinentes, vt quod non ſubijceretur amplius legibus corporis. Iam enim erat pulchritudinis corona in manu Dei (vt diuinus dixit Iſaias) & diadema regni in manu Dei eius. Cum ſuſtuliſſet ergo corpus martyris, & mundis linteis, quæ dedere filij Ieſdin pro vltimis corporis exequijs, mundas illas & ſanctas inuoluiſſet reliquias, in Sergij martyris monaſterio, quod ad vnum lapidem diſtabat a vico, deponit decimoſeptimo quidem anno Imperij pij Heraclij (*qui hoc anno abſoluitur, & inchoatur decimusoctauus*) vigeſimo autem ſecundo die menſis Ianuarij: is enim fuit dies, qui vidit deceſſum martyris.] Quod audis de monaſterio ſancti Sergij martyris
B nomine apud Perſas, ne mireris: ſiquidem ſuperius pluribus declaratum eſt, ob ingentia ab eodem martyre accepta beneficia eumdem Coſrhoen ipſum S. Sergium fuiſſe proſecutum muneribus, publicisq. notis inſcriptis id ipſum eſſe teſtatum. Agit poſt hæc auctor de translatione corporis eiuſdem Anaſtaſij martyris, facta illa quidem occiſo Coſrhoe, cum in Perſide miraculis coruſcauit. At deſideratur ſcriptio illa Georgij Piſidæ huius temporis luculenti ſcriptoris, qua laudationem eiuſdem martyris Anaſtaſij ipſum proſecutum eſſe, Suidas teſtatur.

CANES PARCVNT CORPORI S. MARTYRIS.

Nos vero quæ interea poſt illatam martyri necem miſeranda valde Coſrhoi acciderint, hic ex Theophanis Græcorum Annalibus referamus. Victus a martyre Coſrhoes, iam facile erat ſuperandus ab Imperatore: ſiquidem aduerſus eum pro Heraclio pugnaturus Anaſtaſius moriens exurrexit; quod patefecit euentus. Sane quidem ſicuti Abel ſanguis vin-
C dictam expetens, ad Deum clamaſſe dicitur, ita & Anaſtaſij martyris ſanguis in Coſrhoen a Deo vltionem quam citiſſime obtinuiſſe cognoſcitur. Fugiens hic inde miſer inſtar Cain, tandem a *filio ſuo vinculis* tentus, diriſſimam omnium pati mortem coactus eſt. Sed quomodo *iſta ſe habuerint*, videamus. Natalem diem Domini egiſſe Heraclium Imperatorem *in ædibus Hyeſdem*, ſiue Ieſdemonis, ibiq. exercitum refeciſſe, ijdem Annales[a] tradunt: occupaſſe inſuper alia loca Coſrhois in campeſtribus ad habitandum erecta (quas villas nos dicimus) ijdem produnt, quorum hæc ſunt nomina, Dezeridan, Ruſa, Beibal, ſiue Beclam, Beddarach, quæ erant loca Damaſtager, vbi degebat Coſrhoes.

DE FVGA COSRHOIS.

[a] *Theoph. & Cedren. an. 18. Heracl. Imp.*

Illic vero Romanorum inuenta ſigna bellica in prœlijs olim capta trecenta numero Heraclius vindicauit, alijsq. bonis plurimis diuerſi generis ad Perſarum delicias ibi poſitis potitus eſt. Et his ruinis & igni traditis (inquit auctor) gratias egerunt Deo, qui per in-
D terceſſionem Dei genitricis talia miracula patrat. Quis enim ſperauit vmquam Coſrhoen fugere a facie Romani Principis de palatijs ſuis qui erant in Damaſtager, & petere Cteſiphontem?] Celebraſſe etiam in gratiarum actione Heracliũ Epiphaniæ feſtum diem penes Damaſtager, ijdem produnt Annales. Coſrhoes autem nouõ dies inde profectus cum coniugibus atque liberis, itemq. pecunijs, & cũ prope eſſet munitiſſimus locus Cteſiphon Romanorum prœlijs celeberrimus, noluit locum ingredi: quod a Magis ipſi olim prædictum fuiſſet, periturum fore, cum Cteſiphontem accederet. ſed abijt Seleuciam, locum trans Tigrim æque munitiſſimũ, vbi reſedit ſecurus tamquam loco tutiſſimo, repoſito ibi theſauro.

HERACLIVS POTITVR BONIS COSRHOIS.

Dum hæc agerentur in Perſide, contigit ſolui obſidionem Chalcedonis, a Sarbara duce Perſarum inita pace cũ filio Imperatoris Conſtantinopoli. Cum enim in ſuſpicionẽ adE ductus eſſet Sarbaras apud Coſrhoen, quod Romanis conſentiret, miſſæ ſunt ab eo litteræ ad Cardarigam collegam, vt illum interficeret, exercitumq. in Perſidem reduceret: ſed interceptis ijs litteris, & a filio Imperatoris oſtenſis Sarbaræ, & alijs confictis de nece aliorum ducum exercitus; factum eſt, vt omnes inita pace cum Romanis, in Perſidem ad propria remearint, Coſrhoe in eo quo conſtitutus erat, periculo derelicto: qui paucos poſt dies ſuorum proditione captus a filio, atque demum miſerando interitu occiſus eſt.

CHALCEDO LIBERATA AB OBSIDIONE.

Etenim cum Coſrhoes Seleuciæ, vbi degebat, in dyſenteriæ morbũ incidiſſet, vt coronaret filium ſuum Mardeſam ex Syra dilecta coniuge natum, operam dedit. Quod vbi comperit maior natu filius Syroes, cum optimatibus egit de necando parente Coſrhoe, vſus ad hoc & Romanorum auxilio, cum de his omnibus Hemelium monuiſſet, quem fore ſibi propitium perſuaſerat; dum captiuos omnes Imperatori ſubditos vinculis ſoluit, ac patrem inſecutus eſt, fugientemq. cepit. Quæ autem poſtquam vinculis Coſrhoes nexus fuit, pati coactus ſit, accipe ab auctore:

COSRHOES A FILIO CAPITVR.

Cum

FINIS MISERRIMVS COSRHOIS.

Cum, inquit, Cosrhoes fugere tentasset, nec valuisset, tentus est, & valide vinctus, A ferreis compedibus colligatus, cui & circa collum ferrea pondera imponunt: & mittunt eum in domum tenebrarum, quam recens extructam ipse muniuit ad recondendas pecunias; panisq. parum & aquæ tribuentes, fame necabant. Aiebat enim Syroes filius: Comedat aurum, quod incassum collegit, propter quod etiam multos fame necauit, mundumq. deleuit. Porro misit idem Syroes Satrapas ad eum iniurijs impetendum & conspuendum: & ductum Mardazanem *, quem coronare volebat, filium eius ante ipsum occidit, & sic reliquos filios eius in conspectu ipsius peremerunt: & misit omnes qui inimici eius essent, vt eum iniurijs afficerent, percuterent, atque conspuerent. Denique per quinque dies hoc facto, iussit Syroes ipsum arcubus interficere, sicq. paulatim in malis nequissimam animam suam tradidit.] hæc Annales de interitu Cosrhois. Talis plane decebat finis destructorem Orientalis orbis Cosrhoen, talisq. exitus expectabat nefarium atque sacrilegum Regem, pestem, facemq. ciuitatum Romano Imperio subiectarum. B

* Mardesam

IVSTISSIMA DE COSRHOE VLTIO.

Non alia quidem quam ista digna supplicia per filium ministrata debebantur homini, qui ausus fuerat post plurima admissa nefanda, etiam in sacrosanctam Dominicam Crucem Hierosolymis manus violentas inijcere, inter manubias collocare, & in Persidem secum ferre. Decuit omnino ista omnia perpeti ingratum & perfidum Regem, qui (vt sua ipsemet prodidit confessione amplis notis in auro signatis, vt superius suo loco est demonstratum) Dei beneficio & S. Sergij martyris interceſſione regnum fuerat consecutus. Ita plane iusto Dei consilio decens fuit deorsum sterni elatam ac sublimem mentem nullas pacis conditiones Heraclij supplicis vel audire volentem, vnam illam tantum spem salutis eidem offerentem, si procul abiecta Christiana religione, Persarum deos colerent Romani omnes: nam putauit infelix, vbi Crucem captiuam duxit, se Deum Christianorum pariter superasse. Ista quidem subire a suis Persis tormenta meruit Rex, qui paucos ante dies in sanctissimum martyrem Anastasium Persam sæuierat. Pugnauit sane, & vicit impium tyrannum martyr occisus, & captiuata sacratissima Crux crucem dirissimam intulit capienti. Eiusmodi esse solent Christianæ victoriæ, vt tunc in omnibus vincat Christus, cum omnia videri possunt ab hostibus superata. C

TRIVMPHI PLVRES DE COSRHOE RELATI.

At non caruit tanta victoria glorioso triumpho, immo triumphis. Et vt dicamus de singulis, triumphauit martyr occisus, cum eius venerandum corpus religiosa pompa Cæsaream transfertur e Perside. Triumphauit sanctissima Crux, cum illæsa pristino loco redditur, & soluto vinculis Pontifice Zacharia, celebri cultu Hierosolymis restituitur. Egit pariter & triumphum omnibus Imperatorum triumphis augustiorem Heraclius Imperator. Sed de his singulis paulo fusius nobis agendum. D

CORPVS S. ANASTAS. TRANSLATVM CAESAREAM.

Quod vero ad Anastasij martyris, qui & ordine primus fuit, triumphum pertinet: desideratur in Actis eius translatio Cæsaream facta in Palæstinam, vbi primum contigit ipsum certasse pro fide, atque impios superasse: præter enim Acta illa, adhuc extabat liber miraculorum eius, qui & ipse perijt, fragmento dumtaxat saluo, quod in frequenti Patrum confessu recitatum exscriptumq. reperitur in Actione quarta posterioris Nicæni Concilij verbis istis: Agedum, & in Cæsarea Palæstinæ regionis mirifica a sancto viro designata recenseamus. Cum sanctæ ciuitati reliquiæ sacræ appropinquassent, omnibus res ea fuit declarata & significata. Itaque lætitia magna perfusi omnes, surgentes subito, lignaq. sacra pulsantes inuicem, obuiam facti sunt in veneranda Deiparæ æde, quæ appellatur Noua. Illinc cum Cruce & supplicatione egressi sunt læti & gaudentes cum gratiarũ actione sacris E reliquijs munus in memoriam sancti offerentes: cum mulier quædam ex primarijs ciuitatis feminis, cui nomen Arete, verum a virtute, quam Græci ἀρετὴν vocant, longe alieniſſima, ad infidelitatem conuersa dixit: Ego reliquias e Perside venientes numquam venerabor. O miseram & desperatam feminam! Non audiuit hæc misera sacri Dauidis * vocem increpantis eos qui impudenti & inuerecundo ore quiduis effutiunt: Cessare, inquit, facias linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Quid igitur glorificans eos quos glorificat Deus in hanc designauit, deinceps me referente audietis.

* Psal. 38.

Cum sacræ reliquiæ in vrbem delatæ fuissent, communi sententia ciues martyri oratorium prope Tetrapylum (locus is est in medio ciuitatis) construere decreuerunt; quin etiam illius imaginem illic constituerunt. Iam cum esset extructum oratorium, sanctus martyr in habitu monachi per somnum coram misera astitit, illiq. ait: E lumbis ægroras.

A tas. Ipsa autem respondens: Non, inquit, domine: neque enim quicquam mali sentio. Postquam hæc dixisset, expergefacta, subito dolores in se ruere sensit, cœpitq. clamare & gemere; atque adeo grauiter affecta fuit, vt ne otij quidem satis habuerit, qui expectare quiuisset, quænam tam subiti & vehementis doloris causa, quisve auctor esse posset. Sic enim quatuor diebus in cruciatibus substitit. Quinto autem die sub crepusculum vidit sibi sanctum illum astantem, atque ad eam dicentem: Descende ad Tetrapylum, sanctiq. Anastasij intercessionem apud Deum posce, quo sana fias. Ipsa igitur cum surrexisset ex grabato, in memoriamq. blasphema illa & impia verba, quæ contra caput suum dixerat, redirent; conuocatis liberis suis, ad eos dixit: Tollite me, tollite me, inq. templum S. Anastasij concedamus: siquidem iam edocta sum meo cum periculo, reliquias ex Perside venientes, adorandas, venerandasque; & quæ Deus sacrauit, ea non esse com-
B munia appellanda. Impositam itaque eam ferculo baiularunt.

MVLIER DAT PŒNAS BLASPHEMIAE.

Cum autem appropinquaret ipsi loco; ipsa eminus conspicata sancti imaginem, cum lacrymis cœpit exclamare: Hic est qui in somnis vere a me visus instruxit me de malis quæ me habent. Deinde se ipsam in solum prosternens, sanctumq. orationibus flebilibus martyrem placans, sana firmaq. surrexit: & quæ paulo ante alienis pedibus incedebat, extremaq. patiebatur, nunc suis ititans domum vna cum reliquis, Deum glorificans, martyremq. magnificans perrexit.] hucusque in Synodo recitatum; cum mox eadem Acta Nicæna ista subiungunt: Petrus & Petrus religiosissimi presbyteri, Vicarij Hadriani Papæ veteris Romæ, dixerunt: Ipsa illa imago in præsentem diem Romæ est in monasterio cum pretioso capite. Ioannes Episcopus Tauromeniæ dixit: Recte dixerunt venerabiles Vicarij: nam & in Sicilia muliercula cum dæmonio vexaretur, Romam profecta, ad
C imaginem sanctissimam supradictam sanata est.] hucusque de Anastasij sacris reliquijs & veneranda eius imagine Acta Nicæni posterioris Concilij. Ex quibus satis intelligere potuisti, non solum e Perside Cæsaream Palæstinæ S. Anastasium longum duxisse in sui corporis translatione triumphum, sed & ipsum Romam vsque, cum illuc sacrum translatum est caput & veneranda eius imago, summa gloria propagatum. Extant adhuc ibi eadem sacra pignora, caput ipsum & eadem sacra imago decentissimo ornatu recondita, vbi primum tunc translata sunt in monasterium S. Vincentij ad Aquas Saluias, quod & auctum est etiam ecclesia nomine S. Anastasij.

POENITENS MVLIER SANATVR.

DE CAPITE ET IMAGINE S. ANAST. ROMAM TRANSLATIS.

Sed iam de Crucis triumpho ex perfido victo ac neci dato tyranno agamus. Cosrhois enim filius, Syroes dictus, occiso patre, & potitus regno Persarum, non immemor eius quam pepigerat pacis cum Heraclio Imperatore, eueſtigio Romanos omnes soluit captiD uos, interq. eos Zachariam Hierosolymorum Antistitem, liberosq. abire iussit, simulq. sacratissimum venerandæ Crucis lignum illæsum ipsum quidem & intactum, dixerim nec a Persis quidem visum, restituit: etenim teste Suida (quod diximus) signaculum, quo clausum erat, fuit inuentum illæsum. Sunt hæc Suidæ verba in Heraclio: Ipse vero acceptis viuificis lignis obsignatis, quemadmodum accepta fuerant atque permanserant, Hierosolymam profectus, Modesto Pontifici atque eius clero monstrauit. Hi & sigillum incolume & intactum agnouerunt, & clauem ab eo sumpserunt, & adorarunt, & in altum sustulerunt. Imperator igitur ea Byzantium misit, quæ Sergius in Blachernis reposuit.] hæc Suidas.

S. CRVCIS POST VICTORIAM TRIVMPHVS.

Ex quibus etiam intelligis, Zachariam Pontificem, antequam Hierosolymam venerit, esse defunctum, & qui hactenus (vt diximus) eo absente illam Ecclesiam curasset, Mode-
E stum in locum eius esse suffectum. Verum alij his repugnant, vt Theophanes, & (quod maius est) communis Ecclesiæ traditio, habentes scilicet Zachariam excepisse Hierosolymis Heraclium & sanctam Crucem. Porro primum aduenisse Heraclium Constantinopolim, sequenti vero anno Hierosolymam esse profectum, reportasseq. illuc sanctissimæ Crucis lignum, Annales produnt: eo enim glorioſior extitit venerandæ Crucis triumphus, quo longiori ambitu est perductus, accurrentibus ad spectaculum vbique fidelibus cum suffitibus atque luminibus, & ex more hymnos sacros tantæ victoriæ occinentibus.

ZACHARIAS REDIIT HIEROSOLYMAM.

Ipsi vero Imperatori Crucis virtute datum, vt longe præclarius quam quiuis ante Romanorum Imperatorum, de victore Cosrhoe, qui & vinci credi non poterat, triumpharit. Non merimur ex pompa ducta gloriam tanti triumphi, quamuis nec ista caruerit, sed ex iteratis per annos septem victorijs, quarum causa per annos singulos singuli erant ipsi decernendi triumphi. Quotnam debita fuere illi trophæa de liberato vniuerso Orien-

TRIVMPHVS HERACLII.

tali

tali Imperio, vindicata priſtina libertate, receptis tot ab illis ſublatis munitionibus, ereptis ab hæreticis Neſtorianis eccleſijs, quas Coſrhoes, Catholicis expulſis, in odium Catholici Imperatoris illis tradiderat? vti Edeſſæ inter alia loca factum eſſe, Annales produnt. Adde his, quot ſpolijs hoſtilibus fuerit exornandus ille triumphus auitis antiquorum Regum & eiuſdem Coſrhois ornamentis: quot inſuper ex prouincijs debellatis, captis ciuitatibus, dirutis & direptis caſtris, tabellis pictis fuerit pompa triumphi locupletanda, & exornanda militaribus ſignis ab hoſtibus ablatis, vel Romanis iam antea a Perſis in prœlijs ſæpe captis, illo vero potiſſimum quo victus eſt diabolus ſanctiſſimæ Crucis ligno, eodemq. ſigno, cuius virtute omnis hoſtium fortitudo fracta, roburq. ſolutum eſt, ac penitus diſſipatum. A

ADVENTVS CONSTANTINOPOLIM.

At iſtæc omnia a ſcriptoribus prætermiſſa ſilentio eſſe dolemus, cũ hæc tantum Annales habeant: Populus ciuitatis, audito aduentu Heraclij Imp. Conſtantinopolim, intolerabili cuncti deſiderio in Ieriam obuiã illi vna cum Patriarcha & Conſtantino ſiue Conſtantio Imperatore filio eius egreſſi ſunt, portantes ramos oliuarum & lampades, laudantes eum cum gratulatione & lacrymis. Accedens autem filius eius, accidit ad pedes eius, & cum amplexatus eum eſſet, infuderunt ambo lacrymis terram. Hoc autem populus inſpecto, vniuerſi Deo hymnos gratificos retulerunt: ſicq. demum ſuſcepto Imperatore, vrbem exultantes ingreſſi ſunt.] hucuſque ex Theophane in Annalibus. Addit vero hæc pauca Suidas: B

DE PECVNIA ET ALIIS REBVS PRETIOSIS PERDITIS.

Multis cum laudibus Conſtantinopoli ſuſceptus eſt. In vrbem duxit quatuor elephantes, quos in equeſtribus certaminibus in triumpho duxit.] At inter tot læta infauſtũ vnum non mediocrem mærorem attulit, quod idem Suidas paucis his narrat: Hic Heraclius cum Sergio Patriarchæ maximam pecuniam & aurum & argentum & gemmas pretioſas mitteret, illa omnia ſubmerſa ſunt.] Erant iſta reſtituenda Eccleſijs illis, a quibus mutuo Heraclius acceperat. Verum pius Imperator noluit ex his vllum Eccleſias ſentire damnum: nam idem Suidas paulo ſuperius: Et quia, inquit, de opibus magnæ Eccleſiæ pecuniam ſumpſerat: conſtituit vt e fiſco & ipſi Eccleſiæ & clero annua pecunia penderetur.] C

Actum præterea ab Heraclio per Theodorum fratrem ſuum apud nouum Regem Perſarum Syroen, habent Annales[a], vt quæ hactenus occupatæ fuerant a Perſis Imperij Romani prouinciæ, Perſis, qui in eis eſſent, recedentibus, liberæ eſſe ſinerentur, vt prius. Erat enim Perſis plena Syria ſuperior & inferior, Palæſtina ſcilicet, & quæ in ea ciuitates eſſent. Porro de rebus geſtis Heraclij in bello Perſico fideliorem quem ſequeremur inuenimus nullum, niſi Theophanem, ex quo ea quæ dicta ſunt, relata habentur in Annalibus. Scimus ab alijs aliqua nonnulla ijſdem adijci fabuloſa, quæ conſulto prætermiſe maluimus.

[a] *Theophan. hoc anno.*

D

Caremus ſcriptis illis Georgij Piſidæ, quibus (vt auctor eſt Suidas) proſecutus eſt hiſtoriam omnem de Heraclio Imperatore tam de bello Perſico, quam etiam de bello Abarico, ſoluta oratione, huius temporis auctor magni nominis; qui & his ferme diebus pulcherrimis iambis aduerſus Proclum philoſophum hæreticum ſcripſit Carmen, ſiue Mundi opificium, ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum: ad cuius finem pro Heraclio Imperatore, poſt recenſitas acceptas de Perſis victorias, ita fundit ad Deum preces:

Miraculorum tu architecte maxime,
Qui ianuas ſummi tuo nutu ætheris
Quando opus eſt claudis, recludis has item
Quoties libet, ſentisq. id eſſe commodum:
Nunc inferas expande præſens ianuas:
Valuas enim mundi incolarum dicimus
Hanc ciuitatem, quæ tua eſt munita ope.
Concede, vt Imperium obtinet qui a te ſuum,
Mundi arbiter, qui ſubegit Perſida,
Vel liberauit potius ipſam Perſida,
Orbis fruatur ditione, Sol quem obit.
Oſtende terram imitarier cæli globos,
Sol vnicus dominetur his vt infimis.
Nam Perſici qui viſus eſt dominator ſoli,

E

Hunc

A *Hunc Imperatorem orbis esse conuenit.*
Fac ergo sudores laborum vt ipsius
Puri lauacri sint loco, æternæ & stolæ.
Timoris auge robur illi Numinis:
Insignia hinc tuta auferet victoriæ,
Referens secundam ab hostibus victoriam,
Ignobiles vt igne vastans barbaros.] hucusque pro Heraclio preces: pro filijs autem ipsius istas mox subijcit:

Fac stare virides surculos pro viuidis
Fœcunditatis sæcularis fructibus:
Imagines fac patris vt sint optimi.
B *Nam sic eos robur tuebitur duplex.*
Acutiores redde eorum cuspides
In barbaros ferocientes ensibus.
Intende mentes, quo saluti consulant,
Et comprime omne robur aduersarium:
Expande & ijsdem ianuas pacis sacras:
Superba cordis sensa magni deprime.
Hæc Patriarcha clamitat, &c.] hactenus ex Georgio Pisida, cũ tamquam ex vberrima messe pertenues spicas legimus. Sed quod & imagines Imperatorum etiam eorum triumphos consueuerint exornare, pariterq. vexilla victricia ipsos reddere clariores: eadem ex antiquis nummis hic tibi spectanda proponimus, rudi licet (vt ferebat sæculum)
C cusa Minerua, nimirum imagines Heracliorum patris & filij Imperatorum, & multiplicibus modis Cruces triumphales expressas.

D





a Num. aureus Lalij Pasqual.

E



b



b Num. aureus Lalij Pasqual.



c



c Num. argent. Lalij Pasqual.

At sicut in Oriente ex acceptis Crucis virtute victorijs Christiana religio fuit hoc anno mirifice illustrata, ita & in Occidentalis Ecclesiæ extrema parte, in Britannia inquã ipsa,

hoc eodem anno fuit eadem propagata, cum Eduinus Rex, abdicata iam idololatria, fidem A
Christianam professus, hoc ipso anno Paschali tempore sacro baptismate initiatus est,
eiusq. exemplo Anglorum infinita propemodum multitudo Christianam fidem amplexata fuit. Quomodo vero ista se habuerint, Bedam narrantem audiamus, qui hæc ait[a]:

a Bed. de gest. Angl. lib. 2. c. 14.

EDVINVS REX BAPTIZATVR.

Igitur accepit Rex Eduinus cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima fidem & lauacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui vndecimo, qui est annus Dominicæ incarnationis sexcentesimus vigesimusseptimus, ab aduentu vero Anglorum in Britaniam annus circiter centesimus octogesimus. Baptizatus est autem Eboraci die sancto Paschæ, pridie Iduum Aprilium, in ecclesia S. Petri Apostoli, quam ibidem ipse de ligno, cum catechizaretur, atque ad percipiendū baptisma imbueretur, citato opere construxit. In qua etiam ciuitate ipsi doctori atque Antistiti suo Paulino sedem Episcopatus donauit. Mox autem vt baptisma consecutus est, curauit, docente eodem Paulino, maiorem B
ipso in loco & augustiorem de lapide fabricare basilicam, in cuius medio ipsum quod prius fecerat oratorium includeretur. Præparatis ergo fundamentis in gyro prioris oratorij, per quadrum cœpit ædificare basilicam. Sed priusquam altitudo parietum esset consummata, Rex ipse impia nece occisus, opus idem successori suo Osualdo perficiendum reliquit.

PLVRIMORVM CONVERSIO AD FIDEM.

Paulinus autem ex eo tempore sex annis continuis, id est, vsque ad finem Imperij Regis illius, verbum Dei, annuente ac fauente ipso, in ea prouincia prædicabat: credebantq. & baptizabantur quotquot erant præordinati ad vitam æternam, in quibus erant Osfridus & Eadfridus filij Regis Eduini, qui ambo ei exuli nati sunt de Quenburga filia Cearli Regis Merciorum. Baptizati sunt tempore sequenti & alij liberi eius de Edelburga Regina progeniti, Edilhimus, & Ediltridis filia, & alter filius Buscfrea; quorum primi albati adhuc rapti sunt de hac vita, & Eboraci in ecclesia sepulti. Baptizatus est & Iffi filius Osfridi, necnon & alij nobiles & egregij viri non pauci. Tantus autem fertur tunc fuisse feruor fidei ac desideriū lauacri salutaris genti Nordhumbrorum, vt quodam tempore Paulinus veniens cum Rege & Regina in villam regiam, quæ vocatur Adregin, triginta sex diebus ibidem cū eis catechizandi & baptizandi officio deditus moraretur: quibus diebus cunctis a mane vsque ad vesperam nil aliud ageret, quam confluentem eo de cunctis viculis ac locis plebem Christi verbo salutis instruere, atque instructam in fluuio Gleni, qui proximus erat, lauacro remissionis abluere. Hæc villa tempore sequentium Regum deserta, & alia pro illa est facta in loco qui vocatur Melumin. C

ANGLI PROVINCIAE DEIRORVM CONVERSI.

Hæc quidem in prouincia Berniciorum: sed & in prouincia Deirorum, vbi sæpius manere cum Rege solebat, baptizabat in fluuio Sualua, qui vicum iuxta Cataractam præterfluit. Nondum enim oratoria vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi Ecclesiæ poterant ædificari. Attamen in campo Dono, vbi tunc etiam villa regia erat, fecit basilicam, quam postmodum Pagani, a quibus Eduinus Rex occisus est, cum tota eadem villa succenderunt, pro qua Reges posteriores fecere sibi villam in regione quæ vocatur Loidis. Euasit autem ignem altare, quia lapideum erat, & seruatur adhuc in monasterio reuerendissimi Abbatis & presbyteri Trumuulfi, quod in silua Elmete est. D

b Bed. lib. 2. c. 15.

REDVALDI REGIS CONVERSIO ET LAPSVS.

Tantam[b] autem (vt fertur) deuotionem Eduinus erga cultum veritatis habuit, vt etiam Regi Orientalium Anglorum Carpualdo filio Redualdi persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem & sacramenta Christi cum sua prouincia suscipere. Et quidem pater eius Redualdus iamdudum in Cantio sacramentis Christianæ fidei imbutus est, sed frustra: nam rediens domum, ab vxore sua & quibusdam peruersis doctoribus seductus est, atque a sinceritate fidei deprauatus, habuit posteriora peiora prioribus: ita vt in morem antiquorum Samaritanorum & Christo seruire videretur, & dijs quibus antea seruiebat; atque in eodem fano & altare haberet ad sacrificium Christi, & aram ad victimas dæmoniorum: quod videlicet fanum Rex eiusdem prouinciæ Alduulf (qui nostra ætate fuit) vsque ad suum tempus perduraſſe, & se in pueritia vidisse testabatur. E

Erat autē prædictus Rex Redualdus natu nobilis, quamlibet actu ignobilis, filius Tytili, cuius pater fuit Vuffa, a quo Reges Anglorum Orientaliū Vuffingas appellantur. Verum Carpualdus non multo postquam fidem accepit tēpore occisus est a viro Gentili, nomine Richberto, & exinde tribus annis prouincia in errore versata est, donec accepit regnum eiusdem frater Carpualdi Sibertus, vir per omnia doctissimus atque Christianissimus, qui

viuente

A viuente adhuc fratre, cum exularet in Gallia, fidei sacramentis imbutus est, quorum participem, mox vbi regnare cœpit, totam suam prouinciam facere curauit: cuius studijs glorioſissime fauit Felix Episcopus, qui de Burgundionum partibus, vbi ortus & ordinatus est, cum venisset ad Honorium Archiepiscopum, eiq. indicasset desiderium suum, misit eum ad prædicandum verbum vitæ præfatæ nationi Anglorum. Nec vota ipsius incassum cecidere; quin potius fructum in ea multiplicem credentium populorum pius agri spiritalis cultor inuenit. Siquidem totam illam prouinciam iuxta sui nominis sacramentum, a longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem & opera iustitiæ ac perpetuæ felicitatis dona perduxit: accepitq. sedem Episcopatus in ciuitate Dummock: & cum septemdecim annos eidem prouinciæ Pontificali regimine præfuisset, ibidem in pace vitam finiuit.

B Prædicabat [a] autem Paulinus verbum etiam prouinciæ Lindisi, quæ est prima ad meridianam Humbri fluminis ripam, pertingens vsque ad mare: Præfectumq. Lindocolinæ ciuitatis, cui nomen erat Blecca, primum cum domo sua conuertit ad Dominum. In qua videlicet ciuitate & ecclesiam operis egregij de lapide fecit, cuius tecto vel longa incuria, vel hostili manu deiecto, parietes hactenus stare videntur, & omnibus annis aliqua miracula sanitatum in eodem loco solent ad vtilitatem eorum qui fideliter quærunt, ostendi. In qua ecclesia Paulinus, transeunte ad Christum Iusto, Honorium pro eo consecrauit Episcopum, vt in sequentibus suo loco dicemus. De huius fide prouinciæ narrauit mihi presbyter & Abbas quidam, vir veracissimus, de monasterio Peartan, vocabulo Deda, retulisse sibi quemdam seniorum, baptizatum se fuisse die media, a Paulino Episcopo, præsente Rege Eduino, & multam populi turbam in fluuio Trehenta, iuxta ci-
C uitatem quæ lingua Anglorum Tiouulfingaceſtir vocatur: qui etiam effigiem eiusdem Paulini referre esset solitus, quod esset longæ staturæ, paululum incuruus, nigro capillo, facie macilenta, naso aduncо pertenui, venerabilis simul & terribilis aspectu. Habuit autem secum in ministerio & Iacobum diaconum, virum vtique industrium ac nobilem in Christo & in Ecclesia, qui ad nostra vsque tempora permansit.

[a] Bed. lib. 2. c. 16.

PROPAGATIO FIDEI AD EXTERNOS ANGLOS.

Tanta autem eo tempore pax in Britannia, quoquouersum imperium Regis Eduini perucnerat, fuisse perhibetur, vt (sicut vsque hodie in prouerbio dicitur) etiam si mulier vna cum recens nato paruulo vellet totam perambulare insulam a mari ad mare, nullo se lædente, valeret. Tantum quoque Rex idem vtilitati suæ gentis consuluit, vt plerisque in locis, vbi fontes lucidos iuxta publicos viarum transitus conspexit, ibi ob refrigerium viantium erectis stipitibus & æreos caucos suspendi iuberet, neque hos quis-
D quam nisi ad vsum necessarium contingere præ magnitudine vel timoris eius auderet, vel amoris vellet, &c.] modo hæc satis, quæ cœpta hoc anno, in reliquos posteriores sunt propagata: reliqua vero inferius secundum ordinem temporum describemus. Sic igitur magno Dei beneficio factum est, vt populus, qui [b] ambulabat in tenebris, videret lucem magnam, fidem videlicet, lucem veram quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, simulq. igne diuini Spiritus glacialis orbis hominum corda calescerent. Sed iam ad anni sequentis res gestas veniamus.

PAX IN ANGLIA.

[b] Isa. 9.

IESV CHRISTI ANNVS 628. HONORII PAP. ANNVS 3. HERACLII IMP. ANNVS 19.

E

ANnus sequitur Redemptoris vigesimusoctauus post sexcentesimum, Indictione prima: quo Heraclius Imperator recedens Constantinopoli (ait Theophanes) ipso veris initio proficiscitur Hierosolymam, pretiosa ac viuifica Crucis ligna reportans, ad gratiarum actiones reddendas. Cumq. Tiberiadem adijsset, accusauere Christiani Beniamin quemdam nomine Hebræum, quasi sibi mala facientem: erat enim admodum opulentus: qui susceperat Imperatorem & exercitum eius. In eum commotus Imperator: Cur, inquit, molestus es Christianis, & fidei Christianæ, quam colo? Eumdemq. admonitum vt crederet, redditumq. Christianum, in domo Eustatij Neapolitani (ita tunc Samaria dicebatur) baptizari voluit: apud eum enim Imperator est hospitatus. Ingressus itaque Im-

HERACLIVS HIEROSOLYMAM PETIT.

perator Hierosolymam, restituto tam Zacharia Pontifice, quam almæ Crucis honoran- A
dis ac viuificis lignis in proprium locum, plurimas egit Deo gratias: pulsisq. ab vrbe san-
cta Hebræis, nec ad tertium milliarium voluit eos eidem appropinquare.] Hæc habent
sæpe citati Annales Theophanis, & alij ex ijsdem mutuati. Adduntur vero ijs ex Eccle-
siasticis Ritualibus ista:

CRVX SVO LOCO RESTITVTA AB HERACLIO.

Rediens Hierosolymam Heraclius, solemni celebritate suis humeris retulit *sanctissimam Crucem* in eũ montem, quo eam Saluator tulerat. Quod factum illustri miraculo commendatum est. Nam Heraclius vt erat auro & gẽmis ornatus, insistere coactus est in porta quæ ad Caluariæ montem ducebat: quo enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur. Cumq. ea in re & ipse Heraclius & reliqui omnes obstupescerent: Zacharias Hierosolymorum Antistes: Vide, inquit, Imperator, ne isto triumphali ornatu parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem imitere. Tunc Heraclius abiecto ampliſſimo B
vestitu, detractisq. calceis, & plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, &
in eodem Caluariæ loco Crucem statuit, vnde fuerat a Persis transportata. Itaque de-
cretum est, vt quotannis Exaltationis Crucis memoria celebraretur, quod ibidem fue-
rit reposita ab Heraclio, vbi Saluatori primum fuerat constituta.] est ea dies decima-
quarta Septembris. Ceterum etsi eadem solemnitas æque Græcis atque Latinis ce-
lebris est: tamen dicta die Septembris celebrant illi Exaltationis nomine Inuentionem
ipsam; Latini vero Inuentionem colunt mense Maio, dicta autem die Septembris me-
moriam restitutionis eius ex Perside Hierosolymam, quam quidem solemnitatem nomi-
nant Exaltationem. Diximus de his pluribus in Notis ad Romanum Martyrologium.
Quod autem sub Zacharia Episcopo id factum tradunt: sub Modesto potius accidisse, C
Suidas affirmat.

FESTVM EXALTATIONIS S. CRVCIS.

HERACLIVS IN SYRIAM SVPERIOREM PEREGRINATVS.

Postquam autem Heraclius Hierosolymis Deo iusta persoluit, est peregrinatus in O-
rientem; peragransq. Syriam superiorem, Edessæ ecclesias collatas (vt vidimus) Nesto-
rianis, illis pulsis, Catholicis tradidit. Vbi autem Hierapoli esset in Phrygia, contigit
Syroen Persarum Regem recens creatum, cum ageret suæ electionis annum vnum, diem
obijsse, percussum a Sarbara duce, siue Adeser, qui & ipse occisus est mense septimo, sub-
stitutusq. in locum eius Barrazas; qui cum item menses septem regnum tenuisset, eum
Persæ necarunt, & regnum filio Cosrhois Barahani dicto tradiderunt, qui totidem men-
sibus regnasse dicitur, & successorem habuisse Hormisdam; quo a Sarracenis pulso, de-
latum esse regnum ad Arabes. Sic igitur præpotens formidandum Romanis, collapsum
penitus & desolatum est regnum Persarum. Ita plane iusta Dei sententia, vbi semel cœ-
pit Cosrhoes contra religionem Christianam insanire, & Cruci Dominicæ dominari vel- D
le, vna ipse cum successoribus perijt, extincto penitus Persarum regno.

COLLAPSVM PERSARVM IMPERIVM.

LEGATIONES AD HERACLIVM.

Porro cum nomen Heraclij ob ingentes res fortiter in bello gestas toto orbe terra-
rum celeberrimum redditum esset, ad ipsum externi Reges tam ab Oriente quam ab
Occidente legationes cum muneribus decreuere. Præstitit id inter alios ex Oriente (vt
ex Theophane[a] Annales produnt) Rex Indorum, qui eidem gratulaturus ob Persas
penitus debellatos, legatos misit cum margaritis & lapidibus pretiosis. Ex Occiden-
talibus vero partibus hoc idem feciſſe Dagobertum Clotharij filium constat [b], fun-
ctosq. ea legatione Seruatium atque Paternum, qui & pacem ab Imperatore petitam ad
Regem, a quo missi fuerant, in Gallias retulere. Sed quæ tam læta sint funestissima
subsecuta, aggredimur enarrare.

a Theophan. an. 22. Heracl.

b Aimoin. lib. 4. c. 21.

HERACLIVS SVO MAGNO DAMNO SE SACRIS IMMISCET DOGMATIBVS.

Dum enim otiosus Edessæ Heraclius Imperator degeret, oblitus se esse militem atque E
hominem laicum, magno suo damno, velut si Episcopus esset, disputare cœpit de dogma-
tibus Ecclesiasticis. Sergius enim Constantinopolitanus Episcopus in epistola ad Ho-
norium Papam hæc inter alia habet: Nuper pijssimus & a Deo coronatus dominus
noster apud Edessam demorans ciuitatem, pios ad nos apices fecit, præcipientes, vt
paterna illa testimonia defloremus, quæ continentur in libro dogmatico (sicut dictum est)
facto a sanctæ memoriæ Menna ad sanctissimum Vigilium de vna operatione & vna vo-
luntate, & sic a Deo instructæ eius serenitati dirigere deberemus; quod & ad effectum
perduximus. Nos autem quæ dudum mota sunt, memoria retinentes, & tumultum qui ex
huiusce modi motione cœpit, scientes, suggessimus eius pijssimæ serenitati per mediocrem
nostram suggestionem & scripta ad Sacellarium Imperialem consequenter huius capitu-
li subtilitatem, &c.] Sic plane accidit, vt feliciſſimus Heraclius nactus infeliciſſimum

præ-

A præceptorem, prauam ab eo doctrinam acceperit, de qua inferius sæpius suis locis dicendum erit.

Quod enim totus ferme Oriens diuersis scateret hæreticis, potissimum vero Eutychianis, & ijs qui ex eis prouenerant, varijs nominibus nuncupatis, insuper & Nestorianis etiam vniuersam plane Syriam occupantibus, itemq. Apollinaristis, quorum haud numerus erat exiguus: diuinum quoddam visum est improbis Eutychianis inuentum, si dogma assereretur, in quod omnes nominati hæretici pariter conuenirent, sicq. pax sanciretur, dum scilicet vnica tantum affirmaretur esse in Christo voluntas. In id quidem conuenisse Apollinaristas, certum est, qui loco animæ vel intellectus Verbum in Christo ponerent: Nestorianos pariter in eamdem de vna voluntate sententiam consensisse, qui posuerunt vnionem Dei & hominis secundum solum effectum & voluntatem:
B Eutychianos vero liquet fuisse peculiares huius blasphemiæ assertores, cum vnam dumtaxat in Christo naturam assererent. Id quidem ex antiquioribus huius temporis scriptoribus testatur S. Maximus in disputatione cum Pyrrho Monotelita, & ex recentioribus sanctus Thomas [a] affirmat. Vana igitur spe illa deceptus putatur Heraclius in vnam sententiam omnes hæreticos coniungendi, vt eiusmodi de vna in Christo voluntate assertioni faueret, & sic colore pacis summum in Ecclesiam bellum inferret; prout quæ sunt dicenda inferius, demonstrabunt. Ita quidem ab hæreticis Orthodoxos sæpe deceptos fuisse liquet, vt prætextu pacis notam inurerent Catholicæ veritati.

[a] *Thom. 3. p. q. 18. Ar. 1.*

C IESV CHRISTI ANNVS 629. HONORII PAP. ANNVS 4. HERACLII IMP. ANNVS 20.

QVi sequitur sexcentesimus vndetrigesimus Redemptoris annus, Indictione secunda, idem vicennalibus Imperatoris Heraclij illustratur, sed ex eiusdem Heraclij rebus perperam gestis quisque prudens potius eum dixerit densa caligine obscuratum: siquidem hoc anno Monotelitarum hæresis ita dicta, collecta vero ex Eutychianis, magis magisq. inualescere cœpit fauore Imperatoris, magno damno totius Orientalis Imperij; quod in hunc vsque annum ad summum fastigium sublimatum, decrescere cœpit & minui, penitusq. prosterni, dum ipsum diuina vindicta magna ex parte in manus traditur barbarorum.

IMPERIVM ROMANVM LAESA RELIGIONE DECRESCIT.

D Ampliſſimis tunc plane notis perſpicue cunctis rem conſiderantibus declaratum fuit, quibus auxilijs fulciatur Imperium, vt vindicetur a barbaris, & illis omnibus dominetur, quibusve ex cauſis minuatur, & in nihilum redigatur. Religio ſiquidem ſancte pieq. culta cuſtos eſt, vindexq. auctrix & propagatrix Imperij: contra vero ex læſa religione, & fide Catholica hæreſibus lancinata, prauisq. moribus labefactata, vt lædatur, atteratur, prorſusq. deſtruatur Imperium, effici conſueuit. Quod ſicut pluribus exemplis in Iuſtiniano ſuperiori tomo eſt demonſtratum, ita in Heraclio modo redditur omnibus quam euidentiſſime manifeſtum. Quouſque enim idem Heraclius cultor fuit & cuſtos Catholicæ pietatis, Deum expertus eſt Romani Imperij vindicem & defenſorem, hoſtiumq. fortiſſimorum expugnatorem. Vbi vero a Catholica fide deflexit, & ipſe receſſit pariter ab eo Deus, in eius vindictam hoſtibus hærens. Cum tamen haud inficias eamus,
E occulto Dei iudicio interdum bonos referre mala, deteriores vero rebus proſperis abundare. Quomodo vero adeo luctuoſa contigerint, anno ſuperiori dici cœpta, hoc & ſequentibus annis ſingulis inferius dicturi ſumus: modo autem totius tragœdiæ ſatis ſit pandiſſe originem, quam & reddere ex Theophane in promptu eſt, necnon ex Cedreno & alijs, ex quibus hæc accipe:

Anno vigeſimo Imperij Heraclij Hormiſda regnat in Perſis. Cum autem eſſet Heraclius apud Hierapolim, venit ad eum Athanaſius Patriarcha Iacobitarum, vir acris & nequam ingenij, Syrorum inditas verſutias poſſidens: & moto de fide ad Imperatorem ſermone, repromiſit ei Heraclius, ſi Chalcedonenſem Synodum ſuſcepiſſet, Patriarcham illum Antiochiæ ſe fore facturum.] Commendatione quidem digna Heraclij recta erga Catholicam fidem intentio; ſed dum putat imprudens ſe fidei recte conſulere, perdit eam, ſeq. ipſum in erroris foueam dat præcipitem.

ORIGO MALORVM OMNIVM.

Sed attende, quæso, lector, vnde fluere incipiat stilla, ex qua diluuium Orientem obruens emanauit. Damnatum hominem Eutychianum aduersarium Chalcedonensis fidei legibus prædecessorum Imperatorum, eumdemq. alijs dignum supplicijs, quod impiorum se ducem fecisset, surripuissetq. vti sacrilegus Patriarchæ nomen, pluribus digne pœnis afficiendum, eumdem hunc ipsum ad colloquium curiose & libenter magno suo damno Imperator admittit, prohibente Apostolo, eiusmodi sceleratis nec breuem quidem salutationem, Aue scilicet, impertiendam, ipso dicente [a]: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.] Hinc quidem omne prouenisse malum Principibus Christianis, Constantio, Valenti, Theodosio Iuniori, Iustiniano, ac demum Heraclio, ipsa declararunt euenta. A

a 2. Ioan.

HERACLIVS LEVIS CORDE.

In rebus gestis sancti Maximi Abbatis & martyris præcipui oppugnatoris hæresis Monotelitarum, cuius causa & martyrium subijt, eadem de Athanasio perditissimo impostore narrantur, & de Heraclio, cuius siue simplicitatem, siue mentis leuitatē condemnat, dum putans se illū ad Catholicam fidem posse perducere, ipsius inuentus est esse captiuus, triplici funiculo vinctus, Athanasij, Cyri, & Sergij, dum quæ illi de vnica voluntate Athanasius verbis dolosis, quasi Orthodoxus esset, instillat, eadem postea propinauit eius collega Cyrus Episcopus Alexandrinus, eademq. Sergius & ipse ijsdem vinculis irretitus. Principia autem ista minime cauens Heraclius, magnorum malorum extitit sibi auctor. nam audi consilium Athanasij. B

ATHANASIVS SIMVLAT SE CATHOLICVM.

Vbi impius amplissimam adeo ab Imperatore pollicitationem factam audiuit, nempe potiturum se Patriarchatu Antiocheno, sicq. fore vt Orientalibus omnibus dominaretur Ecclesijs & Orthodoxis, ac pro arbitrio dimouere posset Catholicos professores Præsides Ecclesiarum: nihil cunctatus, se facturum spondet, quod ab eo exigebat promissio Imperatoris. Statuit igitur animo, vt simulate ad breue temporis spatium se exhiberet fidei Catholicæ assertorem. Rarum quidem reperitur exemplum, vt quis pollicitationibus illectus, in Catholicam receptus Ecclesiam, in ea sincere permanserit: quod & ostendit S. Hieronymus, dum inuehitur in Ioannem Hierosolymitanum Episcopum ex Macedoniano Catholicum redditum, sed emptum pretio Episcopatus. Pergit vero auctor: C

HERACLIVS CONSVLIT SERGIVM.

At ille, *Athanasius scilicet*, simulate suscepit Synodum, confitens duas in Christo naturas. Interrogauit autem Imperatorem de operatione & voluntatibus, qualiter has in Christo oporteret dicere duplas, an simplas. Tunc Imperator voce nouitatis consternatus, scribit Sergio Constantinopoleos Episcopo: aduocat etiam Cyrum Phasidis Episcopum, & hoc interrogato, reperit eum consentientem Sergio in vnam voluntatem & vnam operationem. Sergius enim, vtpote Syrus genere ac parentibus Iacobitis existens, vnam naturalem voluntatem & vnam operationem in Christo rescripsit, atque confessus est.] Vsque in hanc diem Catholicum se esse, idem Sergius professus fuit, ab omnibusq. vt Catholicus habitus & auditus: vbi vero modo Imperatorem vidit ancipitem, in errorem *ipse* seductus seduxit etiam Heraclium, sicq. eamdem hæresim poculo aureo propinauit Imperatori. nam idem subdit: D

CYRVS SVBDOLE CONSVLIT SERGIVM.

Ast Imperator vtriusque acquiescens consilio, reperit & Athanasium eis consentientem: nouerat enim, quia ibi vna operatio reperitur, vbi & vna natura cognoscitur.] ita Athanasius Eutychianus. Verum quod dicit auctor, esse repertum Cyrum consentientem Sergio: ita quidem foris apparebat, eo quod tentatus Cyrus litteris Imperatoris, consuluit Sergium, a quo ductus est in errorem. Sed simulate callidus homo agebat, dum (vt primo ingressu facere solent hæretici) sic dubitare se simulat, vt in dubitationem primum alios conijciat; sicq. altero pede dimotos, vno postea ictu facile in terram prosternat. Sed audi epistolam eiusdem Cyri tunc ad Sergium scriptam, recitatam vero in Actione decimatertia Sextæ Synodi, sed dure admodum Latinitate donatam, his verbis: E

Deo honorabili meo domino benigno principi pastorum, patri patrum, vniuersali Patriarchæ Sergio, a Cyro humili vestro.

CYRI EPIST. AD SERGIVM.

Prompto me existente, præsentem suggestionem porrigere Deo honorabili domino meo, diuersæ mihi subibant cogitationes, & in duabus sententijs animum partiebar: Putas ne, inquam, docenti consentiam: Altiora te ne quæsieris, & potiora te ne scrutatus fueris? Et claustra labijs imponens, silere studebam. Aut auscultem ne eum, qui *dicit*:

Quæ-

A Quærens quærę, & apud me mane? Deinde in hoc me ipſum ſufficienter examinans, etiam ſcribendi ſumebam fiduciam, cum ter beatitudinis veſtræ a Deo inſpiratam doctrinam in mentem recipere ſatisfactus *, quod vnum e duobus, ſiue vtrumque ex hoc mihi conquiretur. Aut enim, inquam, ſuſcipiar; aut per omnia emendabor in his quæ ſuggeruntur, ſi non ita ſe habent, * perſuaſus

Dum dignus fuiſſem effectus Deo honorabilis pijſſimi veſtigijs a Deo confirmati noſtri domini, *Imperatoris ſcilicet*, ſimulq. & Deo imitabilem eius condeſcenſionem indeptus, fiduciam capiebam diuinam iuſſionem eius ſerenitatis relegendi, quæ ad Arcadium ſanctiſſimum Archiepiſcopum Cypri contra Paulum Primatem Epiſcoporum minime Deo decenter conſtructa eſt. Cuius laudabilis ac Deo amabilis vere eſt omnis quidem intentus, piam & immaculatam noſtræ fidei rectitudinem allegans, duas autem operationes LATENS FRAVS HAERETICORVM.

B in Domino noſtro Ieſu Chriſto poſt vnitionem Deitatis prohibet *. Eam inueniens abnuebam, & proferre tentabam honoratiſſimam Leonis epiſtolam, duas operationes cum alterutrius ſcilicet communione, quemadmodum docet ſanctiſſimus dominus meus, proclamantem. Ex hoc ergo deinceps vobis orto ſermone, venerandam ſuggeſtionem a Deo inſeparabilium veſtrorum ad relegendam iubebar ſuſcipere, quæ dicebatur & putabatur præfatæ piæ iuſſionis eſſe reſcriptum: mentionem enim faciebat illius Pauli, qui & Sauli] Seueriani videlicet hæretici, qui (vt dictum eſt) in Armenia conuenit Heraclium Imperatorem in expeditione aduerſus Perſas degentem. Sed pergit Cyrus: * prohibet

Opportune ergo nunc ſilentium gerere, & nequaquam contradicere perſtruebar: verum ad eruditam a Deo doctrinam confugere didici, venerabiles eius ſyllabas poſtulans promereri, liquidius declarantes qualiter duas operationes poſt vnitionem dicere recuſan- CYRVS DVM SERGIVM CONSVLIT, VENENVM SPARGIT.

C tes, in vna, id eſt, ſingulari operatione in omnibus diuinis elogijs poſſumus concludere tam quod paſſibile, quam quod impaſſibile ipſius ineffabilis diſpenſationis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: quatenus a Deo illuſtrata eruditione Deo inſtructorum veſtrorum illuminata imperitia noſtra, forſitan vel in hoc imitabitur pinguiſſimam atque fertilem terram; ſeminatamq. verbi gratiam libenter ſuſcipiens, ad fœcunditatem ſaluum perducet. Deo acceptas denique ſui orationes ſolite miniſtrare, tam meæ paruitati, quam ijs qui mecum ſunt, benignus meus dominus dignetur. *Et ſubſcriptio*. Cyrus humilis exorans pro honoratiſſima vita Deo honorabilis domini mei ſuggeſſi.] hucuſque Cyri epiſtola, quæ Sergium male conſultum in dubitationem primum inducens, ad ruinam illi viam aperuit.

Ex his puto intellexiſti lapſum Heraclij, qui dum in Paulum Seuerianum hæreticum

D agit, ſe ipſum in eam hæreſim conieciſſe declarauit, qua duas in Chriſto voluntates & operationes negauit eſſe dicendas. Suo ſemper damno ſe immiſcuiſſe Principes in dogmatibus decernendis, plurimis ſuperius eſt declaratum exemplis: quod maxime in Heraclio perſpicuum demonſtratur, qui ſtudens parti alteri, quaſi veritatem defendens, pene neſciens, in profundum labitur hæreſis, qua infelix præclare partam tot victorijs gloriam obſcurauit, vt quæ inferius ſuis dicentur locis apertiſſime declarabunt. Satis Principi ad ſalutem, vt obortas de fide quæſtiones deferat ad primam ſedem, a qua controuerſiæ dirimantur, cuius arbitrio (ſi cauſa exigat) & vniuerſale Concilium congregetur; atque interim ipſe nulli ſe implicans nouitati, affectu liber, quid ab Eccleſia decernatur, expectet, vt ſequatur. NON IMMISCEANT SE DOGMATIBVS PRINCIPES.

E

IESV CHRISTI ANNVS 630. HONORII PAP. ANNVS 5. HERACLII IMP. ANNVS 21.

ANnus ſequitur Redemptoris ſexcenteſimus atque trigeſimus, Indictione tertia, quo defunctus ponitur in Annalibus pſeudopropheta Mahomedus, ſiue Mahometes, a quo improba ſecta Mahometanorum oborta eſt. Monſtrum tantum peperit & enutriuit Oriens, cuius deformitati monſtra cedere neceſſe ſit omnia, quæ ſiue Danieli, ſiue Ioanni Euangeliſtæ diuinitus demonſtrata feruntur ad aliquod grande malum ſignificandum. Præcurſorem quidem Antichriſti hunc omnium ſceleſtiſſimum extitiſſe, Ioannes Damaſcenus [a] exiſtimauit. Vnde autem ei obuenerit vt propheta a ſuis creditus ſit, ci- DE OBITV MAHOMETIS.

[a] *Damaſc. de hæreſ. in fin.*

tati

a *Theophan. & Cedren. loc anno Heracl. Imp.*

tati Annales ita declarant [a]: Apud Homeritas hunc, siue in Arabia Felice, Hali parente A Ismaelita genitum, camelariamq. exercuisse artem, pauperemq. hominem suam operam mercede locasse tradunt, inhæsisseq. seruitio cuidam potenti viduæ, quæ nomine Tadiga * dicta erat, eiusq. pascendos suscepisse camelos: & cum vafer esset ingenio, insinuans se dominæ gratiæ, effecit vt eamdem coniungeret sibi vxorem. Profectus vero in Palæstinam, ibi versatus cum Iudæis & Christianis, ab eisdem aliquid est conatus addiscere: mentemq. vanam prurigo cum exagitaret honoris, ex occasione bene accepta nundinationem quamdam exercuit, ex qua nomen fuit prophetæ adeptus.

* Χαδιχὰ, vel παδιγὰ

MAHOMETIS ORIGO ATQVE PROGRESSVS.

Cum enim & a dæmone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret: vxorem suam, quæ grauem ex eo capiebat dolorem, quod nobilis ipsa egeno homini & vexationibus obnoxio nupsisset, ita demulsit, quod diceret, ad conspectum Angeli Gabrielis sibi apparentis concidere. Erat amicus ei mulieri monachus quidam, qui ob falsam fidem ibi relegatus vi- B uebat. Huic mulier totam rem aperit, Angeli etiam nomine propalato. Is autem monachus vti opinionem eam prorsus in animo mulieri confirmaret, verum Mahomedum prophetam dicere ait: eum enim Angelum ad quemuis vatem mitti. Mulier verbis impostoris illius monachi fidem habens, alijs suis gentilibus mulieribus fabulam enarrauit, ab ijs porro ad viros alios ea dimanauit. Vbi vero semel innotuisse sciisset & creditū se esse prophetam; sibi ipsi per imaginem quædam effinxit, eademq. vt diuinitus accepta curioso atque simplici populo facile persuasit, ac volumen vanis figmentis plenum conscripsit, quod e cælo sursum acceptum effinxit, suisq. tradidit sectatoribus obseruandum: sicq. factum est, vt ita error vane conceptus, non miraculorum virtute, sed vi armorum magis magisq. apud posteros atque etiam exteros inualescceret.

Quod autem ad seductorem monachum spectat: ex fragmento historico Anastasij Bi- C bliothecarij, vbi de monacho isto agit, quisnam ille fuerit, declaratur his verbis: Cum testimonium ei, *Mahometi scilicet*, daret quidam pseudomonachus Arianus, qui ob malam fidē Constantinopoli e monasterio Callistrati exterminatus erat cum turpitudine sub Imperio Heraclij, iste sceleſtus nebulo seduxit istam & reliquas mulieres huiusmodi verbis: Venit, inquit, ille a visione quadam Angeli, qui dicitur Gabriel, & non ferens id spectaculum, concidit.] & paulo post: Cum diebus illis Imperator Heraclius cum victoria a Persarum bello reuerteretur, & per Aethribum transiturus esset: obuiam ei iuit ille Deo exosus Mahomet, ferens ei victoriales laudes, sicut ipsum docuerat sceleſtus ille pseudomonachus; petitaq. ab eo terra, quæ pecoribus suis alendis sufficeret, petitionis compos factus est.] hæc ibi.

Sed quomodo error acceperit augmentum, ijdem qui supra Annales declarant, ni- D mirum quod primum ad eum accurrerūt Iudæi existimantes ipsum esse quem expectarent Messiam; decemq. ex eis ipsum sectabantur, quod eum circumcisionem amplecti sciuissent: verum cum eumdē immunda comedere cognouissent, nempe cameli carnem, e sententia recessere, sed non cessarunt commouere eum in Christianos. Excogitauit autem ad sectam propagandam versutus nebulo illecebras ex voluptatibus carnalibus comparatas, seminarum multitudinem suis concedens in hac vita, & in futura ijsdem constitum paradisum, in quo ipsis omnia ad cibum & potum laute abundeq. suppeterent, & ad coitum pariter adfore pulcherrimarum multitudinem feminarum; his vero potissimum potituros fore, qui vel hostem occiderent, vel occiderentur ab hostibus: ista satis astute proponens, quo suos in bello fortes efficeret.

DE SECTA MAHOMETIS NEFANDA.

Vt igitur populos omnes alliceret, ex cunctis ferme aliqua miscuit, nempe ex Iudæis E circumcisionem, Dei vnius cultum, abstinentiam a carne suilla; ex Christianis Christi nomen, ita tamen, vt eum sicuti Ariani, siue Nestoriani, coleret. Rursum vero vt omnes fæces electas ad sectam alliceret ac sibi coniungeret, ex Manichæis etiam de Christo illud accepit, vt nequaquam Cruci affixū Christum diceret, sed vmbram Christi, Crucem penitus abominatus. De eodē Christo insuper blasphemus ista confinxit, quæ his verbis recitat Damascenus: ait enim: Christum autem dicit Verbum esse Dei & eius Filiū, sed creatum atque seruum, eumq. fatetur ex Maria sine semine generatum. Ait enim, Verbum ac Spiritum Dei, cum in Mariam introisset, genuisse filium qui Dei propheta & seruus est. Iudæos autem contra legem eum in Crucem agere voluisse, & cum eum tenuissent, eius quidem vmbram egisse in Crucem, Christum autem nec in Crucem actum fuisse, nec mortuum; Deum enim ad se transtulisse in cælum, quod ei esset carissimus. Hoc etiam

QVAE DE CHRISTO CONFINXIT.

comme-

A commemorat, Christum, cum in cælum peruenisset, a Deo interrogatum fuisse, an Dei filium se esse dixisset? Eumq. facit hoc modo respondentem: In me, Domine, sis placato animo: scis hanc meam orationem non fuisse, meq. tuam non fastidire seruitutem. Homines sunt isti, qui contra leges hoc me dixisse arguerunt, falsoq. me circumuenerunt crimine, & vehementer errarunt. Tum Deum hæc vult ei respondisse; Scio hanc tuam non fuisse orationem. Aliaq. multa monstri similia in eo narrat commentario, quæ ridicula sunt.] hæc Damascenus, qui paucis (nec enim multis indigent) quæ ab impostore tanto sunt dicta, confutat.

Ad hæc præterea alias circulator adiecit ineptias, nempe sibi vt veritatis cultori fideli tradendas claues paradisi in die iudicij. Fatum insuper asseruit, & siue ad bonum siue ad malum homines destinari. Cultum præterea astri, quod Cubar dicunt, B nempe Luciferi, siue Lunæ, commiscuisse tradunt, ne Gentiliciæ superstitionis secta exors existeret. Hanc autē de cultu Luciferi fuisse Sarracenorum antiquā superstitionem, testatur S. Hieronymus in Hilarione. Ista itaque & alia pudenda confarciens, ad omnium conseruationem vafrum illud excogitauit; quod enim satis intelligeret, cuncta quæ miscuisset, perfacile soluenda atque destruenda fore, si ad exactæ disquisitionis reuocarentur examen: de traditis a se institutis vetuit disputari. Sicq. miseros quos decipiebat, coniecit in foueam, eosdemq. ne inde emergerent, excæcauit. Quid plura? de eodem impostore centum & tredecim fabellas ex Euodio monacho Euthymius in sua Panoplia recenset, quas singulas tibi relinquimus consulendas. His igitur commentis & imposturis circulator iste nefandus paulatim conciliauit sibi Arabum regnum, in quo vbi exegisset annos nouem, defunctus est. De cuius sepulchro & peregrinatione ad illud assidua Laonicus agit pluribus, vbi de ritibus cultuq. superstitionis huius scribit in hæc verba[a]:

QVAS COACERVAVIT FALSITATES IMPOSTOR.

C Defunctus est, inquit, in loco quodam, cui nomen est Mecha. Milites, regionisq. incolæ exequias duxerunt, & grauiter eum luxere. Quotannis in eius honorem sacra faciunt Arabes: heroa etenim quemdam eum esse putant, eumdemq. virum sanctum a Deo ordinatum, vt ipsis leges ferret; quem in dandis legibus non tyrannum, sed virum quemdam æquitatis vel in primis amantem iudicarunt.] Et paulo post, cum agit de Homure eius discipulo & successore: Sepulchrum quoque in honorem Mahometis adornans, ibi manebat. Sacra quoque magna quotannis in honorem eius fieri procurauit. Persuasit alijs plurimis, vt Mahometen adorent. Eos quoque iustos fieri asserebat, qui ipsius sepulchrum inuiserent. Etiam hodie non pauci ex Asia, Libya, Europaq. Mahometis sepulchrum adeunt, putantes se hinc maximam colligere religionem, & probiores fieri. D Quidam ex ipsis istam peregrinationem ingrediuntur, quidam argentum numerant ijs qui pro ipsis peregrinationem suscipiunt. Via autem quæ ad sepulchrum ducit, est asperrima & difficillima. Eundum est enim per arenam non citra camelorum alimenta portantium opem: nec etiam aqua, qua vtantur, ad manum prompta est sufficiens omnino. In hunc igitur modum necessaria præparantes, camelos conscendunt, vtentes signis quæ viam demonstrent magnetis demonstrationibus. Colligentes igitur ab Septemtrionali plaga, qua orbis parte eundum sit, eo viam coniectantes pergunt. Vbi autem accesserint loca vbi aquarum scaturigines sunt, aquantes inde abeunt, transitaq. arena, intra quadraginta dies ad Mahometis corpus perueniunt. Sepulchrum eius compertum habeo extructum esse ex lapidibus pretiosissimis, & sublime pendere in medio templo.] hæc Laonicus.

[a] *Laonic. lib. 3. de rebus Turcicis.*

DE MAHOMETIS IMPOSTORIS SEPVLCHRO.

E Porro omnes mirari non desinunt, cum nulla vmquam secta fuerit alia quæ plures sordes in vnum collegerit, & quæ minus firmitate subsistat, quam hæc, quæ ab omnibus qui de ea egerunt, siue veteres, siue recentiores, risu sibiliſq. insectanda proponitur potius, quam confutatione digna fuerit existimata: tamen ad mille iam annos hactenus maioribus in dies augmentis sit propagata, non miraculis quidem vel virtutibus, sed armorum potentia dumtaxat & voluptatū illecebris, id quidem Deo occulto iudicio permittente. Ceterum eamdem sectam semper tum a Latinis, tum Græcis, pluribus confutatā inuenies, miraculisq. plurimis (de quibus inferius suis locis agendum) erroris esse conuictam, cū Deus per miracula fidem certam faciens, suos in errorem duci non siuerit, sed mille signis voluerit, singulis plane sæculis, falsitatem eius aperta luce monstrari.

ARMORVM POTENTIA PROPAGATVR ERROR.

Successisse Mahometi Eububezer, citati ante Annales tradunt, tenuisseq. principatū annos tres, vsque scilicet ad vigesimumquartum annū Imperatoris Heraclij. Ne quid autem

nos

nos antiquitatis subtraxisse videamur: hic ad postremũ addimus, quæ de origine & obitu A
eiusdem pseudoprophetæ a sancto Eulogio martyre, qui sequenti sæculo claruit, in suo
Apologetico narrantur ex codice Legerensis cœnobij accepta; quæ tamen in ijs quæ ad
annorum numerum pertinent, esse deprauata noscuntur. Reddamus hic singula toti-
dem verbis, quæ sic se habent: Cum essem olim in Pampilonensi oppido positus, & apud
Legerense cœnobium commorarer; cunctaq. volumina, quæ ibi erant, gratia digno-
scendi incomperta reuoluerem: subito in quadam parte cuiusdam opusculi hanc de ne-
fando vate historiolam absque auctoris nomine reperi:

Exortus est namque Mahomat hæresiarches tempore Heraclij Imperatoris, anno Impe-
654. rij eius septimo, currente Era 556. In hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus in Ca-
DE MAHOMETE EX S. EVLOGIO. tholico dogmate claruit, & Sisebutus Toleto regale culmen obtinuit. Ecclesia beati Eu-
phrasij apud Iliturgi vrbem super tumulum eius ædificatur. Toleto quoque beatæ Leo- B
cadiæ aula miro opere, iubente prædicto Principe, culmine alto extenditur. Obtinuitq.
prædictus Mahomat nefandus propheta principatum annis decem; quibus expletis, mor-
tuus est, & sepultus in inferno. Exordia vero eius fuerunt talia. Cum esset pupillus, fa-
ctus est cuiusdam viduæ subditus. Cumq. in negotijs cupidus fœnerator discurreret, cœ-
pit Christianorum conuenticulis assidue interesse; & vt erat astutior, tenebræ filius cœ-
pit nonnullas collationes Christianorum memoriæ commendare, & inter suos brutos Ara-
bes cunctis sapientior esse. Libidinis vero suæ succensus fomite, cum patrona sua iure
barbarico in ira congressus est. Moxq. erroris spiritus in speciem vulturis ei apparens,
os aureum sibi ostendens, Angelum Gabrielem esse se dixit, & vt propheta appareret,
impetrauit.

Cumq. repletus esset tumore superbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædi- C
care, & quasi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorpo-
reum in cælis adorarent, insinuauit. Arma sibi credentibus assumere iubet, & quasi no-
uo fidei zelo, vt aduersarios gladio trucidarent, instituit. Occulto quoque Deus iudicio
a Habac. 1. (qui olim per prophetam dixerat[a]: Ecce ego suscitabo super vos Chaldæos, gentem
amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non
sua: cuius equi velociores lupis vespertinis, & facies eorum vt ventus vrens, ad arguen-
dos fideles, & terram in solitudinem redigendam) nocere eos permisit. Primum namque
fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & ouantes de trium-
pho victoriæ, glorioſi effecti, apud Damascum Syriæ vrbem regni principium fundauе-
runt. Psalmos denique idem pseudopropheta in ore insensibilium animalium composuit,
vitulæ scilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muscipulæ ad capiendas muscas D
historiam texuit. Vpupæ præterea & ranæ cantus quosdam composuit: vt fœtor vnius
ex eius ore eructaret, garrulitas vero alterius in eius labijs non desineret.

Alios quoque ad condimentum sui erroris in honorem Ioseph, Zachariæ, siue etiam ge-
MAHOMETIS TVRPIS INCONTINENTIA. nitricis domini Mariæ stylo suo digessit. Cumq. in tanto vaticinij sui errore duraret, vxo-
rem vicini sui nomine Zeid concupiuit, & suæ libidini subiugauit. Quod scelus maritus
eius sentiens, exhorruit, eamq. prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit.
Ille vero quasi ex voce Dominica in lege sua illud annotauit, dicens: Cumq. mulier illa
displicuisset in oculis Zeid, & eam repudiasset, sociauimus eam prophetæ nostro in coniu-
gium: quod ceteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit in
peccatum. Post cuius tanti sceleris factum mors animæ & corporis illius simul appro-
pinquauit. At ille interitum sibimet imminere persentiens, quia propria virtute se re- E
surrecturum nullo modo sciebat, per Angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis appa-
rere, vt ipse aiebat, solitus erat, resuscitaturum se tertia die prædixit.

Cumq. animam inferis tradidisset, soliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ar-
dua vigilia cadauer eius custodire iusserunt. Quem cum tertia die fœtentem vidissent, &
resurgentem nullo modo cernerent; Angelos ideo non adesse dixerunt, quia præsentia
CANES DEPASTI CADAVER MAHOMETIS. suorum terrerentur. Inuento igitur salubri (vt putabant) consilio, priuatum custodia ca-
dauer eius reliquerunt: statimq. vice angelica ad eius fœtorem canes ingressi, latus eius
deforauerunt. Quod reperientes factum, residuum cadaueris eius humo dederunt; & ob
eius vindicandam iniuriam, annis singulis canes occidere decreuerunt: vt merito cum
eo habeant illi participium, qui pro eo dignum meruerunt subire martyrium. Digne ei
quidem accidit, vt canum ventres tantus ac talis propheta repleret, qui non solum

suam

A suam, sed multorum animas inferis tradidisset. Multa quidem & alia scelera operatus est, quæ non sunt scripta in libro hoc: hoc tantum scriptum est, vt legentes, quantus hic fuerit, agnoscant.] Ad honestandum autem tale portentum, a successore mirificum constat erectum illi esse sepulchrum, de quo superius dictum est.

Porro hæc & alia plura in detestationem sectæ nefandæ publicis scriptis ab eodem auctore vulgata in oculis ipsorum Sarracenorum tunc grassantium in Hispanias liquet: vt plane non contemnenda ea sint scripta, quæ in opprobrium ipsorum Sarracenorum de tali impostore veluti propheta gloriantium coram ipsis obiecta fuere. Sunt & alij, qui pseudoprophetæ huius cunabula, progressus, obitum, leges, atque alia prosecuti, de his volumina confecerunt, quæ tu consulas. hæc ad Annalium institutum satis sunto: abstinuimus enim libentius, quod multa fabulosa in eis posita inuenerimus.

B At dum hoc monstrum coalescere incipit in Oriente, armorumq. potentia, quod non posset veritate, auctoritatem sibi conciliare satagit, dormitat stertitq. bonus Heraclius, immo depositis armis, nulla de tuendis iam partis cura solicitus, nec timore perculsus de perdendis quæ Romani essent Imperij; vigilansq. cum Monotelitis, omne consilium agitat, simulq. potentiam omnem adhibet, vt dogma stabiliat. Vafrum diabolus excogitauit inuentum, vt his tricis teneret Heraclium occupatum eo tempore, quo ipse adeo grande malum, quo maius numquam fuisset in orbem illatum, machinari cœperat in Oriente; faceretq. Ecclesiastico bello occupatum Heraclium detineri, quo tempore ipse in Christianam religionem & in ipsum Romanum Imperium insuperabile prœlium præpararet: adeo vt minime a scopo veritatis abetret, qui dixerit, nullum Romanorum Imperatorum maiora damna quam Heraclium in Christianam Rempublicam inuexisse, dum C ad extinguendam facem diaboli non accurrit, sed alteri incendio fomenta interim parat. At de his satis.

Hoc eodem anno, vbi Gregorius Episcopus Alexandrinus sedisset annos decem, moritur, atque in locum ipsius subrogatus est Cyrus ex Lazorum Antistite, id operante Heraclio Imperatore, qui eo vtebatur familiarissime. Hic quidem sub Catholico nomine quasi prædicator Chalcedonensis Concilij, ac veluti assertor & professor epistolæ sancti Leonis Papæ, dum conciliatorem & sequestrem agit pro reuocandis hæreticis ad Ecclesiam Catholicam, nouis excogitatis artibus, Catholicos quos inuenit, in hæresim nescientes induxit. Quomodo autem id acciderit, suo loco dicturi sumus. CYRVS EPISC. ALEXANDR.

Hoc pariter anno Honorius Papa, deiecto Fortunato hæretico Gradensi Patriarcha, subrogauit in locum eius Primogenium. De his extant ipsius Honorij Papæ litteræ his D verbis conscriptæ [a]:

Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Venetiam & Istriam constitutis.

Suademus, & decretales apices fraternitati vestræ diriginus, per quos expetimus vt loco Iudæ alius vitæ probabilis ad regendum gregem Dominicum promoueatur. Et non immerito is qui deiectus est, & Iudæ actibus comparatur & moribus. Nam quod ille in capite, hoc iste videtur exercuisse in corpore. Primogenium itaque subdiaconum & Regionarium nostræ sedis Gradensi Ecclesiæ Episcopali ordine cum pallij benedictione direximus consecrandum. Oportebit ergo fraternitatem vestram iuxta legem Ecclesiasticam cuncta disponere, capitiq. vestro sinceram obedientiam exhibere. Nos enim dirigentes homines nostros ad excellentissimum Longobardorum Regem, iniunximus, vt E eumdem Fortunatum, vti relicta ab eo Republica, ad Gentesq. prolapsum, & abnegata concordiæ vnitate Deo rebellem & perfidum, necnon res quascumque secum aufugiens abstuliisse monstratur, experat, & repetere non moretur: vt & hi a quibus repetuntur, a partibus Christianissimæ Reipublicæ parem iustitiam consequantur.] hæc Honorius, qui *digniſſimo* titulo & merito quidem Venetam Rempublicam Christianissimam nominat: vtpote quæ, relictis schismaticis, Romanæ Ecclesiæ adhæsisset; & ne implicaretur eorumdem schismaticorum laqueis, a Romana Ecclesia petere soleret Episcopum: quo ampliſſimo titulo gloriosa, potensq. longe lateq. terra mariq. dominium feliciter propagauit.

[a] *Ex Chron. man-scr. Andr. Danduli Ducis Venet.*

EPIST. HONORII PAPAE AD EPISC. VENET. ET ISTRIAE.

VENETA RESPVB. CHRISTIANISSIMA.

Ne quid autem minus haberet Gradensis Ecclesia ab Aquileiensi, ipsi Romani Pontifices eamdem Ecclesiam pallij insignibus & Patriarchæ nomine illustrarunt: nam (vt superius dictum est) ipse etiã Gradensis Episcopus Patriarcha inuenitur sæpius nominatus.

Vnde

Vnde & factum est vt immortalis inter vtrumque creuerit æmulatio, & excitatæ perennes discordiæ fuerint, perpetuaq. odia coaluerint, quæ nutrita sunt opera sæcularium Principum, studentibus Longobardis Patriarchæ Aquileiensi (qui & securitatis causa Forum Iulij sedem transtulit, ob idq. & Foroiuliensis Patriarcha est appellatus) fauente vero Gradensi Patriarchæ Rauennate Exarcho post Romanum Pontificem. Porro sicut Exarchus numquam destitit ipsam Aquileiam infestare, ita Longobardi Grados, siue Gradus: nam audi quæ dicat Paulus [a] de Duce Foroiuliensi, Lupo nomine: Hic Lupus in Grados insulam, quæ non longe ab Aquileia est, cum equestri exercitu, per stratam, quæ antiquitus per mare facta fuerat, introiuit; & deprædata ipsa ciuitate, Aquileiensis Ecclesiæ thesauros exinde auferens deportauit.] hæc ipse, qui & superius tradit [b], a Paulo (quem alij Paulinum dicunt) Aquileiensi Patriarcha translatos fuisse Ecclesiæ Aquileiensis thesauros ad Grados, dum fugeret Longobardos in Italiam irruentes.

[a] *Paul. diacon. lib. 5. c. 7. & nou. edit. c. 17.*

[b] *Idem lib. 3. c. 8. vet. edit. & nou. c. 10.*

ROM. PONT. FAVENT VENETIS CONTRA LONGOBARD.

Accidit præterea, vt inter Lõgobardos & Venetos implacabile diu viguerit bellũ, quemadmodum inter vtramque Ecclesiam Aquileiensem & Gradensem immortales extiterunt contentiones; quæ licet sæpe fuerint sedatæ a Romanis Pontificibus, rursus pullularunt. Verum pro Ecclesia Gradensi semper insurrexisse ipsos Romanos Pontifices, litteræ Gregorij II. & Gregorij III. Roman. Pontificum docent; ex quibus apparet eos ab inuadentibus Aquileiensibus Patriarchis nitentibus viribus Longobardorum semper tutatos esse. Sic videre est Gradensem Ecclesiam Romanorum Pontificum auctoritate erectam, firmatam, stabilitam, atque defensam, Venetorumq. Rempublicam Gradensis Ecclesiæ occasione a Romana Ecclesia hausisse plurimum adiumenti: cuius rei ipsa optime conscia, ad nutum Romani Pontificis parata semper fuit in Longobardos insurgere. Docent id litteræ Gregorij Secundi Romani Pontificis ad Vrsum Venetiarum Ducem, cum ei præcipit inhærere Exarcho ad expellendos Longobardos, cum occupauere Rauennam: quod & feliciter gestum est. sed de his omnibus fusius inferius suis locis dicendum erit. Hæc modo occasione litterarum Honorij, quibus Venetorum Rempublicam Christianissimam nominauit: vt videas, quo firmiter posito fundamento, tam nobilis structura creuerit.

DE S. VINCENTIO ABBATE ET MARTYRE.

Hoc eodem anno passus legitur apud Legionem in Hispania sanctus Vincentius Abbas, quod a perfidis Arianis tentus, nollet ipsis ipsorumq. hæresi consentire: sic igitur pacis Ecclesiæ tempore, magna Dei gratia, adeptus est coronam martyrij. Cuius epitaphium vt hactenus lapidi incisum legitur, hic tibi in martyris memoriam describendum putauimus, vt se habet antiquitus suis erroribus scriptum:

Hoc tened ornatum venerandum corpus Vincentij Abbatis.
Sed sua sacra tened anima cæleste sacerdos.
Regnum mutasti in melius cum gaudia vitæ:
Martyris exempla signant quod membra sacrata.
Demonstrante Deo vatis hic reperit index.
Quater decies quinos & duos vixerat annos,
Ministerium Christi mente sincera minister,
Raptus æthereas subito sic venit ad auras,
Sic simul officium finis vitamq. remouit.
Spiritus aduenies Domini quo tempore sanctus,
In regionem iam deduxit, animamq. locauit.
Omnibus his mos est de flammis tollere flammas.
Obijt in præceptis Dei quinto Idus Martij, Era DCLXVIII.

Verum etsi obscura sit dictio epitaphij, clara tamen est memoria martyris, qua ponitur inter martyres in tabulis Ecclesiasticis, in vniuersa Ecclesia Catholica annis singulis repetenda tertio Idus Septembris, fortasse quod ea die corpus eius inuentum vel translatum fuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 631. HONORII PAP. ANNVS 6. HERACLII IMP. ANNVS 22.

SExcentesimus trigesimusprimus agitur Redemptoris annus, Indictione quarta, quo res Orientalis Imperij fluctuare magnopere cœperunt. Ex quo enim Heraclius Imperator est naufragatus a fide, mala cuncta Romanum Imperium inuaserunt: nam vsque dum coluit pietatem, Deus præcedebat castra fidelium; vbi vero de acceptis beneficijs nimis ingratus apparuit, excitauit contra eum barbaros Arabes, de quibus nihil tale timuerat. Ita nouit Deus in rebelles fidei Catholicæ Principes excitare gentes vltrices,
B quibus velut virga furoris iratus plagas illis infligat. Hoc siquidem anno (vt produnt Annales) post Mahometis Principis obitum, cum iam Persarum Regum potentia collapsa penitus esset, consumptis inter se ipsis bello ciuili, cœperunt Arabes bellum gerere aduersus Romanos: quanto autem eos damno affecerint, quæ dicturi sumus annis sequentibus, demonstrabunt. Laborabat interea Heraclius pro Monotelitarum hæresi roboranda, conspirante cum ipso, immo impellente eum Sergio Constantinopolitano Episcopo. Porro res ita se habebat, vt pulchro velamine pacis error impius obtegeretur: adeo vt eiusmodi ipsorum conatus potius extirpatio hæresis, quam eius propagatio exterius videretur. Etenim præseferebant Monotelitæ, defensores se esse Chalcedonensis Concilij, hæresum vero tam Nestorij, quam Eutychetis, siue aliorum euersores: adeo vt toto ferme hoc reliquo tempore, quo vixerunt, tum Sergius, tum Heraclius perse-
C uerarint inter suos Catholico nomine: nec per annos plures fuit eiusmodi hæreticorum vafricies detecta. Quomodo autem ista se habuerint, quæ annis sequentibus dicturi sumus, aperient.

ARABES ROMANVM INVADVNT IMPERIVM.

Quod vero ad res pertinet Occidentales: hoc ipso anno, vbi Clotharius Rex Francorum annos quadragintaquatuor regnasset, ex hac vita migrauit, relicto totius regni herede suo filio Dagoberto. Sed antequam de successore agamus; quæ de eo sunt reliqua, nec certi anni periodo definiri possunt, hic memoria digna in medium afferamus, & primum quæ ab Aimoino in hæc verba narrantur[a]: Hunc, inquit, Clotha-
D rium beatus Sulpitius tunc quidem Archidiaconus, postmodum autem Bituricensium Episcopus, anteriori tempore a graui liberauerat febrium incommodo, septem prius dierum consummato ieiunio. Fuit autem *Clotharius* patiens, litteris eruditus, timoris Dei plenus, pauperibus necessaria tribuens, Ecclesiarum Domini atque sacerdotum vtilitati consulens. Verumtamen subdola malignantium versutia subreptum est ei, vt beatum Lupum Præsulem Senonum, a sede propria expulsum, in exilium mitteret.] Sed præstat hæc petere ex Actis ipsius Lupi sanctissimi viri, vbi causa exilij pulchre texitur, & Regis pœnitentia digna memoria recensetur. Causa enim cur exularit, in rebus ab eo gestis sic aperitur:

CLOTHARII REG. FRANC. OBITVS.

[a] *Aimoin. lib. 4. c. 16.*

Postquam Clotharius Burgundiæ regnum obtinuit, Farulfum virum multa sæculi dignitate pollentem ob regia negotia curanda eo ablegauit. Is a Regis latere digressus, eius iussa quamprimum executurus, vbi prope Senones venit, multa animi in-
E dignatione cœpit permoueri, quod sanctus Antistes ei cum muneribus obuiam non procederet. Deinde intra vrbem susceptus, toruo vultu beatum virum intuebatur. Sed audiuit ab eo: Oportet semper obedire magis Deo, quam hominibus. Sacerdotis est, plebem regere, & Principes sæculi diuina præcepta docere: itaque par est illos ad eum potius accedere. Farulfus ira & furore percitus, multa ad Regem de sancto viro falsa retulit, adiutus etiam opera nequissimi Medegisili, qui in sancti Remigij suburbio monasterium tenens, sancti Episcopi locum occupare conabatur. Ijs ergo nefarijs viris regias aures incantantibus, Clotharius Rex commotus beatum Antistitem iubet exulare Vinemagi, qui est Neustriæ pagus.] vbi eum multos conuertisse tradit, additq. demum ipsum opera sancti Ragnegisili Archidiaconi & sancti Vuinebaudi reuocatum fuisse.

S. LVPVS SENONEN. EPISC. EXVLAT.

Quanto autem eum Rex Clotharius acceperit desiderio, ista ibi subduntur: Lætatur Rex, & proceres omnes gratulantur tanti Antistitis præsentia: contemplatusq.

eum Rex, pietate flexus, ad pedes eius humi prosternitur, veniamq. ab illo deprecatur. Cernens vero eum afflictum, corpus eius macie confectum, caput intonsum, barbamq. minime rasam ob cumulandum abstinentiæ rigorem: tremens & eiulans Rex cum multo gemitu eius miseriæ se reum fatetur, & sancti viri delatoribus dira imprecatur: iubetq. eum honorifice tractari, comamq. & barbam tonderi. Postquam autem suus ei decor redditus est, eius clerum voluit Rex conuiuio interesse. Ibi tum, Christo agente, repentina conuersione cernere erat Regem ex persecutore factum ministrum beati viri, & suis manibus ei cibum porrigentem, qui antea illi penuriam attulerat. A

Rursus vero petens sui facinoris veniam, a sancto Episcopo leuatur e puluere; multaq. ei offert munera Ecclesiæ vsibus profutura, atque ita demum iubet eum ad suam vrbem se recipere.] hactenus de sancti Lupi ab exilio restitutione: ex quo discant sacerdotes, cultores se esse debere iustitiæ, & nihil remittere sacerdotalis constantiæ timore Regum. Siquidem alterum de duobus sit necessarium fore; vt vel cedentes veritati Reges, & victi virtute, se (vt decet) subijciant sacerdotibus; vel si resiliant, obstinateq. eosdem persequantur, parari sibi hac ex parte maiorem gratiam, & glorioſiorem præparari coronam sacerdotes ipsi non dubitent, secundum illud Ambrosij in obitu Valentiniani: Felicius Episcopos persequantur Imperatores, quam diligant.] Porro quod pertinet ad sanctum Lupum, vir mirificus egregia claruit sanctitate, inq. edendis miraculis mire virtus eius enituit. B

Defuncto igitur Clothario Rege, eius filius Dagobertus solus potitur Francorum regno, cuius regimini reliquerat Clotharius præfectum Pipinum Ducem Neustriæ, quem sibi in Maiorem domus ob egregias ipsius virtutes idem Clotharius adsciuerat. Sed tanti viri summa pietate insignis memoria haud est prætereunda. Dicendus hic Pipinus eius nominis primus, ex quo duo alij, secundus scilicet, ipsius nepos, & tertius Pipinus secundi nepos, qui etiam regnum Francorum per Zachariam & Stephanum Romanos Pontifices est adeptus: vt videas ex quibus progenitoribus ille prouenerit. Accepimus ista ex Stephano Abbate, qui res gestas S. Modoaldi Archiepiscopi Treuirensis prosecutus est: vbi, ne confundatur historia, de duobus Pipinis viris clarissimis genus texitur. Prior enim, de quo est sermo, fuisse ponitur Carlomanni senioris filius, qui ex nupta sibi Itta religiosissima femina hos acceperit liberos, Grimoaldum, Gertrudem, & Beggam, pietate omnes insignes: ex Begga autem iuncta matrimonio Ansegiso filio sancti Arnulfi postea Metensis Episcopi, sit natus Pipinus iunior, senioris nepos, eius nominis secundus; ex quo natus est Carolus cognomento Martellus: ex Carolo vero tres sunt geniti filij, Carolus, Carlomannus, atque Pipinus tertius ordine, primus autem eius generis Rex Francorum. C

TRES PIPINI.

Sed de primo Pipino modo dicendum, cuius virtutum præconium post alia verbis istis Stephanus Abbas summatim perstringit, dum agit de Itta sanctissima femina sorore sancti Modoaldi ipsi in matrimonium collocata[a]: Fuit namque probatissimæ vitæ ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controuersiarum finis, munimentum patriæ, decus curiæ, via Ducum, & disciplina Regum.] & inferius de eodem: Clarebant tunc temporis in palatio viri strenuissimi, ijdemq. religiosissimi: inter quos eminebat Pipinus Carlomanni filius Dux clarissimus & Maior domus sub Clothario, Dagoberto, & Sigeberto potentissimis Regibus.] & paulo post: Ea tempestate Dagobertus rerum potiebatur, sub quo idem Dux dignitate modicum a sublimitate regia differente præditus, omnia regni negotia prudentissima dispositione ordinabat, præstabatq. tam in bello fortitudine, quam iustitia in pace. Erat enim erga Regem fidei seruantissimus, erga populum vero tenacissimus æquitatis, & in disceptanda vtrorumque causa fortissimo animi iudicio persistens, nec munera populi ad subuertendum ius regium respiciebat, nec gratiam Regis ad obruendam populi iustitiam attendebat. Siquidem Regem Deum Regi homini præferebat, cuius mandato prohibitum nouerat[b] vultum potentis honorare, vel personam pauperis in iudicio attendere. Tam ergo quæ plebis erant, plebi defendebat, quam quæ Cæsaris, Cæsari restituebat. D

QVALIS PIPINVS MAIOR.

a Steph. in vita Modoald. lib. 1. cap. 2. & 34. apud Sur. die 12. Maij.

b Leuit. 19.

Tali huius Ducis industria & consilio Dagobertus eo celebritatis splendore enituit, vt E

libe-

A liberalitate, iustitia, mansuetudine, alijsq. virtutibus quibus Regem decebat, plures ante se Reges præcelleret. Sed hanc regiam viam, hanc virtutis lineam tenuit, quamdiu sanam doctrinam sapientissimi præceptoris instituit, & non ad sua desideria coaceruauit sibi magistros. Felix, si secundum viri sapientis monita [a] de mille pacificis suis vnum hunc elegisset consiliarium. Sed demum Salomonis [b] exemplo deprauatum est cor eius ad tempus per mulieres, vtq. solet in magna rerum copia ac soluta libertate prona esse in consensum peccati natura mortalium, ob diuitiarum affluentiam ac secundos rerum successus a bono honestoq. in prauum abstractus, salubribus monitis aures occlusit. Cœpit ergo tam auaritia quam libidine æstuare, rebus Ecclesiarum nouos thesauros implere. Cuius impudentiam dum Pipinus dolore permotus liberrimo ore increparet, exprobrans quod maximis Dei beneficijs ingratus existeret: ille obscœnis libidi-
B nibus potius quam sanis obtemperans consilijs, tentabat magis more phrenetici medicum quolibet modo extinguere, quam a prauitatis suæ furore resipiscere.

DAGOB. REGNVM QVAMDIV FLORIDVM.

[a] *Eccl. 6.*

[b] *3. Reg. 11.*

Sed benignus Dominus, qui suos saluare decreuit, nunc a malis liberat, nunc etiam innoxios seruat, & pium Ducem a periculo mortis potenter eripuit, & malevolum Regem ab effusione iusti sanguinis misericorditer reuocauit. Nam saniore consilio reputans dignitatis suæ statum labefactari, si virum nobilem, potentem, fide ac iustitia popularibus acceptum perimeret, paulatim animum resiexit, cœpitq. egregium Ducem in tantum reuereri, vt conceptam malitiam in pacem & gratiam commutaret. Quod sapientissimus Dux non suæ industriæ, sed diuinæ adscribens misericordiæ, tanto magis in modum sancti animalis oculos ante & retro habentis studebat in cunctis se prudenter agere, & ad diuinæ iustitiæ lineam omnes iudiciorum suorum sententias dirigere. Sed quia sanctarum
C Scripturarum scientia minus eruditus erat, prudentes quosque viros, quos in timore ac dilectione Dei nouerat excreuisse, omnium consiliorum vel negotiorum suorum socios assumebat. Nam & Arnulfum Metensem Pontificem, qui ante Pontificatum hanc eamdem dignitatem irreprehensibiliter administrauerat, & postmodum eo defuncto, beatum Chunibertum Colonienſium Antistitem pari sanctitatis fama illustrem in hac negotiorum administratione curabat adhibere participem.] hæc & alia Stephanus in laudem viri religiosissimi: ad quæ addimus corollarium ex rebus gestis [c] sancti Vuironis in Scotia Episcopi miraculis clari, vbi hæc de eximia religione Pipini: Dux autem Pipinus tantæ eum veneration habuit, vt tamquam præsuli animæ suæ, vitæq. patrono, propter eximiam sanctitatem sua illi peccata confiteri solitus sit, nec erubuerit ad faciendam confessionem, detractis calceis, eum adire, eiusq. oris imperio parere: sæpius etiam volebat eum
D interesse communibus consultationibus maiorum, &c.] Vidisti, lector, quanta pietas Principis huius fuerit, vt nonnisi ob pœnitentiæ signum, discalceatus, consueuerit sua sancto viro confiteri peccata. Quosnam tu sapientiores dices, hunc Deo dilectum sanctissimum virum, an a fide Catholica refugas homines eiusmodi instituti derisores? Sed quod modo de sancto Vuirone occasione Pipini opportuna incidit mentio, agamus hic de eius ad Episcopatum promotione, quæ sic se habuit, prout in ijsdem ipsius rebus gestis narratur:

[c] *Extant apud Sur. die 8. Maij.*

PIPINI HVMILITAS, CVM SVA CONFITERETVR PECCATA.

Erat eius insulæ consuetudo, *nempe Scotiæ*, vt primo eligerent incolæ Episcopum, deinde electum Romam mitterent, Summi Pontificis manibus consecrandum, atque ita demum rediturum ad sedem suam. Itaque licet multum refragaretur sanctus Vuiro, non tamen a sua sententia discessit plebs fidelis, sed etiam inuitum illum eligens, compu-
E lit tandem assentiri. At ille hac occasione nactus opportunitatem e patria emigrandi, piæ peregrinationis amore, vrgentis populi ad tempus cessit voluntati, licet coram Deo longe alia esset animi eius intentio, quæ tandem etiam non est voto frustrata suo. Abit igitur Romam non terrenæ dignitatis ambitione, sed diu cupitæ peregrinationis desiderio impulsus. Comes autem illi & itineris & voti accedit Plechelmus sacerdos virtute venerabilis, nec ætate maior, nec meritis multo minor. Erat ambobus cor vnum & anima vna in omnibus. Cum autem per Angliam iter facerent, diuinitus illis adiunctus est Otgerus Leuita, qui præ feruenti cælestis patriæ desiderio terrena contemnens, beato viro adhæsit.

DE S. VVIRONE EPISCOPO.

Tum vero iter optatum securius vir sanctus cum socijs prosequens, Christo duce, prospero cursu mare emensus, tandem Romam peruenit: vbi beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli limina labris tres illi premunt, pauimentum lacrymis rigant, precibus & votis

altaria cumulant, & in cælum preces transmittunt, loca sancta crebro inuisunt. A
Nec despicit Christus gemitus seruorum suorum: quod quærunt, diuinitus illis non negatur. Vbi autem Romanus Pontifex eos aduenisse cognouit, beatum Vuironem ad se accitiuit. Ille vero sine dilatione cum socijs ad Pontificem accessit. Intuitus autem illum Pontifex, ex vultu animum eius cognouit, moxq. in eius ruens amplexus, osculatus est eum non sine lacrymis. Deinde oblata colloquendi opportunitate, Pontifex nomen & patriam animiq. propositum ex illo percontatus est. Ille vero osor falsi, tenaxq. veri, primo exposuit causam aduentus sui, & cur a suæ regionis hominibus eo missus sit: deinde animi sui votum tantæ sanctitatis Pontifici expromens, eius pedibus aduolutus, quanta potest instantia petit, vt suum velit præbere assensum, *nempe vt liberum esse sineret*. At Pontifex nihil motus eius precibus, populo Dei potius consulere voluit, B
& eius electioni suffragari. Inuitum igitur, diuq. reluctantem, Episcopum illum ordinat, eumdem honorem etiam impertiens Plechelmo sancti viri socio: amboſq. complexus, multis auctos muneribus remisit in patriam, sua auctoritate præcipiens beato Vuironi, ne se vlli peregrinationi daret, donec esset reuersus ad suos.] hucusque de ordinatione Vuironis auctor, qui de reliquis sancti viri præclaris rebus gestis pergit narrare historiam.

DE ARNVLFO EPISC. METENSI EREMVM PETENTE.

Sed reuocat nos temporis ratio ad Dagobertum Regem, cuius regni exordio sanctus Arnulfus Metensis Episcopus, qui eum educauerat, de quo superius dictum est, nonnisi diuinitus inspiratus, quod Regi se non fore proficuum amplius præuidisset, eremum petijt. Rem gestam ita a Iona Abbate huius sæculi scriptore narratam audi: Defuncto itaque Clothario Rege, cum adhuc beatus Arnulfus Episcopus eodem desiderio quo prius, conuersandi videlicet in eremo, flagraret, & iterum atque C
iterum a Dagoberto Principe, quem ipse diligentissime nutrierat, licentiam huius rei postularet: instinctu diaboli commotus aduersus eum Rex, cum ei die quadam nimis importunus in petendo fuisset, arrepto mucrone voluit eum sauciatum a se remouere. Tunc ille paruipendens iram morituri Regis, constanter dixit: Quid agis, miser? mala pro bonis mihi rependere vis? Nunc autem, quandoquidem ita placet, sæuias in me quantum velis: ego pro illius amore mori non dubito, qui mihi vitam dedit, & pro me mortuus est. Hæc eo dicente, cum vnus astantium procerum blandis verbis redargueret temeritatem Regis, sedatus est furor ipsius, & mediante gratia Dei, caruit effectu sceleratus affectus. Interea superueniente Regina, vt audiuit commotionem qua contra virum Dei sine causa incanduerat, prostrauit se vna cum Rege pedibus eius, & vt sui misereretur remittendo illatam iniuriam, cum lacrymis D
postulauere, dicentes: Perge domine ad eremum, sicut desideras: tantum te placatum habeamus, quem iniuste offendimus.]

Dum igitur cogeretur sanctus Episcopus in curia iugiter permanere, nec inde recedere sineretur, consulto numine & responso accepto, vt quod animo conceperat, conficeret: de successore viro dignissimo diuinitus pariter certior redditus, se contulit in solitudinem, vbi ad obitum vsque permansit miraculis illustratus. Successor ei datus est Gortricus, vir quidem sanctitate mirandus. At de rebus Francorum hactenus; reliqua suis locis. Subijcit hæc his Aimoinus: Post discessum præfati Antistitis Arnulfi, consilijs iam dicti Pipini & Chuniberti vrbis Coloniæ Præsulis obaudiens, suggerentibus eis, æquitati ac iustitiæ operam dabat.]

Vsus est etiam familiarissime Dagobertus sancto Eligio viro admirandæ sanctitatis & E
virtutum merito insigni, qui ex auri fabro factus est postea Episcopus Nouiomensis, toto orbe miraculorum fulgore coruscus, cuius res gestas [a] copiosissime scripsit eius æqualis sanctus Audoenus Episcopus Rothomagensis. dicendum de eo inferius. Sed & idem Rex inuisit sanctum Richarium presbyterum, excepitq. eum mensa, a quo multa ad salutem animæ spectantia audiuit, atque profecit. Sed de his pluribus Albinus Flaccus [b], qui vitam eiusdem viri sanctissimi scripsit ad Carolum Magnum Imperatorem.

[a] *Apud Sur. die 1. Decemb.*

[b] *Apud Sur. die 26. April. to. 2.*

Contigit hoc eodem Redemptoris anno ex hac vita migrare in Gallijs S. Allouuinum, cognomento Bauonem, vt Theodoricus Abbas S. Trudonis, qui res tanti viri præclare gestas scriptis tradidit [c], affirmat. De quo hæc breuiter tãquam epitaphiũ accipe: Patrem hic habuit Agilulphũ Hasbaniæ Comitem fratrem patruelem Carlomanni senioris, cuius filius fuit Pipinus a Lauda, quem primum vocant Brabantiæ Ducem. Deinde contẽptis opibus,

[c] *Apud Sur. die 1. Oct. et Molan. in Nat. SS. Belg. ead. die.*

DE S. BAVONE.

atque

A atque a B. Amando Tungrorū Episcopo Christi gloriam plenius edoctus, soli Christo militare statuit: pecunias & reliquas opes in pauperes distribuit. Eodemq. S. Amando promotore, Gandæ monasterium in honorem S. Petri construxit, egregieq. dotauit, quod ab eo postea denominatum est. In quo monasterio tonsura clericali insignitus, ibi diu vitam sanctissime duxit: ac deinde in cellula veluti sepulchro se claudens, vbi exegisset in mira vitæ austeritate biennium, hoc anno ex hac vita recessit, a conuersione sua anno quadragesimo, diebus minus tribus. Huius imitatione Gertrudis & Begga Pipini filiæ sese puriori vitæ addixerunt; multiq. principes viri feminæq. ipsius exemplum secuti, sanctimoniæ laudem apud posteros meruerunt. Quantus, quamq. magni nominis fuerit, non solum miracula patefecerunt, quodq. multæ ecclesiæ ab eo extructæ fuerint; sed etiam quod viri celeberrimi eum religiose visitarint. Siquidem sanctus Amandus, ma-
B gnus ille Flandrorum Apostolus, noluit abesse, cum ex hac vita migraret. Domlinus religiosissimus presbyter ex Turolto angelico ducatu aduenit, vt ante mortem ei sacræ Eucharistiæ viaticum traderet. Beatus Liuinus Archiepiscopus & martyr in Flandriam aduenies, triginta diebus super eius sepulchrum Missarum solemnia celebrauit, & cum conuertendis infidelibus operam dabat, Florberto Abbati in eius memoriam elegiacum carmen transmisit. Sed & sanctus Eligius Episcopus non modo eiusdem sancti reliquias visitauit, verum etiam e terra honorifice leuauit Kalendis Augusti.] hæc de ipso hactenus.

S. BAVONIS EXEMPLO MVLTI NOBILES AD PIETATEM EXCITATI.

IESV CHRISTI ANNVS 632. HONORII PAP. ANNVS 7. HERACLII IMP. ANNVS 23.

C SEquitur annus Redemptoris sexcentesimus trigesimus secundus, Indictione quinta, quo cœpta sunt tetra funera Orientalis Imperij, cum videlicet sub Mahometis successore Eububezer Arabes Sarraceni inuadentes Gazensem regionem, eam deprædati sunt, occiso Præside Palæstinæ vna cum suis, quos aduersus eos dimicaturus adduxerat. Quo tempore & signa in cælo visa sunt minitantis iræ Dei, eiusdemq. pro Sarracenis pugnantis aduersus desertores Catholicæ veritatis. Nam de his Theophanes hæc habet: Apparuisse ferunt in meridie cometem gladij formam præseferentem, Arabum (vt euenta
D declararunt) inualescens imperium demonstrantem.] Factum est enim secundum illud Ezechielis[a]: Mucro, mucro, euagina te ad occidendum: lima te, vt interficias & fulgeas.] ita inquam factum esse, quæ sunt secuta docuerunt: adeo vt necdum, peccatis id nostris exigentibus, idem gladius iussus sit in vagina recondi, secundum quod apud eumdem prophetam mox sequitur: Reuertere ad vaginam tuam: in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te.] Non solum autem id non factum, sed accessione aliarum barbararum gentium magis ad cædendum inualuit, vt quæ annis ferme singulis vsque ad præsens nostræ ætatis sæculum dicenda erunt, perspicue declarabunt. Sed magna vindicta diuinæ iustitiæ factum est, vt ibi magis eiusmodi clades Orientale Imperium sit depasta, vbi tum hæresum tum schismatum frequentes scaturigines erumpen-
E tes, quasi sulphurei amnes, materiam igni diuinæ indignationis assidue ministrarunt, vt semper esset quod Deus puniendum inueniret, dum eadem non desinerent manare peccata.

ARABES SARRACENI DEPRAEDATI GAZENSES.

a Ezech. 21.

Eodem pariter anno, cū totius pene Galliæ monarchiam Dagobertus Rex obtineret, nec aliquem haberet ex se filium: vt prolem accipere posset, illicita prorsus atque nefanda tentauit. Sed qui ex tenebris splendescere facit lumen suum, ex malis Deus bonū elicuit: siquidem eiusmodi occasione fides Christiana apud barbaros adhuc Gentiles propagatur per S. Amandum Episcopum Traiectensem, cum ab eodem Dagoberto Rege in exilium eiectus esset. Rem gestam petimus ab Hugbaldo monacho in rebus gestis[b] sanctæ Rictrudis scriptis omni fide ad Stephanum Episcopum Cameracensem, cum dicturus de Amandi exilio, ista præmittit: Habuit autem Dagobertus Rex fratrem Aribertum, non tamen germanum. Ei attribuit vrbes & pagos citra Ligerim flumen, & vsque ad Pyrenæos saltus;

b Habet Sur. die 12. Maij.

sapienti videlicet vsus consilio, pactusq. ab eo, ne quid vmquam paterni regni ab ipso repeteret. Itaque Aribertus Tolosanam obtinens sedem, cum in Aquitania regnaret, non diu post totam Vasconiam sibi subiecit. At Dagobertus in administrando regno præclarus, vni vitio subiacuit, immodico deditus amori mulierum. Vnde accidit, vt legitima coniuge sua ob sterilitatem repudiata, alteram sibi copularit.] At qualemnam? Aimoinus hæc habet[a]: Dagobertus *(hoc scilicet sui regni initio)* Romuliaco villa constitutus, Gomatrudem Reginam, nouercæ suæ Sichildis germanam; eo quod esset sterilis, consilio quorumdam Francorum relinquens, Nantildem quamdam puellam a monasterio raptam, in matrimonium sibi iunxit.] Pergit vero Hugbaldus: Cumq. id flagitium in eo Pontifices, in primis autem vir sanctissimus & mirabilium operum patrator Præsul Amandus reprehenderet: ille indignatione & fastu regio incitatus, eumdem venerabilem Antistitem non absque iniuria e suo regno eiecit. Ille vero pro Christi veritate persecutionem patientissime ferens, quippe qui etiam sanguinem pro Christo fundere peroptaret, diuersis in locis diuini verbi sparsit semina, atque tandem etiam in Vasconiam Rictrudis patriam peruenit, vt cælitus infuso sibi lumine eius regionis gentem illustraret, simul sperans ob gentis eius sæuitiam posse se illic martyrij palmam promereri.] hæc de exilio & propagatione fidei in Vasconia auctor. Sic autem perseueraſſe Regem vsque ad sui regni octauum annum, quæ suo loco dicentur, ostendent.

DAGOBERTVS OBSCOENVS ATQVE SACRILEGVS.

a Aimoin. lib. 4. c. 19.

Sed prosequamur noui Apostoli prædicantis Dei verbum & ad fidem Gentiles conuertentis vestigia. Res siquidem ab eo gestas Baudemundus eiusdem sæculi auctor conscripsit[b]: qui vbi sanctissimi viri ad limina Apostolorum iteratam recensuit peregrinationem, hæc de eius Apostolica functione in ministerio verbi recenset: Per idem autem tempus, cum loca vel diœceses ob animarum solicitudinem vir Domini circumiret Amandus, audiuit pagum esse quemdam iuxta fluenta Scaldis fluuij, cui vocabulum est Gandauum: cuius loci habitatores antiqua diaboli versutia vsque adeo circumquaque laqueis vehementer irretiuit, vt incolæ terræ illius, relicto Deo, arbores & ligna pro Deo colerent, atque vana idola adorarent. Propter ferocitatem enim gentis illius, vel ob terræ infœcunditatem, omnes sacerdotes a prædicatione loci illius se subtraxerant, & nemo audebat in eodem loco verbum annunciare Domini. Quo audito, vir sanctus magis eorum miseratus errorem, quam de vitæ suæ periculo pertimescens, Aicharium Episcopum, qui tunc Nouiomensis vrbis cathedræ præsidebat sacerdotali, adijt, eumq. humiliter postulauit, vt ad Regem Dagobertum quantocyus pergeret, epistolasq. illius iussu acciperet, vt si quis se non sponte per baptismi lauacrum regenerare voluisset, coactus a Rege, sacro ablueretur baptismate.] Ita visum sancto, non vt ea vteretur potestate, qua numquam est vsus, sed ne munitum regio diplomate Antistitem accolæ penitus auersari & abijcere possent. Sed pergit:

b Apud Sur. die 6. Febr.

S. AMANDVS PRAEDICAT GENTILIBVS.

Quod ita factum est. Percepta namque a Rege potestate, & benedictione a Pontifice, illuc vir Domini Amandus perrexit intrepide. Vix autem quis digne narrare sufficiet, quantas ibidem pro Christi nomine perpessus sit iniurias, & quam frequenter ab incolis loci illius cæsus sit, necnon a mulieribus & a rusticis non absque iniuria sit repulsus, verum etiam & in flumen sæpe præcipitatus. Quæ omnia vir sanctus pro nihilo deputans, verbum Domini non destitit prædicare, memorans illam sancti Euangelij sententiam, quæ ait[c]: Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Comites autem illius, qui eum fuerant germana charitate secuti, ob inediam & sterilitatem loci ad propria remeantes, eum ibidem solum reliquerunt. Ipse vero in prædicationis permanens officio, alimentum proprijs quærebat manibus. Sane captiuos innumeros redimens, sacro baptismate emundabat, & vt in bonis operibus persisterent, fideliter hortabatur.] Quodnam autem inter hæc insigne miraculum interceſſerit, cuius causa maxima ex Gentilitate facta est ad fidem Christianam accessio, auctor ita mox subdit:

S. AMANDI LABORES IN PRAEDICATIONE FIDEI.

c Ioan. 15.

Illud etiam huic schedulæ adnectendum putauimus, quod viro venerabili presbytero, nomine Bono, narrante didicimus, qui testabatur se præsentem fuisse, quando hæc gesta res est. Aiebat namque, quod Comes quidam ex genere Francorum, cognomine Dotto, congregata non minima multitudine Francorum, in vrbe Tornaco (vt erat illi iniunctum) ad dirimendas resideret actiones. Tum subito a lictoribus præsentatus est ante eum quidam reus, quem omnis turba acclamabat dignum esse morte. Erat vero idem fur plagis

INGENS MIRACVLVM.

A gis iam crudeliter affectus, vehementerq. cæsus, & toto corpore nonnisi semiuiuus. Cumq. præfatus Dotto decreuisset, vt eum patibulo deberent affigere: vir Domini Amandus adueniens, obnixa prece postulare cœpit, vt ei vitam concedere dignaretur. Sed vt erat sæuus atque omni bellua crudelior, nihil apud eum Amandus obtinere potuit. Tandemq. a ministris vel apparitoribus idem fur affixus patibulo est, atque extremum exhalauit spiritum. Dotto igitur domum reuersus est, populi constipatus caterua.

Sanctus vero vir Domini Amandus citius ad patibulum cucurrit, hominemq. iam mortuum inuenit, depositumq. de ligno, ad cubiculum, in quo familiariter orare consueuerat, deferri fecit: fratribusq. e cellula egressis, ipse per membra defuncti orationibus tam diu incubuit, lacrymis ad Dominum perfusis ac precibus, donec iubente Deo, anima in corpus redijt, atque cum viro Dei loqui cœpit. Adueniente itaque matutinali tempore, B conuocatis fratribus, aquam iussit afferri. Suspicantibus autem illis, quod corpus ad sepeliendum (sicut mos est) vellet abluere, subito cellulam ingressi, viderunt eumdem hominem, quem mortuum reliquerant, sanum cum viro Dei sedentem, atque incolumem colloquentem: mirariq. vehementer cœperunt, quod viuum videbant, quem paulo ante mortuum reliquerant. Tunc igitur sanctus vir Domini Amandus assistentes cunctos vehementissime obtestari cœpit, ne cuiquam proderent hoc, quod per eum Dominus operari dignatus est; asserens non suæ hoc esse adscribendum virtuti, sed misericordiæ Domini, qui in se sperantibus vbique dignatur adesse. Loto itaque omni corpore & cicatricibus, carnem carni restituit; ita vt de plagis, quas ante pertulerat, in eius corpore nullum indicium appareret. Sicq. eum ad propriam remittens domum, parentibus restituit incolumem.

AMANDVS EXCITAT DEFVNCTVM.

C Hoc vbi miraculum longe lateq. diuulgatum est, statim incolæ regionis illius cursu celeri ad eum cucurrerunt, & vt eos faceret Christianos, humiliter postulabant. Fana etiam quæ ante adorare consueuerant, proprijs destruentes manibus, ad virum Dei omnes vnanimiter peruenerunt. Nam vbi fana destruebant, vir Domini Amandus tam ex munificentia Regis, quam ex collatione religiosorum virorum, religiosarumq. feminarum statim monasteria aut ecclesias constituebat: verbiq. sacri pabulo populum reficiens, omnium corda mandatis cælestibus illuminabat. Cum iam vir sanctus videret prædicatione sua quosdam ad Deum conuerti, ex hoc maiori æstuabat desiderio, quatenus adhuc alij conuerterentur. Audierat denique, quod Sclaui nimio errore decepti, a diaboli laqueis tenerentur oppressi. Illeq. martyrij palmam se assequi posse confidens, transfretato Danubio, eadem circumiens loca, libera voce Euangelium Christi Gentibus prædicabat. D Paucis vero ex eis in Christo regeneratis, videns etiam sibi non satis accrescere fructum, & martyrium quod semper quærebat, nondum se adepturum, ad proprias iterum reuersus est oues, curamq. gerens earum, ad cælestia regna prædicando perduxit.] hæc Amandus vsque ad tempus quo reuocatus est a Dagoberto. Quomodo autem idem Princeps facti pœnitens in gratiam receperit virum sanctum, suo loco dicturi sumus. Sed hactenus de rebus Gallicanis, & accessione facta Ecclesiæ ex Gentibus per eumdem sanctum Amandum Apostolicum virum.

CHRISTIANA FIDES PROPAGATVR.

PRAEDICAT EVANGELIVM SCLAVIS.

IESV CHRISTI ANNVS 633. HONORII PAP. ANNVS 8. HERACLII IMP. ANNVS 24.

E CHristi Redemptoris annus sexcentesimus trigesimustertius, Indictione sexta, tum Romano Imperio, tum Ecclesiæ Catholicæ funestissimus extitit: quo cum decessisset primus Mahometis successor Eububezer, siue Abubachar, Haumarus in locum eius suffectus, statim Arabiam versus ducens exercitum, Bostrensem ciuitatem vi cepit, alijsq. locis potitus est, occurrentemq. sibi Theodorum fratrem Imperatoris cum exercitu vicit: adeo vt in desperationem coniectus Imperator, despondens animum, Syriam derelinquens, in locum tutum se receperit Constantinopolim. Hæc autem summatim collecta, ita descripta narrantur [a]: Moritur Abubachar, cum Amiras (id est Imperij nomen) fuisset annos duos & semis. Successit Haumarus. Hic Bostram aliasq. vrbes cepit, & vsque Gabetam progressus est. Cum hoc prœlio commisso, Theodorus Heraclij frater victus ad Imperatorem

[a] *Theophan. & Cedren. hoc an. 24. Heraclij.*

* Habanem

torem Edeſſæ tum agentem venit. Imperator copijs Bahanem * eius loco præfecit. Theodorum porro Sacellarium cum exercitu Romano aduerſus Arabes mittit. Et cum Emeſam veniſſet, occurrit Amiras cum multitudine Sarracenorum, caſtraq. locat ad Bardaniſium flumen. Itaque Heraclius, rebus deſperatis, Syriam deſerit, ſublatisq. Hieroſolymis venerabilibus lignis, Conſtantinopolim abijt: Bahanem vero a Damaſco Emeſam diuertere iubet, ſimul & Theodorum Sacellarium cum exercitu quadraginta millium.] Quomodo autem Romani ab eis ſæpe victi fuere, dicemus annis ſequentibus. Cauſa vero aſportandi ſacrum Crucis lignum Hieroſolyma, illa interceſſiſſe videtur potiſſima, quod haud falſus coniector extitit Imperator, Arabes dominaturos locis illis atque alijs. Hæc ſunt quæ ad cladem Romani Imperij ſpectant. A

S. CRVCIS LIGNVM TRANSLATVM CONSTANTINOPOLIM.

Quo autem cultu & veneratione ſanctiſſimum Crucis lignum Hieroſolyma Conſtantinopolim tranſlatum habitum ſit, audi Bedam in libello de locis ſanctis, cum agit de Conſtantinopolitana ciuitate [a]: Interior domus, *baſilicæ videlicet S. Sophiæ*, in Aquilonari ſui parte grande & valde pulchrum armarium habet, in quo capſa lignea, ligneoq. operculo tecta Crucis Dominicæ tres particulas continet, longum videlicet lignum in duas partes inciſum, tranſuerſum eiuſdem ſanctæ Crucis lignum. Hæc tribus tantum per annum diebus, hoc eſt, Cœna Domini, in Paraſceue, & in Sabbato ſancto, populis adoranda profertur. Quarum prima capſa illa ſuper altare aureum duos cubitos altitudinis & vnum latitudinis habens, cum Cruce ſancta patefacta componitur. Accedensq. primus Imperator, deinde cunctus per ordinem laicorum gradus ſanctam Crucem adorat & oſculatur: ſequenti die Imperatrix & omnes matronæ vel virgines idem faciunt: tertia nihilominus die Epiſcopi & cuncti clericorum gradus idem faciunt, & ſic capſa recluſa in armarium reportatur. Quamdiu autem ſuper altare manet aperta, totam eccleſiam mirus odor perfundit. De nodis enim ligni ſancti liquor odorifer oleo ſimilis profluit, cuius ſi etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem ſanat.] hucuſque Beda. Quod ad oleum S. Crucis ſpectat, hic meminiſſe oportet, quæ de eodem dicta ſunt ſuperius ex S. Gregorij Papæ ſcriptis. B C

a Bed. de loc. ſanct. c. 20.

S. CRVCIS CVLTVS.

Quod vero pertinet ad mala quibus Catholica Eccleſia hoc anno ſextæ Indictionis mirum in modum exagitata eſt: hic principium ponitur hæreſis Monotelitarum: nam Maximus in diſputatione cum Theodoſio hæc ait: Scitis enim factas innouationes a ſexta Indictione præteriti circuli, quæ ab Alexandria inceperunt per expoſitionem nouem capitulorum a Cyro, qui neſcio quomodo ibi Præſul fuit: quæ confirmata ſunt a throno Conſtantinopolis.] hæc ipſe. Id ipſum Acta Sextæ Synodi docent, nempe ſub nomine pacis Cyrum Alexandrinum Epiſcopum, collecta Alexandriæ Synodo menſe Maio, Monotelitarum hæreſi aperuiſſe viam eo ſimulato prætextu, quod hæreticos omnes in Aegypto poſitos Eccleſiæ Catholicæ iungere poſſet, ſi duarum voluntatum & operationum voces ſilentio ſupprimeret; ſatis eſſe dicens, ſi in Chriſto tantum Deiuirilis voluntas & operatio diceretur, ex qua duarum in Chriſto naturarum exacta profeſſio ederetur, eo quod etſi non voces, res ipſæ tamen expreſſæ haberentur. Res viſa eſt ſpeciem præſeferens pietatis & charitatis, ſi (vt dicebant) abſque detrimento Catholicæ fidei, voces interdum tacerentur, quibus diſcordiæ nutrirentur: verum dolo malo cuncta tunc acta eſſe, exitus declarauit. Quod autem ad tempus ſpectat, & Synodi cogendæ cauſam, hæc habet decretum eiuſdem Synodi, ſiue (vt inſcribitur) ſatisfactio, ſuo ipſius exordio, verbis iſtis [b]: D

CONCILIVM ALEXAND. A CYRO MONOTELITA COACTVM.

b Sex. Synod. Act. 13.

Domino Chriſto vero Deo noſtro omnibus perfulgenti, omnesq. ad ſaluberrimam & veram eius fidem dirigenti, & in vnam eamdemq. ſanctam ſuam Eccleſiam conuocanti, præſentem ſatisfactionem facimus pro vnitate ſanctarum Dei Eccleſiarum, menſis Maij quarta die, Indictione ſexta. Satisfactio facta a Cyro miſericordia Dei Epiſcopo per diuinam ſanctionem benigniſſimorum atque triumphatorum dominorum noſtrorum, locum exhibente Apoſtolicæ ſedis huius Alexandrinæ Epiſcopo amabilis ciuitatis, &c.] Quale autem fuerit eiuſmodi decretum, ſatis dictum eſt ſuperius. Porro in ea Cyri Epiſcopi ſatisfactione nouem ſunt ſcripta capita, quibus Monotelitarum hæreſis comprobatur. recitata illa habentur in dicta Synodo Alexandrina, miſſa vero ad eum qui ea extorquebat, Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ad quem etiam has litteras dedit adulatione plenas, quæ ex nimis rudi tranſlatione facta ſatis obſcuræ atque perplexæ in hæc verba redduntur [c]: E

CYRI EPISC. ALEXAN. DECRETVM.

c Sext. Synod. Act. 13.

Proprio

A Proprio domino ac per omnia honorando atque ter beatissimo, benigno pastorum pastori, Patri patrum, vniuersali Patriarchæ Sergio, Cyrus humilis seruus vester.

Fœcunditatem & iterum spiritalem fructificationẽ per Deo acceptabiles orationes beatitudinis Deo amabilis domini mei, quæ cucurrit doctrinis pijssimorũ ac conseruandorum & veraciter Christo amabilium dominorũ nostrorum, & nunc promereor ter beatissimo meo domino primitias suggerere. Notum enim facio, quod omnes qui dicuntur dogmatis Theodosianorum circa hanc Alexandrinorum Christo amabilem ciuitatem clerici, vna cum ijs qui in dignitatibus & militibus clarent, insuper & qui ex plebe sunt in militibus constituti, per tertiam Iunij mensis adunati sanctæ nostræ Catholicæ Dei Ecclesiæ, intemerabilia nobiscum Dei mysteria perceperunt, ad hoc adducti, præuiante profecto beneplacito omnipotentis Dei consilio, per collatam mihi doctrinam tam a pijssimis & B inuictissimis nostris dominis, quamq. a Deo inspirata domini mei sanctitate, vt per hoc stabiliretur secundum quod scriptum est [a]: In frequentationibus dies festus vsque ad cornu altaris. *a Psal. 117.*

EPISTOLA CYRI EPI SC. ALEX. AD SERGIVM CONST.

Si autem oportet veraciter dicere, non in confrequentationibus tantum, neque vsque ad cornu altaris, sed etiam in omnem Alexandrinorum Christo amabilem ciuitatem eiusq. confinia vsque ad nubes ipsas & vltra hæc cælestibus officijs in pacem sanctarum Ecclesiarum, & in his qui ad eamdem conuertuntur, lætantibus. Qualiter autem hæc adunatio assecuta est, subtiliter, præsumens, suggessi pijssimis auribus inuictissimorum ac serenissimorum nostrorum dominorum per confamulum meum Ioannem Deo amabilem diaconum, qui affuit omnibus quæ mota sunt. Et certus sum, quia & in hoc acceptat vltimum suum famulum sanctissimus meus dominus. Quæso namque ter beatissimum C meum dominum, quatenus cognitionem omnium faciens, si quid mihi in tali motione forsitan defuit, aut per ignorantiam de competentibus frustratus sum, emendare exiguum suum famulum dignetur. Opus enim hoc Deo honorabilium vestrorum est, qui omnibus diuinis Scripturis decoramini & desuper perficimini.] hucusque ad Sergium Cyrus ex Synodo Alexandrina, in qua quidem non ita vna operatio, siue vna voluntas in Christo prædicata est, vt statim in ipsum veluti hæreticum declamari potuisset: nam qui de his tunc confectus est canon septimus, ita se habet [b]: *b Sext. Synod. Act. 13.*

Si quis vnum D. N. Iesum Christum in duabus considerari dicens naturis, non eumdem vnum de Trinitate confiteatur, sempiterne quidem ex Patre genitum Deum Verbum; nouissimis autem sæculi temporibus eumdem incarnatum atque genitum ex sanctissima & intemerata domina nostra Dei genitrice semperq. virgine Maria, sed alterum hunc no- D scit & alterum, & non vnum eumdemq. secundum sapientissimum Cyrillum in Deitate perfectum & in humanitate eumdem perfectum, ex hocq. solo in duabus contemplandum naturis eumdem passum & non passum secundum aliud & aliud, sicut idem sanctus Cyrillus ait: & patientem quidem humanitus carne secundum quod homo est, permanentem vero impassibilem vt Deum in passionibus propriæ carnis, eumdemq. vnum Christum & Filium operantem Deo decibilia & humana vna Deiuirili operatione, secundum S. Dionysium, sola contemplatione discernens ea ex quibus vnitio facta est. Hæc intellectu considerans, inconuertibilia & inconfusa post eorum naturalem & secundum subsistentiam vnitionem manentia, in his quæ indiuise atque inseparabiliter vnum eumdemq. Christum & Filium recognoscens, iuxta quod duo ad inuicem inconfuse conuenientia considerat intellectu causatiuam eorum contemplationem, & non phantasiam mendacium, atque inani- E bus mentis figmentis, nullatenus vero diuiungit, quasi perempta iam illa, quæ in duo est, sectione, propter ineffabilem & inconfusam & inexcogitabilem vnitionem, dicens secundum sanctum Athanasium: Simul enim caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis: sed ad diuisionem per partes huiusmodi assumit vocem: anathema sit.]

Huic autem capiti aduersatum esse Sophroniũ Episcopum Hierosolymorũ, egisseq. apud Sergiũ, vt huiusmodi tolleretur doctrina ex alijs decretis Synodalibus, testatur Sexta Synodus Actione decimatertia. Sed excidit ea Sophronij de his epistola ad Sergium: extat tantum illa, quã vbi creatus est Episcopus, ex Synodo emittens professionem fidei, scripsit hoc item anno ad eumdem Constantinopolitanum Episcopum. Ceterũ qui rem bona fide agi putarunt, hoc ipso exordio emergentis hæresis Monotelitarum, vtcunque toleranda hæc existimarunt ea ex parte, qua vnã operationem referre ipsi viderentur ad vnam per-

sonam

ſonam: nam ſaluas proprietates duarum naturarum in Chriſto eoſdem eſſe voluiſſe, ipſi A
profeſſi ſunt, vt qui interfuerunt Sextæ Synodo declararunt, cum duas naturas aſſe-
ruerunt in Chriſto vnitas (vt Catholici docent) inconfuſe & indiuiſe, inconuerti-
biliter & immutabiliter: quibus aſſertis, haud doloſe hæc agi putarunt: nam & Sophro-
nius in dicta quæ reperitur epiſtola Synodali ad Honorium ſiue Sergium, æque & ipſe
ſecundum vnam perſonam in Chriſto, vnam dicendam eſſe operationem putauit, cum
non duo ſint Chriſti, ſed vnus; ſed & vocem Deiuirilis operationis æque ipſe iden-
tidem profitetur. hæc inquam tolerata ſunt, donec latere in herbis anguem Catho-
lici intellexerunt: tunc enim ſibi cautius agendum eſſe ſenſerunt, vt patet ex ijs quæ di-
centur ex Maximo.

SOPHRONIVS ADVERSATVR CYRO ALEXANDRINO.

Iſtæc igitur Cyro Alexandriæ conanti de vna voluntate & operatione, aduerſatus eſt
primũ ſummopere idem Sophronius, vtpote probe ſciens hæreticos ea moliri ad deſtructio- B
nem Catholicæ veritatis, quantumlibet aliquam pietatis ſpeciem præſeferrent, cum non
laterent ipſum eorum doli atque fallaciæ pacis inuolucro tectæ. Scripſit enim (vt dictum
eſt) ad Sergium, vt illud de vnica operatione capitulum Synodi Alexandrinæ deleretur.
immo & Conſtantinopolim ea de cauſa ad eumdem Sergium profectus eſt, vt Sergius ipſe
teſtatur in epiſtola ad Honorium Papam. Sed & alias etiam ad Sergium ipſum addidit lit-

SOPHRONIVS EPISC. HIEROSOL.

teras idem Sophronius, vbi hoc item anno defuncto Modeſto ſancto Patriarcha Hieroſo-
lymitano, ipſe ſubrogatus eſt in eius locum. Hæc quidem conſtant ex epiſtola hoc
anno ab ipſo ſcripta, quam hic tibi modo ex parte ſaltem reddituri ſumus, non quidem
ex ea quæ Latine reddita habetur in Sexta Synodo, vitio imperiti tranſlatoris obſi-
ta ſolœciſmis & barbariſmis obſcurior reddita, ſed ex verſione doctiſſimi Turriani. De
qua etiam illud monendum putamus, eamdem epiſtolam, quæ in Actis Sextæ Synodi ha- C
betur ad Sergium data, reperiri in Græco codice ad Honorium Papam inſcriptam, &
ita etiam ſæpe citatam. Vt plane in eam ſententiam libentius ierim, encyclicam eam
fuiſſe ab ipſo Sophronio ſcriptam veluti fidei ſuæ confeſſionem, vbi hoc anno creatus eſt
Hieroſolymorum Epiſcopus, miſſamq. ab eo ex more tum Romam ad Honorium Papam,
tum vero ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vt huiuſmodi quæ in Actis Sex-
tæ Synodi reperitur inſcriptio præſefert:

Domino in omnibus ſanctiſſimo & beato fratri comminiſtro Sergio Archiepiſcopo & Pa-
triarchæ Conſtantinopoleos, Sophronius ſeruus inutilis ſanctæ Chriſti Dei noſtri ciuitatis.

EPISTOLA SOPHRONII EPISC. HIEROS.

Quam mihi nunc, beatiſſime Papa, optabilis eſt requies & tranquillitas, & multo quam
prius optabilior, ex quo a quiete a curis vacua in turbam negotiorum veni, & terrenis
quibuſdam fluctibus alluor.] hæc ipſe quidem, quod ex ſilentio monaſtico ad Epiſcopa- D
tum adductus eſſet. Sed pergit: Quam mihi dulcis eſt nunc exiguitas, ac etiam non paulo
quam antea dulcior, ex quo ab ſtercore & terra, & multa ac maiori quam dici poſſit hu-
militate ad ſedem Pontificiam aſcendi: & magnam procellam video, & cum procella
coniunctum periculum. Non enim quæ iucundiſſima ſunt, ante experientiam eorum quæ
triſtia ſunt, ita iucunda eſſe perſpiciuntur, ſicut poſt experimentum & incurſum eorum
quæ ſunt aſpera & aduerſa, ſuauia eſſe peruidentur. Sic valetudo valde iucunda eſt ijs,
qui poſt valetudinem ægrotant. Sic tranquillitas ijs, qui poſt tranquillitatem tempeſta-
te iactati ſunt, lætiſſima eſt. Sic diuitiæ ijs, qui poſt diuitias egentes fuerunt, gratiores
ſunt. Omnia denique ad hunc modum ſe habere videmus: eſſe quidem & manere in na-
turali & ſubſtantiali qualitate, qualia ante periclitationem contrariorum eſſe videban-
tur, poſt cognitionem vero contrariorum accommodiora, & ijs qui ea ſuſtinuerunt, ma- E
ioris æſtimationis, immo optabiliora & ſuauiora.] hæc ipſe pluribus, dum reuocat in me-
moriam eremi ſilentium & cellæ quietem. Quibus & de ſua electione iſta ſubnectit:

Cum hæc igitur ſic ſint, & adhuc acerbiora, & mihi miſerrimo neceſſitas ingens ac
vis a clericis & reuerendis monachis & fidelibus laicis vniuerſis ſanctæ ciuitatis Chriſti
Dei noſtri, manu & violentia me cogentibus, neſcio quibus iudicijs impoſita ſit: quæ-
ſo vos ſanctiſſimos & hortor, vt non ſolum puris & caſtis apud Deum precibus mihi vi-
tam in mari agenti & in periculis verſanti opem feratis, & paruo animo labantem con-
firmetis, ſed doctrinis diuinis ad res agendas inſtituatis, tum vt parentes & genitores,
tum vt fratres & conſanguinei. Concedite igitur vos mihi paterne & fraterne, quæ
iure poſtulo. Ego etiam veſtras ſequar inſtitutiones, & veſtram mecum coniunctio-
nem lucrabor, qua fides idem ſentientes colligat, ſpes recte ſentientes copulat, &

charitas

A charitas eos, qui cum Deo sentiunt, coniungit: quorum funiculus vnus, triplex ex his scilicet virtutibus factus, neque dissolui potest, neque rumpi, neque separationem pati; quin potius vere indissolubilis est, in vnam pietatem eos, qui hoc funiculo connexi sunt, copulans.

Quia vero Apostolica & prisca in omnibus cuncti orbis Ecclesijs traditio viget, vt qui Episcopi fiunt, ad omnes antecessores Episcopos referant quo modo sentiant, & quam fidem teneant: quam quidem traditionem sapientissimus Paulus valde caute eis tradidit, ne in vanum currerent. Vanus enim esset eorum cursus omnis, si quid detrimenti acciperet fides. Ille enim diuinus, qui Dei voces audiuit [a], & cælum ipsum habuit pro schola ad discendum, & paradisi spectator fuit ante tempus, & verborum quæ alijs hominibus eloqui non licebat, auditor fuit, metuebat & tremebat, & sicut ipse ait [b], formidabat, ne
B cum alijs salutari prædicatione Christum prædicasset, ipse reprobus efficeretur. Vnde Hierosolymam [c] ascendit cælestis discipulus Christi, & diuinis eius discipulis antecessoribus suis se submisit, & doctrinam Euangelicam, quam prædicabat, ijs qui alijs antecellere videbantur, patefecit, cum eis sua dogmata communicauit, quod tutum erat sibi adstipulatus, ijsq. omnibus, qui in posterum doctrinam eius amplexuri essent, ac omnibus factus optima forma salutis, qui vestigijs eius insistere voluissent.

a 2. Cor. 12.
b 1. Cor. 9.
c Galat. 2.

Huic igitur consuetudini etiam nos seruientes, ac legem optimam arbitrati id omne quod ab antiquis decenter factum est, præsertim Apostolico conatu roboratum: scribimus quo modo de fide sentiamus, & vobis sapientia diuina præditis ad probandum mittimus, ne terminos æternos [d], quos patres & maiores nostri posuerunt, transmouere videamur. Vobis inquam mittimus, qui non solum dogmata probata ab adulterinis discernere
C scitis, sed quæ deficiunt, propter perfectam in Christo charitatem, perfecte supplere potestis. Accedam igitur ad dicendum illa, quæ a principio in Ecclesia sancta Catholica collactatus & nutritus didici, & a teneris vnguiculis accepi, & vos diuine prædicare audiui. Credo igitur,&c.] subnectit his integram perfectamq. atque omni ex parte elucidatam & copiosam fidei Catholicæ professionem cum nominatim facta damnatione omnium hæresiarcharum qui ad hanc diem extitissent, inter quos duo Sergij nouissime nominantur, quorum alter Armenus, Syrus alter ponitur, qui adhuc superstes esset. Ad postremum autem post prolixam satis fidei professionem conscriptam, ita ipsum ad quem scribit Honorium siue Sergium interpellat:

d Prou. 22.

Vnde paternam sanctitatem vestram rogo, vt has meas litteras a me abiecto iure Synodico acceptas paternis oculis aspiciat, & fraterno aspectu contempletur. Et si quid aut
D per ignorantiam erratum est, aut per obliuionem prætermissum, aut propter festinationem non animaduersum, aut propter breuitatem non expressum, & nequaquam commemoratum, aut propter linguæ torporem tacitum, aut propter tarditatem linguæ & exilitatem vocis, aut propter imbecillitatem sermonis agrestis nobis non libentibus silentio suppressum est: rogo accessionibus impleat, & verbis ac correctionibus ex paterna plenitudine prodeuntibus corrigat, & robur præbeat amantissimum, fraterno studio satum, & paterno proposito irrigatum: ne quod mancum est, semper imperfectum appareat; & ne quod infirmum est, & sæpenumero per ignorantiam excidit, infirmum semper perseueret, & per totam vitam ægrotum. Quod quidem cum a vobis amice & legitime factum fuerit, me quidem locupletabit, & mihi medebitur, vestræ vero misericordiæ & amori testimonium tribuet, id est, vestræ erga fratrem & filium charitati.

E Ego vero sic a vobis ditatus, & in eo quod deficiebat completus, tunc ex inualetudine per medicinam liberatus, atque ex claudicatione correctus, valetudineq. & diuitijs auctus, quam magnas gratias me vobis debere existimabo? quantum gaudium, lætitiam, & voluptatem summam cepisse iudicabor? Sed hæc solus Deus nouerit: nouerim & ipse, qui talem voluptatem lætitiæ capio, & tantum beneficium decerpo. Noueritis & vos, si feruorem cordis mei ad pietatem cognoscatis, & multam animæ meæ ad diligendum propensionem oculis animæ contemplemini. Igitur pluribus verbis hæc petere, superfluum. Scio enim, quod hæc omnia vos, quamuis non peterem, præstabitis face fraternæ charitatis incensi, & desiderio paterno inflammati. Illud vero vobis supplico, & supplicare non desinam, vt me precibus & supplicationibus apud Deum ardentissime adiuuetis formidantem & trementem, atque onus iugi mihi impositi ferre non valentem: nec hoc solum, sed vt gregem Christi mecum pascatis, qui mihi quidem commissus est, sed

nisi

nisi mihi opem feratis, non possum diuinis & commodis herbis eum pascere & nutrire, A atque a nocentibus & incommodis seruare.

Quamobrem oro atque obsecro, ne hic grex vllum detrimentum capiat propter meam imperitiam & artis pascendi ignorantiam, & propter imbecillitatem, quæ ad regendum commode non sufficit; & tamquam ipse ei nocuerim, in die iudicij condemner, & supplicium perpetuum subeam eorum qui furantur, mactant, & perdunt oues Christi magnæ æstimationis & pretij. Scio enim & agnosco, reposcendam esse a Christo principe pastorum rationem salutis earum, & an auctæ fuerint, & optimis herbis factæ pingues. Sed si quid potestis, Deo largiente vt possitis, contendite vt adiuuetis, ne & ego & hæ Christi oues magni pretij a bestijs propter infirmitatem meam capiamur.

Aeque vehementer vos deprecor, vt supplicationem & preces sine intermissione pro nostris Imperatoribus quietissimis & Christi amatoribus Deo adhibeatis, qui gubernacula Imperij a Deo acceperunt: vt vestris precibus Deo acceptis delinitus, ætatem multorum annorum eis largiatur, maximas victorias ac trophæa de barbaris tribuat, & filios filiorum eis coronet, diuinæ pacis vallo eos muniat, sceptra præbeat valida & firma ad conterendum omnium barbarorum ac potissimum Sarracenorum supercilium ac superbiam, qui nunc propter peccata nostra ex insperato in nos inuaserunt, & omnia deuastant crudeli & ferino animo, profano & impio ausu.] Hæc dum rogat, vt aduersus ingruentes Sarracenos precibus ferat opem: optime concordat cum anni huius rebus gestis, quo (vt dictum est) per Arabes Imperium Romanum inuasum est. Pergit vero:

Quocirca magis ac magis vobis beatis supplicamus, vt prolixas preces Christo adhibeatis, vt eis beneuole auditis, cito eorum furiosos fremitus reprimat, atque eos tenues & viles factos instar scabelli nostris Imperatoribus a Deo datis sicut antea subijciat: vt & ipsi secundis rebus lætentur, qui Imperium in terris tenent, bellicis tumultibus sedatis. Lætetur etiam cum eis tota eorum Respublica sceptris eorum valide vallata, faciatq. vindemiam legens vuas pacati status lætitiam parientis. Obsecro etiam (vt iustum est) charitatem vestram fraternam, vt Leontium Deo carum, diaconum ecclesiæ sanctæ Resurrectionis Christi Dei nostri, eumdemq. nostri pij secretarij cancellarium ac protonotarium, & reuerendum fratrem nostrum Polyeuctum, quibus litteras nostras Synodicas commisimus, beneuolo vultu aspiciatis, & humanitate qua decet eos alloquamini.

Vestrum enim est hoc, & vobis proprium atque innatum insigne, quo vestros spectatores in admirationem rapitis, quod in altissimo gradu positi, maximam humilitatem induti estis; immo omnibus vestris proprietatibus spiritaliter & hilariter inuitatis, & animæ spiritalia atque splendida largimini. Simul etiam rogamus, vt cito eos nobis remittatis D lætos & exultantes, quod talem Antistitem Romanorum * videre meruerunt: nosq. etiam humiles & abiectos lætitia afficientes, dum nobis vestram nunciant discrte valetudinem animæ a Deo datam, & sanitatem corporis a Deo etiam tributam.

* Byzantiorum *in alia versione.*

Quin etiam postremo rogamus, vt detis eis litteras, quæ fidē nostram rectam illustrent, & mores animæ nostræ candidos faciant, & scientiā pascendi nos doceant, & ad pascendum gregem Christi animum addant: vt præsidio scientiæ muniti, truculentos & immanes lupos ab ouili nobis concredito bacillo vigilantiæ pastoritiæ arceamus, populūq. nobis commissum a periculis liberum ad Deum sistamus, mercedem ab æquissimo Iudice liberalissime pro laboribus nostris reportaturi. Omnes sanctos & illustres fratres, qui cum vestra sanctitate sunt, nos humiles & parui, & ij qui mecum sunt, in Christo Deo nostro persaluramus. Vale in Christo, & ora pro me, sanctissime frater.] hactenus epistola Sophronij ad Honorium Papam, quam (vt dictum est) nonnulla Græca exemplaria ad Sergium datam habent; de qua & ista Photius scribit [a]:

[a] Phot. Bibl. c. 231.

Lecta est Sophronij Hierosolymorum Patriarchæ Synodica, quæ Romam missa fuit ad Honorium eius Antistitem. Plena est pietatis epistola. Et innouat quidem ille passim vocabula, tamquam equi pullus saltibus luxurians; attamen Orthodoxam sententiam accurate tradit, & sacrorum dogmatum doctrinam minime vulgarem. In hac epistola inuenies Magnum vna cum Apollinari damnatum, Theodoretum vero ab Ecclesia non reiectum; tametsi in quibus Cyrillum damnauit, non probatus fuerit, sed merito reprehensus. Origenem alium fuisse antiquum, alium posteriorem, qui cognominatus est Adamantius. Cum ceteris hæreticis anathemate notatum Iacobum Syrum, a quo nomen traxit Acephalorum caterua. Rogat autem Honorium Romanum, si quid forte in

A epistola vel omissum, vel aliter dictum, quam par sit: eum enim & corrigere posse, & explere; gratiamq. habiturum se ait, si repulsam non ferat, numquamq. adeo immemorē fore beneficij. Hæc itaque habet Synodica Sophronij sanctissimi epistola] eademq. (vt dictum est) scripta communiter ad Honorium & Sergium, cuius titulo in Sexta Synodo recitatur: vt appareat, quam amplissime Sergius Episcopus Constantinopolitanus fuerit ab omnibus cognitus atque probatus in hanc diem Catholicus atque Orthodoxus; & nullatenus hac ex parte crimen Honorio quis impingere valeat, si eius (vt dicemus) subscribat epistolæ, & paria se cum illo sentire significet, & cum ille non ob hæresim instituendam, sed ob pacem iungendam (vt foris apparebat) de nouis vocibus optare silentium significauerit, ipse re vera absque fuco & fallacijs de ijsdem silendum esse consenserit. Ceterum præter has, alias quoque eodem ferme tempore constat Sophronium dedisse litte-
B ras ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, quibus petebat, deleri debere caput illud Synodi Alexandrinæ, quo asserebatur vna voluntas in Christo, contendens duas omnino dicendas esse in Christo voluntates & operationes. Meminit harum litterarum Sophronij ipse Sergius in epistola data ad Honorium Romanum Pontificem. Sed quid post hæc factum est? Vbi ista accepisset Sergius a Sophronio, scripsit ad Honorium Romanum Pontificem eiusmodi epistolam[a]:

In tantū vobis sanctissimis in omnibus vnanimitate spiritus constringimur, vt studeamus omniū consiliorum nostrorum & actionū vos sacratissimos habere præsidentes; & nisi plurimum locorum distantia seiungeret, hoc vtique quotidie gereremus, vestræ honorandæ vnanimisq. fraternitatis munito muratoq. nosmetipsos circumsepientes consultu. Attamen quoniam nobis etiam sermo atque absque labore littera, quod studemus, impartit:
C confestim ea pro quibus hoc scribimus, enarramus. Ante aliquod certum tempus, cum aduersus Persas a Deo confirmatus dominus noster & magnus victor Imperator promouebat exercitū, propter certamina a Deo sibi creditæ Christo amabilis Reipublicæ, & ad partes Armeniæ prouinciæ peruenisset: vnus ex principibus impiæ partis Seueri execrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens, ad eius pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens, & hoc profecto dumtaxat satisfaciendo: in quibus pijssima eius ac regalis magnanimitas (cum ceteris enim donis Dei etiam diuinorum dogmatum locupletari scientia meruit) dum redarguisset atque depompasset prauam eius impietatem, profanis eius astutijs, sanctæ nostræ Ecclesiæ (vt verus eius propugnator) recta atque immaculata e diuerso protulit dogmata, inter quæ & vnius operationis Christi veri Dei nostri mentionem effecit.

[a] *Extat in Sex. Synod. Act. 12.* EPISTOLA SERGII EPISC. CONSTANTINOP. AD HONORIVM PAPAM.

D Post aliquod vero tempus idem a Deo confirmatus Imperator in prouinciam Lazorum aduenies, recordatus est disputationis, quam (sicut diximus) fecerat aduersus Paulum illum hæreticum cum præsentia Cyri sanctissimi, tunc Christi amabilis Lazorum prouinciæ Metropolitanā sedem tenentis, nunc autem magnā Alexandriam regentis. Prædictus igitur sanctissimus vir, his auditis, eius serenitati respondit, nescire subtiliter, vtrum vnam an duas operationes Christi veri Dei nostri astruere necesse sit. Ergo per iussionem eius pietatis per litteras proprias interrogauit nos prædictus sanctissimus vir, vtrum vnā operationē an duas in Saluatore nostro Christo necesse sit dicere, & si quosdā noscamus sanctorum ac beatissimorum Patrum vnam dicentes operationem. Vnde nos, quæ nostræ erant scientiæ, per nostra rescripta ei significauimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennæ sanctissimi quondam Patriarchæ huius a Deo conseruandæ regiæ vrbis, porre-
E ctum ab eo hic præsenti Vigilio sanctæ memoriæ prædecessori sanctitatis vestræ, habentem & diuersa testimonia paterna de vna operatione & vna voluntate Saluatoris nostri Christi veri Dei nostri. Nihil tamen proprium penitus in huiusmodi nostris rescriptis promulgauimus, sicut suppetit nosse vos sacratissimos & vnanimes, relegentes eorum quæ missa sunt exemplaria. Et silentium quidem ex illo tempore huiusmodi suscepit capitulum.

Quia igitur ante paruum tempus, cooperante gratia Dei, qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, pio zelo fortissimi ac inuictissimi magni Imperatoris excitatus Cyrus sanctissimus Alexandrinæ magnæ ciuitatis Patriarcha & communis frater noster & consacerdos Dei, amabiliter & modeste adhortatus est eos, qui in magna ciuitate Alexandrina Eutychetis & Dioscori, Seueri quoque & Iuliani sunt Deo odibilium hæresi languentes, ad Catholicam Ecclesiam accedere: & post multas

disputationes & labores, quos cum nimia prudentia & saluberrima dispensatione in hac A
causa impendit, hoc quod festinabat, per supremam gratiam ordinauit. Factaq. sunt inter vtrasque partes dogmatica quædam capitula, in quibus omnes qui antea quidem in diuersas portiones diuisi fuerant, aduersus Dioscorum atque Seuerum hæreticos scribentes, coadunati sunt cum sanctissima ac sola Catholica Ecclesia; & vnus grex Christi veri Dei nostri, omnis Christo amabilis Alexandriæ populus factus est, & pene vniuersa cum eis Aegyptus, & Thebais, & Libya, & ceteræ Aegyptiacæ dispositionis regiones, quas olim considerabant (vt diximus) in innumerabilem copiam hæresum multitudine discissas, nunc autem beneplacito Dei & studio prædicti sanctissimi Alexandrinorum Antistitis vnum labium facti sunt omnes, vna vox, & in vnitate spiritus recta Ecclesiæ dogmata confitentur. Ex his autem quæ dicta sunt atque stabilita, vnum existit capitulum de vna operatione Christi magni Dei & Saluatoris nostri. B

His itaque prouenientibus, Sophronius venerabilis monachus, qui (vt ex nunc audito didicimus) Hierosolymorum Præsul est ordinatus (necdum enim hactenus eius ex more Synodica suscepimus) apud Alexandriam tunc temporis positus cum præfato sanctissimo Papa, quando (vt diximus) admirabilem illam circa eos qui dudum hæretici fuerant, Dei beneplacito vnitatem componebat, atque eum eo de ijsdem capitulis pertractabat, aduersatus est & contradixit ad vnius operationis capitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri. Prænominato autem sanctissimo Papa præsertim testimonia ei quorumdam sanctorũ Patrum proferente, dispersim in quibusdam opusculis suis vnam operationem asserentium: ad hæc quoque & ex abundanti inquiente, quod multoties sancti Patres nostri, vt lucrarentur plurimam animarum salutem, dum alia emergerent capitula, Deo placitis dispensationibus ac placitis vsi fuisse videntur, nihil de subtilitate Ecclesiæ dogmatum exagitantes, & dicentes, quod oporteat vtique etiam in præsenti, dum tantorum millium populorum salus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari, idcirco quod (sicut dictum est) etiam a quibusdam sacris Patribus vox huiusmodi dicta est, nihilq. de hoc lædatur rectæ fidei ratio: memoratus Deo amabilis Sophronius talem dispensationem nullatenus accepto tulit. C

Quia igitur pro hoc cum litteris eiusdem sanctissimi comministri ad nos coniunxit, de hoc quoque etiam apud nos sermonem mouendo insistens, vt de talibus adimeretur capitulis post factam vnitionẽ vox vnius operationis: durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo enim non esset durum & valde onerosum; quando hoc, resoluere euertereq. erat futuram quidem omnem illam concordiam atque vnitatem, quæ bene fuerat effecta tam apud Alexandrinam magnam ciuitatem, quamq. per vniuersas sub ea prouincias, quæ D nullo tempore vsque nunc acquieuerant nomen saltem simplex diuini atque laudabilis patris nostri Leonis, aut sancti & magni atque vniuersalis Chalcedonẽsis Concilij mentionem facere, nunc vero præclara & magna voce in diuinis Missarum arcanis hoc prædicantes? Multis igitur a nobis de hoc motis sermonibus ad prænominatum venerabilem Sophronium, postremo adhortati eum sumus, testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter doctores confitemur, & quorum dogmata legem sanctæ Dei cognoscunt Ecclesiæ, duas nominatim & ipsis verbis operationes in Christo dicendas tradentia: ille autem hoc facere penitus non valuit.

Nos vero considerantes incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, & scientes quod semper ex huiusmodi decertationibus illæ hæresum dissensiones E effectæ sunt: necessarium iudicauimus, omne studium ponere ad sedandum atque amputandum talem superfluum verborum conflictum: & ad sæpe dictum sanctissimum Alexandriæ Patriarcham scripsimus, vt postquam vnitatem cum his qui pridem reparabantur, Deo auxiliante, composuit, de cetero nullum permitteret vnam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro: magis autem sicut sancta & vniuersalia tradiderunt Concilia, vnum eumdemq. Filium vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum operatum confiteri, tam diuinam, quamq. humanam & omnem Deo decibilem & homine dignam operationem, ex vno eodemq. incarnato Deo Verbo indiuise procedere, & ad vnum eumdemq. redigere; eo quod vnius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videretur, & perturbare aures quorumdam suspicantium ad peremptionẽ hanc proferri inconfuse atque secundũ subsisten-

tiam

A tiam vnitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum: quod non est vmquam, nec fuit.

Similiter autem & duarum operationum dictio multos scandalizet, vtpote a nullo sanctorum ac probabilium Ecclesiæ institutorum edita. Insuper & consequens ei est, prædicare duas voluntates, contrarietates circa inuicem habentes, tamquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero eius obsistente eius voluntati & resistente; & perinde duo contraria volentes introduci: quod impium est. Impossibile quippe est, in vno eodemq. subiacenti duas simul & erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina operæpretium instruit, quod numquam intellectualiter animata Domini caro separatim & ex appetitu proprio contrario nutui vniti sibi secundum subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit, sed quando, & qualem, & quantam ipse Deus Verbum volebat. Et
B (vt plenius dicatur) quemadmodum corpus nostrum regitur & ornatur & disponitur ab intellectuali & rationali anima nostra, ita & in Domino Christo tota humana eius cõsper-sio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, Dei mobilis erat, secundũ Nyssenum Gregorium dicentem contra Eunomium ita: Secundum quod Deus erat Filius, impassibilis vtique est & immortalis: si qua autem passio de eo in Euangelio dicitur, per humanitatem profecto, quæ susciebat passionem, huiusmodi operatus est. Operatur quippe vere Deitas per corpus, quod circa ipsum est, omnium salutem, vt sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.

Hanc igitur (vt dictum est) contentionem incipientem accendi videntes, necessarium iudicauimus, attritas potius sanctorum Patrum voces & synodice definitas semper sequi; & neque quæ raro a quibusdam Patribus dicta sunt, & non circa hæc intentionem ha-
C bentibus, quasi planam & inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam & legem per omnia dogmaticam reducere, quale est & quod de vna operatione ab eis dictum est: neque iterum, quæ nullatenus dicta sunt a probabilibus Patribus, nunc vero a quibusdam Patribus proferuntur, duas inquam operationes, tamquam dogma Ecclesiasticum proferre. Et ad vltimum stetit ac placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis nullum sermonem de cetero de vna siue duabus operationibus mouere debeat; sed ei sufficiat præfata cautaq. ac trita sanctorum Patrum recta traditio atque doctrina. His itaque contentus sæpe nominatus venerabilis vir, & hæc custodire certificans: petimur nos etiam per epistolã de his ei præbere responsum, quatenus huiusmodi epistolam (vt ait) ostendat ijs qui forsitan interrogare eum de prædicta quæstione voluerint. Quod & alacriter egimus, & ille quidem in his hinc enauigauit.

D Nuper autẽ pijssimus & a Deo coronatus dominus noster apud Edessenam demorans ciuitatem, pios ad nos apices fecit, præcipientes, vt paterna illa testimonia defloremus, quæ continentur in libro dogmatico (sicut dictum est) facto a sanctæ memoriæ Menna ad sanctissimum Vigilium de vna operatione & vna voluntate, & hæc a Deo instructæ eius serenitati dirigere deberemus: quod & ad effectum perduximus. Nos autem quæ dudum mota sunt, memoria retinentes, & tumultum qui ex huiusmodi motione cœpit, scientes, suggessimus eius pijssimæ serenitati per mediocrem nostram suggestionem & scripta ad excellentissimum Sacellarium Imperialem consequenter huius capituli omnẽ subtilitatem, horumq. quæ a nobis per hoc actitata sunt; & quod non oporteat de eiusmodi inquisitione perscrutari, sed permanere in attrita Patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur de huiusmodi quæstione, & confiteri vnigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus
E simul & homo est, eumdem operari diuina & humana, & ex vno eodemq. incarnato Deo Verbo (sicut quod occurrentes iam sumus effati) inseparabiliter atque indiuise omnem diuinam & humanam operationem procedere. Hoc namque nos Leo instituit, manifeste perhibens: Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium habet. In quibus rescriptum piæ iussionis ab eius mansuetissima susscepimus fortitudine, quæ a Deo conseruandam eius serenitatem condecent, continentem.

His igitur omnibus a principio ita prouenientibus, rationabile simul & necessarium iudicauimus de his quæ partim memorata sunt, cognitionem dare vestræ fraternæ atque vnanimi beatitudini per exemplaria quæ a nobis directa sunt: & adhortamur vos sacratissimi, hæc omnia legere, & Deo placitam ac pleniissimam charitatem, quæ in vobis est, nunc quoque sequentes, si quid amplius minusve inueneritis, hoc per datam vobis a Deo gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas vestras vna cum vestra optabili sospi-

tate, quæque super his vobis fuerint placita, significare.] hactenus Sergij Constantinopo- A
litani Episcopi epistola recitata postea in Sexta Synodo. Quæ quidem ab Honorio Ro-
mano Pontifice haud potuerunt velut hæretici recusari: siquidem (quod primum om-
nium considerandum est) nihil habere viderẽtur aduersarium sacrosancto Chalcedonen-
si Concilio, in quo de duabus in Christo naturis est contra Eutychetem assertio promul-
gata: nam æque Sergius habet eamdem de duabus in Christo naturis indiuise & incon-
fuse coniunctis Orthodoxam doctrinam, simulq. non solum professionem, sed & defensio-
nem epistolæ S. Leonis, atque ad bonum pacis de vtraque esse tacendum sententia com-
monitionem siue ab asserentibus duas operationes, siue a negantibus.

Verum etsi quid perperam dictũ in illis esset, haud tamen hæreticus omnino esse auctor
conuinci poterat, dum ad calcem eiusdẽ epistolæ ad Honoriũ scriptæ eius subijcere se cen-
suræ testatur, dum si quid minus vel amplius ipse Pontifex Rom. in epistola esse cognoue- B
rit, vt adijciat pariter, vel dimoueat, rogat; licet hæc subdole ab eo proferrentur, ne
detegeretur hæreticus. Constat quidem (quod & maximopere est attendendum & sæpius
inculcandum) Sergium ipsum, etsi postea fuerit detectus hæreticus & condemnatus, præ-
senti tamen tempore non tantum Orthodoxum creditum fuisse ab Orientalibus & Occi-
dentalibus, sed etiam magnæ quidem existimationis Episcopum habitum: quod facile
cognosces ex dicta epistola a Sophronio Episcopo Hierosolymitano hoc ipso anno ad Ho-
norium & ad ipsum Sergium (vt habet Sexta Synodus) scripta, in qua præter multa alia
in laudem eius dicta, in fine preces ipsius vehementer exposcit: vt non mireris, si ad eum
rescribat Honorius, tamquam ad Catholicum hominem ac valde pium.

SERGIVS ORTHODOXVS ET BONAE EXISTIMATIONIS EPISCOPVS.

Sed iam quæ ad ipsum Sergium idem Honorius Papa rescripserit, videamus. Extant ipsæ C
eius litteræ in eadem Sexta [a] Synodo recitatæ: ex quibus cum condemnatus ab ea repe-
riatur Honorius, hic in limine magnæ controuersiæ te præmonitum velim, lector, eo quod
per lubrica incedat oratio, quasi defendi non posse videatur Honorius, nisi qui eum dam-
nasse dicuntur Patres Sextæ Synodi condemnentur. Verum non sic fiet; sed veritati cum
semper fuerit bene consultum, erit vt & videas quam apertissima luce Honoriũ ab ea ca-
lumnia vindicatum, integerrimum in omnibus semperq. Orthodoxum ostensum; & Patres,
impostura detecta, reddi ab omni suspicione laceratæ iustitiæ liberos. quod fiet, vbi de Actis
Sextæ Synodi sermo erit. Modo autem de Honorio agendum, cuius ita se habet epistola:

[a] Sex. Synod. Act. 12.

MAGNAE QVAEST. EXORDIVM.

Scripta fraternitatis vestræ suscepimus, per quæ inuentiones quasdam & nouas vocum
quæstiones cognouimus introductas per Sophronium quẽdam tunc monachum, nunc vero D
ex auditu Episcopum Hierosolymitanæ vrbis constitutum aduersus fratrem nostrum Cy-
rum Alexandriæ Antistitem, vnam operationem Domini nostri Iesu Christi conuersis ex
hæresi prædicantem. Qui denique ad vestram fraternitatem Sophronius veniens, que-
relamq. huiusmodi deponens, multiformiter eruditus, petijt de his, quæ a vobis fuerat
instructus, paginalibus sibi syllabis referari. Quarum litterarum ad eumdem Sophro-
nium directarum suscipientes exemplar, & intuentes satis prouide circumspectęq. fra-
ternitatem vestram scripsisse, laudamus nouitatem vocabuli auferentem, quod posset
scandalum simplicibus generare. Nos enim in quo peruenimus, oportet ambulare. Enim-
uero, duce Deo, peruenimus vsque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis
Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Iesum Chri-
stum mediatorem Dei & hominum operatum diuina, media humanitate Verbo Dei na-
turaliter vnita, eumdemq. operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta
carne discrete, inconfuse, atque inconuertibiliter plena diuinitate. Et qui coruscauit in E
carne plena diuinis miraculis, ipse est & carneus effectus, plene Deus & homo: passio-
nes & opprobria patitur vnus mediator Dei & hominum in vtrisque naturis, Verbum [b] ca-
ro factum, & habitauit in nobis, ipse filius hominis de cælo descendens, vnus atque idem
(sicut scriptum est) crucifixus Dominus maiestatis, dum constet diuinitatem nullas posse
perpeti humanas passiones, & non de cælo, sed de sancta est assumpta caro Dei genitrice.

HONORII PAP. EPIST. AD SERGIVM EPISC. CONSTANTINOP.

[b] Ioan. 1.

Nam per se Veritas in Euangelio ita inquit [c]: Nullus ascendit in cælũ, nisi qui descen-
dit de cælo filius hominis qui est in cælo: profecto nos instruens, quod diuinitati vnita est
caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, vt discrete atque inconfuse sic indiuise vi-
deretur coniungi, vt nimirum stupenda mente, mirabiliter manentibus vtrarumque na-
turarum differentijs, cognoscatur vniri. Cui Apostolus concinens, ad Corinthios ait [d]:
Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius sæculi, neque princi-

[c] Ioan. 3.

[d] 1. Cor. 2.

pum

A pum huius sæculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent: dum profecto diuinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti; sed propter ineffabilem coniunctionem humanæ diuinæq. naturæ, idcirco & vbique Deus dicitur pati, & humanitas ex cælo cum diuinitate descendisse.] Intelligis lector, pie sancteq. atque catholice in omnibus ab Honorio ista differi, atque ita poni ob idiomatum communicationem vnum in Christo volentem & operantem, sicut vnica est eius persona, cum tamen æque astruat ob diuersas proprietates duarum simul indiuise & inconfuse coniunctarum naturarum, æque & voluntates distinctas & inconfusas in eodem reperiri. Sed & pergit:

VNVS VOLENS ASSERITVR OB VNAM PERSONAM.

B Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi: quia profecto a diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa, illa profecto quæ ante peccatum creata est, non quæ post præuaricationem vitiata. Christus enim Dominus in similitudinem carnis peccati veniens, peccatū mundi abstulit, & de plenitudine eius omnes accepimus: & formam [a] serui suscipiens, habitu inuentus est vt homo: quia sine peccato conceptus de Spiritu sancto, etiam absque peccato est partus de sancta & immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ.] Cum igitur audis vnam Honorium dicere voluntatē, intellexisse id respectu duarum inter se pugnantium contrariarum voluntatum ad malum & bonū, ex ijs quæ tradit apparet, nosq. inferius id magis perspicue demonstrabimus. Pergit itaque: Carnis enim vocabulum duobus modis sacris eloquijs boni maliq. cognouimus nominari, sicut scriptū est [b]: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis,

[a] *Philip. 2.*

QVOMODO VNAM ACCIPIAT VOLVNTATEM HONORIVS.

[b] *Genes. 6.*

C quia caro sunt. Et Apostolus [c]: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et rursum [d]: *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me trahentem in legem peccati, quæ est in membris meis.* Et alia multa huiusmodi in malo absolute solent intelligi vel vocari. In bono autem ita Isaia dicente [e]: Veniet omnis caro in Hierusalem, & adorabit in conspectu meo. Et Iob [f]: In carne mea videbo Deum. Et alias [g]: Videbit omnis caro salutare Dei. Et alia diuersa. Non est itaque assumpta (sicut præfati sumus) a Saluatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis eius; sed venit quærere & saluare quod perierat, id est, vitiatam humani generis naturam: nam lex alia in membris aut voluntas diuersa non fuit, vel contraria Saluatori: quia super legem natus est humanæ conditionis. Et siquidem scriptum est [h]: Non veni facere voluntatē meam, sed eius qui misit me Patris. Et [i], Non quod

[c] *1. Cor. 5.*
[d] *Rom. 7.*
[e] *Isai. 66.*
[f] *Iob 19.*
[g] *Luc. 3.*
[h] *Ioan. 6.*
[i] *Matth. 26.*

D ego volo, sed quod tu vis Pater. & alia huiusmodi: non sunt hæc diuersæ voluntatis, sed dispēsationis humanitatis assumptæ. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, vt assequamur vestigia eius, pius magister discipulos imbuens, vt non suam vnusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem.

Via igitur regia incedentes, & dextrorsum vel sinistrorsum venatorum laqueos circumpositos euitantes, ad lapidem pedem nostrum minime offendamus: Idumæis, id est, terrenis atque hæreticis propria relinquentes, nec vestigio quidem pedis sensus nostri terram, id est, prauam eorum doctrinam omnimodo atterentes, ad id quo tendimus, hoc est, ad fines patrios peruenire possimus, ducum nostrorum semita gradientes. Et si forte quædam balbutientes (vt ita dicam) nisi sunt proferentes exponere, formantes se in specimen nutritorum, vt possent mentes imbuere auditorum: non oportet ad dogmata hæc

CAVTE AGENDVM IN NOVIS DECERNENDIS.

E Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ * sunt explanasse, vt vnam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neque Euangelicæ vel Apostolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio super his habita, visæ sunt terminasse: nisi fortassis (sicut præfati sumus) quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias paruulorum, quæ ad Ecclesiastica dogmata trahi non debent: quæ vnusquisque in suo sensu abundans videtur secundum propriam sententiam explicare. Nam quia Dominus noster Iesus Christus Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit vnus operator diuinitatis atque humanitatis, plenæ sunt sacræ litteræ luculentius demonstrantes. Vtrum autem propter opera diuinitatis & humanitatis geminæ operationes debeant deriuatæ dici, vel intelligi: ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent paruulis exquisita deriuando nomina vendicare.] Satis perspi-

* nisæ

cue noſcis ſecundum Catholicam aſſertionem vnum poni ab Honorio operatorem, cuius A
ſint opera diuinitatis & humanitatis: vt in neceſſariam deducatur aſſumptionem, duas
eſſe voluntates & operationes: quas tamen ob vitanda diſſidia, bono pacis, non reijcien-
das, ſed reticendas affirmat. ſubdit enim cauſam, quod periculoſum ſit ſiue vnam ſiue
duas tantū aſſerere in Chriſto operationes, quæ in diuina Scriptura reperiantur eſſe mul-
tiplices, quod ſcilicet ex generibus tranſirent aduerſarij ad indiuidua, fallentes æquiuocis:

Nos enim, inquit, non vnam operationem vel duas Dominum Ieſum Chriſtum,
eiusq. ſanctum ſpiritum, ſacris litteris percepimus, ſed multiformiter cognouimus ope-
ratum. Scriptum eſt enim [a]: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic eius non eſt. Et ali-
bi [b]: Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones vero gratiarum
ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: &
diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Si enim B
diuiſiones operationum ſunt multæ, & has omnes Deus in membris omnibus pleni cor-
poris operatur: quanto magis capiti noſtrō Chriſto Domino hæc poſſunt pleniſſime coa-
ptari? vt caput & corpus vnum ſit perfectum, vt profecto occurrat (ſicut ſcriptum eſt [c]) in
virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Si enim in alijs, id eſt, in
membris ſuis, ſpiritus Chriſti multiformiter operatur, in quo [d] viuunt & mouentur & ſunt:
quanto magis per ſemetipſum mediatorem Dei & hominum plene ac perfecte multisq.
modis & ineffabilibus confiteri nos communione vtriuſque naturæ condecet operatum?]
Cur autem de duabus voluntatibus & operationibus tacendum ducat, cauſam haud con-
temnendam aſtruit, quod ſcilicet communis iſta eſſet aſſertio cum Neſtorianis id ipſum
profitentibus, non ob duarum (ſicut Catholici) naturarum differentiam, ſed ob duas
quas ijdem conſtituebant in Chriſto perſonas. Subdit ergo: C

Et nos quidem ſecundum ſanctiones diuinorum eloquiorum oportet ſapere vel ſperare,
illa videlicet refutantes, quæ quidem nouæ voces noſcuntur ſanctis Dei Eccleſijs ſcanda-
la generare: ne aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos, nos
veſana ſapere arbitrentur] eo quod illi duas ponerent in Chriſto perſonas. Rurſum vero
tacendum putat de vna operatione, ne fouere cauſam Eutychianorum vnam tantum aſſe-
rentium in Chriſto naturam videri poſſet: nam ſubdit: Aut certe ſi rurſus vnam operatio-
nem Domini noſtri Ieſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum
attonitis auribus dementiam fateri putemur, præcauentes, ne quorum inania arma com-
buſta ſunt, eorum cineres & rediuiuos ignes flammiuomarum denuo renouent quæſtio-
num, ſimpliciter atque veraciter confitentes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnum
operatorem diuinæ & humanæ naturæ; electius arbitrantes, vt vani naturarum ponderā- D
tores, otioſe negotiantes, & turgidi aduerſum nos inſonent vocibus ranarum philoſophi,
quam vt ſimplices & humiles ſpiritu populi Chriſtiani poſſint remanere ieiuni. Nullus
enim decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam diſcipulos piſcatorum. Eorum enim
doctrinam ſequentes, omnia argumenta ſcopuloſa diſputationis callidæ atque fluctuagæ
intra eorum retia ſunt colliſa.

Hæc nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, ſicut & ea nos vobiſcum vnanimiter præ-
dicamus, hortantes vos, vt vnius vel geminæ nouæ vocis inductum operationis vocabu-
lum aufugientes, vnum nobiſcum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei viui, Deum ve-
riſſimum in duabus naturis operatum diuinitus atque humanitus fide Orthodoxa & vni-
tate Catholica prædicetis.] & ſubſcriptio: Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime
atque ſanctiſſime frater.] hactenus Honorij Pontificis epiſtola ad Sergium Epiſcopum E
Conſtantinopolitanum, quam integram hic reddidiſſe voluimus, quod eadem fuerit
compluribus lapis offenſionis & petra ſcandali: vt ijs omnibus diligenter perſpectis,
tam quæ ad Honorium Papam a Sergio fuerant ſcripta, quam quæ ab ipſo Pontifice ſcri-
pta reddita, dilucide cunctis innoteſcere valeat, quam ipſe Honorius fuerit Catholicæ
fidei aſſertor, profeſſor, defenſor, & propugnator.

Quod enim Sergius ipſe manifeſtus poſt hæc cognitus hæreticus fuerit atque damna-
tus: cum & eadem ſentire cum ipſo Honorius profiteatur; putarunt nonnulli, eadem
ipſum quoque ſententia debere percelli; ſicq. Honorium, vti Sergium, hæreticum cen-
ſendum eſſe, complures exiſtimarunt, nullam rationem habentes temporis diuerſita-
tis, nec rerum. Temporis inquam, quod (vt plenius oſtendimus) cum iſta Sergius ad
Honorium, & Honorius ad Sergium ſcriberet, nec leuis quidem ſuſpicio erat de Ser-

gio

[a] Rom. 8.
[b] 1. Cor. 12.
[c] Epheſ. 4.
[d] Act. 17.

CVR SILENTIVM HONORIVS INDICAT.

CVR PERICVLOSA DVARVM VEL VNIVS VOLVNTATIS ASSERTIO.

OFFENDICVLVM EX EPIST. HONORII SVMPTVM.

VNDE DE HONORIO ERROR EMERSERIT.

A gio, quod hæreticus esset, qui in hanc vsque diem summa cum laude absque vel leui suspicione erroris sedem illam pie (vti Catholicus) sancteq. rexerat, qui & suis litteris speciem reddere videretur columbæ illius quæ post diluuium signum pacis ore gestauit, dum tot in Aegypto conciliatos iunctosq. Catholicæ Ecclesiæ populos hæreticos significaret. Ista quidem nuncianti Catholico homini (ita enim Sergius vbique terrarum ab omnibus habebatur) par erat Honorium, cum eidem rescriberet, adgratulari (congaudet enim charitas veritati) cum ea quæ afferret, & professione Chalcedonensis Concilij & assertione epistolæ S. Leonis Papæ plusquam satis perspicuo lumine lucere viderentur, omniq. suspicionis nebula expertia esse.

SERGIVS HACTENVS OPTIMI NOMINIS EPISC. FVIT.

Nec poterat culpæ adscribi de vtraque voce silentium, quod velut pacis signaculum esse videretur appositum. Etenim cum omnis vocum nouitas soleat in Ecclesia

NOVITAS SEMPER SVSPECTA VISA EST.

B esse suspecta, & in antiquitate vsuq. veteri fundata semper reperiatur firma securitas: quid de vocum nouarum silentio (quod erat fibula pacis) potuit Honorius reprehendi, quod ab eo videri poterat non retinendum tantum, sed imperandum? Non igitur (si tempus attendatur) reprehendi potest Honorius, sed eo nomine laudari potius debet, vtpote quod satis superq. consultum fidei Catholicæ (vt ait) videri poterat, si in Christo duas confiteretur quis naturas indiuise, inconfuse, & inconuertibiliter iunctas; pariterq. profitetur vnum operatorem diuinitatis & humanitatis Christum Iesum, hoc est, ipsum in vna consistentem persona operatum (vt ait) secundum duplicem operationem duarum naturarum, humanæ atque diuinæ: vt plane rem ipsam prædicare noscatur, cuius nouas voces velit ob exorta scandala reticeri, quæ ob nouitatem suspectæ videri possent, & magnam diffidij occasionem subministrare; vnde merito silentio illas obruendas esse putarit.

C Non enim adhuc eo progressa res erat, vt non sine scandalo eædem voces prætermitti potuissent, vt postea accidit: nam cum nondum fraus hæretica detecta esset, indici ab ipso Pontifice silentium iure debuit, quod (vt dictum est) iam satisfactum videri posset de Verbi incarnatione plenæ doctrinæ. Qui igitur temporis huius nullam rationem habuere, in Honorium vti colluforem stulte admodum declamarunt, fauentemq. errori vna cum Sergio arguerunt. At qui ad memoriam reuocarit, quantum esset malignatus inimicus in sancto occasione voculæ vnius, homousion, tempore Constantini ac successorum Imperatorum: sancte pieque, sicuti & prudenter, Honorium fecisse non dubitet, dum de simplici atque duplici operatione silentium hic indixit; cum tamen ijs quæ ad perfectam hactenus prolatam de Verbi incarnatione doctrinam spectare viderentur, alijs verbis satisfactum esse cognosceret. Qui vero consideratione nulla habita temporis huius quo Sergius

HONORIVS PRVDENTER SILENTIVM ADHIBET.

D Catholicus habitus rem bona fide agere creditus est, omnia ad statum illius temporis referunt, quo sub eo silentio latere fraudem, quam dicemus, compertum est, Sergiusq. ipse Constantinopolitanus Episcopus esse hæreticus detectus fuit: sicut eius litteræ ad Honorium de indicto silentio datæ fr. udem occultare cognitæ sunt, ita & redditæ ad eum Honorij litteræ æque visæ ipsis sunt improbandæ, eo quod Honorius eiusdem tunc esse sententiæ visus fuit. hincq. factum est, vt hi eadem sententia qua Sergium, Honorium quoque perstrinxerint. At quam iuste, ipsi viderint: te vero appello, lector veri amans, iustum iudicem.

Cum vero non ob aliam causam Honorium Papam vna cum Sergio hi putauerint esse damnandum, quam ob nuper recitatam ipsius Honorij epistolam datam ad Sergium, qua ei se consentire significauit: certe quidem Honorij epistola prius disquirenda fuit, &

E tempus præsens, quo scripta est, considerandũ, & ita de Honorio fuerat ferenda sententia. At cum nullius possit erroris argui, vel hæresis nondum cognitæ in suspicionem adduci: certum est calumniose & leuiter admodum, sicut iniuste, Honorium hæreticum appellari.

Sed si non ex alia ratione, quã ex dicta epistola, qua se consentire Sergio declarat, Honorius condemnatur: cur non æque Sophronius, qui eiusdem Sergij in omnibus secuturum se sententiam toties sua epistola profitetur, qua & ipsum vt pleniſſimum Orthodoxum commendat, erit & ipse dicendus hæreticus? Quidnam, quæso, ad Sophronij excusationem afferes, nisi quod putauerit ipsum esse (vt profitebatur) fide integrum & Orthodoxum, ac pro Catholica veritate firmiter stantem? & tamen secus erat. Quod si illa Sophronij cum Sergio toties professa consensio nullum ipsi attulit detrimentum, vt ex communione cum hæretico, quem putabat Catholicum, ipse hæreticus diceretur: cur afferat præiudicium Honorio longius quam Sophronius a Sergio absenti, si, vt ille, se consentire Ser-

SOPHRONIVS EADEM QVAE HONOR. PRAESTITIT.

gio

gio affirmarit, quem & nomine famaq. & ſcriptis pariter haud potuit non aſſerere eſſe Catholicum? A

Præterea ſi in culpa eſſe potuit de vtraque voce ſilentium, & ob id tam Sergius quam Honorius fuerint hæreticorum nota inurendi: cur non idem ſtigma eſt impreſſum Sophronio, cum & ipſe acquieuerit pariter Sergio ob bonum pacis talia ſuadenti? Conſenſiſſe quidem ipſi Sophronium, idem teſtatur Sergius in epiſtola ad Honorium verbis illis: Ad vltimum, inquit, ſtetit & placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis nullum ſermonem de cetero de vna ſiue duabus operationibus mouere debeat; ſed ei ſufficiat præfata cautaq. ac trita ſanctorum Patrum recta traditio atque doctrina. His itaque contentus ſæpe nominatus venerabilis vir, & hæc cuſtodire certificans: petimur nos etiam per epiſtolam de his ei præbere reſponſum, quatenus eiuſmodi epiſtolam (vt ait) oſtendat ijs, qui forſitan interrogare eum de prædicta quæſtione voluerint. Quod & celeriter egimus, & ille quidem in his hinc enauigauit.] hæc de Sophronio Sergius. B

Si inquam (quod ſæpe repetendum eſt) Sergio indicenti ſilentium Sophronius omnino conſenſit, & tamen Orthodoxus abſque inuidia eſt prædicatus: nihil profecto eſſe poteſt, vt ratione ſilentij Honorius Papa poſſit in crimen adduci. Sic igitur neque ex communione cum Sergio, neque ex conſenſione cum eo de indicto ſilentio Honorius vel leui ſuſpicione erroris argui a quolibet iure potuit exemplo Sophronij propius rem intuentis, qui licet antea ea de cauſa aduerſatus Cyro fuerit, Sergio tamen acquieuit. Probaſſe quidem in Sergio Honorium, quæ probarat ante Sophronius, cum ad eum datam epiſtolam Sergij ab eodem accepiſſet, ipſe Honorius teſtatur in dicta epiſtola ad Sergium ſcripta.

Ceterum etſi Sergij voluntati indicenti ſilentium ipſe (vt vidimus) Sophronius acquieuit: tamen poſt hæc de cohibenda Cyri, cui ante obſtiterat, temeritate, vnam prædicantis in Chriſto voluntatem, legationem ad Honorium Romanum Pontificem miſit. At quanta animi anxietate id fecerit, qui venit tunc miſſus ad Honorium legatus ipſe teſtatus eſt in Concilio Romano ſub Martino Pōtifice, in eius Collatione ſecunda, his verbis: Quoniam hoc poteſtatiue olim & ab antiquitus facere per Apoſtolicam ſiue canonicam conſueuit auctoritatem: dum aperta lucubratione non ſolum claues regni cælorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem Euangelio gratiæ credentibus iuſte claudere magnus ſecundum veritatem & princeps Apoſtolorum meruit Petrus; ſed etiam & paſcere primus iuſſus eſt oues totius Catholicæ Eccleſiæ, cum Dominus dicit[b]: Petre, amas me? paſce oues meas. Et iterum ipſe præcipue ac ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum & immutabilem fidem, conuertere[c] aliquando & confirmare exagitatos conſortes ſuos & ſpiritales meruit fratres, vtpote diſpenſatiue ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens & ſacerdotalem auctoritatem. Quod vtique ſciens beatæ memoriæ Sophronius quondam Patriarcha ſanctæ Chriſti Dei noſtri ciuitatis, ſub cuius diœceſi fungebar ſacerdotali officio, non acquieſcens omnino carni & ſanguini, ſed ſola quæ Chriſti ſunt iuxta ſanctitatem veſtram excogitans, ſtuduit meam humilitatem ſine mora pro huiuſmodi tantummodo capitulo cum ſua ſuggeſtione ad hanc Apoſtolicam magnamq. dirigere ſedem, in ſcripto atque ſine ſcripto per me ſupplicem veſtrum omnem prædictorum virorum adaperiens nouitatem, quam videlicet contra Orthodoxam fidem memorati viri exponere auſi ſunt. C D

DE LEGATIONE MISSA A SOPHRONIO AD HONORIVM.

a Concil. Rom. ſub Martin. Secret. 2. tom. 3.

b Ioan. 21.

c Luc. 22.

Quippe nam & ipſe *Sophronius*, dum aduiueret, ſuperius dictis temeratoribus in Oriente validiſſime contradixit, conteſtans eos & admonens, vt a propria hæreſi quieſcerent, & ad rectam Patrum fidem remearent, dans in duobus libris ſexcenta teſtimonia Patrum ad euictionem impietatis eorum & veritatis oſtenſionem. Quos quidem reuocare minime valuit: commouit autem eos contra ſe ad inſidias & malignam detractionem. Sed nullo modo propter hoc reueritus eſt omnino ille, nec timuit timorem vbi non eſt timor: quoniam iuſtus[d] ſicut leo confidit. Zelo autem Dei & fiducia repletus, duxit me indignum & ſtatuit in ſancto Caluariæ loco, vbi propter nos ipſe qui ſuper nos ſecundum naturam Deus eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſponte crucifigi ſecundum carnem dignatus eſt: & ibi alligauit me vinculis inſolubilibus, dicens: Tu dabis rationem ipſi, qui propter nos ſecundum carnem in hoc ſancto loco ſponte crucifixus eſt Deus, quando cum gloria in terribili eius aduentu iudicaturus eſt viuos & mortuos, ſi diſtuleris & poſt- E

LABORES SOPHRONII PRO FIDE CATHOLICA.

d Prou. 28.

poſueris

A posueris fidem eius periclitantem, licet ego hoc facere corporaliter (vt nosti) propter emersam ex nostris peccatis incursionem Sarracenorum præpedior.

Quantocyus ergo de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apostolicam sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, peruenias, non semel, non bis, sed multo sæpius aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quæ in istis partibus mota sunt; & non quiescas, instantius expetens atque exorans eos, donec ex Apostolica prudentia, quæ in Deo est, ad victoriam iudicium perducere debeant, & nouiter introductorum dogmatum perfectam faciant secundum canones destructionem: vt ne (secundum quod beatus Apostolus ait [a]) sicut cancer pascuam in amplius inueniant, depascentes simpliciorum animas. Igitur in his pertimescens ego, atque perterritus propter impositam mihi terribilem in tremendo & venerabili loco con- STEPH. EPISC. DILIGENS MINISTERIVM.
B iurationem, necnon & creditum mihi ex Dei permissu Episcopale ministerium considerans, sed & supplicationes omnium pene habitantium Orientalium tractum reuerendissimorum Episcoporum & Christianorum populorum consonanter prædicto beatæ memoriæ Sophronio ad hoc me inuitantium, vtpote primum Hierosolymitanæ diœceseos, peruenire: non dedi (secundum Scripturam [b]) somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem & requiem temporibus meis, quatenus adimplere debuissem huiusmodi desiderabilem iussionem: sed absque vlla mora propter hoc ipsum tantummodo huc properaui: a quo tempore tertio visus sum vestris Apostolicis adesse vestigijs, expetens ac deprecatus, quod ille & omnes libenter postulare noscuntur, hoc est, fidei Christianorum periclitanti manum porrigere.

a 1. *Tim.* 2.

b *Psal.* 131.

Quod addiscentes contrarij, non leuibus me implicuerunt afflictionibus, præceptiones
C propter me per loca & prouincias dirigentes, quatenus comprehendi & ferris constrictus ad eos deberem destinari, sicut omnes cognoscunt. Sed Dominus auxiliatus est mihi, & liberauit me ab omnibus persequentibus me, ideoq. ad propositum currentem, & ad brauium properantem vestræ Apostolicæ sedis. Neque despexit Deus preces cum lacrymis oblatas supplicum suorum, sed excitauit non equidem mediocriter præcessores Apostolicosq. Præsules in commonitione, necnon contestatione prædictorum virorum, licet nullo modo eos flectere potuerunt.] hæc legatus Stephanus Episcopus Romam hoc tempore a Sophronio ad Honorium Pontificem missus.

Vbi ista per legationem a Sophronio missam Honorius Papa accepit, haud segnis fuit his omnibus a Sophronio postulatis consulere, nempe silentium omnino imponere Cyro HONOR. SILENTIVM CYRO IMPONIT.
Episcopo Alexandrino vnanr voluntatem & operationem in Christo prædicanti: cuius
D rei gratia ad ipsum Cyrũ eo argumento litteras dedit; scripsitq. pariter ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, vt Cyrum de seruando de vna voluntate & operatione silentio admoneret. Litteræ ad Cyrum ab Honorio scriptæ non extant, sed earum mentio est in litteris eiusdem Honorij ad Sergium datis, de quibus proxime acturi sumus. Perstitisse quidem in sententia Honorium, vt bono pacis ad vitandas turbas & commotiones populorum, de voce vtraque taceretur, dicta eius epistola post hæc ad Sergium data significat: his etiam & legatum Stephanum, & qui cum eo venit in Vrbem, acquieuisse docet, dummodo Cyrus de vnius voluntatis voce æque taceret. Epistolam autem ab Honorio ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum datam, prout habetur recitata in Sexta Synodo Actione decimatertia in fine, hic exhibeamus; in qua cum desint nonnulla, hæc sunt quæ in ea scripta reperiuntur:

E Et prolata est (inquiunt Acta) huiusmodi Honorij Latina epistola cum interpretatione sua, habens in superscriptione ita: Dilectissimo fratri Sergio Honorius. *Cuius initium fuit:* Scripta dilectissimi filij nostri Syricij diaconi. *Habet autem eadem epistola post pauca hæc:* Necnon & Cyro fratri nostro Alexandrinæ ciuitatis Præsuli, *significandum scilicet*, quatenus nouæ adinuentionis vnius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Ecclesiarum præconio nebulosarum concertationum caligines offundi non debeant vel aspergi: vt profecto vnius vel geminæ operationis vocabulum nouiter introductum a prædicatione fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt, quid aliud nisi iuxta vnius vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ita & operationem vnam vel geminam suspicantur? Super quod clara sunt diuina testimonia. Vnius autem operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei & hominum Dominum Iesum Christum sentire & promere, satis ineptum est.] Sed hæc Honorij quomodo sint intelligenda, quæ ex eadem POSTERIOR EPIST. HONOR. AD SERGIVM.

epistola

epistola ipsa recitant Acta, ita docent: Habet autē, inquiunt, & circa finē eadē epistola sic: A

Et hæc quidem, quantum ad instruendam notitiam ambigentium, sanctissimæ fraternitati vestræ per eam insinuandum præuidimus. Ceterum quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quæ tenere vel prædicare debemus propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages (sicut superius diximus) non vnam vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire, sed vtrasque naturas in vno Christo vnitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: & diuinam quidem, quæ Dei sunt, operantem: & humanam, quæ carnis sunt, exequentem: non diuise, neque confuse, aut conuertibiliter Dei naturam in hominem, & nec humanam in Deum conuersam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes. Vnus atque idem humilis & sublimis, æqualis Patri & minor Patre,

a Galat. 4. *b Coloss. 2.*

ipse [a] ante tempora, natus in tempore est: per quem facta sunt sæcula, factus in sæculo B est: & qui legem dedit, factus [b] sub lege est, vt eos qui sub lege erant redimeret: ipse crucifixus, & ipse chirographum quod erat contra nos euacuans in Cruce, de potestatibus & principatibus triumphauit.

Auferentes ergo (sicut diximus) scandalum nouellæ adinuentionis, non nos oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare: sed pro vna (quam quidam dicunt) operatione, oportet nos vnum operatorem Christum Dominum in vtrisque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, diuinitatis & carnis assumptæ in vna persona vnigeniti Dei Patris inconfuse, indiuise, atque inconuertibiliter nobiscum prædicare propria operantes. Et hoc quidem beatissimæ fraternitati vestræ insinuandum præuidimus, quatenus vnius confessionis propositum vnanimitati vestræ sanctitatis monstraremus, vt profecto in vno C spiritu anhelantes, pari fidei documento inspiremus.

Scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio Antistitibus, ne nouæ vocis, id est, vnius vel geminæ operationis vocabulo insistere vel immorari videantur; sed abrasa huiusmodi nouæ vocis appellatione, vnum Christum Dominum nobiscum in vtrisque naturis diuina vel humana prædicent operantem. Quamquam hos, quos ad nos prædictus frater & coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitantur: quod instantissime promiserunt prædictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater & coepiscopus noster ab vnius operationis vocabulo discesserit.] hucusque ex epistola posteriori Honorij ad Sergium Sexta Synodus. Cum igitur adeo manifeste demonstratum sit, neque ob indictum de vtraque voce silentium, neque ob communicationem vel consensionem cum Sergio in his quæ tra- D ctarentur, nempe de silentio indicendo, sicut nec Sophronium, ita neque Honorium posse in crimen hæresis iure perduci: videndum modo est, si quid sit in epistolis Honorij, quod reprehensione dignum habeatur.

OBIECTIO EX PRIORI EPISTOLA HONORII.

Prior ipsius epistola ad Sergium eodem argumento conscripta, qua primum censuit de vtraque voce tacendum, videri potuit prima fronte quiddam habere subduriusculū, quod quamuis nihil penitus extra lineam Catholicæ fidei continere demonstratum sit, nihilominus id dilucidius erit declarandum. Dum enim agit de hypostatica in vna persona duarum naturarum vnione, cuius virtute factam quoque dicit communicationem idiomatum, ista mox subdit: Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi: quia profecto a diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa, illa profecto quæ ante peccata creata est, non quæ post præuaricationem vitiata, &c.] inferens quidem non duas E ob id dicendas esse contrarias voluntates in Christo, tendentem ad bonum alterā, alteram vero ad malum, vt in alijs hominibus, sed vnam bonam, vniusq. personæ operantis, secundum communicationem idiomatū, qua (vt ait) & Deus pati dicitur, & homo Deus prædicatur. Quod enim indiuisa sit vtriusque naturæ operatio, sicut est indiuise coniuncta, & vnum ambo velint naturæ bonum, & tendant in vnum; vna erit dicenda Christi voluntas, quam sanctus Dionysius Areopagita appellat operationem Theandricam, hoc est, Deiuirilem, vt Ioannes Damascenus affirmat [c].

c Ioa. Damasc. de fid. Orthod. lib. 3. c. 19.

Sed præstat in his Maximum martyrē huius temporis scriptorem celebrem & Catholicæ fidei egregium defensorem audire, quæ afferat de germano sensu verborum Honorij, dum respondet ad obiectionem Pyrrhi Monothelitæ pro se stare Honorium acclamantis, quasi ipse Honorius fuerit vnius in Christo voluntatis assertor. Ipse enim in quæstione, disputa-

ta co-

A ta coram Gregorio Patricio cum ipso Pyrrho hæc habet: Quid (inquit Pyrrhus) de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi esse tradidit? *Maximus*: Quis fuerit fide & auctoritate dignus epistolæ eius interpres, qui eam ex persona S. Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tum pietatis dogmatibus illustrauit, an hi qui Constantinopoli ex suo corde loquebantur? *Pyrrhus*: Ille, qui hanc scripsit. *Maximus*: Is igitur cum ad diuum Constantinum Imperatorem ex persona Ioannis Papæ de hac epistola scriberet, dixit: Vnam voluntatem diximus in Domino, non diuinitatis eius & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent: rescripsimus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed vnam tantum,
B quæ naturaliter humanitatem eius signabat. Hoc autem ita esse, argumentum euidens est, meminisse membrorum & carnis, quæ quidem in diuinitate non licet intelligere,&c.] hæc Maximus de eo qui dictam Honorij scripsit epistolam: vt nullus sententiæ Honorij certior atque fidelior accedere possit interpres, cui Pyrrhus ipse refractarius disputator non potuit in ea disputatione non acquieuisse, quod videlicet præter fidem illibatam auctoris, ipsius contextus epistolæ id aperte demonstret.

Ex his plane & illorum verborum germanum sensum cognosces, quibus Honorius ait in eodem argumenti contextu: Nam lex alia in membris aut voluntas diuersa non fuit, vel contraria Saluatori: quia super legem natus est humanæ conditionis. Et siquidem scriptum est: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris. &, Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. & alia huiusmodi: non sunt hæc diuersæ volun-
C tatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ.] plane significans, in voluntate humanitatis, de qua loquitur, cum nullum fuerit in Christo peccatum, nec discrepantiam vel contrarietatem esse potuisse quæ ex peccato procedit, relicta illa quæ ex natura humana solet prouenire diuersitas absque peccato. Hæc de his quæ spectant ad priorem epistolam.

In posteriori autē epistola ad Sergium, quam reddidimus, ita firmat Honorius Catholicum dogma, vt nihil amplius desiderari queat. Dū enim videtur indicere velle silentium, quam prudentissime destruit hæresim, & firmat Catholicam fidem, vbi videlicet ait [a]: Auferentes ergo (sicut diximus) scandalum nouellæ adinuentionis, non nos oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare: sed pro vna (quam quidam dicunt) operatione, oportet nos Deum operatorem Christum Dominum in vtrisque naturis veridice
D confiteri; & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, diuinitatis & carnis assumptæ, in vna persona vnigeniti Dei Patris inconfuse, indiuise, atque inconuertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.] Intellexisti quam docte atque vere dicat, pro vna operatione dicendum esse vnum operantem, plane insinuans non conuenire personæ vnitatem operationis, sed operantis? Sic & S. Ioannes Damascenus [b] de his agens, docet non dici posse ratione vnius personæ vnam voluntatem, sed vnum volentem, sicut nec vnam operationem, sed vnum operantem in duabus scilicet naturis; quas dum asserit indiuise, inconfuse, & inconuertibiliter coniunctas, duas plane necessario introducit operationes & voluntates. His quidem nihil magis Catholicum dici potuisse, nihil magis pium ac sanctum, nihil denique his temporibus ad pacem in Ecclesijs conseruandam vtilius excogitari videri potuit. Quam
E quidem Catholicam veritatem (dicam libere cum Campensi) non solum nulla Synodus potuerit vmquam damnare, sed si Angelus de cælo aliud annunciauerit præter id quod dictum est, illatum in huiusmodi ab Apostolo susciperet anathema.

Sic igitur ista ita transacta sunt, vt nulla quidē vel leuis erroris labes Honorio inhæsisse potuerit. Quamobrem in iudicio Synodali, cū post annos decem & octo Romæ sub S. Martino Papa & martyre celebrata est Synodus Lateranensis [c], cui interfuerunt centum & quinque Episcopi, præsidente ipso Summo Pontifice, & exacte cognita atque tractata est causa Monothelitarum, ac damnati in ea fuerunt vna cum hæresi atque ipsorum scriptis Theodorus Pharanites Episcopus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus successores Patriarchæ Constantinopolitani, auctores & propugnatores erroris: Honorius nullam prorsus vel ab hæreticis de hæresi calumniam passus, nec a sancta Synodo leuissima est suspicione pulsatus. Post hæc autem iterum, cum a sanctissimo Pontifice Aga-

[a] *Sext. Synod. Act. 13. in fin.*

HONORII COMMENDATVR DECRETVM.

[b] *Damasc. de Orthod. fid. lib. 3. c. 14.*

QVID SYNODI DE HONORIO.

[c] *Extat Concil. to. 3. nou. edit.*

ce Agathone celebrata est Romæ Synodus [a] centum vigintiquinque Episcoporum, in qua A repetita est eorumdem damnatio hæreticorum Theodori, Cyri, Sergij, Pyrrhi, & Pauli: nec leuis quidem mentio, quod errauerit Honoriũs, facta est; qui si errasset, dissimulari minime potuisset. Sed & in ea quæ ex eadem Synodo instructio data est legatis ad Sextam Synodum Constantinopolim proficiscentibus, & in ijs quas ipse summus Antistes Agatho litteras tunc ad Imperatores Constantinum, Heraclium, atque Tiberium dedit, ore libero, firma iterataq. attestatione & contestatione fatetur, numquam aliquando Apostolicam sedem a recto fidei tramite deuiasse. Sed reddamus hic verba ipsius:

a Extat recitata in Sexta Synodo Act. 4. sub Agath.

AGATHONIS SENTENTIA DE FIDE ILLIBATA PRAEDECESSORVM.

Christi, inquit, adnitente præsidio, hæc Apostolica eius Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est.] & post aliqua iterum: Hæc est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis & in aduersis viuaciter tenuit ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis nũquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorũ Christi principibus, illibata finetenus permansit.] Et de suis prædecessoribus paulo post speciatim hæc addit: Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniã Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturã promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum: quorum & pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto tamen diuina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quã illi sinceriter prædicarunt, prædicare neglexero.] hucusque Agatho: quæ quidem quomodo adeo firmiter asserere, libere prædicare ac sincere profiteri potuisset, si ad eamdem firmandam quam confutat C hæresim, Honorius in crimen adduci valuisset?

Considerandum est enim in his, quis hæc dixerit, vbi, ad quos, & quando dixerit, nempe sanctissimus omnium ore laudatissimus Agatho, in Synodali magno Patrum conuentu, consensu omnium scribens ista ad ipsos Imperatores Constantinopoli degentes, quorum prædecessores fauissent errori, & quando Sexta erat œcumenica Synodus celebranda; vt vel leuissime mentiri minime potuisset. Prætermittimus modo dicere de alijs successoribus Romanis Pontificibus plurimis id ipsum firma assertione testantibus, nempe neminem prædecessorum Romanorum Pontificum hæresis labe vel leuiter aliquando aspersum fuisse: sicut & ante Agathonem Martinus Pontifex pluribus suis epistolis laudat fidem prædecessorum, & eorumdem commendat diligentiam aduersus Monothelitas, quod & egregie præstitit in Concilio Romano consultatione prima, in epi- D stola ad Constantium siue Constantinum Imperatorem.

His igitur ex eiusdem Honorij litteris, ex S. Maximi scriptis, atque ex Concilijs duobus Romæ celebratis, litterisq. Romanorum Pontificum Ioannis, Martini, & Agathonis assertis, cum nihil esse possit, quod non omni ex parte Honorij Papæ fides Catholica prædicetur: postea factum est, vt hæretici Monothelitæ, ad suum ipsorum confirmandum errorem, calumniose admodum auctoritatem immiscuerint ipsius Honorij Romani Pontificis, iactantes simul (vt Pyrrhus in disceptatione cum Maximo) Honorium Papam eiusdem fuisse sententiæ assertorem. Constat quidem Patriarchas Constantinopolitanos hæreticos Sergium, Pyrrhum, ac Paulum, & alios ad confirmandum suum ipsorum errorem ostentare consueuisse Honorij Papæ dictam superius primam epistolam, eamdemq. in consortium sectæ citare, quod in sua ipse epistola vnius voluntatis ex perperam facta E eius interpretatione calumniose diceretur assertor: sicq. factum ab ipsis, vt nomen Honorij tamquam in errore collegæ fuerit sæpius conclamatum. His accessit, quod cum eiusdem Honorij nomen retineretur in Diptychis ab ipsis Episcopis Cõstantinopolitanis hæreticis, secus autem successorum eius qui damnauerunt eosdem Monothelitas (vt patet ex epistola [b] Constantini Imp. ad Agathonem) magna sit conflata inuidia in Honorium, quod patronos haberet & laudatores Monothelitas.

b Habetur in princip. Sex. Synod. Act. 1.

Qua de causa eo progressa res est, vt ab aliquibus Orthodoxis inter dãnatos Monothelitas idẽ reperiatur adnumeratus Honorius. Quod vero & in Sexta Synodo, quæ extat, æque recensitus cũ Monothelitis legatur Honorius: aperiemus imposturam, cum de his suo loco opportunius acturi sumus. Satis autẽ fuit hic tibi, lector, perspicue demonstrasse, nihil penitus inueniri posse in duabus Honorij epistolis, quo in erroris suspicionem vel leuiter adduci

A duci queat, cum omnia habeantur in omnibus consentientia Catholicæ veritati; neque eius de indicto silentio decretum iure posse pati calumniam, quod æque ab Orientalibus probaretur, potissimum vero a vertice Theologorum Orientalium regionum huius temporis Sophronio Episcopo Hierosolymitano; nec vel leuiter labefactatum ob communicationem cum Sergio ex litteris vltro citroq. datis: insuper ipsum Honorium, & dum viueret, & post obitum summa veneratione ab vniuersa Ecclesia Catholica cultum, talemq. cognitum & habitum a sanctissimis eius successoribus Martino & Agathone dignissimis atque doctissimis Romanis Pontificibus. Si quam vero a tempore Sextæ Synodi nubem videbis superinductam, qua apparere possit gloria tanti Pontificis obscurata: æque spectabis, veritatis aura spirante, eius nomen in pristinum reuocari splendorem, & fulgentioribus radijs eluceſcere.

B Purgandus est & Sophronius Hierosolymorum Episcopus a calumnia ei per Monothelitas illata, cum ipsum omnium huiuscemodi turbarum in Ecclesia obortarum causam fuisse clamarent: nam Pyrrhus Constantinopolitanus Episcopus hæc in eum in disputatione cum Maximo habita ait: Sophronius, qui paulo ante fuit Patriarcha Hierosolymitanus, fecit vt hoc vel præter propositum faceremus, cum tempore inopportuno sermonem de operationibus excitauit.] Ad hæc respondit Maximus, ita dicens, & repetens erroris veram originem: Ego ex omni parte nescio quam excusationem vos prolaturos expectatis, qui eum qui extra culpam est, adeo grauiter criminamini. Dic enim mihi (per veritatem ipsam oro) cum Sergius ad Theodorum Pharanitanum Episcopum scripsit, misso quem Menæ dixit libello per Sergium Macaronam Episcopum Arsenoes, hortans eum, vt quid sentiret de vna in eo libello operatione & vna voluntate, aperiret;
C & rescripsit, approbans ea: vbi tunc erat Sophronius? Aut cum Theodosiopoli ad Paulum monoculum Seuerianum scripsit, misso etiam ei libello Menæ, & Theodori Pharanitani ac sua approbatione? Aut vbi erat, quando ad Georgium cognomento Arsam Paulinianistam scripsit, vt mitteret auctoritates de vna operatione ipsorum, inseruitq. epistolæ, facere se his auctoritatibus vnionem Ecclesiæ cum eis? Hanc epistolam beatus Ioannes Papa Alexandrinus, *ille videlicet cognomento Eleemosynarius*, manu ab Arsa abstulit. Vnde cum etiam vellet ob ipsam eos deponere, impeditus fuit incursu tunc a Persis in Aegyptum facto. Aut quando ad Cyrum Episcopum Phasidis rescripsit de vna operatione & duabus, ab eo rogatus, misso etiam ad eum libello Menæ, quem diximus? Quid igitur? postquam Sergius multis modis morbum suum in commune proposuisset, & magnam partem Ecclesiæ corrupisset ac vastasset: quoniam beaD tus Sophronius admonuit eum, humilitate, quæ eius habitum decebat, ad eius vestigia prouolutus, Christi Dei passionibus viuificis, quæ omnem supplicationem continebant, commemoratis, obtestans ne vocem hæreticorum olim probe a sanctis Patribus superioribus extinctam renouaret: fuit ne auctor huius scandali?] hæc de his Maximus, purgãs Sophronium, & culpam reijciens in Sergium, vtpote erroris huius auctorẽ ac propagatorem, hominem natura leuissimum, de quo in eadem disputatione ista idem Maximus:

SERGIVS MALORVM OMNIVM AVCTOR

Rem ipsam loquor: Nihil me ita a tuo antecessore alienauit, vt mutabilitas eius & inconstantia, id est, in alias alio tẽpore transire sententias, & in nullo sensu permanere. Aliquando enim eos qui hanc vnã voluntatem diuinam appellabant, approbans, incarnatum introducebat Deum tantum esse. Aliquando eis assentiens, qui dicebant esse consultatricem voluntatẽ, hominem cum solum introducebat more nostro consultantem, nihil a Pyr-
E rho & Maximo differentem. Quandoque vocans voluntatem hypostaticam, cum differentia personarum simul inducebat differentiam voluntatum in personis diuinis eiusdem substantiæ. Aliàs eos complectens qui voluntatem suæ potestatis dicebant, vnionẽ introducebat secundũ habitudinem: potestas enim, & auctoritas, & alia huiusmodi manifeste, γνώμης, id est, sententiæ, non naturæ motus sunt. Aliquando cum eos qui voluntatem vocabant electricem & sententialem, sibi adiungebat, & dominos suos faciebat; non solum Christum faciebat hominem tantum, sed mutabilem & peccatorem: siquidẽ sententia oppositorum est dijudicatrix, & eorum quæ ignorantur indagatrix, & in his quæ non sunt manifesta, consultatrix. Interdum eos sequens, qui œconomicam voluntatem in Christo dicebant, faciebat eum ante œconomiam, id est incarnationem, non habuisse voluntatem. Et si quod aliud absurdum ex hoc sequitur. Et in alias infinitas absonas opiniones detrusus est, qui non est nixus in veritate tamquam in fundamento: quas si

SERGII IN SENTENTIIS INSTABILITAS.

mandare litteris vellem subtiliter & diligenter, neque futurum tempus satis esset.] hæc A
Maximus de Sergij leuitate. Porro quo minus homo vanus veritate pollebat, eo magis
præstabat viribus ab Imperatore petitis. Ita enim idem Maximus aduersus Pyrrhum:
Hoc quidem absurdum in vestris etiam litteris, non ratione, sed licentia protulistis, nacti
Heraclium vestrum ad hoc adiutorem: quia vos eius nefariæ & sceleratæ mixtioni assensi
estis, & eam confirmastis.] hæc Maximus: ex quibus videas, quanta prudentia & consi-
lio Honorius Papa oblatum ab eodem Sergio de oborta quæstione silentium libentissime
acceptauit; quod & fuisset multo pretio redimendum, siquidem nequaquam tot malis
Ecclesiæ Dei ab ipsis Monothelitis exagitatæ essent.

Quo autem tenderet eiusmodi de vnica in Christo voluntate blasphemia: æque om-
nes consentiunt, ad tollendam naturarum in Christo vnitarum differentiam, & ad Euty-
chianam hæresim hac via instaurandam illorum fuisse conatum, atque ad sociandos sibi B
(quod dictum est superius) alios Orientales hæreticos, nempe Apollinaristas & Nestoria-
nos. Nam audi & S. Thomam, qui de his hæc ait[a]: Ad hoc ponendum, *vnicam scilicet*
in Christo voluntatem, diuersimode moti esse videntur. Apollinaris enim non posuit ani-
mam intellectualem in Christo, sed quod Verbum esset loco animæ, vel etiam loco intel-
lectus. Vnde cum voluntas sit in ratione (vt philosophus dicit in tertio de anima) seque-
batur quod in Christo non esset voluntas humana, & ita in eo non esset nisi vna voluntas.
Et similiter Eutyches, & omnes qui posuerunt vnam naturam compositam in Christo,
cogebantur ponere vnam voluntatem in eo. Nestorius etiam quia posuit vnionem Dei &
hominis factam solum secundum affectum & voluntatem, posuit vnicam voluntatem in
Christo.] hæc S. Thomas: ex quibus intelligis quæ superius dicta sunt, eiusmodi fuis-
se commentum Eutychianorum in hæresi Monothelitarum instauranda, vt reliquæ in C
Oriente inualescerent hæreses.

a Thom. par. 3. quæst. 18. ar. 1.

MONOTHELITARVM HAERESIS TRIPLEX.

Nam quod ad Nestorianos spectat hæreticos, id abunde idem Maximus Abbas & mar-
tyr ostendit in disputatione cum Pyrrho, dum ait: Cur aspernantur Nestorium, cuius vo-
cibus ac sententijs ardenter inhærent? Quod autem cum vnam voluntatē dicunt, illa quæ
Nestorius tenet defendunt: testatur expositio quam ipsi defendunt, quæ declarat Nesto-
rium profiteri vnam voluntatem in duabus personis ab ipso fictis.] Sic igitur omni fuit in-
surgendum conatu, ne triceps bestia sanctam appeteret suis cornibus Ecclesiam. Sed de
fallacijs & dolis hæreticorum consulendus est idem sæpe citatus & recitatus Maximus
Abbas. Sententia plane est Damasceni[b], eiusmodi dolosos artifices ita vnicam voluntā-
tem vel operationem asseruisse, vt hoc euicto, duas naturas, quas in Christo captiose
astruebant, auferrent. Sed ex his principijs in monstruosiores eos declinasse sententias, D
quæ sub Martino Papa dicentur, ostendent. Ceterum Sergius, qui tantopere rogauit
Honorium Papam de vtrisque vocibus imperandum esse silentium, ipse vafer eo pacto
sub silentio hæresim propagauit: quomodo autem id acciderit, inferius sequentibus an-
nis dicendum erit. Hæc modo satis de origine Monothelitarum erroris, & Honorij Papæ
studijs in eadem comprimenda.

b Damascen. de Exhes. in fin.

Ceterum qui aduersus emergentes hæreses in Oriente Honorius Papa oculis intentus
erat, conuersus etiam ad Ecclesiam Occidentalem, extremo loco in Britannia insula po-
sitos Anglos pastorali cura respexit. Hoc enim anno, cum ab Eduino in Anglia Rege le-
gatio Romam missa esset, qua peteret mitti pallia tum Paulino tum etiam Honorio Epi-
scopis, ipse Pontifex petitis annuens, ad Eduinum Regem litteras reddidit exhortatorias,
simulq. ad Paulinum Episcopum atque ad Honorium pallium misit. Sed de Paulino pri- E
mum sic Beda[c]: Quo tempore præsulatum sedis Apostolicæ Honorius Bonifacij successor
habebat: qui vbi gentem Nordhumbrorum cum suo Rege ad fidem confessionemq. Chri-
sti, Paulino euangelizante, conuersam esse didicit, misit eidem Paulino pallium: misit &
Regi Eduino litteras exhortatorias, paterna illum charitate accendens, vt in fide veri-
tatis, quam acceperant, persistere semper ac proficere curarent: quarum videlicet lit-
terarum iste est ordo:

HONORIVS MITTIT PALLIVM AD PAVLINVM ET HONORIVM.

c Bed. histor. Angl. lib. 2. c. 17.

Domino excellentissimo atque præcellentissimo filio Eduino Regi Anglorum, Hono-
rius Episcopus, seruus seruorum Dei, salutem.

EPIST. HONORII PAP. AD EDVINVM REGEM.

Ita Christianitatis vestræ integritas circa Conditoris sui cultū fidei est ardore succen-
sa, vt longe lateq. resplendeat, & in omni mundo annunciata vestri operis multipliciter re-
ferat fructum. Sic enim vos Reges esse cognoscitis, dum Regem & Creatorem vestrum

Ortho-

A Orthodoxa prædicatione edocti, Deum venerando colitis, eiq. (quod humana valet conditio) mentis vestræ finceram deuotionem exoluitis. Quid Deo nostro aliud offerre valebimus, nisi vt in bonis actibus persistentes, ipsumq. auctorem humani generis confitentes, cum colere, eiq. vota nostra reddere festinemus? Et ideo, excellentissime fili, paterna vos charitate, qua conuenit, exhortamur, vt hoc quod vos diuina misericordia ad suam gratiam vocare dignata est, solicita intentione & assiduis orationibus seruare omnimodo festinetis: vt qui vos in præsenti sæculo ex omni errore absolutos ad agnitionem sui nominis est dignatus perducere, cælestis patriæ vobis præparet mansionem.

Prædicatoris igitur vestri domini mei Apostolicæ memoriæ Gregorij lectione frequenter occupati, præ oculis affectum doctrinæ ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit, habetote: quatenus eius oratio & regnum vestrum populumq. au-
B geat, & vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repræsentet. Ea vero quæ a nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda speraſtis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo attribuere illis sine vlla dilatione præuidemus. Et duo pallia vtrorumque Metropolitanorum, id est, Honorio & Paulino direximus, vt dum quis eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum Episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestræ charitatis affectu, quam pro tantarum prouinciarum spatio, quæ inter nos & vos esse noscuntur, sumus inuitati concedere, vt in omnibus deuotioni vestræ nostrum concursum & iuxta vestra desideria præberemus. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.] hucusque ad Regem Eduinum Honorius.

C Porro etsi anno & die, quo data est, epistola careat: ex alia tamen epistola eodem tempore ab ipso Pontifice scripta ad Honorium Episcopum Dorouernienſem Iusti succes- IVSTO SVBROGATVS HONORIVS.
sorem, cum petitum a Rege pallium ad eum mittit, hoc anno datam esse, certissimum redditur. Successerat namque Honorius Iusto, de quo ista asserit Beda [a]: Inter hæc Iu- [a] Bed. lib. 2. cap. 18.
stus Archiepiscopus ad cælestia regna sublatus est quarto Iduum Nouembrium die, & Honorius pro illo est in præsulatum electus: qui ordinandus venit ad Paulinum, & occurrente sibi illo in Lindocolino, quintus ab Augustino Dorouernienſis Ecclesiæ consecratus est Antistes: cui etiam præfatus Papa Honorius misit pallium & litteras, in quibus decreuit hoc ipsum, quod in epistola ad Eduinum Regem missa decreuerat: scilicet, vt cum Dorouernienſis vel Eboracensis Antistes de hac vita transierit, is qui
D supereſt, consors eiusdem gradus habeat potestatem alterum ordinandi in loco eius qui transierat sacerdotem, ne sit necesse ad Romanam vsque ciuitatem per tam prolixa terrarum & maris spatia pro ordinando Archiepiscopo semper fatigari. Quarum etiam textum litterarum in nostra hac historia ponere, commodum duximus.] sic enim se habent [b]: [b] Bed. ibid.

Dilectissimo fratri Honorio Honorius.

Inter plurima quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quo- HONORII PAPAE EPIST. AD HONOR. EPISC. DOROVERN.
tiens per fraternos affatus vnanimem dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repræsentat: pro quibus maiestati eius gratias indesinenter exoluimus, eumq. votis supplicibus exoramus, vt vestram dilectionem in prædicatione Euangelij elabo-
rantem & fructificantem, sectantemq. magistri vestri & capitis sui sancti Gregorij re-
E gulam, perpeti stabilitate confirmet, & ad augmentum Ecclesiæ suæ potiora per vos susciteť incrementa: vt fide & opere in timore Dei & charitate, vestra acquisitio, decessorumq. vestrorum, quæ per domini Gregorij exordium pullulat, conualescendo amplius extendatur: vt ipsa vos Dominici eloquij promissa in futuro respiciant, vosq. vox ista ad æternam festiuitatem euocet: Venite [c] ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego [c] Matth. 25.
reficiam vos. & iterum: Euge [d] serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, su- [d] Ibidem.
per multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

Et nos quidem, fratres carissimi, hæc vobis pro æterna charitate exhortationis verba præmittentes, quæ rursus pro Ecclesiarum vestrarum priuilegijs congruere posse conspicimus, non desistimus impartire. Et tam iuxta vestram petitionem, quam filiorum nostrorum Regum, vobis præsenti nostra præceptione vice beati Petri Apostolorum principis auctoritatem tribuimus, vt quando vnum ex vobis diuina ad se iuſ-

ſerit gratia vocari, is qui ſuperſtes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Epiſcopum ordinare. Pro qua etiam reſingula veſtræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, vt per noſtræ præceptionis auctoritatem poſſitis Deo placitam ordinationem efficere: quia vt hæc vobis concederemus, longa terrarum mariſq. interualla, quæ inter nos ac vos obſiſtunt, ad hæc nos condeſcendere coegerunt: vt nulla poſſit Eccleſiarum veſtrarum iactura per cuiuslibet occaſionis obtentum quoquo modo peruenire, ſed potius commiſſi vobis populi deuotionem plenius propagare. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater. Data die tertia Idus Iunias, imperantibus dominis noſtris pijſſimis Auguſtis, Heraclio, anno vigeſimoquarto, Proconſulatus eiuſdem anno vigeſimotertio, & Conſulatus eius anno tertio: ſed & Heraclio feliciſſimo Cæſare, id eſt, filio eius, anno tertio, Indictione ſeptima*, id eſt, anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo triceſimotertio.] Sed quæ hæc grauia hoc eodem anno ſecuta ſint mala occulto Dei iudicio illata, videamus. Refert eadem Beda his verbis[a]:

* ſexta

[a] Bed. lib. 2. c. 20.

DE NECE EDVINI REGIS.

At vero Eduinus cum decem & ſeptem annis genti Anglorum ſimul & Britonum glorioſiſsime præeſſet, e quibus etiam Rex ipſe (vt diximus) Chriſti regno militauit, rebellauit aduerſus eum Carduella Rex Britonum, auxilium præbente illi Penda, viro ſtrenuiſsimo de regio genere Merciorum, qui & ipſe ex eo tempore gentis eiuſdem regno annis viginti & duobus varia ſorte præfuit. Et conſerto graui prœlio in campo qui vocatur Hethfelt, occiſus eſt Eduinus die quarta Iduum Octobris, anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo triceſimotertio, cum eſſet annorum quadraginta & ſeptem: eiuſq. totus vel interemptus, vel diſperſus eſt exercitus. In quo etiam bello ante illum vnus filius eius Offrid, iuuenis bellicoſus, cecidit: alter Edfrid, neceſsitate cogente, ad Pendam Regem transfugit, & ab eo poſtmodum, regnante Oſuualdo, contra fidem iuſiurandi peremptus eſt.

BRITONES INVALESCVNT ADVERSVS ANGLOS.

Quo tempore maxima eſt facta ſtrages in Eccleſia vel gente Nordhumbrorum, maxime quod vnus ex ducibus (a quibus acta eſt) Paganus, alter quia barbarus erat Pagano ſæuior. Siquidem Penda cum omni Merciorum gente idolis deditus, & Chriſtiani erat nominis ignarus. At vero Carduella quamuis nomen & profeſsionem haberet Chriſtiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, vt nec ſexui quidem muliebri, vel innocuæ paruulorum parceret ætati, quin vniuerſos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum prouincias debacchando peruagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus eraſurum ſe eſſe deliberans: ſed nec religioni Chriſtianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris: quippe cum vſque hodie moris ſit Britonum, fidem religionemq. Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare, quam Paganis.] iſta exardeſcens odium aduerſus gentem peregrinam, quæ Britannorum inuaſiſſet ſedes, ſuadebat: quin etiam eos redditos Chriſtianos ipſi Chriſtiani execrabantur, cum (vt idem auctor eſt Beda) inuiderent illis Chriſtianam quam ſuſcepiſſent fidem, ob idq. inuiſo quoque animo in eos eſſent, qui illis Euangelium prædicarant. Sed pergit Beda funera recenſere & diſperſionem regiæ prolis:

CAPVT EDVINI HONORIFICE SEPVLTVM

Allatum eſt autem caput Eduini Regis Eboracum, & illatum poſtea in eccleſiam B. Petri Apoſtoli, quam ipſe cœpit, ſed ſucceſſor eius Oſuualdus perfecit, vt ſupra docuimus: poſitum eſt autem in porticu ſancti Papæ Gregorij, a cuius ipſe diſcipulis verbum vitæ ſuſceperat. Turbatis itaque rebus Nordhumbrorum huius articulo cladis, cum nihil alicubi præſidij niſi in fuga eſſe videretur: Paulinus aſſumpta ſecum Edelburga Regina, quam pridem adduxerat, redijt Cantium nauigio, atque ab Honorio Archiepiſcopo & Rege Eadbaldo multum honorifice ſuſceptus eſt. Venit autem illuc duce Baſſo, milite Regis Eduini fortiſsimo, habens ſecum Heanfredam filiam, & Vulcfream filium Eduini, necnon & Iffi filiũ Osfridi filij eius, quos poſtea mater metu Edboldi & Oſuualdi Regum miſit in Galliam nutriendos Regi Dagoberto: ibiq. ambo in infantia defuncti, & iuxta honorem vel regijs pueris vel innocentibus Chriſti congruum in eccleſia ſepulti ſunt. Attulit quoque ſecum, *Paulinus ſcilicet*, vaſa pretioſa Eduini Regis perplura, in quibus & Crucem magnam auream & calicem aureum conſecratum ad miniſterium altaris, quæ hactenus in eccleſia Cantij conſeruata monſtrantur.

ROMANVS LEGATVS EPISC. MERGITVR.

Quo in tẽpore Rhofenſis Eccleſia paſtorẽ minime habebat, eo quod Romanus Præſul illius ad Honorium Papam a Iuſto Archiepiſcopo legatus* miſſus, abſortus fuerat fluctibus

* legatarius

Italici

A Italici maris, ac per hoc curam illius præfatus Paulinus inuitatione Honorij Antistitis & Eadbaldi Regis suscepit, ac tenuit, vsquedum & ipse suo tempore ad cælestia regna cum glorioſi fructu laboris ascendit: in qua ecclesia, moriens, pallium quoque, quod a Romano Papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in ecclesia sua Eboraci Iacobum diaconum, virum vtique Ecclesiasticum & sanctum, qui multo exhinc tempore in ecclesia manens, magnas antiquo hosti prædas docendo & baptizando eripuit: cuius nomine vicus in quo maxime solebat habitare, iuxta Cataractam, vsque hodie cognominatur. Qui quoniam cantandi in ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace, in prouincia crescente numero fidelium, etiam magister Ecclesiasticæ cantionis iuxta morem Romanorum seu Cantuariorum multis cœpit existere. Et ipse senex & plenus dierum (iuxta scripturas) patrum viam secutus est.] hucusque Beda.

B Sed quid accidit? Ob tantam illatam cladem scandalum passi successores Reges, qui eiusdem Eduini regna susceperе, cum Christiani essent, sanctum eiurauere baptismum, & redditi sunt Gentiles, idolorum cultum in suis populis reuocantes. Sed quam citissime dederint pœnas, accipe ex eodē auctore Beda, qui sic narrat [a]: Interfecto, inquit, in pugna Eduino, suscepit pro illo regnum Deirorum (de qua prouincia ille generis prosapiam & primordia regni habuerat) filius patrui eius Elfrici, vocabulo Osrichus, qui ad prædicationem Paulini fidei erat sacramentis imbutus. Porro regnum Berniciorum (nam in has duas prouincias gens Nordhumbrorum antiquitus diuisa erat) suscepit filius Edelfridi, qui de illa prouincia generis & regni originem duxerat, nomine Eanfridus. Siquidem tempore toto quo regnauit Eduinus, filij præfati Regis Edelfridi, qui ante eum regnauerat, cum magna nobilium iuuentute apud Scotos siue Pictos exulabant; ibiq. ad doC ctrinam Scotorum catechizati; & baptismatis gratia sunt recreati. Qui vt mortuo Rege inimico, in patriam sunt redire permissi; accepit primus eorum, quem diximus, Osrichus regnum Deirorum, secundus vero Eanfridus regnum Berniciorum. Vterque autem vt terreni regni insulas sortitus est, ita sacramenta regni cælestis, quibus initiatus erat, anathematizando perdidit, ac se priscis idololatriæ sordibus polluendum perdendumq. restituit.

EDVINI SVCCESSORES IMPII.

[a] *Bed. histor. Angl. lib. 3. c. 1.*

Nec mora, vtrumque Rex Britonum Carduella* impia manu, sed iusta vltione peremit. Et primo quidem proxima æstate Osrichum, dum se in oppidi municipio temerarie obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum cum toto exercitu deleuit. Deinde cum anno integro prouincias Nordhumbrorum non vt Rex victor possideret, sed quasi tyrannus sæuiens disperderet, ac tragica cæde dilaceraret, Eanfridum inconsulte ad se cum D duodecim electis militibus postulandæ pacis gratia venientem, simili sorte damnauit. Infaustus ille annus & omnibus bonis exosus vsque hodie permanet tam propter apostasiam Regum Anglorum cum fidei sacramentis se exuerant, quam propter vesanam Britonici Regis tyrannidem. Vnde cunctis placuit Regum tempora computantibus, vt ablata de medio Regum perfidorum memoria, idem annus sequentis Regis, id est, Osuualdi viri Deo dilecti regno assignaretur.] Sed de Osuualdo suo loco dicturi sumus. Iam vero quæ anni huius reliqua sunt Honorij Romani Pontificis prosequamur.

* Cedualla

REGES APOSTATAE MALE PEREVNT.

Inuigilans ipse quibus præerat vniuersis totius orbis Ecclesijs, cum didicisset Scotos Christianos antiquos licet, & Euangelicæ vitæ cultores eximios, habere nonnulla quæ correctione digna essent, nimirum quod Pascha Domini celebrarent non eo die quo vniuersa Ecclesia celebrare consueuit: de huiusmodi siue alijs corrigendis erroribus litteras E ad eos dedit. At nihil suis litteris profecisse Honorium Papam, ex eo perspicue possumus intelligere, quod eius successoribus Romanis Pontificibus in ijsdem non modicum fuit insudandum. De Honorij litteris hoc anno ad Scotos datis hæc habet Beda [b]: Misit idē Papa Honorius litteras etiam genti Scotorum (*quando scilicet ad Archiepiscopos Paulinum & Honorium cum pallijs litteras dedit*) quos in obseruatione sancti Paschæ errare comperat iuxta quod supra docuimus, solerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam sapientiorem antiquis siue modernis quæ per orbem terræ erant, Christi Ecclesijs æstimarent, neve contra Paschales computus & decreta Synodalium totius orbis Pontificum aliud Pascha celebrarent.] hæc de Honorio Beda, qui de successoribus eius in id ipsum incumbentibus dicere pergit; sed de ijs suo loco dicendum.

HONORIVS CORRIGIT SCOTOS.

[b] *Bed. histor. Angl. lib. 2. c. 19.*

Hoc eodem anno, qui numeratur tertius Sisenandi Regis monarchiam Hispaniæ obtinentis, celeberrima Synodus Toletana, quarta dicta, celebrata est, eademq. generalis

CONC. TOLET. QVARTVM.

ralis a Patribus qui interfuerunt appellata, Era nimirum sexcentesima septuagesima- A
prima, vt ex veteribus scriptis codicibus qui illustrauit Ecclesiasticas Hispaniæ anti-
quitates Garsias Loaisa testatur. Interfuerunt Episcopi numero sexagintaduo tam ex Hi-
spania, quam Gallia Narbonensi, quæ parebat Hispaniarum Regi, Toletum vocati:
quibus præfuit sanctus Isidorus Spalensis Episcopus, primus ordine recensitus, & in sub-
scriptionibus Episcoporum ceteris prælatus. Ex quibus dubitare minime liceat, fuisse
idem Concilium eiusdem Isidori nobilem partum probe formatum, ceterorumq. Episco-
porum sententijs exornatum: quod quidem septuaginta capita continet de his quæ ad
doctrinam Catholicam primum, deinde vero quæ ad disciplinam Ecclesiasticam & bonos
mores spectant, docte pieq. & nonnisi Spiritus sancti illustratione sancita.

Sed illud perpetua memoria dignum, quod in præfatione ipsius Synodi sanctissimi Pa- B
tres docent, quantus esset in Rege maxime pio erga Dei sacerdotes cultus & obseruantia:
REX HVMI PROCVMBIT ANTE SACERDOTES. hæc enim ipsi præfando habent post alia: Hic quippe Rex, *Sisenandus videlicet*, dum in
basilica beatissimæ & sanctæ confessionis Leocadiæ omnium nostrũ pariter iam cœtus ad-
esset, tali pro merito fidei suæ cum magnificentissimis viris ingressus, primum coram
sacerdotibus Dei humo prostratus, cum lacrymis & gemitibus pro se interueniendum
Domino postulauit: deinde religiosa prosecutione Synodum exhortatus est, vt paterno-
rum decretorum memores, ad conseruanda in nobis iura Ecclesiastica studium præbere-
mus, & illa corrigere, quæ dum per negligentiam in vsum venerunt, contra Ecclesiasticos
mores licentiam sibi de vsurpatione fecerunt, &c.]

Quomodo autem post hæc primo loco a Patribus fidei Catholicæ professio edita est, in C
qua Spiritum sanctum a Patre Filioq. procedere professi sunt (quod alias sæpe prædeces-
sores professi fuerant) Acta declarant. Quod insuper ad idem Concilium spectat, alibi
[a] ipse Isidorus hæc habet [a]: Addiderunt his quæ ad cultum diuinum spectarent, vt vnus
vbique in prouincijs omnibus sacer ritus seruaretur in cunctis ministerijs Ecclesiasticis.]

Quod ad hæc pertinet, fuit sententia plurimorum, cui volens libensq. subscribo, *in hoc*
Concilio a Patribus iniunctum S. Isidoro rerum Ecclesiasticarum peritia & scientia cete-
ris excellenti, vt ex præscripto sacri Concilij volumina elucubraret Ecclesiasticorum
officiorum, quibus tum in sacris Missis, tum in horis psallendis canonicis nocturnis
atque diurnis vti deberent omnes Hispaniarum Ecclesiæ: quod quidem ab eo quam fe-
licissime præstitum est, ita vt & Missale atque Breuiarium ederet. Extant adhuc ipsa
sacra volumina, quæ Ecclesiasticam redolent antiquitatem, sub titulo pariter eiusdem
sancti Isidori cusa.

Sed cur idem officium sacrorum rituum vulgo Mozarabe dicatur, libenter assentior D
ijs qui dicunt vocem esse deprauatam, & loco Mixtarabum, dici Mozarabe. Non enim
MOZARABE CVR DICTVM SACRVM OFFICIVM S. ISIDORI. ignorandum est, post Sarracenorum tyrannidem Hispanijs dominantium, Christianorum
carum prouinciarum factam esse diuisionem, aliorum videlicet qui viuerent inter Ara-
bes velut serui, & aliorum qui extorres facti, ab ijs sua suosq. relinquentes aufugerint
siue ad montes, siue ad exteras nationes: Hos ergo gentiles suos viuentes inter Arabes,
Mixtarabes appellasse; ritumq. ipsum sacrorum, quem ex vsu librorum sancti Isidori ij-
dem retinerent, quibus ipsi fuga lapsi carerent, eodem pariter nomine Mixtarabum of-
ficium dicere consueuisse, quod eo scilicet vterentur Mixtarabes Christiani.

Insuper quod ad hoc ipsum Concilium pertinet: ijdem Patres, quoniam pristinum vsum
ALIA IN CONCILIO STATVTA. de conuocandis bis in anno prouincialibus Synodis exoleuisse viderent; vt saltem semel
in anno comprouinciales Episcopi conuenirent, sanxerunt: sed & ipsam formulam, quæ ser- E
uari deberet cum Concilium celebraretur, pariter Isidoro auctore præscripserunt. Addi-
tus est demum canon de admonitione ad populum facienda, vt sit fidelis Regi, seruetq.
illibatum præstitum de fide seruanda iusiurandum. Reliqua tu consulas obseruatione di-
gnissima. Quantum vero post hæc superuixerit sanctus Isidorus, suo loco dicemus: con-
stat autem haud diutius superuixisse: siquidem Concilio Toletano sexto, quod post an-
nos quinque celebratum est, subscriptus legitur Honoratus Episcopus Hispalensis, cum
nec in quinto Toletano Concilio reperiatur subscriptus cum alijs Isidorus.

[a] *Isid. orig. lib. 7*

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 634. HONORII PAP. ANNVS 9. HERACLII IMP. ANNVS 25.

SEquitur ordine tẽporis annus sexcentesimus trigesimusquartus Redemptoris humani generis, Indictione septima, quo Sarraceni mirum in modũ inualuerunt contra Romanos, quos sæpe vicerunt, & ciuitatibus atque prouincijs spoliarunt Syria & Aegypto. Cognita plane sunt iudicia Domini vera & iustificata in semetipsa. Etenim qui pollens fide Catholica Heraclius Imperator nullo ferme negotio Persas indomitos superauit: vbi ab ea excidit, addictus hæresi, Deum pariter a se longius ablegans, penitus euasit im- B bellis. Sed & in eo perspicue noscitur fuisse æqua lance libratum iudicium, cum permisit Deus, vt Aegyptij subiugarentur a Sarracenis eo tempore quo in Aegypto per Cyrum Episcopum Alexandrinum noua hæresis communi consensu omnium pullularet.

ROMANI ITERVM SVPERANTVR A SARRACENIS.

Rem gestam ex Annalibus hic reddamus: ita enim ex Theophane habent: Anno vigesimoquinto Imperij Heraclij, Sarraceni aciem direxerunt in Arabiam contra Damascum, cum essent multitudinis infinitæ. Quo Bahanes comperto, ad Imperialem Sacellarium mittit, vt veniret cum exercitu suo in auxilium sibi, cum plurima esset Arabum copia. Venit ergo Sacellarius ad Bahanem. Qui profecti ab Emesa, occurrerunt Arabibus, & conflictu facto prima die, quæ tertia feria hebdomadis erat, mensis Augusti die vigesimatertia, superantur hi qui circa Sacellarium sunt inuenti: simultate autem facta, hi qui cum Bahane exercitus duce erant, Bahanem prouehunt Imperatorem, & Heraclium respuunt. C Tunc hi qui cum Sacellario erant, discesserunt; & Sarraceni, aditu reperto, bellum ineunt.

PROPLIGANTVR ROMANI, ET CAPITVR DAMASCVS.

Inter hæc vento Noto spirante contra Romanos, non valentes in faciem occurrere propter puluerem, superantur, & semetipsos immittentes in arctam viam Hermuctan fluminis, illic penitus interierunt. Erant autem vtriusque prætoris quadraginta millia. Tunc Sarraceni splendide triumphantes contra Damascum veniunt, & hanc capiunt, & regiones Phœnices capiunt, & habitant illic.] Erant inter alios ciues Damasci parentes sancti Ioannis Damasceni, qui ob insignia virtutum præconia inter captiuos liberi permanserunt. De his enim hæc in rebus gestis ipsius sancti Ioannis: Ex quo tempore Agareni vrbem imperio suo ac ditioni subiecerunt, Orthodoxorum doctrinam nullo modo labefactarunt. Quo etiam factum est, vt insignes eos ac celebres inter medias impiorum cateruas virtus reddiderit, vtpote quam hostes quoque ipsi venerationi habeant.] D adeo vt publicis manciparentur functionibus, & serui dominarentur dominis suis. Porro nondum natus hoc tempore fuerat ipsis Ioannes, sed postea, vt auctor videtur innuere.

De Damasco dum agit Beda in libello de locis sanctis, hæc habet: Ibi dum Christiani sancti Ioannis Baptistæ ecclesiam frequentant, Sarracenorum Rex cum sua genre aliam instituit & sacrauit.] hæc ipse. Sed rursus Annales de Aegypti facta a Sarracenis inuasione: Sarraceni in Aegyptum aciem dirigunt. Cyrus autem Alexandrinus Epi- TENTANT SARRACENI AEGYPTVM. scopus, cum horum impetum cognouisset, operam dedit, & pactis firmatis pollicetur, timens auaritiam eorum, ducenta millia denariorum per singulos annos illis collaturam Aegyptum, sed & diffinitarum eis induciarum fore aurum missurum: quibus præstitis per tres annos, Aegyptum liberam ab exterminio statuit. Accusatur interea Cyrus apud Imperatorem, quod aurum Aegypti Sarracenis tribueret. Qui cum iratus misisset, hunc E accersiuit: Manuelem vero quemdam Armenium genere destinauit Augustalem. Cum autem annus adimpletus esset, Sarracenorum actores venerunt aurum accipere: at Manuel inefficaces eos expellit: Non sum (inquiens) Cyrus inermis, vt tributa vobis tribuam, sed armatus sum.

AEGYPTVS SVBDITA SARRACENIS.

Cumq. isti abijssent, confestim armantur Sarraceni aduersus Aegyptum, & Manueli bello illato, hunc abigunt: ipse vero cum paucis quibusdam Alexandriæ solus recipitur. Tunc Sarraceni Aegyptum sub tributo reddidere. Ast Imperator, auditis his quæ gesta sunt, mittit Cyrum ad persuadendum eis ab Aegypto sub priori placito recedendi. Et abiens Cyrus ad castra Sarracenorum, rationem reddidit, se esse perhibens præuaricationis obnoxium, & si vellent priorem concordiam, iuramentis affirmaturum. Porro Sarraceni nullatenus his acquiescentes, dixerunt Episcopo: Potes hanc maximam columnam deuorare? Qui ait: Non potest fieri. At illi: Nec nobis, inquiunt, possibile est vlterius

ab Aegy-

ab Aegypto recedere.] hactenus huius anni res gestæ ex Annalibus [a]. Sic igitur quæ sem- A
per ab Augusti temporibus Aegyptus sub Romanorum Imperatorum ditione hactenus perseuerauit, ipsam perdidit hæreticus Imperator, & sua perfidia tradidit Sarracenis. Pugnauit tunc Deus aduersus Romanum Imperium pro Sarracenis, cum ipse Imperator pro hæreticis aduersus Ecclesiam Catholicam bellum strueret.

[a] *Theoph. an. 25. Heracly.*

OSVVALDVS REX PIETATE SVPERAT HOSTES.

Sed sicut impietas deijcit impios, ita pietas religiosos exaltat. Quam enim e contra potens existat aduersus hostes licet longe numero superiores Rex pietate præstans, quod proxime dicturi sumus, declarat exemplum de rebus hoc pariter anno gestis. Meminisse debemus quæ anno superiori dicta sunt de potentissimo Britannorũ Rege Carduella, qui prœlio obtinuit occiditq. Eduinum Regem, eiusq. successores duos Reges e medio sustulit: Hunc ipsum victoria elatum, inuictum, numeroso potentiq. pollentem exercitu, præter expectationem Osuualdus sanctissimus Rex longe impari copiarum numero superauit atque occidit. Fuit iste sextus Nordhumbrorum Anglorum Christianissimus Rex Eduini successor, vt Beda testatur, qui hæc ait [b]: Superueniente cum paruo exercitu, sed fide Christi munito, infandus Britonum dux cum immensis illis copijs, quibus nihil resistere posse iactabat, interemptus est in loco qui lingua Anglorum Denisesburna, id est, riuus Denisi, vocatur. B

[b] *Bed. histor. Angl. lib. 3. c. 1. in fin. & c. 2.*

MAGNA FIDES OSVVALDI REGIS IN ERIGENDA ATQVE COLENDA S. CRVCE.

Ostenditur autẽ vsque hodie & in magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad hanc pugnam Osuualdus signum S. Crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus est, vt in tanta rerũ necessitate suis cultoribus cælesti succurreret auxilio. Denique fertur, quia facta citato opere Cruce, ac fouea præparata in qua statui deberet, ipse fide feruens hanc arripuerit, & foueæ imposuerit, atque vtraque manu erectam tenuerit, donec aggesto a militibus puluere, terræ figeretur. Et hoc facto, elata in altum voce, cuncto exercitui proclamauerit: Flectamus omnes genua, & Deum omnipotentem viuum ac verum in communi deprecemur, vti nos ab hoste superbo ac feroci sua miseratione defendat. Scit enim ipse, quia iusta pro salute gentis nostræ bella suscepimus. C

Fecerunt omnes vt iusserat; & sic incipiente diluculo, in hostem progressi, iuxta meritum suæ fidei victoria potiti sunt. In cuius loco orationis innumeræ virtutes sanitatum noscuntur esse patratæ, ad indicium videlicet ac memoriam fidei Regis: nam & vsque hodie multi de ipso ligno sacrosanctæ Crucis assulas excidere solent, quas cum in aquas miserint, eisq. languentes homines ac pecudes potauerint, siue asperserint, mox sanitati restituuntur. Vocatur locus ille lingua Anglorum Heofonfeld, quod dici potest Latine, cælestis campus: quod certo vtique præsagio futurorum antiquitus nomen accepit, significans nimirum, quod cæleste ibidem erigendum trophæum, cælestis inchoanda victoria, cælestia vsque hodie forent miracula celebranda. Est autem locus ille iuxta murum illum ad Aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos barbarorum impetus, totam a mari vsque ad mare præcinxere Britanniam, vt supra docuimus. In quo videlicet loco consuetudinem multo iam tempore fecerant fratres Hagustaldensis ecclesiæ, quæ non longe abest, aduenientes omni anno pridie quam postea idem Rex Osuualdus occisus est, vigilias pro salute animæ eius facere, plurimaq. psalmorum laude celebrata, victimam pro eo mane sacræ oblationis offerre. Qui etiam, crescente bona consuetudine, nuper ibidem ecclesia constructa atque dedicata, sacratiorem & cunctis honorabiliorem omnibus locum fecerunt. Nec immerito: quia nullum (vt comperimus) fidei Christianæ signum, nulla ecclesia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum est, priusquam hoc sacræ Crucis vexillum nouus militiæ ductor, dictante fidei deuotione, contra hostem immanissimum pugnaturus statueret. D E

MIRACVLA EX LIGNO CRVCIS ERECTAE AB OSVVALDO

MIRACVLVM DE EADEM CRVCE.

Nec ab re est, vnum e pluribus, quæ ad hanc Crucem patrata sunt, virtutis miraculum narrare. Quidam e fratribus eiusdem Hagustaldensis ecclesiæ, nomine Bothelmus, qui nuncusque superest, ante paucos annos, dum forte noctu in glacie incederet, repente corruens brachium contriuit, ac grauissima fracturæ ipsius cœpit molestia fatigari, ita vt ne ad os quidem adducere ipsum brachium vllatenus, dolore arcente, valeret. Qui cum die quadam mane audiret vnum de fratribus ad locum eiusdem sanctæ Crucis ascendere dispositisse, rogauit vt aliquam sibi partem de illo ligno venerabili rediens afferret; credere se dicens, quia per hoc, donante Domino, salutem posset consequi. Fecit ille vt rogatus est, & reuersus ad vesperam, sedentibus iam ad mensam fratribus, obtulit ei aliquid de veteri musco, quo superficies ligni erat obsita. Qui cum sedens ad mensam

non

A non haberet ad manum vbi oblatum sibi munus reponeret, misit hoc in sinum suum: & dum iret cubitum, oblitus hoc alicubi deponere, permisit suo in sinu permanere. At medio noctis tempore, cum euigilaret, sensit nescio quid frigidi suo lateri adiacere: admotaq. manu requirere quid esset, ita sanum brachium manumq. reperit, ac si nil vmquam tanti languoris habuisset.] hactenus de signis Crucis illius virtute editis Beda, quæ ante victoriam in trophæum erecta sicut victoriæ obtinendæ causa præcessit, ita obtentæ testis semper miraculis loquens posteris fuit.

Sed quomodo propagata sit apud Anglos Osuualdo subditos fides Christiana, ex eodem auctore rem accurate prosequente narratio petenda est. ait enim[a]: Idem ergo Osu- *a Bed. hist. Anglor. lib. 3. c. 3.*
ualdus mox vbi regnum suscepit, desiderans totam cui præesse cœpit gentem, *Bernicio-*
rum scilicet, fidei Christianæ gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnan- PROPAGATIO FIDEI IN ANGLIA.
B dis barbaris iam ceperat, misit ad maiores natu Scotorum (inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his qui secum erant militibus consecutus erat) petens vt sibi mitteretur Antistes, cuius doctrina ac ministerio gens quam regebat Anglorum Dominicæ fidei & dona disceret, & susciperet sacramenta.] & post multa:

Ferunt[b] autem, quia cum de prouincia Scotorum Rex Osuualdus postulasset Antisti- *b Bed. lib. 3. c. 5. in fin.*
tem, qui sibi suæq. genti verbum fidei ministraret, missus fuerit primo alius austerioris RIGIDVS PRAEDICATOR NON AVDITVR.
animi vir: qui cum aliquandiu genti Anglorum prædicans, nil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit in patriam, atque in conuentu seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, potuisset, eo quod essent homines indomabiles & duræ ac barbaræ mentis. At illi (vt perhibent) tractatum magnum in Concilio, quid esset agendum, habere cœperunt, desiderantes quidem genti quam petebant sa-
C lutem esse, sed non recepto quem miserant prædicatore dolentes. Tunc ait Aidanus (nam & ipse Concilio intererat, *vnus ex illis monachus*) ad eum, de quo agebatur, sacerdotem: Videtur mihi, frater, quia durior iusto indoctis auditoribus fuisti, & non eis iuxta Apostolicam disciplinam primo lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora & ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent. Quo audito, omnium qui considebant, ad ipsum ora & oculi conuersi, diligenter quid diceret discutiebant, & ipsum esse dignum Episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernunt, qui gratia discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur imbutus: sicq. illum ordinantes, ad prædicandum miserunt. Qui vbi tempus accepit, sicut prius moderamine discretionis, ita postmodum & ceteris virtutibus ornatus apparuit.] Quantum autem iste profecerit in Euangelij prædi-
D catione, quam interprete vsus Rege populo annunciabat, idem Beda enarrat.

Sed antequam de his agamus, illud necessario præmittendũ, Scotorum Ecclesiam, licet diuerso tempore (quod etiam superius dictum est) a cõmuni ritu Catholicæ Ecclesiæ Pa- ERROR DE CELEBRATIONE PASCHATIS.
scha celebraret, non tamen ob id a cõmunione sedis Apostolicæ separatã fuisse aliquando. Etenim licet error grauis esset, vtpote toties in Ecclesia Catholica condemnatus; tamen quod circa ritus, non autem circa fidei Catholicæ dogmata versaretur, visus est in gente illa a sede Apostolica tolerandus, donec perfectius posset populus imbui veritate: cuius rei gratia crebras ad eos litteras misisse Romani Pontifices reperiuntur, & (vt nuper vidimus) ipse Honorius id ipsum præstitit & successores. Ceterum nec fuisse videntur eo tempore Scoti eius erroris, vt inter schismaticos a sacrosancto Nicæno Concilio re-
iectos, quos vocauit Tesseradecatitas, id est, Quartadecimanos, collocari oporte-
E ret: siquidem etsi non Romano, neque tamen Iudæorum more Pascha Domini celebrare consueuerunt. Nam cum de Aidano Scoto idem Beda inferius agit, hæc diligenter notanda habet[c]:

Hæc in præfato Antistite multum complector & amo: quia nimirum hæc Deo placuis- *c Bed. hist. Anglor. lib. 3. c. 17. in fin.*
se non ambigo. Quod autem Pascha non suo tempore obseruabat, vel canonicum eius tempus ignorans, vel suæ gentis auctoritate, ne agnitum sequeretur, deuictus; non approbo, nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur, & prædicabat, quam quod nos, id est, redemptionem generis humani per passionem, resurrectionem, & ascensionem in cælos mediatoris Dei & hominum Iesu Christi. Vnde & hanc non (vt quidam falso opinantur) quartadecima Luna in qualibet feria cum Iudæis, sed die Dominica semper agebat a Luna quartadecima vsque ad vigesimam, propter fidem videlicet Dominicæ resurrectionis, quam vna sabbati

factam

factam propter spem nostræ resurrectionis, quam eamdem vna sabbati, quæ nunc Dominica dies dicitur, veraciter futuram sancta Ecclesia credebat.] hæc Beda. A

AIDANVS NON CENSENDVS INTER SCHISMATICOS.

Sed quo auctore id Scoti agerent, idem auctor superius de eodem agens, sic ait [a]: Hoc etenim ordine Septemtrionalis Scotorum prouincia & omnis natio Pictorum illo adhuc tempore Pascha Dominicũ celebrabat, æstimans se in hac obseruantia sancti ac laude digni patris Anatolij scripta secutam: quod quidem an verum sit, peritus quisque facillime cognoscit. Porro gentes Scotorum, quæ in Australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, iamdudum ad admonitionẽ Apostolicæ sedis Antistitis, Pascha canonico ritu obseruare didicerunt.] At de Scotorum Paschatis celebratione inferius pluribus agendum erit. Modo autem satis dixisse sufficiat, longe abesse, vt vir Apostolicus Aidanus, qui Apostolico munere gentem illam ad fidem conuertit, inter Quartadecimanos schismaticos ob Paschæ diuersum ritum sit numerandus. Iam vero reliquum est, vt de propaga- B tione fidei Christianæ ad Anglos sub Osuualdo per eumdem Aidanum facta cœptam historiam prosequamur. Sunt ea quidem admiranda, summaq. laude digna, videre scilicet Regem ipsum exhibentem nouo Apostolo munus interpretis. Ait enim Beda [b]: Pulcherrimo sæpe spectaculo contigit, vt euangelizante Antistite, qui Anglorum linguam perfecte non nouerat, ipse Rex suis ducibus ac ministris interpres verbi existeret cælestis; quia nimirum tam longo exilij sui tempore linguam Scotorum iam plene didicerat.

OSVVALDVS REX INTERPRETIS LOCO INSERVIT EPISCOPO PRAEDICANTI.

Exinde cœpere plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam, atque illis Anglorum prouincijs quibus regnauit Rex Osuualdus, magna deuotione verbum fidei prædicare, & credentibus gratiam baptismi quicumque sacerdotali erant gradu præditi ministrare. Construebantur ergo ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes: donabantur munere regio possessiones & territoria ad instituenda C monasteria: imbuebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum, vna cum maioribus, studijs & obseruatione disciplinæ regularis. Nam monachi erant maxime qui ad prædicandum venerant, monachus ipse Episcopus Aidanus, vtpote de insula quæ vocatur Hy- destinatus, cuius monasterium in cunctis pene Septemtrionalium Scotorum & omnium Pictorum monasterijs non paruo tempore arcem tenebat, regendisq. eorum populis præerat.] Et post multa de eodem monasterio, hæc de Aidani virtutibus [c]:

CHRISTIANI CVLTVS PROPAGATIO IN ANGLIA.

Inter alia viuendi documenta saluberrimum abstinentiæ vel continentiæ clericis exemplum reliquit: cuius doctrinam id maxime commendabat omnibus, quod non aliter quam viuebat cum suis, ipse docebat: nihil enim huiusmodi quærere, nil amare curabat. Cuncta quæ sibi a Regibus vel diuitibus sæculi donabantur, mox pauperibus qui occurrerent, erogare gaudebat. Discurrere per cuncta & vrbana & rustica loca, non equo- D rum dorso, sed pedum incessu vectus, nisi si maior forte necessitas compulisset, solebat: quatenus vbicumque aliquos vel diuites vel pauperes incedens aspexisset, confestim ad hos diuertens, vel ad fidei suscipiendum sacramentum, si infideles essent, inuitaret; vel si fideles, in ipsa eos fide confortaret, atque ad eleemosynas bonorumq. operum executionem & verbis excitaret & factis.

AIDANI EPISCOPI VITA APOSTOLICA.

In tantum autem vita illius a nostri temporis segnitie distabat, vt omnes qui cum eo incedebant, siue attonsi siue laici, meditari deberent, id est, aut legendis scripturis aut psalmis discendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius & omnium qui cum eo erant fratrum, vbicumque locorum deueniissent. Et si forte eueniisset (quod tamen raro euenit) vt ad Regis conuiuium vocaretur; intrabat cum vno clerico aut duobus: & vbi paululum reficiebatur, accelerabat ocyus ad legendum cum suis, siue ad orandum exi- E re. Cuius exemplis informati, tempore illo, religiosi quique viri ac feminæ consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione Quinquagesimæ Paschalis, quarta & sexta sabbati ieiunium ad nonam vsque horam protelare. Numquam diuitibus honoris siue timoris gratia, si qua deliquissent, reticebat, sed aspera illos inuectione corrigebat.] Hæc & alia præstans Aidanus, optime Apostolici viri numeros explebat. At de Rege ista subdit idem Beda [d]:

Huius igitur reuerendissimi Antistitis doctrina Rex Osuualdus cum ea cui præerat gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis regna cælorum sperare didicit; sed & regna terrarum plusquam vlli maiorum suorum ab eodem vno omnipotenti Deo, qui fecit cælum & terram, consecutus est. Denique omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas (id est, Britonum, Pictorũ, Scotorum, Anglorũ) diuisæ sunt,

in ditio-

[a] *Bed. lib. 3. c. 3.*

[b] *Bed. ibid.*

[c] *Bed. lib. 3. c. 5.*

[d] *Bed. lib. 3. c. 6.*

A in ditione accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus (quod mirũ dictu est) pauperibus & peregrinis semper humilis, benignus, & largus fuit. Denique fertur, quod tẽpore quodam, cum die sancto Paschæ cum præfato Episcopo consedisset ad prandium, positusq. esset in mensa coram ipso discus argenteus regalibus epulis refertus, iamq. essent manus ad panem benedicendũ missuri, intrasse subito ministrum ipsius, cui suscipiendorum inopum erat cura delegata, & indicasse Regi, quia multitudo pauperũ vndecumque aduenies maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ a Rege. Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, & discum confringi atque eisdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso, Pontifex qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Numquam inueterascat hæc manus. Quod & ita iuxta votum benedictionis eius prouenit. Nam cum interfecto illo in pugna, manus cum brachio a cetero essent B corpore resectæ, contigit vt hactenus incorruptæ perdurent: denique in vrbe regia, quæ a Regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusæ argenteo, in ecclesia sancti Petri seruantur, ac digno a cunctis honore venerantur. Huius industria Regis, Deirorum ac Berniciorum prouinciæ, quæ eatenus ab inuicem discordabant, in vnam sunt pacem, & velut vnum compaginatæ in populum. Erat autem nepos Eduini Regis ex sorore Acha, dignumq. fuit vt tantus præcessor talem haberet de sua consanguinitate & religionis heredem & regni.] hactenus de his Beda: reliqua autem de latiori propagatione fidei Christianæ apud Anglos facta sequenti anno dicturi sumus, quod ratio id temporis postulet.

LAVDES OSVVALDI REGIS.

C IESV CHRISTI ANNVS 635. HONORII PAP. ANNVS 10. HERACLII IMP. ANNVS 26.

QVi sequens est Redemptoris annus trigesimusquintus post sexcentesimum, Indictione octaua, fuit malorum quæ in eo acciderunt memoria posteris etiam luctuosus, obsidione videlicet sanctæ ciuitatis Hierusalem, quæ postea sequenti capta est, infelix, & clade Romani exercitus. Non possunt, cum grauissima vrgent mala, non statim conuerti oculi ad eorum originem, ex qua fluxerunt, respiciendam ac detestandam, in ipsum inquam Imperatorem derelictum a Deo, cum ipse ob impietatem prius ab eo recessit. Ingratus Heraclius, cum post Persas diuino auxilio debellatos, post tanta tot annis D continuata accepta ingentia a Deo beneficia, erga religionis puræ cultum debuisset esse propensior, Catholicamq. pietatem custoditam tueri ac solicitius propagare: tunc factus ipse Catholicæ desertor Ecclesiæ & transfuga, aduersus Catholicos pro hæreticis bella parans ac renouans, Dei in se suosq. iram conuertit, fuitq. a Deo infelix penitus destitutus, cum hæreticis ipse miser inhæsit; dumq. oppugnaturus pietatem, parauit illo Concilia malignantium, Deus in Romanum Imperium barbaros Arabes ac Sarracenos excitauit, quibus & fauit quantumlibet impijs, in delendis sæpissime eiusdem Imperatoris Heraclij exercitibus: cum tamen nec tot cladibus singulis annis exagitatus, e letali somno excitatus, euigilans ipse resipuerit. Sed quæ Annales reddant, rudi licet Minerua, sincera tamen veritate, videamus: hæc enim in ijsdem ex Theophane hoc anno descripta leguntur:

HERACLII IMPIETATIS DETESTATIO.

E Anno vigesimosexto Imperij Heraclij aciem direxit Haumar *princeps Arabum atque Sarracenorum* contra Palæstinam, & obsidens sanctam ciuitatem biennij tempore, cepit eam verbo] pactis conuentis scilicet. At de ipsa ciuitatis captiuitate agendũ anno sequenti, quo fieri contigit. Subdunt post hæc Annales de alijs hoc anno damnis illatis Romano Imperio ab ijsdem Sarracenis, his verbis: Eodem quoque anno misit Haumar in Syriam, & subegit totam Syriam Sarracenis. Sergius autem dux Romanorum exercitus, Cæsarea Palæstinæ veniens cum exigua militum manu, primus ipse cum exercitu interficitur.] hæc tantum de his Annales, paucis quidem mala ingentia perstringentes. Quod autem ad ipsam obsidionem sanctæ ciuitatis pertinet, de ea meminit eiusdem ciuitatis Episcopus Sophronius in homilia quam habuit in die Nataljs Domini hoc eodem tempore quo Hierosolyma obsessa est; dum luget, quod suo loco celebrare cum suis non posset Natalitium Domini, Bethlehem scilicet; eo quod obsessa a Sarracenis ciuitas esset, & Bethlehem

HIEROSOLYMA OBSIDETVR, ET SYRIA OCCVPATVR A SARRACENIS.

a Cedren. hoc anno in fine.

Universidad de Deusto Biblioteca

lelem in manibus hostium. Porro illa dumtaxat ex ea hic describemus, quæ ad eamdem A
Hierosolymitanæ sanctæ ciuitatis obsidionem pertinent: post multa enim de eadem so-
lemnitate quâ eloquentissime dicta, ista subijcit, cum de Bethlehem meminit[a]: Nos au-
tem propter innumera peccata nostra, grauissimaq. errata, earum rerum contemplatio-
ne indigni effecti, cursu illuc contendere, præstoq. adesse prohibemur, sed vel inuiti & no-
centes domi manere cogimur, nullis sane corporis vinculis adstricti, verum Sarracenico
metu absterriti & compediti, tristitiaq. nostra quidem infelicitate digna, indigna autem
bonis quæ nobis alioqui debebantur, veluti tempestate quadam iactati. Quandoquidem
si miseria nostra bonis illis digna fuisset, omnino nos quoque prope loca illa positi (nec
enim a longinquo illa aspicimus) cum pastoribus choros duceremus, & cum Magis do-
na Deo afferremus, & cum Angelis odam illam, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax
hominibus bonæ voluntatis, decantaremus. Verum enimuero eiusmodi voces vel B
hoc loco depromere inoffense sinimur: at ipsum vero præsepe & specum illam vere sub-
limem cælestemq. contueri, & cæli terræq. Regem coram istic contemplari, tamquam
spectaculo huiusmodi indigni, omnino vetamur.

[a] Extat tom. 2. Biblioth. sanct. Patr. LAMENTATIO SOPHRONII IN DIE NATALIS DOMINI.

Vere generis nostri principem, primumq. parentem Adamum, a paradisi habitatione
miserabiliter proscriptum, hic imitamur: etenim ob nefaria peccata lapsusq. quæ prau
præposteraq. mente subinde designamus, tam grauia, vel multo quoque grauiora trislio-
raq. patimur, quam ille. Nam vt ille e paradisi delicijs proscriptus, exulq. factus, &
grauissima irreuocabiliq. Dei sententia inde eiectus, oculis quidem paradisi hortum vsur-
pabat (e regione enim illius habitabat) ad ipsum autem denuo regredi non valebat,
vt qui flammeam illam versatilemq. romphæam, quæ aditum ad huiusmodi locum præ-
cludebat, ipsumq. ob designatum præuaricationis peccatum bono illo ardenter cupito C
orbabat, ob oculos versari cerneret: ita nos quoque hodierna die mulctamur. Quando-
quidem ciuitatem Bethlehem, quæ Deum excepit, vicinam habemus, neque in ipsam ta-
men ingredi permittimur, non quidem ardentem illam versatilemq. paradisi romphæam
conspicantes, sed efferatũ, planeq. barbarum, atque omnino vera crudelitate plenum Sar-
racenorum gladium extimescentes. Hic enim gladius horrendum fulminans, cædemq.
spirans & intentans, beatæ illius visionis exortes nos reddit, domiq. citra vlteriorem
progressionem manere compellit. At vero licet Agarenorum sica æque nunc fulminet,
ac romphæa illa quæ paradisi ostium quondam asseruabat: attamen si nos voluerimus,
hoc est, si conuersi, Deum nostri causa natum per studiosa opera ex animo quæsiuerimus,
vt antea fuerat, sedata mox & mitis euadet. Si inquam nos peccatorum flammas per pœ-
nitentiam restinxerimus, & Deum optimum maximum propter nos & secundum nos na- D
tum religiose coluerimus, operumq. quæ ille execrari solet, studium intermiserimus, ar-
doris sui sensum facile deponet.

Qua, quæso, fronte ad Deum accedere audemus, qui nullam neque animi secun-
ditatem, neque corporis castimoniam muneris loco deferimus? Quomodo ipsi appro-
pinquare non veremur, qui operum quæ illi lætitiam & voluptatem parere dignoscun-
tur, suaueolentiam nullam obtinemus; præsertim cum flagitiosorum operum grauco-
lentiam infestissime odisse non ignoremus? Metuo autem, magnoq. tremore constrin-
gor, ne qui Orthodoxam fidem habere videmur, non secundum illam quoque laborare
deprehendamur: vt qui eam solam, hoc est, ab honestarum actionum coniugio seiun-
ctam, bonorumq. operum comitatu destitutam oberrare permiserimus. Si enim fides,
[b] Iac. 2. studiosa fragrantium operum actione orbata, secundum Iacobum [b] fratrem Domini, qui E
huius quoque gregis pastor aliquando extitit, est mortua: quomodo nos rectum cur-
sum tenebimus, qui fidem operibus quasi alis quibusdam exornare non curamus?] & infe-
rius in eadem sententia perstans, ista subdit: Si itaque paternam illius voluntatem fe-
cerimus, veramq. & Orthodoxam fidem constanter retinuerimus, Ismaelitarum rom-
phæam facili negotio amoliemur, Sarraceñicamq. sicam a nobis auertemus, & Agare-
norum arcum confringemus, & diuinam Bethlehem non longo post tempore contempla-
bimur, & quæ in illa sunt admirabilia contuebimur.] & inferius post multa de incarna-
tionis mysterio sapienter dicta, in eodem versatus argumento hæc addit:

Fratres, festum diem nos hodie obimus, etiam si magna cum tristitia illud faciamus; vt
qui locum, in quo Deus Verbum & Dominus per exortum, qui verbis explicari nequit,
apparuit, propinquum habeamus, neque ad illum tamen accurrere valeamus. Sane idem

fere

A fere hic nobis vsu venit, quod diuiniſſimo Moyſi. Hic enim in monte præcelſum ſubuectus, promiſſionis terram oculis quidem vſurpabat, auidiſſimeq. in illam ingredi cupiebat: verum quod virgæ ſuæ verbere aquarum fluenta & riuos e petra educturus, Deũ non benedixiſſet, nequaquam huc ingredi permiſſus eſt. Et ille quidem ad eum modum terra multum deſiderata orbatus, mæroreq. exhauſtus, hinc ad Deum migrauit. Nos autem, qui his non diſſimilia patimur, quid faciemus? Nam etſi de cæleſtibus donis animo voluptatem capimus & lætamur, & religioſe nos oblectamus, & quaſi continuum gaudium haurimus: contriſtamur tamen & turbamur non parum, quod locum cominus aſpicere non licet, ibiq. feſtiuum conuentum agitare, vbi vera illa lux orta eſt, vbi æterna vita floruit, vbi tandem donorum & gratiarum omnium theſaurus aſpectabili forma apparens, omnes qui cum fide & pietate intuentur, illuſtrat & recreat, cæleſtiq. gaudio vberrime exatiat, B ac tales eis opes impertitur, quæ neque defluunt, neque deficiunt; efficitq. vt non abſque gaudio & oblectatione cum Angelis, paſtoribus, & Magis, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, concinant.

LVCTVS SOPHRONII DE BETHLEHEM A SARRACENIS POSSESSA.

Non Adamo tantũ primo generis noſtri parenti, diuinoq. Moyſi miſere admodũ hodierna luce aſſimilamur; verũ Dauidis quoque Dei parentis ſortem cũ primis exacte exprimimus, vt qui ijſdem pene difficultatibus hoc tempore inuoluamur, obſtaculisq. præpediamur, quibus olim ille. Etenim [a] Dauid in Regem a Deo aſſumptus, cum Philiſthæorũ acie vndique circumiecta aliquando coerceretur, ſpiritali ſiti, quali forſan nos modo, arens ardensq. ſalutarem aquam ex ciſterna quæ erat in Bethlehem, bibere deſiderabat. Aqua autem, quam myſtice ille expetebat, & viua erat, & omnes qui ex ea bibebãt, diuina virtute viuos efficiebat. Si ſcires [b] donum Dei (aiebat Chriſtus, fons ille vitæ numquam defi- C ciens, ad Samaritanam) & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſan petijſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.] & inferius:

[a] 2. Reg. 23.

[b] Ioan. 4.

Si ergo iuſti, & prophetæ, & Angeli, Chriſti natiuitatem & locum, in quo exoptatiſſimus eiuſdem ortus contigit, contueri deſiderabant & deſiderant: quid mirum eſt, ſi nos abiecti minimique, qui eiuſdem religionis & pietatis participes, Orthodoxæq. fidei coheredes effecti ſumus, ardenter iſtuc deſideremus. Et quænam cauſa, quæſo, diuinum Dauidem, cum & germanus Bethlehemita eſſet, ortumq. e Deifera Bethlehem duceret, impediebat, quo minus Bethlehemiticæ ciſternæ aquam, quam tantopere expetebat, tantaq. auiditate ſitiebat, biberet? eadem prorſus, quæ nos hoc tempore. Nam & ipſe quoque æque ac nos modo, ob hoſtilem metum, ad ſacram Bethlehem curſu contendere, aquamq. concupitam haurire prohibebatur (Quid enim homini contingere poteſt miſerabilius, quam D bonum deſideratum ob oculos poſitum habere, neque deſiderato tamen frui poſſe?) Quandoquidẽ tunc temporis quoque, perinde ac nunc, Philiſthæorum ſtatio Bethlehẽ obſidebat: eaq. res illum, quemadmodum nos quoque hac tempeſtate, quo minus bonum illud vſque adeo beatum & deſideratum (quippe quo nihil nobis obtingere potuiſſet felicius, aut honoratius, aut delectabilius) conſequamur, impedit & abſterret, ne ad diuinam Bethlehem accederet, abſterrebat & impediebat.] & inferius:

Tenemur profecto deſiderio & ſiti æque nos torrente, atque altera illa torrebat Regem: videre autem aquã (vt decantatus ille Dauid) & vel ſolo aſpectu animã viſumq. inde paſcere propter Sarracenorum metũ omnino non valemus. Etenim impiorũ Agarenorũ ſtatio æque nunc (vt dictum eſt) illuſtrẽ Bethlehem occupat & obſidet, vt quondã Philiſthæorum: nec vllũ prorſus tranſitum ad illam indulget. Interminatur enim cædẽ & interitum, E ſi quis ad ſanctam illam ciuitatem egredi, diuiniſſimæq. ac nobis optatiſſimæ Bethlehem appropinquare auſus fuerit. Quare intra ciuitatis huius portas concluſi, necnon in diuino hoc Dei genitricis templo conſtituti, feſtum hunc diem, anniuerſariamq. ſolemnitatem non citra triſtitiam obimus, publiceq. celebramus.] hæc autẽ & alia plura id genus hoc anno die Natali Domini pro concione Sophronius, quæ rem accurate conſideranti valeant lacrymas elicere copioſas, dum recogitat, cuncta loca ſancta, quæ erant extra Hieroſolymã, ferís barbaris Sarracenis fuiſſe expoſita, id e mœnijs ſpectantibus miſeris ciuibus.

Sed dum tot tenebræ occupant Orientem, lux Euangelica fulgentibus radijs coruſcat in Occidente, dum apud gentes quæ Deum ignorabant, ſplendor Euangelicæ prædicationis ab Apoſtolica ſede refulſit. Eo tempore (inquit Beda [c]) gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Geuiſſi vocabantur, regnante Cynigilſo, fidem Chriſti ſuſcepit, prædicante illis verbum Byrino Epiſcopo, qui cum conſilio Papæ Honorij

[c] Bed. hiſt. Anglor. lib. 3. c. 7.

AB HONORIO PAPA MITTITVR S. BYRINVS IN ANGL.

venerat in Britanniam, promittens quidē se, illo præsente, *Honorio Papa scilicet*, in inti- A
mis vltra Anglorum partibus, quo nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse spar-
surum. Vnde & iussu eiusdem Pontificis per Asterium Genuensem Episcopum in Epi-
scopatus consecratus est gradum. Sed in Britanniam perueniens, ac primo Geuissorum
gentem ingrediens, cum omnes ibidem Paganissimos inueniret, vtilius esse ratus est ibi
potius verbum Dei prædicare, quam vltra progrediens, eos quibus prædicare deberet,
inquirere. Itaque euangelizante illo in præfata prouincia, cum Rex ipse catechizatus
REX GEVISSORVM CHRISTIANVS EFFICITVR. fonte baptismi cum sua gente ablueretur, contigit tunc temporis sanctissimum ac victo-
riosissimum Regem Nordhumbrorum Osuualdum affuisse, eumq. de lauacro exeuntem
suscepisse: ac pulcherrimo prorsus & Deo dignus consortio, cuius erat filiam accepturus
in coniugem, ipsum prius secunda generatione Deo dedicatum sibi accepit in filium. B
Donauerunt ergo ambo Reges eidem Episcopo ciuitatem quæ vocatur Dorcinca, ad fa-
ciendam inibi sedem Episcopalem: vbi factis dedicatisq. ecclesijs, multisq. ad Domi-
num pro eius labore populis aduocatis, migrauit ad Dominum, sepultusq. in eadem ci-
uitate.] hæc Beda vsque ad obitum sanctissimi viri, plurima paucis facta perstringens. Ex-
tant autem eiusdem sancti Acta [a], quibus & prædicatio eius nota temporum consignatur,
a Apud Sur. die 3. Decemb. nimirum anno trigesimooctauo ab ingressu Augustini in Angliam, ab aduentu Domini
anno sexcentesimo trigesimoquinto, qui præsens est annus. Sed prætermissum a Beda in-
gens viri Apostolici miraculum Apostolo dignum, ex ijsdem Actis hic describendum pu-
tauimus: sic enim ibidem enarratur:

Ad littus Britannici freti arrepto itinere perueniens, ascensurus nauem, diuina ce-
lebrat mysteria, sibi suisq. viaticum parans, salutaris hostiæ pia libamina Deo obtulit. C
Vrgente vero nauigationis articulo, ad nauim festinans introducitur: & insurgente ven-
to, dum alta sulcarent pelagi, reminiscitur Byrinus, se rem præcipue caram amisisse,
INGENS MIRACVLVM BYRINI APOSTOLICI VIRI. & nautis vrgentibus impeditum, in littore, vnde abscesserat, reliquisse. Dederat enim
ei Honorius Papa pallam, super quam corpus Christi consecrabat, & in qua corpus Do-
minicum inuolutum & ad collum suspensum semper secum ferebat, atque inter sacranda
sacrosancta mysteria super sanctum altare ponere consueuit. Fide igitur armatus, in mare
descendit, Deum auctorem habens per mare securus incedit, & recepto quod reliquerat, D
ad nauem regreditur: offendit autem illam quasi immobilem stantem, cum paulo ante
per vndas maris velociter currentem reliquisset. Vt autem in eam ingressus est, nec vna
quidem in vestimento eius aquæ gutta deprehensa est. Id nautæ videntes, flexis genibus,
tamquam Deum eum adorauerunt, & complures ex eis ad fidem Christi, prædicante il-
lo verbum Dei, conuersi sunt.] quod quidem adeo magnum fidei experimentum ab Apo-
stolico viro Deus edi voluit, quo sciretur, nihil habere minus ab Apostolis gratiarum, E
qui legitime susceptum Apostolicum munus obeunt. Porro hæc tanta peragendi data est
a Deo Byrino fiducia, ne sacrosanctum Christi corpus inuolutum palla relictum in litto-
re, ibidem remaneret. Vides perseuerasse hactenus apud fideles valde pios primum il-
lum morem, qui a S. Ambrosio describitur in funere Satyri fratris, portandi scilicet in
itinere terra mariq. sacrosanctam Eucharistiam sudario inuolutam: quam piam consue-
tudinem sicut feruens religio introduxit, ita & religio æque sancta subduxit: suadebat il-
lud tunc fides, quod postea reuerentia dissuasit: vtrobique commendandi fideles, sicut in
vtroque apparet Apostolorum prædicata fiducia, & commendata modestia, siue cum no-
b Ioan. 6. lunt ad momentum [b] carere Christi præsentia, siue (vt fecit Petrus) repellendo eum a F
c Luc. 5. se, cum dixit [c]: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.]

Sed non prætereat Honorij Romani Pontificis numquam satis laudata solertia, qui
HONORII SOLERTIA IN CONVERSIONE GENTIVM. exemplo eius quem coluit, Gregorij prædecessoris, ad Gentium conuersionem Apostoli-
cum rete longe lateq. ad Oceanum vsque mare per Apostolicos viros a se missos extendit,
& opportune quidem: postquā enim tam a Sarracenis, quam ab hæreticis Imperatoribus
pessumdari Orientem vidit, & cum tota nocte densa obscurata erroris caligine ibi pisca-
tus, nihil cepisset, ad imperium Domini in capturam piscium alibi laxat rete. Tolerauit
expectauitq. Pontificia indulgentia dissidentes Orientales, ne dissensionum fluctibus mer-
gerentur: dum interim abusi illi benignitate pastoris, clandestinis aggressionibus quatere
fidem Catholicam pertinaciæ arietibus non cessarent contra præcepta ipsius Honorij, qui
de nouitate vocū, scribens ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, silentium indi-
xisset. Quod vero nondum aperte sciretur fauere hæresi Imperator; quodq. tres pariter

Patriar-

A Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, & Constantinopolitanum eumdem propagare errorem non adhuc perspicue innotuisset; sed & cum insuper Sarracenorum armis Oriens laboraret, cogendi Concilij œcumenici tempus haud opportunum esset; cumq. adhuc velamentis pietatis fraude contecta, necdum zizania matura ad messem, vt diuidi possent a segete, perspicua apparerent: Honorius (vt dictum est) ista præteriens, ad Gentium conuersionem Apostolicum rete conuertit; quod, annuente Domino, plenum magnis piscibus traxit ad littus.

IESV CHRISTI ANNVS 636. HONORII PAP. ANNVS 11. HERACLII IMP. ANNVS 27.

B ANnus Redemptoris sexcentesimus trigesimussextus, Indictione nona, Christianæ religioni lugubris illuxit, quo ciuitas sancta, in qua operatus est Deus salutem in medio terræ, anno secundo obsidionis capitur a Sarracenis Christianæ religionis infensissimis hostibus; ab ijsdemq. non paucis annis, vt a Persis, captiua tenetur, sed vsque ad annum Domini millesimum nonagesimumnonum, post annos quadringentos sexagintatres, ex quo a fidei hostibus fuerat occupata: quæ & (proh dolor!) numquam e collo tyrannicum iugum excussisset, neque excussura fuisset vmquam armis Imperatorum Orientalium torpore languentium, nisi ab extremis orbis partibus Francorum ardens pietas cælesti munita auxilio, magna animi fortitudine id aggressa feliciter perfeciisset. Sed quid de his nobis Annales referent, audiamus. Ad præsentem namque annum spectant, quæ ex Theophane sunt anno superiori narrata his verbis: Haumar direxit aciem contra Palæstinam, & ob- HIEROSOLYMA CAPTA A SARRACENIS.

C sidens sanctam ciuitatem biennij tempore, cepit eam verbo, *pactis conuentis scilicet*. Sophronius namque Hierosolymitanus summus sacerdos verbū accepit ad totius Palæstinæ securitatem.] egisse enim ipsum liquet, vt Christianis liceret secure quæ sunt Christianæ religionis sacra peragere. ita Tyrius Episcopus & alij tradunt. Sed pergit Theophanes:

Cum Haumar sanctam ciuitatem fuisset ingressus, cilicinis ex camelis & sordidis indumentis amictus, simulationemq. satanicam ostentans, templum exquisiuit, quod Salomon construxerat, ad blasphemiæ suæ oratorium construendum videlicet. Hoc adHAVMAR TEMPLVM SVAE SECTAE CONSTRVXIT.

uertens Sophronius, ait: In veritate istud est abominatio desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stans in loco sancto. Multisq. lacrymis hic pietatis propugnator Christianam desleuit plebem.] Puto equidem sanctissimum Patriarcham aliquid amplius mente spectasse, quam oculis, prænouisseq. gentem illam Mahometicam vere abominationem

D esse desolationis (quantum a Deo permissum esset) Christianæ religionis: Haumar autem, vtpote affinem genti Hebræorum, luxisse templi Salomonis destructionem habitu corporis in vestibus luctuosis: quamobrem vt eas deponeret, vix tandem idem Sophronius persuasit. nam subdit Theophanes: Dum vero illic Haumar esset, rogauit eum Episcopus accipere sindonem cū indumento & indui: at ille non patiebatur ea portare. Vix ergo persuasit his vestiri, donec sua lauarentur, & iterum reddidit ea Sophronio, & vestitus est proprijs.]

Sed quid de Sophronio? eius extrema mox adijcit Theophanes: Verum, inquit, inter hæc Sophronius obijt, qui verbo & actu Hierosolymitanam ornauit Ecclesiam; qui con- SOPHRONII PATRIARCHAE HIEROSOL. OBITVS.

tra Heraclij & fratrū eius Monothelitarum, Sergij scilicet & Pyrrhi, decertauit errorem.] Cū enim videret sancta a canibus proculcari, quāto putas eū mærore esse confectū, ac quibus luxisse lacrymis, & lugubribus nouum Hieremiā threnis lamentatum esse tantam cla-

E dē? vnde merito, vti Elias [a], petierit animæ suæ vt moreretur, & non secus atque Heli [b], non substiterit amplius, vbi captam audiuit Arcam Domini, neque illi superstes esse cupierit. *a* 3. *Reg.* 19. *b* 1. *Reg.* 4.

Magno quidē totius Ecclesiæ Catholicæ damno Sophronius viuere desijt, qui aduersus Monothelitas solus (vt vidimus) hactenus insurrexisset, ac scriptis dictisq. strenue decertasset. hoc namque ad cumulū malorum accessit, vt qui impietati resisteret, e medio tolleretur: quo sublato obice, quæ non tentaret Imperatoria potens manu, & triū Patriarchatum fulta præsidio hæresis scelerata? Verū licet Sophronius ex hac vita discesserit, tamen rectæ fidei hereditatē ad suos discipulos aliquos Palæstinos Episcopos propagauit, vt apparet ex relatione Stephani Episcopi in Synodo Romana sub Martino Pontifice facta in Secretario secundo: licet idē tradat, post Sophroniū nullum alium ad ea tēpora fuisse suffectū Hierosolymis Orthodoxum Episcopum, sed inuasisse Ecclesiā illam hæreticum hominem, de quo ista ibi: Sergius namque quondam Ioppensis Episcopus, post recessum gentis MAGNO DAMNO SOPHRONIVS VIVERE DESIIT.

Persarũ, loci conseruationẽ sedis Hierosolymitanæ arripiens non quidẽ per Ecclesiasticam A
auctoritatẽ, sed sæcularem potestatem, contra canones, ibidẽ ad sedem Hierosolymitanam pertinentes aliquos Episcopos ordinauit, & cum ipse minime fuerit ordinatus, alios ordinare præsumpsit.] hæc ipse, qui subijcit eosdem pseudoepiscopos se adiunxisse Paulo Patriarchæ Constantinopolitano hæretico, quo ab illo in Episcopatu continerentur.

Accidit plane vt ad luctum fidelibus Orthodoxis vndique fluerent argumenta, quod loca sancta conculcarentur a perfidis Sarracenis, quod tanto pastore illa esset orbata Ecclesia, quodq. hæreses inde sibi quærerent incremẽta. Sed & illud Hierosolymitana clades attulit detrimentum, quod æque cum ciuitate Sophronij scripta naufragium passa sint, quorum perpauca dumtaxat veluti racemi post vindemiam nobis hactenus reliqua sunt, duæ videlicet homiliæ, quarum altera in Natali Domini est habita, de qua superius mentio facta est, altera de sanctis Angelis: scriptorum vero ipsius aduersus Monothelitas epistola B
tantum illa ad Honorium atque Sergium supereſt intexta Actis Sextæ Synodi. Ceterum ex paucis his nobis relictis nobilissimi & diuinitus affiati ingenij monumentis, qualis quantusq. vir fuerit doctrina egregie & eloquentia præditus, satis intelligi posse videtur: vt plane inter nobiliores Orientalis Ecclesiæ magistros merito censeatur adnumerandus. Porro cum non doctrina tantum, sed & sanctitate percelebris innotuisset, eius natalis dies posteris annuatim celebrandus ab Ecclesia Catholica in tabulis Ecclesiasticis * fuit adscriptus. Sed iam ad res Occidentalis Ecclesiæ conuertamus orationem.

* *Martyrolog. Rom. die 11. Martij.*

CONC. TOLET. QVINTVM.

Hoc anno, Era sexcentesima septuagesimaquarta celebratum habetur Concilium Toletanum, dictum quintum, Episcoporum viginti, anno primo Cinthilani Regis; cuius extant canones nouem, ijdemq. pro Regis salute stabilitateq. regni sanciti, vt inter alios ille, quo iubetur, vt maledicens Regi, excommunicationis pœna mulctetur. C

S. ISIDORI OBITVS, ET VIRTVTES.

Quod autem huic quinto Toletano Concilio (sicuti quarto) minime interfuisse reperiatur sanctus Isidorus: id accidit, quod hoc eodem anno traditur esse defunctus; de quo ista Tudensis habet in Cinthilano Rege: Anno primo Regis Cinthilani, doctor & legum lator Hispaniarum Isidorus stans in ecclesia, peracto sermone ad populum, & expandens manus, benedicens omnibus, Deo hactenus sibi traditum Regem commendans, felicissimo somno obdormiuit in Domino. Decoratus quippe extitit sanctitate, spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus, hospitalitate præcipuus, corde serenus, in sententia verax, in iudicio iustus, in prædicatione lætus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione Scripturarum cautus, in consilio prouidus, in actu humilis, in mensa sobrius, in oratione deuotus, honestate præclarus, semper pro Ecclesiæ & veritatis defensione mori promptus, & in omni bonitate conspicuus. Præterea pater extitit clericorum, doctor & sustentator monachorum ac monialium, consolator mærentium, tutamen D
pupillorum ac viduarum, attritor superborum, persecutor & malleus hæreticorum.

Rexit Archiepiscopatũ Hispalensem quadraginta annos, diuersis fulgens miraculorum signis, primaria dignitate florens, & Romani Papæ in Hispania vicem gerens. Sacerdotibus, Regibus, & populis diuinas & humanas leges tradidit, & Romano Pontifici humiliter obedire prætermittentibus maledictionem intulit, & eos a fidelium seperauit consortio: multis librorum voluminibus editis * .... etiam conseruauit, & in pace quieuit. Era sexcentesima septuagesima* ad Synodum Episcopos conuocauit, & ore prophetico eis sui obitus diem, & Hispanis futura prædixit: sidus honestatis, lux morum, Sol probitatis vir sacer ille Isidorus, per quem floruit alma fides, &c.] addit autem in fine, ipsum ex stirpe Gothorum progenitum, natumq. patre Seueriano Duce Carthaginensi. Quod autem I
ad scripta ab eo pertinet, hic eorum catalogus recensendus est ex S. Ildefonso Archiepiscopo Toletano, qui hæc ait:

* humilitatem
* quarta

S. ISIDORI SCRIPTA.

Isidorus post Leandrum fratrem Hispalensis sedis prouinciæ Bæticæ cathedram tenuit, vir doctrina simul & ingenio pollens: nam tantæ fœcunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, vt vbertas admiranda dicendi ex eo in stuporem verteret audientes; ex quo audita is qui audisset, nonnisi repetita sæpius commendaret. Scripsit opera eximia & non pauca, id est, librum de genere officiorum, librum procœmiorum, librum de ortu & obitu Patrum, librum commentationis, quem, Synonima, vocitauit, libros duos ad Florentiam sororem suam contra nequitiam Iudæorum, librum de natura rerum ad Sisebutum Principem, librum differentiarum, librum sententiarum. Collegit etiam ex diuersis auctoribus, quod ipse cognominauit, Expositiones sacramentorum: quibus in vnũ congestis,

A gestis, idem liber dicitur Quæstionum. Scripsit quoque vltimo ad petitionem Braulionis Cæsaraugustani Episcopi librum Etymologiarum, quem cum multis annis conaretur perficere, inexpleto opere diem extremũ visus est concluisse. Claruit temporibus Reccaredi, Viterici, Gundemari, Sisebuti, Suinthilani, & Sisenandi, annis ferme quadraginta tenens Episcopatus honorem, insignemq. doctrinæ sanctæ gloriam, pariterq. decorem.] hucusque Ildefonsus. Tudensis vero agens de successore ipsius S. Isidori, ista subiungit:

Successit beatissimo Isidoro Theodiscus natione Græcus, varietates linguarum doctus, exterius locutione nitidus, verius autem (vt exitus demonstrauit) sub ouina pelle lupus voracissimus: nam libros quosdam de naturis rerum & arte medicina, necnon de arte notoria, quos pater Isidorus facundo stylo composuerat, necdum ad publicum venerant, modum * fidei corrupit, resecans vera, & inserens falsa, atque per quemdam Arabem B nomine Auicennã de Latino in Arabem transtulit. Hic in ijs & alijs pluribus infidelis inuentus, & erroneus in articulis fidei comprobatus, per Synodum ab Archiepiscopali dignitate degradatus est: asserebat enim Dominum nostrum Iesum Christum cum Patre & Spiritu sancto non esse vnum Deum, sed potius adoptiuum. Hic (vt dictum est) priuatus honore sacerdotij ad Arabes trãsijt, & sectæ pseudoprophetæ Mahometi adhæsit, & plura docuit detestanda sub Imperatore Heraclio. Tunc temporis dignitas primatus translata est ad Ecclesiam Toletanam.] hæc Tudensis, quem exscriptum ex prototypo nobis concessit Franciscus Pegna mei amantissimus Rotæ Auditor. Verum hæc de Theodisci priuatione Episcopatus ante triennium sedis expletum oportuit contigisse: siquidem legitur Honoratus Hispalensis Episcopus sexto Toletano Concilio post bienniũ subscripsisse.

S. ISIDORI PSEVDOSVCCESSOR.

Porro eodem tempore quo Isidorus, etiam Iustus Toletanus Episcopus ex hac vita dis- C cessisse videtur: etenim qui Concilio quarto Toletano interfuit cum Isidoro, loco ipsius huic quinto præsens fuit successor Eugenius. Quamobrem sicuti sunt persoluta postrema S. Isidoro ante Synodum hanc vita functo, ita persoluamus & Iusto, de quo agit S. Ildefonsus, qui in catalogo virorum illustrium quem texuit, numerans Toletanos Antistites Metropolitanos prouinciæ Carthaginensis, non vitam ipsorum integre scribens, sed veluti quibusdam elogijs eorum memoriam singillatim prosecutus, primo loco collocat Audentium, cui successisse dicit Ausurium virum sanctum. Sed dicturi de Iusto, non prætereamus quatuor eius prædecessores memoria dignos, quorum elogia ab Ildefonso conscripta nobis exhibet scriptus Vaticanus codex his verbis:

TOLETANI EPISCOPI EX S. ILDEFONSO.

Ausurius * post Audentiũ Toletanæ vrbis sedis Metropolis prouinciæ Carthaginensis Pontifex successor obuenit, vir egregius, assignans opera virtutum plus exemplo viuen- D di, quam calamo scribentis. Hic & sacerdotio beatus & miraculo dignus: quia quibus iungeretur in cælo, eorum terreno reperire membra meruit in sepulchro. Nam cum sedis suæ sacerdotio fungeretur, diuina dicitur reuelatione commonitus Complutensi sepultos municipio (quod ab vrbe eius ferme sexagesimo milliario situm est) Dei martyres perscrutari. Qui concitus accurrens, quos & tellus aggeris & obliuio temporis pressérat, in lucem & gloriam terrenæ cognitionis prouehendos inuenit. Quibus inuentis, redire ad sedem renuens, seruitute simul & assiduitate sanctorum innexus, diem clausit extremum: cuius tamen sedem, donec vixit, nemo adijt. Idem (vt antiquitas fert) in Toleto sacerdos nonus, & in Compluto agnoscitur primus.] Subijcit auctor de Montano itidem viro sancto Episcopo Toletano, verum non successore Ausurij, sed Celsi: ait enim:

* Asturius AVSTVRIVS EPISC. TOLET.

Montanus post Celsum primæ sedis prouinciæ Carthaginensis Toletanæ vrbis cathe- E dram tenuit, homo & virtute spiritus nitens, & eloquij opportunitate decorus, regimen honoris acceptauit * ac dispositi condigno cælestiq. iure simul & ordine. Scripsit epistolas duas Ecclesiasticæ vtilitatis disciplina confertas *, e quibus vnam Palentinæ vrbis habitatoribus, in qua presbyteros chrisma conficere, Episcoposq. alienæ diœcesis alterius territorij ecclesias consecrare magna perhibetur prohibere auctoritate, sacrarum scripturarum testimonijs firmans id ipsum fieri penitus non licere: amatores quoque Priscillianæ sectæ, licet non operarentur eadem, quia tamen memoriam eius amore retinerent, abdicat & exprobrat, cõmemorans quod in libris beatissimi Turibij * Episcopi ad Leonem Papam missis eadem Priscillianorum hæresis detecta, conuicta, atque decenter maneat abdicata. Aliam vero epistolam ad Turibium religiosum *, in qua collaudans eum, quod culturam destruxerit idolorum, committit ei sacerdotalis auctoritatem vigoris, per quam presbyteros chrisma conficere, & Episcopos alienæ sortis alterius diœcesis ecclesias con-

* retemperauit

* confertas MONTANVS EPISC. TOLET.

* Toribij

* monachum

secrare, magna compescat inuectione. Hic vir antiquissima fideliq. relatione narratur, ad A
* exculpationem exprobrationem * infamiæ, tamdiu prunas tenuisse in vestimentis ardentes, donec coram sedis suæ sacro altari totius Missæ celebritatem expleret: peractis autem solemnibus, nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus, per simplicem naturam ignis conuicta est & fallacia detestabilis accusantis, & innocentia beatissimi sacerdotis. Glorioſus habitus fuit temporibus Amalerici Regis: annis nouem Pontificatus tenuit dignitatem.] Subijcit autem huic sanctus Ildefonsus, post Donatum monachum Africanum, Aurasium Adelphij successorem, de quo ista:

AVRASIVS EPISC. TOLETANVS.

Aurasius Toletanæ Ecclesiæ Pontifex Adelphij in loco ascisciturſacerdotis, vir bonus, regiminis auctoritate præclarus, domesticis rebus bene dispositus, aduersitatibus infixis constanter erectus: qui quanto extitit temperantia mansuetus, tanto fortior semper fuit inuentus aduersis. Plus illi intentio in defensione veritatis, quam in scribendi exercitio B manſit. Vnde perfectis viris compar habetur: quia quæ de verbo illorum prædicatio seminauit, defensionis huius custodia præmuniuit. Vixit in sacerdotio temporibus Vuiderici & Gundemari & exordijs Sisebuti Regum, annis ferme duodecim.] vbi hæc Ildefonsus de Aurasio habuit, de eius successore ista subnectit post elogium de Ioanne Episcopo Cæsarauguſtano doctrina & sanctitate conspicuo:

HELLADIVS EPISC. TOLETANVS.

Helladius post Aurasium sedis eius adeptus est locum. Hic cum regiæ aulæ illustrissimus, publicarumq. rerum existeret rector, sub sæculari habitu monachi votum pariter explebat & opus. Nam ad monasterium illud, Agalienſe dico, cuius me susceptio monachum tenuit, quod munere Dei, perennisq. & patentis sanctitatis decore & optabile* cunctis & palam est totum, cum sæpe discursantium negotiorum ductus itinere peruenirent, remota clientum sæculiq. pompa decoris, adeo monachorum peculiaritatibus in- C hærebat, vt turmis iunctus eorum stipularum fasciculos ad clibanum deportaret. Cumq. inter decorem insolentiamq. sæculi, solitudinis & amaret & sectaretur arcana: celeri fuga relictis omnibus quæ esse nouerat mundi, adijt sanctum monasterium: quod frequentauerat voto, venit permansurus * optabili vsu. Ibi factus monachis pater, meritis studijsq. sanctis & vitam monachorum debite rexit, & statum monasterij totius communis rei diuitijs cumulauit. Ex hoc fessis pene senio artubus, ad Pontificatus apicem deuocatur: & quia vocaretur vi coactus pariter & ignotus, illic maiora virtutum exempla quam monachus dedit: quia statum mundi, quem contempsit, virtute magna perhibetur rexisse discretionis. Miserationes eleemosynarumq. copias tam largiter egenis intulisse probatur, ac si de illius stomacho putasses inopum & artus descendere, & viscera confoueri. Scribere renuit; quia quod scribendum fuit, quotidianæ operationis pagina D demonstrauit. Me ad monasterium rediens memoratum, vltimo vitæ suæ tempore Leuitam fecit. Senex obijt. Decem & octo annis sacrum regimen tenuit temporibus Sisebuti, Suinthilani, & exordijs Sisenandi Regum. Beatus habitus fuit, qui post beatior gloriam cælestis regni bona plenus senectute promeruit.] De Iusto autem eius successore ista mox addit:

* obire

IVSTVS EPISCOPVS TOLETANVS.

Iustus post Helladium discipulus eius & successor innexus illi est, vir habitu minimus corporis, ingenio vero mentis decorus atque subtilis, ab infantia monachus ab Helladio ad virtutem monasticæ institutionis affatim educatus pariter & instructus, in Agalienſi monasterio tertius post illum rector est factus, in Pontificatu autem mox illi successor inductus, vir ingenio acer, & eloquio sufficiens, magna spe profuturus, nisi hunc ante longæuam vitam dies extulisset extrema. Scripsit ad Richilanem Agalienſis monasterij E patrem epistolam debita & sufficienti prosecutione constructam, in qua patenter astruit, susceptum gregem relinquere penitus non debere. Exinde exactis annis tribus, tempore Sisenandi Regis obijt: qui Rex post hunc die nonodecimo defunctus abscessit.] hucusque Ildefonsus de Archiepiscopis Toletanis, qui vixerunt ante præsentem annum & diem celebrati quinti Concilij Toletani, cui successor Iusti interfuisse reperitur Eugenius primo loco subscriptus, de quo ista idem habet Ildefonsus:

* abscessit

EVGENIVS EPISCOPVS TOLETANVS.

Eugenius discipulus Helladij, collector & consors Iusti, Pontifex post Iustum successit *, ab infantia monachus, ab Helladio cum Iusto pariter sacris in monasterio institutionibus eruditus. Hunc secum Helladius a monasterio tulit, ad Pontificatum tractus: qui rursus ab eo clericalibus institutus ordinibus, sedis eius post eum tertius rector accessit. Et bonum meritum senis, qui duobus discipulis sanctisq. filijs Ecclesiæ Dei hereditatem meruit

relin-

A relinquere gubernandam. Idem Eugenius moribus inceſſuq. grauis, iam numeros, ſtatum, incrementa, decrementaq. curſus recurſusq. Lunarum tanta peritia nouit, vt conſiderationes diſputationis eius auditorem in ſtuporem verterent, & inconſiderabilem doctrinam inducerent. Vixit in ſacerdotio fere vndecim annis, regnantibus Cinthila, Tulgane, & Cindaſuindo Regibus.] hucuſque de Eugenio Ildefonſus.

At non prætereat mentio de Braulione Cæſarauguſtano Epiſcopo, qui huic quintæ Synodo Toletanæ interfuit; ſed primum de fratre ipſius & prædeceſſore Ioanne, de quo hæc habet Ildefonſus eodem libello de viris illuſtribus: Ioannes in Pontificatu Maximum ſecutus, Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ ſedem aſcendit, primo pater monachorum, & ex hoc Præſul factus in regimine populorum, vir in ſacris litteris eruditus, plus verbis intendens, quam ſcriptis, tam largus & hilaris dato, quam hilaris etiam vultu. Vnctionem vero ſpiri- IOANNES CAESARAVGVST. EPISC.

B tus Dei, qua fouebatur intrinſecus, tam largitate muneris, quam habitudine cultus adeo præferebat, vt & datum gratia commendaret, & non datum gratia excuſaret. In Eccleſiaſticis officijs quædam eleganter & ſono & oratione compoſuit. Adnotauit inter hæc inquirendæ Paſchalis ſolemnitatis tam ſubtile & vtile argumentum, vt lectori & breuitas contracta, & veritas placeat patefacta. Duodecim annis tenuit ſedem honoris, adeptus vitam gaudij, ad quam anhelauit deſiderabili voto. Subſtitit in ſacerdotio temporibus Siſebuti & Suinthilani Regum.] De Braulione autem ita:

Braulio frater Ioannis in Cæſarauguſta decedentis adeptus eſt locum, vir ſicut germanitate coniunctus, ita non nimium ingenio minoratus. Clarus & iſte habitus canonibus, BRAVLIO EPISCOP. CAESARAVGST.

& quibuſdam opuſculis. Scripſit vitam Aemiliani cuiuſdam monachi, qui & memoriam huius & virtutem illius ſancti viri ſuo tenore commendat pariter & illuſtrat. Habuit ſa-

C cerdotium ferme viginti annis; quibus expletis, clauſit diem vitæ præſentis. Durauit in regimine temporibus Siſenandi, Cinthilæ, Tulganis, & Cindaſuindi Regum.]

Sed & prodendū elogium de Conantio Palentinæ ſedis Antiſtite, qui huic pariter Concilio præſens fuit atque ſubſcripſit primus poſt Eugenium, de quo iſta idem habet S. Ildefonſus: Conantius poſt Mauulanem Eccleſiæ Palentinæ ſedem adeptus eſt, vir tam ponderе mentis quā habitudine ſpeciei grauis, communi eloquio facundus & grauis, officiorum CONANTIVS EPISC. PALENTINVS.

Eccleſiaſticorum ordinibus intentus & prouidus. Nam melodias ſonis multas nouiter edidit, orationum quoque libellum de omnium decenter ſcripſit proprietate pſalmorum. Vixit in Pontificatu amplius triginta annis: dignus habitus fuit ab vltimo tempore Vuiterici, per tempora Gundemari, Siſebuti, Suinthilani, Siſenandi, & Cinthilæ Regum.] hæc de tempore eius ſedis: ex quibus cauſam habes, cur primus poſt Primatem in Synodo ſede-

D rit atque ſubſcripſerit, nempe quod ceteris ſenior eſſet. Sed de his ſatis.

IESV CHRISTI ANNVS 637. HONORII PAP. ANNVS 12. HERACLII IMP. ANNVS 28.

SEquitur annus ſexcenteſimus trigeſimuſeptimus, Indictione decima, Orientalibus non ſecus ac præcedens infelix: nam a Sarracenis totius Orientis metropolis ciuitas capitur Antiochia, iam antea occupata reliqua parte Syriæ; retentaq. ab eis eſt vſque ANTIOCHIA CAPTA. ET TRANSLATAE RELIQVIAE IN OCCIDENTEM.

ad annum Domini milleſimum nonageſimumoctauum. Quomodo autem hæc acciderint, & quomodo conſultum fuerit rebus ſacris ac templis, altum vbique ſilentium. Plane his

E temporibus, quibus ſiue a Perſis antea, ſiue ab Arabibus poſtea ijſdemq. Mahometanis & Sarracenis captæ ſunt nobiliſſimæ ciuitates Orientis Alexandria, Hieroſolyma, & Antiochia vna cum eiſdem ſubditis regionibus, accidit vt ſiue habitatoribus in Occidentem commigrantibus, ſiue mercatoribus cum ijſdem Gentilibus tuto verſantibus, ſiue alijs fidelibus Chriſtianis id curantibus, complura ſanctorum tum martyrum tum confeſſorum corpora translata fuerint in Occidentem, atque in diuerſis locis, ſiue Romæ, ſiue Venetijs, vel alibi collocata. Romam autem translatas tunc fuiſſe venerandas reliquias Ignatij martyris Antiochia, conſtans fama, vetuſq. traditio potius quam ſcripta ſignificant: quod & pariter dicendum de alijs pluribus ſanctorum reliquijs, quas ex Oriente aduectas diuerſa Occidentalis orbis loca cuſtodiunt. Siquidem Orientales vt hæc largirentur longiſſime aberant, qui potius in Occidentem ad Vrbem ipſam (vt vidimus ex ſancto Gregorio) ad perquirendas ſanctorum reliquias venire conſueuerant.

Porro

Porro ſancti Marci corpus longe poſt hæc tempora transferri Venetias contigit. Etenim qui ad finem ſæculi huius ad ea peregrinatus eſt loca, hæc de eiuſdem ſancti corpore tradidit, quæ in libello de locis ſanctis ſcripſit Beda his verbis, cum agit de ciuitate Alexandrina: A parte Aegypti vrbem intrantibus, ad dextram occurrit eccleſia, in qua beatus Euangeliſta Marcus requieſcit, cuius corpus in Orientali parte eiuſdem eccleſiæ ante altare humatum eſt, memoria ſuperpoſita de quadrato marmore facta.] hæc ibi. A

IESV CHRISTI ANNVS 638. HONORII PAP. ANNVS 13. HERACLII IMP. ANNVS 29.

HONORII PAPAE OBITVS.

ANnus ſequitur Domini ſexcẽteſimus trigeſimusoctauus, Indictione vndecima: quo Honorius Papa, vbi ſediſſet annos duodecim, menſes quinque, minus tribus diebus, ex hac vita migrauit quarto Idus Octobris. Ita eſt corrigendum quod apud alios legitur, poſt annos duodecim & menſes vndecim: idq. ex Synodalibus Actis Romani Concilij ſub Martino Papa, de quo agemus inferius. Apud Anaſtaſium hæc mira de eius erga diuinum cultum munificentia leguntur: Hic temporibus ſuis multa bona fecit. Hic erudiuit clerum. Temporibus ſuis renouauit cymiliam vel ſupellectilem beati Petri Apoſtoli, & veſtiuit Confeſſionem beati Petri ex argento puro, quod penſat libras centum octoginta-ſeptem. Inueſtiuit regias ianuas in ingreſſu eccleſiæ maiores, quæ appellantur Medianæ, ex argento penſante libras nongentas ſeptuagintaquinque. Fecit & ceroſtatos maiores ex argento pares duos, qui ſunt ante corpus beati Petri Apoſtoli, penſantes ſinguli libras ſexagintaduas. Fecit & ad beatum Andream Apoſtolum, vbi ſupra ante Confeſſionem, tabulam ex argento, quæ penſat libras ſeptuagintatres. B C

HONORII PAPAE RES GESTAE.

Huius temporibus leuatæ ſunt trabes in eccleſia beati Petri numero quindecim. Hic cooperuit eccleſiam omnem ex tegulis æreis, quas leuauit de templo quod appellatur Romæ . . . . . ex conſenſu pijſſimi Heraclij Imperatoris. Eodem tempore fecit a ſolo eccleſiam beatæ Agnetis martyris via Numentana, milliario ab Vrbe tertio, vbi requieſcit, *martyr ſcilicet Agnes*, quam vndique exornauit, vbi poſuit multa dona: ornauit autem ſepulchrum eius ex argento penſante libras ducentas quinquaginta duas: poſuit deſuper ciborium ærcum deauratum miræ magnitudinis: fecit & gabatas aureas tres penſantes ſingulas libras ſingulas. Fecit apſidem eiuſdem ex muſiuo, vbi etiam multa dona obtulit.] In apſide autem hæc circumpoſita carmina leguntur muſiuo opere exarata ſubtus imagines eodem opere textas: D

Aurea conciſis ſurgit pictura metallis,
Et complexa ſimul clauditur ipſa dies.
Fontibus e nibeis credas, aurora, ſubire
Correptas nubes, ruribus arua rigans.] in eodem apſidis emicyclo recta linea qui ſequuntur poſiti ſunt verſus:

Vel qualem inter ſidera lucem proferet irim,
Purpureusq. pauo ipſe colore nitens,
Qui potuit noctis vel lucis reddere finem,
Martyrum e buſtis hinc reppulit ille chaos.

Surſum verſa nutu quod cunctis cernitur vno, E
Præſul Honorius hæc vota dicata dedit.
Veſtibus & ſactis ſignantur illius ora,
Lucet & aſpectu lucida corda gerens.] hæc ibi rudi (vt ferebat ſæculum) ſtylo. Sed redeamus ad Anaſtaſiũ, qui ſic pergit narrare reliqua eiuſdẽ Pontificis monumenta:

Item a ſolo fecit baſilicam beati Apollinaris martyris in vrbe Roma in porticu beati Petri Apoſtoli, qui appellatur ad Palmaria, ſiue Palmata; vbi dona multa largitus eſt. Hic fecit Conſtitutum in Eccleſia, & decreuit vt omni hebdomada ſabbati die exeat litania a beato Apollinare, & ad beatum Petrum Apoſtolum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat. Fecit autem & eccleſiam beato Cyriaco martyri a ſolo via Oſtienſi, milliario ſeptimo, vbi & donum obtulit. Eodem tempore fecit eccleſiam beatorum martyrum quatuor Coronatorum, quam & dedicauit, & donum obtulit. Fecit ec-

cleſiam

A cleſiam beato Seuerino a ſolo iuxta ciuitatem Tiburtinam, milliario ab Vrbe vigeſimo, quam ipſe dedicauit, & multa dona obtulit. Renouauit cœmeterium beatorum martyrum Marcellini & Petri via Lauicana.

Eodem tempore a ſolo fecit baſilicam beato Pancratio via Aurelia, milliario ſecundo *, & ornauit ſepulchrum eius ex argento penſante libras centum viginti. Fecit & ciborium ſuper altare ex argento penſante libras centum octogintaſeptem. Fecit arcus argenteos quinque penſantes ſingulos libras quindecim. Fecit & candelabra aurea tria penſantia ſingula libras ſingulas: vbi multa dona ſimul obtulit.] Porro in veteri muſiuo in eccleſia S. Pancratij eiuſmodi inſcriptio legebatur: *Ob inſigne meritum & ſingulare B. Pancratij martyris beneficium, baſilicam vetuſtate confectam, extra corpus martyris neglectu antiquitatis extructam, Honorius Epiſcopus Dei famulus, obruta vetuſtatis mole,*
B *ruinamq. minante, a fundamentis nouiter plebi Dei conſtruxit, & corpus martyris, quod ex obliquo aulæ iacebat, altari inſignibus ornato metallis proprio loco collocauit.*] Subdit vero de eodem Honorio Anaſtaſius:

Fecit eccleſiam beatæ Luciæ in vrbe Roma iuxta ſanctum Silueſtrum, quam & dedicauit, & dona multa obtulit. Fecit & eccleſiam beato Hadriano martyri in Tribus fatis, quam & dedicauit, & dona multa obtulit. Fecit & in domo ſuo iuxta Lateranas monaſterium in honore beatorum Apoſtolorum Andreæ & Bartholomæi, quod appellatur Honorij, vbi prædia & dona ſimul obtulit. Sed & multa alia fecit, quæ enumerare longum eſt. Fecit autem ordinationes tres, presbyteros tredecim, diaconos vndecim, Epiſcopos per diuerſa loca octogintaunum. Qui ſepultus eſt in baſilica beati Petri ſub die quarto Idus Octobris.] Fuit vero Honorius præter eruditionem qua pollebat rerum Theologi-
C carum, etiam poeticis excultus litteris. Extat [a] vnicum eius epigramma de Aſcenſione Domini, & Apoſtolis eum diuerſis animi affectibus proſequentibus: niſi forte quis illud magis tribuendum putauerit Venantio Fortunato, qui & Honorius dictus reperitur.

Sed quæ poſt Honorij Papæ obitum ſecuta ſint, videamus, atque in primis quæ idem qui ſupra Anaſtaſius de eius vacatione ſedis habet: Ceſſauit, inquit, Epiſcopatus eius anno vno, menſibus ſeptem, diebus decem & ſeptem.] hæc ipſe. At non ſic tamdiu vacaſſe dicitur ſedes Honorij Romani Pontificis, vt non ante electus fuerit eius ſucceſſor Vrbis Epiſcopus, ſed potius quod qui iam Romæ canonice electus erat Seuerinus, vigentibus malis, cum reſiſteret ipſe conſentire Imperatori, non fuit ab Imperatore (vt tunc tyrannice fieri moris erat) confirmatus, vt colliges ex ipſo Anaſtaſio, qui hæc habet in eodem Seuerino Honorij ſucceſſore, vbi fuiſſet electus:

D Huius Seuerini temporibus deuaſtatum eſt Epiſcopium Lateranenſe a Mauritio Chartulario, & Iſacio Patricio, eodemq. Italiæ Exarcho, cum adhuc electus eſſet domnus Seuerinus. Sed antequam veniret Iſacius, Mauritius dolo ductus aduerſus Eccleſiam Dei, conſilio inito cum quibuſdam peruerſis hominibus, incitauerunt exercitum Romanum, dicentes: Quia nihil prodeſt quod tantæ pecuniæ congregatæ ſunt in Epiſcopio Lateranenſi ab Honorio Papa, & miles iſte nihil exinde ſubuentus habet, dū & rogæ veſtræ, quas domnus Imperator vobis per vices mandauit, ibi ſunt a ſancto viro reconditæ.] Eo vſi ſunt prætextu perditiſſimi illi ad incitandos milites ad deprædationē Lateranenſis Epiſcopij.

Ceterum haud recens eſt exemplum, ex congeſta ſacra pecunia maxima damna templis illata eſſe. Produnt hoc ſacræ litteræ atque profanæ de templo Hieroſolymorum pluribus in locis, nimirum ob theſauros in templo reconditos complures Reges & ſæpe Roma-
E nos fuiſſe ad illud deprædandum illectos. Ex quibus cautior facta fuit Eccleſia Dei, de qua ſanctus Ambroſius [b]: Aurum, inquit, Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget.] & alibi [c]: Habeo ærarios: ærarij mei ſunt pauperes: hunc noui congregare theſaurum.] Scimus tamen aliud interdum ſuaſiſſe prudentiam haud omnino improbandam, eo quod dicat Eccleſiaſtes [d]: Vtilior eſt ſapientia cū diuitijs, & magis prodeſt videntibus Solem: ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia.] Sed ſi his Eccleſia careat, certum eſt quod haud Dei tuto præſidio deſtituitur; immo diuinum magis conciliat ſibi patrocinium, cum humanis auxilijs deſtituta videtur: non enim innititur auro, licet auro bene vtatur. Pergit vero Anaſtaſius:

His auditis, exarſerunt omnes aduerſus Eccleſiam Dei, & venerunt omnes a minimo concitati, omnes armati qui inuenti ſunt in ciuitate Romana a puero vſque ad ſenem in Epiſcopium Lateranenſe: & non potuerunt manu militari introire, quia reſiſterent eis

qui

* primo

a Biblioth. ſan. Patr. to. 8.

SEVERINVS PAPA.

PERSECVTIO IN ECCL. ROM.

b Ambroſ. offic. lib. 2. c. 28.

c Ambroſius in Auxentium ad fin.

d Eccleſ. 7.

qui erant cum ſanctiſſimo domno Seuerino. Tunc videns Mauritius quia nihil potuerunt A
facere, dolo ductus fecit ibi exercitum reſidere intra Epiſcopium Lateranenſe, & fuere
ibi dies tres. Poſt triduum autem introiuit Mauritius cum Iudicibus qui inuenti ſunt cum
ipſo in concilio, & ſigillauere omne veſtiarium eccleſiæ, ſeu cymiliã Epiſcopij, quæ di-
uerſi Chriſtianiſſimi Imperatores ſeu Patricij & Conſules pro redemptione animarum
ſuarum beato Petro Apoſtolo reliquere, vt pauperibus, ſingulis temporibus, pro alimo-
nia erogarentur, ſeu propter redemptionem captiuorum. Et poſtmodum miſit Mauritius
epiſtolas ſuas ad Iſacium Patricium Rauennam de hoc quod actum eſt, quomodo ipſe
cum exercitu ſigillaſſet omne veſtiarium Epiſcopij, & quia ſine aliqua læſione omnem
ſubſtantiam ſæpe dictam potuiſſent deprædari.

CARDINALES OMNES EXVLARE IVSSI.

Cumq. hæc verius cognouiſſet Iſacius, venit in ciuitatẽ Romanam, & miſit omnes pri- B
mates Eccleſiæ ſingulos per ſingulas ciuitates in exilium, vt non fuiſſet qui reſiſtere de-
buiſſet de clero.] Per primates Eccleſiæ haud alios intelligendos putarim, quam presby-
teros & diaconos Cardinales, qui dignitate & auctoritate ceteris antecellerent. Sed pergit
Anaſtaſius: Et poſt dies aliquantos ingreſſus eſt Iſacius in Epiſcopium Lateranenſe, &
fuit ibi dies octo, vſquedũ omnem ſubſtantiam illam deprædarentur. Eodem tempore di-
rexerunt exinde ex parte ex ipſa ſubſtantia in ciuitatem regiam ad Heraclium Imperato-
rem. Poſtmodum ordinatus eſt ſanctiſſimus Seuerinus, & reuerſus eſt Iſacius Rauennam.]
Hæc autem cum tempore Seuerini accidiſſe doceat Anaſtaſius, ſequenti potius quam
præſenti anno facta putamus, quando ſcilicet miſſum Romam ab Heraclio edictum perfi-
diæ Seuerinus cum omni clero eſt execratus. Quamobrem in eam ſententiam pedibus eo, C
vt exiſtimem Seuerinum nequaquam accepiſſe ab Heraclio confirmationem, eo quod eius
edictum fuerit deteſtatus. Sed de his anno ſequenti.

Vidiſti Græcorum odium in Romanam Eccleſiam, & Heraclij hæretici Imperatoris in
eam animum infenſum & auarum, vt non erubuerit Romanus Imperator Chriſtianus ex
ſacrilegio magiſtratuum captare lucrum, factus ipſe particeps ſacræ prædæ, qui aduerſus
eiuſmodi expilatores graſſatoreſq. inſurgere debuerat vltor. Numquam hactenus aduer-
ſus Romanam Eccleſiam ſub Chriſtianis Principibus quid huiuſmodi præſumptum fuiſſe
legitur, vt in exilium miſſis venerabilibus presbyteris ac diaconis Cardinalibus, Impe-
ratoris magiſtratus armata militia impetum fecerint in Patriarchium, prædatiq. fuerint
Eccleſiæ theſaurum cum ſupellectilibus ſacris. At de his hactenus.

CONCIL. TOLETAN. SEXT.

Hoc eodem anno, Era nimirum ſexcenteſima ſeptuageſimaſexta, celebratum habetur
in Hiſpania generale, ſiue dixeris nationale Concilium Toletanũ ſextum nominatum, cui
interfuerunt Epiſcopi ſiue præſentes ſiue per legatos numero quinquagintaduo: habitum D
autem eſt (vt prima eius conſtitutio docet) quinto Idus Ianuarij, anno Cinthilani Re-
gis ſecundo, Era ſuperius adnotata. Continet capita vndeuiginti tum ad fidem Catholi-
cam ſtabiliendam, tum etiam ad Eccleſiaſticam diſciplinam cuſtodiendam elaborata. In
cuius tertio capite de Rege maxime pio hæc perpetua conſeruanda memoria ſcripta repe-
riuntur [a]: Inſpiramine ſummi Dei, excellentiſſimus & Chriſtianiſſimus Princeps ardore
fidei inflammatus, cum regni ſui ſacerdotibus præuaricationes & ſuperſtitiones eorum, *Iu-*
dæorum ſcilicet, eradicare elegit funditus, nec ſinit degere in regno ſuo eum qui non ſit
Catholicus. Ob cuius feruorem fidei gratias omnipotenti Deo cælorum Regi agimus, eo
quod eius tam illuſtrem creauit animam, & ſua repleuerit ſapientia. Donet ei præſentis æui
diuturnam vitam, & in futuro gloriam æternam. Illud autem prouida nobis cura & valde
eſt decernendum vigilanti ſolertia, ne eius calor & noſter labor quandoque in poſteris E
tepefactus liqueſcat.

[a] *Concil. Tolet. 6. c. 3.*

QVID REGES HISPANIAE IVRARE DEBEANT.

Quocirca conſonam cum eo & corde & ore promulgamus Deo placituram ſenten-
tiam: ſimul cum ſuorum optimatum illuſtriumq. virorum conſenſu ex deliberatione
ſancimus, vt quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortierit apicem, non ante con-
ſcendat regiam ſedem, quam inter reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fue-
rit hanc ſe Catholicam non permiſſurum eos violare fidem, ſed & nullatenus eorum per-
fidiæ fauens, vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infi-
delitatis aditum præbeat præuaricationis; ſed quod magnopere noſtro eſt tempore con-
quiſitum, debeat illibatum perſeuerare in futurum. Nam incaſſum bonum agitur, ſi non
eius perſeuerantia prouidetur. Ergo poſtquam ordine præmiſſo ad gubernacula acceſſerit
regni, ſi ipſe temerator extiterit huius promiſſi, ſit anathema maranatha in conſpectu ſem-

piter-

A piterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni; simul cum eo damnatione perculsi, quicumque sacerdotum, vel quilibet Christianorum eius implicati fuerint errori.] hæc de Regibus successoribus sancta Synodus, Rege ipso fauente, decreuit: vt appareat haud esse recentem vel indebite vsurpatũ titulum Hispaniarum Regum, vt Catholici cognominentur, vtpote tanto facti titulo digni, quod non solum iurent se fore Catholicos, sed neque passuros quemquam non Catholicum in amplissimo suo regno penitus reperiri. At quod rursus ad eiusdem Principis laudes spectat, audi de eo eiusdem Synodi præconia [a]: Denique tanta erga nos nostri Principis extant beneficia, vt longum sit singillatim ea promere lingua. Ipse enim, auctore Deo, nobis pacem, ipse quasi captiuam reduxit charitatem, ipsius ope quieti, ipsius sumus largitione ditati, ipse medicamine bonitatis suæ & reis pepercit, & rectos sublimauit. Cui si dignis voluerimus respondere beneficijs, non tantis exB tamus copijs virtutis, quanto voto sufficimus voluntatis.] hæc sancta Synodus: atque de his satis.

REGES HISP. CVR COGNOMINATI CATHOLICI.

a Concil. Tolet. 6. 15.

Hoc eodem anno Arioualdus Rex Longobardorum, idemq. Arianus (de quo plura superius) vbi regnasset annos duodecim, moritur, inq. locum eius subrogatus est Rotharis itidem Arianus: Huius (inquit Paulus [b]) temporibus pene per omnes ciuitates regni eius duo Episcopi erant, vnus Catholicus, & alter Arianus. In ciuitate quoque Ticinensi vsque nunc ostenditur, vbi Arianus Episcopus, apud basilicam sancti Eusebij residens, baptisterium habuit, cum tamen Ecclesiæ Catholicæ alius Episcopus præsideret. Qui tamen Arianus Episcopus qui in eadem ciuitate fuit, Anastasius nomine, ad fidem Catholicam conuersus, Christi postea Ecclesiam rexit. Hic Rotharis Rex, Longobardorum leges, quas sola memoria & vsu retinebat, scriptorum serie composuit; codicemq. ipsum, EdiC ctum, appellari præcepit. Erat autem iam, ex quo Longobardi in Italiam venerant, annus septuagesimusseptimus, sicut idem Rex in sui Edicti testatus est prologo.] hæc Paulus.

ROTHARIS REX LONGOB. ARIANVS.

b Paul. diac. lib. 4. cap. 44. non. edit.

Porro etsi sub Ariano Rege non reperitur indicta in Catholicos persecutio: accidebat tamen interdũ, vt si qui Episcopi æstuantes zelo Catholicæ fidei vrgerent Arianos, ijdem ab eodem Rege exilio mulctarentur, vt contigit S. Genuino siue Ingenuino Episcopo Sabionensi, qui a Rege Longobardorum in exilium pulsus apud Brixinonem in Germaniam, ibidem diem obijt, iunctusq. sepultura est S. Albino eiusdem ciuitatis Episcopo æque sancto; factumq. est, vt amborum vna eademq. dies natalis in Ecclesia celebretur Nonis Februarij. Iam vero ad anni sequentis res gestas transeamus.

S. GENVINVS EPISC. IN EXILIVM MISSVS.

D IESV CHRISTI ANNVS 639. SEVERINI PAP. ANNVS 1. HERACLII IMP. ANNVS 30.

ANnus agitur Redemptoris sexcentesimus trigesimusnonus, Indictione duodecima: quo Heraclius Imperator semel Deo auersus, animo induratus, & (quod de Achab dicit diuina Scriptura) venumdatus vt faceret malum, tandem publicum promulgauit edictum ad suam stabiliendam hæresim, quod Ectheſin, hoc est, expositionem nominauit. Id quidem factum esse hoc anno, duodecima videlicet currente Indictione, docent Acta Romanæ Synodi sub Martino Papa, qui tamen illud adscribit perfidiæ Sergij

HERACLIVS EXPOSITIONEM FIDEI HAERETICAM PROMVLGAT.

E Constantinopolitani Episcopi: nam locutus ipse in Synodo, ista ait [c]: Sergius autem per epistolam propriam ad denominatum Cyrum scriptam, eamdẽ similiter vnam operationem susciPiens, cum eo irrationabili præsumptione ausus est confirmare: & non solum hoc, sed etiam post aliquot annos eiusdem Cyri nouæ adinuentionis, hoc est, per nuper duodecimam Indictionem elapsam, hæreticam & ipse conscribens Ectheſin, id est, expositionem fidei sub nomine tunc imperantis Heraclij, vnam in eadem Saluatoris nostri (secundum impium Apollinarem) voluntatem & operationem instituit, ex hoc quod dicit imprudenter, sequi operationem voluntatem, &c.] Rursum de eodem Sergio nomine Imperatoris ad incutiendum terrorem promulgante perfidiæ edictum, idem Martinus hæc habet in Secretario tertio eiusdem Concilij: Age, inquit, nunc & memorati Sergij nouæ Ectheseos audiamus commentum: quam Ectheſin suasit in tempore suo nomine Heracliũ quondam Imperatorem titulare, errorem interminationi commixtum contra Orthodoxos

c Synod. Later. sub Martin. Secret. 1.

doxos populos atque dogmata per hunc modum prætendens.] hæc & alia S. Martinus: A
ex quibus illud in primis, quod dictum est, certum habes de tempore.

ECTHESIS MISSA AD SEVERIN. PAPAM.

His adde, eamdem fidei explanationem missam esse per Isacium Italiæ Exarchum ad Romanum Pontificem Seuerinum, vt eam probaret. Id quidem liquido apparet per epistolã Cyri Episcopi Alexandrini ad Sergium Constantinopolitanum Antistitẽ, recitatam in dictæ Synodi Lateranensis tertio Secretario, in qua inter alia ista leguntur ipsius exordio: Paratis nobis relaxare responsa in regia vrbe, coniunxit* Eustathius gloriosus Magister militum, & detulit mihi venerandos apices præcipui mei Domino Deo honorabilis

* coniunxit, *pro* peruenit, *vsitatum ab hoc seculo reperimus.*

tuæ beatitudinis, intus habentes & exemplar competenter & consultissime pariterq. Deo amabiliter factæ Ectheseos venerabilis nostræ fidei a pijssimo & a Deo conseruando domino nostro magnoq. Principe pro pia fide nostra ad Isacium excellentissimum Patricium & Exarchum Italiæ destinatæ; quam debet profiteri communis frater noster Seuerinus sanB
ctissimus, Deo adiuuante, qui ordinatur Romæ, &c.] Puto intelligis quod ait: Qui ordinatur Romæ] non autẽ, ordinatus est Romæ.] quod scilicet eius ordinationis actus adhuc

CONFIRMATIO SEVERINI PAP. AB IMP. CVR SVSPENSA.

suspensus esset sub nutu Imperatoris, videlicet, vt ipse iam anno superiori electus, non confirmaretur ab Imperatore, neque ordinari iuberetur, nisi quam Romam per Exarchum Imperator misisset Ectheſin, Seuerinus Pontifex reciperet & confirmaret: quod quidem facere penitus renuisse, immo & ipsam vehementer detestatum esse, certo liquet ex ijs quæ idem qui supra S. Martinus habet, vbi in tertio Secretario hæc post recitatam dictam epistolam subiunxit his verbis: Ceciderunt a sua spe, mentiti contra caput proprium. Nec enim suscepta est omnino, aut admissa secundum vanam eorum spem: magis autem condemnata est & anathematizata ab Apostolica auctoritate huc transmissa pessimæ & præsumptæ nouitatis eorum Ectheſis.] hæc sanctus Martinus Papa in C
plena Synodo de rebus gestis cum Seuerino Pontifice.

SEVERIN. PAP. DAMNAT ECTHESIN HERACLII IMP.

Porro ipse Seuerinus Papa haud diutius superstes fuit, afflictionibus exagitatus a ministris Imperatoris, quando & a militibus in odiũ ipsius Romani Pontificis deprædato sacro Patriarchio, omnes Cardinales iussi sunt exulare: cuius rei gratia nõ potuit Synodus congregari, vt publico totius Ecclesiæ Catholicæ præconio eadem Ectheſis damnaretur, quæ ab eodẽ Pontifice & alijs in administratione collegis fuerat condemnata. Quod vero eiusdem Seuerini incerta sit dies electionis, hinc fuit vt nec quamdiu Pontifex perseuerauerit, adeo certo definiri possit, licet alij pro arbitrio addant & minuant annos, menses, ac dies: tribuit autem eius sedi Anastasius menses vndecim, & dies quatuor. Verum ex his quæ dicta sunt, liquido intelligi potest ipsum non prætergressum hunc annum; ad quem peruenisse, dicere necesse est, cum constet post editam Ectheſin (quam hoc anno, duodeD
cima Indictione, esse promulgatam, ex Actis Synodalibus vidimus) fuisse superstitem, cum eam damnarit. sequenti vero anno sedisse Ioannem, ex Synodo ab eo tunc facta possumus intelligere. Porro de eodem Seuerino hæc idem Anastasius habet:

DE OBITV SEVERINI PAP.

Hic renouauit apsidem beati Petri Apostoli ex musiuo, quod dirutum erat. Hic dilexit clerum, & omnibus bonis* augmentauit. Fuit autem sanctus, benignus super omnes homines, amator pauperum, largus, & mitissimus. Fecit Episcopos per diuersa loca numero quatuor. Hic diuisit omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die quarto Nonas Augusti. Et cessauit Episcopatus eius menses quatuor, & dies vigintinouem.] hæc Anastasius: ex cuius assertione dicendum erit, vltima anni huius die subrogatum fuisse eius successorem Ioannem eius nominis quartum, quem idem auctor ait fuisse natione Dalmatam, filium Venantij Scholastici: sed de eo E
plura anno sequenti dicturi sumus.

* donis

RELIQVAE RES GESTAE SEVERINI PAPAE.

Auctor est Beda, hoc anno Scotorum litteras esse perlatas Romam ad Seuerinum Pontificem: sed cum iam idem Seuerinus diem obijsset, clerus Romanus eas acceptas aperuit. Extant ipsarum fragmenta, quæ recitaturus Beda, ista præmittit*: Sed & Ioannes, qui & successori eiusdẽ Honorij Seuerino successit, cũ adhuc esset electus in Pontificatum, pro eodem errore, *de tempore Paschatis scilicet*, corrigendo, litteras ad eum magna auctoritate atque eruditione plenas direxit, euidenter astruens, quia Dominicum Paschæ diem a quintadecima Luna vsque ad vigesimamprimam Lunam (quod in Synodo Nicæna probatum est) oporteret inquiri: necnon & pro Pelagiana hæresi, quam apud eos reuiuiscere didicerat, cauenda ac repellenda, in eadem illos epistola admonere curauit. cuius epistolæ principium hoc est:

LEGATIO A SCOTIS AD SEVERINVM.

* *Beda lib. 2. c. 19.*

Dile-

A Dilectissimis & sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Bathano Episcopis: Chromano, Hermannoque, Laustrano, Stellano, & Segiano presbyteris: Sarano, ceterisq. doctoribus seu Abbatibus Scotis: Hilarius Archipresbyter & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, Ioannes diaconus & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Ioannes seruus Dei Consiliarius eiusdem Apostolicæ sedis. COLLEGARVM IN ADMINISTRATIONE LITTERAE AD SCOTOS.

Scripta quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Seuerinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam prouinciæ vestræ contra Orthodoxam fidem, nouam ex veteri hæresim renouare conantes, Pascha nostrum in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quartadeB cima Luna cum Hebræis celebrare nitentes. Quo epistolæ principio (*subdit Beda*) manifeste declaratur, & nuperrime temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum gentem, sed quosdam ex eis hac fuisse implicitos. Exposita autem ratione Paschalis obseruantiæ, ita de Pelagianis in eadem epistola subdunt: Et hoc quoque cognouimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reuiuiscit: quod omnino hortamur vt a vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet: quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur. Et hortamur, ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen & impium, dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propria voluntate, & non ex graC tia Dei? Et primum quidem blasphemia & stultiloquium est dicere, esse hominem sine peccato: quod omnino non potest, nisi vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus & partus. Nam ceteri homines cum peccato originali nascentes, testimonium præuaricationis Adæ (etiam sine peccato actuali existentes) portare noscuntur, secundum prophetam dicentem[a]: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.] hucusque ex dicta Romani cleri epistola Beda recitat.

[a] *Psal. 50.*

Vides ex his clerum Romanum, etiam si careret Pontifice ordinato, consilio & auctoritate viguisse: magis enim commendanda tunc fuit eorum erga Catholicam fidem sincera semper manens intentio, & inuicta constantia: etenim qui dilapidationem bonorum Ecclesiæ & exilia passi essent; nihilominus validiori animo repetentes certamen, eũ fateD gerunt eligere in Rom. Pontificem, quem scirent satis habere virium ad resistendum Imperatori, condemnando in Synodali consessu missam ab eo fidei interpretationem. Talem quidem sciebant esse Ioannem, quem in Pontificem elegerunt, vt quæ sequenti anno dicenda erunt, facient manifestum. Interea in anni sequentis Synodum disponitur apparatus. nos vero quæ anni huius reliqua sunt studiorum hæreticorum in confirmanda quæ ab Imperatore promulgata est, fidei expositione, percurramus: hic enim eius Ecthesis est describenda, cuius causa tot obortæ sunt concertationes. Est quidem huiusmodi quæ fallere posset quemquam incautum, vtpote quæ videatur pietate referta. Ita plane sunt eloquia hæreticorum, vt obducant melle venena; & vt decipiant, multa primum secundum Catholicam fidem posita ingerant. Sed audi ipsam Ecthesin, quæ sic se habet accepta ex Actis Romani Concilij sub Martino Pontifice in Secretario terE tio his verbis: CONSTANTIA CLERI ROM.

Expositio Orthodoxæ fidei facta a pijssimo & a Deo conseruando nostro domino magno Principe Heraclio propter emersam ab aliquibus altercationem pro requisitione operationis, consonans in omnibus sanctis & vniuersalibus quinque Concilijs: quam cum multa satisfactione & gratia exceperunt Patriarchalium sedium Præsules, & gratanter ei consenserunt, vtpote pacem sanctis Dei Ecclesijs inferentem.] Vidisti ne, lector, paratam fraudem, & laqueum sub florenti gramine occultatum? Ante enim quam eadem Ecthesis vulgaretur, approbatam dicit a Patriarchis: cum certo constet etiam ex scriptis Cyri ipsius Episcopi Alexandrini hæretici, nonnisi post ipsam vulgatam, eam se vidisse, atque eidem consensisse. EXPOSITIO FIDEI AB HERACLIO MISSA.

Sed huic, tali licet præmisso titulo, nemo tamen Orthodoxorum debuit consentire, etiam si in omnibus Catholica videri potuisset. Quid enim pertinet ad Imperatorem fidem

exponere, & de recte credendo formulam Ecclesiæ Catholicæ præscribere? Est Imperatoris, oblatam ab Episcopis accipere fidem, non Episcopis dare, vt sæpe testati sunt Patres, & inter eos sanctus Ambrosius ad Valentinianum. Sed audi eam: A

DE TRINITATE CONFESSIO.

Credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem, siue naturam & essentiam, virtutemq. & potestatem in tribus subsistentijs siue personis, cognoscentes vniuscuiusque subsistentiæ familiaritatem, vnitatē in Trinitate, & Trinitatem in vnitate; vnitatem quidem secundum essentiæ siue Deitatis rationem, Trinitatem autem secundum subsistentias siue personas: nec enim vnum secundum essentiam confitentes, a personarum differentia excedimus: neque autē Trinitatem personarum confitentes, vnam denegamus Deitatem. Vnus Deus Pater, vnus Deus Filius, vnus Deus Spiritus sanctus: vnus hæc tria, Deus in eadem & immutabili Deitatis ratione. Nam personarum differentia Deitatis siue essentiæ non infert diuisionem. Vnam B igitur confitemur Deitatem familiaritates inconfusas seruantem, & non in vnam personam tribus nominibus nuncupatam asserentes hæc tria secundum Sabellium, neque autem in tres essentias vnam Deitatem diuidentes, aut extraneum facientes a Patris essentia Filium, aut Spiritum sanctum, secundum insaniam Arij. Vnum enim est in tribus Deitas, vt dicit magnus Gregorius in Theologia, & tria vnum, in quibus Deitas, siue (vt verissime dicatur) quæ Deitas.

DE VERBI INCARNATIONE ASSERTIO.

Confitemur autem vnum sanctæ Trinitatis vnigenitum Filium Dei, Deum Verbum a Patre progenitum ante omnia sæcula, lumen de lumine, splendorem gloriæ, vultum paternæ substantiæ, per quem omnia facta sunt, in extremis diebus propter nos & propter nostram salutem descendere de cælis, dignariq. in intacto vtero sanctissimæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ habitare, & ex ea conglomerantem sibi carnem in vna C substantia, animam habentem rationalem atque intellectualem, natum esse ab ea, & semper manentem perfectum Deum, eumdemq. fieri perfectum hominem inconfuse atque indiuise, consubstantialem Deo & Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, & per omnia similem nobis sine peccato. Vnde & duas natiuitates eiusdem vnigeniti Dei Verbi confitemur, vnam ante sæcula a Patre sine tempore & incorporaliter, alteram ipsius in extremis diebus a sancta intactaq. Dei genitrice & semper virgine Maria cum animato intellectuali eius corpore.

Quapropter sanctam & nimis laudabilem semper virginem Mariam recte & veraciter Dei genitricem prædicamus: non quia Dei Verbum initium ab ea accepit vt esset; sed in extremis diebus incarnatus ex ea, immutabiliter homo factus est, & passionem pro nobis spontaneā carne sustinuit. Compositum autem Christum glorificamus, sanctorum Patrum D sequentes doctrinam. Pro mysterio enim quod in Christo est, per compositionem mixtio & confusionem & diuisionem eijcit, & seruat quidem vtraque natura proprietatem, vnam autem substantiam & vnam personam Dei Verbi cum animata intellectualiter eius carne ostendit, neque quaternitate nobis pro sancta Trinitate introducta: absit: nec enim quartæ personæ additamentum sancta Trinitas suscepit, incarnato vno ex ea Deo Verbo. Neque autem alter erat qui miracula operabatur sicut Deus, alter autem quam ipse qui passiones sustinuit, sed vnum eumdemq. Filium confitemur Deum simul & hominem, vnam substantiam * , vnam personam passibilem carne, impassibilem Deitate, perfectum Deitate, & perfectum eumdem humanitate, & ipsius miracula & passiones, quas sponte sustinuit corpore.

* subsistentiam

Vnde & ex duabus naturis vnū Christum confitemur, vnum Filium, vnum Dominum, E vnam personam, vnam substantiam compositam, & vnam naturam Dei Verbi incarnatam corpore animato intellectualiter, sicut Cyrillus magnus sapuit & docuit: Et in duabus naturis eumdem esse glorificantes, vt in Deitate & humanitate vnum Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum cognitum esse confitemur, differentiam per hunc modum solum significantes naturarum, pro quibus inconfuse ineffabilis vnitas facta est. Nec enim Deitas transmigrauit in carnem, neque caro in Deitatem transmutata est, sed in proprietate naturali, & pro vniuscuiusque subsistentiæ vnitate vtrumque permansit. Vnde vnum scimus Filium Dominum nostrum Iesum Christum ex initium non habente Patre, & ex intacta matre, eumdem ante sæcula & in extremis diebus constitutum, impassibilem atque passibilem, visibilem & inuisibilem, vnius eiusdemq. miracula & passiones prædicamus, & omnem diuinam & humanam operationem vni eidemq. incarnato

A nato Deo Verbo tribuimus, & vnam ei offerimus venerationem ſponte & veraciter propter nos crucifixo in carne, & exurgenti ex mortuis, & in cælos aſcendenti, & reſidenti in dextera Patris, & iterum venienti iudicare viuos & mortuos: Nullo modo concedentes alicui ex omnibus vnam vel duas dicere ſiue docere operationes in diuina Domini incarnatione, ſed magis (ſicut ſanctæ & vniuerſales tradiderunt Synodi) vnum eumdemq. Filium vnigenitum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum confiteri operari diuina & humana, & omnem Deo congruam & homini operationem ex vno eodemq. incarnato Deo Verbo indiuiſe & inconfuſe procedere, & in vnum eumdemq. ſortiri; eo quod vnius quidem operationis vox licet ab aliquibus Patribus dicta eſt, tamen turbat & exterret quorumdam aures arbitrantium in interitum eamdem prolatam eſſe duarum naturarum, quæ in vna ſubſiſtentia vnitæ ſunt in Chriſto
B Deo noſtro.

Similiter autem & duarum operationum vocem multos ſcandalizare, vtpote a nemine dictam ſanctorum & præcipuorum Patrum: ſed & ſequi in eo, vt duas confiteamur voluntates contrarie ad inuicem venientes, Deo quidem Verbo volente ſaluberrimam paſſionem explere, incarnationem autem in eo factam obuiam euntem ipſius voluntati, & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium eſt & extraneum Chriſtiani dogmatis.] At non ponebant Catholici duas contrarias in Chriſto voluntates, ſed diuerſas, in vnum tamen conuenientes: vt autē in odium inducerent Catholicam de duabus voluntatibus ſententiam, iſta mentiebantur hæretici. Pergit vero Imperator: Si enim inſanus Neſtorius, licet diuidens diuinam Domini noſtri humanitatem, & introducens Filios duos, voluntates iſtorum dicere non eſt auſus, e contrario autem con-
C ſonantem voluntatem in eo, formatis duabus perſonis, confeſſus eſt: quomodo poſſibile eſt, Orthodoxam confitentes fidem, & vnum Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum glorificantes, duas & has contrarias voluntates ſuſcipere?

IMPVGNATIO DVARVM IN CHRISTO VOLVNTATVM.

Vnde ſanctos Patres in omnibus & in hoc ſequentes, vnam voluntatem Domini noſtri Ieſu Chriſti veriſſimi Dei confitemur, vtpote in nullo tempore animati intellectualiter eius corporis ſeparatam, nec ex proprio impetu contrario motu, vnito ei Deo Verbo in vna ſubſtantia, naturalem eius producere motionem, ſed quando & qualem & quantam ipſe Deus Verbum voluerat. Hæc pietatis dogmata tradiderunt nobis, qui ab initio præſentialiter viderunt & miniſtri Verbi facti ſunt, eorumq. diſcipuli & ſucceſſores; quiq. ſequenter a Deo inſpirati Eccleſiæ doctores, id eſt, ſanctæ & vniuerſales quinque Synodi, Nicæam, & in hanc regiam ciuitatem, necnon in Epheſum primum & in Chalcedonam,
D & iterum in Conſtantinopolim in quinto congregati Concilio.

Et hæc in omnibus ſequentes, & diuina eorum ſuſcipientes dogmata, omnes quos exceperunt excipimus, & omnes quos eiecerunt eijcimus & anathematizamus, præcipue Nouatum, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Origenem, Euagrium, Didymum, Theodorum Mopſueſtenum, Neſtorium, Eutychen, Dioſcorum, Seuerum, & impia ſcripta Theodoriti quæ contra rectam fidem & Epheſinam primam Synodum & duodecim capitula ſancti Cyrilli, & quanti pro Theodoro & Neſtorio conſcripſerunt, & nuncupatam Ibæ epiſtolam: & hortamur omnes Chriſtianos ſic ſapere, & ſic glorificare, nihil addentes his, nihil ſubtrahentes, nihil tranſmutantes, ſecundum quod ſcriptum eſt. Definitiones æternales a Deo inſpirati Eccleſiæ ſacerdotes ad ſalutem cunctorum præfixerunt. *Et ſubſcriptio Principis.* Heraclius fi-
E delis in Ieſu Chriſto Deo Princeps ſubnotauit.] hucuſque Ecthefis Imperatoris.

Poſtquam autem eiuſmodi ab Imperatore Conſtantinopoli, vbi degebat, eſt promulgatum edictum fidei expoſitionem continens, ad eam confirmandam a Sergio Conſtantinopolitano Patriarcha in eadē ciuitate Synodus celebrata eſt, in qua probata, retenta, & ſtabilita eadem expoſitio fuit: cuius Synodi fragmentum recitatum habetur in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa in tertio Secretario verbis iſtis: Sancta Synodus congregata dilectiſſimorum conſacerdotum noſtrorum, & per ea quæ in præſenti geſta ſunt pro Ecthefi Orthodoxi dogmatis pijſſimi & magni noſtri Principis, necnon per lectionem quæ ante hos proximos dies recitata eſt, prudentiſſimi magniq. Principis noſtri diligentiſſimam cognoſcens & inſtructam perfectionem, quoniam omnium artifex docuit eum prudentiam, per ſuam conſonantiam faciat manifeſtum, ſi ita expoſita ab eo, atque indiminute, ſecundum quod nobis videtur, habentem comprobat

SYNODVS CONSTANTINOP. PRO ECTHESI IMP.

& amplectens confirmat prædicationis confessionem. Sancta Synodus dixit: A

Relecta nunc magni & sapientissimi Principis Ecthesis, secundum veritatem, Apostolicæ consonat prædicationi. Hæc sunt Patrum dogmata: hæc sunt præsidia Ecclesiæ: hæc Orthodoxæ fidei stabilitas: hæc sanctorum quinque Conciliorum symbola: hæc vnitatem Christi dilecti orbis terrarum stabiliunt populi: hæc simpliciorum infirmitatem confirmant, & perfectos diligentioresque tuentur: hæc generalem humanitatis operantur salutem. Sic & nos credimus: hæc & nos confirmamus; his & nos consentimus.] & post alia plura in eamdem sententiam dicta adulationis plena, rursus Synodus:

Si quis ergo a præsenti die temerator prohibitorum tam a Deo conseruando domino & magno Imperatore atque huc congregata S. Synodo factus, vnam aut duas præsumpserit dogmatizare aut proferre in Christo Deo nostro operationes: hunc, si quidem Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, siue de sequentibus fuerit gradibus, ab omni esse suspensum B Ecclesiastico ministerio vel officio definimus: Si autem monachicum habitum habuerit, aut laicus fuerit; hunc de sancta communione viuifici corporis & sanguinis magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi separamus, donec qui hæc confiteri præsumpserunt, ad hoc quod oportet, remeantes, ex pura pœnitentia & conuersione sufficientem de tali transgressione pro seipsis satisfactionem porrexerint: tunc etenim vnusquisque talis in suũ pristinum restaurabitur officium. *Et subscriptio*. Sergius per misericordiam Dei Episcopus Constantinopoleos nouæ Romæ subscripsi. Gloria Christo Deo nostro, Amen, Amen.] hucusque ex Actis Synodi Constantinopolitanæ hoc anno sub Sergio habitæ in confirmationem Ecthesis: quibus subijciuntur quæ sub Sergij successore Pyrrho Acta Synodalia confecta sunt in confirmationem eiusdem edicti.

SYNODVS CONSTANT. INVALIDA.

Porro de eiusmodi Synodo agens S. Maximus Abbas & martyr in disputatione cũ Pyrrho, hæc ait: Subit me admiratio, quomodo Synodũ voces, quæ non est habita, vt leges & canones Synodici & iura Ecclesiastica iubent. Nec enim epistola encyclica ex consensu Patriarcharum edita est; neque locus, neque dies conueniendi decretus: non fuit aliquis actor, aut accusator. Qui conuenerunt, epistolas commendaticias non habuerunt, nec Episcopi a Metropolitanis, neque Metropolitani a Patriarchis: non epistolæ, neque substituti ab alijs Patriarchis missi sunt. Quis igitur particeps rationis Synodum velit appellare, quæ scandalis & discordijs cunctum orbem repleuit?] ista aduersus Pyrrhum S. Maximus in Synodi huius detestationem. C

CYRVS EPISC. ALEX. CONFIRMAT ECTHESIN IMP.

Scripsit & Cyrus Alexandrinus Episcopus pro confirmatione edicti Imperatoris epistolam ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum adulatione plenam, quæ in tertio Secretario eiusdem Concilij Lateranensis recitata legitur, in qua hæc inter alia: Quam D non solum semel & bis, sed & multo sæpius diligenter relegisse dignoscor: & lætatus eiusdem lectione, atque consistentes mecum, congratulans per laudabilem scriptorum expositionem, veluti Solis splendorem nitentem, & veram inconuertibilem & immolabilem nostram fidem fixius recteq. apertissime prædicantem, gratiarum hymnos retuli Domino omnium Deo, qui nobis dedit prudentissimum Imperatorem sanctas suas Ecclesias recte regentem, neque permittentem forrassis ab emergente tempestate quoquo modo nos perturbari, nec iterum pure accedentibus in eam asperrimis saxis quassari: magis autem sine periculo & benignissime ad tranquillum portum nos deducens, & pro pace fidelissimi populi eorum Deo decibiliter cogitantem: sed qui eum talem & in spiritualibus constituit Deus, ipse virtutem & fortitudinem condonet, & pio eius Imperio, contra repugnantes inimicos, seruet eius Rempublicam: vt tunc cum gratia & canticis exclamemus: Saluauit nos, saluauit, terq. saluauit nos pijssimus ter Augustus, hoc est, a tyrannica potestate, & Persarum ferocitate, necnon Sarracenorum temeritate. Quia vero & nos vestræ participati doctrinæ, & hanc sine dubio sequentes amplectimur & conseruamus, &c.] ita Cyrus. E

SERGII EPISC. CONSTANTINOP. OBITVS.

At plane accidit, vt sicut expositio illa non Catholica, sed hæretica fuit, ita non ex sententia canticũ illud cantare licuerit ob victorias de Sarracenis, sed ipsa cantica conuerterentur in luctum. Nam primum omnium animaduertit Deus in Sergium turbarum auctorem & architectũ: siquidem hoc ipso anno post promulgatam Ecthesin & in Synodo confirmatã, cum se summa rerũ potitũ arbitraretur, vocatus est a summo Iudice reddere rationem ad tremendum illud diuinum examen Dei viuentis & videntis. In hunc vsque annum peruenisse Sergiũ, quæ ex Synodalibus Actis sunt dicta demonstrant: ex quibus est quod cor-

A corrigas Nicephori Chronicon, in quo octo tantũ anni & menſes ſeptẽ tribuuntur Sergij Epiſcopatui, quem liquet ſediſſe annis triginta & amplius, vtpote quem ſedere cœpiſſe vidimus anno Redẽptoris ſexcenteſimo octauo. Pluris ſane ſunt ad fidem certam faciendam epiſtolæ & Acta Synodalia quouis auctoris Chronico. Ceterum ſublato de medio hæretico Patriarcha, alius ab hæretico Imperatore inuentus eſt hæretico Sergio impietate non minor, qui hæreſim aleret, defenderet, ac propagaret. Fuit iſte Pyrrhus Chryſopolitanus monachus & ordine presbyter, qui cum ſuæ impietatis ſpecimen haud vulgare dediſſet, dignus plane eſt habitus, qui in locum Sergij ſederet in cathedra peſtilentiæ, de quo plura ſæpe inferius dicenda erunt. At dum in Oriente in fidem Catholicam iuratur bellum, aduerſariorum Sarracenorum vires in immenſum augentur: nam regno Perſarum quod tanto labore ſubiugarat Heraclius Imperator, hoc anno ipſi potiti ſunt.

PYRRHVS CREATVR EPISC. CONSTANTINOP.

B Eodem enim anno mirum in modum auctæ ſunt res Sarracenorum, cum inuadentes ipſi Perſarum regnum, illud ſunt conſecuti: nam ad fugam conuerſus Hormiſda Perſarum Rex, rebus penitus deſperatis, regalia quoque dimiſit inſignia. Sic igitur cum in Oriente impietas præualeret, æque infidelibus datum eſt robur, & florentiſſimum regnum Perſarum per tot ſæcula maioribus in dies acceſſionibus propagatum, cui ſæpe Romanas vires ceſſiſſe tandem oportuit, idemq. ipſum tunc collapſum penitus, cum ſacroſanctam Chriſti Crucem Hieroſolymis captam Coſrhoes in Perſidem tranſtulit: ſed & tunc traditur Sarracenis, cum impietas in caſtris militat Romanorum. At de his modo ſatis.

IMPERIVM PERSARVM PENITVS COLLAPSVM.

Quod vero pertinet ad res Francorũ: hic eſt annus octauus [a] Regis Dagoberti, cum ad meliorem frugem conuerſus, dimiſſis concubinis, ijsq. quas ſibi illegitime iunxerat, puella Regentrude ſibi in matrimonium collocata, ex ea filium ſuſcepit, quem Sigebertum C nominari voluit, cum reuocatus ab exilio S. Amandus ipſum baptizauit. Baudemundus enim in rebus geſtis S. Amandi hæc habet de reſtitutione ipſius, & Regis filij baptiſmo [b]: Cum ſibi, *Regi ſcilicet*, nunciatum fuiſſet, quod ei Dominus filium dare dignatus eſſet: magno mox repletus gaudio, cogitare cœpit, cui ipſum puerum traderet, qui eum ſacro baptiſmate regenerare deberet. Statimq. accerſitis miniſtris, vt ſanctum perquirerent Amandum, ſagaci intentione præcepit. Nam dudum ipſe Pontifex, dum pro capitalibus criminibus (quod nullus ex ſacerdotibus facere auſus eſt) ipſum redargueret Regem, iubente eo iam furore percito, non abſque iniuria de regno eius fuerat expulſus. Ille vero remotiora perquirens loca, verbum Dei Gentibus prædicabat. Cumq. a miniſtris tandem fuiſſet repertus, & vt ad Regem ire deberet, fuiſſet admonitus: memorans illud Apoſtoli [c] præceptum, poteſtatibus ſublimioribus ſe ſubdi debere, tandem peruenit ad Regem, qui D illis diebus in villa, cui vocabulum Clypiaco eſt, morabatur.

[a] *Aimoin. lib. 4. c. 20.*

[b] *Apud Sur. tom. 1. die 6. Februar.*

S. AMANDVS REQVIRITVR QVI BAPTIZET SIGEBERTVM.

[c] *Rom. 13.*

Viſoq. Rex beatiſſimo Amando, magno repletus eſt gaudio, proſtratusq. pedibus beati viri, deprecabatur, vt tanto ſceleri, quod in eum perpetrauerat, veniam largiri dignaretur. Sed ille, vt erat mitiſſimus, atque ſupra modum patiens, citius eum eleuauit e terra, facinusq. in ſe perpetratum clementiſſime indulſit. Tunc Rex ad ſanctum ait Amandum: Pœnitet me valde, quod ſtulte aduerſum te egerim. Precor igitur, ne memineris iniuriæ, quam tibi irrogaui, atque preci meæ quam ſummopere poſtulo ne dedigneris annuere. Dedit mihi Dominus filium, non meis præcedentibus meritis: precorq. vt eum ſacro digneris abluere baptiſmate, atque in filium tibi ſpiritualem ſuſcipere. Quod vir Dei vehementer renuens, ſcilicet ſciens eſſe ſcriptum [d], militantem Deo non oportere implicari ſæcularibus negotijs, & quietum atque remotum non debere Palatia frequen- E tare regia, e conſpectu Regis abſceſſit.] ſic enim auctor negotium ſæculare dixit eſſe baptiſmum, non quod neſciret tantum ſacramentum inter præcipua dona ſpiritualia eſſe connumerandum, ſed quod ea occaſione ſanctus vir ſibi præter inſtitutum aperiri ſciret ad frequentandam curiam viam. ſed pergit:

[d] *2. Tim. 2.*

Statim igitur Rex miſit ad eum virum illuſtrem Dadonem, atque cum eo venerabilem virum Eligium, qui tunc in Palatio Regis ſub ſæculari degebant habitu, quos tamen poſtea egregios ſacerdotes atque præclaros in meritis, ſignis quoque, atque virtutibus fuiſſe, plurimis compertum eſt. Hi vero humiliter virum Dei petierunt, vt precibus Regis daret aſſenſum, atque filium ipſius ſacro dignaretur diluere fonte, & vt eum enutrire, & lege imbuere diuina, quantocyus aſſentiret; dicentes, quod ſi hoc vir Dei non renueret, per hanc familiaritatem liberius in regno ipſius haberet licentiam prædicandi, ſeu nationes plures per hanc gratiam ſe poſſe conquirere fatebantur. Tandem fatiga-

tus precibus amborum, facturum se esse promisit. Audiens autem Rex, quod preces A
suas sanctas non renueret Amandus, statim ipsum puerum afferri præcepit, qui dicebatur non plus a natiuitate habere, quam dies circiter quadraginta.

Accepit igitur vir sanctus in manibus puerum, & benedicens eum, catechumenum fecit. Cumq. finita oratione, nemo ex circumstanti multitudine respondisset, Amen: aperuit Dominus os pueri, atque audientibus cunctis, clara voce respondit, Amen. Statimq. eum regenerans sacro baptismate, impositoq. nomine, Sigeberto, Regem atque omnem eius exercitum tunc S. Amandus magno repleuit gaudio.] hactenus de Sigeberti baptismate auctor narrat,& Aimoinus [a] idem de infante, necnon Hugbaldus monachus in Actis [b] sanctissimæ feminæ Rictrudis Narcianensis.

[a] *Aimoin. lib. 4. c. 20.*
[b] *Apud Sur. die 12. Maij.*

B

IESV CHRISTI ANNVS 640. IOANNIS PAP. IV. ANNVS 1. HERACLII IMP. ANNVS 31.

IOANNES PAPA DAMNAT IN SYNODO ECTHESIN HERACLII.

SEquitur annus Redemptoris sexcentesimus quadragesimus, Indictione decimatertia: quo Ioannes Romanus Pontifex, collecta Synodo, damnat promulgatam ab Heraclio Imp. anno superiori fidei expositionem, Græce Ectheſin nuncupatam, simulq. ipsam Monothelitarum hæresim,quæ Imperatoris auctoritate plurimum inualuerat; auctorq. fuit vt id ipsum præstarent omnes Ecclesiæ Africanæ. Hæc autẽ omnia in primis apud Theophanem ita breuiter perstringuntur: Ioannes Romanus Præsul, collecto Episcoporum Concilio, Monothelitarum hæresim anathematizauit: similiter & in Africa penes Bizacium, C
Numidiam, & Mauritaniam diuersi Episcopi conuenientes, Monotheſitas anathemate perculerunt.] hæc Theophanes. Sic igitur Apostolica auctoritate succisi sunt *nerui* Imperatoriæ sanctionis, qua Ectheſin promulgauerat, & exaruit penitus spes *omnis Pyrrhi* Constantinopolitani Episcopi,qui sua epistola ad eumdem Ioannẽ conscripta,ipsum in hæresim pellicere conatus fuit, vt colligitur ex epistola Agathonis Romani Pontificis, verbis istis: Itemq. Pyrrhus in confirmatione Typi & in alijs pro Cyro Alexandrino satisfaciens, vnam voluntatem & operationem intelligere se demonstrat, & in scriptis ad sanctæ memoriæ Ioannem Papam vnam voluntatem & vnam operationem Dominum nostrum Iesum Christum habere confirmat.] hæc ibi.

MAGNA CONSTANTIA ROM. ECCLESIAE PONT. ET CARDINALIVM.

At plane admiratione res digna est, post tantam cladem Ecclesiæ Romanæ ab Imperatoris ministris illatam, post exilium Cardinalium, & alias graues afflictiones toleratas, D
non solum nihil remissum fuisse consueti roboris hæreticis resistendi,sed & maiorẽ auctam fiduciã etiam Imperatoris edicta damnandi ob oculos Exarchi, Ducis, atque militum, qui Romæ essent, quos omnes par fuit credere pro Imperatoris legibus acerrime pugnaturos. Nã nihil horum Ioannes veritus, & floccifacientes terriculamenta omnia ista clerici Cardinales, aduersus Imperatoris edictum Synodum collegerunt (vt audis) & Apostolica auctoritate ceu fulmine in terram prosternunt omnem machinam ad oppugnandam fidem Catholicam ab Imperiali potentia sublimem erectam. Quæ autem præter anathema in Ectheſin & in hæresim promulgatum in hac sancta Synodo facta sint, quod eius Acta perierint, penitus ignorantur, nisi quantum hinc inde non exiguo labore licuit expiscari pauca quædam,quibus reliqua quæ incomperta sunt, possunt intelligi: vnde fiet vt absque Synodalibus Actis tu consequi valeas, veluti si præsens fuisses ijs quæ tunc temporis Ro- E
mæ in Synodo gesta fuere.

PRVDENS IOANNIS PAPAE CONSILIVM.

Sic igitur quæ de laboribus Ioannis aduersus Monothelitas hinc inde ex vetustioribus monumentis sparsa fragmenta collegimus, hic intexemus. Quod enim sciret, Pyrrhum & alios Orientales hæreticos in consortium sui ipsorum erroris adsciscere defunctum iam Honorium Rom. Pontificem ex epistolis ab eo ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum scriptis, de quibus fusius suo loco superius actum est, hæcq. eos iactare, quo Romani Pontificis auctoritate hæresim stabilirent:his occurrens ipse Ioannes eius successor,ad hæc hæreticorum euertenda machinamenta, nihil vtilius accidere posse putauit, quam si illum qui tunc erat eidem Honorio Pontifici ab epistolis, quiq. dictas epistolas scripserat, vocaret, germanumq. sensum earum a se tunc scriptarum epistolarum iuberet dilucide interpretari, ne hæreticis daretur occasio ijs abutendi litteris, in longe diuersum sensum

A ab illo, quo scriptæ essent, easdem distorquentibus: idemq. ipse scriberet ad Imperatorem germanum sensum illarum. Præstitit quidem ille id quod Ioannes Pontifex iussit, omnemq. de Honorio suspicionem, legitimum sensum proferens, euacuauit. Sufficere id satis potuisset, nisi hæretica obstinatio calumnijs agere solita obstitisset.

Habemus huius veritatis testem sanctum Maximum martyrem in Pyrrhum Honorium in crimen adducentem inter alia ista locutum, quæ alia occasione superius recitauimus. Pyrrhus itaque per dialogismum vrgens Maximum, sic ait: Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi esse tradidit? *Maximus*: Quis fuit fide & auctoritate dignus epistolæ eius interpres? is qui eam ex persona sancti Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tum pietatis dogmatibus illustrauit, an hi qui Constanti-
B nopoli ex suo corde loquebantur? *Pyrrhus*: Ille, qui hanc scripsit. *Maximus*: Is igitur cum ad diuum Constantinum * Imperatorem rursus ex persona Ioannis Papæ de hac epistola scriberet, dixit: Vnam voluntatem diximus in Domino, non diuinitatis eius & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent: rescripsimus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed vnam tantum, quæ naturaliter humanitatem eius signabat. Hoc autem ita esse, argumentum euidens est, meminisse membrorum & carnis, quæ quidem in diuinitate non licet intelligere.] hæc & alia ibi, quibus Ioannis Papæ studium pro Honorio declaratur: quæ cum satis (vt diximus) sufficere potuissent, impij tamen semel male arreptam ansam nequaquam dimittere voluerunt, semper iactantes Honorium ex ipsorum parte stetisse, quo
C nihil mendacius asseri vmquam potuit.

* Constantem

Sed quod Maximi ea occasione contigit meminisse: opportune hic de ipso agendum, quem hoc ipso tempore cogitantem Romam, contigit primum in Africam proficisci, fieriq. auctorem, vt Africani Episcopi vno eodemq. consensu aduersus Monothelitas arma conuerterint, damnantes eos in pluribus ipsorum Concilijs vti hæreticos, eorumq. prauum dogma esse declarantes hæreticum. Ista quomodo se habuerint, vt intelligamus, petenda est narratio ex rebus gestis eiusdem Maximi, quæ habentur ad calcem operum eius Græce scriptæ in tribus codicibus Vaticanis: vertit eas in Latinum vir eru-
D ditus æque ac pius Petrus Morinus doctor Parisiensis. At præstat ipsa breuiter hic primum recensere Maximi primordia, quæ tibi breui ex ijsdem Actis compendio prodimus: Fuisse scilicet Maximum patria Constantinopolitanum, antiqua nobilitate clarum, litteris philosophicis ac Theologicis egregie excultum, inuitumq. ab Heraclio Imperatore in Palatium tractum, vt regijs commentarijs conscribendis operam daret, & alia iussa Principis magni momenti capesseret: in eademq. functione factum omnibus dignum virtutum, quod omnes imitarentur, exemplar, donec Monothelitarum hæresis ad Regiam accessum habuit: Tunc enim sibi timens ac consulens, Palatium deseruit, atque monasterium ingressus est, quod in vlteriore littore situm, Chrysopolis nomine est nuncupatum: vbi aliquandiu monasticam vitam exercens, inuitus eiusdem subire cogitur præfecturam.

PRIMORDIA MAXIMI.

At quomodo inde digressus venerit (vt diximus) ad oras Occidentales, auctor ita describit: Cũ autem videret (vt ante diximus) Monothelitarũ tum hæresim propagari, misereq. in dies ab impietatis defensoribus amplificari, ingemiscebat, & grauissimo luctu tenebaE tur, eos maxime miserans, qui nefaria agerent: nec vero habebat quid faceret, sic malo in immensum effuso, totumq. propemodum Orientẽ aggresso. Itaque in tantis malis hoc solum inuenit sibi rebusq. suis remedium: Nam cum intelligeret seniorem Romam tali scelere & piaculo carere, itidemq. quicquid erat in Africa atque in alijs locis ac circa insulis; hanc regionem deserens, illuc proficiscitur, patrocinium verbo veritatis daturus, ac eos qui ibi erant Orthodoxos conuenturus.] Et post multa de nefanda hæresi interlocutus, subijcit ista: Romam venturus, primum in itinere conuenit Africanos Episcopos: quibuscum sermones conferens, linguamq. diuina copiose loquentem mouens, in fide confirmabat, edocebatq. ac monebat, quomodo possent aduersariorum artes ac molimina effugere, atque ex eorum rationibus fallacibus & captiosis elabi. Sciebat enim vir in primis intelligens, nobis peritia multa opus esse, multaq. doctrina, vt in aduersarios tela iaciamus, omnemq. eorum altitudinem destruamus extollentem se aduersus scientiam Dei.]

MAXIMVS MIGRAT IN OCCIDENTEM.

Dei.] Et post multa de profectu, vtilitateq. magna, quam ea in re attulit illi prouinciæ, A subijcit de Synodo hoc anno Romæ habita aduersus Monothelitas, deq. alijs Africanis Concilijs, quibus (vt diximus) eadem est hæresis condemnata, ita dicens:

MAXIMI MARTYRIS LABORES PRO FIDE CATHOLICA.

Cum his persuasum esset, conuentum Episcoporum Episcopus Romæ egit, vt communi cum ijs consilio absurdum dogma execrationi & anathemati subijceret. Quod illi vt facerent, hortatione ac præceptis diuini Maximi adducti sunt, non Africa solum, & ei finitimi, sed etiam si qui in alijs ibi insulis degunt, hoc opus vrgentes, ac summo studio rem præclaram gerentes: nam hi omnes illum præceptorem habebant ac ducem, & rerum agendarum adiutorem. Non multo post Ioannes Romæ Præsul ad Dominum migrat, Theodorusq. in eius locum conscendit, non minus præsulatus quam orthodoxiæ heres,&c.] Hæc de obitu Ioannis & successione Theodori contigerunt anno sequenti: agemus de his suo loco; simul & quæ reliqua sunt tanti fidei agonistæ, & quantum non Occi- B dentali solum, sed vniuersali Ecclesiæ profuerit, suis locis dicturi sumus. Quod enim timuisset, ne argutissimi Monothelitæ, sicut Orientē, ita & Occidentem seducerent; in eiusmodi ea de causa adeo longa difficiliq. peregrinatione susceptā, numquam fuit otiosus, verbis cum præsentibus, scriptis vero cum absentibus agens, quorum adhuc sunt reliqua monumenta: vt ei plurimum debeat Occidens & Oriens, quod vniuersam Catholicam Ecclesiam doctrina mirifice illustrarit, quam tandem martyrio consignauit.

HERACLIVS NEGAT EDICTVM ESSE SVVM.

Sed redeamus ad propositā de Synodo Romæ habita narrationem. Quid tum admiratione dignum accidit? Cum hæc quæ Romæ facta sunt a Ioanne Pontifice,& vbique locorum ab Episcopis Occidentalis Ecclesiæ in condemnatione Ecthesis, expositionis scilicet fidei promulgatæ nomine Heraclij Imperatoris: idem Imperator haud leuiter commotus est. Verum cum nequaquam suarum virium esse videret, vt contra sententiarum C torrentem se obijcere atque resistere posset, ne tanta infamia laboraret, vt vbique in Occidente decantaretur hæreticus, atque suum nomen ore omnium maledictis proscinderetur vbique: illud excogitauit consilium, quo famæ suæ & nomini optime consuleret atque prospiceret, nimirum, vt nouo promulgato edicto, tam in Oriente quam in Occidente Orthodoxis omnibus innotescceret, Ecthesin illam suo nomine promulgatam, suam non esse, sed Sergij Constantinopolitani Episcopi, ab ipso conscriptam, pariterq. curatam vt Imperatoris nomine ederetur, quo maiorem vim sibi ex nomine compararet. Sicq. Heraclius existimauit tantam se posse vitare infamiam, qua nomen suum esset vbique respersum.

Hæc quidem ita se habuisse, docent Acta publica in Senatu Constantinopolitano confecta, cum sub Constante Imperatore Monothelita causa sancti Maximi, de quo modo D egimus,tractaretur; dum ipse sanctus niteretur illis persuadere, vt ipse Constans,qui Typum promulgasset hæreticum, si vellet ea carere ignominia, proderet scriptis auctorem, sicq. faciendo, auum suum imitaretur Heraclium. Sed reddamus hic publicorum Actorum verba, quæ sic se habent: Cum vero audisset domnus Troilus in toto Occidente Typum anathematizari, dicit Dei seruo, *Maximo scilicet*: Pulchrum ne est, quod pij domini nostri existimatio contumelia afficitur? Respondit seruus Dei: Ignoscat ijs Deus, qui auctores fuerunt domino vt Typum faceret, & ijs qui assensi sunt. Dicit Troilus: Qui auctores? Quinam assensi sunt? Respondit seruus Dei: Qui sunt Ecclesiæ, impulerunt; Principes concesserunt: & ecce obnoxiorum sordes in insontem & ab omni hæresi purum aspersa est. Verum consilium hoc ei date, vt sui aui, nempe Heraclij Imperatoris piæ memoriæ exemplum sequatur. Ille enim cum sensisset a nonnullis in Occidente E probrum sibi aspergi, edicto se liberauit omni Ecclesiastica reprehensione, hæcq. scripsit: Ecthesis mea non est, nec ego dictaui, aut fieri iussi: verum cum Sergius Patriarcha quinque ante annis condidisset, quam ab Oriente redirem; orauit me, postquam ad hanc felicem vrbem aduenī, vt nomine meo promulgaretur cum subscriptione. Eius hortatu id feci. Nunc vero cum cognouerim eam a nonnullis oppugnari, declaro ad omnes, non esse meam. Hoc Iussum, *Edictum scilicet*, fecit ad beatum Ioannem Papam, qui damnarat Ecthesim in ijs quæ tum ad Pyrrhum scripta sunt. Ac Sergij ex illo tempore Ecthesis habetur. Faciat hoc qui nunc pie nobis imperat, & eius existimatio penitus omni viruperatione carebit.] quæ autem ista a Maximo audientes Iudices responderint, suo loco dicenda erunt.

PRVDENS CONSILIVM MAXIMI.

Hæc Maximus de Heraclio, qui vtinam sicut destruxit, ita ædificasset, nimirū vt eodem

vel

A vel alio edicto rectæ fidei confessionem promulgasset toto orbe terrarum: nam ea plane indigebat, vt se ab omni hæresis suspicione purgaret. De quo & illud monitum lectorem velim, non sic a Maximo dici piæ memoriæ Heraclium, vt Catholicum verbis illis cum pronunciasse voluerit, sed quod moris esset ita omnes nominari Imperatores, qui non publice hæresis condemnati fuissent: ita eodem modo ab ipso item Maximo audis dictum de Constante: Qui nunc pie nobis imperat.] hæc dixerimus, ne quis fallatur, vt existimet eiusmodi nomenclatura tam Heraclium, quam Constantem esse recensendos inter Catholicos Imperatores: quod & alias superius de alijs hæreticis Imperatoribus nos adnotasse meminimus.

Hoc pariter anno ex humanis sublatus est pessimus ille Cyrus Alexandrinus Episcopus, vt colligi potest ex Nicephori Chronico, dum ait ipsum sedisse annos decem, quem B creatum vidimus anno trigesimo post sexcentesimum. Successit illi Petrus eiusdem farinæ homo, hæresis Monothelitarū propugnator accerrimus. In sede vero Antiochena quis successerit illi Athanasio hæretico perditissimo, & quando ipse defecerit, ignoratur, nec de Antiochenis Episcopis successoribus vlla deinceps mentio vsque ad tempora Sextæ Synodi, quibus tunc eidem præfuisse Ecclesiæ Anastasius hæreticus famosissimus reperitur. Sic & Hierosolymitanæ Ecclesiæ est obscura successio, occupatis regionibus illis a Sarracenis. Post hæc autem ipse etiam Heraclius Imperator haud diutius superstes fuit: siquidem Theophanes & alij veteres tradunt, ipsum tenuisse Imperium annos triginta & vnum, quem hoc anno cœptum, sequenti absoluit: agemus ergo de eo suo loco.

CYRI EPIS. ALEXAND. OBITVS.

Quod ad res Francorum pertinet, hoc eodem anno, qui numeratur nonus Dagoberti Regis, legationem ab eo missam ad Sclauorum Regem pro repetendis mercibus ablatis C mercatoribus Francis, veteres ponunt [a]. De qua legatione illud memoria dignum narrant, quod cum idem Rex legato dixisset, expetere se amicitiam Regis Francorum; ille respondit: Non est possibile vt serui Christi cum canibus fœdera iungant. Ad quem ille: Quandoquidem vos serui profitemini esse Dei, & nos sumus canes: ideo quæ vos nequiter contra eius geritis voluntatem, vt inutiles famuli, nobis frequenter conceditur morsibus ipsa vlciſci.] Statimq. ab eius conspectu eiectum fuisse legatum Richarium (quem alij Sicharium nominant) tradunt. Claruit namque hoc tempore in Gallia egregia sanctitate præditus vir Richarius nomine, qui paternis monitis ipsum Dagobertū Regem ad meliorem frugem conuertit; cuius res præclare gestas scripsit postea Albinus Flaccus [b] ad Carolum Imperatorem.

RICHARII AD REG. SCLAVORVM LEGATIO.

[a] *Aimoin. lib. 4. c. 23.*

[b] *Extat apud Sur. die 20. April. tom. 2.*

Eodem anno Eadbaldum Anglorum Regem, de quo superius mentio facta est, relicto D regni herede filio Earconberto, esse defunctum, Beda testatur, resq. Ecclesiasticas felicioribus progressibus auctas tradit, his verbis [c]: Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quadragesimo, Eadbaldus Rex Cantuariorum transiens ex hac vita, Earconberto filio regni gubernacula reliquit: quæ ille susceptа, vigintiquatuor annis & aliquot mensibus nobilissime tenuit. Hic primus Regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac destrui, simul & ieiunium quadraginta dierum obseruari, principali auctoritate præcepit: quæ ne facile a quopiam posset contemni, in transgressores dignas & competentes punitiones proposuit. Cuius filia Eartongatha, vt condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, indesinenter semper seruiens Deo in monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissa nobilissima, vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasterijs constru-E ctis, multi de Britannia, monasticæ conuersationis gratia, Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant, & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cælesti copulandas mittebant, &c.] pergit enim recensere sacras virgines egregia sanctitate præclaras, quas breuitatis causa prætermittimus, sicut & alias plures æque sanctitate insignes, quas Ionas Abbas enumerat, earumq. admiranda acta retexit in rebus gestis sanctissimæ ipsarum omnium matris Burgundoforæ, quam haud inconsulte aliqui (vt superius diximus) eamdem esse putauerunt cum Fara, cuius meminit Beda. Cum ergo docuerimus certos quos consulas auctores, nihil est quod queraris spiritalibus hisce delicijs te esse priuatū, si breuitatis causa earum res gestas omiserimus recensere, cum satis esse putauerimus, indicasse cellas penarias, vbi mella ista conduntur.

[c] *Bed. lib. 3. c. 8.*

ECCLESIA ANGLICANA PROPAGATVR.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

IESV CHRISTI ANNVS 641. | IOANNIS PAP. IV. ANNVS 2. | CONSTANTINVS IMP.

HERACLII OBITVS.

ANnus Redemptoris sexcentesimus quadragesimusprimus sequitur ordine temporis, Indictione decimaquarta: quo, mense Maio (nescitur dies) Heraclius, vbi imperasset annos quadraginta & vnum, infelici exitu vitam clausit confectus ærumnis animi corporisq. molestijs, ea passus quæ pudet referre, sed & præter alias corporis ægritudines magnopere hydropisi laborauit. Ceterum reliquit de se quasi in tabula egregie effigiatum exemplar, quantum Deo inhærentes Principes possint, quantumve ab eo recedentes sint inualidi, ac Reipublicæ & Ecclesiæ noxij: æquiparandus plane & fortasse præferendus fortissimis Imperatoribus, nisi offenso numine, & religione vera despecta, eius extrema fuissent ex ipsius impietate euentis infelicissimis infamata, propagata eadem ad posteros suos infelicitate. Etenim qui cum ipso regnarat & ipsi successit Constantinus, iugi morbo detentus, vix quatuor in Imperio (vt tradit Theophanes) menses absoluit, coronatus eadem quam secum ad sepulchrū pater coronam gestauit, persoluto pretio templo septuaginta librarum. creditum vero fuit, veneno a Martina Augusta nouerca propinato, ipsum e vita subtractum; cuius opera filius eius Heracleonas, adiuuante Pyrrho Constantinopolitano Episcopo, Imperij habenas regendas suscepit, quod dumtaxat tenuit menses sex; sed rebellante Senatu, ipse ab Imperio depositus, mutilationeq. nasi mulctatus, atque eius mater Martina perfida femina linguæ abscissione punita, in perpetuum exilium sunt eiecti, collato Imperio filio Constantini, quem alij Constantem, Constantium alij, alij nominant Constantinum: nos vero secuti Theophanem, Constantem appellabimus. Quomodo vero in crimen vocatus Pyrrhus Patriarcha de conspiratione habita cum Martina, solum verterit, dicemus anno sequenti.

CONSTANTINVS IMP.

HERACLEONAS IMP.

CONSTANS IMPERATOR.

IOANNIS IV. PAP. OBITVS.

Hoc eodem anno Ioannes Papa, vbi sedisset annum vnum, menses nouem, & dies sex, ex hac vita migrauit duodecima die mēsis Octobris. hæc ex Anastasio, qui & ista subdit: Hic temporibus suis misit per omnem Dalmatiam seu Istriam multas pecunias per fidelissimum & sanctissimum Martinum propter redemptionem captiuorum, quos deprædati erant Gentiles.] Etenim Slaui, siue Sclaui, in illas regiones grassantes, magnam multitudinem captiuorum abduxerant, quos Ioannes Papa redemit: qui eo liberior fuit in erogando Ecclesiæ thesaurum, quod haud pridem viderat eum in damnum Romanæ Ecclesiæ fuisse ab Honorio congregatum. Sciebat enim inhiare Imperatores eorumq. ministros in bona Ecclesiarum, & sacrilegas inuasiones ob eam causam sæpe fecisse. Vt igitur malum anteuerteret, consuleretq. Romanæ Ecclesiæ indemnitati, illud satis vtile existimauit esse remedium, si (vt sanctus Laurentius fecit) thesaurum Ecclesiæ in pauperes continuo erogaret, nullum tutiorem sciens esse locum ad thesauros recondendos, quam pauperum sinum.

IOANNIS PAP. EFFVSA LARGITAS IN REDIMENDIS CAPTIVIS.

TRANSLATIO SANCTORVM MARTYRVM.

Qui igitur in Dalmatiam pro redimendis captiuis misit, e Dalmatia longe locupletiorem thesaurum est consecutus, nempe corpora sanctorum martyrum, quæ Romam transferenda curauit. Id vero, non vt sacris pignoribus spoliaret prouinciam illam, quam vnice diligebat, vtpote solum patrium (nam Dalmata & ipse erat) sed quo venerandis sanctorum reliquijs bene consultum esset, fecit. Quod enim crebris barbarorum grassationibus eadem prouincia esset exposita, qui nullam rationem haberent sacrarum ædium, spoliantes eas cunctis bonis, & quæ asportari non possent, tradentes incendio: rem Deo gratam, sanctisq. ipsis iucundam fore existimauit, si ipsa sanctorum corpora inde sublata, Romam ad Lateranam basilicam collocanda transferret, cum in ipsorum honorem peculiare oratorium construxisset iuxta baptisterium Constantini, quod hactenus integrum perseuerat. Sed videamus quid de his Anastasius habeat: Eodem, inquit, tempore Ioannes Pontifex fecit & ecclesiam beatis martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & alijs pluribus martyribus, quorum reliquias de Dalmatia & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in ecclesia suprascripta iuxta fontem Lateranensem, iuxta oratorium beati Ioannis Euangelistæ; quam ornauit, & diuersa obtulit dona.] hæc ipse.

DE ORATORIO A IOANNE CONSTRVCTO

Verum inter alia sacri oratorij ornamenta ex pristino vsu illud adiecit, vt quorum sanctorum martyrum corpora transtulisset, eorumdem & imagines in apside musiuo

opere

A opere fieri ſtudio propenſiori curaret; verum inchoatum opus cum ipſe mortis obſtaculo inabſolutum reliquerit, qui in locum eius ſucceſſit Theodorus abſoluit. Adhuc extant integræ ſacræ imagines Dei genitricis Mariæ & ſanctorum martyrum, quorum illic ſub altari corpora habentur recondita, muſiuo opere effigiatæ; atque hi qui ſequuntur verſus eodem opere exarati ibidem in eiuſdem apſidis emicyclo ſcripti leguntur, his verbis:

Martyribus Chriſti Domini pia vota Ioannes
Reddidit Antiſtes, ſanctificante Deo.
At ſacri fontis ſimili fulgente metallo
Prouidus inſtanter hoc copulauit opus:
Quo quiſquis gradiens, & Chriſtum pronus adorans,
Effuſasq. preces impetrat ille ſuas.] Pergit vero Anaſtaſius de eodem Pon-

B tifice reliqua ſic dicere:

Fecit arcus argenteos duos, qui penſant ſinguli libras quindecim. Similiter & alia vaſa argentea multa. Fecit autem ordinationem vnam menſe Decembri, creauit presbyteros decem & octo, Epiſcopos per diuerſa loca numero decem & octo. Hic dimiſit omni clero rogam integram. Qui etiam ſepultus eſt quarto Idus Octobris ad beatum Petrum Apoſtolum, ſub die quarto Idus Octobris. Et ceſſauit Epiſcopatus eius menſem vnum & dies tredecim.] hucuſque Anaſtaſius. Sicq. eius aſſertione, eodem anno, die vigeſimaquinta menſis Nouembris Theodorus, ex patre Theodoro Epiſcopo, patria Hieroſolymitanus, ſubrogatus eſt Pontifex. THEODORVS PAP.

C IESV CHRISTI ANNVS 642. THEODORI PAP. ANNVS 1. CONSTANTIS IMP. ANNVS 1.

SEquitur annus Redemptoris ſexcenteſimus quadrageſimuſecundus, Indictione decimaquinta: quo Pyrrhus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in ſuſpicionem adductus conſpirationis cum Martina Auguſta de propinato veneno Conſtantino Imperatori, ſibi timens, ſponte receſſit, cum ſediſſet (vt ait Nicephorus) annos duos, menſes nouem, & dies nouem; atque ſic ſpontanee factus extorris, fuga ſuæ ſaluti conſuluit, quam prætulit ſedi. Recedens ergo, perrexit in Africam, quam ſciebat ab Imperatore defeciſſe, manſitq. ibi annos tres, vſque ad tertiam ſcilicet Indictionem, qua profectus eſt Romam, vt ſuo

D loco patebit. In cuius locum ab hæretico Imperatore Conſtante ſubrogatus eſt Paulus æque hæreticus Monothelita. PYRRHVS EXTORRIS FACTVS. PAVLVS PATRIARCHA HAERETICVS.

Plane ſicut Imperij, ita & erroris heres Conſtans hæreſim, quam ſciebat ab auo Heraclio accepiſſe originem, mirum in modum propagare conatus eſt: etenim ſi quæ vacarent Eccleſiæ, ijſdem præficere curauit Epiſcopos eiuſdem erroris aſſertores; & quos mittebat Præſides in prouincias, eoſdem voluit eſſe pariter ipſa hæreſi imbutos. Ita deſtituta Catholicis, proſtrata iacebat Orientalis Eccleſia: etenim iam longe ante, qui ijſdem hæreticis aduerſabatur, Sophronius defunctus erat; ac Maximus Abbas Conſtantinopolitanus acerrimus defenſor Catholicæ veritatis, Conſtantinopoli recedens & Romam cogitans, in Africam venerat. Sic igitur nullo obice alicuius ex aduerſo latrantis canis, lupi libere vbique graſſantes, vniuerſum ouile Dominicum inuadebant: adeo vt num-

E quã turpior apparuerit facies Orientalis Eccleſiæ, quam his temporibus, iam exiſtentibus omnibus Patriarchis hæreticis, ipſisq. terrarum dominis non hæreticis tantum, ſed propagatoribus impietatis: quibus omnibus malis accedebat ſectæ Mahometanæ inualeſcentis magis ac magis armorum potentia & augmentum in Chriſtianæ religionis opprobrium. Iunctæ his erant captiuitates fidelium, ſtupra ſacrarum virginum, occiſiones ſacerdotum, euerſio eccleſiarum, & alia huiuſmodi fere innumera, quæ ſecum dira bella ferunt, illa potiſſimum quæ a religionis hoſtibus inferuntur: vt numquam tot damna quiſquam enumerare ſufficiat. TVRPIS FACIES ORIENTALIS ECCLESIAE.

Quod vero cuncta hæc mala feddebat magis toleratu difficilia, illud erat, quod nulla vſquequaque eſſet conſolatio afflictorum, bonis videlicet longe longius factis extorribus, regnantibusq. vbique cum hæreticis Imperatoribus impijs ſacerdotibus. Adeo erant hæc grauia, adeo luctuoſa, dixerim deſperata penitus & deplorata, vt ſi quis tempora iſta

cum

cum præteritis temporibus conferat, quibus sub alijs hæreticis Imperatoribus gemuit A
Oriens, longe hæc deteriora fuisse consentiat. Sed tanta hæc pluribus voluminibus pro-
sequenda, eo cecidere funestiora, quo scriptorum inopia remanserunt obscura. Nam
aliqua est consolatio afflictorum, cum ex suorum cognitione malorum compassionem sibi
conciliare putant. Hinc enim sanctissimus Iob [a]: Quis mihi tribuat, vt scribantur ser- *a Iob. 19.*
mones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo & plumbi lamina, vel celte
sculpantur in silice?] hæc vir patientissimus, triplicem optans suorum malorum memo-
riam relinqui posteris, in chartis, plumbo, ac durissimo lapide, vt penitus fieret indele-
bilis. Contra vero dolor magis augetur, cum mala grandia quæ tolerantur, facta cun-
ctis incognita, omnem spem amouent compassionis: commiseratio enim haud modicam
affert patientibus consolationem. Sed quomodo mala hæc tanta suum alueum eluio- B
ne quadam excedentia in Occidentalem quoque sese effuderint orbem, sæpe inferius di-
cendum erit.

Hoc eodem anno sexcentesimo quadragesimosecundo (vt auctor est Beda) Rex Chri-
stianissimus Osuualdus in prœlio occisus est, cuius egregia sanctitas, succedentibus mi-
raculis multis, testificatione diuina est declarata: de cuius ad Deum transitu Beda [b] ista *b Bed. lib. 3. c. 12. in fin.*
habet: Vulgatum est autem & in consuetudinem prouerbij versum, quod etiam inter OSVVALDVS IN PROELIO OCCISVS.
verba orationis vitam finierit. Namque cum armis & hostibus circumseptus, iam
iamq. videret se esse perimendum, orauit ad Dominum prò animabus exercitus sui. Vn-
de dicunt in prouerbio: Deus miserere animabus, dixit Osuualdus cadens in terram.
Ossa illius translata & cõdita sunt in monasterio quod diximus. Porro caput, & manus cum
brachijs a corpore præcisas, iussit Rex qui occiderat, in stipitibus suspendi. Quo post an- C
num deueniens cum exercitu successor regni eius Osuuinus, abstulit ea, & caput quidem
in cœmeterio Lindisfarnensis ecclesiæ, in regia vero ciuitate manus cum brachijs con-
didit.] Quis non dixerit, si oculis tantum carneis ista inspiciat, Osuualdum miserrimo fi-
ne clausisse diem, & a Deo quodammodo visum derelictum fuisse? At angusti animi fue-
rit id cogitasse, cum diuini oraculi testificatione certum sit, vtcumque acciderit, pretio-
sam esse in conspectu Domini mortem sanctorum eius, ac visos quidem illos oculis insi-
pientium mori, verum eosdem esse in pace, atque vna cum Christo in cælis regnare. quod
ne putaret aliquis esse inanem imaginationem in Osuualdo, perspicue cunctis quæ secuta
sunt miracula declararunt. Sed antequam de illis aliqua attingamus, præstat audire
Bedam de ipsius, dum viueret, cultu religionis: ait enim [c]: *c Bed. eod. cap. post med.*

Temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper la- OSVVALDI RELIGIO.
borare ac deprecari solebat. Denique ferunt, quia a tempore matutinæ laudis sæpius ad D
diem vsque in orationibus perstiterit, atque ob crebrũ morem orandi siue gratias agendi
Domino, semper vbicumque sedens supinas super genua sua manus habere solitus sit.]
Idemq. superius de regni tempore [d]: Regnauit Osuualdus Rex Christianissimus Nord- *d Bed. lib. 3. c. 9.*
humbrorũ nouem annos, annumerato illo etiam anno, quẽ & feralis impietas Regis Britto-
num & apostasia demens Regum Anglorũ detestabilem fecerat.] & paulo post: Occisus est,
commisso graui prœlio ab eadem gente Pagana, Paganoq. Rege Merciorum, a quo & præ-
decessor eius Eduinus peremptus fuerat, in loco qui lingua Anglorum nuncupatur Maler-
selth, anno ætatis suæ trigesimooctauo, die quinto mensis Augusti. Cuius quanta fides
in Deum, quæ deuotio mentis fuerit, id post mortem virtutum miraculis claruit. Nam- OSVVALDVS POST OBITVM MIRACVLIS CLARVS.
que in loco, vbi pro patria dimicans a Paganis interfectus est, vsque hodie sanitates in-
firmorum & hominum & pecorum celebrari non desinunt. Vnde contigit, vt puluerem E
ipsum, vbi corpus eius in terrã corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, suis super
hoc infirmis multum commodi afferrent: qui videlicet mos adeo increbuit, vt paulatim
ablata exinde terra, fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Nec mirandum
in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper dum viueret, infirmis & pauperibus con-
sulere, eleemosynas dare, & opem ferre non cessabat.] hæc Beda, qui plura de eodem re-
censet [e] miracula, quæ tu consulas. *e Bed. lib. 3. c. 9. 10. & seq.*

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

IESV CHRISTI ANNVS 643. | THEODORI PAP. ANNVS 2. | CONSTANTIS IMP. ANNVS 2.

ANnus incipit sexcentesimus quadragesimustertius, Indictione prima, idemq. secundus Constantis Imperatoris, quo (vt habent Græcorum Annales) Haumar Princeps Sarracenorum ædificare cœpit templum Hierosolymitanum: cumq. ædificia non consisterent, Iudæi causam rogati exposuerunt, nempe Crucem contra positam: sicq. Crucem, quæ templo montis Oliuarum imposita erat, deposuerunt, atque ita demum ædificia firmata sunt. Atque hæc res Christi osoribus occasionem præbuit multas Cru- CRVCES HIEROSOLYMIS DEPOSITAE.
B ces deturbandi.] hæc ex Theophane.

De eodem tẽplo habet ista Guiglielmus Tyrius [a]: Sumptibus, qui sufficere possent ad impensam, designatis, & conuocatis artificibus, subiecta pro votis materia tã ex marmorũ diuersitate, quam ex lignorum differentia multiplici, templũ ædificari præcepit. Quo postea infra modicum tempus iuxta conceptum mentis feliciter consummato, quale hodie Hierosolymis esse dignoscitur, multis & infinitis ditauit possessionibus, vnde suppeterent facultates ad conseruanda perpetuo eiusdem sarta tecta, & vetera renouanda, & continuanda luminaria per manum eorum qui in eodem templo deseruirent. Quæ autem sit illius forma & operis elegantia, quoniam pene omnibus notum est, non est præsentis tractare negotij. Erant porro in eodem templi ædificio intus & extra in opere musaico Arabici idiomatis litterarum vetustissima monumenta, quæ illius temporis esse creduntur; quibus
C & auctor, impensarum quantitas, & quo tempore opus inceptum, quoq. consummatum fuerit, euidenter declaratur.] hæc Tyrius. [a] Guigliel. Tyr. de bello sacro lib. 1. c. 2.

Plane mirandum illud fuit, quod nonnisi depositione sanctissimæ Crucis erigi potuerit templum Sarracenorum: ex quo virtus & potentia Crucis enituit, qua stante, necesse sit CRVCIS POTENTIA.
dæmones cedere, eorumdemq. conatum & vires infringi. quod & accidit sub Apostata Iuliano, cum faterentur dæmones se Cruce penitus superatos. Quod autem Deus, dempta Cruce, permiserit inualescere Sarracenos: nihil præterea dicendum, quam quod idem Deus ob peccata populi exaltauerit aduersus eum Assyrios. Sed illud accidit Crucis virtute mirandum, quod cum tot fuerint insignia Hierosolymis templa, egregia Christianorum Imperatorum monumenta, nullum eorum vendicare sibi sint ausi dominantes impij Sarraceni, sed libera omnia prioribus vsibus fuerint Christianis relicta, ea-
D demq. vt antea frequentata a totius terrarum orbis fidelibus, prout quæ inferius dicturi sumus, ostendent.

Inter hæc autem nouis quatitur Italia motibus, cum Mauritius Chartularius, de quo multa facinorosa superius dicta sunt, in tyrannum erupit, ac male perijt. habet enim de his ista Anastasius in Theodoro: Huius tẽporibus in Mauritium Chartularium, per quem multa mala operatus est Isacius Patricius Exarcha, cum increbuissent peccata eius, de beato Petro Apostolo prodijt vindicta, vt hereditaret eum ignis inextinguibilis. Con- MAVRITII CHARTVLARII TYRANNIS.
silio ductus suprascriptus Mauritius illorum qui cum ipso ante deuastauerant Ecclesiam Dei, tyrannizauit aduersus Isacium Patricium, & misit per omnia castra quæ erant sub ciuitate Romana per circuitum, & congregauit omnes & coniunxit secum ipsos per sacramentum, vt deinceps nullus ex ipsis debuisset obedire Isacio, neque hominibus eius, eo
E quod ipse sibi regnum imponere voluisset. Audiens hæc Isacius Patricius, quod Mauritio omnes exercitus Italiæ sacramenta dedissent, misit Donum Magistrum militum & Sacellarium suum ad ciuitatem Romanam cum exercitu.

Qui veniens in ciuitatẽ Romanã, omnes Iudices, seu exercitus Romani, qui prius se cum Mauritio per sacramenta constrinxerant, timore ducti, dimittentes Mauritium Chartularium, omnes se cum Dono iunxere: qui cum ingressus esset Romã, fugit Mauritius ad beatam Mariam ad Præsepe.] Hic meminisse lector debet, hunc illum fuisse Mauritiũ, qui Lateranensem inuadens basilicã expilauit: cogitur modo infelix ab ecclesia auxiliũ petere, & ad ipsam pro salute confugere, qui aduersus eam hostiliter grassatus fuit: sed non fuit diuina vltio ibi eum reperire securitatem, qui antea sacrilege fuerat in ecclesiã debacchatus. nam subdit Anastasius: Eum tollentes de ecclesia, miserunt boiam in collum eius, simi- MAVRITIVS DAT POENAS SCELERIS.

liter & omnibus qui in consilio cum ipso fuere, & boiatos misit Rauennam per manus A
Marini Scribonis & Thomasij Chartularij. Qui deducentes eos, peruenerunt iuxta ciui-
tatem Rauennatem in locum qui dicitur ad Ficuldas *, duodecimo milliario longe a ciui-
tate, & ibi decollauerunt Mauritium: quia sic in mandatis acceperant a supradicto Isa-
cio, vt viuus ciuitatem Rauennatem non ingrederetur. Et postquam decollatus est, le-
uantes caput eius duxerunt Rauennam. Videns autem Isacius caput Mauritij, gauisus
est, & fecit illud ad exemplum multorum in circo Rauennate super stipitem poni. Illos
autem qui cum ipso directi fuerant, omnes boiatos iussit arcta custodia in carcerem mitti,
cogitans quomodo eos puniret. Sed cum ea agerentur, mox nutu diuini iudicij, ipsis
diebus percussus diuino ictu Isacius mortuus est. Hi autem qui clausi erant, exeuntes de
carcere, reuersi sunt singuli per loca sua. Audiens hæc Imperator, *Constans scilicet*, quod
defunctus est Isacius, misit Theodorum Patricium Exarchum, cui cognomentum Cal- B
liopa, ad regendam omnem Italiam.]

* Ficodas, *est Ecclesia Ficodensis, hodie Cerula.*

ISACII OBITVS REPENTINVS.

Cum omnes Anastasio assentientes, æque testentur successorem Isacij missum fuisse
Theodorum Calliopam: constat tamen ante Calliopam missum esse Platonem hæreticum
pariter Exarchum: quem post sequentem annum, cum Pyrrhus Constantinopolitanus
Episcopus Romam se contulit, Exarchum fuisse, suosq. direxisse ad Pyrrhum, in sua epi-
stola S. Martinus [a] Papa testatur, nosq. suo loco dicemus: quanta autem hic mala intu-
lerit Romanæ Ecclesiæ, patebit inferius.

[a] *Martin. Pap. epist. 16.*

Sed ne relinquamus insepultum Isacium, sepultura licet indignum; cuius tumulo nul-
lum fuisset aptius epitaphium inscribendum, quam quod Dauidicum habet carmen [b]:
Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum. Ecce qui dixit: Venite [c] hereditate
possideamus sanctuarium Dei.] etenim tam ipsi quam Mauritio digne contigit, quod im- C
precatus est idem vates [d]: Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem
venti: sicut ignis qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes, *ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos, &c.*] ita vltor Deus *voluit* posteris relinquere tum Isacij tum Mauritij amplissimis notis declaratam vindictam, *quam* meruerunt impij in sancta manus sacrilegas inferentes.

[b] *Psal. 51.*
[c] *Psal. 82.*
[d] *Psal. 82.*

Sed quæ Isacij coniux viro suo postrema persoluit, hic describamus. Susanna enim
eius vxor, viri amantissima, eiusmodi ad sepulchrum ipsius inscriptionem affixit Grz-
ce conscriptam [e]:

[e] *Habet Hier. Rub. hist. Rauen. lib. 4.*

ISACII EXARCHI EPITAPHIVM.

Ενθαῦθα κεῖται ὁ στρατηγήσας καλῶς,
Ρώμλω ἀβλαβῆ φυλάξας, καὶ τλῶ δύσιν,
Τοῖς γαλλωσῖς δεσπόταις ἓξ ἐξ ἐνιαυτοῖς,
Ισαάκιος, τῶν βασιλέων ὁ σύμμαχος,
Ο τῆς ἁπάσης Αρμενίας κόσμος μέγας·
Αρμένιος γὰρ ἦν οὗτος, ἐκ λαμπροῦ γένους.
Τοῦτκ θανόντος κλεῶς, ἡ σύμβιος
Σωσάννα σώφρων, ζυγόνος τρόπῳ σεμνῆς,
Πυκνῶς στενάζει, τὸν ἀνδρὸς ἐστερημένη,
Ανδρὸς λάξαντος ἐκ καμάτων δόξαν
Εν ταῖς ἀνατολαῖς ἡλίου, καὶ τῇ δύσει·
Στρατὸν γὰρ ἦρξε τῆς δύσεως, καὶ τῆς ἕω.] Id autem ita dici Latine potest:

Hic iacet, qui rei bellicæ ducem egit recte,
Romam incolumem tutatus & Occidentem
Tranquillis Principibus ter sex annis,
Isaacius, Regum commilito,
Omnis Armeniæ ornamentum magnum:
Armenius enim erat hic ex illustri genere.
Hoc mortuo gloriose, coniux
Susanna prudens more castæ turturis
Assidue gemit viro priuata:
Viro, qui sortitus est ex laboribus gloriam
In oriente Sole & occidente:
Exercitum enim duxit Occidentis & Orientis.] hactenus epitaphium.

Inter

A Inter hæc autem, cum grauissimis fluctibus fides Catholica opera Monothelitarum hæreticorum, præcipue vero Pauli Constantinopolitani Episcopi, quateretur in Oriente: si qui illic erant Orthodoxi Episcopi, vnum sibi illud tantum reliquum esse remedium cognoscentes, in tanto naufragio conscendere nauiculam Petri, quam scirent promissione Christi inter fluctus sæculi huius solam nauigare securam, nec vllis posse obrui vndis, neque vorticibus absorberi; Romam se conferunt ad Theodorum Apostolicæ sedis Episcopum in tanta tempestate solicite vigilantem, clauumq. summa prudentia moderantem. CONFVGIVM ORTHODOXORVM ROMAM.

Alij vero non deserentes greges sibi commissos, per litteras id egere, vt inter ceteros Cypri insulæ Episcopi, qui cogentes Synodum, Synodalem epistolam scripserunt hoc anno ad eumdem Theodorum Pontificē, licet in ea Metropolitani Episcopi nomen tantum-
B modo exprimatur: fuit hic Sergius. Epistola autem ipsa habetur in Actis sanctæ Romanæ Synodi sub Martino; vbi cum ederetur, Primicerius Notariorum Theophylactus ista est prælocutus: Afferens, inquit, de venerabili scrinio, præ manibus habeo suggestionem Sergij Cyprienſis Archiepiscopi, directam ab eo per nuper transactam primam Indictionem, id est, ante septem annos, Theodoro beatæ memoriæ decessori vestro.] hæc ibi tunc Theophylactus, quæ voluimus recensuisse ob certam temporis ab eo expressam significationem, nempe hoc anno primæ Indictionis ipsam epistolam esse conscriptam, quæ sic se habet [a]:

Sanctissimo & beatissimo a Deo honorabili domino meo Patri patrum Archiepiscopo & vniuersali Papæ domino Theodoro, Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum a Deo fixum & immobile, atque tituli formā lucidissimam fidei, vestram Apostolicam
C sedem constituit (o sacer vertex) Christus Deus noster. Tu enim es (sicut diuinum veraciter pronunciat [b] Verbum) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt. *Tibi & claues cælorum commisit, atque ligare & soluere potestatiue, quæ in terra & in cælis sunt, promulgauit.* Tu profanarum hæresum depositor existis, vt princeps & doctor Orthodoxæ & immaculatæ fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, Pater, fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, necnon periclitantem. Resolue nebulam insipientiū lumine tuæ diuinæ scientiæ, o sanctissime: Abscinde blasphemias & iactantiam vaniloquorum nouiter emergentium hæreticorum doctorum. Nihil * etenim minus est Orthodoxæ & Apostolicæ vestræ definitioni atque traditioni, quatenus augmentum aliquod suscipiat a nobis fides. Nos autem a Deo inspirati, & sanctorum Apostolorum confabulatores & consacerdotes quæ sapuimus, confitemur, & confessi sumus a
D pristinis temporibus & ex ipsis cunabulis secundum sanctum ac beatissimum Papam Leonem, prædicantes omnibus & confitentes, quod operatur vtraque natura cum alterius communione: cum quo beatissimo viro & omnes a Deo inspirati & sancti Patres fatentur. * Mihi

Et hæc quidem a nobis humillimis seruis vestris atque discipulis prosecuta sunt: multiloquium autem & contradictionem aduersariorū non admittimus: quia parati sumus pro Orthodoxa fide, auxiliantibus vobis sanctissimis & orantibus, martyrium suscipere. Et si quidem voluerint ea quæ nunc ad consumptionem animarum dogmata, hoc est, ad interitum doctrinæ & confessionis sanctorum Patrum & glorioſi atque præcipui Papæ Leonis proposita sunt, in regia vrbe deponere (quorum contraria sapientes nos existimus) sufficit hoc, atque amica Deo pax sanctis Ecclesijs intercedit, & omnis diuisio Ecclesiarum de medio absistit, necnon schismata dissoluuntur ad vnitatem denuo restaurandam. Si
E autem noluerint hoc facere: Apostolicos vos Patres sequentes, in scripto & sine scripto eos anathematizamus. Non est enim, non est Deo placitum, neque iustum, proposita pestilentia hæresum, & anathematizatis * blasphemijs, verbis contendere. * anathematis

Honorent igitur rationem, & erubescant Deum, & eiusmodi blasphemias subtrahere festinent, & in quocumque voluerint loco vel tempore, de quibus existimant sapere, mouemus dogmata. Compendiose autem, o sanctissime, dicimus. Ea quæ ad euersionem & depositionem a Deo inspiratorū Patrum & sanctissimi Papæ Leonis, necnon vestræ a Deo sapientiæ conscripta sunt, deponantur.] Ex his, lector, satis intelligere potes, Theodorum Papam, cum (vt narratum est) misit Apocrisarios in Orientem, æque per illos vulgasse Catholicæ fidei sinceram confessionem, qua pariter iuberetur, vt qui ab ea discreparent, anathemati subijcerentur: etenim pergit: Nam & nos (sicut dictum est) iubentibus vobis dominis nostris & a Deo inspiratis Patribus, percutimus eos:

[a] *Concil. Later. sub Mart. Secret. 2. tom. 3. Concil. nou. edit.*

SYNODALIS EPISTOLA CYPRI EPISCOPORVM.

[b] *Matth. 16.*

anathematibus: & nunc motiones de quæstionibus eorum & certamina faciemus, spe- A
rantes in vestram Deo placitam & beatam protectionem, quoniam non reueremur, ne-
que formidaturi sumus timore vbi non est timor, proposito Deo & Orthodoxa re-
quisitione.

Vsque ad hanc igitur diem dispensationem aliquam quærentes, tacuimus eis, arbi-
trantes ad meliora eos immutare proprias doctrinas. Sic etenim & sanctissimæ memoriæ
Thius noster Arcadius sapuit, vestram Orthodoxam sequens doctrinam, cuius vestigia
& nos omni virtute sequi oramus, consonantes Orthodoxæ & a Deo inspiratæ doctrinæ
vestræ sanctissimæ dominationis atque paternitatis. Vlterius autem iam non patimur, se-
minantibus eis zizania & scandala (vt ita dicamus) in omnem mundum. Hi sunt nostri
sancti Concilij intellectus: sed & tomum beatæ memoriæ & a Deo inspirati admittit & B
amplectitur Leonis, & sicut anchoram salutiferam Orthodoxiæ detinet, & vestris diuinæ
scientiæ lætatur dogmatibus, nihil omnino minuens; & cum ea Orthodoxa confessione
proficisci ad Dominum, & terribili eius exorat assistere iudicio.

Deus igitur creator omnium conseruet longæuum sanctissimum dominum nostrum ad
stabilitatem sanctarum eius Ecclesiarum & Orthodoxæ fidei, vos pastorem bonum, qui
pro spiritualibus ouibus tuam animam pones, atque pastorali baculo lupos rapaces ex-
pelles. Omnes qui digni sunt assistere sanctissimo & a Deo honorato domino meo, ego &
qui mecum sunt, plurimum in Domino salutamus. *Et subscriptio.* Incolumem me & Domi-
no beneplacitum ora, sanctissime Pater patrum.] hactenus Sergij & reliquorum insuæ
Cypri Orthodoxorum Episcoporum Synodalis epistola. His & alijs concitatus Theodo-
rus Pontifex, Synodo conuocata, Paulum hæreticum condemnauit.

Eodem quoque tempore Stephanus Dorensis Episcopus Romam se contulit ad Theo- C
STEPHAN. DOREN. EPISCOP. LEGATVS AB EPISCOPIS PALAESTIN. AD ROM. PONT.
dorum Pontificem pro Ecclesia Hierosolymitana, quam inuaserunt pseudoepiscopi,
ijdemq. coniuncti Paulo Constantinopolitano Episcopo eiusdem erroris hæretici Mono-
thelitæ. erat istorum omnium caput (vt dictum est) Sergius Ioppensis Episcopus, qui
vendicato sibi iure Patriarchico, alios complures sui similes Episcopos ordinauit. Ad tam
grande malum auertendum a Catholicis Palæstinæ Episcopis idem Dorensis Episcopus
legatus est Stephanus Romam ad Summum Pontificem Theodorum.

Permisit hæc quidem Deus singulis quibusque sæculis, exagitari scilicet diuersarũ pro-
uinciarum Episcopos, quo assiduis rerum gestarum exemplis innotesceret, nullum aliud es-
se confugium aduersus ingruentes hæreticos, quam ad Apostolicam sedem, ceu diui-
num asylum, sacram anchoram, portum securum, in quo tantum quis in tempestate pos-
sit salutem sperare, & auxilium experiri. vt Stephano legato accidit, qui vbi perperam D
facta hæreticorum Theodoro significauit, ab eodem consecutus est Apostolicæ sedis in
illis partibus vicariam præfecturam, qua intrusum illum nefarium condemnaret, & ab eo
ordinatos Episcopos gradu depositos in ordinem redigeret. Tanta hæc constanter libel-
lo eiusdem Stephani oblato postea sancto Martino Papæ in Concilio Lateranensi, vbi in-
ter alia leguntur ista:

De quibus, *id est, de inuasa & occupata ab hæreticis Ecclesia Hierosolymitana*, & an-
STEPHAN. VICARIVS ROM. PONT. IN PALAESTINA.
tea Apostolicæ sedi innotui, id est, beatæ memoriæ decessori vestro Theodoro. Iussuq.
mihi indigno per sacram suam præceptionem, ordinansq. loci seruatorem per Apostoli-
ca eius scripta, quatenus tam ea quæ fuissent Ecclesiastica capitula peragere debuissem,
& canonice, si nullatenus emendarentur qui sub denominato prætextu ordinati sunt Epi-
scopi, deponerem eos. Quod & feciſſe me certum est, & præcipue quoniam in errorem a E
veritate recedentes sponte delapsi sunt: tantumq. illos recepi, secundum iussionem eius,
qui libellum pœnitentiæ obtulerunt, & professi sunt in scripto, conseruare indesi-
nenter & amplecti atque prædicare sanctorum Patrum & Synodorum doctrinas: quo-
rum libellos nuper deferens, obtuli sacratissimæ præsidenti sanctitati vestræ Mar-
tino ter beatissimo Papæ, ab eo quod aliqui eorum merito recepti & confirmati
sunt, aliqui vero pro tuitione Catholicæ Ecclesiæ condemnati sunt.] hæc Stepha-
nus ad Martinum Pontificem: ex quibus sane qui exacte ista considerat tempora, mi-
rari debeat, quomodo & apud hæreticos, & eo tempore quo a Sarracenis ipsa Hie-
rosolyma & Palæstina cum adiacentibus regionibus occupatæ tenerentur, essent qui
adeo sedis Apostolicæ iudicium extimescerent, vt siue libellum pœnitentiæ palinodiam
recantantes offerrent, siue ijdem excommunicati execrabiles omnibus facti essent, cum

præser-

A præsertim ijdem fulcirentur patrocinio Constantinopolitani Patriarchæ & Imperatoris. Tantũ sibi vel inter ipsos Sarracenos & hæreticos vendicabat iuris Apostolica sedes, omni tempore eadem vigens auctoritate, & vbique præsidens potestate. Habetur citatus eiusmodi libellus Stephani Dorensis Episcopi in Secretario secundo sanctæ Synodi Lateranensis sub Martino Romano Pontifice, de quo rursus suo loco dicendum.

IESV CHRISTI ANNVS 644. THEODORI PAP. ANNVS 3. CONSTANTIS IMP. ANNVS 3.

B SEquens annus sexcentesimus quadragesimusquartus sequitur, secunda Indictione, qui illustratur natali viri sanctissimi Paulini Episcopi Eboracensis, de quo Beda [a]: Anno secundo *Osuui successoris Osualdi Regis*, hoc est, ab incarnatione Dominica sexcentesimo quadragesimoquarto, reuerendissimus pater Paulinus quondam quidem Eboracensis, sed tunc Episcopus Rhofensis ciuitatis, transijt ad Dominum sexto Iduum Octobrium die: qui decem & nouem annos, & menses duos, & vigintivnum dies Episcopatum tenuit, sepultusq. est in secretario beati Apostoli Andreæ, quod Rex Edilbertus a fundamentis in eadem Rhofi ciuitate construxit.] *a Bed. lib. 3. c. 14.*

PAVLINI APOSTOLICI VIRI OBITVS.

Quo tempore itidem in Britannia apud Orientales Anglos Christiana fides admodum propagatur per Furseum Hibernum. Paulo post vero & Sigebertus eorum Rex amore cæ-

PROPAGATIO FIDEI.

C lestis beatitudinis, relicto regno cognato suo, monasticam vitam professus, a Pagano Merciorum Rege Penda occisus est. hæc fusius Beda, qui de Furseo, eiusq. socijs viris sanctissimis alia plura admirandaq. recenset, quæ tu consulas.

Hoc eodem anno, quo Dagoberti Francorum Regis annus regni absoluitur decimustertius, & decimusquartus inchoatur mense Aprili, Gallicanis ecclesijs eiusdem Regis munificentia innotuit: nam multis multa largitus est, quæ apud Aimoinum [b] his declarantur verbis: Eo anno, *decimoquarto scilicet regni sui*, Rex Dagobertus omnibus circumpositis gentibus nationibusq. sibi subiugatis, paceq. per circuitum facta, ad pietatem intendit. Vtq. se gratum cælestibus in se supra modum fluentibus beneficijs demonstraret, vniuersas pene Galliæ ecclesias patrimonij sui heredes instituit. Conuocatisq. filijs ac turba amicorum, generale indixit placitum in loco nuncupato Bigargio. Ad quod propere conuenientibus cunctis Franciæ primoribus, decimo Kalendas Maias Rex solio resi-

b Aimoin. lib. 4. c. 30.

DAGOBERTI ERGA ECCLESIAS MVNIFICENTIA.

D dens aureo, hoc apud eos disseruit modo:

Causa modo mihi, amantissimi filij, & quicumque adestis Francorum potentes, vtilis ac fructuosa visa est vos conuocandi intentio, vt de ijs quæ pro remedio animæ meæ agere instituí, non ego solus mihi applauderem. Quia etenim caduca gerimus corpora, animasq. immortales, magna nobis (si dissimulare nolumus) est indicta probitatis necessitas: ne si (quod absit) minus fuerimus intenti, non solum corruptionem quam speramus corporum, verum & ipsam æternitatem animarum perpetuis tradamus incendijs. Ideoq. ego reminiscens iustis repromissa præmia & præparata iniquis supplicia, memor etiam malorum quæ gessi, testamentum scribere decreui, quo omnes regni nostri sanctorum basilicas isto tempore famosas heredes faciamus earum quæ eis a nobis traditæ sunt rerum. Constitui etiam quatuor fieri vno tenore exemplaria, & ea manibus subter firmare non tan-

E tum meis, sed etiam filiorum meorum Sigeberti ac Hludouici, quos hodie Reges constituo, vestris quoque qui astatis sanctissimi Pontifices, necnon gentis nostræ principes. E quibus vnum Lugduni in Gallia, aliud Parisijs, tertium Mettis in archiuis ecclesiarum custodienda dirigimus; quartum autem, quod præ manibus habemus, in thesauris nostris adseruari præcipimus. Cumq. post depositam a nobis carnis sarcinam, vnusquisque Præsulum qui locis præcepto inscriptis præfuerint, sibi assignata susceperint; rogamus & obtestamur per terribilem Domini nostri Iesu Christi nomen, vt memoriam nostri tribus in hebdomada diebus per sequentes annos faciant, ac pro requie animæ nostræ sacrificium offerant salutare; nomenq. nostrum, quasi perpetuum tenentes memoriale, libro inserant vitæ.] hucusque verba Regis. Porro per librum vitæ ipsum credimus intellexisse illum, in quem nomina fidelium defunctorum inferrentur, quorum iugis in ecclesia commemoratio fieret. Sed addit auctor: Huius exemplar partim hic inserere studuimus,

quatenus ipsius pijssimi Principis patescat quantus erga Deum sanctosq. fuerit deuotionis affectus. Est autem huiusmodi: A

In nomine Trinitatis Domini Dei omnipotentis, Apostolicis Patribus, Pontificibus videlicet, ac Abbatibus, & reliquis sacerdotibus intra regnum nostrum consistentibus, Dagobertus Rex Francorum.

Quantum intellectualis sensus humani * potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in huius sæculi luce ac fugitiuo gaudio lucrari, quam quod de rebus transitorijs locis venerabilibus quis studeat in alimoniam pauperum impendere: quatenus qui fragilitatem naturæ generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositio eueniat, pro salute animæ inuigilent, vt non inueniatur quisquam imparatus, vel sine aliquo respectu discedat e sæculo. Quin potius dum propriæ libertatis iure subsistit, ex caducis substantijs intra æterna tabernacula vitam studeat mercari perpe- B tuam, vt inter iustorum consortium desiderabilem valeat locum adipisci. Et post pauca: Itaque nobis sana mente, sanoq. consilio placuit, & (vt diximus) deuotio diuina nos admonuit, vt pro salute nostra & pro æterna retributione conscribendum præciperemus testamentum: & pro immutabili beneficio quatuor vno tenore firmauimus instrumenta, & quicquid vbique per loca sanctorum contulimus, inibi simili annotatione contexuimus, &c. Deinde subiungitur:

* hominis TESTAMENTVM DAGOBERTI.

Donamus igitur ad basilicam sancti Vincentij Parisijs, vbi sepulturam, quando quidem Deus iusserit, habere disponimus, donatumq. in perpetuum esse decreuimus, villam cognominatam Cumbis in pago Parisiaco, quam Vrsa filia Alderici tenuit. Pari modo ad basilicam S. Petri Apostoli Parisijs, vbi sancta Genouefa requiescit in corpore, villam Drauernum in Brigeio. Ad basilicam vero diui Dionysij item Parisijs, vbi cum socijs C suis requiescit, villam Brannatem in Brigeio. Ad basilicam dominæ sanctæ Columbæ & domini sancti Lupi Senonis, villam Grandecampum in Gaustinensi, & cetera quæ ibi plura continentur. Ad vltimum vero intulit: Vos autem boni filij considerantes primum naturæ religionem, cuius gratia etiam bestias ligat, manete fratres: nolite exuere, quo onerati estis. Deinde reueremini me patrem vestrum, qui rogare malo, cum possim iubere, vt statuta nostra inconuulsa seruetis, sicuti vestra a successoribus vestris seruari voletis: profecto scientes, quod si a nobis sancita contemptui habueritis (quod non arbitror) pari modo & vestra a posteris contemnentur decreta. His dictis, & cunctis longæuam ei felicemq. optantibus in hoc sæculo vitam ac in futuro manentem, salutatis omnibus, cœtum dimisit, vt rediret vnusquisque ad sua.] hæc (vt dictum est) quartodecimo regni sui anno Dagobertus, ad felicem obitum viam sibi parans. Sed & hic frag- D mentum quoque recitandum erit alterius donationis eodem tempore ab ipso factæ ecclesiæ a se constructæ, & monasterio sancti Benedicti vnius diei itinere distanti ab Argentina ciuitate super Rhenum, quod sic se habet *:

* Habetur in Appendice ad hist. Goth. Ioan. Mag.

Dagobertus magnus diuina clementia Rex Francorum, omnibus regni sui primatibus, immo cunctis Christi fidelibus præsentibus & futuris. Notum facimus, quod patre meo Lothario defuncto, paterni regni curam suscepi: sed viuendi ductus leuitate deceptus, regalis officij debitum neglexi; & maxime inter alios excessus meos, ecclesiarum Dei destructor & dissipator esse cœperam, nec diuinæ maiestatis oculos, nec hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens virga correctionis, iniquitates meas correxit, & mihi castigato veniam non negauit: quasi autem modum pœnitentiæ imponens, in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, E si ad honorem Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum sanctorum, quos magis offenderam, domum diuinis aptam seruitijs construerem, &c. Igitur sub certa spe remissionis peccatorum nostrorum, reddentes alacri studio votum quod fecimus, ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis, & sanctæ Mariæ perpetuæ virginis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in loco qui dicitur Vuissenburg construximus, quam sublimare & regali munificentia ditare decreuimus, &c.] hæc ibi; atque de his satis. Iam vero ad anni sequentis res gestas oratio transferatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEquitur annus Redemptoris sexcentesimus quadragesimusquintus, Indictione tertia, quo in Africa de fide Orthodoxa habita est famosa illa disputatio inter Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum, & Maximum Abbatem eumdemq. martyrem Orthodoxum, ex qua idem Pyrrhus princeps Monothelitarum hæreticorum conuictus, erroris diu defensi pœnitens, recantans palinodiam, oblatoq. fidei Catholicæ libello Theodoro Romano Pontifici, receptus est vna cum titulo Patriarchatus in Ecclesiam Catholicam. Magna quidem Dei prouidentia factum est, vt Pyrrhus extorris in
B Africam veniens, illic sanctum Maximum inueniret: etenim (vt in rebus gestis sancti Maximi fusius legitur) vbi Pyrrhus illuc peruenit, captiosos cœpit suæ hæresis laqueos tendere, quibus vniuersam Ecclesiam illam captiuam duceret: quod & fecisset quidem, nisi in omnibus sibi aduersantem Maximum habuisset: vnde exigentibus Episcopis Africanis, atque ipso qui prouinciæ præerat, Gregorio Patricio publicæ paci eius regionis, quam vehementer Pyrrhus perturbauerat, consulente, factum est, vt de publicis controuersijs publica fieret disputatio. De qua quod ad tempus pertinet, eam hoc anno contigisse, nempe tertia Indictione, mense Iulio, ipse titulus disputationi præfixus edocet: vt de his nulla dubitatio esse possit. Quod vero ad locum spectat, habitam ipsam esse in Africa (& puto Carthagine) quo Pyrrhus Constantinopoli recedens se contulerat, æque ex ipsa certissimum redditur.

DISPVTATIO MAXIMI CVM PYRRHO.

C Quæ autem de eadē extent priscorum testificationes, in primis videamus. Theophanes hæc habet: Pyrrhus vero cum peruenisset in Africam, mutuis cū sanctissimo Maximo videtur aspectibus, Abba videlicet religiosissimo in monasticis correctionibus, necnon & diuinorum illic existentium Pontificum præsentatur obtutibus: qui hunc redargutum, & persuasum, Romam ad Papam Theodorum direxerunt. Qui Orthodoxo libello tradito Papæ, ab eo receptus est.] hæc Theophanes ex Græcis: his consentientia scribit Photius. Ex Latinis autem vetustioribus Anastasius Bibliothecarius ista refert: Ipsis temporibus Theodori Pontificis venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha Constantinopolitanus, in vrbem Romam ad limina Apostolorum: Qui ingressus, libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicæ nostræ sedi in præsentia cuncti cleri & populi, condemnans in eodem libello omnia quæ a se vel a decessoribus suis scripta vel acta sunt aduersus im-
D maculatam fidem nostram. His itaque ab eo peractis, fecit eum Pontifex munera erogare in populo, & cathedram ei poni iuxta altare, honorans eum vt sacerdotem regiæ ciuitatis.] hucusque Anastasius in Theodoro.

Ingenti sane Dei beneficio euenit, vt post tot publicorum scriptorum naufragia, quæ tum Græcorum tum Latinorum Ecclesia passa est diuersis temporibus, ne syllaba quidem eiusdem disputationis exciderit, sed conseruata ipsa integra fuerit in pluribus antiquitus scriptis Græcis codicibus, quos Vaticana bibliotheca possidet, in quorum singulis inter alia viri doctissimi atque sanctissimi monumenta inest eiusmodi eiusdem Maximi Abbatis & martyris cum Pyrrho excepta a Notarijs in Africa publica disputatio, præsentibus Episcopis Africanis atque Gregorio (vt dictum est) qui prætoria præfectura eamdem prouinciam moderabatur; quam quidem hactenus latentem ac Latinis incogni-
E tā primus vendicauit in lucem, ac Latinitate donauit vir disertissimus Franciscus Turrianus Societatis Iesu professor, qui eiusdem Maximi nonnullas epistolas eodem argumento aduersus Monothelitas scilicet scriptas, aliosq. ad id ipsum spectantes tractatus æque ex Græco in Latinum conuertit; sed ne ederet vna cum alijs a se translatis sanctorum Græcorum Patrum egregijs monumentis, mors anteuertit.

Porro nacti ipsam an hic integram reddere deberemus, cum sua prolixitate duos vel amplius impleat terniones, ancipites diu fuimus, ne scilicet rerum gestarum series eius disputationis obice intercipi videretur, lectorq. assuetus per plana currenti historicæ lectioni, inter Chrysippios quodammodo labyrinthos se clausum teneri putaret, dum in difficillimis sacrorum dogmatum quæstionibus inter vepres, rubos, spinasq. hæreticorum argumentorum cogeretur incedere, vt tandem posset in lucem veritatis emergere. Ceterum quod magna ex parte huius tomi versetur historia in his quæ spectant ad

Monothe-

Monothelitarum hæresim confutandam, quæ flexuosis anfractibus gradiens, sinuosis A
receſſibus latens, nec quo pergat intelligi posit, aliud agens, loquens aliud: vt secundum
illud quod de Behemoth scriptum est [a], de ea dicendū sit: Quis reuelabit faciem indumen-
ti eius?] vt ista cuncta aperta luce lector intelligat, sicq. historica lectione fruatur, operæ-
pretium me facturum existimaui, si eamdem concertationem Annalibus nostris intexe-
rem, quo tricas omnes, cunctosq. nexus, strophas, atque cauillos hæreticorum ipsorum
satis habeat exploratos. His accedit, quod eadem tractatio pleraque habeat, quæ histori-
cam elucident veritatem, illaq. præsertim tanti momenti erroribus inuoluta de Honorio
Romano Pontifice in consortium hæreticorum calumnioſe vocato dilucide tibi pandat,
aperteq. veritatem demonstret, vt non sit quod de eius integra sinceraq. fide Catholica
dubitare vel leuiter iure possis. Quod insuper eiusmodi hactenus caruerit Latinitas no-
bili monumento numquam suppositio prælo, haud ingrato animo illud puto accipient B
eruditi; qui etiam gratias agant de Ecclesiastica antiquitate adeo benemerenti.

[a] Iob. 41.

VTILITAS DE DISPVTATIONE MAXIMI CVM PYRRHO.

His igitur persuasus, eam tibi integram exhibendam ita putauimus, vt tamen histori-
cæ consultum sit rationi. Quamobrem ex ea illa tantū hic tibi reddenda putauimus, quæ
ad rerum gestarum pertinent cognitionem: in fine autem tomi huius veluti appendi-
cem ipsam disputationem integram ponemus. Sed & ne fonte careas, ex quo deducitur,
tibi pariter ipsum Græcum textum (ne habeas amplius quod desideres) cudendū curabi-
mus quam sinceriſsime, ita tibi bene consulentes, vt fruaris viri doctiſsimi eiusdemq. mar-
tyris lectione, illud S. Hieronymi [b] de Pamphili martyris scriptis dictum in memoriam
reuocans: Si lætitia, inquit, est, vnam epistolam habere martyris; quanto magis tot mil-
lia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia?] ista quidē ille de scri-
ptis manu martyris Origenis libris: sed præstat, mea sententia, posidere quæ ore marty- C
ris sunt prolata, atque de corde martyris & non aliunde manarunt, ex ipsius sapientiæ
fonte deducta: ne, si secus dixerimus, aliquid amplius mechanicis tribuamus, quam li-
beralibus disciplinis.

[b] Hier. de scrip. Eccl. in Pamphilo.

Porro quod in primis ad temporis rationem spectat, vt cuncta tibi constent, hic eius-
dem disputationis describendus est titulus, qui sic se habet: Quæstio Ecclesiastici dog-
matis disputata coram Gregorio Patricio pijssimo in conuentu & confessu sanctiſsimo-
rum Episcoporum & reliquorum nobiliſsimorum virorum a Pyrrho Patriarcha Constan-
tinopolitano, & a reuerendo Maximo monacho, mense Iulio, Indictione tertia: Pyr-
rho quidem nouum dogma de vna Christi voluntate a se & a suo anteceſsore Sergio pra-
ue introductum defendente, Maximo autem doctrinam Apostolorum & Patrum a prin-
cipio nobis traditam. *Incipit Pyrrhus, ita compellans ipsum Maximum:* D

PYRRHI DISPVTATIONIS CVM MAXIMO EXORDIVM.

Qua in re, domine Abbas Maxime, ego & is cui succeſsi, tibi nocuimus, qui vbique
nobis detrahis, & nos omnibus in suspicionem de hæresi venire facis? Quis vmquam te,
ne de facie quidem notum, sic honorauit & coluit, vt nos? &c.] In fine igitur tomi (vt di-
ximus) ipsam integram disputationem Græco atque Latino sermone cusam inuenies:
modo vero ea quæ ad Honorij Papæ causam spectant, quod necesſario id exigat argumen-
tum, hic tibi ob oculos ponenda curamus, eademq. sæpius, cum ratio postulat, verbis to-
tidem inculcanda; quo de tanti Pontificis conflata calumnia, tanto teste adhibito, confu-
tetur: vt quod sæpe falso assertum reperitur, sæpe pariter refellatur, cum & cubitalibus
plane litteris esset tanti Pontificis integritas & innocentia vbique locorum monumentis
perpetuis consignanda.

DE HONORIO DEFENSIO MAXIMI.

Vbi igitur quæ obiecta de Vigilio Papa fuere ab ipso Pyrrho, per Maximum (vt vide- E
bis) sunt valide confutata; idem Pyrrhus rursum de Honorio Pontifice sic Maximum vr-
get: Sit, inquit, ita de Vigilio: Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte
anteceſsori meo vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi esse tradidit? *Maximus:*
Quis fuit fide & auctoritate dignus epistolæ eius interpres? is qui eam ex persona
sancti Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtuti-
bus, tum pietatis dogmatibus illustrauit, an hi qui Constantinopoli ex suo corde loque-
bantur? *Pyrrhus:* Ille, qui hanc scripsit. *Maximus:* Is igitur cum ad diuum Constan-
tinum* Imperatorem rursus ex persona Ioannis Papæ de hac epistola scriberet, dixit:
Vnam voluntatem diximus in Domino, non diuinitatis eius & humanitatis, sed huma-
nitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo
contrarias dicerent: rescripsimus Christum non duas voluntates contrarias habuisse,

*Constantem

carnis

A carnis inquam & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed vnam tantum, quæ naturaliter humanitatem eius signabat. Hoc autem ita esse, argumentum euidens est, meminisse membrorum & carnis, quæ quidem in diuinitate non licet intelligere.] Deinde occurrit per anticipationem obiectioni: Si quis vero, inquit, dicat: Quare de humanitate Christi agentes, de diuinitate eius non meministis? Respondemus: Primum quidem, responsum fuisse ad quæstionem: Deinde, vt in omnibus, sic etiam hic consuetudinem Scripturæ nos secutos fuisse, quæ aliquando de diuinitate eius differit, vt cum ait Apostolus [a]: Christus Dei virtus & Dei sapientia. aliquando de humanitate solum, quemadmodum eum idem ait [b]: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. *Pyrrhus*: Simplicius antecessor meus accepit hoc, in voces intentus. *Maximus*: Rem ipsam loquor, nihil ita me a tuo antecessore
B alienauit, vt mutabilitas eius & inconstantia, &c.] hactenus de his quæ ad Honorij Papæ causam spectant.

[a] 1. Cor. 1.
[b] Ibid.

Vidisti controuersiam de litteris Honorij Papæ, ex quibus conclamaretur ab hostibus quamlibet occasionem captantibus, vnius esse in Christo voluntatis assertor, toties ventilatam, ac toties declaratam, atque adeo elucidatam, vt neque refractarijs ipsis hæreticis locus relictus sit amplius de ea aliquid dubitandi. Audisti & de ea satisfactum Imperatori per Ioannem Papam litteris eius qui illas Honorij scripsisset epistolas; satisfactumq. per Maximum Patriarchæ Pyrrho Monothelitarum antesignano in adeo publico Africanorum Episcoporum conuentu: qui licet in disputatione lubricus, vt teneri difficile posset, summa tamen potentia veritatis, germanæ verborum cedere interpretationi coactus est, & in ipsum suum antecessorem, quem ante sæpe laudarat, Sergium Patriarcham reij-
C cere culpam, quod scilicet magna oscitantia (ne diceret malitia) non germano verborum sensui, sed verbis dumtaxat Honorij Papæ, ipsis nudis vocibus fuisset intentus: vt plane se nihil habuisse publice professus sit, quo suum prædecessorem Sergium excusaret, sed accusaret eum, quo de inani facta tunc de Honorio obiectione se penitus excusaret, cum alioqui in alijs defendere mordicus Sergium non destiterit. Vt ex his intelligas, quam etiam hostium professione ab omni illata calumnia Honorius Papa liber existat.

HONOR. OMNINO OSTENSVS INNOCENS.

Ad postremum autem, quem demum celeberrima disputatio ista finem habuerit, ex eadem hic tibi publicis Actis excepta (ne quid te prætereat) promendum puto. Post multiplices Pyrrhi obiectiones ingestas & a Maximo quam disertissime confutatas, post nexus solutos, & defensiones ac responsiones singulas quoque conuictas, post denique inanes tergiuersationes elusas, acuminatasq. cauillationes retusas, cum deficerent verba,
D dare manus omni penitus destitutus defensione Pyrrhus compellitur, & cedere veritati, hæc tandem affatus:

Demonstratum, inquit, profecto est in quæstione de operationibus, absurdum esse vnam operationem in Christo dicere, quomodocumque dicatur. Sed veniam postulo tum mihi, tũ ijs, qui præcesserunt: ignorantia enim nos in absurdas istas sententias & argumentationes detorsit. Et obsecro, vt inueniam modum delendi hanc introductam absonã sententiam, & conseruandi memoriam antecessorum. *Maximus*: Non est alius modus, quam taceri personas, & anathemate affici talia dogmata. *Pyrrhus*: At si hoc fiat, reperientur cum his electi Sergius, & Synodus meo tempore habita. *Maximus*: Subit me admiratio, quomodo Synodum voces, quæ non est habita vt leges & canones Synodici & iura Ecclesiastica iubent: nec enim epistola encyclica ex consensu Patriarcharum edita
E est, neque locus, neque dies conueniendi decretus: non fuit aliquis actor aut accusator. Qui conuenerunt, epistolas commendaticias non habuerunt, nec Episcopi a Metropolitanis, neque Metropolitani a Patriarchis: non epistola, neque substituti ab alijs Patriarchis missi sunt. Quis igitur particeps rationis Synodum velit appellare, quæ scandalis & discordijs cunctum orbem impleuit?

PYRRHVS SE ERRASSE COGNOSCIT ET FATETVR.

Pyrrhus: Si non est alius modus quam hic, pluris faciens salutem meam, quam cetera omnia, præsto sum ad faciendum hoc cum omni satisfactione: hoc vnum & solum rogans, vt dignus habear in primis interiore aditu ædis Apostolorum, quin potius ad orationem ipsorum Principum Apostolorum, deinde vt videam faciem sanctissimi Papæ, eiq. tradam libellũ eorum quæ absurde facta sunt. *Maximus & Gregorius Patricius dixerunt*: Quandoquidem tua propositio bona est & Ecclesiæ vtilis, sic fiat.] hucusque disputatio, cui subijcit ista Maximus de his quæ ab eodem Pyrrho gesta sunt Romæ: In hac

PYRRHVS CONSENTIT MAXIMO.

ergo

ergo celeberrima vrbe Roma, cum adesset nobiscum, promissum præstitit, damnauitq. A
dogmata impiæ expositionis, seq. per rectam confessionem cum Catholica & Apostolica Ecclesia coniunxit, gratia & cooperatione magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.]

SPECTACVLVM INGENS EXHIBVIT IN AFRICA ET ROMÆ PYRRHVS

Magnum sane tunc vidit primum Africa, deinde Roma spectaculum: Africa quidem, dum quem paulo ante aspexerat magnis animis Patriarchali ostentatione insultantem Catholicæ veritati, pro hæresi ore rotundo in defensores fidei Catholicæ declamantem, in se ora omnium conuertentem, iamq. post se tertiam orbis partem ducere captiuam tentantem, eumdem viderit ab extorre monacho appetitum, vt nouum Goliatha puero Dauide non in hasta vel ense, sed in nomine Domini pugnaturo conuentum, tanta corona Patrum & magistratuum & Africani populi circumdatum, post longam concertationem fateri se superatum, abijcere clypeum, dare manus, & pedes conijcere spon- B
te in compedes illos optabiles sapientiæ, eiusq. vinculis alligari, de quibus Ecclesiasticus[a]: Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ (decor enim vitæ est in illa) & vincula illius alligatura salutaris.] Ita plane, cum & victo Pyrrho omnes vt vincenti fuerint adgratulati, eumdemq. laudibus prosecuti, ac benedictionibus assectati, quod re vera cedens veritati, perfidiam superasset, impietatem subegisset, contriuisetq. Satanam pedibus suis, qui solus lugeat se esse victum, hæresi debellata, & eius defensore in offensorem mutato.

a Eccli. 6.

PYRRHVS POENITENS RECEPTVS A ROM. PONTIFICE.

Sed qualem & tunc vidit Roma triumphum? non armis priscis sed Crucis potentia cóparatum, & secundũ illud sacrum oraculum præparatum[b]: Venient ad te curui filij eorum C
qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini.] cum religiosa pompa non itum est ad Capitolium, sed in Vaticanum, ad limina Apostolorum, domicilium piscatoris: quo inferuntur trophæa præclaræ victoriæ, cum libellus ipse, quo hæresis cum hæreticis damnaretur, ad celebrem illam Petri Confessionem affertur, offerturq. probandus Summo Pontifici super Petri cathedram residenti. Vbi collecto Ecclesiastico sacrosancto Senatu, populoq. Romano, suum ipse Pyrrhus libellum legit, quo impiam Monothelitarum hæresim condemnaret cum auctoribus suis, profiteretur vero Catholicam fidem, cum & eumdem oblatum Pontifici atque probatum velut obsidem super Petri poneret Confessionem perpetua memoria conseruandum. Erant tunc profusæ ipsius lacrymæ ex corde manantis professionis fidei certi fideiussores & testes adeo efficaces, vt non ad compatiendum tantum permo- D
uerint astantes omnes, sed & ad indulgendum ac benemerendum inclinauerint animum Summi Pontificis Theodori, qui e celso throno sublimis, animo condescendens, excipit pœnitentem, amplexaturq. ad sinum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ redeuntem.

b Isai. 60.

THEODORI PAPAE CLEMENTIA ERGA PYRRHVM.

Memor vero se illius in terris vicem gerere, qui ad excipiendos pœnitentes peccatores, aduersus Pharisæorum supercilium, parabolam illam de filio prodigo reuertente ad patrem ingessit: nihil sibi magis congruere existimauit, quam eius implere facto doctrinam, & opere a Christo primo ostensum imitari exemplum. Quamobrem eum, qui propugnando hæresim, dissipauerat omnem substantiam suam, fidem inquam ipsam prodigens substantiam rerum sperandarum ab Apostolo nuncupatam, ob idq. ab Ecclesia condemnatus, exutusq. fuerat insignibus Pontificijs, recipit ad osculum pacis, Catholicæ Ecclesiæ vnicus, & excipiens mystica mensa vituli saginati, Apostolicam communicationem E
impartit: adijcit & stolam primam atque annulum, cum priori qua exutus fuerat pontificia dignitate eum iterum vestit & ornat, adijciens etiam vt eum in cathedra considere fecerit (vt ex Anastasio dictum est superius) iuxta altare primarium, vbi & eidem concessit vt consueta munera populo erogaret. Hæc tanta pœnitenti hæretico præstitit Theodorus, ostendens se vere patrem esse in recipiendo filio deperdito redeunte, atque esse pastorem, dum iacentem ouem erigens super humeros suos extollit.

CALVMNIAE SPARSAE DE POENITENTIA PYRRHI.

In tanto gaudio sola mæret inuidia: cum enim Constantinopoli auditum esset Pyrrhum Patriarcham Romæ coram Theodoro Pontifice hæresim Monothelitarum, cuius erat patronus, publice condemnasse, in Catholicamq. Ecclesiam receptum fuisse: rubore suffusi hæretici, quo asperssam infamiam abolerent, ad calumniam se conuerterunt, dicentes Pyrrhum vim passum talia delirasse, tormentisq. extortam ab ipso fuisse hæresis damnationem,

A tionem, & fidei Catholicæ professionem. Hæc non in vulgus tantum ab ipsis sunt sparsa, sed & auribus Imperatoris ingesta; qui hæc adeo vera existimauit, vt cum ipse tum eidem inhærentes magistratus post plures annos non veriti sint eadem exprobrare sancto Martino Romano Pontifici, cum Roma captiuus abductus, Constantinopoli esset in vinculis, quæstionibusq. subiectus, prout ex eiusdem S. Martini litteris[a] apparet, in quibus ista leguntur ex Actis publicis accepta:

a Martin. Pap. epist. 16. tom. 2. epist. Rom. Pōt.

DE ACTIS ROMAE CVM PYRRHO.

Dicit ad Martinum Papam Demosthenes rescriptor: Dic nobis ea quæ de Pyrrho hic & Romæ subsequenter gesta sunt: Pro qua causa abijt Romam? iussus, an proprio proposito? Respondens sanctus Papa dixit: Proprio proposito. Ait Demosthenes: Libellum illum, *fidei Catholicæ confessionis scilicet*, quomodo fecit? compellente aliquo? Respondet sanctus vir: Nemine, sed propria propositione. Demosthenes inquit: Veniente Pyrrho
B Romam, quomodo eum suscepit sanctus vir Theodorus præcessor tuus Papa? vti Episcopum? Respondit æquanimis Papa: Vti Episcopum. Et quomodo non, si priusquam veniret Pyrrhus Romam, manifeste scripsit beatus Theodorus ad Paulum, vtpote ad eum qui supplantationem fecit, & alterius thronum inuasit: deinde eodem Pyrrho veniente Romam sponte sua ad vestigia beati Petri, quomodo non haberet eum suscipere & honorare, vtpote Episcopum?

MVNIFICENTIA ROM. ECCLESIAE.

Respondens Demosthenes dixit: Vere veritas sic se habet. Vnde autē sumebat ea quæ ad vsum sui corporis erant necessaria? Dicit beatus manifeste: De Patriarchio Romano. Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Respondit honorabilis vir: Vos domini mei nescitis Ecclesiam Romanam. Dico enim vobis, quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad vsum præbentur ei, & nullum immunem suis donis S. Petrus re-
C pellit venientium illuc, sed panis mundissimus & vina diuersa dantur, non solum ei, sed hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt: qui venit honorabilis sicut Episcopus, quales sumptus habet suscipere?] Vides, lector, munificentiam Romanæ Ecclesiæ erga hospites omnes, quibus panis mundissimus & vina diuersa impenderentur: præstabantur vero multo maiora aduenientibus illuc externis Episcopis. Sed pergunt Acta:

CALVMNIAE DE PYRRHO IN ROM. ECCLESIAM.

Dicit ad eum Demosthenes: Nos didicimus quia Pyrrhus vi fecit libellum Romæ, & quia vincula lignea sustinuit, & multa dolenda passus est. Respondit ille beatus, & dixit: Nihil tale factum est. Nam si qui a formidine aliqua tenentur, non possunt forte loqui veritatem: hic sunt Constantinopoli, qui tunc erant Romæ, & sciunt quæ ibi gesta sunt; ex quibus interim supereſt Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quiq. direxit
D homines suos tunc ad Pyrrhum Romam. Percontamini eum de his, si mentior. Verumtamen quid volumus plurima quærere? &c.] hæc de his quæ pertinent ad res gestas Romæ cum Pyrrho: ex quibus pariter intelligis, quod dictum est, post Iacium non Theodorum Calliopam esse subrogatum Exarchum, sed Platonem.

CVM PYRRHO AMICE CVR EGERIT MAXIMVS.

Iam vero ad Maximum Romam venientem ex Africa victorem & triumphantē conuertamus orationem. Ac primum videamus, vnde acciderit, quod cum raro euenire consueuerit, vt conuictus hæreticus æque victus manus dederit (nam semper huiusmodi, prostrati licet, pertinacia maiori resurgunt) ipse Pyrrhus a Maximo superatus acquieuerit. Causæ hæ reddi posse videntur, quod Pyrrhus quamuis sectatus vestigia Sergij, minime tamen fuerit adhuc hæresis condemnatus; quodq. insuper licet eiusdem esset assertor erroris, nihilominus adhuc veluti anceps, veritatis fieri certior cupiebat: hinc accidit, vt is a
E Maximo non in illorum hæreticorū classem reijciendus fuerit, quibus nec Aue dicendum esse Apostolus[b] admonuit: sicq. factum est, vt inter vtrumque, Maximum atque Pyrrhum, amicitiæ vinculum minime fractum fuerit, sed reciprocis litteris potius stringeretur, eiusq. vsus inter ipsos perseuerarit. cuius rei causa aliquando crimini datum est eidem Maximo, quod suis litteris laudasset Pyrrhum, adeo vt ex his in suspicionem vocaretur erroris, & argueretur initæ collusionis: cuius rei gratia eidem Maximo opus fuerit, scripta prolixiori epistola ad Siciliæ monachos, texere apologiam, in qua hæc inter alia habet de consuetudine conseruata cum Pyrrho:

b Ioan. epist. 2.

EXCVSATIO MAXIMI DE LAVDATO PYRRHO.

Pyrrhus vero cum ad nos prius librum magnum scripsisset, & valde nos (nescio quomodo) honorasset, in eoq. inquirendo & non pronunciando de vna & duabus operationibus vnius & eiusdem differuisset, nostramq. sententiam & opinionem de vtroque requireret & accerseret: nos (vt par erat) eum etiam in procemio epistolæ vicissim honorauimus

a Rom. 12. b Rom. 12.

rauimus, ſicut Apoſtolus[a] nos hortatur: Honore inuicem præuenientes. atque eos qui A aliter habent, vel ad nos ſcribunt, diligere & benedicere eis iubet diuina Scriptura[b]. Simul etiam ſtudium fuit mihi, non exaſperare, ſed magis lenire virum laudibus ad aſſentiendum ijs quæ a me pie ſecundum doctrinam ſanctorum Patrum tradita erant. Vnde ſic confitebar, intellexiſſe me quæ ab illo mihi ſcripta erant ſecundum ea quæ ego illi ſcripſeram, incitans eum (vt dixi) & inuitans ad aſſentiendum piæ doctrinæ, quæ ſalutem maximam illi compararet, ſi eam amplexus, nobiſcum (ſicut ſcripſimus) confiteretur, id eſt, duas eiuſdem & vnius Chriſti Dei noſtri ſecundum naturam operationes, ſicuti duas etiam naturas ſine confuſione & diuiſione copulatas, diuinam & humanam, increatam & creatam, ſed non vnam & eamdem vtramque dictam. Non enim doctrina Patrum, ſed potius hæretica eſt doctrina de vna eademq. operatione vel voluntate vel natura in eodem & vno Domino & Deo noſtro. Illius igitur meæ ad Pyrrhum laudationis hæc B fuit ratio ac modus, cum vellem ſenſim eum & a contraria opinione abducere, & ad rectam intentionem fidei transferre.] hæc Maximus pro ſua de Pyrrho laudato defenſione; reliqua inferius. Huius itaque rei occaſione factum eſt, vt cum minime Pyrrhus eum vt hoſtem penitus auerſaretur, ſed vt amicum recta ſuadentem audiret, non erubuerit in magno illo publicoq. conuentu ſe victum fateri, & ab eo charitatis ac veritatis vinculis duci captiuum in Vrbem ad Romanum Pontificem.

QVID LAVDANDVM IN PYRRHO FVERIT.

In quo quidem Pyrrho illud fuit maxime commendandum, quod ſe eſſe a veritate ſuperatum publice confeſſus fuerit, quodq. remedia quæſierit pœnitentiæ, publice deteſtatus errorem, expetens perfrui conſpectu Romani Pontificis, quem Petri ſucceſſorem vice Chriſti Romæ ſedere ſciret, ſimulq. deſiderio æſtuarit viſendi trophæa Principum Apoſtolorum, vbi ad ipſorum Confeſſionem procumberet, ac ſtratus oraret. Cuius permotus fidei ardore Pontifex Theodorus, eumdem in ſedem, a qua eiectus fuerat, Paulo hæretico ab hæreticis ſubrogato, reſtituens & in priſtinum ſtatum reuocans, eum ipſi locum tradidit, atque honorem impendit, qui exhiberi conſueuit legitimis Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopis. Sunt hæc geſta hoc anno Romæ magno totius Eccleſiæ Catholicæ gaudio, hæreticis tantum liuore tabeſcentibus, ac frementibus pariter ex aduerſo.

MAXIMVS PRO FIDE CATHOLICA PASSVS CALVMNIAS.

Sed redeamus (quod polliciti ſumus) ad Maximum. Paſſus eſt ipſe quidem hanc ob cauſam inuidos & perſecutores. Cum enim gloria eius ex publica illa diſputatione vbique locorū propagata eſſet, aduerſus ipſum plures ſunt confictæ calumniæ etiam (proh dolor!) a Catholicis ipſis: inter quas illa fuit de laudato ſuis ſcriptis Pyrrho, qui putaretur hæreticus: alia rurſus addita, quod aſſereret tres voluntates in Chriſto, duas ſecundum duas in Chriſto naturas, tertiam vero ſecundum hypoſtaticam vnionem perſonæ Chriſti, eamdemq. Deiuirilem nuncupatam: vulgaueruntq. ad hæc probanda aduerſus Maximum epiſtolam quamdam eiuſdem Maximi nomine ſcriptam ad Marinum, qua tres in Chriſto voluntates aſtrui viderentur. Vbi autem iſta Maximus a monachis Similis reſciuiſſet, apologeticam ad ipſos reſcripſit epiſtolam, cuius eſt exordium: Pax multa diligentibus nomen tuum, Domine, & non eſt illis ſcandalum, &c.] vbi ad finem deſcriptis ad Marinum hæc ait:

MAXIMI DEFENSIO.

Ad Marinum quidē presbyterū varie & de diuerſis capitibus Scripturæ ſcripſimus: non tamen vllo quouis modo de contrarijs dogmatibus dictum eſt, de vna inquā & de duabus, id eſt, quas ipſi fingunt in eodem & vno Chriſto tres operationes vel voluntates, quaſi nos has in eodem ſimiliter vt ipſi conſtituamus, aut confiteamur Marino, aut vlli prorſus. Si enim quæ deſtruxi, hæc rurſus ædifico, tranſgreſſorem me conſtituo, vt ait Vas electionis[c]. Vnde epiſtolam, quam ſic quidem proferunt, id eſt, fingunt, tamquam a nobis ad Marinum miſſam, tamquam alienam omnino & non noſtram nos ipſi abijcimus, & cunctos ſimiliter atque nos vt abijciant, qui pie Dominum confitentur, obſecramus: vt omnem occaſionem aduerſarijs intercipiamus, qui excuſant excuſationes in peccatis, & ſtudium contradicendi calumnia contegunt: quos quia non commendat ratio, proprio impetu veritatis fracta, aditum fallacem ſimplicioribus ad ſe confictis litteris moliuntur. Sed aditum ad eos non ſibi reperient, qui veritatem, quam nos defendimus, mendacio antepoſuerint.] hæc de commenticijs litteris ad Marinum Maximus habet. Extant vero alia germana ſcripta Maximi ad Marinum presbyterum, quorum meminit, eſtq. eorū exordium: Cum propoſitum tibi ſit, pater in Deo honorande, amicitiam laudatiſſimam cū Deo inire, &c.] continentq. capitula quinquaginta & vnum. Rurſus vero legitur eiuſdem nomine

c Galat. 2.

A mine tomus dogmaticus ad eumdem Marinum missus in Cyprum insulam, quo ostendit duas in Christo voluntates dumtaxat astruendas, neque (quam ponit Dionysius) Deiuirilem esse tertiam numerandam, vnamve dicendam, sed duas interpretandam: vt plane appareat, voluisse Maximum calumnijs de se in vulgus sparsis occurrere.

Qualis autem quantusve Marinus iste fuerit, eius exordio scripti declarat his verbis: Non magis ornamentum pietatis & reuerentiæ tuæ stupui, quam zeli maximi fortitudinem admiratus sum, sancte Dei minister & mysteriorū sapiens auditor & doctor: vtroque enim studio sacro cōnexo, disciplinæ scilicet & doctrinæ mysticæ perfectionem in omnibus bonis comparasti. Qui cum esses totaliter in toto per totum Deo omnibus diuinis mandatis absolute obeundis, totus esse in eo existimaris propter summā exuperantiam paupertatis, non inter eos qui sicut ego affectione animæ terrena in cœno & tabe sordidarum perB turbationum hærent. Hinc & tutum præsidium consulta ratione tibimetipsi parasti (nihil enim firmius ad figendas & conseruandas virtutes voluntaria paupertate, firmumq. fundamentum diuinorum in anima ædificiorum, quod labefactari non potest) & alijs omnibus qui studio virtutis tenentur, factus es salutis conciliator; dum magis demonstratione operante, quam voce docente, ad amplitudinem virtutis per altam & sublimem submissionem deducis eos, qui ad exemplum tuum & imitationem mentem & vitam prudenter dirigunt. MARIN. LAVDATVS A MAXIMO.

Cum autem conuenientem huic zelo, quem dixi, feruorem spiritus habeas, & illū ignem in terra cordis, quem vt inijceret venit Verbum natura bonum & hominum amans, quod omnem nostrum prauum habitum & motum absumit: incendis tu quidem illos qui per fallaciam & ignorantiam vitijs & nugis insane delectantur, redarguens quod in eorum prauis actionibus & falsis sermonibus vanum & futile est, obiecta lampade beata, quæ inC te diuinam cognitionem & virtutem assecuto semper ardet, & numquam extinguitur: calefacis autem eos qui magnopere frigent in hac frigida & tenebricosa statione fixi, expellens & dissoluens tenebras splendidis radijs diuinorum verborum, & summam contractionem ac torporem in summam fortitudinem & vim transferens. Rursus autem illuminans a montibus æternis, id est, ab ijs qui materia vacant, instituens omni cognitione quæ omnibus scientijs rerum sub sensum cadentium antecellit, & docens quam vim habeant verba Patrum, & quæ eorum dogmata: illuminans inquam eos qui lumen cupiunt, quiq. gustu sapientiæ illud iam per spem pulchre habent in se effigiatum, quod est per naturam id ipsum quod desiderat, deducisq. eos & adiungis pie ad obtinendam totam possessionem re & experientia. Nihil enim sic tui sacerdotij munus exprimit, vt exprimit zelus constans cū reuerentia erga Deum tēperatus & commixtus.] hæc & alia plura de Marino preD sbytero Maximus, vt de commilitone fortissimo aduersus hæreticos Monothelitas; quem virtutum meritis, hisce Maximi præconijs ornatum voluimus in Annalibus reliquisse.

Ceterum inter omnes qui fuerint Catholicæ veritatis defensores, eminebat Maximus, quem tunc pij quique consulerent. Extant enim eiusdem ad Nicandrum Episcopum responsio de dogmatibus Orthodoxis, & aliæ [a] ad diuersos. Porro eius labores pro fide Catholica tuenda impensos vix considerare quis valeat. Quomodo autem sanctissimo viro eadem ex causa gloriose contigerit obire martyrium, suo loco dicturi sumus. SCRIPTA MAXIMI.

[a] *Habentur hæc omnia Maximi scripta Græce in Vatic. bibliotheca.*

Hoc eodem anno, qui numeratur quartus Constantis Imperatoris, Princeps ille Sarracenorum, qui Hierosolymam cepit, Crucesq. deposuit, tulit sui sceleris pœnam, occisus per fraudem a quodam Persa. Cui substitutus fuit Hoamen eius cognatus. Hæc ex Theophane habentur.

E

IESV CHRISTI ANNVS 646. THEODORI PAP. ANNVS 5. CONSTANTIS IMP. ANNVS 5.

AGitur Redemptoris annus sexcentesimus quadragesimussextus, quarta Indictione: quo in Africa, vbi cognitum fuit Pyrrhum Episcopum Constantinopolitanum pœnitentē ad Ecclesiam Catholicam restitutum esse a Rom. Pontifice, incalescentes ardore fidei Episcopi Orthodoxi in diuersis prouincijs Concilia habuerunt ad confirmanda Catholica dogmata: qui & ex eo magis incitati vindices Catholici dogmatis insurrexerunt, quod percepissent, post conuersionem Pyrrhi auditam Constantinopoli, super ianuas primariæ ecclesiæ fuisse scripta proposita, quibus Monothelitarum hæresis credenda omnibus sanciretur: hac inquam de causa omnium Orthodoxorum aduersus facinus animi mi-

rum in modum concitati sunt, ipsiq. potissimum commoti Episcopi Africani, penes quos A
Pyrrhus conuictus a Maximo hæresim fuerat detestatus. Qui omnes ex aduerso exur-
gentes, singuli Primates in singulis sibi subiectis prouincijs Synodos conuocarunt. Sicq.
conuenerunt qui erant prouinciæ Byzacenæ sub Stephano ipsorum Primate Episcopi nu-
mero quadragintaduo: conuenerunt pariter Episcopi Numidiæ prouinciæ sub ipsorum
Primate Columbo: insuper & coierunt simul ad Synodum Episcopi Mauritaniæ prouin-
ciæ sub Reparato Primate sex: ex Proconsulari vero prouincia Carthaginensi sexaginta-
octo Episcopi in vnum conuenientes, Synodum celebrarunt. Extant eorumdem Concil-
liorum monumenta recitata in Synodo Lateranensi sub Martino Pontifice Theodori suc-
cessore, in secundo eius Secretario: quæ quidem hoc anno fuisse in Africa celebrata, nem-
pe sub quarta Indictione, patet ex testificatione Theophylacti Primicerij Notariorum,
cum hæc verba fecit in dicta Synodo Lateranensi: B

Notum facio vestræ beatitudini, quoniam & aliam suggestionem supplicem præ manibus habeo de quæstione quæ nunc proposita est, atque apud vos flagitari dignoscitur, directam a reuerendissimis Episcopis Africani Concilij per nuper transactam quartam Indictionem beatæ memoriæ Theodoro decessori sanctitatis vestræ.] Huius autem scribendæ epistolæ (vt ipsi Episcopi testantur) causa illa intercessit, quod cum Constantinopolim fuissent legationem Synodalem ad Paulum commonendum missuri, Gregorij Præsidis tyrannide in Africa detecta, commercium Africanorum cum Orientalibus fuerat penitus intercluſum. Mittunt ergo ad Romanum Pontificem litteras, quibus petunt, vt sua ad Paulum Constantinopolitanum scripta per Apostolicæ sedis Responsales ipsi Paulo darentur; rogantes pariter, vt nisi idem emendaret errorem, ab ipso Romano Pontifice excommunicationis sententia damnaretur. Porro ipsa Synodalis trium Conciliorum epi- C
stola in Lateranensi Concilio edita sic se habet:

SYNODALIS AFRICANORVM TRIVM CONCIL.

Domino beatissimo Apostolico culmine sublimato sancto patri Patrũ Theodoro Papæ & summo omnium Præsulum Pontifici, Columbus primæ sedis Episcopus Concilij Numidiæ, & Stephanus primæ sedis Episcopus Concilij Byzaceni, & Reparatus Episcopus primæ sedis Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs antedictis Africanæ prouinciæ.] Carthaginense autem Concilium seorsum scripsit Synodalem epistolam, quam paulo inferius suo loco reddemus. accipe modo Synodalem hanc trium Conciliorum:

SEDIS APOSTOLICAE SVMMA AVCTORITAS.

Magnum & indeficientẽ omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo riuuli prodeunt affluenter vniuersum largissime irrigantes orbem Christianorum; cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ D
omnino & solicite debent, maxime vero iusteq. ab ipso Præsulũ examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis vel in longinquo positis agentur prouincijs, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt huius * auctoritate iusta quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeq. sumerent ceteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis.

* eius

Quocirca humillimum vestro Apostolico culmini persoluentes obsequium, cum lacrymis suggerimus, quod sine cordis gemitu reticere non valemus, ante hoc temporis spatium exosum apud Constantinopolitanam ciuitatem nouitatis commentum ad nos vsque opinanter fuisse delatum: & vt hactenus siluissemus, putauimus sereniſſimo examine ve- E
stræ Apostolicæ sedis fuisse defectum. Quod vbi pertinaciter cognouimus inualescere, relegentes videlicet libellum Pyrrhi nostri fratris & coepiscopi dudum eiusdem Constantinopolitanæ ciuitatis apud vestram venerabilem sedem prolati *, relationem qualem necessitas exigit, fratri Paulo nunc Constantinopolitanæ ciuitatis Ecclesiam occupanti emisimus, exhortantes cum nimio fletu, iam dictum nouitatis commentum, non * quidem suis temporibus adinuentum, a suo videlicet auctore confutatum, a se quoque vel ab omni Ecclesia, cui præsidet, repellere, & chartas omnes præ foribus ipsius sanctæ ecclesiæ ad scandalum populorum suspensas proijcere; qualiter fides, quæ nunc vsque permansit integra, & Apostolica eruditio illibata seruetur.

* prolatum

* nunc

Certum est enim, quod tales sermonum nouitates de malo gloriæ amore nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces, & sapientes videri, quærunt quid noui proferãt, ne-

scientes

A scientes quia Deus noster [a] infirma mundi eligit, vt confundat fortia, & sapientes per mundi stulta confudit. Ad Timotheum [b] quippe Doctoris Gentium solicite * legisset sermones, quibus ait, vt nouitates vitet vocum profanas: ad impietatem nempe ista proficiunt, quæ super spinas & tribulos contulerunt: & Ephesi [c] remanens, denunciet quibusdam, ne quis aliter prædicaret. Et (vt aliqua de veteribus proferamus) Hieremiæ prophetæ verba sunt [d]: Horribilia, inquit, facta sunt super terram: prophetæ iniquitatem prophetant. Multa sunt diuinæ legis documenta, quæ de largo vestri culminis fonte nostris riuulis infundantur.

a 1. Cor. 1.
b 1. Tim. 6. 2. Tim. 2.
c 1. Tim. 1.
d Hier. 5.

Quia vero in quamdam suspicionem * nostra Africana a malignis hominibus apud memoratam regiã ciuitatẽ recitata est prouincia, antedictam relationẽ memorato fratri Paulo Constantinop. Antistiti transmissam, vestræ Deo amabili beatitudini direximus; quam
B rogamus humiliter per vestræ sacratissimæ sedis Responsales transmittere: qualiter prospere * cognoscamus, si memoratus superius frater a nefanda se nouitatis adinuentione ad integram reformauerit Orthodoxæ fidei prædicationem. Quod si dissimulauerit, auctoritas almæ sedis vestræ iuxta Patrum sanctiones salubri consilio pertractabit a sano corpore separare vulnus insanũ, remotoq. morbi sæuientis flatu, cautius quæ sunt sincera perdurent, & grex purior ab hac mali contagione spiritali vestri culminis ferramento purgetur.

* suspectionem
* propere

Nouissime hoc necessitatis euentu quod accidit, in veritate suggerimus, quia nobis specialiter per vnamquamque prouinciam Synodos contrahentibus venerandas, dum ex nostro collegio fratribus electis, plenam transmittere nitimur legationem cum nostris relationibus, quædam oborta sunt, quæ nostrã intentionem rationabiliter prohiberent. Sed huius rei, quam memorauimus, vrgente necessitate, generali Africanæ prouinciæ constituto
C per legatos diuersorũ Conciliorum inito, generalem hanc propere vestro culmini demandauimus relationem, postulantes non nobis, sed ipsi quæ euenit necessitati adscribere. Ora pro nobis, domine sancte ac beatissime Patrum pater. Ora pro nobis, domine sancte ac beatissime Patrũ pater. Ora pro nobis, domine sancte ac beatissime Patrum pater.] tertiũ hæc repetita habentur, quod a singulis tribus Concilijs, a quibus epistola missa est, scripta fuerint. Desiderantur autem eorumdem epistolæ ad Paulum Constantinopolitanũ Antistitem missæ a dictis tribus Concilijs. Decreta item ex Synodis fuerat honorifica legatio Constantinopolim ad Imperatorem, vt docent litteræ eiusdem Synodi Byzacenæ ad eumdem Imperatorem: verum quia inter hæc rumores per Gregorium prouinciæ Præsidem excitati sunt, vt dicemus, visum est Episcopis litteras has per suos Romam ad Theodorum Pontificem mittere. Sed videamus quæ eadem Synodus Byzacena scripsit ad Constan-
D tem Imperatorem, cum nondum plane esset detectus hæreticus. sic enim se habent [e]:

e Concil. Later. sub Martin. Secret. 2.

Domino clementissimo, terræ marisq. domino Constanti * Augusto, Stephanus primæ sedis Episcopus, vel vniuersi Episcopi Concilij Byzaceni, vestræ pietatis vltimi famuli.

* Constantino

EPIST. CONC. BYZACENI AD CONSTANTEM IMP.

Omnipotens Deus Ecclesiæ suæ prouidens, præscitos ac prædestinatos in præsidio eius constituit Romani nominis Reges, vt quoties turbo diabolicæ factionis quiddam contra eam excitare tentauerit, a vestræ clementiæ rigore valeat comprimi: quatenus quies eius procurata, vestræ potentiæ suffragio debeat defensari: quia ei potestatem vestram seruiendo subijcitis, cuius munere & protectione imperatis. Vnde diuinitus præordinati eius curam singularem habetis aut primam. Scriptum est igitur de vobis & de eadem sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa [f]: Erunt Reges nutricij tui. Pariterq. scriptum est [g]: Honor Regis iudicium diligit. Quia dum diuina rebus humanis præponitis, & Orthodo-
E xam fidem curis sæcularibus præfertis, quid aliud quam iudicium rectum Dei cultui immolatis? Pro qua re pietati vestræ cuncti vestræ Africæ Domini sacerdotes coram Domino supplicamus, vt nouellæ præsumptionis scandalum, quod aduersus fidem nostram attentatum est, auferatur, fratremq. nostrum Paulum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum regali auctoritate, vt nobiscum, id est, cum omni generalitate orthodoxe sapere debeat, coarctare dignemini. Fidem namque rectam a sanctis Patribus nobis traditam sine adiectione aut imminutione custodire debemus: quia quicquid auctum fuerit aut subtractum, numquam probatur fuisse perfectum.

f Isai. 49.
g Psal. 95.

Scripsimus enim prædicto fratri & coepiscopo nostro Paulo per latores præsentium, & vt nostra eum vice cum vestræ clementiæ præceptione admoneant, destinantes iniunximus: quos vestræ mansuetudini commendantes, petitionis nostræ vota vt effectui mancipentur, omnes vnanimiter genu mentis flexo deprecamur. Pro qua re expedit censu-

DE LITTERIS AD PAVLVM SCRIPTIS.

ræ eius & famæ, vt quod auctor tantæ præsumptionis correxit, a se vel ab alijs non A
sinat incorrectum iam iamq. scandalum defensari. Iniunximus autem legationi nostræ
supplici pietatis vestræ, vt ea quæ prædicto fratri nostro scripsimus, ad pias vestræ serenitatis aures deducere non morentur: quatenus pietas vestra, Diuinitatis amore instructa, pro pace Ecclesiarum Dei regale præcipiat largiri præsidium, vt pace Dei fruentes, quæ omnem superat intellectum, regnum vestrum in pace securum annis innumeris propagetur.

Omnipotens Deus noster, cuius potestate cuncta reguntur, benignus ad vestrum respiciat principatum, Paganasq. gentes, quæ de sua feritate confidunt, potentiæ suæ dextera pietatis vestræ Christianissimæ ditioni subiugare dignetur. *Et subscriptio.* Stephanus primæ sedis Episcopus] & reliqui itē omnes numero quadragintaduo. Verum decreta legatio Constantinopolim minime missa fuit (vt dictū est) sed ipsæ epistolæ directæ sunt Romā ad Theodorum Pontificem, vt ipse per suos Apocrisarios easdem exhibendas curaret. B

Præter hæc etiam tunc ab eo, quod itē in Africa, in prouincia Proconsulari, Carthagine collectum esse Concilium sexagintaocto Episcoporum aduersus eosdem Monothelitas superius dictum est, scriptæ fuerunt litteræ Synodales ad Paulum Constantinopolitanum Episcopum, quibus eum monuerunt hæresim detestari, amplectiq. Catholicam fidem: exhibitæ quidem ipsæ postea & recitatæ fuere in Concilio Lateranensi sub Martino Papa, Secretario secundo, quæ sic se habent:

* Gulosus Domino beatissimo & honorabili sancto fratri Paulo Patriarchæ, Gelosus *, Probus, & ceteri Episcopi sancti Concilij Proconsularis, qui subter subscripturi sumus.

EPIST. SYNOD. EX CONC. CARTHAGINENSI. Caput & fundamentum fidei Catholicæ vel vniuersalis Ecclesiæ noster Deus & Dominus Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto indiuisam habens naturam Deitatis, C
a Matth. 28. suis (sicut nos Euangeliū docet [a]) ait discipulis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Dum ergo in nomine diceret, non in nominibus, vnitatem inseparabilem, non schisma fideliter euim colentibus, & in eum sincere credentibus demonstrauit. Beati igitur Apostoli præceptum sui magistri, nostri Domini Iesu Christi perficientes, sanam & rectam doctrinam in omni orbe terrarum prædicauerunt, quonam modo sit Deus colendus, & Christus eius Filius noster Deus & Dominus, Deus & homo credendus, & coæternus & coæqualis Patri & Filio diuinitate Spiritus sanctus.

* VNDE ORTAE HAERESES. In hac ergo sine querela vera Dei cultura Catholica sancta Ecclesia manente vnita, inuidia diaboli mors introiuit in cordibus infidelium, qui a via veritatis deuiantes, secundum errores suæ prauæ conscientiæ a fide (sicut Apostolus loquitur [b]) errauerunt, & inseruerunt se doloribus multis, iuxta vniuscuiusque malum intellectum per hæreses fidei D
b 1. *Tim.* 6. Catholicæ aduersantes. Contra quas Concilia venerabilium Pontificū per sacras Christianissimorum Principum iussiones congregata tunc esse noscuntur, in quibus de hæreticorum diuersorum versutia vel astuta aduersus rectam fidem eorum subtili fallacia sancti &
* declarantes veri Pontifices exquirentes, mundam fidei Orthodoxæ & liquidius declaratam [*], omnes hæreticos prædamnantes, vnisonam dixere sententiam, sancientes quomodo fidelis populi obtineret solidatā & ineuulsibiliter radicatā fidem de Christi Domini nostri (quemadmodum confitemur) persona: eum qui super hæc auderet quippiam adijcere, aut mutare, vel exinde quippiā adimere, perpetuo anathemate condēnando. Quā piā & sanctā & Deo placitā determinationē omnis susceptit libenter fidelis Ecclesia, & per tot tēporū curricula habetur & retinetur a recte credentibus hæc definitio immaculata & immutilata firmissime.

REDARGVITVR PAVLVS PATRIARCHA. Quia vero comperimus, quod quædam contraria in Constantinopolitana sunt ciuita- E
te contra instituta fidelium & antiquissimorum Patrum & vniuersaliū Conciliorum proposita per chartulæ cuiusdam venenosæ dicta: miramur, immo dolemus, cur a vobis hæc sunt permanere permissa, aut non statim conscissa, & recto sacerdotali proposito radicitus amputata. Nos ergo omnia quæ aduersus definitiones Patrū vel sanctorum Orthodoxorum Conciliorū Catholicam fidem per Apostolorum doctrinam fundantium, & iam nouiter tēporibus Sergij tunc in tēpore Patriarchæ fuerunt assumpta vel prædicata, vtpote execranda, damnamus, illa scilicet amplectentes, quæcumque a sanctis Patribus terminata sunt, in quibus fides nostra firma & recta permanet inconuulsa, & fauente Christo, inuiolabiliter incorrupta. Nec necessarium nobis est eadem repetere, quæ semel sunt bene posita & decreta: ne ad contentionem prouocati, in periculum incidamus, suscipientes iuxta Patrum definitionem anathema, si super eos aliquid dicere, vel mutare, vel minuere (quod

A (quod abiit) præsumpsissemus noua quædam, quæ iam intelliguntur peruersa, hæretica, & Deo aduersantia capitula, cum in assumentes talia vltio infertur iusta diuina, nisi pœnitentiæ fletibus ad Christum, in quem delinquunt, conuerterint purissime sua corda.

Hoc autem quod sancta suscepit recta fides & vera, sicut prædicauit & fatetur vniuersalis immaculata Ecclesia, colimus & tenemus, Patrem & Filium & Spiritum sanctum in- CATHOLICAE FIDEI PROFESSIO.
separabilem esse Trinitatem, vnum Deum: vnum autem sanctæ Trinitatis Filium Dei, id est, Christum Dominum nostrum carnem vere habere humanam cum anima rationali & intellectuali, nullatenus Deitate amissa vel diminuta, sed eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Deum & hominem confitemur, dicentes & diuinam naturam, voluntatem, & operationem vt Deum habere perfectam; & quod est hominis, eumdem ipsum sine quolibet dumtaxat peccati vel concupiscentiæ modo, similiter naturam, vo-
B luntatem, & operationem habere plenissimam, id est, in Deo & Domino nostro Iesu Christo duas esse naturas, duas operationes, duas quoque voluntates naturales, sicut Catholica docuit & docet semper Ecclesia.

Vt autem etiam exemplis sanctorum Patrum, quæ præmissa sunt, multo amplius roborentur, eorum exempla huic nostro epistolari eloquio ex multis pauca inseri maturauimus. Ex libro S. Ambrosij, &c.] subijciuntur his Patrum sententiæ id ipsum testantium suis scriptis, quæ habentur vna cum epistola in eodem secundo Secretario Lateranensis Concilij sub Martino Pontifice, quibus vltimo loco apposita est subscriptio sexaginta-octo Episcoporum. Porro eiusdem fuisse argumenti trium aliorum Conciliorum Synodales epistolas ad eumdem Paulum conscriptas, vt credamus, eorumdem litteræ ad Theodorum Romanum Pontificem recitatæ suadent.

C Consideraſti, puto, lector (non enim inani studio ipsas epistolas Synodales hic tibi integras describere consueuimus, sed vt tum quid facti esset, tum quid iuris statueretur, VSITATVS MODVS IN CONVINCENDIS HAERESIBVS.
ex recitatis Patrum scriptis appareat manifeste) consideraſti inquam, quod cum aduersus recens emergentes errores agendum fuit Patribus Orthodoxis, non aliunde melius sibi arma ad pugnandum comparare consueuerint, quam ex antiquitus statutis in Ecclesia sancta dogmatibus, inspicientes quid pristina senserit ætas, & quænam sanctorum de ijs fuerit Patrum sententia accuratius perscrutantes, omnesq. neruos aduersus nouitatem & nouatores intendentes, ac penitus detestantes & execrantes quæcumque adamussim consentientia Patribus minime sint inuenta: quam qui sectati sunt regulam, semper sunt nominati Catholici & Orthodoxi, atque ab ea deuiantes hæretici.

Quod autē in nullo dictorum Conciliorum Africanorum, siue prouinciæ Proconsularis,
D siue Bizacenæ, quibus alij Primates Africanæ Ecclesiæ interfuisse leguntur, reperiatur inter eos nominatus Episcopus Carthaginēsis: id inde accidisse scias, quod is qui tunc temporis præerat Ecclesiæ Carthaginensi, nomine Fortunatus, siue Fortunius, cōmunicabat Paulo Episcopo Constantinopolitano Monothelitarū principi, ob idq. habitus fuit omnibus Africanis Episcopis loco mortui. Est de communicatione eiusdē Fortunati cum Paulo in Actis Sextæ Synodi haud dubia assertio, vbi hæc leguntur in Actione decimaquarta: FORTVNATVS CARTHAG. EPISCOP. COMMVNICAVIT MONOTHELITIS.

Constantinus Deo amabilis presbyter & grammaticus Latinus dixit: Scio, domine, temporibus Pauli quondā Patriarchæ veniſſe Fortunatum*, qui fuit Episcopus Carthaginensis: & cum Missas acturus esset in sancta magna Dei ecclesia; quæsitum est, quomodo sedere debuisset, vtrum ne ante Metropolitanos qui hic morabantur, an post eos. Et requirente eodem Paulo quondam Patriarcha in bibliotheca Patriarchij librū Quinti
E Concilij, vt cognosceret quomodo sedere debuissent, contigit vt inueniretur & Latinus liber eiusdem Concilij: & exinde instructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter sedere.] hæc ibi, quibus intelligis miserum Fortunatum fuisse Monothelitarum communionis. * al. Fortunium

Hoc vero Fortunato siue defuncto, siue e gradu deposito hæresis causa, subrogatus est in locum eius hoc anno mense Iulio Victor, qui simulac creatus est Carthaginensis VICTOR CARTHAG. EPISC. CREATVS.
Episcopus, nihil antiquius habuit, quam se esse Catholicum suis litteris indicare, sicq. more maiorum fidei suæ professionem scribens, misit eam ad Theodorum Pontificem, decernens ad eum dignam legationem, delegans Mellosum Gippensem, siue Gisippensem Episcopum, Redemptum diaconum Carthaginensem, & Crescitorum Notarium eiusdem Ecclesiæ: his itaque ad eumdem Theodorum Pontificem litteras dedit, quibus de sua creatione eumdem reddidit certiorem, simulq. se fidei Catholicæ esse professorem significauit. Extant ipsæ Victoris litteræ in Actis Romani Concilij sub Martino Pon-

Universidad de Deusto Biblioteca

a Concil. Rom. sub Martino Secret. 2.

tifice [a], ex quo hic suo loco & tempore, quo scriptæ sunt, tibi exhibendas esse putauimus: A sic enim se habent:

EPIST. VICTORIS EPISC. CARTHAGIN. AD THEODOR. PP.

Domino beatissimo & honorabili sancto fratri Theodoro Papæ Victor.

Vestræ beatissimæ fraternitatis apud Deum acceptabilia opera & conuersatio gloriosa pene mundo toto sunt manifesta. Prædicationibus igitur Apostolicis & doctrinis dum ve- B ræ fidei cultura vniuersa repleta sit terra, per diuinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur Orthodoxa Christi Ecclesia, Apostolica institutione fundata, & a fidelibus Patribus firmissime roborata. Ad quam omnes beatissimi Apostoli pari honoris & potestatis consortio prædíti, populorum agmina conuertentes, pie & sancte de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam homines diuinæ prædestinationis gratia præscitos salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum Apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens plenius merita, & perfectius implens exempla, Ecclesiam Dei morum probitate & actuum sanctitate condecorat, & fide sacra, vel Christianis moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit, studijs Pontificalibus indefinenter operatur & perficit, seruans legis diuinæ mandata: Quia non legis auditores iusti sunt apud Deum, sicut narrat Apostolus [b], sed factores legis iustificabuntur. In qua lege diuina vestra sancta & veneranda sinceritas (sicut scriptum est [c]) meditatur die ac nocte. Quæ meditatio non lectione per figuram litterarum tantum conspecta, sed exuberante in vobis Christi gratia, in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita, nullatenus de vestro corde recedente lege Christi Dei Domini sacrosancta, sicut in Psalmis dicit Propheta [d]: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium, lex Dei eius in corde ipsius: non atramento, sed spiritu Dei viui vestra in arcana conscripta, neque in tabulis lapideis, sed in tabulis C cordis carnalibus, sicut beatissimi Apostoli Pauli ad Corinthios missa nos docet epistola [e].

b Rom. 2.
c Psal. 1.
d Psal. 36.
e 2. Cor. 3.

DE CREATIONE SVA VICTOR AGIT.

Quibus præmissis, significamus Deo placitæ fraternitati vestræ, die decimaseptima Kalendarum Augustarum Indictionis quartæ, nostram humilitatem, diuina gratia suo (vt præcepit) munere præueniente, & vestris sanctis ac Deo dignis precibus, in sancta Carthaginensis ciuitatis Ecclesia Pontificalis honoris accepisse consecrationem & stolam. In quo dignitatis fastigio vt a Deo omnipotente regamur, & ab Altissimo a malis actibus liberati, sacerdotale non nomen tantum, sed Christi Domini Dei nostri protegente auxilio, & meritum habeamus, vestris sanctis ac Deo acceptabilibus nos commendantes orationibus poscimus: quatenus & vestris deprecationibus pro nobis ad Deũ effusis muniti, & eruditionibus bonis instructi, digni efficiamur cum omni nobis populo Christiano commisso illæsi protegi velamento diuino. Ad salutationem ergo vestræ sanctæ & honorandæ fraternitatis, vice nostra Mellosum humilem vestrum fratrem, nostrum Episcopum, & Redemptum diaconum, vel Crescíturum Notarium sanctæ nostræ sedis, vestros famulos destinauimus, quos postulamus celerius nobis a vestra beatitudine persolui, quo possint ad proprias Ecclesias ante hiemem, Deo propitio, remeare. D

Præ omnibus autem fateor, in ipso nostræ prouectionis exordio cor nostrum non leuiter vulneratum fuisse, vt propheticum illud præceptum exoptarem, dicens: Quis [f] dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum, & sedens plorabo die ac nocte? Ecce enim Ecclesiæ Dei non leuiter perturbantur, Christianissimorum voces ac gemitus Episcoporum non supportamus, querentium & clamantium nouitates & concinnationum figmenta a Paulo venerabili consacerdote nostro (vt dicitur) contra fidem veracissimam approbata debere repelli.

f Hier. 9.

Nos autem temperamentum causis innectentes, expedire putauimus prædictorum beatissimorũ consacerdotum nostrorum licet iustissimos questus æquanimiter supportare, & ad auditus venerãdos fraternitatis vestræ hoc ipsum peruigili cura deducere. Inquiunt enim, quædam vice epigrammatum, chartarũ volumina in sacris ædibus apud regiam ciuitatem nuper esse suspensa religioni Catholicæ & ipsi veræ fidei ac Patrum traditionibus omnino contraria. Quis enim vecors sacrilega voce audeat prædicare in Domino nostro Iesu Christo aut vnam tantummodo voluntatem, aut vnam operationem existere, dum manifestissimis Patrum definitionibus liquidius clareat, in Domino nostro Iesu Christo duas naturas, & earum duas voluntates, duasq. operationes vel proprietates naturales modis omnibus inueniri? Et possumus multiplicibus Patrum documentis nostræ paruitatis intentionem firmare, nisi vestram sanctissimam fraternitatem in omnibus corde ea retinere, firmissi-

A missime teneamus. Vt autem ipsius sedis Apostolicæ decretis per omnia confirmemur, Leonis beatissimi prædecessoris vestri Apostolicæ memoriæ definitionem inseri peruidimus, quæ continet [a]: Agit enim vtraque natura cum alterius communione quod proprium est.] hæc sancti Leonis sunt verba. pergit vero Victor:

[a] Leo epist. 10.

Nos itaque Patrum in omnibus decreta sequentes, in Christo Domino nostro duas naturas, earumq. duas voluntates, duasq. operationes firmissime prædicamus, Deum verum, atque hominem verum, absque delictis humanis veraciter confitemur, repudiantes cunctarum hæresum subsannationes, vanitates & insanias mendaces. Vestrum est itaque, frater sanctissime, canonica discretione solite contrarijs Catholicæ fidei obuiare, nec permittere nouiter dici, quod Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit. Nos enim humiles corde, quæ recta sunt, adiutore Domino, sapientes, vno vin-
B culo charitatis vobiscum sumus constricti, veram fidem ac religionem Catholicam in omnibus fortiter defensantes. Studiosius itaque a Catholicis, improbis probe resistere, imminendum est; ne torpore desidiæ oppressi, culpæ taciturnitatis teneamur obnoxij, & quasi fauorem impendentes iudicemur, dum aduersa Catholicæ fidei propulsare negligimus. A beato namque Felice Apostolico vestræ sanctitatis prædecessore dictum est: Negligere quippe, cum possis deturbare peruersos, nihil est aliud quam fouere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.

Liquet, doctor sanctissime, venenosa serpentum sine simplicitate astutia, manifesta est dolosa hæreticorum fallacia. Quid est enim naturarum in Christo Domino nostro proprietates auferre, nisi earumdem naturarum confusionem inducere? quod Catholicæ Ecclesiæ, id est, statutis quam maxime Patrum sancti Chalcedonensis Concilij extat con-
C trarium, ex quo amplius & fundamentum fidei & perfectio indubitate consistit. Possemus vero etiam eidem fratri & coepiscopo nostro Paulo beatissimo regiæ ciuitatis Antistiti similia nostris scriptis dirigere, nisi malorum cognosceremus falsis locutionibus dictum fuisse, nostram quasi Africanam prouinciam posse aliqua (quæ in vero non consistunt) mala peragere. Sed & hoc nostræ postulationi subiungimus, vt ea quæ epistolariter a coepiscopis nostris sancti Concilij nostri ad beatissimum Paulum Patriarcham scripta sunt, per vestræ beatitudinis Responsarios eidem fratri nostro Paulo dirigere iubeatis.] hucusque epistola Victoris ad Theodorum Romanum Pontificem.

DE TENENDA PATRVM FIDE.

Quod vero postremo loco habet de Episcopis Africanis in suspicionem seditionis quorumdam relatione adductis apud Imperatorem, cuius rei gratia haud liberum fuerit legationem mittere Constantinopolim: plane significat motus illos Gregorianos, de quibus
D diximus, hoc anno (vt habent [b] Annales Græcorum) cœptos in Africa, rebellante Gregorio Præside aduersus Imperatorem. Ingestum plane fuerat auribus Constantis Imperatoris, Africanos Episcopos cum Gregorio conspirare, ob idq. eidem infensi penitus reddi-ti fuere. Sed de Gregoriana rebellione pluribus sequenti anno dicendum.

[b] Theophan. hoc anno 5. Constant.

Quod rursum ad ipsius Victoris epistolam spectat, commendata ea reperitur præconio Martini Papæ successoris Theodori in Lateranensi Concilio verbis istis [c]: Per Synodicam epistolam suam dudum nobis relectam Victor venerabilis Carthaginensis Episcopus tam feruentissimum zelum suum declarauit, quamq. Deo amabilem humilitatem rationabiliter certus est ostendisse. Et zelum quidem per hoc, quod introductam nouitatem nimis accusare nostræ Apostolicæ sedi dignoscitur, & enarrare in scripto ei acclamationes pene omnium Christianorum, necnon gemitus reuerendissimorum Episcoporum, non leui-
E ter (sicut ille scripsit) perturbatorum propter fictiones & commenta quæ aduersus veram confirmauit fidē Paulus Episcopus Constantinopolitanus: Humilitatem autem competenter, minime præsumens abrogatum eumdem Paulum habere, sed consacerdotem appellans, donec iudicium de eo nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est, principis Apostolorum Petri cognoscat, vtpote quoniam solus & præ omnibus creditus est atque accipere meruit a Rege Regum Christo Deo claues regni cælorum ad aperiendum recte credentibus in eumdem Dominum nostrum, & claudendum infidelibus hæreticis.] nimirum cuius sit communionem Catholicam ijs qui foris stant, aperiendo Ecclesiam, impartire, vel declarando hæreticos, claudere. Plura alia addit in commendationem eius epistolæ, sed ista satis pro instituto.

[c] Concil. Lateran. sub Martin. Sect. 2.

Quid autem, his Synodalibus a diuersis Concilijs Africanis acceptis litteris, & a Victore Carthaginensi Episcopo alijs additis, egerit Theodorus Romanus Pontifex, videamus.

Cernens

Universidad de Deusto
Biblioteca

APOCRISARII MISSI CONSTANTINOPOLIM.

Cernens ipse in vnam eamdemq. sententiam vniuersam Africanam Ecclesiam conuenire, A omnesq. pariter in Paulum Constantinopolitanum Episcopum conclamare: quod ab ipsis expetitum fuit, minime denegandum esse putauit, mittens scilicet Apocrisarios Constantinopolim, quibus dedit & ipse acerrimas ad eumdem Paulum litteras: quod enim frustra cum antea monuisset, neque blandis admonitionibus ille acquieuisset, aculeatas modo ad eumdem litteras scripsit, quibus post admonitionem plurimam & exhortationem, plenam rectæ fidei præscribens formam, subiecit anathema aduersus omnes qui ab ea quam Catholica teneret Ecclesia sententia discreparent.

MELLITA SED VENENOSA SCRIPTA HAERETICORVM.

Fuere plane istiusmodi litteræ Theodori grauissimæ, quas optassemus ad verbum hic tibi describere: verum non extant illæ, neque de nominibus eorū qui missi sunt aliqua est memoria: sed ita factum a Theodoro Pontifice, litteræ a Paulo ad ipsum redditæ docent, quas hic tibi subijciendas esse operæpretium duximus. Videbis, lector, & miraberis, quæ B soleat esse hæreticorum ad sua excusanda scelera & operiendos errores fraudulenta melleq. delinita blanda locutio, quæ posset etiam bene cautos & prudentes ducere in errorem: vt non mirum sit, si plebecula rudis ab ijsdem interdum captiua in hæresis abrupta ducatur. Recitata habetur dicta Pauli epistola ad Theodorum in eadem Synodo Romana sub Martino Pontifice in Secretario quarto, ex qua eam hic tibi describimus: sic enim se habet translatione scabrosa ob scrupulositatem interpretis ex verbis verba reddentis & Græci hominis Latinis litteris leuiter tincti:

EPIST. PAVLI CONSTANTINOP. EPISC. AD THEODORVM PAPAM.

Sanctissimo ac beatissimo fratri & consacerdoti domino Theodoro Paulus indignus Episcopus in Domino salutem.

a Psal. 132.

Ecce [a] quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum: spiritali dico habi- C taculo, & concordia quæ in Deo est, & vnitate fidei, huius delectabilis secundum veritatem inhabitaculi: quæ videlicet in Aaron magis decorabatur atque sacerdotalem induentibus dignitatem, sicut vnguentum super caput, principalem intellectum irrigans, & vsque ad ipsam extremam scientiam deducens. In hoc enim habitaculo benedictionem & æternam vitam promisit Dominus. Huius igitur propheticæ vaticinationis meritum amplectentes, præsentes fraternas syllabas exposuimus, nostra propter charitatem minime quærentes, aut quæsituri. Nec enim detrahentibus bonum est detrahere, aut palo (secundum vulgarem fabulam) excutere palum. Absit. Non sunt nostra hæc. Auertat Diuinitas. Non sunt edocti habitus nostri ita vincere, sed in patientia longanimitatis & spiritu humilitatis. Quia sicut minime per duritiam (vt prophetice dicamus) purgatur nigella, ita nec pacis saporatus fructus intelligentiæ per asperitatem exprimitur. Propter hoc enim & verborum supportauimus colaphos, vt vel paulatim valeamus eum imitari, qui D propter nos se humiliare dignatus est, vt extremæ illius vltionis per hanc plagam vera declinemus.

b 2. Cor. 16.

BLANDILOQVENTIA HAERETICORVM ADMIRANDA.

Audiamus igitur & consentiamus Ecclesiæ oratori, qui per linguam spiritus clara voce exclamat, dicens [b]: Omnia a vobis in charitate fiant. Ergo siue quærimus, siue tantummodo dicimus, & tantummodo audimus, charitas intercedat, ars aliqua existens ad compositionem concordiæ boni & coniunctionem. Oportet enim de Deo quærentibus nobis, sparso rectitudinis mentis nostræ denumerantes templum, pacifice inhabitare in eo propter Dominum, qui per prophetam locutus est: Quærens quære, & apud me habita. Speculum enim dedit Deus populo suo: & oportet eos qui a Deo sunt deputati sacerdotium adipisci, ita in humilitate gressum mentis ad inuicē tendere, vt in melius ædificentur hi qui ad nos respiciunt, quam (quod dicere piget) per nostram discordiam semitam pedum eorum E concutere. Ad concordiam inclinemus nos ipsos, & vnum ad charitatem sapiamus: humilitatem veneremur, per quam apprehendi solet altitudo spiritus.

c Psal. 140.
d Psal. 37.
e Eccl. 3.
f Psal. 50.
g Psal. 118.

Si enim & verbo amplius vsque huc taciturnitatem dileximus; hoc quidem bene habere arbitrati sumus, ne scriptis vestris reciprocata respondentibus, iniuriæ fomitem excitemus, & pusillanimitate dijudicemur ab eo qui omnia ad charitatem dirigere promulgauit. Orauimus vero & tunc, ostium [c] circumstantiæ labijs nostris imponi, & verbum tacitū concipere potius, quam vocale: & tamen hoc mihi donum est a Domino, & [d] factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Sed quia tēpus [e] est loquendi, & tempus tacendi: aperio verbum, & claudo ostium per taciturnitatem, competenter exorans: Domine [f] labia mea aperies, vt respondeam [g] exprobrantibus mihi verbum. Licet enim tacuimus, non semper tacebimus, adaperiente nobis Deo claues verbi.

Igitur

A Igitur directis in præsenti a beatitudine fraternitatis vestræ Apocrisarijs (qui post multas factas inter nos de Ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes, in finē ad hoc peruenerunt, admonentes nos atque adhortantes interpretari vnius Christi veri Dei nostri voluntatis intellectū, atque huiusmodi interpretationē destinari vestræ sacratissimæ venerationi) nos acceptā habentes bonæ conscientiæ prædictorū venerabilium virorum admonitionem, cognoscentes autē & quæ principatus Apostolorum summitas docet[a], paratos esse ad satisfactionem omni poscenti nos verbum de spe quæ in nobis est, se- *a 1. Petr. 3.*
cundum Dei timorem mansuetudinem ad bonam scientiam temperantes, super tali tantummodo requisitione mentem nostram per has syllabas exponimus, superfluam excitationem & altercationem verborum propter satietatem & præsentis temporis incongruitatem declinantes ac præcauentes, nihil nostrum intelligentes, aut proferentes, vel dicen- ARROCAT SIBI HAERETICVS TRADITIONES ET SACRA CONCILIA.
B tes, sed quæ audiuimus & cognouimus a sanctis & vniuersalibus magnis Concilijs, & patres nostri narrauerunt nobis, quoniam viæ veritatis intellectus est sapientum, sicut prouerbiorum annunciatori Salomoni atque veritati bene placere dignoscitur. Sed quia tempus iam trahit nos promissionis, & ad aperiendam requisitionem prouocat, incipiamus rectæ nostræ fidei formam scripturæ imaginibus enarrare, sicuti tinctis aliquibus coloribus, paternis testimonijs certius decorantes quæ a nobis dicuntur.

Nos igitur, id est, iurisdictio Ecclesiæ nostræ & Synodus, confitemur vnum consubstantialis & auctoris vitæ Trinitatis Filium ac Verbum sine initio Genitoris Dominum Iesum Christum verum Deum nostrum ex Spiritu sancto & immaculata Dei genitrice semperq. virgine Maria inconuertibiliter incarnatum, perfectum esse eumdem Deitate & perfectum humanitate, vnam personam, vnam subsistantiam compositam in duabus & post vnita-
C tem prædicantes naturis, differentiam vtrarumque naturarum cognoscentes secundum earum proprietatem: nec enim eorum per partem diuisionem, aut in alterutram mutationem, aut commixtionem, siue confusionem penitus intelligimus, aut suscipimus: absit: sed in vno Christo, saluata vtraque natura diuinitatis & humanitatis, & in essentiæ proprio termino secundum subsistantiam inenarrabilis summæ vnitatis conuenientia conseruatis & permanentibus. Mansit enim Verbum quod erat, & factum est quod non erat. Propterea & omnem congruam diuinitati & humanitati operationem ab vno eodemq. procedentem incarnato Deo Verbo dicimus, & in vnum eumdemq. reduci. Ideoq. & diuisio non introducitur, & inconfusio saluatur.

Resipiscat plebs impiorum hæreticorum, sileant cum Nestorio, Diodoro & Theodoro Seuerus & Eutyches, Apollinares execrabiles, ex alterutra dissonantia consonantes HAERETICVS IN HAERETICOS DECLAMAT.
D sibi ad impietatem, alijs confusionem, alijs diuisionem male inducentibus, & bene a veritatis regulis denudati. Vnius autem & eiusdem Dei Verbi incarnati miracula prædicamus & passiones cognoscimus, quas secundum carnem propter nos sponte sustinuit. Ideoq. & Deus dicitur pati, & Filius hominis a cælo descendisse, propter summam & indissipabilem secundum subsistantiam duarum naturarum vnitatem. Vnde & vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum vni eidemq. personæ Domini nostri Iesu Christi applicemus, aut ipsum se expugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus: non enim ad conglomerationem omnino aut confusionem duarum naturarum, quæ in eodem videntur vnius voluntatis, hanc producentes vocem, aut ad interemptionem alterius tantum aliam esse prædicantes; sed hoc per huiusmodi significantes vocem, quoniam caro eius rationabiliter & intelle-
E ctualiter animata, ex ipsa summa vnitate inenarrabiliter omnibus diuinis ditata, vnientis eam sibi secundum subsistantiam diuini Verbi diuinam habebat indiscretam voluntatem, quæ ab ipso semper ducebatur ac mouebatur, vtpote in nullo tēpore eadem diuise & ex proprio impetu contrarie nutui vniti secundum subsistantiam Dei Verbi, naturalem eius faciens motionem, sed quando & qualē & quantam ipse Deus Verbum volebat, ne (quod absit) in blasphemia dijudicemur, quod vtique cauendum, & terribile dicendum: Væ huiusmodi prauitati, vt per necessitatem naturæ violentiam sustinentem introducamus eius humanitatem, & comminantem Petro digno eius increpationi, si vtique per similem recusationem ex verborum significatione passioni eius communicat.

Sic & Euangelicam intelligamus lectionem, vbi dicit[b]: Non vt faciam voluntatem *b Ioan. 6.*
meam, sed eius qui misit me. Sed & in recusatione passionis non diuersam in vnum eumdemq. Christum & resultantem introducentes voluntatem, magis autem recusatiue &

non

STVDET HAERETICVS VIDERI CATHOLICVS.

non positiue huiusmodi susciPiamus vocem. Non enim quasi existens hoc verbum dictum est, sed ac si non est: sicuti, Neque [a] peccatum meum, neque iniquitas mea: vt peritissimus in dogmatibus Theologus Gregorius, sed & omnes doctores, qui passionis verba memorarunt, ex affectione & relatione nostræ massæ hanc susceperunt, sicut & magnus Ecclesiæ Lucifer Athanasius edocuit nos, nostram ostendens pronam in hanc vitam naturam sine passione nolentem a præsenti vita disrumpi, & non vt animatam intellectualiter carnis Verbi impromptam existentem ad totius mundi salutiferam passionem, aut discordantem Patri & inhabitanti Verbo. Sed & huius intellectus acerrimum expositorem & interpretem susciPiamus, id est, bis acutum pugionem spiritalem Cyrillum in sacerdotibus secundum zelotem Phinees [b], qui validissimo linguæ ictu percussit optime meretricem, confusionem, diuisionis intellectum, & verbum prauitatis, in quarto de Anathematibus capitulo, dictis aduersum contradictiones duodecim capitulorum factas a Theodorito, atque probatis a sancta vniuersali Chalcedonensi & Quinta Synodo, luculentius Euangelicam proferens atque adaperiens vocem. Sed & omnes pietatis doctores & prædicatores huiusmodi vnius voluntatis mente detinentur.] Vidisti hominem confarcinatorem mendaciorum, quam perfricta fronte agens non erubescat tantum astruere mendacium, & Patres a sua stare parte mentiri: qui si aliquando vnam dixere voluntatem, id respectu vnius personæ volentis, non ex naturarum confusa proprietate intellexerunt. Sed malus contextor iungit mendaciorum telæ alia fila mendacij, ista subijciens:

[a] Psal. 58.

[b] Num. 25.

Quorum, *doctorum scilicet*, si opus est, requisitione proueniente, & competenter relegimus testimonia, quibus concordes & consonantes facti sunt piæ memoriæ Sergius & Honorius, vnus quidem nouæ, alter autem antiquæ Romæ summi sacerdotij sedem decorantes.] ita quidem, sicut & Pyrrhus eiusdem sedis Episcopus (vt diximus) in disputatione cum Maximo, id sibi subdole de Honorio vendicabat. Sed his ex responsione Maximi superius recitata sit satisfactum, ne eadem repetere ad singulos passus fastidiose cogamur. Pergit vero iam peroraturus vaferrimus hæreticus: Igitur de his ita nos habemus, sic intelligimus, sic prædicamus. In his orthodoxiæ manifestatio, in his Ecclesiæ laus, in his salutis nostræ spes: hæc est spiritus germen nutriferum, hæc Patrum salutaris flos, hic est rationabilium quium viuificus veritatis paradisus. Hæc meditari, in his esse, per hæc illuminari & illuminare oramus: quoniam & hoc facientes & nos saluamur, & audientes prædicabimus. Ad supernam vocationẽ nostrum est studium, vbi pacis cõpositione his qui in studio pietatis bene incesserunt vnica gloriæ tribuitur corona. Deo manifestati sumus, qui iudicat omnia & comprobat. Non iurgialiter stamus, non ad contradictionem respicimus, non fauorem inanem complectimur, sed in verbo Dei propositæ huiusmodi requisitionis resolutionem feciSse dignoscimur, confidentes quoniam pacis Dominus Deus ad alterutrum nostrum vnitatem & dilectionem conseruabit in gloria eius benignissimæ maiestatis. Omnem cum vestra beatitudine in Christo existentem fraternitatem tàm nos, quam qui nobiscum sunt, multum salutamus. *Et subscriptio*. Incolumes in Domino orate pro nobis, sanctissime & beatissime pater *.] hactenus Pauli Constantinopolitani Episcopi epistola, in qua nihil præterea, qui accurate considerat, quam circulatorem pro antidoto venenum distrahentem intelliget. His autem acceptis a Paulo litteris, quibus eius aduersus pietatem rebellis animus magis est declaratus, ab eodem Theodoro Romano Pontifice ob eam causam ipse est condemnatus. Testatur id quidem Anastasius Bibliothecarius. Sed de his inferius.

* frater

CONCILIVM TOLETAN. SEPTIMVM.

Hoc anno in Hispania celebratum est Concilium Toletanum septimum dictum, anno videlicet Chindasuindi Regis quinto, Era sexcentesima octogesimaquarta, cui præfuisse legitur Orentius Episcopus Emeritensis ceteris senior: subscripti reperiuntur Episcopi siue præsentes siue per vicarios numero trigintanouem, statutiq. sunt canones quinque, quos tu consulas. Quæ autem in eo habetur appendix de inuentione librorum sancti Gregorij, suo loco ponenda erit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 647. THEODORI PAP. ANNVS 6. CONSTANTIS IMP. ANNVS 6.

SExcentesimus quadragesimusseptimus Redemptoris agitur annus, Indictione quinta, qui & sextus Constantis Imperatoris numeratur, quo inuadunt Africam Sarraceni, eamdemq. tributariam reddunt: bello quippe ciuili agitata erat prouincia illa, cum occupasset eam Gregorius (vt dictum est) qui ibi gesserat Prætoriam præfecturam. De his nihil præterea, quam quæ habet Theophanes hoc anno verbis istis: Anno sexto Imperij Constantis factus est in terra ventus vehemens, qui multa germina conuulsit, arboB resq. ingentes radicitus extirpauit, atque multos columnatorum deposuit monachorum. *Stylitæ hi dicebantur, qui in columnarum vertice sibi habitaculum construebant.* Eodem item anno Sarraceni hostiliter Africam adierunt, & conflictu agitato aduersus tyrannum Gregorium, hunc in fugam vertunt, & eos qui cum ipso erant interimunt, & hunc ab Africa pellunt, atque tributis in Africa ordinatis & pactis, reuersi sunt.] hæc de Africa subiugata a Sarracenis hoc anno Theophanes. Sed inuisamus iam res Francorum. AFRICA SVBIVGATA A SARRACENIS.

Eodem anno, quo absoluitur Dagoberti Regis Francorum decimussextus, idem Rex decimanona Ianuarij moritur: cuius erga ecclesias munificentia ex eius testamento superius est demonstrata. Eius corpus (inquit Aimoinus [a]) conditum aromatibus sepultum est in ecclesia S. Dionysij in dextero latere sepulchri illius martyris. Denique (vt supra ostensum est) cum se ornatum ire illius memoriam sociorumq. eius pollicitus esset, temC plum eius condidit, vniuersis, quæ in Gallijs tunc temporis erant, excellentius; nullumq. impensis statuens modum, marmoreis illud columnis, similiq. venustauit pauimento, immenso ædificandi sumptu & exquisito fabricandi decore: nec minor illi in alijs quoque ornatibus intentio. Nam vestibus auro textis & pallijs holosericis totum interiorem circumdedit templi ambitum: ordinem psallentium, vti apud S. Martinum Turonis, necnon apud sanctum Mauritium Agaunis, & apud S. Germanum Parisijs agebatur, inibi instituit: prædia vero tam innumera fratribus in eodem loco Deo famulantibus siue matricularijs ecclesiæ contulit, vt deuotio animi eius pluribus admirabilis esset.] hæc de S. Dionysij ecclesia, vbi Dagobertus sepeliri delegit. *a Aimoin. de gest. Franc. lib. 4. c. 33.* DAGOBERTI REGIS OBITVS ET SEPVLTVRA.

Quod vero ad salutem eius animæ pertinet: quæ acciderunt ab oculis hominum separata, Deus sanctis suis per visum voluit nota fieri. Iusta namque diuini iudicij lance est D demonstrata librata sententia, vt qui se antea tot facinoribus monstruosis admodum inquinasset, ijs nondum penitus, quod ad pœnam spectat, expiatis, licet pluribus bonis operibus postea abundasset, purgatorij post obitum pœna (ad breue licet tempus) aduersarijs spiritibus, quibus fuerat antea obsecutus, traditus sit cruciandus: sed purgatus, & sanctis quos coluit in auxilium venientibus, meruit vna cum ipsis ad æternam beatitudinem peruenire. Rem gestam memoratu dignam, fideliter acceptam, & apud eumdem auctorem conscriptam, hic describere dignum putauimus: sic enim ait [b]:

Eodem tempore, quo terminum Dagobertus sortitus est vitæ, quidam illustris Autoaldus nomine, Defensor Pictauiensis Ecclesiæ, partes peragrabat Siciliæ. Qui dum euectu reuerteretur nauali, appulit ad quamdam breuem insulam præsentia & meritis cuiusdam solitarij, qui dicebatur Ioannes, redimitam. A quo, dum de salute animæ cum eo sermoE cinaretur, interrogatus vtrum Regem Dagobertum cognosceret, illeq. se eum optime nosse respondisset: rursum a sene rogatus, mores vitamq. Regis exposuit. Cui senex: Cum, ait, multa vigiliarum ac ieiuniorum, simulq. senectutis fatigatione depressus paulatim membra sopori dedissem, astitit mihi quidam veneranda decorus canicie, monens vt propere surgerem, & pro Dagoberti Regis anima, quæ eadem e corpore exierat hora, Domini exorarem clementiam. Quod cum facere maturato curassem, apparuerunt subito haud procul in pelago deformes truculenta facie dæmones, vinctum Regem Dagobertum per spatia maris agitantes, inflictisq. insuper verberibus ad Vulcania loca trahentes. *b Aimoin. lib. 4. c. 34.* VISIO OSTENSA IOANNI EREMITAE DE ANIMA DAGOBERTI.

Qui distentus cruciatibus, inter agitationes & verbera, quorumdam sanctorum audiebatur postulare suffragia. Cum repente, aperto cælo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia visi sunt descendisse viri decore nitentes mirabili. Requirere cœpi ab eis, qui essent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sent. Qui dixerunt, se illos esse, quos Dagobertus ad suum vocarat auxilium, Dionysium videlicet ac Mauritium martyres, necnon Martinum confessorem. Hi arreptam dæmonibus animam secum ad æthera leuauerunt, canentes hunc psalmum: Beatus quem elegisti & assumpsisti, Domine, habitabit in atrijs tuis. Hæc vir ille venerabilis Ioannes Ansoaldo retulit se vidisse. Qui in Gallias reuersus, sancto Audoeno narrauit (*fuit hic a secretis Regi, & postea sanctitate conspicuus Episcopus Rothomagensis*) qui ea in vna conscripta chartula posteris reliquit in ordinem historiæ redigenda. Ex qua re datur intelligi, nullo modo a sanctis ornatum contemni, quem ad eorum memorias deuoti conferunt viri. Quamquam enim quorumdam calumniatorum & cuncta deuorare cupientium hæc vox sit: Nil (aiunt) Deo vel sanctis eius prosunt aurum siue argentum ligno affixum, seu parietibus dependentia pallia: non tamen sine causa vltione puniti sunt diuina Balthasar vasa de templo Domini rapta in turpes conuertens vsus, vel Heliodorus ærarium Dei diripere conatus, & Antiochus quia Hierosolymitanæ vrbis templum Altissimo consecratum expoliauit, postmodum scatens vermibus expirauit.] optima sane scitaq. argumentatio: si enim Deus vt sacrilegos ingenti supplicio affecit ecclesiarum ornamentorum expilatores; ergo maximis præmijs augebit religiosos viros eorumdem largitores. Ad postremum autem hæc auctor: Dagobertus vero eo specialius sanctos sibi auxiliari poscebat, quorum basilicas plus ceteris se opibus ditasse meminerat.] hæc ille.

TEMPLORVM ORNATVS DEO GRATVS.

Cui, si hoc tempore vixisset, quantum fuisset altius declamandum aduersus perfidos Nouatores, qui nullam post obitum pœnam purgatoriam animarum admittunt, sanctorumq. suffragia negant, nec precibus iuuari animas defunctorum impie docent? quorum insania vel vna saltem hac historia omni fide testata relicta, & a sanctis accepta, reselli ac confutari penitus potuisset: ex qua etiam illorum de purgatorijs pœnis sententia prorsus infirmatur, qua asserunt nullam tribui facultatem dæmonibus post obitum animas cruciandi; cum tum hoc facto, tum alijs pluribus vel a Beda vel ab alijs enarratis eadem opinio confutetur. Fuit autem tantæ fidei eiusmodi a Ioanne narrata, ab Ansoaldo in Gallias lata, a sancto autem Audoeno primum scriptis mandata historia, vt Ludouicus Imperator in epistola ad Hilduinum Abbatem monasterij sancti Dionysij, eius, vt rei haud dubiæ, voluerit meminisse: dum enim ipsum sanctum Dionysium præconijs tollit, hæc inter alia habet: Prædecessores autem nostri gloriam huius eximij & amici Dei Dionysij non inaniter coluerunt: qui dum eius sacras exuuias in terris ob amorem & honorem Domini nostri Iesu Christi opibus quibus poterant honorauerunt, per eius preces dignissimas honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cælestibus meruerunt. Vt videlicet vnus ex priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eumdem pretiosissimum Christi martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per eius adiutorium (sicut diuina ac cælestis ostensio perhibet) a pœnis est liberatus.] hæc Ludouicus Augustus in dicta ad Hilduinum epistola, quæ habetur præfixa Areopagiticis ab eodem Hilduino conscriptis.

DE VERITATE NARRATAE HISTORIAE.

Quod vero ad Audoenum pertinet, qui fuit Dagoberto Regi (vt dictum est) a secretis, antequam crearetur Rothomagensis Episcopus: extitit illi fidelissimus monitor, & bonorum omnium conciliator: cuius ad eum admonitionum habetur indiculus in ipsius Audoeni vitæ Actis, quem tu consulas, vt videas de quibus a fidelibus monitoribus admonendi sunt Principes, ne delirent. Defuncto autem Dagoberto, duo filij ipsius, Sigebertus & Clodoueus, successerunt in regnum, qui a patre heredes fuerant instituti, de quibus suis locis inferius dicendum erit.

SIGEBERTVS ET CLODOVEVS REGNANT.

IESV CHRISTI ANNVS 648. THEODORI PAP. ANNVS 7. CONSTANTIS IMP. ANNVS 7.

ANnus sequitur Redemptoris sexcentesimus quadragesimusoctauus, Indictione sexta: quo a Constante Imperatore, impellente Paulo Constantinopolitano Episcopo, editum est de fide edictum, quod Typum vocarunt, iusta illa causa prætensa, vt omnes Christiani orbis Ecclesiæ simul in vnam eamdemq. sententiam vnirentur, paxq. firma in Ecclesia esset, nimirum vt silentium de excitata controuersia indiceretur tam ijs qui vnam, quã ijs qui duas in Christo voluntates assererent. Porro cũ idem missus est Romam

DE TEMPORE PROMVLGATI TYPI.

Typus

A Typus, tantum abeſt vt reciperetur, vt etiam Paulus eius auctor, necnon Pyrrhus vna cum ipſo pariter, collecta Synodo, damnarentur. Hæc ſummatim de his quæ hoc anno eſſe geſta reperiuntur. De quibus primum omnium quod ad rationem temporis ſpectat, certa eſt de ea aſſertio in Actis publicis ſancti Maximi martyris, in quibus iſta leguntur: Dicentibus illis: Non communicas ſedi Conſtantinopolis? Reſpondet Maximus: Non communico. Dicunt: Quamobrem? Et reſpondit: Quia ſanctas quatuor Synodos eiecerunt per nouem Alexandriæ facta capitula, & per Ecthesin, id eſt, expoſitionem a Sergio in hac vrbe factam, & per Typum deinceps ſexta Indictione expoſitum: & quod ea quæ per Ecthesin dogmatizauerant, per Typum repudiarunt, ac ſe ipſos toties deſtruxerunt. Qui ergo a ſe damnati ſunt & a Romanis, & ab ea Synodo quæ poſtea facta eſt ſexta Indictione depoſiti ac ſacerdotio nudati, quomodo myſtagium conficiunt? &c.] hæc de
B tempore. quod vero ad rem geſtam pertinet, eadem ſic ſe habuit:

Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum vidiſſet ex litteris tum a Rom. Pontifice tũ etiam a Concilijs Africanis ſcriptis vniuerſam Occidentalem Eccleſiã aduerſus ſe concitatam, dolũ excogitauit: perſuaſit enim Imperatori Conſtanti, edictum proponere, quo ſignificaretur tacendũ eſſe de ea altercatione quæ vertebatur de vna ſiue duabus voluntatibus, itemq. affixa maioris eccleſiæ ianuæ ſcripta, quibus manifeſte hæreſis laudaretur, auferri præciperet; ea id agens calliditate, vt quoquo modo, vel ſilentio ſaltem damnari videretur de duabus voluntatibus expreſſa ſententia. Hanc quidem mentem & artem fuiſſe ſubdoli hominis, Acta Concilij Lateranenſis ſub Martino Papa declarant, vbi Patres de Paulo iſta locuti ſunt: His etiam neceſſitate quadam annuiſſe Imperatorem, quod videret omnes Africanos Epiſcopos eius eſſe ſententiæ eo tempore, quo aduerſus Imperium re-
C bellaſſet Gregorius, qui eam prouinciam adminiſtrabat, ratus nimirum neceſſe eſſe ipſos mitigare potius, quam aperta defenſione hæreſes amplius concitare; quorum gratia & vt hæreſis ſcriptis prodita in valuis eccleſiæ, ad tẽpus ſileret, amotis ſcriptis illis, doloſe præcepit.] hæc ibi: ſed de cõſilio & calliditate Pauli hæc rurſum habẽt Patres [a] ijdẽ qui ſupra:

ARTES PAVLI EPISC. CONSTANTINOP.

[a] *Concil. Rom. ſub Martin. Secret. 4.*

Veraciter enim (ſicut de eo, *nempe Paulo*, ſuggeſtiones & accuſationes pronunciant) & incipiens acriter nouitatem defendere ſtuduit, & perficiens doloſe Typum fieri perſuaſit. Stillicidium namque aſſiduum concauat petram.] & paulo poſt: Quoniam & ipſum Typum in euerſione paternorum dogmatum fieri ſine dubio perſuaſit: qui derelinquentes Catholicæ Eccleſiæ paternas Synodalesq. definitiones ac ſermones, ad ſæculares Typos callide properauerunt, pariter quidem tam ſuam occultantes perfidiam, quamq. alijs inique irrogantes querelas, &c.] Exemplar autem promulgati ab Imperatore Typi habe-
D tur recitatum a Theodoro Notario in Secretario quarto dicti Lateranenſis Concilij ſub Martino, ſed rudi tranſlatione in Latinum facta redditum in aliquibus locis ſubobſcurum, quod ſic ſe habet:

Conſuetudinem habentes de omnibus curam agere, & intendere quæ reſpiciunt ad vtilitatem Chriſtianiſſimæ noſtræ Reipublicæ, & præcipue quæ feruntur ad immaculatam noſtram fidem, per quam nobis omnia proſpera fieri credimus, cognouimus in multa perturbatione eſſe noſtrum Orthodoxum populum, vtpote dicentibus quibuſdam vnam voluntatem in diſpenſatione magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & eamdem * ipſam operari diuina & humana: Alijs autem dogmatizantibus duas voluntates & duas operationes in eadem diſpenſatione incarnati Verbi, & illis quidem in ſatisfactione propter vnam perſonam eſſe Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ in duabus naturis inconfuſe & indi-
E uiſe volentem & operantem diuina & humana: Alijs autem propter conuenientes naturas indiuiſe in ipſa vna perſona, & vt ſaluetur & maneat earum differentia ſecundum naturas, eumdem ipſum vnum Chriſtum naturaliter operari diuina & humana: & ex hoc in multam diſſenſionem & contentionem noſtram Chriſtianiſſimam Rempublicam perduci, vt diſcordantes inuicem non conuenirent, & ex hoc ſecundum multos modos eam lædi oportere.] experiebatur quidem Imperator, quantum ſibi afferret detrimenti in Africa Orthodoxum populum a ſe ea de cauſa auerſum penitus eo tempore inueniri. ſed pergit:

TYPVS A CONSTANTE PROMVLGATVS.

* eumdẽ ipſum

Igitur arbitrati ſumus, ab omnipotente Deo inſpirati, ſicut talem accenſam diſcordiæ flammam extinguere, & non concedere eam vlterius humanas animas depaſci. Quapropter ſancimus, nobis ſubiectos, qui conſiſtunt in Orthodoxa & immaculata noſtra Chriſtianorum fide, qui ſunt Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, non habere licentiam inuicẽ a præſenti de vna voluntate, aut vna operatione, aut duarum voluntatum, aut duarũ operationum

SILENTIVM CATHOLICIS ET HAERETICIS INDICIT IMP.

tionum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionē, aut rixam. Hæc autem A
ſancimus, nihil aliud intercipientes penitus de pijſſimis dogmatibus, quæ a ſanctis probabilibus Patribus de diſpenſatione incarnati Dei Verbi dogmatizata ſunt, ſed vlterius contentionem, quæ gratia propoſitæ quæſtionis orta eſt, ceſſare præcipientes, & tantummodo de eis ſequi, & ſufficienter habere diuinas Scripturas & traditiones ſanctorum quinque vniuerſalium Conciliorum, & ſimplicibus ſine quæſtione ſanctorum probabilium Patrum vti vocibus, quorum dogmata regula & lege ſanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſiſtunt, nihil eis addentes proprium, neque minuentes, aut per ſuam intentionem eas interpretantes, ſed priorem habitum vbique cuſtodiri, ſicuti antequam procederet contentio prædictarum quæſtionum, quaſi nulla de eis exorta contentio. Nulli de omnibus, qui vſque ad præſens vnam voluntatem & vnam operationem, aut duas voluntates & duas operationes dogmatizauerit, ſub qualemcumque querelam huius gratia B
aut accuſationem facito, niſi tantummodo qui ex ſanctis quinque vniuerſalibus Concilijs & ceteris Orthodoxis probabilibus Patribus electi ſunt hæretici cum impijs eorum dogmatibus atque ſcriptis, & (vt compendioſe dicamus) quod ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia non accepit, ſed abiecit.

SCRIPTA APPENSA IN ECCLESIA SVELATA.

Ad perfectam autem vnitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum, & communem concordiam, & vt nulla occaſio relinquatur eis qui ſine fine volunt contendere, & chartas quæ poſitæ fuerunt in narthica ſanctiſſimæ magnæ eccleſiæ huius a Deo conſeruandæ regiæ noſtræ vrbis, quæ continent prædictas quæſtiones, iuſſimus leuari. Qui autem ea præſumpſerint præuaricari, primum quidem ſubiaceant iudicio terribili omnipotentis Dei, deinde autem etiam qualemcumque regalem indignationem reuereantur; per quam, ſiquidem Epiſcopi aut clerici ſunt, ſui ſacerdotij, ſiue ſui cleri modis omnibus excidant: C
ſin autem monachi, ſegregentur, & alieni ſint de ſuis locis: ſin autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis. ſi autem ſint priuati, ſi quidem nobiles conſiſtunt, ſuarum ſubſtantiarum proſcriptionem patiantur: ſin autem ignobiles conſiſtunt, non ſolum in corpore verberentur, ſed exilio perpetuo caſtigentur: vt omnes timore Dei compreſſi, & comminata eis digna ſupplicia reuerentes, immobilem & ſine turba pacem ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodiant.] hucuſque Imperatoris Typus ſuaſione Pauli pſeudoepiſcopi promulgatus, qui licet foris appareat æquus & pacis conciliator, quid tamen de eo ſenſerit dicta Lateranenſis Synodus ſub Martino, hic ex eius Actis opportune aperiendum eſt: ſic enim ſe habent [a]:

a Concil. Lateran. ſub Martin. Secret. 4.

DE TYPO IVDICIVM.

Sancta Synodus dixit: Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoſcitur, diſſonantem autem virtutem intentui continet. Bonum eſt namque proculdubio, & omnibus timentibus Deum deſiderabile, cohibere diſſenſiones & altercationes pro cauſa fidei: ſed non eſt vtile & bonum, cum malo deſtruere bonum, id eſt, cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata: quoniam hoc potius exurit, non enim mitigat in merito controuerſiarum ſtantium *, nullo videlicet patiente denegare cum impietate hæretica venerabile verbum fidei. Simile namque eſt, & inhoneſtum malum amplecti, & cum eodem bonum indiſcrete proijcere: quoniam vtrumque iuſtitiæ perimit traditionem. Vnde
b Geneſ. 18. & magnus Abrahã in hoc hæſitans, Domino appropinquans, ait [b]: Num perdes iuſtũ cum impio, & erit iuſtus ſicut impius? Nullo modo tu facies ſecundum hoc verbum, vt occidas iuſtum cum impio, & erit iuſtus ſicut impius: Non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram: non facies iudicium hoc. Nam ſi quidem per approbationem ſcripturæ, hoc eſt, paternæ doctrinæ, reprehenſibile pariter aut laudabile vtrumque oſtenderet, bene vtique E
fuiſſet Typus expoſitus, propter vtriuſque approbatam per ſpiritales ſermones reprehenſionem, aut per ſpiritales patres vtriuſque taciturnitatem definiens, aut e contrario pro eorum laudabilitate vtriuſque profeſſionem. Si autem nihil horum penitus demonſtrauit, ſed taciturnitate pariter prohibuit vnam aut duas dicere in Chriſto Deo operationes & voluntates, ſufficit nobis Patriarchæ voce ſereniſſimum Principem alloqui, &c.] multa enim alia contra Typum afferentes ijdem Patres in Synodo conſidentes, ipſum anathemate damnauerunt.

Sed hic fortaſſe quis obijciat, vel ſaltem ex Actis Synodi huius redarguendum eſſe Honorium Rom. Pontificem, quod de vtraque ſententia tacendum eſſe ſuis epiſtolis viſus ſit præcepiſſe, atque vtrique parti omnino indixiſſe ſilentium: vt plane idē videatur iudicandum de Honorij epiſtolis, atque de Typo Conſtantis Imperatoris. Sed in his maximopere

refert

A refert (quod & superius pluribus dictum est) vt temporum ratio habeatur: nam sancte pieq. dici potest iussum ab Honorio de vtroque taceri eo tempore, quo inciperet eiusmodi controuersia alicubi ventilari: haud enim de omnibus quæstionibus, quæ curiositate disputantium oriuntur, necesse est ab Ecclesia definitionem promulgari, cum plurima adhuc videamus indecisa relinqui,& moneamur ab Apostolo sapere ad sobrietatem, hoc est, quæ sunt ab Ecclesia definita sectari. Satis namque ad sobrietatem sapere erat, de duabus in Christo naturis asserere, quæ a sacrosancto Concilio Chalcedonensi fuerant definita. Vbi vero indictum de curiosa disputatione silentium ab aduersarijs violatum est, immo & per publicas assertiones publice affixas in ecclesiæ portis hæresis palam est promulgata, & Conciliorum sententijs stabilita, haud aliquis locus potuit esse silentio,sed damnandus error omnino fuit,& recta sententia promulganda: secus autem antea, B cum nulla certa firmata assertione, anceps adhuc disputatio videretur, prout Honorij temporibus fuisse monstrauimus: at non sic Martini tempore,quo non profiteri quod sciretur omnino esse Catholicum, nec damnare quod certo constaret hæreticum esse, haud absque offensa Catholicæ pietatis (vt ijdem Patres definiere) fieri potuisse certissimum est.

PRO DIVERSITATE TEMPORIS CAVSA IVDICANDA.

Adde insuper de promulgato Typo fallaciam, quæ sub verborum inuolucro ab hæreticis erat inclusa: referat eam sanctus Martinus Papa in dicto Romano Concilio, vbi in quinto Secretario in Synodali epistola hæc habet: Per impissimum Typum, qui ex maligna instigatione illorum factus est contra immaculatam nostram Christianorum fidem a serenissimo Principe, definientes in eodem Typo nec vnam nec duas voluntates aut operationes, hoc est, neque diuinam neque humanam voluntatem & operationem in ipso Saluatore nostro quempiam omnino confiteri. Hæc autem prædicaue- C runt,vt non solum in humana eius natura, sed etiã in vtraque, omnino eum sine voluntate & operatione,hoc est,absque natura & essentia esse denuncient,quatenus cũ perfidis hæreticis & Orthodoxos Patres abijciant.] Manichæorum enim ea erat assertio,quam longissime fuisse a sensu Honorij Papæ, quis dubitat,quæ vix credi poterat fuisse hæreticis insita?

Sed quid post hæc accidit? Vbi Romam ad Theodorum Papam scriptæ anno superiori litteræ Pauli Constantinopolitani Episcopi hæretici perlatæ essent: cum Theodorus ipse desperatam eius curationem perpenderet, Synodum indixit in præsentem annum: vbi collectis Episcopis (nescitur eorum numerus) cognitisq. ijs quæ aduersus eum attulissent & declamassent Episcopi Africani, visis pariter quæ ad eius emendationem ipsemet sanctus Theodorus Pontifex, mittens ad eum Apocrisarios, conscripsisset: haud amplius visus est impius tolerandus, sed ex sacris præscriptisq. canonibus iudicandus. Quamobrem D damnata in Concilio hæresi Monothelitarum, eiusdem sectatores pari sententia esse mulctandos censura Apostolica persuasit: sicq. in eumdem Paulum lata est a sancta Synodo damnationis sententia, qua anathemate feriretur, & a sede æque deponeretur. Hæc Romæ hoc anno facta esse de Paulo, Anastasius Bibliothecarius (vt dictum est) in Theodoro testatur his ipsis verbis:

SYNODVS ROMAE, IN QVA PAVLVS DAMNATVR.

Sanctissimus Papa Theodorus scripsit Paulo Patriarchæ regiæ ciuitatis, tam rogans, quam regulariter increpans, necnon per Apocrisarios (vt dictum est) per hoc maxime destinatos præsentialiter admonens & contestans, quatenus proprium emendaret commentum,atque ad Orthodoxam fidem Catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a suo conamine quoquo modo reuocare. propter quod iuste ab Apostolica sede ipse depositionis vltione perculsus est.] hæc Anastasius. Quod E autem ad Apocrisarios Constantinopolim missos pertinet: constat quidem eiusdem testificatione Anastasij,eo munere functum esse Martinum, qui successit eidem Theodoro Romanus Pontifex. ita sane Anastasius in Martino.

Quod vero ad damnatos Romæ in Synodo Episcopos spectat: non Paulus Patriarcha tantum ea est affectus sententia, sed & qui infeliciter in errorem pristinum post recantatam palinodiam relapsus est Pyrrhus eiusdem Ecclesiæ Patriarcha æque damnatus. Sed quæ præcesserunt Pyrrhi damnationem, dicamus. Cum enim Constantinopoli auditum esset, Pyrrhum ipsum Romæ obtulisse Theodoro Pontifici libellum pœnitentiæ, ab eoq. susceptum, misit Imperator successorem Platoni Exarcho Olympium hæreticum audacissimum; qui vbi Rauennam se contulit, omne adhibuit studium vt perficeret quod sciret esse gratum Imperatori, vt eumdem Pyrrhum in errorem pristinum reuocaret. Id vt implere posset, Rauennam ab Vrbe trahere hominem labo-

LAPSVS PYRRHI.

rauit: quod vbi fuit ex animi sententia consecutus, qua pollebat auctoritate aggressus ipsum, numquam deseruit, quousque effecerit desertorem fidei, & assertæ præuaricatorem Catholicæ confessionis, adigens eum, vt publice detestaretur, quod nuper in Africa primum cœpisset, Romæ autem consummasset. Ita accidit misero, vti homini illi, qui Hierosolymis discedens, Hierico incidit in latrones, a quibus spoliatus est, vulneribusq. confossus: at non sicut ille est semiuiuus relictus, sed penitus iacuit interfectus. A

De Pyrrhi lapsu post pœnitentiam ex Theophane testantur Annales Græci, tradit & Anastasius in Theodoro, sed & Maximus ipse in eadem nuper citata epistola ad monachos Siculos: cum enim se excusat de Pyrrho laudato, hæc habet ad finem: Si quis vero ab eo quod mihi propositum fuit, aberrans, illam meam laudationem ægre fert, consilij mei & prouidentiæ rationem minime approbans: dimittat is & abijciat (vt ei videtur) istam laudationem, quæ ne nobis quidem deinceps placebit, sed potius molesta & difficilis, posteaquam plane euersus est ille. confirmate vero & rata habete, quæ recte illi a nobis tradita sunt, quæ sunt præcipua & approbata, & quæ præcipue illustrium Patrum confessione demonstrata. Habetis, patres sancti, quomodo vos omni dubitatione per meam defensionem liberauerim.] B

Vbi autem hæc de perditissimo Pyrrho perlata sunt Romam, Theodorus Pontifex (vti dictum est) conuocata rursum Ecclesia, nefandum scelus aperuit, & Apostolica auctoritate vna cum auctore in Synodo condemnauit. Tradit id Anastasius, vbi ait: Postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum Pyrrhus repedauit: quem sanctissimus Theodorus Papa, conuocans vniuersos sacerdotes & clerum, in ecclesia beati Petri Apostolorum principis condemnauit sub vinculo anathematis iuxta mercedem & retributionem propriæ transgressionis, canonicam pœnam siue depositionem decernens. Qui quidem Pyrrhus reuersus est in partem Orientis.] vbi in gratiam Imperatoris receptus, post obitum Pauli, in mercedem impietatis pactam Constantinopolitanam resumpsit sedem; qua quidem veluti porrecta esca, hamo infelix est captus. C

THEODORVS PAP. EXCOMMVNICAT PYRRHVM.

Sed & Martinus Papa in Lateranēsi Synodo, ipsa prima Actione de Pyrrhi causa agens, totam historiam a principio breuiter verbis istis cōplexus, hæc ait: Pyrrhus denuo, pluribus Episcopis terrore & blandimentis dolose ab eo deceptis, huiusmodi impietatem actis & subscriptionibus proprijs eorum, qui ab eo decepti, siue vim passi sunt, confirmare studuit, extollens aduersus scientiam Dei malignam professionem suam. Propter quod antea confusus, quia vituperabile est omne malum, vti damnabile, festinauit pro hoc ipso huc aduenies, emendare proprium commissum, & libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicæ nostræ sedi, condemnans in eodem libello omnia quæ a se vel a decessoribus suis scripta vel acta sunt aduersus immaculatam fidem nostram. His itaque ab eo peractis, postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedauit, iustam mercedem ac retributionem propriæ transgressionis canonicam pœnam siue depositionem decerpens.] hæc Martinus Papa. Quod ad damnationis sententiam spectat, his iungamus Græcorum Annales, qui aliquid amplius quam Anastasius habent his verbis[a]: D

[a] *Theoph. an. 20. Heracl. Imp.*

Pyrrhus cum Roma discessisset, & Rauennam peruenisset, vt canis ad vomitum suum reuersus est. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine conuocata Ecclesiæ, ad sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & diuino calice expostulato, ex viuifico sanguine in atramentum stillauit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati facit.] hanc excommunicationem Pyrrhi tunc per Theodorum Papam Romæ factam Annales habent. Sed de sanguine Christi ex calice distillato in atramentum in signum maledictionis & damnationis æternæ, in ritibus sacris Ecclesiæ Romanæ haud aliqua huiusmodi de his reperitur esse præscripta lex, vel factum ipsum aliquo alio quod sciamus declaratum exemplo. Verum desunt ista in Anastasio. E

At quid post hæc Constantinopoli? Vbi illic auditum est, Romæ a Theodoro Pontifice Typum ab Imperatore missum non tantum non receptum, sed conuocata Synodo, fuisse damnatum, insuper Paulum Constantinopolitanum Episcopum pari sententia affectum: vix credi potest, quanta tum ipse Imperator ob contemptam maiestatem, tum Patriarcha & alij eiusdem hæresis defensores, fuerint indignatione commoti: quam etiam magis auxit facta condemnatio Pyrrhi, quem magno labore reuocauerant in errorem. Horum gratia, in eos qui proxime essent, primum omnium persecutio commota est, aduersus inquam ipsos Apocrisarios Apostolicæ sedis iam antea ab eodem

Theo-

A Theodoro Romano Pontifice (vt vidimus) Conſtantinopolim ad Paulū miſſos; quæ & propagata eſt etiam in alios Orthodoxos ibi manentes. Cum autē Anaſtaſius iſta ad Martini Papæ Theodori ſucceſſoris referat tempora, erroris arguitur ex eiuſdem Martini Pontificis litteris inferius recitandis, quibus quidem non iſta paſſos ſuos a ſe miſſos Apocriſarios teſtatur, ſed ſeductos dolet. Sed quomodo iſta acciderint, a nullo fidelius, quam a ſanctiſſimo Papa Martino audiemus: ipſe enim in Lateranenſi Synodo, eius exordio concionatus ad Patres, referens quæ impie ab hæreticis præſumpta eſſent, de nefario Paulo eiuſmodi texit hiſtoriam:

Paulus autem prædeceſſores ſuos in his ſuperare contemnens, non ſolum in ſcripto per propriam epiſtolam ad hanc directam noſtram ſedem confirmauit & ipſe contra ſe ſuperius memoratæ Ecthеſeos irrationabilem hæreſim, ſed etiam contradicens in ſcripto
B aduerſus recta ſanctæ Dei Eccleſiæ dogmata audacter præſumpſit paternis definitionibus contraire. propter quod iuſta ab Apoſtolica ſede & ipſe depoſitionis vltione percuſſus eſt. Inſuper ſtuduit ad cooperimentum proprij erroris, & in hoc Sergium imitatus, quibuſdam ſubreptionibus vti, & clementiſſimo Principi ſuadere Typum exponere, qui Catholicum dogma deſtrueret: in quo Typo omnes omnino voces ſanctorum Patrum cum nefandiſſimorum hæreticorum dictionibus eneruauit, nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in Chriſto Deo noſtro difiniens confiteri: ac per hoc ſine voluntate penitus & operatione Chriſtum denunciando, id eſt, abſque ſubſtantia & natura eum prædicare noſcuntur. Quod enim nullam virtutem habet (ſicut beatæ memoriæ Dionyſius ait) nec eſt, nec quicquam eſt, nec aliqua eſt eius omnino ſtabilitas. Nec enim aliter natura cognoſcitur eſſe ſecundum veram ſubſtantiam conſiſtens, niſi per inhæren-
C tem ſibi naturalem & ſubſtantialem virtutem, quæ videlicet & confirmare eam naturaliter aſſolet.

Qua de re huiuſmodi prauitatem ſuam defendens, quod numquam nec a prioribus hæreticis præſumptum eſt, ipſe illicite præſumere ſtuduit. Altare enim ſanctæ noſtræ ſedis in domo Placidiæ ſacratum (*Placidiæ palatium erat Romani Pontificis, in quo Apocriſarij habitare ſolebant*) in venerabili oraculo ſubuertens, diripuit: prohibens, ne adoran- SEDIS.
dam & immaculatam hoſtiam, id eſt, ſacram celebrationem, Apocriſarij noſtri ibidem Deo offerre valeant, & viuificæ diuinæ communionis ſacramenta percipiant. Quos videlicet Apocriſarios, quia ex præceptione Apoſtolicæ auctoritatis commonuerunt eum, vt de tali hæretico intentu recederet, necnon conteſtari viſi ſunt, perſecutionibus diuerſis cum alijs Orthodoxis viris & venerabilibus ſacerdotibus inſecutus eſt eos, quoſdam eo-
D rum cuſtodiæ retrudens, alios in exilio deportans, alios autem verberibus ſubmittens.

QVAE PASSI APOCRISARII APOST.

Et quid me oportet multa differendo ſermonem extendere, dum conſtent omnibus quæ ab ipſo publice, necnon deceſſoribus ipſius per tot tēpora contra Orthodoxos viros atque Catholicam fidem perpetrata ſunt? Quibus pene omnibus omnem mundum conturbantibus atque ſolicitantibus, neceſſitate compulſi ex diuerſis locis querelas contra eos ſeu accuſationes ad Apoſtolicam noſtram ſedem plurimi Orthodoxi detuliſſe monſtrantur, & tam in ſcripto deprecantes & coniurantes, quamq. & cominus poſiti poſtulantes, vt totius mali, tantæq. euerſionis per Apoſtolicam auctoritatem abſcindatur commentum, quatenus minime totum corpus Catholicæ Eccleſiæ nocibilis eorum Ecthеſeos languor diſrumpere valeat, &c.] At vero hæc eadem recitat Anaſtaſius in Martino, quaſi ſub ipſo acciderint: verum iſta de Apocriſarijs hoc anno Conſtantinopoli facta eſſe, certiſſimum
E eſt: nam de Apocriſarijs ab ipſo Martino Pontifice miſſis longe aliter (vt dictum eſt) accidit, cum illi non reſtiterint impijs, ſed ab ijs ſeducti præuaricati ſint, vt ſuo loco dicetur. Quomodo autem aduerſus Paulum vniuerſo declamante Chriſtiano orbe, oportuerit pleniorem Synodum Romæ cogere, dicemus anno ſequenti.

DECLAMATIO OMNIVM CONTRA HAERETICOS.

Eodem hoc inſuper anno, qui ſeptimus Conſtantis Imperatoris numeratur, Sarracenorum Princeps inſulam Cyprum inuaſit, captamq. Conſtantiam ciuitatem demolitus eſt. Ita ſiniſtra omnia ceſſere infeliciſſimo Imperatori, dum bellum aduerſus Catholicam fidem veluti iuramento ſancitum in dies magis augeret: ex quo factum eſt, vt ex eius impietate vires infidelibus adderentur.

SARRACENI INVADVNT CYPRVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

IESV CHRISTI ANNVS 649. | MARTINI PAP. ANNVS 1. | CONSTANTIS IMP. ANNVS 8.

THEODORVS PAPA MORITVR.

SExcentesimus quadragesimusnonus annus Domini agitur, Indictione septima, eodemq. octauus Imperatoris Constantis absoluitur, & nonus inchoatur: quo Theodorus Papa, vbi sedisset annos septem, menses quinque, dies viginti, pridie Idus Maij ex hac vita migrauit. De cuius rebus gestis, præter illa quæ annis singulis recensita sunt, Anastasius ista habet: Eodem tempore leuata sunt corpora sanctorum martyrum Primi & Feliciani, quæ erant in arenario sepulta via Numentana, & adducta sunt in vrbem Romanam: quæ recondita sunt in basilica beati Stephani protomartyris, vbi & dona ob- B tulit, Gabatas tres, tabulam ex argento ante Confessionem, arcus argenteos duos. Fecitq. ecclesiam a solo beato Valentino via Flaminia iuxta pontem Miluium, quam & ipse dedicauit, & multa dona obtulit. Fecitq. oratorium beato Sebastiano intra Episcopium Lateranense, vbi & dona largitus est. Fecitq. oratorium beato Euplo martyri foras portam beati Pauli Apostoli, quod etiam ornauit.] Et post alia superius enarrata, hæc subijcit: Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, creauit presbyteros viginti unum, diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca numero quadraginta sex.] ac demum vacasse sedem ponit mensem vnum & dies sexdecim.

IARTINI PAPAE CREATIO.

Sicq. dicendum erit, eum qui in locum ipsius successit, creatum fuisse die prima mensis Iulij. fuit iste Martinus, patria Tudertinus, quæ est ciuitas in Tuscia. Qui vbi thronum Apostolicum conscendit, Synodum indixit celebrandam hoc eodem anno ad tertium No- C nas Octobris, inchoata iam Indictione octaua, & exordio anni noni Constantis Imperatoris: eo namque tempore dictam Synodum Lateranensem celebratam esse, eius Acta perspicue docent, quibus eiusmodi principium præpositum legitur: In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, Imperij domini Constantis * pijssimi Augusti anno nono, sub tertio Nonas Octobris, Indictione octaua.]

SYNOD. LATERAN. SVB MARTINO.

* Constantini

Causa autem eius cogendæ Synodi, non tam fuit vt Sergius, Pyrrhus, & Paulus damnarentur, qui iam fuerant condemnati, quam vt recens credendi formula ab Imperatore suo edicto proposita, quam Typum nominauit, omnino proscriberetur, atque anathemati subijceretur. Etenim eo magis ad eundem Typum condemnandum exarsit animus Mar- D

TENTATVR MARTINVS AB IMPERATORE.

tini Papæ, quod mox vt creatus est Pontifex, vbi ex prauo vsu illo & vsurpata tyrannice auctoritate Imperator eius electioni consensit, quasi pro quodam gratitudinis præmio ab eo exigere conatus est sui subscriptionem edicti, litteris de his agens apud ipsum Martinum: qui execratus facinus, tantum abfuit vt ipsi consentire voluerit Imperatori, vt potius in contrarium nisus, indixerit Synodum, in qua promulgatam perfidiam condemnaret. Hæc autem ita se habuisse, Acta sancti Audoeni Episcopi Rothomagensis significant verbis istis [a]:

[a] *Extant apud Sur. tom. 4. die 24. Aug. c. 8.*

Cumq. ea de re a Paulo & ceteris infausti dogmatis assertoribus, cum auctoritate etiam Imperatoris Constantis * tertij nepotis Heraclij, beato Martino Pontifici Romano scripta dirigerentur, vt ipse huic sententiæ assentiret & subscriberet: gustum mortiferæ suasionis summa cum execratione respuit, ita dicens: Etiam si totus orbis dogmata peregrina & a fide aliena complecti velit, se nec minis cuiusquam, nec blandimentis, nec morte ipsa, a doctrina Euangelica & Apostolica vllo pacto posse auelli. Mox vero ad Franco- E rum Regem legatos mittens, rogat, vt viros in fidei puritate fundatos, verbo & sapientia prouidos quamprimum ad se mittat, vt cum illis & totius Italiæ Præsulibus, Domino auxiliante, aliquam aduersus tantæ prauitatis venena antidotum adhibere possit. Rex igitur cunctis regni sui sacerdotibus in vnum coactis, quid legati tanti Pontificis afferant, exponit: iubetq. vt ex semetipsis viros tales eligant, quos ad suscipiendum tantæ rei munus puritate fidei & verbi sapientia idoneos norint. Tum illi vno animo beatum Audoenum cum sancto Eligio ei rei destinandos eligunt.] Porro quoddam interceßisse impedimentum ne ijdem Romam proficiscerentur, ibidem auctor docet, necnon ipse Audoenus [b] in vita quam scripsit sancti Eligij idem affirmat: verum id post Synodum Romæ celebratam a Martino Papa expetitum a Francorum Regibus ibidem traditur, vt dicemus inferius suo loco, cum agemus de epistola eiusdem Pontificis ad S. Amandum data.

[b] *Audoen. in Vit. S. Elig. c. 33. apud Sur. die 1. Decemb.*

Interfuisse

* Constantij

A Interfuisse huic Romano Concilio Episcopos centum quinque, in eius Actis habetur, tot idemq. numerat Anastasius: a Theophane [a] autem ponuntur centum & decem, qui & tradit sanctum Maximum Abbatem, de quo superius, ad Synodum hanc cogendam induxisse Martinum Pontificem. hæc enim ex eo leguntur in Heraclio, vbi res Monothelitarum summatim recensetur: Cum autem Maximus Romam peruenisset, Papamq. Martinum ad æmulationem accendisset, Synodo centum decem Episcoporum collecta, Sergium, Pyrrhum, & Cyrum, & Paulum anathematizauerunt, &c.]

a Theoph. anno 19. Heracl.

NVMERVS EPISCOPORVM ROM. CONCIL.

Ijsdem consentientia hæc leguntur in rebus gestis eiusdem sancti Maximi quam fidelissime scriptis: Postquam autem euenit vt Theodorus Præsul Romæ e vita migraret, vir (vt scimus) multis laboribus exercitus & pietate clarus, Martinus religiosissimus in illius throno instituitur, multis & ipse charismatibus fulgens, præclaraq. vita illustris: cuius

B virtutem diuinus Maximus admiratus, cum plurimum frequentabat, atque vbi opus erat, de multis cum eo, quæ fieri oporteret, loquebatur. Itaque cum eo consilium capit, omnes qui vbique essent, Episcopos congregare, magnamq. Synodum celebrare, vt sub tot Deiferis viris sana fides firmiorem haberet ac certiorem confessionem, peruersitas vero aduersariorum apertam & insigniorem repudiationem atque expulsionem. Hi ad centum & quinque conuenerunt. Cum his sapientissimus Maximus interesset, omnia cum ratione ac diuino Spiritu egerunt, omniaq. Acta (vt par erat) in commentarios contulerunt, multa defensione rectæ doctrinæ data, cum suam quisque operam ac industriam studiose nauasset.] & reliqua de eadem hæresi atque hæreticis condemnatis. Quod autem (vt vidimus) Maximus & auctor fuisse & persuasor Martino huius cogendæ Synodi, eiq. interfuisse dicatur, in Actis tamen ipsius Synodi de Maximo mentio nulla sit: id inde accidit, quod etsi Abbates admitterentur ad Synodum, non tamen facultas eis erat, sicut Episcopis, dicendi sententiam & subscribendi, sed consulendi.

MAXIMVS ABBAS INHABERET MARTINO, ET INTERest CONCILIO.

C

Quod rursus ad hanc Synodum spectat, ob eius amplitudinē ac maiestatem ipse S. Martinus in epistola ad Amandum nominat eam Concilium generale. Extant quidē eius Acta integra tum Græce, tum Latine scripta, eo quod non tantum in archiuo Apostolicæ sedis illa fuerint seruata, sed & plurima ex prototypo confecta sint exemplaria, quæ ab eodem Pontifice missa sunt in omnes prouincias Orientis & Occidentis. Id quidem testatur Anastasius in Martino, idemq. ab eodem Pontifice asseri videtur in epistola ad Amandum, cum non Synodalem tantum epistolam more maiorum ad eum misit, sed ipsa integra (vt ait) Synodalia Acta.

ACTA ILLAESA SERVATA.

Continet ipsa Synodus Secretaria, siue dixeris Consultationes, vel Sessiones, Actiones quinque singulis diebus confectas: quorum primum Secretarium haberi contigit hoc anno (vt ex ijsdem patet Actis) tertio Nonas Octobris, quod sic incipit: Præsidente sancto ac beatissimo Martino Papa sanctæ sedis Apostolicæ vrbis Romæ, propositis sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs in ecclesia Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterq. cum eo audientibus Maximo sanctissimo Aquileiensi Episcopo, &c.] Quod autem neque Mediolanensis interfuisse legatur, neque alij Galliæ Cisalpinæ Episcopi, sane intelligere possumus vetitos illos a Rothari Longobardorum Rege Ariano tunc magnopere Italiam infestante, adeo vt transitus vbique difficilis esset: nam de eodem Rege habet ista Paulus diaconus [b]:

D

EXORDIVM SYNODI.

b Paul. diacon. lib. 4. c. 47. non. edit. in vet. cap. 16.

Igitur Rotharis Rex, Romanorum ciuitates ab vrbe Tusciæ Lunense vniuersas, quæ in littore maris sitæ sunt, vsque ad Francorum fines cepit. Opitergium quoque ciuitatem inter Taruisium & Forum Iulij positam pari modo expugnauit & diruit. Cum Rauennatibus & Romanis bellum gessit ad fluuium Aemiliæ, quod Scultena dicitur: in quo bello a parte Romanorum, reliquis terga dantibus, octo millia cecidere.] hæc Paulus. Vnde opinor eiusmodi bella impedimento fuisse, ne decreta a Rege Francorum legatio Gallicanorum Episcoporum Romam se conferret ad Martinum Pontificem.

E

Quod igitur ad primā attinet Synodi Actionem: eius exordio Primicerius Notariorum velut tuba concitans conuocatos Christi milites, eos multa ex diuina Scriptura prælocutus parauit ad bellum, atque inter alia diuinæ Scripturæ verba illud Ioelis [c] vsurpans: Canite, inquit, tuba in Sion, vlulate in monte sancto meo, quia venit dies Domini. Clamate hoc, suscitate bellatores arma portantes cuncta S. Spiritus in defensionē Catholicæ Ecclesiæ, & destructionē totius iniquitatis, &c.] Ita magna energia animis aduersus hæresim concitatis

PRIMA CONSVLTATIO.

c Ioel. 2. 3.

tatis, ipſe Martinus Pontifex diſertam valde & tempori accommodatam habuit in ſacro illo conuentu orationem, qua deplorauit ſacroſanctum diuinæ incarnationis myſterium Angelis & hominibus reuerendum a ſcelerata hæreticorum impietate diſſolui penitus & diſſipari, auctoresq. prodit errorum Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, profitentes omnes nonniſi vnam in Chriſto voluntatem & operationem, in neceſſariam aſſumptionem adducentes vnam pariter eſſe in Chriſto naturam, ſicut & perſonam, licet id palam dicere vererentur: docetq. robuſtis ſententijs, duas in Chriſto voluntates & operationes, ſicut & duas naturas, neceſſe eſſe fateri; firmatq. Catholicum dogma diuinæ Scripturæ ſententijs atque aſſertionibus ſanctorum Patrum. Quæ autem hactenus aduerſus Catholicam fidem machinati eſſent nominati ſuperius erroris ſigniferi Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, exacte recenſens; nouiſſimeq. perſecutionem a Paulo in Oriente aduerſus Apocriſarios Apoſtolicæ ſedis & alios Orthodoxos excitatam enarrans: quomodo prouocatus querelis omnium Orthodoxorum vndique exclamantium, coactus ipſe fuerit Synodum conuocare, docens, finem dicendi fecit. iſta perorans & inculcans, hæc ait: A B

MARTINVS PP. AD SYNODVM ORAT.

Ideoq. in ſcripto, vel ſine ſcripto Orthodoxorum preces minime deſpicientes Apoſtolicæ memoriæ noſtri prædeceſſores, non deſtiterunt dictis viris diuerſis temporibus conſultiſſime ſcribentes, & tam rogantes, quamq. regulariter increpantes, necnon per Apocriſarios ſuos (vt dictum eſt) pro hoc maxime deſtinatos præſentialiter admonentes & conteſtantes, quatenus proprium emendarent nouitatis commentum, atque ad Orthodoxam fidem Catholicæ Eccleſiæ remearent: & neque rogantes, neque increpantes potuerunt eos a ſuo conamine quoquo modo reuocare, ſed ſicut dicit Dominus incorrectis [a]: Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltauerunt: lamentauimus, & non planxerunt: obduratum eſt cor eorum, ſicut ſcriptum eſt [b], & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis ſuis, & auribus audiant, & corde intelligant, & reuertantur, & ſanentur per ſuſceptionem ſalutiferæ prædicationis.] hæc de ſtudio prædeceſſorum: quæ autem in ijſdem ſuæ eſſent partes, ita pergit dicere: C

a Luc. 7.
b Iſai. 6. Matth. 9.

CAVSA NECESSARIA COGENDAE SYNODI.

Vnde & ego tum propter irreuocabile eorum cor, & propter animas quæ per eorum fallacem deceptionem depereunt, necnon propter precationes (ſicut dictum eſt) ad Apoſtolicam ſedem ſuper tali capitulo in ſcripto delatas, pertimeſcens quippe imminentem iram ſuper eos qui negligenter opus Dei faciunt, neceſſarium fore præuidi, omnes vos, qui ſecundum gratiam eius ſacerdotale officium geritis, inuitare, & propter hanc quæſtionem in nomine Domini congregare in vnum: quatenus communiter omnes, ipſo vtique Deo reſpiciente & iudicante nos ipſos, ſed & noſtra omnia, de prædictis viris, ſiue nouitate in dogmatibus eorum expoſita, tractare debeamus: & maxime præceptum habentes Apoſtolicum [c], attendere nobis ipſis & gregi, in quo nos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Dei Eccleſiam, quam acquiſiuit per ſanguinem proprium: ſed & iterum attendere lupos, attẽdere malos operarios, qui peruerſa faciunt & loquuntur, &c.] His & alijs a ſancto Martino de cauſa cogendæ Synodi peroratis, ad tractanda quæ peragenda eſſent deuentum eſt. D

c Act. 20.

DE LEGATIONE MISSA AB EPISCOPO RAVENNATE.

Cum autem ſanctus Martinus iſta dixiſſet, audita eſt legatio Mauri Epiſcopi Cæſenatis pro Archiepiſcopo Rauennate, Mauro itidem nominato. Fuit iſte quidem Maurus Cæſenas ſanctitate celebris, cuius nomen in Album ſanctorum relatum [d] ab Eccleſia Catholica, anniuerſaria memoria eluceſcit. Lecta eſt itaque oblata ab eo epiſtola Mauri Epiſcopi Rauennatis, cuius eſt eiuſmodi exordium: Domino ſancto & meritis beatiſſimo, toroq. orbe Apoſtolico & vniuerſali Pontifici Martino Papæ, Maurus ſeruus ſeruorum Dei Epiſcopus. Vnicum nobis & ſingulare eſt, &c.] vbi excuſans ſe primum, quod ob incurſiones barbaricas præſens adeſſe non potuiſſet; deinde declarata, quam coleret, Catholica fide, de miſſa a ſe legatione ad Synodum egit. Poſt hæc autem occaſione profeſſionis rectæ fidei Epiſcopi Rauennatis abſentis, ipſe Martinus Pontifex de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus diſertam adhibuit diſputationem: qua abſoluta, audita ſuggeſtione Deuſdedit Epiſcopi in Sardinia, finis impoſitus eſt primo Synodi Secretario. E

d Martyrolog. Rom. die 20. Ianuar.

SECVNDA CONSVLTATIO.

Conuenerunt deinde iterum Patres eodem anno & Indictione octaua, octauo Idus Octobris. Ijſdemq. Epiſcopis conſidentibus, præſidens Martinus Pontifex, qualia eſſe ſoleant & debeant Apoſtolicæ ſedis iudicia, iſta primum præfatus oſtendit: Beatus Dauid

A uid ad Dominum dicit [a]: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ: Misericordia & veritas præibunt ante faciem tuam. Hanc igitur præparationem per veritatem gestorum ad gloriam eius & imitationem sacræ sedis suæ properans opportune perficere & sancta Synodus nobiscum consistens venerabilium sacerdotũ, vt ex hoc præcipue in eum glorietur in hoc, quod intelligit & cognoscit [b] Dominum, & facit iudicium & iustitiam in medio terræ: studuit competenter non antea per scripta eorum qui accusati sunt, causam illorum discutere, donec per querulantium institutiones respexerit hanc & addiscere valuerit; illud videlicet, quod per sapientiam bene placuit Salomoni, adimplens, quod dicit [c]: Antequam scruteris, non reprehendas. Intellige prius, & tunc increpa. Antequam audieris, non respondeas. Nempe, licet apertissima sit contrariorum reprehensio: verumtamen oportet & his quæ clara sunt, ad eorum examinationem ordinem conseruari ab his qui secundum
B Deum scrutari deputati sunt: quatenus ita cum oratione cooperantem inueniamus & confessorem Deum, qui dicit [d]: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Offeratur ergo secundum pie complacitam omnibus nobis consequentiam per eos quorum interest, siue de nostro venerabili scrinio, per dilectissimum Primicerium & Notarios querulantium denominatos remeratores cum omni reuerentia secundum ordinem submonitio.] hæc Martinus Papa.

[a] *Psal.* 88. [b] *Hierem.* 9. [c] *Eccl.* 11. [d] *Matth.* 18.

His dictis, oblatus est libellus a Stephano Dorensi Episcopo fungente vice Apostolicæ sedis in Palæstina ad exturbandos inuasores hæreticos, quo relationem afferret de ijs quæ ab obitu sanctissimi Sophronij Hierosolymorum Episcopi in illam ipsam diem facta essent: ex quo quidem libello plura superius, quæ pertinebant ad historicam veritatem, suis locis posuimus. Præter illa adiecit sinceræ fidei aduersus hæresim Monothelitarum
C confessionem, detestans in primis eius erroris auctores, propagatores, ac defensores. His auditis & inter Acta referri iussis, oblatus est libellus Abbatum, presbyterorum, & monachorum Græcorum tam in Vrbe consistentium, quam eorum qui tunc in Vrbem aduenerant. quorum libello præpositus est titulus, quo ipsum Martinum Papam sacerdotem nominant sacerdotum, patrem Patrum, terq. beatissimum. Erant illorum aliqui ex Laura sancti Sabæ in Palæstina, alij qui ex Africæ monasterio Romam aduenerant, petentes omnes vna simul damnari cum hæresi impios hæreticos, & abominabilem Typum nouissime editum nomine Imperatoris.

OBLATVS LIBELLVS A STEPHANO DORENSI EPISC.

Auditis in Synodo ijs qui præsentes accusatores aduenerant, iussa sunt edi ex archiuo Apostolicæ sedis scripta eorũ qui prædecessori Theodoro Papæ aduersus eosdẽ hæreticos querelarũ libellos obtulerant: ac primũ lectæ fuere litteræ Sergij in Cypro Episcopi, quas
D nos superius suo loco, cum oblatæ sunt Theodoro, posuimus. Quibus auditis & declaratis a Mauro Cæsenate Episcopo, iussæ sunt recitari litteræ Africanorum Episcoporum eodem argumento aduersus eosdem hæreticos ad Theodorum Papam scriptæ, quas æque suo loco superius recitauimus: lectæq. pariter aliæ eorumdem Episcoporum ad Constantem Imperatorem aduersus eosdem hæreticos datæ, itemq. aliæ Concilij Byzaceni ad Theodorum item missæ, necnon aliæ ad Paulum datæ ab Episcopis Proconsularis prouinciæ Carthaginensis subscriptione sexagintaocto Episcoporum munitæ. Nouissime vero recitata fuit epistola Victoris Carthaginensis Antistitis ad eumdem Theodorum Pontificem data: qua Maximi Aquileiensis Episcopi præconio commendata, secundæ Consultationi finis impositus est.

CONCILIORVM AFRIC. LECTAE LITTERAE ET VICTORIS CARTHAG. EPISC.

Conuenerunt tertio Patres ibidem loci decimosexto Kalendas Nouembris eiusdem
E anni & Indictionis, eodem præsidente Martino Pontifice: qui vbi de studio, vigilantia, & cura, quæ deceat eum qui vniuersæ præest Ecclesiæ, in inuestigandis atque damnandis hæresibus, & de his agendis quæ vrgeat diuina iussio, ac de auxilio ad hæc implenda a Domino impendi solito, plura, cunctis audientibus, disseruisset: mox e scrinijs Romanæ Ecclesiæ prodi iussit, quæ ab eiusmodi hæreticis aduersus Catholicam fidem scripta esse reperirentur. Primumq. omnium facta est editio scriptorum Theodori Episcopi Pharanitæ, obscuri quidem nominis viri, sed ex impietate optime noti: ex blasphemia enim solũ sibi nomen aliquod comparauit his temporibus, cum ei ob ætatem & in hæresi sedulum studium reliqui deferre solerent. lectæq. sunt ex eius scriptis ipsius de vnica Christi voluntate & operatione blasphemiæ. Iste enim princeps erroris habitus est, vtpote quod ex eius scriptis, qui hæresim promulgarunt, omnes acceperint: ex quibus & cognita sunt eiusdem hæresis penetralia, ostensumq. (quod successores eius præ pudore occultare conati sunt)

TERTIA CONSVLTATIO.

LECTA ET DAMNATA SCRIPTA THEODORI EPISC. PHARANITAE.

sunt) ex quo fonte horrenda blasphemia flueret de vna tantum in Christo voluntate & A
operatione, quod scilicet iste assereret incorporaliter ex vtero processisse Dominum nostrum Iesum Christum. Ad hæc & alia impie dicta confutanda, sanctorum Patrum sententiæ in medium allatæ sunt.

SCRIPTA CYRI EDITA ET CONFVTATA.

Post hæc autem confutata, iussa sunt recitari nouem capitula Cyri quondam Alexandrini Episcopi, itemq. Sergij Constantinopolitani Episcopi ad ipsum epistola scripta: & quoniam Dionysij testimonio nitebatur Cyrus vnius asserror in Christo voluntatis & operationis, iussus est afferri codex Dionysij, legiq. eius epistola ad Caium, in qua Deiuirilē appellat Christi operationem. Interlocutus autem S. Martinus Papa, fraudem detegit hæreticorum, textum Dionysij corrumpentium: etenim cum ille dixisset nouam Deiuirilem operationem, illi loco, nouam, vnam dixerunt; atque demum, eiecta voce, Deiuirilis, vnam in Christo operationem dumtaxat S. Dionysium asseruisse testati fuerunt. Iussa sunt B
etiam legi ab eodem Pontifice Themistij hæretici scripta de vna operatione ex Dionysij Deiuirilis operationis male accepta sententia. Post hæc lecta, interlocutus idem Martinus Papa, plane ostendit Dionysium per Deiuirilem operationem, non vnam significare voluisse, sed vnius personæ duas, humanam scilicet & diuinam; idq. pluribus docuit: quod & per Sophronium Hierosolymitanum antea fuisse detectum & in hæreticos obiectum, male vero excusatum a Pyrrho, Deusdedit Episcopus Calaritanus interlocutus ostendit.

DE DIONYSII SCRIPTIS NVM QVAM DVBITATVM.

Sed & illud obiter in his magnopere considerandum putamus. Cum Themistius, Sergius, Cyrus, & reliqui sectarij ad probandam vnam operationem & voluntatem in Christo vsi fuerint scriptis Dionysij, ex quibus adeo putarunt confirmari assertum errorem: quid est, quod numquam ab aliquo aduersariorum vel leuiter obiectum sit, Dionysij ea non esse scripta, vel dubitatum saltem, num Dionysij ea essent? Quibus appareat, a C
maioribus siue Orthodoxis siue hæreticis ne minimum quidem dubitatum, num vere ea Dionysij antiqui Theologi essent scripta genuina, vereq. germana, nec alterius quam Areopagitæ, eiusdemq. Episcopi Athenienſis: tali enim inscriptus nomine, nempe Dionysij Episcopi Athenienſis cognomento Areopagitæ (vt Acta declarant[a]) codex editus ac lectus in eadem Synodo reperitur. Vt iure mirari debeas perfrictā frontem recentiorum hæreticorū pro arbitrio cuncta maiorū siue scripta siue traditiones negantium. Certe quidē non est facta ista de Dionysij scriptis ab vno vel alio priuatim vel in angulo furtim editio, sed a pluribus, publiceq. in plena Synodo ac patenti iudicio, cunctaq. quam exactissime examinata, quæ ex Dionysij scriptis allata sunt & cognita testimonia. At de Dionysij scriptorū veritate suo loco superius pluribus disputatū est: hæc enim obiter dicta sunto.

[a] Concil. Later. sub Martino Act. 3. & 5.

His igitur visis, iussa est edi Ecthesis Sergij Constantinopolitani Episcopi, nomine He- D
raclij Imperatoris edita & promulgata, eiusq. ad Cyrum scriptæ de eius confirmatione litteræ, necnon redditæ ad Sergium litteræ Cyri Ecthesin illam confirmantis. Quibus peractis, reliqua in sequentem Consultationem placuit prorogari.

CONSVLTATIO QVARTA.

Decimoquarto Kalendas Decembris, Indictione octaua, rursum in solitum consessum remeantibus Patribus, sanctissimus Pontifex Martinus ex more prælocutus, plura in detestationem recitatæ Ecthesis, & eorum qui eam confirmare laborarunt, Sergij, Cyri, & Pyrrhi, pro concione dixit. Annuit omnibus sancta Synodus, adiecitq. de Paulo, qui Typum edendum proposuit, iudicium peragi, & causam iudicari. Iussæ itaque sunt recitari litteræ ipsius Pauli ad Theodorum Romanum Pontificem, ex quibus eius refractarius animus cognitus fuit.

TYPVS DAMNATVS.

His adiecta est lectio Typi illius nomine Constantis Imperatoris editi; idemq. exa- E
minatus a sancta Synodo, compertus subdolus, inconstans, mendax, atque in omnibus impius, est damnatus. Quibus cuulsis prauis germinibus, iubet sanctissimus Pontifex vetera in medium afferri de fide Catholica decreta Patrum: primumq. omnium recitatum est Nicænum Symbolum, deinde Constantinopolitanum, postea vero quæ pro defensione Catholicæ fidei edita sunt in Concilio Ephesino duodecim capita, siue anathematismi: addita his est definitio fidei Catholicæ facta in Chalcedonensi Concilio, & quatuordecim capita in Quinta Synodo. Quibus lectis, nomine totius Synodi locutus est Maximus Aquileiensis Episcopus, pluraq. in commendationem eorumdem Conciliorum dixit, atque in detestationem hæreticæ prauitatis plurima inculcauit, in damnationemq. eorum qui eumdem defendissent errorem: in sequentē vero Consultationem reiecit ea quæ a sanctis Patribus pro Catholica veritate essent scripta in eiusdē condemnationem erroris.

Demum

A Demum vero eodem hoc anno conuenere Patres pridie Kalend. Nouembris. Cum præsidens sanctæ Synodo Martinus Romanus Pontifex prælocutus, hortatus est omnes Patres aduersus hæreticos strenue decertare, eosdemq. sanctorum sententijs veluti iaculis confodere; eaq. de causa afferri iussit sanctorum Patrum volumina, ex quibus velut e pharetra sagittas, quibus ferirent hostes, acciperent. Recitatisq. eorumdem sanctorum Patrum sententijs, ijsdemq. a sancta Synodo collaudatis, iussa sunt legi veterum hæreticorum scripta, quibus consentientes fuisse recentiores hæretici conuincerentur, pariterq. mendaces arguerentur, dum vt deciperent simpliciores, se Patres sequi & sacra Concilia tueri mentiti essent, ostenderenturq. pariter ijdem adulterati esse eorumdem sanctorum Patrum dicta. CONSVLTATIO QVINTA ET VLTIMA.

His igitur a sancta Synodo exacte cognitis atque discussis, & vera de Verbi incar-
B natione doctrina firmata, ad eam spectantes & ad confutandas aduersariorum assertiones viginti sanciti sunt canones, quibus singulis ad finem apposita est condemnatio eorum qui secus sentirent. Eos igitur necessario hic describendos existimauimus, vtpote qui positi sint termini, quos transgrediens quisque improbus foret appellandus hæreticus, cum fixos transgrediatur terminos antiquorum Patrum: sic enim se habent: SANCITI CANONES VIGINTI.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & veraciter Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, hoc est, vnum Deum in tribus subsistentijs consubstantialibus & æqualis gloriæ, vnam eamdemq. trium Deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem, inconditam, sine initio, incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium, & protectricem: condemnatus sit.

C Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem ipsum vnum sanctæ & consubstantialis & venerandæ Trinitatis Deum Verbum e cælo descendisse, & incarnatum ex Spiritu sancto & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum, sepultumque, & resurrexisse tertia die, & ascendisse in cælos, atque sedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum gloria paterna, cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius, iudicare viuos & mortuos: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperq. Virginem & immaculatam Mariam, vtpote ipsum Deum Verbum specialiter & veraciter, qui a Deo Patre ante omnia sæcula natus est, in vltimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eam genuisse,
D indissolubili permanente & post partum eiusdem virginitate: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem ipsius & vnius Domini nostri & Dei Iesu Christi duas natiuitates, tam ante sæcula ex Deo Patre incorporaliter & sempiternaliter, quamq. de sancta Virgine semper Dei genitrice Maria corporaliter in vltimis sæculorum; atque vnum eumdemq. Dominum nostrum & Deum Iesum Christum consubstantialem Deo & Patri secundum Deitatem, & consubstantialem homini & matri secundum humanitatem, atque eumdem passibilem carne, & impassibilem Deitate, circumscriptum corpore, incircumscriptum Deitate, eumdem inconditum & conditum, terrenum & cælestem, visibilem & inuisibilem *, capabilem & incapabilem, vt toto homine eodemq. & Deo totus homo reformaretur, qui sub peccato cecidit: condemnatus sit. * intelligibilem

E Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem vnam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur nostra substantia perfecte in Christo Deo & indiminute, absque tantummodo peccato, significata: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem ex duabus & in duabus naturis substantialiter vnitis, inconfuse & indiuise, vnum eumdemq. esse Dominum & Deum Iesum Christum: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem substantialem differentiam naturarū inconfuse & indiuise in eo saluatam: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem naturarum substantialem vnitionem indiuise & inconfuse in eo cognitam: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem naturales

rales proprietates Deitatis eius & humanitatis indiminute in eo & sine deminoratione A
saluatas: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem duas vnius eiusdemq. Christi Dei nostri voluntates cohærenter vnitas, diuinam & humanam, ex hoc quod per vtramque eius naturam voluntarius naturaliter idem consistit nostræ salutis: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem duas vnius eiusdemq. Christi Dei nostri operationes cohærenter vnitas, diuinam & humanam, ab eo quod per vtramque eius naturam operator naturaliter idem existit nostræ salutis: condemnatus sit.

*scelerator

Si quis secundum sceleroſos* hæreticos vnam Christi Dei nostri voluntatem confite- B
tur, & vnam operationem in peremptionem sanctorum Patrum confessionis, & abnega-
tionem eiusdem Saluatoris nostri dispensationis: condemnatus sit.

Si quis secundum sceleroſos hæreticos in Christo Deo in vnitate substantialiter saluatis & a sanctis Patribus nostris pie prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, diuina & humana, contra doctrinam Patrum vnam voluntatem atque vnam operationem confitetur: condemnatus sit.

Si quis secundum sceleroſos hæreticos cum vna voluntate & vna operatione, quæ ab hæreticis impie confitetur, & duas voluntates, pariterq. & operationes, hoc est, diuinam & humanam, quæ in ipso Christo Deo in vnitate saluantur, & a sanctis Patribus orthodoxe in ipso prædicantur, denegat & respuit: condemnatus sit.

Si quis secundum sceleroſos hæreticos Deiuirilem operationem (quod Græci dicunt C
θεανδρικὴν) vnam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur
secundum sanctos Patres, hoc est, diuinam & humanam, aut ipsam Deiuirilis, quæ posita est, nouam vocabuli dictionem vnius esse designatiuam, sed non vtriusque mirificæ & glorioſæ vnitionis demonstratiuam: condemnatus sit.

Si quis secundum sceleroſos hæreticos in peremptione saluatis in Christo Deo essentialiter in vnitione & a sanctis Patribus pie prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, hoc est, diuina & humana, dissensiones & diuisiones insipienter mysterio dispensationis eius innectit, & propterea Euangelicas & Apostolicas de eodem Saluatore voces non vni eidemq. personæ & essentialiter tribuit eidem ipsi Domino & Deo nostro Iesu Christo secundum beatum Cyrillum, vt ostendatur Deus esse & homo idem naturaliter: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem omnia D
quæ tradita sunt & prædicata sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindeq. a
sanctis Patribus & venerandis vniuersalibus quinque Concilijs, vsque ad vnum apicem, verbo & mente: condemnatus sit.

Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobis pariterq. fide non respuit & anathematizat anima & ore omnes quos respuit & anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impijs eorum conscriptis vsque ad vnum apicem sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica (hoc est, sanctæ & vniuersales quinque Synodi, & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres) id est, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioscorum, Timotheum Aelurum, Seuerum, Theodosium, Colluthum, Themistium, Paulum Samosatenum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum Persam, Origenem, Didymum, Euagrium, & compendiose om- E
nes reliquos hæreticos, qui a Catholica Ecclesia reprobati atque abiecti sunt, quorũ dogmata diabolicæ operationis sunt genimina, & eos qui similia cum his vsque ad finẽ obstinate sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere reperiuntur: cum quibus merito numeramus, vtpote similes eis pariq. errore præditos, ex quibus dogmatizare noscuntur, proprioq. errori vitam suam determinantes, hoc est, Theodorum quondam Episcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, vel eius successores Pyrrhum & Paulum in sua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conscripta, & eos qui similia cum illis vsque ad finem obstinate sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, hoc est, vnam voluntatem & vnam operationem Deitatis & humanitatis Christi, & super hæc impijssimam Ecthesin, quæ persuasione eiusdem Sergij facta est ab Heraclio quondam Imperatore aduersus Orthodoxam fidem, vnam Christi Dei voluntatem, & vnam ex con-

cinna-

A cinnatione definientem operationem venerari, sed & omnia quæ pro ea impie ab eis scripta vel acta sunt, & illos qui eam suscipiunt, vel aliquid de his quæ pro ea scripta vel acta sunt, & cum illis denuo sceleroſum Typum, qui ex suasione prædicti Pauli nuper factus est a sereniſſimo Principe Constantino * Imperatore contra Catholicam Ecclesiam, vtpote duas naturales voluntates & operationes, diuinam & humanam, quæ a sanctis Patribus in ipso Christo Deo vero & Saluatore nostro pie prædicantur, cum vna voluntate & operatione, quæ ab hæreticis impie in eo veneratur, pariter denegare & taciturnitate constringi promulgantem, & propterea cum sanctis Patribus & sceleroſos hæreticos ab omni reprehensione & condemnatione iniuste liberari definientem, in amputationem Catholicæ Ecclesiæ definitionum, seu regulæ. * Constante

Si quis igitur iuxta quod dictum est, consonanter nobis omnia hæc impijſſima hæreseos
B illorum dogmata, & ea quæ pro illis aut in definitione eorum a quolibet impie conscripta sunt, & denominatos hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, & Sergium, Pyrrhum, & Paulum non respuit & anathematizat, vtpote Catholicæ Ecclesiæ rebelles existentes: aut si quis aliquem de his, qui ab illis vel similibus eorum in scripto vel sine scripto quocumque modo vel loco aut tempore temere depositi sunt aut condemnati, vtpote similia eis minime credentem, sed sanctorum Patrum nobiscum confitentem doctrinam, vti condemnatum habet aut omnino depositum, sed non arbitratur huiusmodi quicumque fuerit, hoc est, siue Episcopus, aut presbyter, vel diaconus, siue alterius cuiuscumque Ecclesiastici ordinis, aut monachus, vel laicus, pium & Orthodoxum, & Catholicæ Ecclesiæ propugnatorem, atque in ipso firmius consolidatum in quo vocatus est a Domino ordine, illos autem impios, atque detestabilia
C eorum pro hoc iudicia, vel sententias vacuas & inualidas atque infirmas, magis autem profanas & execrabiles vel reprobabiles arbitratur: huiusmodi condemnatus sit. ANATHEMATISMI CONTRA MONOTHELITAS.

Si quis ea quæ sceleroſi hæretici sapiunt, indubitanter profeſſus atque intelligens, per inanem proteruiam dicit hæc pietatis esse dogmata, quæ tradiderunt ab initio speculatores & ministri verbi, hoc est dicere, sanctæ & vniuersales quinque Synodi, calumnians vtique ipsos sanctos Patres, & memoratas sanctas quinque Synodos in deceptione simplicium, vel susceptione suæ profanæ perfidiæ: huiusmodi condemnatus sit.

Si quis secundum sceleroſos hæreticos quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos remouens illicite, quos posuerunt firmius sancti Catholicæ Ecclesiæ Patres, id est, sanctæ & vniuersales quinque Synodi, nouitates temere exquirere, & fi-
D dei alterius expositiones, aut Typos, vel leges, aut definitiones, aut libellos, aut epistolas, aut conscripta, aut subscriptiones, aut testimonia falsa, aut Synodos, aut gesta monumentorum, aut ordinationes vacuas & Ecclesiasticæ regulæ incognitas, aut loci seruaturas incongruas & irrationabiles, & compendioſe, si quid aliud impijſſimis hæreticis consuetum est agere, per diabolicam operationem tortuoſe & callide agit contra pias Orthodoxorum Catholicæ Ecclesiæ, hoc est dicere, paternas eius & Synodales prædicationes, ad euersionem sinceriſſimæ in Dominum Deum nostrum confessionis, & vsque in finem sine pœnitentia permanet hæc impie agens: huiusmodi in sæcula sæculorum condemnatus sit. Et dicat omnis populus, Fiat, fiat.

His itaque a nobis pie promulgatis, & cum omni subtilitate, secundum Dominicam præceptionem [a], zizania quidem & omnes facientes scandala, cum paleato * & hæ-
E retico intellectu eorum, igni canonicæ sententiæ ex Apostolica auctoritate proijcientes, triticum autem Orthodoxæ & Apostolicæ fidei nostræ Christianorum in horreum, id est, Catholicam Ecclesiam per ventilabrum paternæ doctrinæ firmius congregantes, victrices ei cum propheta Sophonia [b] canimus hymnos: Gaude nimis, o filia Sion: prædica, filia Hierusalem: lætare & exulta ex toto corde tuo, filia Hierusalem. Abstulit Dominus a te iniquitates aduersariorum tuorum, liberauit te de manu inimicorum: Dominus in medio tui: non videbis mala vltra, omni exploſa nouitate hæretica, & omni confirmata in te Orthodoxa fide in possessione vitæ æternæ, per ipsum Christum Dominum Saluatorem animarum nostrarum, cui gloria, honor, veneratio, imperium cum Patre & sancto Spiritu nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.]

[a] *Matth.* 13. * palliato

PERORATIO S. SYNODI.

[b] *Soph.* 3.

Demum vero post hæc secuta est omnium Episcoporũ subscriptio, cui tamquam appendix

addita postea fuit subscriptio trium aliorum Episcoporum, nempe Ioannis Episcopi Mediolanensis, Iustini Episcopi Calaritani, & Melliodori Episcopi Dertonensis. Absoluta autem Synodo, scripta est ab ipso S. Martino Romano Pontifice vna cum Concilio Synodalis epistola circularis ad omnes Christi fideles vbique degentes de his quæ pro fide Catholica aduersus hæreticos gesta essent. Sed & vna cum eadem Synodali epistola pariter missa sunt exemplaria Synodalium Actorum. Extat ipsa quidem Synodalis Encyclica, digna sane tanto Pontifice, tantoq. Episcoporum cœtu; quam hic tibi describendam curamus, ne tu hoc careas munere, quo Catholicus vniuersus locupletatus est orbis: & licet aliquantum prolixam, eo tamen auidiori (vt puto) accepturus es animo, quo facta collatione cum Græco exemplari, nonnullis mendis emaculatam intelliges. sic enim se habet [a]:

a Epist. 1. Martin. tom. 2. epist. Rom. Pont.

EPIST. ENCYCLICA MARTINI PAPAE ET SYNODI ROM.

Martinus seruus seruorum Dei, atque per gratiam eius Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ vrbis Romæ, vna cum sancto Concilio nostro reuerendissimorum sacerdotum regulariter huc nobiscum venientium in confirmatione pijssimorum Catholicæ Ecclesiæ dogmatum, his qui coæqualem nobis sortiti sunt fidem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi per lauacrum regenerationis, in omni loco dominationis eius, qui peregrinantur in sanctitate & iustitia, spiritualibus fratribus nostris Episcopis, presbyteris, diaconis, Abbatibus monasteriorum, monachis, continentibus, atque Catholicæ Ecclesiæ vniuersæ, sanctæq. plenitudini.

b 1. & 2. Pet. 1.

Gratia [b] vobis & pax multiplicetur in agnitione & communione sancti Spiritus, in hereditatem incorruptibilem & immarcescibilem, conseruatam ante constitutionem mundi, nunc autem manifestatam in nobis, qui credimus in Iesu Christo Domino nostro, qui omnia nobis donauit, quæ ad vitam & pietatem respiciunt, per salutarem prædicationem: vt in hoc permanentes semper & instructi per concordiæ sinceritatem superædificemur [c] fundamento sanctorum Apostolorum & prophetarum, in ipso summo angulari lapide Christo, qui super omnia Deus existit & Saluator nostrarum animarum, in quo omnis ædificatio constructa crescit in augmentum eius per architectoniam spiritus in regale [d] sacerdotium & templum sanctum: qualiter in eo proficientes a gloria in gloriam, virtutes annunciemus eius, qui de tenebris nos vocauit in illud admirabile lumen suum, apud quem non est commutatio [e], nec momenti obumbratio, omniū autem bonorum perfectio: ex quo illuminati, tenemus in eum confessionem immobilem, donec occurramus omnes in vnitatem fidei [f], & in agnitionem eius, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis eius: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad machinationem erroris diaboli, qui semper propria festinat operari in filios diffidentiæ.

c Ephes. 2.

d 1. Petr. 2.

e Iacob. 1.

f Ephes. 4.

Itaque notum facimus vobis, dilectissimi fratres, quod & vos sine dubio nobiscum cognoscitis, vigilantem & bene zelantem in Deum habentes proprium cogitatum: quoniam Catholica Dei & Apostolica Ecclesia in quiete & pace consistente, veluti [g] leones rugientes & quærentes quem deuorarent, subintroierunt [h] quidam homines, qui olim perscripti sunt in hoc iudicium impietatis sponte procedere, hoc est, Theodorus quondam Episcopus Pharanitanus, Cyrus Alexandriæ, Sergius Constantinopolitanus, vel eius successores Pyrrhus & Paulus, magni Dei & Saluatoris nostri dispensationem in hæreticam nouitatem retorquentes, & eum qui redemit eos, Christū Dominum denegantes, ex hoc quod in scripto asserunt minime eum habere secundum formam serui, vel secundum quod propter nos factus est homo, voluntatem aut operationem naturalem, sed sine substantia eum siue natura, & non solum sine anima & irrationabilem & insensibilem secundum eos existere: quia sicut nos glorioſi Ecclesiæ Patres docuerunt, quicquid absque voluntate consistit & operatione, ab omni caret substantiali natura: pro qua re ipsum gloriæ Deum & Dominum nostrum Iesum Christum per vtramque, ex quibus & in quibus consistit naturis atque adpertinentibus eisdem naturalibus proprietatibus perfectum esse in omnibus, absque tantummodo peccato, prædicarunt.

g 1. Petr. 5.

h Iudæ 1.

Si ergo perfectum in omnibus, quomodo non & in voluntate & operatione secundum nostram naturam? Certum est enim, quia proprietas naturalis nostræ substantiæ consistit essentialis eius operatio & voluntas; qua proprietate amputata, vtique & ipsa natura cum illa perimitur: quia iam cognosci natura nullo modo potest per essentia-

lem

A lem designantem eam naturalem proprietatem. Propterea & pari numero vnitis substantialiter ei naturis, eiusdem duas voluntates & operationes sapere nobis tradiderunt, hoc est, increatam & creatam, diuinam & humanam, cohærenter vnitas, vt testantur verba eorum Actibus nostris in approbatione veritatis inserta, & super omnem radium Solis nitentia.

Igitur eorumdem sanctorum Patrum, qui hæc nos docuerunt, rectam viam, hoc est, Orthodoxam confessionem superius dicti contrarij veritatis respuentes ac derelinquentes, ambulauerunt in viam Balaam de Bosor [a], hoc est, in perfidia hæreticorum, & in spontaneo eorum errore effusi sunt, atque in contradictione inobedientiæ suæ obdurati sunt, sidera [b] existentes erroris, & nubes sine aqua, necnon arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feroces maris, spumantes proprias confusiones, quibus
B caligo tenebrarum in æternum conseruata est minime pœnitentibus, sed huc illucq. maculam propriæ hæreseos absque timore iactantibus, qui commutauerunt [c] veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & præposuerunt Catholicæ Ecclesiæ pijs dogmatibus hæreticorum seductiosa conscripta, properantes omnibus modis aut decipere simpliciores, aut persequi eos qui in Domino permanent. Quod iam & in plures Orthodoxos viros operati sunt, corporaliter eos malis afficientes, quoniam animam captare non valuerunt, in petra Orthodoxæ fidei illorum collisi. Ideoq. propter prauas eorum adinuentiones, & prauiora nouitatis commenta, & in interiora cordis, iuxta beatum Hieremiam [d], conturbati Catholicæ recordationis antecessores nostri Pontifices, non destiterunt admonentes eos & contestantes recedere a sua huiusmodi hæresi, & sanam doctrinam amplecti, ne quando irascatur Dominus [e], & pereant funditus de via iustorum, hoc est, pia sanctoC rum Patrum confessione.] Audisti quanta fiducia atque securitate absque vlla trepidatione prædecessorum omnium Romanorum Pontificum in insectanda & profliganda Monothelitarum hæresi studium commendet & vigilantiam? quod quidem minime licuisset, si Honorius eius fuisset assertor erroris. Pergit vero:

Hoc autem consultissime non solum ipsi effecisse noscuntur, sed & alij plures diuersas prouincias habitantes reuerendissimi Episcopi, & maius est dicere, generalitates Synodorum per sua scripta non solum inuitantes emendare propriam hæresim, sed & nos ipsos, id est, Apostolicam nostram sedem coniurantes & protestantes erigere se secundum regularem auctoritatem, & non vsque ad finem per tot tempora permittere contrariorum nouitatem sanctas Dei Catholicas depasci Ecclesias. Ideoq. ex omnibus pene sacerdotibus cum charitate admoniti, non inclinauerunt aurem suam ad audiendã vocem
D postulantium eos, neque cordis sui ceruicem mitigare voluerunt, vt conuerterentur ad Deum. Sed quod ait Dominus de inobedientibus, hoc & in eis prouenire certum est. Dicit enim per prophetam [f]: Misi ad eos omnes seruos meos prophetas, per diem consurgens diluculo, & mandaui, & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem super petram. Quam [g] vilis es facta, nimis iterans vias tuas? Addere peccata [h] super peccata properauerunt, humanitatẽ Saluatoris atque Deitatem eius blasphemare ac denegare per impijssimum Typum, qui ex maligna instigatione illorum factus est contra immaculatam nostram Christianorum fidem a sereniſſimo Principe, definientes in eodem Typo, nec vnam, nec duas voluntates aut operationes, hoc est, neque diuinam neque humanam voluntatem & operationem in ipso Saluatore nostro quempiam omnino confiteri.

E Hæc autem prædicauerunt, vt non solum in humana eius natura, sed etiam in vtraque omnino eum sine voluntate & operatione, hoc est, absque natura & essentia esse denuncient: quatenus cum perfidis hæreticis & Orthodoxos Patres abijciant, & cum sceleroſorum virorum vocibus, hoc est, vna voluntate & operatione pariter denegari faciant Orthodoxorum doctrinas, id est, duas eiusdem Christi voluntates & operationes, sicuti & naturas vnitas inconfuse & indiuise, promulgantes illicite, etiam sine reprehensione vel condemnatione, consistere in suis confessionibus hæreticos, hoc est, in ipsa, quæ ab eis prædicatur, vna voluntate & operatione, atque eadem sine periculo libertate perfrui eos, qui in dogmatibus reprehenduntur, hæreticos, cum eis, qui in doctrina vsque in finem irreprehensibiliter deluceſcunt, sanctis Patribus: quod vtique Catholicæ Ecclesiæ sacratissimas regulas destruere certum est, magis autem totius a Deo inspiratæ doctrinæ sanctam prædicationem, quæ nullatenus noxios excusat, neque liberat

[a] 2. Petr. 2.
[b] Iudæ 1.
[c] Rom. 1.
[d] Hierem. 4.
[e] Psal. 2.
[f] Hierem. 7.
[g] Hierem. 5.
[h] Hierem. 2.

de iudicio culpatos cum innoxijs : hoc enim prauum & diuinæ æquitatis est alienum. A

Quoniam autem & illud cum ceteris contrarij præsumpserunt, in deceptionem simplicium, & cooperimentum suarum prauitatum, in scripto audacter proferre impijssimæ suæ nouitatis inualida dogmata, dicentes hæc esse pietatis dogmata, quæ tradiderunt hi qui ab initio speculatores & ministri verbi facti sunt, & sequenter successores eorum a Deo inspirati Ecclesiæ Patres, & sanctæ vniuersales quinque Synodi : ideo consultissime pertractantes terribile esse & diuinam prouocans indignationem hæc omnia despicere, quæ oppugnant Catholicam Ecclesiam, vt ne condemnemur, vtpote imperfectos atque inefficaces habentes intellectus animæ ad discernendum malum & bonum, prompti secundum gratiam Dei conuenisse dignoscimur in hac Romana Christianissima ciuitate, ad confirmationem quidem pijssimarum Ecclesiæ prædicationum, condemnationem autem impijssimorum nouitatis dogmatum, per similitudinem decessorum no- B
strorum sanctorum Patrum, quiq. per sinceram concordiam & in id ipsum Deo amabilem conuentionem destruxerunt hæresim, & omnes hæreticos superasse noscuntur, eripientes de eorum errore Catholicam Ecclesiam. Quæ enim ex sacra concursione, hoc est, spiritali consonantia sanctorum Patrum exeunt, validiorem habent contra aduersarios &
a Deuter. 19. Matth. 18. Eccl. 4. Prou. 18. inexpugnabilem virtutem. In ore [a] enim, inquit, duorum vel trium testium stabit omne verbum : & funiculus triplex difficile rumpitur : & frater qui adiuuatur a fratre, quasi ciuitas firma : prævalebit autem sicuti fundatum imperium.

Propterea & nos (vt dictum est) secundum indiuisam communionem spiritus in id ipsum conuenientes, properauimus per gestorum seriem comparationem ad inuicem per distinctionem discretam efficere, tam sanctorum Patrum, & vniuersalium quinque Synodorum sacras promulgationes, & dogmata infidelium hæreticorum tam anteriorum, C
quamq. nunc emergentium contra fidem cum impia eorum Ectheſi, necnon impijssimo Typo proferentes, vt omnibus ostendamus relegentibus differentiam luminis & tenebrarum, hoc est, claræ Patrum doctrinæ, & temulentæ hæreticorum vesaniæ, & quia nulla communia hæreticis existunt cum sanctis Patribus, sed quantum distat Oriens ab Occasu, tantumq. distant impij hæretici verbo & mente ab inspiratis a Deo viris. Propterea sanctos quidem Patres sententialiter confirmauimus cum omnibus sacris prædicationibus eorum, necnon eis, qui nobiscum sincere ipsos & easdem suscipiunt. Impios autem hæreticos, cum omnibus prauissimis dogmatibus eorum, & impiam Ectheſin, vel impijssimum Typum, & omnes qui eos, vel quicquam de his quæ exposita sunt in eis, suscipiunt aut defendunt, seu verba pro eis faciunt, in scripto anathematizauimus : vt
& vos omnes, qui per omnem orbem terrarum inhabitare noscimini pij & Orthodo- D
xi, hæc pie a nobis gesta cognoscentes pro tuitione Catholicæ Ecclesiæ consonanter nobiscum similia exequamini, & omnes quidem sanctos Patres confirmetis in scripto, consonantes illis nobisq. in Orthodoxa fide : anathematizetis autem omnes hæreticos, qui præsumptiue hanc olim & nunc expugnauerunt, vna cum sceleroſa Ectheſi & impijssimo Typo, sed & qui eos, aut quiddam de his quæ ab eis implicite exposita sunt, susceperint : quatenus fructum piæ confessionis, vestrarum animarum hereditare valeatis salutem.

Propterea enim ea quæ a nobis pro Catholica Ecclesia synodaliter gesta sunt, omnibus direximus, vt nostri studij perficientes opus, nos quidem ipsos innoxios esse approbemus coram Deo & electis Angelis, ante quos ab eo iudicandi sumus cum eis qui hæc a nobis susceperint, in terribili eius aduentu : inexcusabiles autem eos, qui non obediunt, E
demonstremus, vtpote nullam habentes occasionem pro sua perfidia post veritatis ostensionem, Domino dicente [b] : Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Sed & Apostolus iterum
b Ioan. 15. perhibet [c] : Consideremus inuicem in prouocatione charitatis & bonorum operū, non de-
c Hebr. 10. serentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam : sed consolamini, & tanto magis, quanto videmus appropinquantē diem. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccatis, terribilis autē quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Scimus enim
d Deut. 32. dicentem [d] : Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Propter quod præmuniens
e Ezech. 33. nos præcepit, dicens [e] : Et tu fili hominis, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos : Terra super quā inductus fuerit gladius, & tulerit populus terræ virū vnum de nouissimis suis, &

con-

A constituerit eum super se speculatorem, & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem quisquis ille sonitum buccinæ, non se obseruauerit, veneritq. gladius & tulerit eum, sanguis illius super caput ipsius erit: quia sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit: sanguis eius in ipso erit. Si autem custodierit, animam suam saluauit. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus non se custodierit, veneritq. gladius & tulerit de eis animam, ille in iniquitate sua captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Propter quod testificamur omnibus in hodiernum diem, sicut inquit beatus Paulus [a]: Quia mundi sumus a sanguine omnium vestrum. Non enim subtraximus nos annunciare omnibus, quæ tradita est nobis a sanctis Patribus & Synodis, Orthodoxam confessionem per ea quæ nuper apud nos synodaliter gesta sunt. [a] *Act. 20.*

B Attendite itaque vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine, vt [b] non sit qui vos decipiat aut seducat in subtilitate sermonis per philosophiam & inanem fallaciam. Apertissime enim Spiritus sanctus per Apostolum dicit [c]: Quia in nouissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi mendaciloquorum cauteriatam habentium suam conscientiam. Propter quod [d] vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: quæ mentis transgressio operatur in his, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, eo quod [e] charitatem veritatis non perceperunt, vt salui fierent. Deus [f] enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Vnusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, cum consummatum [b] *Coloss. 2.* [c] *1. Tim. 4.* [d] *Matth. 26.* [e] *2. Thes. 2.* [f] *Iac. 1.*

C fuerit, generat mortem.

Nolite [g] itaque errare, fratres mei dilectissimi, doctrinis varijs & extraneis circumducti: & licet [h] nos aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis, præter quod accepimus tam a sanctis Apostolis, quã probabilibus Patribus & vniuersalibus quinque Synodis, anathema sit. Igitur sicut prædiximus, & nunc iterum dicimus: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepimus ex ipsis, anathema sit. Modo autem hominibus suademus, an Deo? aut quærimus hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, inquit beatus Paulus [i], Christi seruus non essem. Sicut ergo accepistis Christum a sanctis prædicatoribus, sic in eum credite. Bonum [k] depositum vsque in finem custodite per Spiritum sanctum, qui habitat in vobis: quoniam [l] firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus qui sunt eius: & discedat ab iniquitate omnis qui inuocat no- [g] *Hebr. 13.* [h] *Galat. 1.* [i] *Ibid.* [k] *2. Tim. 1.* [l] *2. Tim. 2.*

D men Domini.

Propterea, fratres, vanas vocum nouitates euitantes, nullatenus eos qui de terra clamant, & non ex ore Domini loquuntur, suscipiatis aduersus fidem Typos, aut leges, vel definitiones, aut expositiones hæreticas: agnoscentes, quoniam hæc omnia requisiturus & iudicaturus est ipse gloriæ Dominus: & quia nullus hominum, quorum sicut fœnum dies illorum, pro nobis crucifixus est, neque in nomine cuiusquam eorum baptizati sumus, sed in mortem Christi Dei per lauacrum regenerationis renouati dignoscimur, qui crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato: maxime apertissime considerantes, quoniam & per se sua dogmata destruunt contrarij. Dicit enim Dominus [m]: Omne regnũ in se diuisum non stabit: & omnis sententia & lex aduersum se diuisa non stabit. Et si Typus destruit Ecthesin, sed & Ecthesis destruit Typum, illa quidem dicens vnam habere, hic autem asserens non vnam habere Dominum nostrum voluntatem & operationem: ergo in se diuisum est vtrumque: & quomodo stabit aduersariorum hæresis magis a semetipsa inualida & inanis existens, quam a nobis destructa? [m] *Matth. 12.*

E

Ergo nullo modo per transitoriam vmbram, potius autem corruptelam dissolutam, Christi Dei vestrã Orthodoxam fidem amittatis, mirantes personas quæstus causa: quoniam [n] sicut flos fœni transiet. Exortus est enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: ita & diues in itineribus suis marcescit. Vt ne pro dilectione mundi compatientibus nobis, dicatur etiam de nobis: Dilexerunt [o] gloriam hominum magis, quam gloriam solius Dei: & subiaceamus æterno iudicio. Horrendum est [p], fratres, incidere in manus Dei viuentis, qui protestatur, dicens [q]: Quicumque me negauerit & verba mea coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Reuelatur [r] enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam homi- [n] *Iacob. 1.* [o] *Ioan. 12.* [p] *Hebr. 10.* [q] *Matth. 10.* [r] *Rom. 1.*

num, qui veritatem per illicitam hæresim expugnant, aut denegant: quia quod notum A
est Dei, manifestum factum est in illis. Deus enim illis manifestauit hoc per sanctos Apo-
stolos, & prophetas, & doctores, & vniuersales quinque Synodos, quorum dogmata lex
Catholicæ Ecclesiæ existunt: & tamen his omnibus propriam nouitatem præposuerunt.

a Ephes. 5. Nemo[a] ergo vos seducat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios diffi-
dentiæ. Nolite ergo effici comparticipes dogmatum eorum, neque communicetis infruc-
tuosis verbis illorum: magis autem & redarguite, quoniam cœtus præuaricatorum sunt,
& extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. Completum est in

b Hier. 9. eis, quia[b] de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Veri-
tatem enim non loquentur, docuerunt autem linguam suam loqui mendacium: vt impie

c Hier. 6. agerent laborauerunt, & renuerunt scire me, dicit Dominus. State[c] ergo vos, dilectissi-
mi, super vias, & videte & interrogate de semitis Domini antiquis, & videte quæ est via B
bona sanctorum Patrum, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris. Sed

d 1. Petr. 3. & si patimini[d] propter Christum, beati eritis: metum autem eorum ne timueritis, neque

e Matth. 11. conturbemini. Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris, ipso dicente[e]:
Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed potius
eum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse
veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli
capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere eos: multis passeribus meliores estis vos.

f Hebr. 12. Rememoramini[f] ergo, fratres, eum, qui talem sustinuit a peccatoribus aduersus semet-
ipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim vsque
ad sanguinem certauimus aduersus peccatum repugnantes. Confidimus autem de vobis,

g Rom. 8. fratres carissimi, meliora & viciniora saluti: quia[g] neque mors, neque vita, neque An- C
geli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque alti-
tudo, neque profundum, neque creatura alia, magistro Gentium docente, poterit vos se-

h Hebr. 10. parare a charitate Domini nostri Iesu Christi, & quæ in ipso est, recta fide. Nolite[h] itaque
amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim
uobis necessaria est ad colluctationes aduersariorum: quatenus fidem intemeratam vsque
in finem conseruantes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his, qui legitime

i Ibidem. certare deproperant. Adhuc[i] enim modicum aliquantulumq. qui venturus est veniet, &

k Iacob. 5. non tardabit. Ecce[k] enim Iudex ante ianuam assistit, coronas hilariter promittens his,
qui pro eo passionibus submittuntur.

l Hebr. 10. Quod si[l] subtraxerit se quis, non placebit animæ meæ, sed cadet de promissione pro- D
pter negationem. Nos autem non sumus subtractionis in perditionem, sed fidei in acqui-

m Ephes. 6. sitionem animæ. Propter quod[m] assumite arma Dei, vt possitis resistere in die malo ad-
uersus omnem hæreticum virum & dogmata: & induite vos loricam iustitiæ, calceati pe-
des in præparatione Euangelij pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis
omnia iacula nequissimi ignita extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium spiritus,

n 1. Cor. 1. quod est verbum Dei: per omnem[n] orationem & obsecrationem, radicati & fundati, vt
id ipsum nobiscum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, diuidentes bonum & in-
tegrum corpus Ecclesiæ in tortuosas nouitates: sitis autem perfecti & integri in eodem
sensu, & in eadem scientia firmati: vt per eam vias nostras dirigentes, in eumdem infle-

o 1. Petr. 2. xibiliter occurramus, qui a nobis creditur Dominus: ad quem accedentes[o] lapidem vi-
uum, ab hominibus quidem reprobatum pro eorum impia hæresi, a Deo autem electum
& honorificatum, magis autem Deum naturaliter existentem, licet propter nos caro fa- E
ctus sit, & vos tamquam lapides viui ædificemini domus spiritualis, in sacerdotium san-
ctum, offerentes spiritales hostias ipsi in odorem suauitatis.

p Act. 20. Sed[p] & nunc, fratres, commendamus omnes vos Domino, & verbo gratiæ eius, qui po-

q Rom. 15. test perficere & dare hereditatem in omnibus sanctificatis. Ipse[q] autem Deus pacis & con-
solationis det vobis id ipsum sapere in alterutrum & in ipso semper, vt in omnibus vnani-
mes vno ore & vno corde honorificemus eum in concordia Orthodoxæ fidei: qui potens

r Rom. 16. est[r] confirmare nos secundum Euangelium eius, secundum reuelationem mysterij tempo-
ribus æternis taciti, patefacti autem per Scripturas sanctas, & Patrum Orthodoxorum do-
ctrinas, secundum præceptum æterni Dei, ad obediendum fidei in omnibus nobis cogniti.
Soli sapienti Deo Domino nostro Iesu Christo cum Patre & Spiritu sancto gloria, honor,
imperium, & potestas in sæcula sæculorum. Amen. Deus vos incolumes custodiat, dile-
ctissimi

A ctissimi fratres.] hactenus Apostolicæ litteræ ex scriptis Apostolicis magna industria concinnatæ.

De his autem quæ ad diuersas Ecclesias missa sunt Acta Synodalia vna cum epistola circulari, extant quædam vetera monumenta, quæ hic tibi colligenda putauimus. In rebus gestis sancti Eligij Episcopi Nouiomensis, quas eius æqualis & æque sanctus Audoenus Episcopus Rothomagensis conscripsit, de litteris ab eodem sancto Martino Papa in Gallias missis meminit, vbi de hoc eodem Romano Concilio a sancto Martino Papa congregato loquitur, atque ait: In quo Concilio, omnibus Orthodoxis consentientibus, edidit contra hæreticos fidem, *confessionem scilicet fidei*, magnifice valde & accurate; quam etiam cum subiuncta epistola Galliarum Patribus destinauit, mandans & obtestans Regem Francorum, *nempe Clodoueum*, vt si essent ei viri Catholici & eruditi, eos ipsi ad-
B miniculum ad hæresim comprimendam faceret destinari. Quo tunc etiam Eligius cum sodali suo libentissime perrexisset, nisi res ei quædam impedimento fuisset.] Studuit Martinus Papa, petijtq. a Francorum Regibus præcipuos mitti Romam Gallicanos Episcopos, quibus credi posset legatio Apostolica, vt per eos in reliquis Galliarum prouincijs quæ Romæ gesta essent innotescerent, atque ab alijs Episcopis congregatis prouincialibus Synodis firmarentur.

SYNODALIS EPISTOLA MISSA IN GALLIAS.

Quod ergo apud Clodoueum egisse reperitur, id ipsum apud Sigebertum eius germanum operatũ fuisse liquet ex epistola ad Amandum scripta. Misit enim sanctus Martinus Pontifex tum litteras encyclicas, tum ipsa Acta Synodalia ad sanctum Amandum Episcopum Traiectensem, cum ille alia occasione misisset nuncium Romam ad ipsum Romanum Pontificem, quo ab eo peteret ab Episcopatu vacationem: pertæsus enim
C prauos mores Ecclesiasticorum ministrorum, se ab Episcopatu abdicare magnopere cupiebat: petierat præterea eadem legatione a Romano Pontifice reliquias sanctorum martyrum. Denegat Martinus petitionem priorem, posteriori defert; litterasq. ad eumdem rescribens, de habita Romæ Synodo eum reddidit certiorem, simulq. misit ad ipsum (vt dictum est) litteras encyclicas vna cum Synodalibus Actis. Extat ipsa epistola Martini ad Amandum, quam hic describere dignum putamus: sic enim se habet [a]:

LEGATIO S. AMANDI AD S. MARTINVM PAP.

Dilectissimo fratri Amando Martinus.

Fraternitatis tuæ studio pietatis congestam epistolam susscipientes, animos nostros releuari cognoscimus: quippe quoniam huius sæculi fluctiuagas atque transitorias despicientes oblectationes, illa quæ perpetua & sublimia dona pro Domini Dei nostri obsequijs tribuuntur, appetere certum est. Ex relatione igitur, iuxta tenorem tuæ fraternita-
D tis epistolæ, præsentium latoris, laborum tuorum certamen cognouimus, ex quibus cælestis patriæ ascensum humiliatis mentibus atque contritis corporibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Nam cum sit nulli omnino comparatione coæquandum, quod a Creatore nostro pro bonis seruitijs repensatur, dum breui atque paruo temporis spatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipsius sustinemus; consideratione refrigerij nos oportet libenti animo tolerare præsentis vitæ angustias.

[a] *Extat edita post dictum Concil. Rom. tom. 5. Concil.*

MARTINVS PAPA AD S. AMANDVM SCRIBIT.

Sed quantum nobis laborum vestrorum operatio magnam gaudij vbertatem inducit, tantum pro duritia sacerdotum gentis illius conterimur, quod postpositis salutis suæ suffragijs, atque Redemptoris nostri contemnendo seruitia, vitiorum fœderibus ingrauantur, quibus ad præparandam salutem (quandoquidem tanto nos necesse est importunis prædicationibus imminere, quantum nos perfectæ negotiationis creditorum nobis talen-
E torum duplicat assignatio) atque Dominicæ vocis ad susscipiendam eius requiem persuadet assertio. Suggestum namque est nobis, eo quod presbyteri, seu diaconi, alijq. sacerdotalis officij post suas ordinationes in lapsu coinquinantur: & propterea nimio mærore fraternitatem tuam adstringi, velleq. pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & in silentio atque otio vitam degere, quam in his quæ tibi commissa sunt permanere, dicente Domino [b]: Beatus qui perseuerauerit vsque in finem. Vnde namque beato perseuerantia, nisi de virtute patientiæ? quia secundum Apostolicam prædicationem [c]: Omnes qui voluerint in Christo pie viuere, persecutiones patientur.

CLERICORVM VITA CRIMINOSA.

[b] *Matth. 10.*

[c] *2. Timoth. 1.*

Ideoq. frater carissime, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans quanta pro absolutione nostri & liberatione Creator Dominusq. noster pertulerit, quibusve se contumelijs afficiendum tradiderit, vt nos a vinculis

DE PVNIENDIS DELINQVENTIBVS.

culis poteſtatis diabolicæ liberaret. Propterea nullatenus in huiuſmodi peccato delinquentibus, ad deſtructionem canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps iam depoſitus erit, nullumq. gradum ſacerdotij poterit adipiſci; ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibusq. aſſiduis, quouſque aduixerit, in eadem pœnitentia perdurare, vt commiſſum delictum diuina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros ordines promouendos, quibus nulla ruga, nullumq. vitæ contagium præpediat: quanto magis ſi poſt ordinationem ſuam quiſque in lapſum ceciderit, & præuaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare? A

Sitq. huiuſmodi ſemper iuxta ſacrorum canonū ſtatuta in hac vita depoſitus: vt illum, qui mentis interiora ſcrutatur, nullamq. de ouibus errare congaudet, dum aſpexerit ſinceram pœnitentiam eius, in terribili iudicio habeat reconciliatum. Ideoq. iterum hortamur tuam charitatē, exemplo eius qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis eius ſeruitijs permanere. Neque nos pigeat temporales cruciatus pro Chriſti nomine ſuſtinere, ſed emolumenta futuræ remunerationis huius ſæculi vexationes tolerare perſuadeant. Scriptum namque eſt[a]: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Tantum enim a nobis exigitur, quantum poſſumus famulatus noſtri obſequio commodare. Cumq. cuncta quæ nobis ad confortandos fraternitatis veſtræ animos poterant miniſtrari, largiente ſupernæ maieſtatis clementia, vobis ſint proculdubio manifeſta; reſtat vt de alijs, quæ nos per ſua ſcripta conſuluit, fraternitati tuæ ſignificemus. B

NON DESISTENDVM A COEPTIS.

[a] *Pſal.* 115.

Credimus enim ad vos peruenisse, quomodo in conturbatione rectæ fidei & Catholicæ Eccleſiæ conculcatione ante hos plus minus quindecim annos a Sergio falſo Epiſcopo Conſtantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium, execranda & abominanda hæreſis pullulauit Apollinariſtarum, & Seuerianorum, Eutychianiſtarum, atque Manichæorum errorem reuocans, quam ſucceſſor eius Pyrrhus idemq. Epiſcopus, qui ambitionis faſtu Conſtantinopolitanam ſedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re ſæpius Apoſtolica ſedes perſuaſionibus, conteſtationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab huiuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapſi ſunt, remearent: & non ſolum hoc facere nullatenus voluerunt, ſed & nunc ſucceſſor eius Paulus temerator fidei Epiſcopus Conſtantinopolitanus alium nequiorem excogitauit in præiudicium Catholicæ fidei conatum, quaſi quæ a deceſſoribus ſuis hæretice expoſita fuerant, deſtruens: & Imperialem Typum ſacrilego auſu totius plenum perfidiæ a clementiſſimo Principe noſtro fieri perſuaſit, in quo promulgatum eſt vt omnes populi Chriſtiani credere debuiſſent. Ideoq. neceſſe habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commiſſæ ſunt, culpæ reatu adſtringamur, cœtum generalem fratrum & coepiſcoporū noſtrorum in hac Romana ciuitate congregare, in quorum præſentia memoratorum hæreticorum ſceleroſa conſcripta examinata atque denudata ſunt, & Apoſtolico mucrone, Patrumq. definitionibus vno ore vnoq. ſpiritu condemnauimus: vt cognoſcentes vniuerſi errorem qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. C

DE DAMNATIS MONOTHELITIS.

D

Vnde præuidimus volumina geſtorum Synodalium in præſenti vobis dirigere vna cum Encyclia * noſtra, ex quorum ſerie omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum vt filij lucis extinguere. Idcirco ſtudeat fraternitas tua, omnibus eadem innoteſcere, vt tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur, quamq. ſuæ ſalutis ſacramenta indiſcere valeant, atque Synodali conuentione omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundum tenorem Encycliæ * a nobis directæ, ſcripta vna cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes eis quæ pro Orthodoxa fide & deſtructione hæreticorum veſaniæ nuper exortæ a nobis ſtatuta ſunt; & Sigebertum præcellentiſſimum filium noſtrum Regem Francorum pro ſuæ Chriſtianitatis remedio conſultiſſime admonere atque precari, dirigere nobis ex corpore fratrum noſtrorum dilectiſſimos Epiſcopos, qui ſedis Apoſtolicæ legatione, diuina concedente propitiatione, fungi debeant, & quæ in noſtro Concilio peracta ſunt, cum alijs Synodalibus apicibus noſtris ad clementiſſimum Principem noſtrum ſine dubio adſportare: vt noſtrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipiſci valeat, & ſui regni protectorem inueniat eum, cuius cauſa flagitari * dignoſcitur

* Encyclica

E

* Encyclicæ

* fatigari

A gnoſcitur: hoc namque & per eius epiſtolam exhortari eum cognoſcimur.

Reliquias vero ſanctorum, de quibus præſentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam codices iam exinaniti ſunt a noſtra bibliotheca,& vnde daremus ei,nullatenus habuimus. tranſcribere autem non potuit: quoniam feſtinanter de hac ciuitate regredi properauit. His igitur prælibatis, quæ a nobis per epiſtolam vobis ſcripta ſunt, effectui mancipari, fraternitatem veſtram hortamur. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.] hæc ad Amandum Martinus Papa. Porro Amandum hunc haud vllum alium putamus, quam eum, de quo plura ſuperius, Epiſcopum Traiectenſem, a quo diximus ſuſceptum baptiſmo Sigebertum (de quo agitur in hac epiſtola) Regem Francorum, filium Dagoberti, quem & ſuperſtitem vixiſſe vſque ad annum Domini ſexageſimumprimum ſupra ſexcenteſimum, ſuo loco dicturi ſumus. Porro hoc quod cum Gallicanis Epiſcopis

B egiſſe ſanctum Martinum Pontificem vidimus, certum eſt agere minime prætermiſiſſe cum alijs Chriſtiani orbis Epiſcopis, cum Africanis præſertim, quorum plurium Conciliorum lectæ eſſent in eadem Synodo querelæ aduerſus eoſdem hæreticos; ſed & nec præterijſſe Hiſpanos Epiſcopos,vel ex eo certo aſſequi poſſumus, quod ijdem congregata Synodo, damnarunt Monothelitas.

MARTINVS CONCEDIT RELIQVIAS S. AMANDO.

Accepta eſt autem ab vniuerſo Catholico orbe magno plauſu & honore ſancta hæc Romana Synodus: adeo vt ad plenam fidei Catholicæ profeſſionem, poſt quinque vniuerſalium Synodorum aſſertionem, huius quoque ſub Martino Synodi adijcere ſolerent fideles confeſſionem: vt intelligere potes ex Synodo Anglicana ſub Theodoro [a] Archiepiſcopo celebrata, de qua ſuo loco dicendum. Perſeuerauit autem vſus iſte vſque ad plenam promulgationem Sextæ œcumenicæ Synodi.

[a] Bed. hiſt. Anglor. lib. 4. c. 17.

C His enarratis, conſideres velim, lector, ſanctiſſimi Martini Papæ conſtantiam, animumq. vere ſacerdotalem in difficillimis ſemper intrepidum, dum hoc tempore, quo nullus Orientalium Patriarcharum Catholicus eſſet, ipſeq. Imperator hæreticus atque acerrimus hæreticorum defenſor, & in Italiam ad promulgandum Typum miſſus eſſet Olympius Exarchus: cum inſuper nec adhuc eſſet obducta cicatrix illati Romanæ Eccleſiæ vulneris ab Iſacio Exarcho prædeceſſore: dum etiam (quod vidimus) & Italia quateretur motibus impij Longobardorum Regis hæretici Ariani: hoc inquam ipſo deploratiſſimo tempore idem ſanctiſſimus Pontifex, nulla horum habita ratione, vel trepidatione retardatus, vix aſcenſo Apoſtolico throno,ne quicquam liceret nouitati Imperatoris auctoritate graſſanti, confeſtim magnam hanc Synodum Epiſcoporum conuocat, non aduerſus tantum nominatos hæreticos, quos probe ſciret non indigere alia damnatione, cum damnati eſ-

MARTINI PONTIFICIS INGENS ANIMVS.

D ſent a prædeceſſoribus, ſed aduerſus Imperatoris recens promulgatum de fide edictum illud, quod Typum appellant, acturus: adeo vt præſens bellum aduerſus Imperatorem ipſum potiſſimum videri poſſet ab ipſo eſſe ſuſceptum.

Potuiſſet quidem ipſe iſtæc omnia colore aliquo diſſimulare, in aliudq. tempus referre, diuerſasq. differendi cauſas & impedimenta prætexere: ſed nihil veritus Imperatoris edictum, vt illud damnationi ſubijciat, indefeſſo intrepidoq. animo laborat. Quod enim ſciret impios hæreticos, quo minus iuſta cauſa pollerent, eo magis ad ſtabiliendos errores auctoritatem atque potentiam aduocare Imperatoris (nam quod Sergius fecerat cum Heraclio, modo Paulum cum Conſtantio feciſſe ſciebat) ipſe ex aduerſo conſurgens, nihil Imperatori licere in his quæ fidei ſunt decernere, declarauit: quodq. factum temere noſſet, Eccleſiaſtica lege contraria putauit eſſe damnandum, atque penitus abro-

E gandum: cum non ignoraret, quam periculoſam iaceret aleam his aduerſari, & ſubijcere anathemati pragmaticam ſanctionem viuentis Imperatoris per miniſtros hæreticos cuncta vertentis.

Attamen quod ipſe ſciret cuncta quamuis maxima poſthabenda eſſe veritati, atque ita ſe creatum eſſe primarium Eccleſiæ Antiſtitem, vt fideliſſimus cuſtos eſſet accepti a Petro Apoſtolo & a ſucceſſoribus eius depoſiti: haud extimuit aduerſus Imperatorem fidem Catholicam in diſcrimen adducentem obniti, ab eoq. promulgatum edictum contrarijs legibus condemnare, fidemq. Catholicam poſteris bene defenſam, ſartam tectam atque firmatam relinquere, circulariq. epiſtola toto Chriſtiano orbe vulganda & decantanda infame impiumq. declamare eiuſdem Imperatoris edictum. Iſta tunc quidem Martinus, dum adhuc captiua ipſa Romana detineretur Eccleſia, cum ei nonniſi conſenſu Imperatoris (vt ſæpe dictum eſt ſuperius) liceret habere paſtorem: qui & tunc ma-

gno

gno assurgeret vigore animi & libertate, vt nullo in promulgandis Apostolicis sanctionibus petito Imperatoris assensu, paratus etiam esset eas ad ipsas Palatij fores affigere per Ecclesiæ Romanæ ministros: & tanta hæc auderet hoc potissimum tempore, cum & de Typo in Italia promulgando in mandatis accepisset Olympius Exarchus, qui (vt dictum est) missus fuerat a Constante in Italiam; & tunc maxime, cum idem Olympius magnopere aduersatus ipsi Martino fuisset. Nam audi Anastasium: A

OLYMPIVS EXARCHVS IN ITALIAM MITTITVR.

Ipsis, inquit, diebus Imperator direxit in Italiam Olympium cubicularium ad regendam omnem Italiam, præcipiens ei & dicens: Oportet gloriam tuam, sicut suggessit nobis Paulus Patriarcha huius a Deo conseruandæ vrbis, peragere: & si quidem inueneris prouinciam ipsam consentientem in Typo a nobis expositio, tuere * omnes qui ibi sunt Episcopos huius hæresis professores & habitatores & peregrinos, vt in eodem subscribant. Sin autem secus accidit, quomodo nobis suggessit Platon gloriosus Patricius, tu & Eupraxius gloriosus potueritis suadere exercitui ibidem consistenti, quod iubemus teneri Martinum, qui hic erat Apocrisarius in regia vrbe, & postmodum relegere eum qui factus est a nobis Orthodoxus Typus, vt omnes Episcopi Italiæ in ipso subscribant. Si autem inueneritis contrariantem in tali causa exercitum, taciti abitote, donec obtinueritis prouinciam, & poteritis vobis exercitum aggregare tam Romanæ ciuitatis, quam Rauennatis: vt ea quæ a nobis præcepta sunt, quantocyus explere valeatis. B

* tenere

OLYMPIVS QVID CONTRA MARTINVM.

Qui prædictus Olympius veniens in ciuitatem Romanam, inuenit sanctam Romanam Ecclesiam coadunatam cum omnibus Episcopis Italiæ, seu sacerdotibus, vel clero. Et volens adimplere quæ ei iussa sunt, armans se cum exercitus virtute, voluit schisma sanctæ Ecclesiæ intromittere (hoc per plurimum tempus actum est) & non illi permisit omnipotens Deus quæ nitebatur perficere. Videns ergo se a sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia superatum, necesse habuit de sua tam mala intentione declinare; & quod non potuit per manum armatam facere, surreptitio modo per Missarum solemnia nisus est implere. In ecclesia enim Dei genitricis Mariæ ad Præsepe, dum ei communionem porrigeret sanctissimus Papa, voluit interimere eum, vt demandauerat suo spathario. Sed Deus omnipotens, qui solitus est seruos suos Orthodoxos circumtegere & ab omni malo eripere, ipse excæcauit spatharium Olympij Exarchi, & non est permissus videre Pontificem, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit, ne sanguis eius effunderetur, & Catholica Dei Ecclesia hæresi subiugaretur: quod postmodum prædictus armiger diuersis cum iureiurando professus est. C

OLYMPIVS VICTVS MVTAT SENTENTIAM.

Videns ergo Olympius Exarchus, quia manus Domini circumtegebat Martinum Papam, necesse habuit se cum Pontifice concordare, & omnia quæ ei iussa fuerant, eidem viro indicare. Qui pace facta cum sancta Dei Ecclesia, colligens exercitum, porrectus est in Siciliam aduersus gentem Sarracenorum, qui ibidem inhabitabant, & peccato faciente, maior interitus tunc exercitui Romano peruenit. Et post hoc idem Exarchus morbo interijt.] hucusque de rebus cum Martino Papa gestis ab Olympio Exarcho Anastasius, quarum causa crimini postea (vt suo loco dicemus) eidem sancto Pontifici datum est, quod cum eodem Olympio Exarcho aduersus Imperatorem coniurasset: purpuram namque Romæ suscepisse Olympium, eiusdem Pontificis Acta de rebus gestis Constantinopoli docent, de quibus suo loco inferius dicendum erit. D

Inter tot tantaq. discrimina imperterritus semper stetit summus Dei sacerdos, nihil penitus prætermittens eorum quæ essent vniuersalis Ecclesiæ totius Antistitis, & cœpta prosequi, & executioni quæ essent absoluta mandare. Qui enim ante Exarchi Olympij faciem damnauit Typum Imperatoris, & (vt dictum est) ad diuersas prouincias eius condemnationem vna cum Synodalibus litteris misit: idem de ijsdem in Synodo Romæ gestis scripsit litteras ad ipsum Constantem Imperatorem, ea quidem moderatione, vt nequaquam ipsi crimini daret Typi illius editionem, sed Paulo, qui suaserat. Audiamus ipsam epistolam ad Imperatorem conscriptam, cui huiusmodi præfixus est titulus[a]: E

[a] *Epist. 3. Martin. tom. 2. epist. Rom. Pont.*

EPISTOLA MARTINI PAP. AD CONSTANTEM IMP.

* Constantino

Domino pijssimo & serenissimo victori, triumphatori, filio diligenti Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, Constanti * Augusto, Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, & vniuersa Synodus in hac vrbe Roma congregata.] ita plane honesto titulo prosequitur Constantem Augustum Pontifex, quod etsi hæreticus esset, non tamen palam omnino cognitus atque damnatus ab Ecclesia: quamobrem eodem eum prosequitur honoris cultu, ac si esset penitus Orthodoxus. Epistola autem ipsa sic se habet:

Cælesti

A Cæleſti ſæculorum Regi Chriſto Deo, qui per carnem vna cum mente animatam & ipſi ſecundum hypoſtaſim vnitam in terris apparuit, Magi terrena munera prompte obtulerunt, non magis quæ diuina gloria ipſius digna eſſent (eſt enim incomparabilis) quam quæ promptam eorum voluntatem declararent: illa enim infinita eſt, hæc ſingularem Deo amorem exhibet. Vobis autem, ſereniſſime, qui in terra per ipſum regnatis, & ad eum properatis, cum multa libertate pretioſa offerimus dona qui omnes per gratiam ſacerdotes eius exiſtimus, ſalutaria nempe ſanctorum Patrum & Synodorum præconia ad veram oſtenſionem internæ erga ipſum Dominum ac Deum noſtrum charitatis, & erga vos, qui ſinceri eius eſtis miniſtri. Et quoniam omne [a] datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum: tamquam ſplendidum aurum poſſidemus firmam in eum & ſinceriſſimam confeſſionem: Theologiam vero thus purum & B eximium & optimi odoris: myrrham conſeruatricem bonorum & contrariorum expultricem doctrinam. hæc enim ſtabiliter cuſtodita, erunt ditioni veſtræ corona decoris & diadema gloriæ in manu Domini. Nam regni ornamentum eſt veritatis cognitio, ſplendida & immarceſcibilis, quæq. inuenitur his qui eam quærunt: quoniam hæc dignos ſe circuit quærens, & ijs ſe oſtendit, qui eam non tentant.

[a] Iac. 1.

Quapropter vobis, optime Imperator, vt Dominum quærentibus in ſimplicitate cordis & in mentis bonitate de eo ſentire properantibus, ſtuduimus eius annunciare ſalutare hac relationis noſtræ mediocritate. Nobis enim per Amos prophetam de ſe annunciare præcepit, dicens [b]: Sacerdotes audite, & teſtificamini domui Iſrael, dicit Dominus Deus omnipotens. Edocemus igitur pium veſtrum ac ſerenũ Imperium, quod in hac Dei amante & cultrice veſtra vrbe Roma conuenientes nos omnes qui ad manſuetudinem veſtram C confugimus, ex Apoſtolica & ſpirituali vnanimitate & conſenſu, in eadẽ mente & eadem ſententia piam Orthodoxæ fidei definitionem confirmauimus, & congruenter infirmauimus inconuenientem hæreticorum ſermonem, qui quondam, quiq. nunc propriorum ſenſuum prauitate ſe a veritate ſeparārunt: qui intra ipſos non recte ratiocinati dixerunt, non habere in humanitatis ſuæ natura voluntatem, aut operationem naturalem, ipſum, qui propter nos humanatus eſt, Dominum, ſed ſine voluntate ipſum exiſtere ac ſine operatione, intangibilemq. & inanimem eſſe: & quidem cũ Patrum doctrina teſtem veritatis propriam habentes naturam, ad redarguendam eam, quæ de hoc ab ijs dogmatizatur, abſurditatem, cum ſubſtantiam ſuam videant ab ipſo Creatore voluntate præditam & operatoriam factam eſſe. Quomodo igitur a ſe fabricatam & propria incarnatione aſſumptam a naturali voluntate & operatione deminuit, non vere faciens ſubſtantiæ noſtræ D in ſe fidem, ſed imaginarie & fallaciter diſpenſationem ſecundum illos perpetrans, qui ob hoc vnam diuinitatis eius atque humanitatis voluntatem & operationem eſſe dogmatizarunt?

[b] Amos 3.

Quapropter ab omnibus fere aliarum prouinciarum Deo amabilibus Epiſcopis, & ab Apoſtolicis Pontificibus in hac ſeniore Roma conſtitutis, in dilectione admoniti, vt ab huiuſmodi damnabili nouitate abſtinerent: ad correctionem non venerunt, ſed in deterius progreſſi ſunt, diuinam eius voluntatem & operationem in humanam contrahentes: ac veluti aſſerentes, nullam vllo modo eum in vtraque earum, ex quibus & in quibus eſt, naturarum voluntatem & operationem habere, ſed abſque voluntate naturam eſſe & abſque operatione: quod omnium tum ſanctorum Patrum tum œcumenicorum quinque Conciliorum definitiones euertit, quæ per omnia perfectum eumdem in diuinitate & in E humanitate perfectum prædicauerunt, tantum abſque peccato: nam in peccato naturæ perfectio non conſpicitur, ſed vitium agnoſcitur noſtræ tranſgreſſionis. Quod ſi perfectus eſt, eſt videlicet perfectus ſecundum diuinam voluntatem & operationem, quemadmodum & iuxta naturam principij expertem atque increatam; & ſecundum humanam quoque tum voluntatem, tum operationem, vt & ſecundum naturam creatam, & quæ principium habuit.

Qui vero in aliquo eum imminuit, manifeſte euertit perfecti rationem, eam conſpici nullo modo permittens propter eius quod naturæ conuenit defectum, quem aduerſarij, Theodorus videlicet qui Pharan Epiſcopus fuit, & Cyrus qui Alexandriæ, Sergius qui Regiæ vrbis, ac eorum ſucceſſores Pyrrhus & Paulus in prima & ſecunda conſcriptione dogmatum ſuorum non ſolum poſuerunt, ſed etiam ſtuduerunt vt ſibi illa per expoſitionem, hæc per formulam confirmaretur, idq. contra fidem, nefarie ſubrepentes veſtræ ſe-

renitatis

renitatis auribus, vt & antea auribus beatæ memoriæ aui manſuetudinis veſtræ, vt culpam ſuam callide alijs aſpergerent, deq. manu Domini hanc ob cauſam duplicia ob peccata ſua reciperent, iuſtas videlicet pro ijs pœnas, vtpote qui ea peccauerint, ex quibus non exigua perturbatio tamdiu vniuerſam terram vexat, quod non ſolum pij populi ſcandalizentur, ſed impij etiam barbari magnum confeſſionis noſtræ myſterium traducant: quia non ſolum prima ac potiſſima fides ab aduerſarijs labefactetur, ſed ea etiam, quam excogitarunt, ſtatim ab ijs euacuetur, oppoſita nouæ peſſimæ hæreſeos prauitate: vt de cetero ne illi quidem intelligant quid ab illis credatur, aut exiſtimetur, propter obſtinatam propriarum opinionum euerſionem. A

Quocirca omnium fere piorum ſacerdotum & populorum contra eos clamores Apoſtolica ſedes accipiens, orantium atque obteſtantium, ne vſque in finem Catholicam Eccleſiam ab ipſis in periculum adductam negligamus, ſed exurgamus acriter, & immaculatam Chriſtianam fidem diligenti paternarum & Synodicarum traditionum obſeruatione conſeruemus: nos omnes ſacerdotali ordine conuocauit, vt a nobis omnia aduerſariorum dogmata tractentur, & canonice per commentariorum Acta iudicentur. De quibus opinionibus ſuis ad ſimpliciores fallendos auſi ſunt dicere, hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt qui ab initio ipſi viderunt & miniſtri fuerunt ſermonis, quiq. deinceps eorum diſcipuli & ſucceſſores fuere Catholicæ Eccleſiæ diuinitus inſpirati doctores, id eſt, ſanctæ & œcumenicæ quinque Synodi. B

Ad veritatis igitur oſtenſionem & denudationem calumniæ aduerſariorum, abſurdam illam doctrinam, & piam ſanctorum Patrum Synodorumq. prædicationem, aduerſa dilucide inter ſe comparantes, nec horum ad illa vllam conuenientiam & cognationem inuenientes, quemadmodum nec tenebris prorſus ad lucem: hæc (vt diximus) definientes, ſanciuimus ſalutaria, nempe ſanctorum Patrum & Synodorum decreta: illa vero omnes, vt pijs definitionibus contraria & inimica, vna voce damnauimus, ipſosq. etiam hæreticos, prædictos nempe homines vna cum ipſorum expoſitione & præfata formula, orta ex ſuggeſtione & prauo eorum dogmate, cumq. his omnibus quæ pro ijs acta ſcriptaq. ſunt: vt veſtram in omnibus ſine vlla macula felicem conuerſationem tueamur, quæ aduerſariorum ſcriptis grauatur. In quam auſi ſunt religioſis Africæ Epiſcopis dicere, ſcribentes, quod mente conſilioq. regio vere excitati memoratam impiam * formulam expoſuiſtis, præcipientem de nimia obſeruatione Paulum ſine damno remittere. Hæc autem ſcripſerunt, ſanctis Patribus nullo modo auſcultantes, quod in ijs quæ ad Deum pertinent, inq. diuinis prædicationibus, id quod parum abeſt, paulumq. mutatum eſt, non paruum tamen eſt ducendum, ſed in eo vel maxime veſtræ poteſtati labem (vt dictum eſt) inurere properarunt, quod illam formulam præter exactam rationem eſſe teſtati ſunt, & ſcripto alijs ſignificarunt. C

* piam

Quorum in his nequitiam & fraudem auerſantes, cum his ipſis & eorum hæreſim canonice damnauimus, vbique omnibus & ante omnes veſtræ diuinitus ſtabilitæ ſerenitati notum facientes per ea quæ ſynodice a nobis pro Orthodoxa fide in præſenti acta ſunt, quod duas eiuſdem & vnius Chriſti Dei edicunt Theologi naturas ſiue ſubſtantias confiteri ſecundum hypoſtaſim vnitas inconfuſe & indiuiſe, & duas iuxta naturam voluntates, duasq. iuxta naturam operationes, diuinam & humanam, increatam & creatam, coniuncte vnitas ad veram confirmationem, quod Deus natura perfectus & homo natura itidem perfectus, idem proprie eſt & vnus Chriſtus ac Filius; quodq. omnes ſanctis Patribus contraeuntes hæretici, quiq. confuſione, quiq. diuiſione proprijs dogmaticis deprauati ſunt, impie vnam in eo voluntatem & vnam operationem ſunt confeſſi, alij quidem vt per inanem ſpeciem, alij vero vt per nudam nominum ſimilitudinem, ſiue per puram ambiguitatem magnum incarnationis Chriſti myſterium temerarie reprobarent. D E

Vnde nos ad pietatem veſtram confugientes, vt vtrorumque tum paternorum piorumq. decretorum, tum impiorum hominum ac dogmatum differentiam veſtræ poteſtati aperte exhiberemus, hæc a nobis ſynodice acta vna cum eorum Græca interpretatione miſimus, orantes atque hortantes ſerenitatem veſtram diuinæ ſapientiæ deditam, vt hæc diligenter legere dignetur, pietatisq. legibus memoratos hæreticos vna cum eorum hæreſi condemnet, ac religionis diuinæ rationibus ſolam nobiſcum, qui minimi ſumus, ſanctorum Patrum & Synodorum Orthodoxam confeſſionem ſanciat ad Catholicæ Eccleſiæ commendationem & laudem, & ad incolumitatem Reipublicæ veſtræ Chriſtum amantis,

ipſiq.

A ipſiq. ſeruientis. Solet enim vna cum Orthodoxa fide ſtatus Reipublicæ florere. Ac veſtræ poteſtati merito hoſtes ſubiugabit Dominus a veſtra ſerenitate recte creditus, ad vindictam inimicorum creaturam armans. Induet[a] enim lorica iuſtitiæ pietatem veſtram: galeaq. muniet, iudicio vero ac ſimulationis experte: & clypeum præbebit inexpugnabilem religionem, ad ſubijciendum pedibus eius barbaras omnes gentes, quæ bella volunt; vtq. victorem efficiat, rebus contra vitia pariter & homines feros præclare gerendis: & religioſorum laborum præmium reddat, æternam cum ſanctis, qui a ſæculo ſunt, fruitionem & quietem. Pijſſimum domini Imperiũ ſuperna gratia cuſtodiat, & omnium gentium ceruices ei ſubdat.] hucuſque ſanctus Martinus ad Conſtantem Imperatorem; cui epiſtolæ tum ipſe, tum reliqui qui Synodo interfuerunt Epiſcopi ſubſcripſerunt. *a Epheſ. 6.*

At non perfunctorie prætereunda eſt illa de fide Catholica ſeruanda, & hæreſi proſcri-
B benda, grauiſſima & Romano tanto Pontifice digna ſententia, qua declarat, vna cum Orthodoxa fide bene conſeruata & cuſtodita creſcere ac dilatari Reipublicæ ſtatum; perturbari vero & in deterius labi, proſterniq. penitus neceſſe eſſe, cum Imperatores & Reges id facere prætermittentes ita valide pro aduerſarijs ſuis pugnant; ſicq. cum Eccleſia exagitari ſinitur & proſterni, Imperium labefactatur. Sunt plane hæc ex eorum quæ frequentiſſime acciderunt exemplis iam perſpicue nota reddita, cunctisq. facta dilucide manifeſta: quæ infeliciſſimi Principes ſuo ipſorum damno eſſe vera cum experiantur, tamen vertigine quadam mentis abrepti, hæc minime attendentes, dum Eccleſiæ repugnant, ſeipſos impugnant, & in deterius prolabentes, innumera mala Chriſtianæ inferunt Reipublicæ. Sed de his ſæpe deploratis iam ſatis. Ad Martinum Pontificem redeamus. MONITIO SANCTI PONTIFICIS.

C Qui enim vniuerſo orbi vigilantia ſpirituali ſe præeſſe ſciebat, vbi monuiſſet Orientales, ſcribens etiam ad ipſum Imperatorem non defuit curæ paſtoralis officio, vt mitteret & in Africam epiſtolam circularem ad eos, qui ex diuerſis Concilijs Africanis ad ipſum iam ſcripſerant. Teſtatur id quidẽ ipſe Martinus in epiſtola[b] data ad Eccleſiam Carthaginenſem, eiusq. Epiſcopos ipſi ſubiectos, cuius eſt exordium: Omnis quidem virtus, dilecti fratres, &c.] vbi vt de rebus geſtis in Concilio Romano ijdem fierent certiores, ſe ad illos eiuſdem Acta mittere vna cum ijſdem litteris Synodalibus, docet his verbis: Vt autem huiuſmodi noſtri ſacrificij pretioſum opus vobis quoque ipſis penitus certum faceremus: ea quæ in præſenti a nobis geſta ſunt, continentia (ſicuti dictum eſt) veſtrorum ſermonum ſplendorem & coruſcationem, *ipſorum videlicet litteras contra eoſdem hæreticos Romam miſſas ijſdem Actis intextas*, vna cum noſtris Encyclijs litteris ad vos mi-
D ſimus per Theodorum & Leontium religioſos monachos ſanctæ Lauræ: vt ſcienter intuentes noſtra dogmata (noſtra enim ſecundum indiuiſam ſpiritus communionem veſtra ſunt) id eſt Apoſtolicas & paternas Eccleſiæ Catholicæ prædicationes, dicatis & ipſi in diuina agnitione, facti nequaquam in exceſſu mentis, verum ſemper mentibus vigilantes: Hoc nunc os ex oſſibus noſtris, & caro de carne noſtra: eamdem quippe in ſenſibus verbisq. veritatis cognationem per omnia & conſpirationem inuenientes. Hæc vera fides vocabitur, &c.] Dedit itidem ſanctus Martinus, præter Synodalem epiſtolam circularem & Acta Concilij, alias familiares litteras ad Epiſcopum Philadelphiæ in Aſia conſtitutum. *b Martin. epiſt. 4.* AD AFRICANOS EPISCOPOS SCRIBIT MARTINVS PAPA.

Quod enim ſciebat idem Pontifex per relationem a Stephano Dorenſi Epiſcopo in Synodo lectam, perturbatam valde fuiſſe Hieroſolymorum Eccleſiam poſt obitum beati So-
E phronij, inſuper laborare vehementer Eccleſiam Antiochenam ob Macedonium poſt Athanaſium in ea ſedentem æque impium hominem: ad hæc omnia corrigenda, delegat vicem ſuam Ioanni Epiſcopo Philadelphiæ, quem dum creat in Oriente Vicarium Apoſtolicæ ſedis, ad ipſum eiuſmodi litteras ſcripſit[c]: *c Martin. epiſt. 5.*

Ioanni Epiſcopo Philadelphiæ Martinus ſeruus ſeruorum Dei ſanctæ eius Catholicæ & Apoſtolicæ Romanorum Eccleſiæ Epiſcopus.

Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quem de te accepimus, dilecte frater, & ex ijs quæ ad nos a te ſcripta ſunt, & ab ijs qui experimentum iam ceperunt ſpiritualis tuæ ſecundum Deum conuerſationis, Stephano nempe dilecto coepiſcopo noſtro & comitibus eius, monachis manſionis ſancti Theodoſij. Notum enim fecerunt nobis, ſtudium te de his habere, in quibus Epiſcopum eſſe oportere Apoſtolicus[d] ſermo determinat, ſobrium, prudentem, ornatum, hoſpitalem, doctorem, modeſtũ, non litigioſum, non MARTINI PP. EPIST. AD IOANNEM EPISC. PHILADELPH. QVEM CREAT VICARIVM IN ORIENTE. *d 1. Tim. 3.*

cupidum, suæ Ecclesiæ bene præpositum. Hæc igitur audientes, gratiam habemus Deo, A
cui seruimus a iuuentute nostra, qui confortauit vos cum omnibus qui eum diligunt, vt ad
a Rom. 8. mensuram perueniretis huiusmodi Deo amabilis virtutis: quoniam [a] ijs qui secundũ pro-
positũ vocati sunt sancti, omnia cooperatur: Qui nobis etiam omnia diuinæ eius virtutis,
quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit per cognitionem eius qui vocauit nos pro-
pria gloria & virtute; per quæ pretiosæ magnæq. promissiones donatæ sunt, vt per hæc
simus diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corru-
ptionem. Sic igitur procedentem in Domino, & ascensiones ad eum facientem de glo-
ria in gloriam, charitatem tuam exhortamur, religiosissime frater, nostram istic vicem
implere, id est, in Orientis partibus, in omnibus Ecclesiasticis functionibus atque officijs:
b 2. Tim. 1. vt in hoc maxime, sicut oportet, suscites [b] gratiam Dei, quæ in te est per impositionem sa- B
cerdotalis dignitatis, & nostræ Apostolicæ vicis. Non enim dedit nobis Deus spiritum
timoris, sed fortitudinis & dilectionis & prudentiæ ad tollendam omnem hæresim, quæ
verbo fidei aduersatur, & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti diuinæ contra-
rium sit.

Vt sic prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas, & constituas per omnem ciuita-
SYRIAE ECCLESIIS PASTORIBVS DESTITVTIS CONSVLIT MARTINVS PAP. tem earum, quæ sedi tum Hierosolymitanæ tum Antiochenæ subsunt, Episcopos & pre-
sbyteros & diaconos, hoc tibi omnimodo facere præcipientibus nobis ex Apostolica au-
ctoritate, quæ data est nobis a Domino per Petrum sanctissimum principem Apostolo-
rum; propter angustias temporis nostri & pressuram gentium: ne vsque in finem in illis
partibus deficiat sacerdotalis decoris eximius ordo, ac ne inde de cetero nostræ religio-
nis magnum & venerandum mysterium ignoretur, si iam non sit sacerdos, & sacrificium,
aut spirituale libamen, quod iugiter Deo in odorem suauitatis pro salute populi offera- C
tur. Nam oportet in hoc maxime tempore pastoribus spiritualibus frequentari ac muniri,
c Matth. 24. quæ vbique sunt, Dei Catholicas Ecclesias, quo iuxta ipsius Domini prædictiones [c], tribu-
lationes propter peccata nostra venerunt, quales non fuerunt ab initio mundi vsque mo-
do, neque fient, cum quibus & magnæ scandalorum tentationes, vt in errorem inducan-
tur (si fieri potest) etiam electi.] Hæc scribens Martinus, alludit ad Sarracenorum perse-
cutionem, qui captis Hierosolymis & Antiochia (vt dictum est) vniuersæ Syriæ domina-
bantur, atque ad insulas occupandas gentes traijciebant, occupata iam Cypro, & ten-
d Theoph. hoc ann. Imp. Constant. tantes Cyclades insulas, ex quibus hoc anno potiti sunt Arado [d], quam inhabitabilem
penitus reddiderunt. Sed pergit:

Quocirca ne differas omnimodo, dilecte, implere iuxta præceptum nostrum, Episco- D
pis & presbyteris & diaconis, qui istic sunt, Catholicas Ecclesias commendare, qui per
* bonum propriam eorum conuersationem in omnibus bonis* testimonium habeant, &c.] plu-
ra inculcans de eorum qui essent Ecclesijs præficiendi integritate. quantum vero id cu-
piat, docet ijs quæ sequuntur verbis, hæc dicens: Dolor enim mihi est magnus, & inces-
sabilis molestia cordi meo, quoadusque per vestrum in Christo studium hoc opus ab-
solutum videam. quandoquidem hoc & prius Apostolica hæc sedes fieri præcepit per
STEPHANVS EPISC. IMPEDITVS AGERE IVSSA MARTINI PAP. memoratum Stephanum dilectum coepiscopum nostrum: sed hoc salutare propositum
ad effectum venire prohibuerunt, qui talia prohibere dignos seipsos præstiterunt, qui
pro arbitratu suo ea quæ ædificationis sunt, nota ei omnino non fecerunt, nempe præ-
cepta demandatæ vicis Apostolicæ huius cathedræ, quibus iussus est electiones ibi fa-
cere eorum qui ad curam Christianissimi populi deligendi sunt: solummodo autem
ei significarunt de depositione, *eorum scilicet qui se intruserunt Episcopos in Ecclesias* E
Palæstinæ, timorem Domini minime cogitantes, neque in his formidabilem eius in-
dignationem.

Quoniam igitur (vt nosti) dilecte frater, in ædificationem magis quam in destructio-
DE RESTITVENDIS LAPSIS. nem a Domino potestatem accepimus: studio tibi sit, ea quæ ædificationis sunt operari,
dato tibi per nos eius discipulos Apostolico præcepto & potestate: & gratia dignos pro-
mouere nequaquam dubites ad incolumitatem & securitatem Ecclesiæ Catholicæ, cum
magna dilectione exhortans eos qui iam depositi sunt, conuerti ad Dominum: potest
enim eos rursum in admirabilem lucem suam adducere, qui hæc facit & immutat, pro-
ut vtilius est.] Et inferius, quanto animi afficiatur angore pro huiusmodi lapsis, ista sub-
dit: Quare nimium propter ipsos aporior, donec rursum formetur in ijs per fidem Chri-
stus. Vnde pro ipsis indesinenter diu noctuq. cum lacrymis obsecrationem facio, vt

ipse

A ipſe qui propter nos in carne voluntarie paſſus eſt, rurſum eos virtute proprij & viuifici ſanguinis ad ſe ipſum & nos indiſſolubiliter per ſinceram concordiam vniat. Cognoſcens igitur, dilecte, huiuſmodi noſtrum de ipſis mærorem, ne ceſſes per miſericordiam Dei continenter eos hortari,& propheticam ijs quotidie decantare vocem, quæ dicit [a]: Num- *a Hierem. 8.*
quid qui cadit, non reſurget; & qui auerſus eſt, non reuertetur?] Et poſt nonnulla de ſpe qua erigi lapſi debeant, hæc adijcit:

Quapropter ſi virtuti gratiæ mentem obſequentem habebunt, & obedientem aurem, vt perſuadeantur,& audiant vocem Domini, vt eum per veram confeſſionem cognoſcant: confirma vnumquemque eorum in proprio ordine, ſcriptos libellos ipſis dantibus de Orthodoxa fide, vt fructum Deo ferant aliorum conuerſionem & meliorationem: atque vt multum fructum afferentes, maiore a Deo honore digni habeantur. Hoc etiam omni-
B no aduertat charitas tua, in ijs qui ab ipſa confirmantur, aut eliguntur, ne quo modo præter hæreſim quæ ab ipſis dato libello euacuatur, alia quædam peccata, notato canone, eorum impediant vel confirmationem, vel electionem. Impoſſibile enim eſt ea contegere, vel prætermittere, quæ conuenientem locum defenſionis non habent: ſed omnino in ijs qui libenter peccant & amant peccare,denegare oportet eam veniam, quæ in huiuſmodi lapſibus ex diſpenſatione datur: ne & ipſi propter canonis contemptum amplius grauentur, & nos in culpa ſimus, iniuſte agendi eis licentiam permittentes. DEFENSORES ENIM DIVINORVM CANONVM ET CVSTODES SVMVS, NON PRAEVARICATORES. Quandoquidem præuaricationibus coniunctæ manifeſto retributiones ſunt.

Cuius rei gratia hortamur canonem obſeruari in ijs qui præter mentem ac ſcientiam ſe
C ipſos elegerunt, vel electi ſunt *Epiſcopi ſcilicet* in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronij *Hieroſolymorum Epiſcopi*. Qui ſane ante ipſius Patriarchiam, vel poſt deceſſum in Domino a quibuſdam non conuenienter electi ſunt,propter anguſtiam (vt dictum eſt) temporis, vel quod eius copia non eſſet, qui iudicio adhibito, ſiue iuxta canones eligere deberet, vel permittere: tales, datis ſcriptis libellis, confirmari mandamus, nullatenus inde canoni præiudicio facto. Nouit enim canon afflictorum temporum perſecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præceſſit, præuaricationem redarguens, ſed anguſtia magis & penuria, quæ propter neceſſitatem ex miſericordia cogit multam diligentiam prætermittere. Sed hæc de iſtis.] Ad cauſam vero Macedonij pſeudoepiſcopi Antiocheni ſtylum conuertens, ſic pergit: QVANDO ET CVM QVIBVS DISPENSANDVM.

Eius vero qui falſo Epiſcopatus ſibi nomen affinxit, Macedonij dico, importunas lit-
D terarum minas, ſiue proteſtationem fortiter deſpuito vt rabidi canis & temerarij latratum, auſcultans ei, qui dicit [b]: Nolite timere opprobrium hominum, & contemptu eorum ne vincamini. Hunc enim Epiſcopum Catholica Eccleſia nullo modo nouit, non ſolum quod is præter canones in externa regione ſine conſenſu & abſque vllo certo decreto hanc ſibi appellationem vſurpauit, ſed & quod conſentiat hæreticis, qui hæreſeos ſuæ appendicem eius electionem per contemptum tumultuarie fecerunt: quemadmodum & Petri,qui ab ijs nominatus eſt & aſſimulatus Epiſcopus Alexandriæ, vt per plures & aſcriptitias perſonas hæreſim ſuam munitiorem vtique reddant:quam vna cum ipſis in præſentiarum canonice hic & ſynodaliter anathematizauimus, Theodorum videlicet, &c.] eoſdem ſcilicet, quos ſupra ſæpe nominatos audiuimus in Synodalibus Actis, de quibus & iſta ſubdit: DE CAVSA MACEDONII PSEVDOEPISC. ANTIOCHENI. *b Iſa. 51.*

E Quæ vt cognoſcat tua in Domino ſpiritualis dilectio, ac per te omnes quæ iſtic ſunt Eccleſiæ Catholicæ : hæc ipſa a nobis hic ſynodaliter geſta ad conſtabiliendam * defendendamq. Catholicam Eccleſiam, vna cum Encyclijs noſtris & Synodalibus litteris miſimus per presbyterum & Apocriſarium noſtrum Abbatem Theodorum, & monachos ſancti Theodoſij religioſiſſimæ manſionis Ioannem, Stephanum, Leontium, qui huiuſmodi noſtræ Apoſtolicæ Synodo interfuerunt,& per gratiam Dei ipſo viſu didicerunt quæ inſecuta ſunt omnia & canonice definita. Quæ ipſe firmiter cuſtodiens, denuncia quoque omnibus qui iſtic ſunt, fidelibus populis, inuiolabiliter tenere, vt propriarum ſalutem animarum. Quapropter teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto & electis Angelis, vt hæc cuſtodiens, amoto omni præiudicio, nihilq. placendi cauſa faciens, ſed ex pura conſcientia Euangelium gratiæ tradas omnibus, ſicut accepiſti & a ſanctis Patribus, & a nobis ipſis, qui ſynodaliter ſanctiones eorum confirmauimus. Ne igitur erubeſcas teſti- MITTIT ACTA SYNODALIA. * conſtituendã

monium Domini nostri Iesu Christi, sed conforteris gratia ipsius: & quæ audisti a nobis per multos testes, siue demonstrationes ex Scripturis & ex Patribus, ea commenda fidelibus hominibus.] & post multa eodem argumento inculcata, ita finem imponit epistolæ: A

Ecce vero in auxilium, vt magno studio ac sine vllo impedimento charitas tua ministerium impleat a nostra Apostolica auctoritate tibi commissum, hortati sumus Deo amabiles Episcopos, ipsum dico Theodorum Esbūtiorum & Antonium Bacathorum adesse in omnibus, ac pro viribus inseruire huiusmodi spirituali voluntati tuæ: quibuscum & Georgium dilectum presbyterum & Archimandritam, & Petrum Christi amantem, Adraensem nempe, ac omnino eos, qui in illis partibus fidem Dei, verumq. zelum habent; quorum merces plurima erit apud Deum, cum vobis promptitudinem animi studijq. sui præstiterint in omni obedientia & gratiæ perfectione.] hactenus epistola sancti Martini ad B

VIGENS APOSTOLICA AVCTORITAS IN MARTINO.

Ioannem Episcopum Philadelphiæ: ex qua satis perspicue intueri potuisti Romanæ Ecclesiæ super omnes Ecclesias vigilantiam, auctoritatemq. præcipuam, simul & ipsius Martini sanctissimi Papæ in administranda vniuersali Ecclesia robustæ mentis indefessum robur, dum paucos menses in præfectura pastorali agens, eo tunc Christianum orbem salubri per epistolas & legationes aliaq. scripta iuuamine operose lustrauit, lapsos erigens, stantes confirmans, perfidos damnans, aduersantes redarguens, errantes admonens, fortesq. consolidans, conducens magnus paterfamilias operarios in vineam suam, quam (vt queritur) his temporibus singularis ferus depascebatur, impia gens Sarracenorum, & vulpes, hæretici ipsi, prorsus perdere laborabant. Sed prosequamur reliquas eiusdem sancti Pontificis anni huius res gestas.

Dedit & alias litteras ad dictum Theodorum Episcopum, vt præsto esset Ioanni Vica- C
rio Apostolicæ sedis. Fuit hic vnus ex lapsis Episcopis; sed pœnitens, cum honore Episcopatus acceptus, suæ pro fide Catholica vigilantiæ haud mediocre specimen ediderat.

Epistola autem sic se habet[a]:

a Martin. epist. 6.

Theodoro Episcopo Esbūtiorum, Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius Catholicæ & Apostolicæ Romanorum Ecclesiæ Episcopus.

Est[b] confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Tu igitur, religiosissime frater, confusionem vituperabilem culpans, scripta tua secundum Deum satisfactione, gloriam tibi & gratiam acquisiuisti: gloriam quidem, Orthodoxam de ipso Domino ac Deo nostro confessionem; gratiam vero, splendorem tuorum in virtute illustrium studiorum: quibus non solum nobis innotuisti in pietate perfectus, sed & ipsi vniuersorum Saluatori Christo cum multa libertate placitus: vt in vobis Apostoli- D

b Eccl. 4.

cum illud de sanctis dictum impleatur[c]: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, & adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Vicisti enim, religiosissime frater, aduersarij diaboli malum regnum: iustitiam in fidei confirmatione operatus es: cuius gratia adeptus repromissiones spiritus, hæreticorum ora tamquam leonum obturasti, ac extinxisti eorum impetum hæreseos quasi flammam ignis aspiratione gratiæ; qua ita confortatus, imbecillitatem sententiæ illorum deuicisti: fortis in bello contra eos susceptor fuisti, eorumq. infirma adulterinorum dogmatum castra sufficienter vertisti, ac victor per proprium scriptum productus es ad victoriæ auctorem Saluatorem omnium Christum, qui idcirco sacerdotalem in te dignitatem Apostolica confirmauit auctoritate. Verum ne cesses laudationes eius E
in gutture perpetuo habere, eiq. placitum sacrificium offerre, rationabile obsequium tuum: sic enim & supernæ gloriæ præsentia dignaberis, & cælestibus Christi muneribus imbueris.

c Hebr. 11.

Quæ autem synodaliter a nobis hic gesta sunt ad confirmationem defensionemq. Ecclesiæ Catholicæ, id est, paternarum eius ac Synodalium definitionum, nuper misimus ei qui a nobis Vicarius canonice designatus est, dilecto fratri nostro & Episcopo Philadelphensium ciuitatis: cui bene facitis assentientes, & omnes Orthodoxos vna vobiscum excitantes ad eorum articulorum implementum, qui ei pie commissi sunt ad commendationem Ecclesiæ Catholicæ. Nam pro eo multa vobis in sempiterno regno merces erit.] hæc Martinus ad Theodorum postliminio ad Ecclesiam Catholicam ante reuersum. Eiusdem conditionis fuit Antonius Episcopus Bacathorum,

qui

A qui pariter lapſus & pœnitens reuerſus libellum itidem Romam fidei Catholicæ ad ipſum miſerat. ad quem extat Martini epiſtola [a], quæ ſic incipit: Decipi quidem & falli commune eſt, propriumq. humanæ infirmitatis: at in melius commutari, ſolius opus eſt gratiæ, &c.] [a Martin. epiſt. 7.]

Scripſit [b] tunc pariter ad Georgium Archimandritam, patrẽ Orthodoxorum monachorum monaſterij S. Theodoſij, ex quo progreſſus erat Stephanus Dorenſis Epiſcopus, qui pro Eccleſia Hieroſolymitana bis eadem ex cauſa in Italia ad Rom. Pontificem legationis munere functus eſt. His inſuper adiecit alias litteras [c] ad Pantaleonem quemdam, qui impedimento fuerat Stephano Epiſcopo Dorenſi, ne ſuſceptam vicem Apoſtolicæ ſedis libere exercere valuiſſet. eſt earũ exordium: Semper quidem omnis hominum vita, &c.] [b Martin. epiſt. 8.] [c Martin. epiſt. 9.]

Scripſit [d] & ad Petrum virum illuſtrem maximeq. pium, commendans dictum Ioannem
B Philadelphiæ Epiſcopum Vicarium a ſe in Oriente inſtitutum ad reparandas paſtoribus deſtitutas Eccleſias ob barbarorum clades illatas. [d Martin. epiſt. 10.]

Sed & alias vberiores dedit hoc etiam anno litteras [e] ad eos omnes qui Hieroſolymitanæ & qui Antiochenæ Eccleſiæ ſubiacerent ſacerdotes, monachos, atque laicos, quos monet de facta Romæ in Concilio damnatione principũ Monothelitarum hæreticorum, deq. perperam facta ordinatione Macedonij Antiochiæ & Petri Alexandriæ Epiſcoporum itidem hæreticorum, qui & abſque canonica vlla electione eaſdem Eccleſias primarias inuaſerant: eoſdemq. docet de delegata vice Apoſtolicæ ſedis Ioanni Epiſcopo Philadelphiæ ad creandos Epiſcopos & alios miniſtros Eccleſiaſticos Eccleſijs illis, quæ tum Hieroſolymitano tum etiam Antiocheno ſubditæ eſſent Patriarchis. Sunt quidem litteræ graues & tanto dignæ Pontifice, vereq. in omnibus & doctrina & ſpiritu Apoſtolicæ; ſed acerrimæ
C illæ, quas idem Summus Pontifex dedit ad Paulum Theſſalonicenſem Epiſcopum, cum eumdem in hæreſim lapſum, & alios in errorem inducentem, extra Catholicam communionem eſſe iubet, & ſede deponit: quod factum eſt ab ipſo Martino hoc anno, die prima Nouembris Indictionis octauæ. [e Martin. epiſt. 11.]

Cum enim dictus Theſſalonicenſis Epiſcopus ad recens creatum Pontificem miſiſſet ex more Apocriſarios vna cum fidei confeſſione: ea perlecta, & hæretica inuenta, a Martino reiecta eſt. ſed excuſauerunt eum Apocriſarij, pollicitiq. ſunt ipſum eam accepturum fidei Catholicæ confeſſionem, quam ipſe Martinus miſiſſet: qua accepta, reuerſi ſunt Theſſalonicam: ſed tantum abfuit vt infelix ille ſuum deteſtaretur errorem, & miſſam rectæ fidei confeſſionem integre profitendo ſuſciperet, vt ſecum in errorem traxerit ſuos Apocriſarios, inſuper & corruperit litteras Apoſtolicas, quibus Martinus ipſe rectæ fidei
D confeſſionem conſcripſit, ab ijs quædam doloſe auferens, vt apparet ex his quæ tum ad eum, tum etiam ad Theſſalonicenſem Eccleſiam de eius condemnatione conſcripſit. Sic igitur horum gratia eidem iuſte Martinus infenſus, in eum ijſdem litteris ſcriptam damnationis ſententiam dicta die publice tulit. eſt earum exordium [f]: Dominus ac Deus noſter Ieſus Chriſtus, &c.] in quibus multa præfatus de ſeueritate diuinæ iuſtitiæ, qua etiam per ignorantiam patrata peccata, vel per obliuionem illapſa in animam Deus punit, in ipſum inuectus quod non per ignorantiam aut obliuionem peccauerit, ſed praua animi affectione, ſubijcit iſta: [f Martin. epiſt. 12.]

Manifeſte enim ſecunda dogmatum tuorum tranſgreſſio, etiam primam voluntariam demonſtrauit, & ex praua meditatione ſiue ſenſu hæretico contra fidem a te factam fuiſſe, non ex inuoluntaria irreptione, aut corde non ficto. Nos igitur oportuit, creditum nobis
E onus Pontificalis miniſterij reputantes, id eſt, prouidæ animarum curæ atque diligentiæ, nullatenus morari ac differre, cum fides a te proderetur, ſed rigore canonis præciſe vtentes, ex prima interpellatione ſcriptum tuum vna cum eo qui ſcripſiſſet damnare; ne rationalibus Domini ouibus mortiferum doctrinæ tuæ porrigens gramen, eas tecum per malam fidem mortificares, priuaresq. æterna ſecundum Chriſtum vita, pro quibus ipſe animam ſuam poſuit bonus paſtor, & propter quas cælos inclinans, a Patris non diſcedens ſinu venit in terram, vt perditam recuperans ouem, proprijs humeris ad ſuum ſecundum naturam Patrem humaniter referret, ac per viſcera miſericordiæ cæleſti gregi connumeraret. Sed per longanimitatem ſuſtinuimus, nec pœnam inflximus, acceptis miſericorditer precibus Pithani Epiſcopi & Ignatij diaconi tuorum Apocriſariorum, qui maxime aſſeuerarent & affirmarent, eiuſmodi litterarum inuoluntariam eſſe abreptionem, nec mentis ac certæ ſententiæ opus eſſe illam abſurditatem dogmatis tui. vnde & dicebant, ſtatim ac

DE PAVLI THESSALON. EPISC. ERRATIS.

sine mora a peiori dogmate in melius mutationem in te fore, si te (iuxta illorum postula- A
tum) de eo amanter monuissemus. cuius rei causa nos hortati sunt, vt tibi ostenderemus, nos ea, in quibus lapsus es, notasse. Quod vtique per Apocrisarios nostros fecimus, rigorem canonis per charitatem omittentes, teq. adhortantes, non tamen præcipientes omnino tamquam subiecto huic Apostolicæ sedi, vt huc venires, teq. canonice expurgares de his quæ initio creationis tuæ non pie docuisti.

APOCRISARII APOST. SEDIS DECEPTI A PAVLO THESSALON.

Sed curauimus (inquit Hieremias [a]) Babylonem, & non est sanata: quoniam peruenit vsque ad cælos iudicium eius. Non solum enim ipse incorrectus mansisti, sed memoratos Apocrisarios nostros decepisti, idq. erga eos fecisti, quod astutus serpens fecit aduersus Adam, desertorem vna secum eum constituens, qui a Domino mandatum acceperat. Tu enim simili modo, vt serpens, eos induxisti ac persuasisti, vt extenderent manum, ac pro eo vt caperent de scripto nostro ad te in modum formulæ misso non malum quemdam B
ac promiscuum gustum, vt illic, id est, de ligno transgressionis, sed puram & sinceram sanctorum Patrum confessionem: hanc enim pie ei scripto inseruimus ad animæ tuæ correctionem; tu eam a te repulisti, proq. ea adulterine subiecisti absurditatis tuæ doctrinam, quo manum adijcerent. quæ omnino tibi non profuerunt: tametsi visus es eos irretire multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxisti eos: at illi leuitate elati secuti sunt, nescientes animæ suæ periculum adire, quod ijs fraudulenter struxeras. Verba enim

a Hierem. 51.

b Prouer. 26.

fraudulentorum mollia, & feriunt intima viscerum. Nec audiuisti dicentem [b]: Qui fodit foueam proximo, incidet in eam; & qui voluit lapidem, in se ipsum voluit: lingua enim mendax odit veritatem, os vero incustoditum facit ruinas. Quomodo igitur cum hæc perpetraris in ipsos, & in exemplum formulæ perscriptum a nobis, & per ipsos ad te missum hortatu (vt dictum est) tuorum Apocrisariorum, constituisti ad nos scribere, te ipsum C
decipiens, non nobis obrepens?

Idcirco certiores facimus Patres, qui vbique terrarum sunt, quod ea quæ visa sunt, ad effectum perducentes, omni studio exposuimus nostram in Domino fidem. Sed audi

c Act. 5.

quid Princeps Apostolorum ad eum dicat, qui veritatem erat frustratus [c]: Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Ac

d 1. Reg. 15.

simile aliquid fecisti ei, qui per Samuelem prophetam audiuit a Domino [d]: Hoc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli.] & infra: Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex. Dixitq. Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini & verba tua. At tu eius quidem transgressionem imitatus es, confessionem vero transgressionis non es æmulatus, nec dixisti, Peccaui: cum mutaueris Domini fidem, & deceperis nostros Apocrisarios. Super quo tibi D

e Hierem. 5.

propitius esse potero? Numquid [e] super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente tali non vlciscetur anima mea? Quamobrem hos quidem in cinere & sacco & afflictione animæ & corporum & lacrymis pœnitentiæ opprobrium ipsis a te illatum expurgare iussimus, quod non solum Apostolicam contempserint potestatem, sed etiam sapientem

f Prouer. 26.

non audierint parabolam, quæ dicit [f]: Quando submiserit inimicus vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.

Te vero vna cum hæreticis tuis litteris, id est, litteris Synodalibus, quæ & prius & nunc a te ad nos missæ sunt, sententia anathematis damnauimus, ex eo die qui scriptus a nobis ac definitus est, nempe a die prima præsentis mensis Nouembris, Indictionis octauæ, qua die missas a te lubricas litteras accepimus, & condemnauimus; quoad ea quæ synodaliter a te gesta sunt, quæq. prius & quæ nunc tu cum omnibus, qui quomodocumque E
vel scripto vel sine scripto ijs patrocinantur, aut ea defendunt, nobis consentiendo, damnetis & anathematizetis vt hæretica & vana. Primum quidem propter inhærentem in ijs absurditatem reprehensibilium duodecim tuorum capitum, quæ tibi scripto nota feci, vt inexcusabilis sis, si emendationem recuses. Deinde quod pium sermonem irritum

IN QVIBVS CORRVPERIT LITTERAS APOSTOLICAS PAVLVS.

facere in illis ausus es, impium vero dogma confirmare: qui hoc sustuleris, *Quod per naturam voluntas & operatio salutis nostræ sit in Domino nostro Iesu Christo secundum vtramque earum, ex quibus & in quibus est, naturarum*. In quo propter sublatas ciusmodi pias voces, sine voluntate ac sine operatione, quinimmo sine substantia ac sine existentia in vtraque natura eum esse astruxisti: quod enim est expers omnis substantialis voluntatis atque operationis, destituitur etiam ab omni substantiali existentia. Qui præterea sustuleris in præfato tuo secundo Synodali & hoc, *Omnia anathematizare*

quæ-

A *quæcunque anathematizamus*: vt per hoc non solum eos etiam quos anathematizamus, nempe ipsas impiorum hæreticorum personas, anathematizare recuses (nam si dogmata a te non anathematizentur, perspicuum est te ne personas quidem nefariorum hæreticorum anathematizare; siquidem hæreseos ipsorum causa, non causa naturæ eos anathematizamus) sed vt etiam omnem omnium errorem Paganorum, Iudæorum, hæreticorum in te confirmes. Si enim omnia omnium horum dogmata condemnamus, vt contraria & inimica veritati: tu vero omnia vna nobiscum voce non anathematizas, quæ anathematizamus: consequens est, te horum omnium errorem confirmasse, qui a nobis siue ab Ecclesia Catholica anathematizatur.

Qui igitur ista feciſti aduersus Catholicam fidem, Neglexisti me (dicit Dominus) & oblitus es fœderis mei dicentis: Non transgredieris de omnibus sermonibus, quos ego
B præcipio tibi hodie, dextra aut sinistra, vt eas post deos alios, vt colas eos.] & post aliqua: Quapropter cognoscens cognosces (quemadmodum diximus) quod depositus sis ab omni sacerdotali dignitate & ministerio in sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia: quoad sine vlla prætermissione, omnia quæ a nobis hic synodaliter sancita sunt ac definita, ad commendationem & confirmationem Catholicæ Ecclesiæ, videlicet dictorum sanctorum Patrum & vniuersalium quinque Synodorum, scripto confirmes, & nobiscum confitearis in vno sancto & consubstantialis & adorandæ Trinitatis Deo Verbo, &c.] quæ sunt superius repetita fidei Catholicæ sacra dogmata de duabus voluntatibus & operationibus, vna simul cum damnatione damnatorum in Romana Synodo hæreticorum, & editorum per Imperatorem de fide scriptorum. Et in fine ista:

QVAE IMPLERE DEBEAT VT RECIPIATVR.

Tantum cognosce iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum impie egisti, &
C effudisti vias tuas ad alienos fidei, voci autem meæ non obedisti, dicit Dominus. Nam cognitio rerum tuarum conciliabit tibi celerem in ijs correctionem, maxime si vna cum proprio dogmatis errore corrigas etiam quod in sacros canones peccasti: eos enim irritos facere ausus es, qui te ipsum per proprias litteras non confessus sis vt subditum huic Apostolicæ sedi Vicarium.] dictum est superius sæpe, Episcopos Thessalonicenses fuisse Vicarios Apostolicæ sedis. Ac demum: Qui igitur, inquit, in vtroque lapsus es, vtrique studeto conuenienter mederi: non enim aliter habebis perfectam a nobis veniam, nisi in vtroque nobis correctionem tuam exhibeas.] hactenus Martinus Papa ad Paulum Thessalonicensem Episcopum. Dedit vero & alias litteras eodem argumento conscriptas ad Thessalonicensem Ecclesiam de damnatione eiusdem Pauli ipsorum Episcopi, quarum est exordium [a]: Vniuersitatis opifex Dominus noster Iesus Christus, &c.] vbi fusius recen-
D sitis eiusdem damnationis causis, ad postremum hæc habet:

DAMNATIO DE ABIECTO VICARII NOMINE.

[a] *Martin. epistola 23.*

Quocirca & vos, carissimi, huiusmodi nostrã pro vobis scientes solicitudinem, & edocti diligenter a diuinitus inspiratis Scripturis [b], quod nulla est participatio iustitiæ cum iniquitate, nec societas luci ad tenebras, nec conuentio Christi ad Belial, nec pars fideli cum infidelibus, neque consensus Orthodoxorum cum hæreticis: omni custodia custodite cor vestrum, nullam participationem habentes, nec societatem, nec consensionem, nec connexionem cum huiusmodi homine: ac ne vlla ratione assentiamini eius doctrinæ: sed assidue permanentes in sanctissima nostra fide, seruite Deo in conscientia pura: Synaxis autem ministerium perficiant vobis qui ibi sunt presbyteri & diaconi, qui diligenter & acceptabiliter rectam Catholicæ Ecclesiæ nobiscum doctrinam suscipiunt, quæ nuper ad vos a nobis scripta est: & abijcientes omnem hæresim ac nouitatem, quæ ab Apostolica
E prædicatione condemnatur: quousque (vt dictum est) ille sua corrigat, aut alius pro illo canonice eligatur pastor bonus ac verus, quiq. animam pro ouibus ponat, imitatione principis pastorum Christi, in loco pascuæ vos collocans, & super aquam refectionis educans. Ipse autem, qui nos vobiscum confirmat in diuinissima eius confessione, quiq. vnxit nos ac signauit, deditq. arrhabonem spiritus in cordibus nostris, sanctificet vos perfecte, spiritumq. vestrum & animam & corpus integra atque irreprehensibilia custodiat, recepturos in sæcula sæculorum quæ repromisit diligentibus eum. Amen.] hæc ad Thessalonicenses Martinus.

[b] *2. Cor. 6.*

SCRIBIT AD THESSALONICENSES DE PAVLI DAMNATIONE.

Hic iam finis rerum ab eo gestarum præsentis anni: quibus plane declarauit, non imminui vigorem & robur Apostolicæ sedis, licet Principum & collegarum destituatur auxilio maiorum Antistitum, immo eo magis corroborari, augerique, quo minus humanis appareat fulta præsidijs, vtpote quæ non humanis, sed diuinis noscatur regi ac gubernari con-

ri consilijs, atque fulciri subsidijs. Vides enim (quod sæpe ob oculos considerandum proponimus) præsentis temporis Ecclesiæ statum, pati eam persecutionem in Oriente & Africa atque in insulis a Sarracenis, direq. vexatam. Intueris pariter fidem Catholicam ab Imperatoribus Orientis æque duram pari pressuram, eorumq. auctoritate & potentia insultare peruersos hæreticos. Conspicis itidem quatuor præcipuas sedes Patriarchales ab hæreticis inuasas, Paulum hæreticum præsidere Constantinopoli, Petrum Alexandriæ, & Macedonium Antiochiæ, æque hæreticos earumdem sedium inuasores, titulo Episcopi vsurpato, in eis intrusos degere: contemplaris & carentem Antistite Hierosolymam ab hæreticis labefactatam, ita ferente infelici temporum conditione; paucos vero reliquos remansisse Catholicos, eosdemq. persecutione vexatos: sed quod supremum omnium malorum existimari debuit, vides & ipsum Romanum Pontificem quæsitum ad necem, sub gladio Exarchi, nisi Dominus suppositisset manum suam, periclitantem.

MARTINI PAPAE INFRACTVM ANIMI ROBVR.

Sed in his omnibus tantum abfuit vt Martinus animum desponderet, vt magis magisq. (vt vidisti) erigeretur, spiritusq. maiores sumeret; cū alioqui non ignoraret quæ sibi ab Imperatore hæretico instigatione eius lateri inhærentium iugiter hæreticorum parārentur; vtpote qui functus (vt dictum est) munere Apostolicæ sedis Apocrisarij Constantinopoli, optime nosset ingenia hominum, & audaciam hæreticorum, iamq. futurorum malorum præludia satis superq. in Olympio percepisset. His inquam forti animo Martinus contemptis, nihil veritus quæcumque imminerent ingentia vndique pericula, non defuit officio, nec cessit vel latum vnguem aduersarijs in ipsum (vt in Stephanum Iudæi) dentibus stridentibus, cum præsertim (quod magis mireris) idem Martinus graui corporis infirmitate eodem tempore teneretur: etenim morbo laborasse a mense Octobri anni huius vsque ad tempus quo ab Vrbe ejectus est, idem ipse testatur in epistola ad Elite-
rum [a]. Quæ autem post hæc aduersus eum gesta sint per hæreticum Imperatorem, vsum ad mala omnia Theodoro Calliopa æque hæretico misso Exarcho in Italiam post sublatum morte hoc anno Olympium, anno sequenti dicturi sumus.

[a] Martin. epistola 15.

Hoc eodē anno, qui vltimus censetur Chindasuindi Regis Hispaniarum, cum idem sanctus Martinus Romanus Pontifex sedere cœpisset, contigisse fertur reuelatio diuinitus facta librorum Moralium S. Gregorij Papæ. describemus eam totidem verbis, quibus esse conscripta reperitur: quam si præ vetustate pannis obsitam inuenies, ne horrescas; sed illis exutis, nudum sensum veritatis candore & simplicitate nitentem considera, vtpote cui merito scriptores omnes Hispaniarum res prosecuti absque controuersia vlla subscribant. sic enim se habet [b]:

[b] Extat apud Concil. Toled. 7. in fine.

PARS LIBRORVM MORALIVM DIVINITVS REVELATA.

Hic *Rex Chindasuindus* Taionem Cæsaraugustanum Episcopum ordinis litteraturæ satis imbutum, & amicum Scripturarum, Romam ad suam petitionē pro residuis libris Moralium naualiter porrigit destinatum. Qui dum a Papa Romense de die in diem differretur in longum, quasi in archiuo Romanæ Ecclesiæ præ multitudine quæsitum facile nequaquam reperirent libellum: Dominum, pernoctans, & eius misericordiam, ad vestigia beati Petri Apostolorum principis, deposcens: ei scrinium, in quo tegebatur, ab Angelo manet ostensum. Quo mox se Papa vt præuidit reprehensum, cum nimia veneratione ei adiutoria tribuit ad conscribendum, & Hispanis cum transmisit ad relegendum: quia hoc solum ex beati Iob libris expositum retentabant, quod per beatum Leandrum Hispalensem Episcopum fuerat aduectum & olim honorifice deportatum.

Requisitus vero & coniuratus est Taio Episcopus a Martino Primo Papa Romano, quomodo ei tam veridice fuisset librorum illorum locus ostensus: hoc illi post nimiam deprecationē cum nimia alacritate est fassus: Quod quadam nocte se ab ostiarijs ecclesiæ B. Petri Apostoli expetijt esse excubium. Atque vbi hoc reperit impetratū, noctis medio, cum se nimijs lamentis ante beati Petri Apostoli loculum faceret cernuum, luce cælitus emissa, ita ab inenarrabili lumine tota ecclesia extitit perlustrata, vt nec modicum quidem lucerent ecclesiæ candelabra, simulq. cum ipso lumine vna cum vocibus psallentium & lampadibus relampantium introire sanctorū agmina. Deinde vbi horrore nimio extitit territus, oratione ab eis completa, paulatim ex illa sanctorum curia duo dealbati senes egressum in ea parte, qua Episcopus in oratione degebat, cœperunt dare præpendiulum. At vbi eum repererunt pene iam mortuum, dulciter salutatum reduxerunt ad propriū sensum. Cumq. ab eis interrogaretur, quam ob causam tā grande extaret fastidium *, vel quis ab Occidente properans tam longum petierit nauigerium: hoc & hoc ab eo quasi inscij relatum auscultant

* fastigium

A tant operæ pretium. Tum illi multis eloquijs consolato, opportunum vbi ipsi libri latebant, ostenderunt loculum.

Igitur sancti illi, quæ esset sanctorum illa caterua eos tam claro cum lumine comitantium, responderunt dicentes, Petrum esse Christi Apostolum, simulq. & Paulum inuicem se manu tenentes cum omnibus successoribus Ecclesiæ in illo loco requiescentibus. Porro vbi & ipsi requisiti fuerunt, qui domini essent qui cũ eo tam mirabile habebãt colloquium: vnus ex illis respondit, se esse Gregorium, cuius & ipse desiderabat cernere librum; & ideo aduenire, vt eius admuneraretur tam vastum fastidium, & auctum redderet longissimum desiderium. Tunc interrogatus si tandem in illa sancta multitudine adesset sapiens Augustinus, eo quod ita libros eius, sicut & ipsius sancti Gregorij semper ab ipsis cunabulis amaret legere: satis prouidus hoc solummodo respondisse refertur: Vir ille clarissimus &
B omnium expectatione gratissimus Augustinus, quem quæris, alius * a nobis eum continet locus.] Quod enim nonnisi qui in ea basilica sancti sepulti essent, eidem dicantur apparuisse, de Augustino videtur esse responsum alio eum loco detentum: sicq. corrigendum, quod habetur, altiori eum loco detentum: alioqui quomodo verum dici potuit Augustinum eminentiori loco in cælo positum, cum ipsi Apostolorum principes & alij complures martyres Pontifices in eadem sepulti ecclesia ea tunc visione apparuerint? Sed pergit auctor: Certe vbi ad eorum pedes cœpit proruere, vnicus ab oculis eius, ostiarijs & ipsis territis, simul cum luce euanuit vir ille sanctissimus. Vnde & ab eo die a cunctis in eadem Apostolorum sede venerabilis Taio extitit gloriosus, qui antea despicabatur vt ignauus.] hactenus scriptio, quam recensitam habes in appendice ad septimam Synodum Toletanam.

* altiot

C Sed quinam erant libri illi, quos in Hispania desiderari adeo dolebat Cæsaraugustanus Episcopus? ex epistola eiusdem sancti Gregorij ad Leandrum possumus intelligere, vbi hæc leguntur [a]: Quia longo terrarum spatio disiunctum te videre nequeo: vnum quod mihi de te dictauit charitas, fecit vt librum regulæ pastoralis, quem in Episcopatus mei exordio scripsi, & libros quos in expositionem beati Iob iamdudum me feciſſe cognouisti, sanctitati tuæ cum communi filio Probino presbytero veniente transmitterem. Et tuæ quidem charitati in eo opere tertiæ & quartæ partis codices non transmisi; quia eos solummodo inuenio, quos ex eisdem partibus codices iam monasterijs dedi. hos itaque sanctitas tua studiose percurrat, &c.] Sic igitur vides caruisse Hispanos prima & secunda parte Moralium: nec mirum haud facile eos libros a Martino Pontifice inueniri potuisse, qui neque ipsi Gregorio adeo facile præ manibus essent, vt eos mit-
D teret ad Leandrum, ad quem ipsum integrum inscripsisset opus, nec alias partes eiusdem operis reperiret, nisi eas, quas (vt ait) monasterijs tradidisset.

[a] *Gregor. lib. 4. epist. 40. Iud. 13.*

Corrigendus est Rodericus [b] Toletanus, dum ait, negligentia Hispanorum deperditam esse illam partem librorum Moralium, pro qua inuenienda suscepit profectionem Romam Taio Cæsaraugustanus Episcopus. Sed in eo nec nobis arridet, dum ait a Concilio septimo Toletano eiusmodi Romam esse decretam legationem: siquidem dictum Concilium contigit celebrari ante biennium, anno nimirum Domini sexcentesimo quadragesimosexto, quo tempore necdum Taionem puto creatum adhuc fuisse Cæsaraugustanum Episcopum, qui vltimo pene loco vt iunior reperitur subscriptus octauo Concilio Toletano. Sed & illud in historico Ambrosio miratus sum, id dicere accidisse sub Theodoro Romano Pontifice, cum scriptio illa a Garsia viro accuratissimo fidelissime reddita, sub Mar-
E tino Papa id accidisse testetur.

[b] *Roderic. Tolet. de reb. Hispan. lib. 2. c. 20.*

De eodem autem Rege Chindasuindo tradunt, eum, vbi rexisset annos sex & menses octo, cessisse regnum filio. Hæc insuper habet de eo Rodericus Toletanus: Iste a Romano Pontifice obtinuit priuilegium, vt secundum beneplacitum Pontificum Hispanorum primaria dignitas esset Toleti, sicut fuerat ab antiquo; & per multas Synodos cum Episcopis celebratas Ecclesiam erudiuit. Huius tempore ab omni perturbatione Hispania conquieuit, adeo vt nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui arma sumeret rebellandi. Libros sanctorum Patrum diligenter fecit perquiri, & instituta beati Isidori firmiter obseruari. Hic perfidum Theodiscum Hispalensem Episcopum Synodali sententia in exilium misit, & dignitatem primariam, quam ab antiquo habuerat, totius approbatione Concilij Toletanæ Ecclesiæ confirmauit.] hæc ipse.

DE CHINDASVINDO REGE HISPAN.

Eluxit præterea eiusdem Regis munificentia in monasterijs locupletandis, vt patet ex

veteri

veteri memoria donationis ab eo factæ monasterio Complutensi, quod vna cum alijs sanctus Fructuosus Abbas his diebus erexit, qui nobilis genere egregia sanctitate illustrauit Hispanias. A

Extat eiusdem Regis memoria dignum epitaphium sepulchro Reciuergæ Reginæ coniugis inscriptum his versibus [a]:

a Recit. Ambr. Moral. histor. Hispan. lib. 12. c. 28.

Si dare pro morte gemmas licuisset & aurum,
Nulla mihi poterant Regum dissoluere vitam.
Sed quia sors vna cuncta mortalia quassat,
Nec præmium redimit Reges, nec fletus egentes:
Hinc ego te, coniux, quia vincere fata nequiui,
Funere perfunctam Sanctis commendo tuendam:
Vt cum flamma vorax veniet comburere terras, B
Cœtibus ipsorum merito sociata resurgas.
Et nunc cara mihi iam Reciuerga valeto:
Quodq. paro feretrum Rex Cindus Suinthus, amato.
*Iunge defleta *. Restat & dicere summam*
Qua tenuit vitam, simul & connubia nostra.
Fœdera coniugij septem fere duxit in annis,
Vndecies binis æuum cum mensibus octo.]

Defuncto autem hoc anno (vt dictum est) ipso Rege, in locum eius successit Recceſuinthus, de quo sæpe inferius sermo erit.

IESV CHRISTI ANNVS 650. MARTINI PAP. ANNVS 2. CONSTANTIS IMP. ANNVS 9. C

QVinquagesimus supra sexcentesimum adest Domini annus, octaua Indictione cœpta mense Septembri anni superioris: quo sanctus Martinus Romanus Pontifex, iubente Constante Imperatore hæretico, per Theodorum Calliopam Exarchum abstractus tyrannice a Pontificia sede, vinctus mittitur in Orientem.

Sed antequam ab Vrbe discessum eiusdem sancti Pontificis narratione prosequamur, temporis ratio admonet, vt quæ ante ab eo Romæ sunt gesta, narremus. Habent Acta [b] sancti Landolini Cameracensis Ecclesiæ presbyteri ordinati a sancto Authberto eiusdem Ecclesiæ Episcopo, ipsum, cum iam tertio profectus esset Romam ad limina sanctorum Apostolorum, ab eodem sancto Martino Pontifice munus prædicationis suscepisse, acceptumq. talentum bene impendisse, claruisseq. miraculis, multaq. monasteria erexisse, fauente ipsi sua munificentia Clodoueo Francorum Rege, vt pluribus eadem Acta significant. Sed & sanctum Amandum Episcopum Leodiensem, pariter Romam venientem, benigne a se susceptū idem Pontifex Martinus prædicationi Euangelicæ ad Gentes mancipauit, additis ad ministerium socijs Landoaldo Archipresbytero, & Amantio diacono; qui Apostolica auctoritate pollens, fructus vberes ex Gentium conuersione collegit, vt S. Bauonis Acta [c] significant. Habentur hæc etiam expressa in Actis [d] sancti Landoaldi ipsius, qui a sancto Martino Papa datus est illi comes. D

b Apud Sur. die 15. Iun. tom. 3.

LANDOLINVS, AMANDVS, ET SOCII A S. MARTINO APOSTOLATVM ACCIPIVNT.

c Apud Sur. die 1. Octob. to. 5.
d Apud Sur. die 29. Mart.

Porro neminem aggredi ad Gentes prædicationem consueuisse, nisi a Romano Pontifice missus esset: præter exempla plurima, etiam vetus docet monumentum in Actis sancti Valentini tabula plumbea expressum, inuenta illa iuxta corpus eiusdem sancti Valentini Episcopi Potauionis in Noricis in hunc modum: Venit ab Oceano vir humilis, Valentinus nomine, in Norici vrbem Potauionem (*ita legendum loco Patauij*) idq. animo apud illos prædicandi. Sed quia id hominum genus ferum & belluinum nimis erat, exiguum apud illos animarum fructum capere potuit. Videns autem terræ eius opportunitatem, & quorumdam hominum frugalitatem, regionemq. iam albam ad messem, ita intra se cogitabat: Non debet concionandi munus quisque sibi vsurpare, nisi Apostolicæ auctoritatis iussione, sicut scriptum est [e]: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Hæc dicens, adijt Pontificem Romanum: qui eum honorifice & reuerenter excepit, libenterq. eum audiuit, & Apostolica auctoritate eius studium prædicandi confirmauit.] hæc & alia ibi. E

A ROM. PONT. DIRECTI PRÆDICATORES AD GENTES.

e Rom. 10.

Insuper ad eumdem Pontificē constat ex Hibernia accessisse S. Follianum, vt prædicandi

S. FOLLIANI APOSTOLAT.

Genti-

A Gentibus Euangelium ab eo licentia impertiretur: hæc enim in eius Actis[a] ita scripta leguntur: Huius exemplo, *nempe Fursei eius germani*, prouocatus Follianus, Romam iuit, petiturus a Martino Pontifice Episcopalem benedictionem ad infidelium conuersionem: quæ accepta, ad Gallias venit, &c.] pergit enim dicere de eius martyrio, de quo suo loco sermo erit.

[a] *Apud Melan. in natal. SS. Belg. die vlt. Octob.*

His igitur de rebus S. Martini ante abductionem ab Vrbe, ad quam amplius reuersus non fuit, breuiter enarratis, agedū de tyrannica eius a sede deiectione dicamus. Sed antequam tragica hæc eo quo gesta sunt ordine enarremus, de temporis certitudine est assertio confirmanda. Ista quidem adeo funebria hoc anno facta esse, Græcorum Annales satis expresse docent, in quibus ex Theophane hæc scripta reperiuntur anno vigesimo Heraclij Imperatoris, vbi agitur de origine atque progressu hæresis Monothelitarum, his

DE TEMPORE EXILII S. MARTINI.

B verbis: Ceterum nono anno Imperij sui Constans nepos Heraclij, Indictione octaua, his agnitis, furore repletus, sanctum Martinum & Maximum Constantinopolim ductos & cruciatos apud Chersonam & alia climata exilio relegauit, multos etiam Hesperiarum Episcoporum puniuit.] hæc ibi, quæ quidem hoc anno cœpta in plures posteriores sunt propagata. Rursum vero hoc anno eiectum fuisse ab Vrbe sanctum Martinum, ex ijs quæ ipse suis litteris habet, intelligere satis possumus: dum enim scribit degens Chersonæ exul de mittendis ab vrbe Roma alimentorum subsidijs, hæc habet[b]: Si enim peregrinos illic, *id est Romæ*, ita reficit S. Petrus: quid dicemus de nobis, qui proprij serui eius sumus, & saltem ad momentum ministrauimus ei, & in tali exilio & afflictione consistimus?] hæc ipse, qui cum ad momentum se ministrasse Romanæ Ecclesiæ curam fateatur, equidem hoc anno inde per hæreticos diuulsum esse possumus intelligere. His de

[b] *Martin. epist. 17. in fine.*

C temporis ratione firmatis, iam rem gestam ordine prosequamur.

Vbi nouit Constans Imperator, longe aliter quam sperarat, quod moliebatur pro hæresis patrocinio esse consecutum effectum, vtpote qui Olympio Exarcho in mandatis dederat, editum a se de fide edictum, quod Typum nominauit, ab Italiæ & alijs Occidentalium prouinciarum Episcopis subscriptione firmari: cum non tantum id minime præstitum scisset, sed in Concilio Romano, auctore ipso Pontifice, esse damnatum audiuisset: rugientis leonis instar, ira exæstuans, quonam modo in eum contumeliam acceptam vlcisci posset, ipsumq. expelleret ab Vrbe & in exilium relegaret, animo agitare cœpit. Fuit illi præsto, qui æque se læsum magnopere a Martino Papa Paulus Episcopus Constantinopolis conclamaret, quod damnatus ab illo esset atque sede depositus. Quid ergo agunt, quidve decernunt, vbi eiusmodi inter se consilia agitant toxicata? Ne

D apud Christianos Imperator, id agendo, tyranni & persecutoris, siue hæretici nomen consequatur, causas effingunt, quibus iuste videri posset Martinus expulsus. Et quænam ista? audi.

Dant crimini, quod mutasset traditam a maioribus fidem: Insuper ipsum aduersus Romanum Imperium aliquid molitum cum Sarracenis: Tertio etiam ipsum Martinum nescio quid contra Dei genitricis Mariæ cultum esse locutum. hæ sunt tres calumniæ in virum sanctissimum ab ijs qui inhærebant Imperatori excogitatæ, prout colligitur ex eiusdem sanctissimi viri epistola ad Theodorum[c]. His concinnatis commentis, missus est in

CRIMINA OBIECTA MARTINO.

[c] *Martin. epist. 14.*

Vrbem Theodorus Calliopa Exarchus, qui vi armorum atque potentia militari exturbaret Martinum e Lateranensi palatio, in nauimq. coniectum, asportari faceret in Orientem. Sic igitur qui tyrannidem velare accusationum tegumento conati sunt, tyrannidem

E si quam aliam crudelissimam atque apertissimam exercent, dum (quod in causa cuiusuis minimi Episcopi peragi consuetum fuit) nulla coacta Synodo, nulla dicta die accusato, nec ab accusatore inscriptione appositā, repente tamquam a latronibus in siluis itum est contra tantum Pontificem adhuc ægritudine laborantem. Quomodo autem ista se habuerint, ex eiusdem Martini Papæ dicta epistola ad Theodorum accipe. Rogatus enim ab amico, rem narrare vt se habuerit, ista rescripsit[d]:

[d] *Martin. epist. 14. ex versione Anastasij Bibliothec.*

Martinus Theodoro sincera affectione dilecto fratri.

Quoniam agnoui (vt potui) ea quæ in scriptis a vobis significata sunt, in paucis verbis exequar. Cū exirem ab ecclesia, quæ cognominatur Constantiniana, in qua exercitus me cū armis constrinxerat, in præsentia Exarchi ac Theodori cubicularij, presbyteri & clerici clara voce dixerunt: Anathema habeat, quisquis dixerit vel crediderit, quia Martinus vsque ad vnum apicem fidem mutauit, aut mutaturus est. &, Anathema habeant, qui in

Ortho-

Orthodoxa fide sua vsque ad mortem non permanserint.] Enituit tunc plane Romani cleri A
constantia, pro sui defensione Pontificis, diro anathemate præsentes ferientis aduersarios. Sed pergit Martinus:

His auditis Calliopas cœpit rationem reddere, aliam fidem præter quam nos tenemus, non esse, neque aliam se credere: sed hoc propter eos qui audiebant, non propter fidem dicebat. Ea scire te volo, dilectissime frater, de fide quam significasti, necnon de falsis calumnijs, quas aduersus veritatem proponunt: quia opitulantibus nobis orationibus vestris, ac omnium fidelium Christianorum, qui vobiscum sunt, & viuens & moriens salutis nostræ fidem defendam, quemadmodum beatus Paulus Apostolus docet [a]: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.

[a] *Philip. 1.*

CALVMNIAE CONCITATAE CONTRA MARTIN. PAPAM.

De falsis autem accusationibus, quas nouiter hæretici faciunt, abijcientes veritatem B
Christi Dei: qualem omnino poterunt hominibus veritatem loqui, qui Dei veritati resistunt? Tibi igitur rationem reddo, dilectissime frater, per eum qui iudicaturus est mundum istum per ignem, qui & reddet vnicuique secundum opus suum. Ego aliquando ad Sarracenos nec litteras misi, nec quem dicunt tomum, qualiter credere debeant, aut pecunias vmquam transmisi, excepris dumtaxat quibusdam illic viuentibus * seruis Dei causa eleemosynæ, quibus & modicum quid præbuimus minime ad Sarracenos transmissum.

* venientibus

Porro de domina nostra glorioſa semper Virgine Maria, quæ Deum & Dominum nostrum Iesum Christum peperit, quam omnes sancti & Catholici Patres Dei genitricem appellant, vtpote quæ Deum hominem genuit, falsum contra me, immo contra suas ipsorum animas iniqui viri testificati sunt. Nam quisquis beatã super omnem creaturam humanã, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilem semper Virginem matrem videlicet C
Domini nostri non honorat atque adorat, anathema sit & in præsenti sæculo, & in futuro. Sed homines occasiones quærentes scandala obijciunt ad scandalizandum multos. Dominus te incolumem custodiat, amantissime fili.] hactenus epistola Martini de exordio impiæ & sacrilegæ inuasionis per Calliopam Exarchum factæ. Porro aliam his additam postea fuisse accusationem, nimirum, quod irregulariter absque lege, contradicentibus canonibus, sedem subripuisset, ipse testatur.

Quomodo autem e sede auulsus, in nauim coniectus fuit, & in Orientem missus, ac-
[b] *Martin. epistola 15.* cipiemus ex eius epistola [b] ad Eliterum, quam postea scripsit cum esset Constantinopoli, quam vna cum alijs ab ipso in exilio Græce scriptis Anastasius reddidit Latinitati, vt nunc sunt; quod idem Anastasius testatur in earum præfatione ad Martinum Narniensem Episcopum. Extant ipsæ in nostra bibliotheca inter res gestas eiusdem sancti Pontifi- D
cis relatæ. Porro hæc cuncta exacte narrantur his verbis:

Nosse voluit beata vestra dilectio, qualiter de sede sancti Petri Apostoli, sicut vnus passer solitarius ab ædificio, raptus fuerim. Et miror, quia super hoc me inquirere voluisti, cum prædixerit Dominus noster de nequam temporibus istis, discipulis suis [c]: Quia in diebus illis erit tribulatio, qualis nõ fuit ab origine mundi vsque nunc. Et nisi quia abbreuiati sunt dies illi, non posset sustinere omnis caro: sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hoc in paucis de Antichristo dicitur: nam & S. Paulus secundum
[c] *Matth. 24.*
[d] *1. Tim. 4.* datam sibi gratiam spiritus pronunciauit dies istos Timotheo discipulo suo, dicens [d]: In nouissimis diebus discedent homines a fide, & a veritate auditum auertent, se ipsos amantes, auari. Et crede mihi, desideratissime fili, non videndum tempus aliud, nisi hoc manifeste, in quo sint initia dolorum, quemadmodum Dominus prædixit aduentum An- E
tichristi: etenim veritatem dicere necessarium visum est, antequam in toto mundo præualeat iudicium, & finem cursus accipiat.] ista S. Martinus de Antichristi aduentu haud inani consideratione disseruit.

Certe quidem hæc esse visa sunt illa tempora, quibus (vt suo loco superius vidimus) sanctus Gregorius Papa prædixerat, adeo ingentia futura esse mala, vt miserrimum illud sæculum, quo sub gladio Longobardorum & Gothico pariter gemebat Italia, respectu horum felicissimum habendum foret, cum totus Oriens furuo velut obducto pallio, densa hæresum caligine obscuratus penitus appareret; cum & typum quemdam gesserit Antichristi, qui haud pridem nouam perfidiam falsis vaticinijs Mahometes in Arabia statuisset, & armorum potentia tot prouincias nullo ferme negotio per suos posteros eiusdem sectæ homines subiugasset, quibus vires Imperatoris (vt de Leuiathan eodemq. figu-

ram

A ram Antichristi gerente dicitur) quasi paleæ existimatæ essent. his adeo magnis si adijcias quæ in expilatione Romanæ Ecclesiæ Patriarchij sub Theodoro Pontifice per impios patrata erant (quod numquam hactenus factum fuerat) plane ob hæc adeo funesta finem instare rerum, aliquis haud temere existimare poterat, cum nec signa illa defuerint famis, pestilentiæ, & terræmotus. FINEM INSTARE MVNDI HAVD LEVITER CREDITVM.

Ad cumulum vero malorum ista adijce, quæ hoc anno adeo crudelia aduersus ipsum Ecclesiæ totius Hierarcham scelerate impieq. sunt gesta: vt plane Antichristi regnum imminere, postquam & diuina labare viderentur, potuerit iure putari, ac merito cum Hieremia [a] fuerit exclamandum: Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini.] Ceterum non Martinus tantum ob tot ingruentia mala, sed veteres etiam Patres, cum dira aliqua in Ecclesia persecutio moueretur, filium perditionis adesse, & instare
B Antichristi tempora putauerunt, vt superius sæpe vidimus: nec tamen ob id quod non acciderit quod opinabantur, eos deridendos esse quis calumniose dixerit; sed eo nomine potissimum commendandos, cum in ijs excubitorum solers vigilantia apparuerit, quod tot præcurrentibus malis, malum illud subsequi, quo bona omnia perderentur, signis haud inanibus crediderunt. Sed ad Martini epistolam redeamus, qui pergit: [a] Hierem. 2.

Hoc mihi expedire arbitratus, quo alijs malis * mihi properantibus, exultem potius, quam fleam. Igitur vt scias qualiter sublatus & ductus sum a Romana vrbe, nil falsum audies. Accidentium omnia præsciui per multum temporis, quæ meditabantur inimici veritatis. Et separato * me ipso cum omni clero meo, priuatus mansi in ecclesia Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ cognominatur Constantiniana, & stabilita est a beatæ memoriæ Constantino Imperatore, & est iuxta Episcopium. Illic omnes nos seorsum morabamur * male * superato
C a die sabbati: quando Calliopas cum Rauennate exercitu & Theodoro cubiculario introiuit in ciuitatem. Misi ergo in obuiam ei quosdam ex clero: quibus susceptis in palatio, æstimauit & me cum eis adesse. Cum autem quæsisset & non inuenisset, dixit primis cleri: Quia nos eum voluimus adorare: sed cras, quod est Dominicæ dies, obuij erimus, & salutabimus eum; quia hodie non sufficimus.

Porro Dominico die, dictis Missis in prædicta sancta Dei ecclesia, suspicatus ille turbam multam colligi propter diem, nunciauit hoc: Quia multum fatigati sumus ex itinere, non possumus occurrere hodie; sed cras omnibus modis occurremus, & adorabimus sanctitatem vestram.] piaculum enim videbatur, si quis peregrinus Romam veniens, non primum omnium accederet veneraturus Summum Pontificem. Sed addit de statu suo hæc idem S. Martinus: Ego vero ipse grauiter infirmus eram ab Octobrio men-
D se vsque ad prædictum tempus, id est, vsque ad decimumsextum Kalendas Iulias. Ergo feria secunda diluculo misit Chartularium suum & quosdam ex obsequio suo, dicens: Quia arma præparasti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegisti: & hoc necessarium non est, nec aliquid tale fieri permittas. Cumq. præsens audissem hæc: necessarium magis non habui, qualiter hos certos reddere, quam mittere illos gyraturos per totum Episcopium; & si arma vel lapidem vidissent, ipsi testimonium perhiberent. Cum autem ijssent, & nihil inuenissent, subintuli eis per verba, quod numquam aliter aliquando, sed semper per circumplexionem & fallacem accusationem incederent aduersum nos: cum & in aduentu infamis Olympij vani cuiusdam hominis cum armis me hinc potius repellere faterentur. CALVMNIA DE ABSCONDITIS ARMATIS EVACVATVR.

Ego itaque ante altare ecclesiæ lectulum meum habebam, in quo iacebam: & non-
E dum transacta media hora, exercitus cum eis veniens in ecclesiam, loricati omnes, tenentes lanceas & spathas suas, quin & arcus suos paratos vna cum scutis suis: & facta sunt illic, quæ nec dicenda sunt. Quemadmodum namque in hiemali tempore, vento valido flante, folia ex arboribus concussa cadunt, ita percutiebantur armis candelæ sanctæ ecclesiæ, & remensæ * excutiebantur in pauimentum, & audiebatur sonitus, qui in eadem fiebat ecclesia veluti tonitruus quidam horribilis tam ex collisione armorum, quam ex multitudine candelabrorum ab eis confractorum. EXCVBIAE PONTIFICIS IN ECCLESIA. * reuulsæ

Quibus cum fastu introeuntibus, iussio a Calliopa porrecta est presbyteris & diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quod irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam vrbem transmitti, subrogato in loco meo Episcopo: quod necdum aliquando factum est, & spero quod nec aliquando fiet: quia in absentia Pontificis Archidiaconus, Ar-

chipresbyter & Primicerius locum præsentant Pontificis. Dum ergo mouentur, quæ A
de fide gesta sunt, iam manifestaui vobis. Quod autem præparati non fuerimus ad repugnandum: melius iudicaui decies mori, quam vnius alicuius sanguinem in terram fundi. quod quidem & sine periculo hoc gestum est in paucis, qui non placuerunt Domino, malis effectis.

Eadem itaque hora dedi me ipsum ad exhibendum Imperatori, & non resistendum. Porro acclamantibus mihi (vt veritatem dicam) quibusdam e clero, ne facerem hoc: nulli eorum accommodaui aures, ne subito fierent homicidæ. sed dixi illis: Sinite mecum venire ex clero qui necessarij mihi sunt, Episcopos videlicet & presbyteros & diaconos, & absolute qui mihi videntur. Respondit Calliopas: Quotquot voluerint venire, cum bono venient: nos cuiquam necessitatem non facimus. Respondi ego: Clerus in potestate mea est. Exclamantes autem quidam ex sacerdotibus, dicebant: Cum B
ipso viuimus, & cum ipso morimur. Post hæc cœpit dicere per se Calliopas, & qui cum ipso erant: Veni nobiscum ad palatium. Nec hoc facere recusaui, sed exiui cum eis in palatium.

Eadem secunda feria & tertia feria venit ad me omnis clerus, & multi erant qui se parauerant ad nauigandum mecum, qui etiam res suas immiserant in eas quæ vacuabantur * nauiculas, in quibus onera ex littore in naues maiores, vel ex eis ad littus transportantur. Alij quoque nonnulli præparabantur clerici ac laici, qui festinabant venire ad nos. Eadem ergo nocte, quæ illuxescit in feria quarta, quæ erat decimotertio Kalendas Iulias, circa horam quasi sextam noctis, tulerunt me de palatio, retrusis omnibus qui mecum erant in palatio, vsque ad res diuersas quæ mihi & hic erant necessariæ, & nonnisi cum sex puerulis & vno cancellulo duxerunt nos ex Vrbe. Et cum immisissent nos in C
vnum eorum quæ dicebantur leuamenta, circa horam plus minus quartam diei ad Portum peruenimus.] Sed hic velim obserues, eadem die contigisse Martini egressum ab Vrbe, qua consueuit celebrari in Ecclesia natalis S. Siluerij Papæ, qui & ipse exul factus, & in exilio moriens, auctus est corona martyrij. Sed pergit: In ea sane hora, qua egressi sumus ab vrbe Roma, statim, vt erant obseratæ portæ, iterum eas obserauerunt, & sic remanserunt in ciuitate aliqui, ne venirent ad nos in Portum, donec illinc nauigassemus. Vnde necessitas nobis effecta est, vt omnium eorum res, quæ in leuamento missæ fuerant, in dicto Portu dimitteremus, & mox eadem die moueremur, & peruenimus Kalendis Iulij Misenum *, in quo erat nauis, id est, carcer.] quod scilicet in terram inde descendendi nulla vmquam daretur facultas. nam subdit:

Non autem Miseni tantum, sed in Terra laboris, & non tantum in Terra laboris, quæ D
subdita est magnæ vrbi Romanorum, sed & in pluribus insularum, in quibus nos vel transmisissemus, parata * impedierunt; nullam compassionem adeptus sum: excepto dumtaxat in insula Naxia (quoniam ibi annum fecimus) merui lauari duobus vel tribus balneis, & apud vrbem mansi in hospitio quodam, &c.] hucusque res gestæ anni huius; reliqua sequenti anno dicemus, temporis præscripta ratione seruata. Delatus ergo sanctissimus Pontifex Martinus in Naxum insulam, ibi annum integrum degere exul iussus est: cum interea (vt eadem epistola docet) æger corpore perseueraret, mentis tamen firmissima valetudine, ne vel latum vnguem cederet impietati. Sed his intexenda putamus quæ eodem argumento ad clerum Romanum scripta sunt eodem tempore Constantinopoli ab vno ex comitibus viri sanctissimi, cum præsertim aliqua digna memoria habeant, quæ desiderantur in dictis eiusdem Pontificis litteris. Reddemus earum litterarum eam hic tantum partem, qua anni huius res gestas narrat, sic E
exordiens *:

Afflictiones, mærores, & lacrymas, communemq. sine cessatione ac mœstissimam vocem, quæ in dolore ex intimo prolata est cordis, puto autem quia & profertur Domino ab his qui sunt Romæ, adhuc autem & in omni loco dominationis eius degentibus sanctis famulis Dei & fidelibus populis, ex quo facta est persecutio aduersus sanctissimum Patrem nostrum Deo beatissimum & fidelem sacerdotum principem & Apostolicum vniuersalem Papam, ac per hoc aduersus Catholicam Ecclesiam: puto autem hactenus hunc eumdem mærorem retineri in vobis, & multam solicitudinem habere vos, scire quomodo exulatus est, & persecutione pulsus a Roma nauigio vsque Byzantium. Hæc in mente habens ego humilis & peccator famulus vester, quædam quidem exterius

soli-

* vocabátur

IN PALATIVM EX ECCLESIA PERDVCTVS S. MARTINVS.

PROHIBITI CLERICI PROFICISCI CVM S. MARTINO.

* Messenam

* peccata

PROHIBITVS MARTINVS IN TERRAM DESCENDERE.

a *Apud Martin. epist. 16. ex versione Anast.*

EPIST. VNIVS EX COMITIBVS S. MARTINI.

A solicitudine multa addiscens, plurimorum autem proprie contemplator factus, indignus ministerij beatissimi & pretiosi sacerdotis nostri, iudicaui litteris reminiscí & nota facere, claraq. constituere vobis benedictis, ac per vos omnibus fidelibus & zelum habentibus cultura diuinæ: quatenus cognoscentes, cum cordis mœstitudine mecum sermonem propheticum * proferatis: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die & nocte contritiones Catholicæ Ecclesiæ, & omnium Christianorum, immo perditionem, propter ea quæ acta sunt in beatum & Deo plenum ducem veritatis & prædicatorem. Verumtamen Deo gloria, qui dedit virtutem & sufficientiam stabilem in tentationibus quæ superuenerunt ei a contrarijs virtutibus & viris, in expugnando & viriliter dimicando pro cultu Dei irrefragabiliter, & spe firma vsque ad mortem ponens animam suam, vtpote imitatus eum, qui eum constituit athletam, Dominum eius ad informa-
B tionem pro veritate dimicare.

AD LVCTVM VOCAT AVCTOR.

a *Hierem. 9x*

Ea quidem quæ Romæ gesta sunt in beatum Martinum spiritualem patrem, sacerdotumq. principem, & vos scitis qualibus periculis luctatus est. Videns ergo gladios vibratos & acutos consertos ad inuicem tentos a pluribus militibus paratum habentibus inficere enses & priuare vita beatum Episcopum, & in circuitu altaris astantibus, & in toto templo Catholicæ Ecclesiæ Romæ, quæ cognominatur Constantiniana, in qua sacerdotio fungens recubabat in foribus & grabato ipse beatus æger, & quomodo contritus animis * & artubus constrictus, impulsus & expulsus, raptus & extractus ex Apostolico throno, in quo Dominus eum constituit Inspectorem loco sui Apostolum, & prædicatorem Orthodoxum veritatis.

S. MARTINVS IN BASILICA RAPITVR A MILITIBVS.

* armis

Sed vere iste non fecit animam suam pretiosiorem se, sed posuit eam vsque ad mortem,
C imitatus (sicut dictum est) Dominum suum dicentem [b]: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis, quò saluaret vbique errantem & perditam plebem ab insurgentibus nostris temporibus hæreticis. Traditur ergo Romæ de Catholica Ecclesia sancti Ioannis a potentibus huius sæculi ijs qui hoc erant ministerio digni ministris atque custodibus; depositus est ad Portum, & coniectus est in lembum: & nauigantibus (sicuti scitis) euntibusq. cum auiditate in insulam quæ vocatur Naxon, non concesserunt beato illi Apostolico viro custodes penitus contingere terram, dolentibus prorsus pedibus eius (*podagræ nempe doloribus affligebatur*) cum ipsi per loca conferrent, & ibi quiescerent.

b *Ioan. 10.*

AD PORTVM DVCTVS NAVIGAT IN ORIENTEM.

Hi autē qui per loca erant sacerdotes, & ceteri fideles regionis ipsius, dirigebant munera beato illi causa vtilitatis eius, non paruæ multoties quantitatis: quas quidem directas species & quantitates custodes bestiales continuo coram eo diripiebant, improperiosa &
D amara plurima congerentes in eum. Eos autem qui munuscula detulissent, *iniurijs* & verberibus afficientes dimittebant, dicentes ad eos: Quoniam quicumque diligitis istum, inimici estis Reipublicæ. Numquid non ei hoc solum valebat inferre dolorem incomparabilem super infirmitate, quæ eum valde deprimebat? &c.] reliqua enim quæ subdit, cum sequenti potius anno gesta esse noscantur, suo loco reddituri sumus.

CVSTODES OMNE GENVS HVMANITATIS VEXANT.

Fuit illud impiorum consilium, vt anno integro sanctus Martinus inter Cyclades detentus, illic premeretur ærumnis, vt eo modo ipsius constantia frangeretur, daretq. tandem victus manus, & assentiretur Imperatori. Sed tantum abest vt sanctus Pontifex flecteretur aduersis, vt magis fieret pro tuenda veritate robustior. De ipsius enim constantia toto Christiano orbe laudibus celebrata sanctus Audoenus Rothomagensis Epi-
E scopus, qui hoc eodem tempore egregia claruit sanctitate, hæc habet [c]: Interim dilatione intercedente, inimicus humani generis acrius incitatus pulsabat fortiter murum Ecclesiæ per homines perditos, ac turrim validissimam omni oppugnationis genere infestabat Martinum perpetuis afflictionibus, illum Episcopum ad se inflectere cupiens. Sed quamuis impurus spiritus omni nisu pugnaret armatus: attamen resistebat Martinus Christi gratia & virtute repletus: ac veluti si saxo immobili vndarum fluctus illidantur, ita virili animo dicta respuebat hæreticorum garrientium.] sed quæ post hæc secuta esse tradit, sequenti anno æque dicentur. Rursum idem Audoenus:

COMMENDATA MARTINI PAPAE CONSTANTIA.

c *Audoen. in vita S. Eligij c. 34. Sur. to. 6. die 1. Decemb.*

Per idem fere tempus, quo apud vrbem Romam hæc gesta sunt, quidam hæreticus pulsus a partibus transmarinis, in Gallias venit: moxq. se conferens ad ciuitatem, quæ olim Hedua, nunc autem Augustodunum vocatur, cœpit tam caute quam fraudulenter sua nefanda dogmata prodere. Quod cum in palatio ad aures Eligij Nouiomensis Episcopi peruenisset, cœpit vigilanter (vti semper in eiusmodi rebus solicitus erat) cum Au-

doeno & ceteris Catholicis viris tractare, quemadmodum hanc pestem palam omnibus A
CONCILIVM AVRELIANEN. manifestam denegarent: nec destitit Episcopos commonere & optimates, quousque iussu Principis sacerdotale Concilium apud vrbem Aurelianensem congregaretur.

Vbi eo quem diximus hæretico in mediũ deducto, conabantur eum docti quique diuersis modis interpellare; sed nullo poterant genere concludere: tanta quippe dicendi arte
HAERETICVS VICTVS ATQVE DAMNATVS. obiectis quæstionibus occurrebat, vt vbi maxime putaretur constrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibusdam foraminibus dilapsus, eorũ se fronti opponeret. Cumq. nullo modo a quoquam posset concludi aut superari: extitit quidam e nostris pia Dei prouidentia doctissimus Episcopus, nomine Saluius, qui ita ei in omnibus obuiauit, vt ingens ea causa nostris fieret gaudium & expectatio: omnes enim eius versutias & artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti disputatione palam funditus detexit; sicq. aduersus eum omnium Episcoporum sententia prolata, & per singulas ciuitates B
super eius nomine decretis constitutis, cum ea quæ par erat ignominia & dedecore a finibus Galliæ eliminatus est.] hæc Audoenus: eadem plane in ipsius Audoeni[a] rebus gestis narrantur: sed quisnam hæreticus iste, vel cuius hæresis fuerit, ignoratur. At reuertamur ad res Orientis.

[a] Extant apud Sur. die 24. August. to. 4. c. 9.

Quod enim ex Theophane superius dictum est, hoc anno nono Imperatoris Constantis, sicut Martini, ita & Maximi Abbatis vincula consignari: consentientia ijs valde sunt,
S. MAXIMVS IVBETVR DVCI CONSTANTINOPOLIM. quæ in eiusdem Maximi rebus gestis narrantur quam fidelissime, quæ hic tibi verbatim reddere argumenti dignitas postulat. Porro etsi eodem anno quo sanctus Martinus, Maximus abductus est captiuus ab Vrbe, vbi magna eius Ecclesiæ vtilitate degebat: haud tamen vna cum ipso Pontifice captus & ductus fuit Constantinopolim, sed paulo ante, vtpote quod haud adeo difficile fuerit inuentum solum sanctissimum monachũ peregrinum C
capere & vinculis mancipare. Cum enim Constantinopoli relatum esset ab ijs qui erant in Vrbe ministri Imperatoris, Maximum Romæ magnopere ipsi aduersari Imperatori, in eũ obloqui, & alia his similia hæresis odio facere: datũ est in mandatis Exarcho, vt ipsum Maximum vinctum perduci curaret Constantinopolim, quod & nauiter impletum est.

Sed spectemus glorioſum tanti viri certamen. Senem iam prope octogenarium videbis
MAXIMVS ADVERSA QVAEQVE SVPERAT. athletã non aduersus vnum vel alterum, sed omnes Imperatoris satellites immobilem stare, fortem robustumq. consistere, nec vel leuiter pede moueri. Fuit plane admiratione dignum atque commiseratione pariter, Angelis etiã veneranda canitie intueri senem, & aduersus eum tum Romæ primum, tum postea Constantinopoli omnem ad expugnandam eius constantiam armari sæuitiam Imperatoria auctoritate nitentẽ, & nihilominus ipsum victorem de superata perfidia, debellata ferocia, & subiugata potentia hæretici Impe- D
ratoris erigere numquam collapsura, sed in æternum permansura trophæa, quibus & nostri illustrentur Annales, in primis vero vniuersa Ecclesia Catholica decoretur. Age igitur historiam quam sinceriſſime scriptam, ab auctore qui ab ijs qui eius inhærebant lateri (vt videbis) accepit, hic reddamus; qui post enumeratos commentarios a viro sanctissimo tum aduersus ingruentes Monothelitas elaboratos, tum ad optimam vitæ rationem ineundam conscriptos, pergit sic dicere:

His omissis, ad alia orationem conuertam, ac deinceps generosi viri tolerantiam
IMPERATORIS CONSILIVM DE MAXIMO. malorum & ærumnarum exponam. Constantem nepotem Heraclij, cum Imperio potitus esset, nonumq. iam annum id administraret, multamq. male sentientibus (quod sentiret cum illis) dedisset licentiam, & omnia pestilenti lue implesset: hunc igitur, cum cetera ex sententia procederent, de ijs quæ Romæ gererentur, non mediocris incessit cura, E
cum resciuisset in ea omnes ab ipso dissentire, ipsiusq. dogmatis euersores. Cumq. non ignoraret quis horum esset auctor (nam sanctus vir omnibus doctrinæ splendore alte relucebat) eum magno studio iubet in regiam deduci, existimans se, cum huius potitus esset, alios quoque omnes in potestate esse habiturum. Cum eo autem ipsius discipulus ductus est Anastasius vna cum cognomine eius ac eisdem moribus prædito, qui & Ecclesiæ Romanæ Apocrisarius dicebatur.

Quinetiam & diuinum Martinum cum plerisque Occidentis Episcopis in vrbe Byzantina sistit, his (vt credibile est) propter contrariam sententiam offensus. Verum incommoda & calamitates Pontificis Martini, quæq. in eum impius ille contumelioſe designauit, innumeris eum contumelijs probrisq. aspergens, innocentemq. (o nefarias manus!) supplicio afficiens, tandemq. longinquo damnans exilio (Chersona autem

exilij

A exilij locus fuit) eius videlicet Episcopis similiter affectis: hæc otium mihi in præsentia non est, vt gesta sunt, exequendi, ad res Maximi properanti. Ac multi quidem fortasse partim dicent, partim iam dixerunt, hominem, opinor, honorificantes, eiusq. conuersationem laudibus extollentes: oratio vero nostra institutum suum prosequatur.

Cum igitur sacer hic vir manibus hominum cædis auidorum comprehensus esset, ad eumq. omnes respicerent: Videamus primum quibus ei dextras dent tot occursibus, quodq. de eo iudicium faciant hi egregij legislatores. Nam simulatque Byzantium vrbem appulit, nauigio eo delatus: veniunt ad eum ab Imperatore homines missi, ex solo vultu multam animi acerbitatem ostendentes. Qui sanctum virum licenter impudenterq. comprehensum, incalceatum ac sine amictu per vias trahentes adduxerunt, sequente discipulo, tantoq. facinori ingemiscente: ac in quodam tenebricoso tecto concluserunt, B ne discipuli quidem ei impertito contubernio. DVCITVR S. MAXIMVS CONSTANTINOPOLIM.

Post aliquot vero dies adducunt iustum in palatium, Senatu vniuerso sedente, ac truculentum aliquid & furens in eum intuente. Ac tum quidē Sacellario, qui dignitate anteiret, iudicium in eum permittunt, viro ad dicendum prompto, aptoq. ad sermones fingendos, & ad veritatem malitiose interpolandam atque labefactandam omnium maxime accommodato. Is quid malitiæ prætermisit? quid improbum non perpetrauit? a quibus minis & contumelijs abstinuit? Non honorabilem reueritus senectam (nam tum erat annos circiter octoginta natus, & paululum ab ea ætate aberat) non efflorescentem in vultu gratiam, non modestos & compositos & sedatos liberalesq. & amabiles mores, ceterumq. decorum & venerabilem statum: idq. cum iniustissimus nullum criminis locum, nihil iuri aut rationi consentaneum, ob ea quæ iustus gesserat, haberet, sed solam peruer- C sitatem suam ac sinisteritatem, audaciamq. morum & improbitatem ostendens: adeo in tot tantisq. rebus inuerecundiæ suæ specimen dedit. Verumtamen is iusti viri sermonum cautæ & prudenti versationi decentibusq. responsis contradicendi non habuit locum: sed remere omnia miscere visus est, maleuolus modo esse conuictus & improbitate insignis. SISTITVR IVDICIO S. MAXIMVS.

At quæ tum dicta factaq. sunt, quasq. innocenti calumnias imposuerunt, qui putarunt mendacio se tectos esse; ipse præclarus religiosi viri discipulus particulatim exponit proprio commentario, ex quo cuiuis licebit omnia ad verbum percurrere, accuratiusq. cognoscere. Verum non alienum a proposito est, pauca ex illis a me commemorari, huicq. orationi inferi, ne nullius omnino eorum mentionem fecerimus, cum præsertim non narrando, sed percurrendo res gestas simus exposituri. CALVMNIIS AGITVR IN S. MAXIMVM.

Vt igitur nefandus Sacellarius in Sancti conspectum venit, statim incepit asperiore D sermone eum lacessere, minasq. incutere, iniustum eum & proditorem & Imperatoribus inimicum appellans, omniaq. alia turpissima. Vt autem hic scisitatus est, qua gratia hæc de se diceret, & quamnam perpetrasset proditionem? Tum calumnias ille confingit, quas ab illo solo confingi par erat, testes in aperto mendacio sistens. Et quidem in religiosum virum deblaterabat, magnas eum vrbes prodidisse, Alexandriam inquam, & Aegyptum, & Pentapolim: quas a nostris, inquit, abstraxisti finibus, & Sarracenis iam addidisti: quorum eum maxime domesticum, atque in ipsos beneuolum esse aiebat. QVAE FALSA OBIECTA IN MAXIMVM.

Postquam vero hanc illius prauitatem oratione, cui contradici non posset, Sanctus propulsauit, sycophantiam manifestam nec quicquam aliud esse demonstrans: Quid enim ipsi cum capiendis vrbibus, quarum causa potius vtilia cupiebat? Aliam impudens E viam init, somnia quædam fingens & vmbras & spectra, in ijsq. & vocum resultantes sonos maiorum ac minorum & Regum appellationes, & Occidentis Imperatori clariorem quam Orientis vocem resonare: accusatores hic quoque & sycophantas in medium proferens. Quare magis etiam ingemiscens religiosus vir: Gratias ago Deo meo, inquit, quod in manus vestras sim traditus, talibusq. criminibus petar, vt his inuoluntarijs quæ voluntate a me commissa sunt deleantur, atque vt vitæ meæ maculas abstergam. Verum vt paucis ad hæc respondeam, neque ad somnia respicio, neque somniorum coniector sum, nec mihi otium est, vt in horum vana specie mentem occupem. Sed quoniam sic me accusare voluistis, vt etiam adduceretis testes, eosq. qui non norunt, sed ex ijs qui nouerint audierunt, quod illi (vt dicitis) migrarunt e vita: cur non a principio, & superstitibus etiamnum primis, somniorum expetebatis rationem ac pœnas? Sic enim & ipsi magno negotio molestiaq. liberi essetis, ego vero pœnas ob confessas certasq. res persoluissem. EX SOMNIIS QVAESTIO HABITA.

*iudicium

At (vt credibile est) nec veritas sic habet, nec qui in me indicium* fecerunt, eum qui A
scrutatur corda, ante oculos suos proposuerunt. Ne videam enim Domini mei conspectum, nec Christianus existimer (nihil enim aliud habeo quod imprecer mihi) si confictum somnium aut vidi, aut eo informatus sum, aut alijs narraui.

Postea tertium ei inferunt crimen, vt secundum redargui viderunt: quod nec in oratione ponendum esse putaui, propterea quod præterquam quod non est credibile, puerile etiam sit & ridiculum. Nec vero quarto crimine egregij abstinuere Iudices: Quemdam Gregorium adducunt, qui affirmaret, dixisse Romæ Sancti discipulum, Nefas esse, nec rationi consentaneum Regem sacerdotem appellari: quippe qui a magistro, *Maximo scilicet*, Anastasius hæc didicisset. Attamen sacro viro ne defensio quidem in hoc defuit. Qui ipsi Gregorio in faciem restitit, & ostendit, alia tum esse dicta, alia nunc obijci. Nam cum ille, inquit, Romam venisset, de vnitate habuit sermonem, *voluntatis scilicet*, vt B
Typum nos reciperemus, quo illud dogma in multorum ore positum sanciebatur & promulgabatur. Ad illa videlicet nos respondimus atque occurrimus, cum ea considaremus quæ nobis profutura essent, quæq. vtilia arbitrabamur. Quamobrem nec mea esse scio, quæ nunc proferuntur, neque discipuli, qui vocatur in crimen, quicum numquam huiusmodi (ac Deus testis est) sermonem contuli. Verumtamen hoc solum mihi conscius

NON ESSE REGVM DE DOGMATIBVS DEFINIRE.

sum dixisse, non discipulo, sed huic ipsi Gregorio (quod ne ipse quidem penitus negauerit, nisi se ipsum quoque plane neget) definire de dogmatibus, & quærere, sacerdotum magis esse, quam Regum: quoniam his concessum est & vngere, & manus imponere, & panem cælestem offerre, & altari assistere, & quæcumque alia agere quæ diuiniora sunt, sacramentaq. sublimiora habent. Hæc elocutus sum, & nunc loquor. Ob hæc me quiuis vel absoluat, vel damnet: neque enim iniuria homo ab homine affici potest, quam- C
uis omnium grauissima patiatur.

Tunc cum non haberent quid facerent qui mendacium spem suam ponunt: iustum educunt, ciusq. introducunt discipulum Anastasium, quem verbis ac minis perterrefaciunt, vt cogerent de magistro aliquid indicare, vim afferentes, vt diceret, eum dolorem dedisse Pyrrho, *cruciamentis illum torsisse scilicet*, cum vna sermonem haberent in dicta superius disputatione. Falsiloqui haud scio cur ista molirentur. Cum vero Anastasius secus locutus esset atque expectabant, Sanctum virum non solum nihil ei doloris attulisse, sed etiam omnem exhibuisse honorem: pugnis eum & colaphis in caput & genas ferientes, eoq. modo veritatem opprimentes, in custodiam rursum includi iubent.

ANASTASIVS DISCIPVLVS INDVCITVR CONTRA MAX.

Sanctum igitur ad se iterum accersunt vt anteactis non contenti, aliamq. tentationem inuincibili adhibent. Hæc erat: Origenis cum dogmata sequi, & cum illo in omnibus sen- D
tire. Vt vero confestim imbecillum & ad diluendum facile id crimen dissoluit, asseuerans eum a Deo seiunctum esse & a Christianorum partibus, qui assentiretur Origeni, deliraſq. eius rationes acciperet: De Pyrrho rursum, ijsq. quæ tum essent dicta interrogant, personam potius induentes benignitatis, quam hanc scientes, aut in corde ponentes, ac deinde quomodo se a Patriarchæ communione abrupisset. Postea vero cum alias interim percontationes & interrogationes prætendissent; ac affirmassent, eum qui ab ipsis offerretur, Typum magni faciendum esse, ac in honore habendum, quem ipse execraretur & exhonoraret: ac demum cum ea quæ ipsis viderentur effugi non posse, nec facile dilui, proposuissent, nec minis in eum, contumelijsq. abstinuissent: tandem viderunt se in omnibus vnici, proprijsq. (vt aiunt) capi pennis: ac dimisso consessu, Imperatorem propere adierunt, hominis constantiam nunciantes: Maximusque, inquiunt, in sermonibus est E
inuictus, nec ei quisquam persuadere potest, vt nostris assentiatur, tametsi conetur quis supplicio eum afficere.

RVRSVM QVAESTIO DE MAXIMO.

Aliquanto post alij ad eum veniunt, cum iam custodiretur, existimantes forsitan, si crebro oppugnarent, ac verbis terrorem incuterent, se eo molliore vsuros. Qui venerunt autem, dicebant, se a Patriarcha missos. qui & Sancto hæc statim prætenderunt: Cuius, inquiunt, es Ecclesiæ (ipsis enim illorum verbis vtar) Byzantij, Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Hierosolymorum? Ecce omnes, subditæq. ijs prouinciæ coniunctæ sunt. Si igitur & ipse Catholicæ es Ecclesiæ, coniunge te nobiscum; ne vitæ peregrinam viam innouans, quæ non expectas, patiaris. Ad quos beatus vir opportune & sapienter respondet: Dominus cum Catholicam Ecclesiam rectam & salutarem fidei confessionem esse dixit, idcirco Petrum, qui bene confessus erat, beatum dixit; super quem talem se ædifi-

CATHOLICA QVAE DICENDA ECCLESIA.

A se ædificaturum Ecclesiam, vniuersorum Dominus pronunciauit. Verumtamen confessionem volo addiscere, super qua vniuersa Ecclesiarum facta est coniunctio; nec alienor ipse, si id bene factum est.

Ad quem hæc, qui missi erant: Quamuis iussi non simus de hoc dicere, dicemus tamen, vt nullam omnino excusationem habeas. Duas dicimus operationes propter differentiam, & vnam propter vnitionem. At ille inquit: Duas propter vnitionem vnam dicitis factas esse, ac præter eas aliam? Non, dicunt, sed duas vnam propter vnitionem. Liberati sumus, inquit, omni negotio, qui nobis ipsis fidē insubsistentem ac Deum sine existentia finxerimus. Nam si in vnam confundimus duas propter adunationem, ac rursum in duas diuidimus vnam propter differentiam; nec vnitas erit, nec dualitas operationum, quæ inuicem se tollunt, ac faciunt operationis expers id cui inhærent, & omnino non existens, nul-
B lum habens ex natura motum, qui auferri non possit, quiq. nullo conuersionis modo alteretur ac mutetur. Omni igitur essentia priuatum erit, secundum Patres, non habens operationem essentialiter, quæ ipsius character sit. Hoc igitur dicere non possum, nec hoc edoctus sum a sanctis Patribus confiteri. Quod igitur vobis videtur, qui potestatem habetis, facite.

DE DVABVS OPERATIONIBVS DISPVTATIO.

Illi cum non haberent quid ad hæc contradicerent: quod placitum erat ijs qui rerum potiebantur, ei inferunt, dicentes, illis videri, hunc qui non obtemperaret, anathemati subijci, ac mortem ei definitam irrogari. At hic leniter sic atque humiliter: Quod Deo, inquit, de me definitum est, nunc finem accipiat, ei gloriam afferens ante omne sæculum prænotionem. Verum tum quidem, quæ prolata erant, differunt. Consilium autem vna habentes Imperator & Patriarcha (quemadmodū Pilatus & Iudæi super meo Iesu) iustum
C damnant exilio, in quoddam oppidulum, cui Bizya nomen erat, statim abducentes, simulq. discipulum Anastasium in quemdā locum valde malum, Romanorumq. Imperij vltimum, solum deportantes. Perba, alias Perberis, ille locus lingua barbarorum nuncupabatur. Itidemq. fecerunt eius cognomini Romæ Apocrisario, qui Mesembriam relegatus est.] *Est* Mesembria in Thracia ciuitas, de qua Theophanes, Zonaras, & alij in Leone. hactenus de relegatione sanctorum confessorum Maximi ac sociorum. Sed comparatione acerbiorum quæ hæc subsecuta sunt, ludum hæc iure posset quisque vocare: quænam autem ista fuerint, suo loco dicturi sumus.

S. MAXIMVS ET DVO ANASTASII IN EXILIVM MISSI.

Ad sex namque annorum spatia contigit Maximum vna cum socijs istiusmodi pro confessione Catholicæ fidei delicijs frui. Quidni delicias dixerim mensam illam, quam Sapientia [a] præparauit, pro cuius defensione certamen tantum susceperint confessores? Est plane,
D est manna [b] absconditum, quod vincenti eadem exhibetur in mensa; quod quam suaue sit, nemo scit, nisi qui accipit. Sed exhibito iam eiusmodi Maximi ac sociorum certamine, quod maius in eodem impietatis theatro spectaculum repræsentatur, attente spectemus: quodnam vero istud fuerit, sequens annus aperiet.

a Prou. 9.
b Apoc. 2.

IESV CHRISTI ANNVS 651. MARTINI PAP. ANNVS 3. CONSTANTIS IMP. ANNVS 10.

SEquitur annus Domini sexcentesimus quinquagesimusprimus, nona Indictione, idēq. illustris confessione sanctissimi Papæ Martini. Si enim putarunt veteres nouis Consula-
E tibus annos signari & illustrari pariter purpura Consulum: quanto magis clarior dicendus Christianis erit hic annus Summi Pontificis tot insignitus victricibus palmis, cum eum adeo honorat iterata sæpe confessio, & crebrius contumeliæ repetitæ exornant, catenæ decorant, nobilitatq. durum exilium, per quod demum & martyrium consummatum illustrat. Interim suo sæuit impietas arbitratu, grassatur iniquitas exors legis, furit crudelitas absque timore, & solutis habenis, Imperatoris calcaribus agitata hæresis debacchatur: sed omnia ista machinamenta diaboli, fluctusq. omnes furentiū hæreticorum, qui non ipsum Rom. Pontificem tantum, sed vniuersam Catholicam Ecclesiam suo impetu posse obruere videbantur, illisi petræ resiliunt, atque in spumam gracilem dissoluuntur, suo stridore testantes, oportere tandem cedere mendacium veritati, vitia a virtutibus superari, atque procacem hæresim succumbere Catholicæ fidei, & ipsi semper esse subiectam. Erat plane Martinus, siue summa potentia veritatis, siue suarum virtutum merito, siue robore fidei

S. MARTINI PAPAE CERTAMEN.

Ortho-

Orthodoxæ, & prærogatiua Apostolicæ sedis Petri, petra durissima, quam magno suo A
ipsorum damno impij vt lædant, dum feriunt, feriuntur. Sed iam rerum gestarum se-
riem ex epistolarum fontibus pura claraq. veritate fluentibus in medium deducentes ag-
grediamur.

S. MARTINVS DVCITVR CONSTANTINOPOLIM.

Martinus Pontifex igitur, vbi in Naxo insula in ærumnis iam annum egisset, nec acer-
bitatibus sæuientium hæreticorum flecti vllatenus valuisset, immo vegetior animo & con-
stantia firmior factus esset, ad grauiora subeunda supplicia Constantinopolim ducitur.
Ita plane frequentiorem amplioremq. locum voluit tanti certaminis præparari Diuini-
tas, atque deligi ciuitatem regiam in theatrum, quo tanti athletæ victoria orbi innote-
scere posset. Quæ autem idem ibi sit passus, ex litteris vnius ex illis, qui ei peregri-
nationis comites adhæserunt, hæc accipe[a]:

a Extant inter epist. S. Martin. epist. 16. ex versione Anastasij Bibliothec.

Exinde ergo præmittentes nuncium quemdam custodes qui retinebant eum, nuncia- B
uerunt in Byzantium aduentum & actiones eius, proferentes aduersus eum plurima ma-
la, hæreticum & rebellem Domino, Deiq. aduersarium proclamantes, & subuertentem
vniuersam terram Romanorum.] Quibus parcerent malis in virū sanctum, qui eum istiusmodi calumnijs impetebant? vt plane, secundum Euangelicum illud, obsequium se Deo præstare putarent, & quo religiosiores quique videri vellent, eo crudeliores in ipsum insurgerent, & percussionibus lacerarent. Sed quæ sit passus Byzantij, audiamus.

Cumq. tandem, inquit, peruenisset Byzantium beatus ille decimoseptimo die mensis
Nouembris, in portu iuxta Euphemiam, iuxta Arcadiam nos reliquerunt a mane minis-
tris vsque ad horam decimam recubantes in grabato nauis. Eratq. (sicut dictum est)
spectaculum omnibus Angelis & hominibus. Accedebant enim varij homines, quos pro-
pter ferales mores lupaces dixerim: & subrogati (vt conijcio) talia contra sanctū Papam C
agebant, qualia Christianis dici non oportet. Morantibus nobis in littore, erā incedens
dolore plenus & amaritudine, eo quod viderem talem sanctum virum ita deiectum, non
solum autem, sed & talia eloquia a quibusdam Ethnicis prolata contra eum: nihil aliud
quærebant, nisi vt auferretur anima eius. Dehinc circa Solis occasum venit quidam scri-
ba, nomine Sagoleua, cum multis excubitoribus, auferentes de lembo, posuerunt in ge-
statorio, duxeruntq. in custodiam Excubitorij, quæ cognominatur Prandiarea, & fecit
eum includi sub multa custodia, præcipiens Excubiti * custodibus, vt nullus penitus sciret
ciuitatis, quia est in eodem Excubitu.] Dum autem eodem detineretur S. Martinus car-
cere, eam quam anno superiori diximus scripsit epistolam [b] ad Eliterum, qua cuncta quæ
ab exordio persecutionis passus esset enarrat, & recensitis ijs quæ ad superiorem annum
pertinebant, reliqua pauca quæ præsenti anno vsque in hanc diem est passus, sic refert: D

* Excubitorij S. MARTINVS IN CVSTODIA ASSERVATVR.

b Martin. epistola 15.

QVAE S. MARTINVS PASSVS IN CVSTODIA.

Et ecce quadragintaseptem dies sunt hodie, ex quo non merui calida nec frigida aqua
rigare me, & effluxi & refrigui totus: quoniam ventris fluor & in naui & in terra vsque ad
præsentem horam mihi requiem non dedit; & in ipsa quoque necessitate mea, hora qua
congustaturus sum, totus conquassatus corpore, ea quæ necessaria sunt percipere ad con-
fortandum naturam non habeo: tædet me sumere, cum id habeam penitus in fastidium.
Sed credo in virtute Dei, qui omnia conspicit, quia cum de præsenti vita subductus fuero,
exquirentur de his omnibus qui me persequuntur, vt sublatus sim; vt saltem sic ad pœ-
nitentiam ducti, ab iniquitate sua conuertantur. *Subscriptio*. Incolumem te custodiat
Christus Deus, fili dulcissime.] hæc sanctus Martinus, cum (vt dictum est) in ea custo-
dia asseruaretur. de quo ista comes itineris scribere pergit:

Mansit ergo idem sanctus Apostolicus clausus & sine participatione penitus sermonis E
alicuius nonagintatres dies. In ipsa vero nonagesimatertia die, quæ est Parasceue, mane
tulerunt cum de custodia constituendum in cella Sacellarij, iubentes pridie conuenire
omnem Senatum: quod & factum est. Iusserunt autem eū introducendum, & introduxe-
runt in portatoria sella. Erat enim penitus æger, præcipue autem in illis diebus præ nau-
gatione & afflictione custodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus qui
præsidebat Sacellarius cum reliquis principibus a longe, iussit eum surgere a ferculo, &
astare. Dicentibus quibusdam ministrorum, non valere eum stare: turbatus præ ira Sa-
cellarius, exclamauit. Tunc autem & quidam de custodia surgere cum & astare censu-
ræ subnixum hincinde iusserunt. quod & factum est.

SISTITVR CORAM IVDICIBVS S. MARTINVS.

Sacellarius inquit ad eum: Dic miser, quid tibi mali intulit Imperator? tulit tibi
aliquid? oppressit te vi? Ille autem tacebat. Tunc ait ad eum Sacellarius imperatiua

voce:

A voce: Ecce nunc ingredientur accusatores tui. Et continuo cum sermone introducti multi accusatores contra eum: omnes autem erant mendacij filij, & discipuli eorum, qui Dominum nostrum Iesum Christum negauerunt. Contradicebant vero sancto viro, quemadmodum præmoniti fuerant: erant enim voces eorum præmeditatæ. In quibus quidam eorum paulo ante interrogati, vt testimonium perhiberent, tentabant dicere veritatem, sicut mos est: & continuo turbati qui prætendebant certamen, incipiebant validis minis increpare eos, donec suaderent eos proferre quæ erant conuenientia in mortem beati & iusti viri. Contemplatus ergo sanctus Papa Martinus introeuntes testificari, subridens dixit: Isti sunt testes, sicut habet ordo? Erant enim primi ingredientes nomine quidem milites, lupaces autem & bestiales sententia, & quidam eorum qui erant Olympij, cum quibus erat & Andreas, qui fuerat Notarius: erant enim intra accusatores infe-
B lices Imerites & Erinus & reliqui numero quasi viginti priores milites, & reliqui accusatores. Iurabant autem ad sancta Euangelia & testificabantur. Primicerius sane omnium accusantium erat Dorotheus Patricius Siciliæ, qui adiurans dixit: Quoniam quinquaginta capita si haberet *Martinus*, non oporteret eum viuere, eo quod solus subuertit & perdidit vniuersum Occidentem & deleuit, & re vera vnius consilij fuit cum Olympio & inimicus, homicida Imperatoris, & Romanæ vrbanitatis.

TESTES PRODVCTI CONTRA S. MARTINVM.

Videns ergo iustus vir introeuntes eos & iurantes sine parcitate testificatores, compassus perditioni animarum eorum, ait ad eos qui præsidebant principes: Obsecro vos per Dominum, nolite præparare illos iurare, sed absque iuramento dicant quæcumque volunt; vosq. facite quæcumque vultis. Et quid opus est etiam iurando perdere illorum animas? Ingresso equidem vno, & testimonium dicente, quoniam coniurationes fecit
C cum Olympio, & milites præparauit vt iurarent: Interrogatus Deo pretiosus vir, si hæc ita se haberent; ille: Si vultis audire veritatem, dico vobis sequentia. Et cœpit dicere: Quando factus est Typus, & directus Romam ab Imperatore. Et hoc tantum dicente beato illo, aliud non concessum est loqui. sed continuo ante omnes incipiens cum clamore Troilus, inquit: Non inferas nobis hic de fide: de duello nunc scrutaris, quoniam & Romani & nos Christiani sumus & Orthodoxi. Et respondit ijsdem vir iustus: Vtinam: verumtamen inuenietis me in illa die tremendi iudicij examinis testem etiam in hoc.

MARTINVS CONATVR PROHIBERE PERIVRANTES A IVRAMENTO.

Deinde inter accusantes testes ait ad eum Troilus Præfectus: Qualis es tu homo, quoniam cernens & audiens talia contra Imperatorem nitentem effodiendum Olympium, *indignum videlicet sepultura*, non prohibuisti eum, sed contra consensisti ei? Ad quem dixit ipse Apostolicus Papa: Dic domine Troile: Quando (sicut scitis etiam vos, & nos
D audiuimus) Georgius a magistratibus qui erant ex monachis, ingressus est tunc in Vrbem a castris, & talia verba locutus est, fecitq. restales: vbi eras, aut qui erant tecum, quod non restitistis, sed contra concionatus est vobis, & quos voluit palatio exulauit & prohibuit? Iterumq. cum Valentinus cum præcepto Imperatoris indutus est purpura & consedit ei: quo ieratis vos? non eratis illic? Cur ergo non prohibuistis eum, dicentes: Ne attingas res non opportunas tibi? Nonne omnes contra conuenistis ei? Quomodo habebam ego tali viro aduersus stare, habenti præcipue brachium vniuersæ militiæ Italiæ? An potius ego illum feci Exarchum? Verumtamen denuo obsecro vos per Dominum: quodcumque vultis & definitis fieri in me, citius explete. Nouit enim Dominus: Maxima mihi dona tribuitis, quacumque me clade iugulaueritis.

IN ACCVSATORES REIICIT CRIMEN S. MARTINVS.

Percontatus eum quidam de ministrantibus, Sagolcuæ videlicet Sacellarius: Sunt
E foris etiam aliqui, qui debeant testificari? Respondit scriba: Sunt, domine, plurimi alij. Deficientes autem hi qui præsidebant, sancto & venerabili astante viro in conspectu eorum, & potissimum cum Spiritu sancto eum confirmante, dixerunt, sufficere testes. Erat quippe interpres eorũ quæ a Sancto dicebantur verborũ Innocentius Consul * filius Thomæ, qui erat ab Africa; & cum interpretaretur ea quæ a beato viro dicebantur, non ferebant. Videns Iudex ignita iacula sancti Spiritus a Deo honorabili viro contra eos prolata, ait ad Innocentium cum furore: Cur nobis interpretaris quæ dicit? Noli dicere quæ dicit. Surgens ergo continuo Sacellarius cum plurimis qui confederant ei, ingressus est nunciare Imperatori quæque ipse voluit.

* Consularis

INTERPRES COHIBETVR.

Eduxerunt autem sanctum Apostolicum virum de loco iudicij, magis autem ex aula Caiphæ, in gestatorio sedili sedentem, & statuerunt eum in medio atrij, quod erat ante cellam Sacellarij & Imperialis stabuli, quo consueuerat omnis populus conuenire, &

expecta-

SISTITVR PVBLICO IVDICIO S. MARTINVS.

expectare Sacellarij ingressum. Circumdederunt eum excubitores, atque fit omnibus spectaculum formidabile turbis. Post paululum ergo iusserunt eum inferri in Solarium dispositionis, vt essent ibi hactenus, quousque prospiceret Imperator per cancellos triclinij sui, iussurus fieri, quæ erant facturi. Erat itaque multitudo populorum vsque ad Hippodromum conuenientium illic. Statuerunt ergo reuerendissimum virum in medio Solarij dispositionis in præsentia totius Senatus subnixum hinc & inde. A

Facta est ergo constipatio subito non minima: & exiens ab Imperatore Sacellarius, apertis ianuis triclinij, vt videret vniuersum populum, veniensq. ad sanctissimum venerabilem virum Martinum Apostolicum, dixit ad eum: Vide quomodo Dominus te adduxit & tradidit in manus nostras. Tu nitebaris contra Imperatorem? Quid tibi spei erat? Ecce dereliquisti Dominum; dereliquit te Dominus. Et continuo exclamans Sacellarius, quemdam astantium excubitorum consortem præcepit sine mora auferre psachmon * summi & Apostolici atque præcipui pastoris omnium Christianorum, qui Orthodoxam sanctorum Patrum & Synodorum confessionem, hoc est, fidem confirmauit, & noui erroris exortos auctores, nouos videlicet hæreticos cum impijs dogmatibus eorum canonice & synodice anathematizauit. Cum ergo incidisset psachmon beati viri excubitor & corrigiam compagiorum eius; statim tradidit eum Sacellarius Præfecto vrbis, dicens: Tolle eum, domine Præfecte, & continuo membratim incide illum.] * B

Quod ad psachmon spectat, deprauate ita legi putamus: per quam vocem nihil est vt indumentum aliquod possit intelligi: siquidem Pontificia stola, quæ pallium dicitur & cereris omnibus superponitur indumentis, postea sublata fuit. Nec est vt conijci possit psachmon, quasi perisagmum, sarcinam viatoriam fuisse, corrigiæ (vt textus habet) compagibus nexam: siquidem non sit verisimile ei relictam, cum e naui est ductus in carcerem, & e carcere ad iudicium. Vnde ista coniunctio psachmi atque corrigiæ opinari suadet, fuisse cingulo iunctam compagibus peram, quæ Græce dicitur σαγὴς, quam ad libellos oblatos recondendos potissimum gestare Pontifices solerent. Quæ autem secuta sint post ignominiosam corrigiæ solutionem & concisionem, auctor ita prosequitur: C

EXVITVR S. MARTINVS PONTIFICALIBVS INSIGNIBVS.

Cum his autem omnibus iussit astantibus, anathematizare eum: quod & fecerunt. Non responderunt autem huiusmodi voci viginti virorum animæ: sed omnes qui eum videbant, & sciebant quia est Dominus in cælo inspector eorum quæ fiebant, demisso vultu cum multa mæstitudine recedebant turbati. Suscipientes ergo eum carnifices, exuerunt eum pallio sacerdotalis stolæ, & scindentes alas tunicæ quæ erat interius, a summo vsque deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam eius ceruicem & per omne corpus, trahentes eum vi: non concesserunt ei alicubi residere & animam refocillare, sed a palatio duxerunt eum, publicantes & dehonestantes per medium ciuitatis ad prætorium, & gladius coram eo, *ferebatur scilicet*. D

EXPOSITVS OPPROBRIO VRBIS CONST. S. MARTINVS.

Erat autem ei dolor magnus: oppido enim fessus erat & infirmus præ tantis incommodis, futurus relinquere animam a pressura passionum & tenuitate corporis. Attamen gaudens spe confortabatur in Domino; & quo magis afflictione & vi trahebatur, eo sereno obtutu, ductus cum multa constantia animæ iustus, cum vno solummodo indumento a summo discisso in duas partes & sine cinctorio sequebatur vir tantus fide & gratia Domini cinctus. Heu, proh dolor! cerneres virum Deo plenum, tanto opprobrio subiectum, vt interiora eius quodammodo nuda panderentur. Multifarie quidem continuo populorum conspectus, videntes quæ fiebant, gemebant (vt veritatem dicam) & lacrymabantur: pauci autem ministrorum Satanæ gaudebant & subsannabant, & capita transeuntes (sicut scriptum [a] est) mouebant, dicentes: Vbi est Dominus eius, & vbi fides eius, & vbi doctrina ipsius? E

[a] *Matth. 27.*

RVRSVM RETRVDITVR IN CARCEREM S. MARTINVS.

Qui cum venisset in prætorium dehonestatus & a carnificibus inculcatus, coniecerunt eum in ima carcerum cum homicidis. Et quasi post vnam horam tulerunt eum inde, & transposuerunt in ea quæ dicitur, Diomedis custodia, in prætorio Præfecti. Tanta autem instantia & vi trahebant eum vinculis nexum, vt dilaniarentur crura & poplites eius, & sanguis effluueret per ascensum scalæ eiusdem custodiæ: sunt enim scopulosi & asperi valde ac penitus in altum porrecti gradus. Erat autem ipse beatus præsentis vitæ fini proximus, iam in carcere supplicijs anima deficiente ante gladium, cum non valeret conscendere cum se trahentibus. Introducentes ergo eum quomodocumque in custodiam, decidentem sæpius ac surgentem, posuerunt eum in scamno indutum ferro & catenis.

A catenis. Tunc enim quando traditus est a Caipha Pilato vt crucifigeretur, hoc est, Præfecto: continuo exuerunt eum carnifices, grauiter enim algoribus * vexabatur; erat enim intolerabilis hiems: impoſueruntq. ei grauiſſima ferri pondera, & nullus aderat ei hominum eius proprius, excepto vno ſolummodo clerico adoleſcente, qui cum manſiſſet in cuſtodia, & ſuperſtans lamentabatur magiſtrum, ſicuti Petrus Dominum. Erat autem conjunctus magiſter cuſtodiæ eidem beato: quoniam ſic erat mos, vt futurus pati per gladium, coniungeretur magiſtro cuſtodiæ illa nocte. * angoribus

Erant ergo duæ mulieres, genitrix & nata, prænominatæ cuſtodiæ claues tenentes: quæq. aſpicientes importabilem dolorem ſancti illius, qui inter tot pœnarum genera algore quatiebatur diriſſimo, motæ compaſſionibus, quærebant aliquam exhibere miſericordiam ei, & contegere eum, ſed non audebant propter coniunctum & cuſtodientem car-
B nificem. Putabant enim actutum venturam cenſuram, vt trucidaretur. Poſt quaſdam vero horas quidam ex ordine militari vocabant ab imo magiſtrum vigiliæ carceralis. Diſcedente eo, vna mulierum ergaſtulorum illorum pietatis viſcere ducta accedens, amplectensq. bellatorem Chriſti & Apoſtolicum Papam, portansq. reclinauit eum in proprio toro ſuo, contegens vtiliter & inuoluens: manſit autem vſque ad veſperam ſine voce. Veſpere autem facto, miſit ad eum Gregorius Præfectus eunuchus ex cubicularijs Majorem domus ſuæ cum paucis cibarijs, qui refecit eum, dicens: In tribulationibus confidimus in Dominum, non morieris. In quo magis aggrauatus ille beatus ingemuit. Abſtulerunt autem ferrea vincula continuo ab eo.

Sequenti autem die adiens Imperator in Patriarchium viſendi gratia Paulum Patriarcham (proximus enim erat morti) narrauit ei quæ conſummata erant in ſanctiſſimum vi- PAVLVS EPISCOPVS CONSTANTINOP. AEGROTAT.
C rum. Ingemiſcens vero Paulus, conuerſus ad parietem dixit: Hei mihi, & hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum eſt. Percontatus ergo ab Imperatore quid hoc eſſet, reſpondit: Numquidnam, domine, non eſt miſerabile, talia pati Pontificem? Tunc attentius adiurauit Imperatorem, ſufficere ei in his quæ paſſus eſt, nihilq. amplius ſuſtinere. Vnde audiens beatus ille Apoſtolicus vir quod non ſuſcepit quod expectabat (*nempe per gladium conſummare martyrium*) non gratum habuit tale promiſſum, ſed penitus mæſtus effectus eſt: feſtinabat enim explere bonum certamen, & abire ad Deum, quem deſiderabat.

Interea defuncto Paulo, Pyrrho reſidere nitente, atque quibuſdam Eccleſiæ contra- PAVLVS MORITVR, PYRRHVS QVAERIT RESTITVI.
dicentibus & prohibentibus, libellumq. eius publicantibus in palatio, aientibusq. quo-
D niam a beatiſſimo Paulo anathematizatus eſt: Pyrrhus reprobatus eſt ſacerdotio propter libellum quem fecerat Romæ.

Et multa commotione facta, poſt dies octo, defuncto Paulo, dirigitur ab Imperatore ad Diomedis cuſtodiam ad magnanimum Papam Demoſthenes reſcriptor & collaborator Sacellarij & Libeltitius cum eo. Intrantes vero dixerunt ad eum: Dominator noſter eximius Imperator miſit nos ad te, dicens: Ecce in quanta gloria primus conſiſtens, in qualem ordinē te ipſum duxiſti. Nemo tibi fecit hoc, ſed tu ipſe tibimetipſi. Ipſe autem nihil reſpondit, niſi ſolum hoc: Gloria & gratiarum actio per omnia ſoli immortali Regi. Dicit ad eum Demoſthenes reſcriptor: Dic nobis ea quæ de Pyrrho hic & Romæ ſubſequenter geſta ſunt: pro qua cauſa abijt Romam, iuſſus, an proprio propoſito? Reſpondens ſanctus Papa dixit: Proprio propoſito. Ait Demoſthenes: Libellum illum quomodo fecit? compellente aliquo? Reſpondet ſanctus vir: Nemine, ſed propria propoſitione.
E Demoſthenes inquit: Veniente Pyrrho Romam, quomodo eum ſuſcepit ſanctus vir Theodorus prædeceſſor tuus Papa? vti Epiſcopum? Reſpondit æquanimis Papa: Vti Epiſcopum. & quomodo non, ſi priuſquam veniret Pyrrhus Romam, manifeſte ſcripſit beatus Theodorus ad Paulum, vtpote ad eum, qui ſupplantationem fecit, & alterius thronum inuaſit? Deinde eodem Pyrrho veniente Romam ſponte ſua ad veſtigia beati Petri, quomodo non haberet eum ſuſcipere & honorare vtpote Epiſcopum? Reſpondens Demoſthenes dixit: Vere veritas ſic habet. Vnde autem ſumebat ea quæ ad vſum ſui corporis erant neceſſaria? Dicit beatus manifeſte: De Patriarchio Romano. Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Reſpondit honorabilis vir: Vos domini mei neſcitis Eccleſiam Romanam. Dico enim vobis, quia quiſquis venit illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad vſum præbentur ei, & nullum immunem ſuis donis ſanctus Petrus repellit venientium illuc, ſed panis mundiſſimus & vina diuerſa dantur non ſolum ei, ſed DE MVNIFICENTIA ROM. ECCLESIAE HIC REPETITA NARRATIO.

homini-

hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt: qui venit ho- A
norabilis sicut Episcopus, quales sumptus habet susceipere?

Dicit ad eum Demosthenes: Nos didicimus quia Pyrrhus vi fecit libellum Romæ, & quia vincula lignea sustinuit, & multa dolenda passus est. Respondit ille beatus, & dixit: Nihil tale factum est. Nã nisi quia formidine aliqui tenentur, non possunt forte loqui veritatẽ: hic sunt Constantinopoli plurimi, qui tunc erant Romæ, & sciunt quæ ibi gesta sunt: ex quibus interim supereſt Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quiq. direxit homines suos tunc ad Pyrrhum Romam. Percontamini eum de his, si mentior. Verumtamen quid volumus plurima quærere? Ecce in manibus vestris retinetis me; & quodcũque vultis consummare, Domino indulgente, in vestra est potestate. Vtique si membratim incidatis carnem meam, sicuti Præfecto iussistis cum me tradereris, non communico Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Ecce hic sum: examinate me & tentate, & inuenietis experi- B
mentum gratiæ Dei fidelium seruorum eius: Interim Pyrrhus in medio veniat, qui toties anathematizatus est & nudatus honore diuino. Stupefactus Demosthenes rescriptor & admirans super hanc vocem, æquanimis Papæ audaciam atque constantiam pro Christo velle voluntarie mori, quia ad hoc positus erat calix passionis: similiter & ij qui consequenter erant cum eis stupentes, accepto libellario, seriatim cuncta quæ dicta erant a sancto viro conferibentes, recesserunt.

MARTINI CONSTANTIA HOSTIBVS ADMIRANDA.

Fecit ergo reuerendissimus Papa in eodem Diomedis ergastulo octogintaquinque dies post primos nonagintatres, hoc est, omnes centum septuagintaocto. Venit igitur Sagoleua scriba, dicens: Quia iussus sum auferre te hinc, & transferre in domum meam, & post duos dies dirigere te, quo iusserit mihi Sacellarius. Interrogante eum Papa, quo ducendus esset, vel in quem locum: noluit ei dicere. Rogabat ergo sanctus ille, vt laxaretur in ea- C
dem custodia, quousque exularet, & ad eam horam auferretur de custodia: & nec hoc concessum est ei. Sed circa occasum Solis dicit venerabilis Papa ijs qui erant in ergastulo: Accedite, fratres, Vale faciamus: quia ecce nunc aderit, qui auferet me hinc. Et hæc dicente eo, biberunt singuli charitatis gratia calicem. Et surgens sereno vultu cum multa constantia & gratiarum actione, dicit ad vnum concurrentium sibi dilectum, qui erat ibi: Veni, domine frater, da mihi pacem. Erant porro præcordia fratris illius (sicuti mihi ipse referebat) in illa hora, qualia (vt conijcio) discipuli illius contemplantis Dominum in Cruce. Cumq. osculum præberet sanctissimo Papæ præ nimia charitatis abundantia, copiosissime inter se lacrymas fuderunt. Omnes vero qui aderant, lamentum terribile faciebant.

VLTIMVM VALE, CVM RECEDIT E CARCERE S. MARTIN.

Anxiatus in hoc vir beatus, flagitabat omnes, ne hoc facerent, sereno vultu di- D
cens, & impositis venerabilibus manibus super verticem eius, subridens ait: Bona sunt hæc, domine frater, hæc sunt opportuna: & non oportet te flere, sed magis gaudere super me. Ad quem illico cum contritione cordis respondit: Dominus nouit, famule Christi, lætor in gloria; quia dignatus est Christus Dominus noster propter nomen suum hæc te omnia pati: sed declamor omnium perditionem. Salutantes ergo omnes eum, recesserunt. Veniens ergo continuo scriba, & auferens eum, intulit in domum suam. Dictum est ergo quia in Cherſonam exulaturus esset, & post dies aliquot cognouimus quia illuc clanculo nauigio transuectus est sanctissimus Apostolicus vir.] hucusque de exilio sancti Martini, quem plane contigit anno sequenti amandatum peruenisse illuc (vt ex alijs ipsius litteris apparet) Idibus Maij. Quæ ergo idem sanctissimus Pontifex ibidem passus sit, secundum temporis rationem dicemus anno sequenti. E

MARTIN. EXVLATVRVS CONSOLATVR DOLENTES.

Ita quidem se habuere trophæa glorioſissimi æque ac sanctissimi Papæ Martini prædecessorum omnium a Constantini temporibus felicissimi, vtpote qui maiora ceteris omnibus supplicia subire dignus habitus est pro nomine Iesu, pro ipsa scilicet fide Catholica, eiusq. causa non (vt Apostolus ait) contumeliam pati tantum, sed contumelias omnis generis atque multiplices. Accidit ei opportunum, vt sub Principe Christiano sed tamen hæretico inuenerit suo lucro Decios & Diocletianos, qui etsi non gladio ageret, & temperaret a nece, non id faceret commiserationis ergo, sed maiori crudelitate, durius atque prolixius parans illi martyrium; quo eum (si posset) faciens desertorem, adigeret ad impietatem; sin minus, fame necaret: stulte putans, nisi sanguinem funderet, ipsum non honestandum insigni corona martyrij, quam eidem aduersarius inuidebat, cum tamen sua ferina rabie eam quam præclarissimam fabricarit. Quale tunc visum est in vrbe

S. MARTINI GLORIA EX MARTYRIO.

illa

A illa totius Orientis metropoli immane ſpectaculum? Anteſignanum fidei, Epiſcopum Epiſcoporum, primarium Chriſtianæ religionis Antiſtitem, Iudicem vniuerſalis Eccleſiæ, præcipuum Doctorem atque magiſtrum ſacrorum dogmatum, cuſtodem canonum, cenſorem & vindicem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, clauium vſu cæli arbitrum & inferni: hunc ipſum e ſede turbatum intueri captiuum ductum, vinculis mancipatum, ſceleratorum manibus traditum, Pontificijs inſignibus exutum, catenarum onere prægrauatum, omni vitæ ſolatio deſtitutum, diuerſis carceribus mancipatum, pene nudum omnium oculis deridendum expoſitum, per vrbem inſtar latronis tractum & diſtractum, protritum & attritum, in fruſta ſcindendum traditum, ex catenarum preſſuris cute diſrupta fluore ſanguinis veſtigia conſignantem, conſumptumq. in carcere frigore, ægritudine laceratum, maceratum inedia, omniq. ex parte (vt vno verbo dicam) afflictionibus lancinatum? Qui hæc non ocu-
B lis fidei fuerit contemplatus, certe quidem eumdem miſerrimum omnium hominum facile iudicarit: ita ſane qui oculos habent, ſed non vident.

S. MARTINVS QVANTA PASSVS.

Ceterum cui deſuper lumen Dei in mente refulget, & radijs ex diuinis Scripturis fulgentibus illuſtratur, vere eum beatiſſimum prædicabit, Petro dicente [a]: Si quid patimini propter iuſtitiam, beati.] & abſque controuerſia recte definiet, numquam a pluribus ante ſæculis apparuiſſe Romanum Pontificem tanto fulgore coruſcum, vel ita ex inſignibus Pontificijs decoratum, numquam aliquando ita circumſpecte veſtitum, quam cum exutus pallio, expoliatus ſtola, interiori diſrupta tunica, nudus ex parte viſus eſt omnibus: numquam maiori pompa proceſſiſſe, quam cum ferreis vndique catenis vinctus per Conſtantinopolitanam tractus eſt vrbem: nullaq. vmquam tam inſigni purpura effulſiſſe Pontificem Maximum, quam cum illa non murice tincta, ſed ſuo ipſius cruentata ſanguine tunica a ſum-
C mo vſque deorſum conſciſſa, ſeminudus idem ſanctus inceſſit: etenim illo nobilitatus eſt indumento, quod deprecatus a Deo eſt ſacerdotibus Dauid, dicens [b]: Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.] & auctus illo, quod & Paulus fidelibus texuit, vbi ait [c]: Induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] quo enim magis ab impijs ſacer dehoneſtatur Antiſtes, eo præclarius exornatur a Deo. quod oſtenſum eſt diuinitus Zachariæ [d] de Ieſu ſacerdote magno, cui etſi aduerſaretur Satan, aſſiſteret tamen miniſter Angelus; ac iuberetur exui veſtibus ſordidis, & ſuperindui candidis, atque exornari capite cidari munda. An non effulgebant omnia tunc ornamenta in tanto Pontifice, cum inter tot tantasq. ignominias & ærumnas eluceret ipſius adeo mirifice patientia, niteret modeſtia, ac ſplendeſceret mirum in modum fortitudo cum animi inuicta conſtantia, dum etiam & gaudio exultaret, & pati adhuc grauiora ſitiret, atque exoptaret conſummare morte martyrium, illo ebrius potu,
D quem propinauit credentibus Iacobus Apoſtolus, vbi ait [e]: Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.]

a 1. *Petr.* 3.

S. MARTINVS POENIS ET IGNOMINIIS ILLVSTRATVS

b Pſal. 131.

c Rom. 13.

d Zach. 3.

e Iac. 1.

Sed non prætereamus abſque conſideratione, quã terribilis ſit Deus in conſilijs ſuper filios hominũ. Eodem enim tempore quo hæc tam iniquo iudicio agitantur contra ſanctum Pontificem Conſtantinopoli, in cælo throni [f] poſiti ſunt, & ſedit antiquus dierum, Deus Iudex iuſtus & potens, iudicare eum, qui Martinum iniquo iudicio iudicandum expoſuit, malorum inquam omnium architectum Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum: qui iſti iudicio iuſſus, perterrefactus, eadem paſſus quæ quondam Pilati vxor [g], coactus eſt eadem ferme quæ viro illa, dicere Imperatori: Nihil tibi & iuſto illi.] Quod enim gra-
E uiter & iſte peccaſſet, vitæ diſpendio oportuit luiſſe ſupplicium, ſed antea manifeſta confeſſione, extorquente eam vltore numine, profeſſum, ad cumulum ſuæ damnationis, tanta inique Romanum paſſum eſſe Pontificem, vbi ait: Hei mihi: & hoc ad abundantiam iudiciorum, ſiue ſuppliciorum meorum actum eſt.] talem tantamq. extorſit importuna mors imminens veram confeſſionem.

PAVL. EPISC. CONSTAN. AD MORTEM AEGROTANS FATETVR PECCATVM IN MARTINVM.

f Dan. 7.

g Matth. 27.

At nonne iſta fuit, cui credi deberet, aperta confeſſio, ipſum S. Martinum iuſtam fouere cauſam, eſſe vere Orthodoxum, fideiq. Catholicæ defenſorem, ſe autem infandum hæreticum vltricibus flammis ea de cauſa mulctandum? alias enim multam ſibi diuinam conciliari gratiam, cumulariq. gloriam, credere, fateri, prædicareq. debuiſſet; quod nequam hominem conuellentem Catholicam fidem, orbem hæreſi inficientem, Concilijs errorem ſtabilientem atque Encyclicis epiſtolis confirmantem, e medio tolli adeo laboraſſet. Sed interius vulnerata conſcientia talia contra ſe ipſum loqui, vrgentibus veritatis ſtimulis, coegit eum tempore mortis, quo ipſa veritas ſoluta compedibus, ſceptra tenens, liberius agere conſueuit.

CONFESSIO PAVLI REDARGVIT HAERETICOS.

Cruciabat interius infelicem hominem culpa illa grauiſſima, quod tantum iudicium

de Romano Pontifice astute nimis per Principem sæculi exerceri, atque eiusdem sententia definiri feciſſet: cum cuiuſuis tenuiſſimi Epiſcopatus Antiſtitis cauſa nonniſi in Synodo coram Epiſcopis cognoſci, tractari, ac terminari Eccleſiaſtico iudicio conſueuerit. Sed cur non ſaltem tamquam in ſcena tragœdiæ huius actus, conuocato ſuo Epiſcoporum Concilio, per ſpeciem honeſtius repræſentauit? At non ſuſtinuit ipſe præſentiam tanti Pontificis (timidus eſt enim omnis ſceleſtus, & ad iuſti pauere ſolet aſpectum) exhorruitq. præſidere Iudex in condemnatione totius vniuerſalis Eccleſiæ cunctis iudicandis præſidentis Epiſcopi, cuius iudicium reliqui omnes Epiſcopi iniuſtiriam paſſi conſueuerint appellare. Sic vulpis illa per alium egit, quod ſibi faciendi cum ſuis, facultatem deeſſe ſciebat; vtpote quod optime noſſet, primariæ ſedis Pontificem a nemine iudicari poſſe, irritumq. reddi cuiuſcumque iudicium, quo inferior ſuperiorem condemnat: callide ergo impius & ſceleſtus, quem ſciebat Eccleſiæ Catholicæ præſidere Hierarcham, tyrannice potius in eum agi per Imperatorem curauit, quod ſciret non poſſe aliquo modo legitime fieri. Verum infelix, omniq. ex parte miſerrimus, præiudicio propriæ conſcientiæ condemnatus, æterno ſupplicio mancipandus ex hac vita ſubtractus eſt, nactus ſucceſſorem æque impium, præuaricatorem Pyrrhum, iterum thronum redemptum perfidia conſcendentem. De nefario autē Imperatore nihil præterea eſt dicendum, quam quod ex eiuſmodi perſecutione immaniſſimi ſacrilegij eam conſecutus eſt laudem, vt omnes hæreticos Principes crudelitate facile ſuperarit: cū nullus eorum inuentus ſit, ſi cuncta exacte examinentur, qui talia tantaq. Romanum Pontificem pati coegerit. Sed quæ mala iſta attulerint Imperio damna, audi Græcorum Annales hæc ſummatim colligentes:

PAVLI PATRIARCHAE FRAVDES.

Vbi (inquiunt [a]) in hunc modum Eccleſia & a Regibus & ab impijs ſacrorum Antiſtitibus turbata eſt, erexit ſe Amalechus ſolitudinis cultor feriens nos, qui populi Chriſtiani ſumus. Prima clades tunc accidit Romani exercitus ad Habitanem & Iermuchamum ſanguis effuſio iniuſta. Deinde Palæſtini, Cæſarienſes, & Hieroſolymitani capti ſunt. Poſt Aegypti ſubſecutum excidium: ac deinceps mediterraneæ inſulæ, omnisq. Romana ditio in poteſtatem hoſtium venerunt. Additur his Romani exercitus & claſſis in Phœnicia interitus, omniumq. Chriſtianorum populorum & locorum vaſtationes, quorum finis nullus fuit, donec Eccleſiæ perſecutor infelici morte affectus eſt, occiſus in Sicilia in balneo Daphnes.] hæc ſummatim Annales de cladibus illatis his temporibus Chriſtianis in Oriente, Deo vltore tanti facinoris.

a Cedren. in Heracl. an. 20.

DEI VINDICTA IN ROM. IMP.

Hoc ipſo anno, tertio Kalendas Septembris Oſuuinus in Anglia Rex, nono regni ſui anno, proditione amici occiſus, migrauit ad ſuperos. Ita Beda [b], qui eum nobili funere proſecutus eſt, dum videlicet poſt eius obitum, ipſius egregia facta, velut ſepulchro coronas affixas, poſteris omnibus toto orbe ſpectanda reliquit, cum hæc ait primum de habitudine corporis: Erat Rex Oſuuinus & aſpectu venuſtus, & ſtatura ſublimis, & affatu iucundus, & moribus ciuilis, & manu omnibus nobilibus ſimul atque ignobilibus largus. Vnde contigit, vt ob egregiam eius & animi & vultus & meritorum dignitatem ab omnibus diligeretur, & vndique ad eius miniſterium de cunctis prope prouincijs viri etiam nobiliſſimi concurrerent. Cuius inter ceteras virtutes, & modeſtiam, & (vt ita dicam) ſpecialis benedictionis glorias, etiam maxima fuiſſe fertur humilitas, vt vno probare ſat erit exemplo.

OSVVINI REG. MORS ET LAVDES.

b Bed. epitom. & hiſt. Angl. lib. 3. c. 14.

Donauerat equum optimum Antiſtiti Aidano, in quo ille (quamuis ambulare ſolitus) vel amnium fluenta tranſire, vel ſi alia quælibet neceſſitas inſiſteret, viam peragere poſſet. Cui cum paruo interiecto tempore pauper quidam occurreret eleemoſynam petens; deſiliens ille, præcepit equum, ita vt erat ſtratus regaliter, pauperi dari: erat enim multum miſericors & cultor pauperum, ac velut pater miſerorum. Hoc cum Regi eſſet relatum, dicebat Epiſcopo, cum forte ingreſſuri eſſent ad prandium: Quid voluiſti, domine Antiſtes, equum regium, quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare? numquid non habuimus equos viliores plurimos, & alias ſpecies, quæ ad pauperum dona ſufficerent, quamuis illum eis equum non dares, quem tibi ſpecialiter poſſidendum elegi? Cui ſtatim Epiſcopus: Quid loqueris, inquit, Rex? Num tibi carior eſt ille filius equæ, quam ille filius Dei?

AIDANI EPISC. IN PAVPERES PROFVSA CHARITAS.

Quibus dictis, intrabant ad prandium, & Epiſcopus quidem reſidebat in ſuo loco. Porro Rex venerat de venatu, & cœpit conſiſtens ad focum calefieri cum miniſtris, & repente inter calefaciendum recordans verbi quod dixerat illi Antiſtes, diſcinxit ſe gladio ſuo, & dedit illum miniſtro, feſtinusq. accedens, ante pedes Epiſcopi corruit, poſtulans vt ſibi placatus

REGIAE HVMILITATIS DIGNVM EXEMPLVM.

placatus esset: Quia numquã, inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut iudicabo quid vel quantum de pecunia nostra filijs Dei tribuas. Quod videns Episcopus, multum pertimuit: ac statim exurgens, leuauit eum, promittens se multum illi esse placatum, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret. Dumq. Rex, iubente ac postulante Episcopo, lætitiam reciperet: cœpit contra Episcopus tristis vsque ad lacrymarum profusionem efferri. Quem dum presbyter suus lingua patria, quam Rex & domestici eius non nouerant, quare lacrymaretur, interrogasset: Scio, inquit, quod non multo tempore victurus est Rex. Numquam enim vidi antehac similem Regem: vnde animaduerto citius illum ex hac vita rapiendum: non enim digna est hæc gens talem habere Rectorem. Nec multo post dira Antistitis præsagia tristi Regis funere, de quo supra diximus, impleta sunt. Sed & ipse Antistes Aidanus non plus quam duodecimo post occisionem Regis, quem ambat, die, id est pridie Kalendarum Septembrium, de sæculo sublatus, perpetua laborum suorum a Domino præmia recepit.] hæc Beda de vtriusque obitu hoc eodem anno contingente. Porro Aidanus inter sanctos relatus, anniuersario cultu ab Ecclesia celebratur: miracula vero ab eodem edita idem Beda recenset.

IESV CHRISTI ANNVS 652. MARTINI PAP. ANNVS 4. CONSTANTIS IMP. ANNVS 11.

ANnus qui sequitur, numeratur Redemptoris sexcentesimus quinquagesimus secundus, decima Indictione: quo (vt superius dictum est) sanctus Martinus Romanus Pontifex Chersonam in Ponto Euxino in exilium ductus est. delectus fuit is locus infelicissimus ad exilium sancti viri, vt ibi fame consumptus diem extremum claudere cogeretur. Sed quibus ibi angustijs premeretur, ex eius epistolis audiamus. duæ enim ibi datæ ab eo breues epistolæ reperiuntur, quæ quidem absque titulo extant; sed prior [a] scripta fuisse Constantinopolim ad quemdam ipsius familiarem Orthodoxum virum, asseritur in epistola comitis eius, de qua anno superiori actum est: sicq. se habet:

[a] *Martin. epist. 17.*

Indicamus germanæ charitati vestræ, domine frater, quia postquam egressi sumus ex eo quod Ieron dicitur, Constantinopoli nauigantes, sancta quinta feria Cœnæ Domini pertransiuimus Farũ, & per diuersa loca transmeantes, Idibus Maij Chersonam * peruenimus. Ergo gerulus harum, qui præsentatus nobis tradidit epistolam, post triginta dies post nos a partibus Byzantij venit Chersonam: & gauisi sumus super aduentu ipsius, æstimantes quod expensæ ab Italia essent nobis missæ in terram hanc, quæ deberent nos eo veniente consolari. Et cum interrogassemus, cognouimus ab eo, quod nihil huc detulerit de Italia: & miratus sum, & glorificaui Dominum etiam in hoc, quoniam sicut scit, tribulationes nostras dispensat, maxime cum fames in hac terra & necessitas talis esset, vt panis in ea tantum nominetur, non tamen potius videatur. quoniam nisi mittantur nobis ex partibus illis sumptus, vel a partibus Ponti, hic viuere omnino nequimus: Spiritus [b] enim promptus est, caro autem infirma, vt etiam ipse nosti. neque enim dispensatio quæuis potest in hac terra vllatenus inueniri in solatium saltem modici sumptus. Si ergo (vt dictum est) transmissum fuerit illinc frumentum & vinum & oleum & alia quædam; quomodo tu potueris, festina mittere nobis.

EPISTOLA S. MARTINI IN EXILIO RELEGATI.
* Chersonem

[b] *Matth. 27.*

Neque enim huiusceemodi mala (vt reor) non ostendi sanctis qui ibidem sunt, & ijs qui sunt Ecclesiæ illius, vt vsque adeo mandatum Domini paruipenderent: præsertim cum Apostolus [c] Philippensibus scripserit, gratias agens eis, quod & Thessalonicam semel & bis in vsum sibi miserint, vbi & subdit: Habeo autem omnia & abundo. Si enim peregrinos illic, id est Romæ, ita reficit sanctus Petrus: quid dicemus de nobis, qui proprij serui eius sumus, & saltem ad momentum ministrauimus ei, & in tali exilio & afflictione consistimus? Cognitionem autem feci ad dilectionem vestram quarumdam specierum, quæ comparari debent illic: & horum (quæso te) more solito curam habeto, vt nosti, ad emendum, & mittendum nobis propter multas necessitates nostras & frequentes infirmitates.] hactenus prior eius epistola. posterior autem mense Septembri data reperitur [d] hoc eodem anno, quæ caret itidem titulo: fortasse enim neque ab ipso scribente fuit appositus, ne si interciperentur litteræ, ij ad quos scriberet, vocarentur ad quæstiones, atque supplicijs subderentur. Sed audiamus ipsam epistolam:

[c] *Philip. 4.*
QVERITVR IVSTE DE ROMANIS NON SVBVENIENTIBVS

[d] *Martin. epistola 18.*

ALTERA EPISTOLA S. MARTINI RELEGATI.

Omne desiderium habemus, semper litteris nostris charitatem vestram consolandi, A
& releuandi vos a solicitudine, quæ vobis de nobis est, vobiscum vero & omnes sanctos
& fratres nostros, qui curam nostram propter Deum gerunt. Ecce enim & in præsentia-
rum scribo vobis, quæ coarctant nos: veritatem dico in nomine Domini nostri. Remoti
enim ex omni mundana turbatione & sepositi a peccatis nostris, ecce ipsa vita care-
mus. Siquidem hi qui in hac regione habitant, omnes Gentiles existunt, & Gentiles mo-
res acceperunt hi qui hic habitare noscuntur, nullam charitatem prorsus habentes, quam
iugiter hominum natura & inter ipsos quoque barbaros crebra compassione demonstrat.

S. MARTINVS MAGNA PENVRIA AFFLICTVS.

Nouit itaque Dominus, quod nisi ex nauiculis quæ veniunt ex partibus Roma-
niæ (vt hi qui hic sunt nuncupantur) nec semel de regione ista vsque ad vnum trimi-
stium frumenti potui comparare, sed nec alterius cuiuscumque generis speciem, nisi (vt
prædictum est) ex nauiculis, quæ huc raro veniunt, vt sale onustæ recedant, sic potui- B
mus emere vnum modium tritici quatuor numismatibus vsque ad præsentem mensem
Septembrem.] ita plane necessario restituendus est textus ex his quæ habentur in dicta
epistola eius comitis: & non legendum, vt se habet in impresso codice, quod emerit vno
numismate quatuor modios: repugnat enim & veritati. Nam cum ingens *illic* penuria
tritici esset, magna tamen ex pretio abundantia declaratur, si vno solido (ita ibi appel-
latur numisma) quatuor tritici modios coemisset. Sed pergit:

DESTITVTVS AB OMNIBVS S. MARTINVS.

Miratus sum autem & adhuc miror indiscretionem & incompassionem omnium qui
quondam mihi pertinebant, & amicorum ac propinquorum: quia sic funditus infelicita-
tis meæ obliti sunt, & nescire volunt (vt inuenio) siue sim super terram, siue non
sim. Miratus sum quoque multo magis eos, qui sunt sanctissimæ Apostoli Petri Eccle-
siæ: quoniam tanta deberent operari de corpore ac membro suo, id est, super dilectio- C
nem nostram ad reddendos nos sine solicitudine, saltem super corporalis vsus quoti-
diano sumptu. Nam etsi aurum Ecclesiæ sancti Petri non habent, frumento & vino &
alijs necessarijs expensæ non carent per gratiam Dei, vt modicæ saltem exhibitionis
curam gessissent. Qualem putas conscientiam habemus exhibendi ante tribunal Chri-
sti, accusantibus omnibus & rationem petentibus reddentibus hominibus qui ex eodem
luto & massa consistunt? Quæ formido est, quæ cecidit super homines ad mandata Dei
minime facienda, aut timor, vbi non est timor? An subtractione vsque nostri* spiritus? *nos
Num ita inimicus omni plenitudini Ecclesiæ apparuit & aduersarius illis?] hæc idcirco,
quod timerent illi Constantis minas, si Pontifici exuli opem ferrent. pergit vero:

QVID SVIS OPTET S. MART.

Verumtamen Deus[a], qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, a 1. Tim. 2.
per intercessionem sancti Petri stabiliat corda eorum in Orthodoxa fide, & confirmet D
contra omnem hæreticum, & aduersariam Ecclesiæ nostræ personam, & immobiles cu-
stodiat, præcipue pastorem qui eis nunc præesse monstratur; quod in nullo prorsus de-
cidentes, vel declinantes, aut dimittentes eorum quæ in conspectu Domini & sancto-
rum Angelorum eius in scriptis professi sunt vsque ad pusillum quippiam, vna cum
humilitate mea coronam percipiant iustitiæ Orthodoxæ fidei de manu Domini & Sal-
uatoris nostri Iesu Christi. De humili namque hoc corpore meo & ipsi Domino cura
erit, vt sibi placet, gubernare, siue in tribulationibus indesinentibus, siue in modico
refrigerio. Dominus[b] enim prope est: & quid solicitus sum? Spero quippe in misera- b Philip. 4.
tiones eius, quod me tradet in eum quem iusserit cursum. Omnes propter Dominum
salutate, & omnes qui propter amorem eius meis compassi sunt vinculis. Dominus
excelsus potenti manu sua protegat vos ab omni tentatione, & saluet in regnum suum.] E

CONSTANS SVCCESSOREM DARI CVRAVIT MARTINO

Ex hac nouissima Martini Papæ & martyris sanctissimi epistola declaratur, iã succesſorem
Pontificem in Vrbe subrogatum, vrgente nimirũ Imperatore, vt exuto iam ipso Martino,
tyrannice licet, Pontificatus insignibus, missoq. tam longe apud Gentiles in exiliũ, iamq.
inter mortuos propemodum collocato, daretur illi succesſor Episcopus vrbis Romæ: pari
prohibente tyrannide, ne quis quoquo modo illi suppeditaret alimenta, ne diutius viuere
posset; quem & gladio occidisset, nisi ex eo persecutoris nomen consequi timuisset.

Sed ad certam fidem earumdem ipsius Pontificis litterarum, describamus hic re-
liquum epistolæ eius in via comitis vsque Constantinopolim. sic enim se habet: Ve-
niens ergo illuc, *Chersonam videlicet*, post dies aliquot scripsit epistolam in Byzantium
ad quemdam, quem ipsum propter Dominum & rectam fidem amabat; cum esset in ma-
gna tribulatione & exilio idem sæpe dictus pater noster sanctissimus constitutus, postulans.

A aliquarum ſpecierũ ſubſidia propter multas & frequentes graues ægrimonias corporales, anguſtiasq. omnimodas regionis illius, eo quod nihil ibi inueniretur, præcipue triticum, quod quidem illic tantum nominabatur: vnde iureiurando ſcripſit, quia nauiculario illuc veniente, & parum tritici habente ad commutationem ſalis, vix potuerit emere ex eo vnum modium tritici quatuor ſolidis, & cum multis hoc precibus. Diuerſas autem anguſtias, ſcripſit ſancta eius anima, pati ſe ibi non ſolum corporalibus anguſtijs, ſed etiam habitantium & dominantium ibi malis oppreſſus: ita vt penitus contritus malis, pene * iam moreretur, ſuaſione videlicet dominantium a Byzantio. * pelus

Quamobrẽ quæſo vos humilis peccator & famulus veſter, a Deo honorabiles patres, vt quemadmodum ego viſa mihi & audita diligentiſſime declaraui vobis, hoc eſt, imminentes tentationes beatiſſimo Papæ propter rectã confeſſionem in Chriſto Domino, & propter B anathematiſmum in nouos factum hæreticos, quamquam pauca ex multis per viam qua potui dirigere ſcripſi, ita & vos zelum habentibus culturæ Dei explicate eadem, & conamini eum imitari, & traditiones ſanctorum Patrum retinere ſecundum imitationem eius, & non communicare omnino contrarie ſentientibus; obſecrantes etiam pro me indigno famulo qui ſcripſi, quod cum eo & vobiſcum ſit miſericordia Chriſti Domini noſtri. Amen.] hæc ipſe. Quis autem fuerit paſtor ille, quem S. Martinus præſidere dicit Eccleſiæ Romanæ, iam dicamus. Erant plane iſta quæ maiorem viro ſancto dolorem incutiebant, cum ſubrogatum ſibi ſucceſſorem, ſe viuente & pro fide exulante, audiſſet. AVCTORIS PERORATIO.

Hoc enim eodem anno, vbi in exilium actus eſt S. Martinus abſque ſpe vlla reſtitutionis, Calliopas impleuit Romæ quod in mandatis acceperat ab Imperatore, nempe vt in locum Martini alius ſubrogaretur Pontifex. Reſtitiſſe diu viſus eſt clerus Romanus conatibus C eius ab eo tempore quo ab Vrbe idem ſanctus Martinus abductus fuit, aſſerens contra ius fasq. tentari facinus, vt viuente Pontifice alius in eius locum ſubſtituatur; diuq. altercatum eſt: verum ne cogeretur Romana Eccleſia ſubire periculum, quod imminebat, vt niſi ipſe clerus eligeret, daretur inuitis ab Imperatore Romanus Epiſcopus, qui eiuſdem cum ipſo eſſet hæreſis propagator: eam durã conditionem alterius eligendi paſtoris ſubire ſunt coacti inuiti. Itaque elegerunt Eugenium Romanum filium Ruffiniani, regionis primæ, qui inde maximam comparauerat laudẽ, quod ab incunabulis fere Eccleſiaſticis muneribus mancipatus, per gradus ſingulos maioribus in virtute progreſſibus conſcendiſſet; maximamq. ſibi & inde populi conciliauit beneuolentiam, quod erga pauperes ſemper munificentiſſimus extitiſſet. Talem itaque tantumq. virum delegerunt loco Martini Eccleſiæ præeſſe, vicaria tamen, dum ille viueret, præfectura; quod fieri contigit hoc anno, nona D Auguſti, vt colligitur ex Anaſtaſio, dum eius ſedis tempus numerat. EVGENII ELECTIO.

Hoc eodem anno poſt multas contentiones tandem Conſtantinopoli ſubrogatus eſt in locum Pauli bis impius Pyrrhus, qui vbi ſediſſet (vt habet Nicephori Chronicon) menſes quatuor & dies vigintitres, ex hac vita demptus eſt, & in locũ eius ſubrogatus eſt Petrus, qui in eadem Eccleſia ſuſcipiendorum hoſpitum munere fungebatur. Ita plane accidit Pyrrho, vt de reprobis in Pſalmis [a] dicitur: Deiecisti eos dum alleuarentur: quomodo facti ſunt in deſolationem? perierunt propter iniquitatem ſuam: velut ſomnium ſurgentium Domine imaginẽ ipſorum ad nihilum rediges.] qui miſer recuperandæ ſedis libidine flagrans, a Catholica Eccleſia, apud quam rediens ab hæreſi fecerat exomologeſim, ſcelerate deſciuerat; ſed cum eam tandem, contradicentibus etiam hæreticis ipſis, multo labore fuiſſet ex ſententia conſecutus, ex ipſa miſer ad tribunal ſeueriſſimi Iudicis fuit dum non E expectaret Dei mandato abreptus a truculentis inferni lictoribus: ſucceſſoris autem electionem contigiſſe anno ſequenti, quæ de ipſo dicturi ſumus, oſtendunt. PYRRHVS ITERVM SEDET, ET MORITVR. *a Pſal. 72.*

Quod ad res Borealium Eccleſiarum pertinet, altum vbique ſilentium, niſi tantummodo quod hoc eodem anno, qui numeratur quintus Clodouei Secundi Regis Francorum, ſcriptum legitur in Briſſonij doctiſſimi viri Formulis [b] erutum e vetuſtis iam ſenio proxime perituris monumentis teſtamentum Hadoindi Epiſcopi Cenomãnenſis: quod cum ille de re antiquaria optime meritus ad inſpiciendas veteres in teſtamentis apponi ſolitas formulas integrum voluerit edidiſſe; nos ad formam inſinuandam religioſiſſimi Epiſcopi teſtamenti, ob oculosq. proponendũ dignum vltimæ voluntatis exemplum ijs qui quam ſolicite facultatem teſtandi extorquere ſolent a Summo Pontifice, hic reddendum putauimus; quod haud admodum prolixum ſit, & plura in eo inſint, quibus rerum antiquarum ſtudioſus lector oblectetur. ſic enim ſe habet: *b Briſſon. lib. 7.*

TESTAMENTVM HADOINDI EPISCOPI.

In nomine Domini nostri Iesu Christi & Spiritus sancti, octauo Idus Februarij, in anno quinto regnante glorioſiſſimo Clodoueo Rege, Ego Hadoindus ac ſi indignus, tametſi peccator, Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Cenomannis ciuitatis, ſanus, Deo propitio, mente & corpore, ſanoq. conſilio, metuens caſum humanæ fragilitatis, teſtamentum condidi, eumq. Cadulto diacono ſcribendum dictaui. Quod teſtamentum meum ſi quo caſu, iure ciuili, aut prætorio, vel alicuius nouæ legis interuentu valere nequiuerit, ac ſi ab inteſtato, ad vicem codicillorum valere id volo, & valeat. A

Itaque ſi quando ego Hadoindus ſupraſcriptus Epiſcopus e rebus humanis exceſſero, & debitum venturi temporis compleuero: Tunc TV SACROSANCTA ECCLESIA VENERABILIS HERES MEA ESTO, HEREDEMQ. MEAM TE ESSE CONSTITVO. Ita vt vbicumque aliquid per hoc teſtamentum meum dedero, legauero, dareq. iuſſero: id vt detur, fiat, præſtetur, fidei tuæ, heres mea, committo. B Dono tibi, ſancta ac venerabilis mater Eccleſia Cenomannica in honore ſanctæ Mariæ & domni Geruaſij & Protaſij martyrum, villam iuris mei, cuius vocabulum appellatur Auſa (quam datis rebus proprijs meis comparaui) cum domibus, ædificijs, mancipijs, vineis, ſiluis, pratis, & paſcuis, quantumcumque in ea loca aſpicere videtur, cum colonis, & integro termino ſuo ad ius & dominationem veſtram reuocetur perpetualiter poſſidendum.

Similiter Baſilica domni Victurij, vbi ipſe domnus requieſcere dinoſcitur, & ſi meruero, inibi ſepulturam habere deſidero, dono tibi villam nuncupatam Acerueo (quam dato pretio comparaui) cum domibus, mancipijs, vineis, ſiluis, pratis, & paſcuis, exceptis his quos pro animæ meæ remedio ingenuos fieri præcepi, totum & ad integrum præfata Baſilica poſt meum diſceſſum ſuæ poteſtatis faciat reuocare perpetua dominatione C poſſidendum.

* Eadem

Ea * vero conditione dono ſanctæ Baſilicæ domni Petri & Pauli Apoſtolorum, quam domnus Bertichrannus quondam Epiſcopus Cenomannicæ ciuitatis ſuo opere ædificauit, villam proprietatis meæ Iſcomodiacum, ſitam in pago Belini, quam data pecunia de Auſereno & genitrice ſua comparaui: vt hanc miniſtri eiuſdem poſt meum tranſitum teneant, poſſideant, & futuris facere cui voluerint, derelinquant.

Similiter dono ipſi ſanctæ Baſilicæ domni Petri & Pauli Apoſtolorum villas, quibus nomina ſunt, Taudiniaco, Martiniaco, quam Lupus quondam per beneficium noſtrum tenere viſus fuit. Hoc ſupradicta Baſilica poſt noſtrum diſceſſum cum omni integritate, quod ad ipſas villas aſpicere videtur, miniſtri noſtri iam dictæ Baſilicæ de præſenti percipiant dominandum. D

Simili modo dono Baſilicæ S. Vincentij martyris, quam Dumnolus ſanctæ recordationis Epiſcopus ſuo labore conſtruxit, villam iuris mei Pratellus cum omni integritate, quantumcumque mihi Domnola viſa fuit habuiſſe.

Simili modo dono Baſilicæ domnæ & ſanctæ Mariæ Aureono vicum, quem Agobertus Abbas Diablentis ſimul ædificauit; & Iona villam, quæ fuit Sigulfi presbyteri, & quam fidelis noſter Chaddo per noſtrum beneficium habere videtur: pariter & manſionem ad prope ipſam Iona, quam Lupus quondam tenuiſſe viſus fuit, ipſi Chaddoni volumus eſſe conceſſam: ſi tamen habuerit filios, in eorum permaneat poteſtate: & ſi quidem filios non habuerit, poſt ſuum tranſitum ad ius & dominationem domnæ Mariæ de Aureonenſi vico reuertatur perpetuis temporibus dominandum. Similiter villa Laſtemarico, quam ex munificentia noſtra ipſi fideli noſtro Chaddono Defenſori noſtro conceſſimus, E voluntas mea eſt, vt dum aduixerit, hoc vſu poſſideat; poſt eius vero diſceſſum cum omni re meliorata, vel ſuperpoſita, ſanctæ Baſilicæ Aureonenſi vico reuertatur. Similiter Vernicella cum omni iure & termino ſuo, vel colonis ad ſe pertinentibus, ad ipſam ſanctam Baſilicam proficiat in perpetuum. Et ſi aliquis exinde epiſtolam quaſi a nobis factam protulerit, vacua & inanis permaneat.

Et ita nobis conuenit, vt ſuperius, intimare: Vt quicumque facta noſtra de propinquis aut heredibus noſtris chartam aliquam, quamuis bonorum hominum manu roboratam (vt cupiditas ſuadet) protulerit: vacua & inanis permaneat, & illam maledictionem percipiat, vt ſuperius eſt comprehenſum. Villam Fontanas in pago Siluiacinenſe filius & parens noſter Bodilo, dum ſuperſtes fuerit, locellum locum tempore vitæ ſuæ teneat ac poſſideat.] hactenus teſtamentum. ſequitur ſubſcriptio:

In

A In Christi nomine Hadoindus etsi peccator Episcopus hoc testamentum, quod ex deuotione fieri rogaui, relegi & subscripsi.

Rosindus subscripsi.

Berteghiselus subscripsi.

Marsus subscripsi.

Auffrebertus subscripsi.

Saigrannus subscripsi.

Audobertus subscripsi.

Cadulfus, ordinante domno Hadoindo Episcopo, hoc testamentum redditus scripsi & subscripsi.] Clausum erat eiusmodi testamentum, ac super ipsum hæc inscripta instructio:

B Magnificis in Christo & sancta Ecclesia filijs Bodilono & Andranno, Hadoindus Episcopus. Rogo & supplico charitati vestræ, vt cum me Dominus & Creator omnium de hoc sæculo migrare præceperit, Cenomannis ciuitate ire faciatis, & ibi testamentum meum cum apertum fuerit, vobis prosequentibus, apudq. Publica gestis municipalibus faciatis allegare. Et quod vnicuique per ipsum testamentum sanctis ciuibus, vel propinquis meis visus sum delegasse, vestra dispensatione vnusquisque iuxta ipsam delegationem percipere valeat; & quicquid exinde egeritis, gesseritis, ratum & firmissimum debeat permanere. Quod mandatum manu nostra firmauimus, & petimus muniendum.] his subijciebatur subscriptio. Desideratur autem codicillus, quo manumissiones seruorum & alia legata scripta erant. Ita quidem olim qui bene Ecclesijs præerant Episcopi, non ex eis se suosq. ditantes, sed suas in eas diuitias, omissis coniunctis sanguine, transferentes.

C

IESV CHRISTI ANNVS 653. MARTINI PAP. ANNVS 5. CONSTANTIS IMP. ANNVS 12.

SEquitur ordine annus Redemptoris sexcentesimus quinquagesimustertius, Indictione vndecima inchoata, quo in Pyrrhi locum subrogatus fuit ab hæreticis Petrus hæreticus & ipse Monothelita; qui vt faciem saltem Catholici hominis ostenderet, ad Eugenium loco S. Martini sedentẽ, quo ab eo in communionẽ recipi mereretur, litteras Romam misit ambagibus inuolutas atque perplexas; sed prohibente clero atque populo, minime

NON RECIPITVR ROMAE SYNODICA PETRI CONSTANTINOP. EPISC.

D receptæ fuerunt. De his enim habet ista Anastasius: Huius Eugenij temporibus Petrus Patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam ad sedem Apostolicam, iuxta consuetudinem, omnino obscurissimam, & vltra regulam, non autem declarans operationes aut voluntates in Domino nostro Iesu Christo. Et accensus est populus & clerus, eo quod talem Synodicã direxisset, quæ minime est susceptа, sed cum maiore strepitu est a sancta Dei Ecclesia proiecta: vt etiam nec eumdem Papam dimitteret populus vel clerus Missas celebrare in basilica sanctæ Dei genitricis semperq. Virginis Mariæ, quæ appellatur Ad Præsepe, nisi promisisset ijs ipse Pontifex minime eam aliquando suscipere.] hæc Anastasius: ex quibus plane innotuit Imperatori, impossibile esse hæresim in Ecclesia Romana plantare, cum perspicue intueretur, quod non Pontifex tantum, sed clerus omnis, & Senatus populusq. Romanus adeo libere ingenueq. detestari solerent & execrari, quicquid suspi-

E cionem haberet hæreticæ prauitatis.

Eodem anno, quo Recceſuinthus Hispaniarum Rex quintum inchoat annum sui regni, Era sexcentesima nonagesimaprima, die decimaoctaua mensis Decembris celebrata est Synodus Toletana, octaua dicta, cui interfuerunt Episcopi quinquagintaduo, Abbates duodecim, atque Vicarij Episcoporum absentium decem: statutiq. in ea reperiuntur canones tredecim. Ibi primum Rex volumen obtulit de his quæ ab Episcopis considerari atque decerni optaret. quæ omnia singillatim a Patribus cognita, ex præscripto diuinarum Scripturarum sunt definita; quam autem consultissime, si ea inspexerit, lector intelliget. Exarsit vero potissimum zelus sanctorum Episcoporum aduersus Episcopos carnis inquinamento pollutos, quos absque aliqua speranda venia extra ministerium longe fieri ijdem decreuere [a], & de alijs sacerdotibus ac ministris ijsdem culpis obnoxijs æque vlciscendum statuerunt; itidemq. de subdiaconorum continentia canonem sanciuere. Sed

CONC. TOLET. VIII.

[a] Concil. Tolet. c. 4. 5.

quem

quem de Quadrageſimæ obſeruatione, vt ab eſu carnium omnes abſtineant, canonem edidere, hic totidem verbis recitandus eſt nobis: ſic enim ſe habet: A

DE QVADRAGESIMA CANON.

Nonæ [a] intentionis admonitu detecta eſt ingluuies horrenda voracium, quæ dum freno parſimoniæ non aſtringitur, religioni contraire cenſetur. Nam dicente Scriptura [b]: Qui ſpernit minima, paulatim decidet in maxima: illi tanto edacitatis improbæ ſumptu graſſantur, vt cæleſtia & pene ſumma contemnere videantur. Etenim cum Quadrageſimæ dies anni totius decimæ deputentur, quæ in oblatione ieiunij Domino conſecrantur, quibus etiam ſaluberrime conditio humani generis expiatur, dum a quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur; quatuor elementis formatus, propter tranſgreſſionem Decalogi quaterdecies conuenienter affligitur: illi auſu temerario hæc omnia contemnentes, voracitatis ingluuiem non frenant, & quod peius eſt, Paſchalia feſta illicitorum eſuum perceptione profanant. Quibus ex hoc adeo acerrime B interdicitur, vt quiſquis abſque ineuitabili neceſſitate, atque fragilitatis euidenti languore, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolum reus erit reſurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiuſdem dici ſancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam; quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi vero, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quam a ſacerdote permiſſum accipiant.] hactenus canon, cum vigeret in ea Eccleſia diſciplina.

[a] *Concil. Tolet. 8. can. 9.*
[b] *Eccl. 19.*

EPISCOPI CVM OPTIMATIBVS DELIGVNT REGEM.

Sed & illud confectum eſt memoria dignum, vt ab eiſdem de creatione Regis canon decimus ſanciretur: nempe vt Pontificum Hiſpanorum potiſſimum negotium eſſet, accedente aſſenſu maiorum Palatinorum, vt quem Regi ſuccedere vellent, eligerent, fierentq. C ab eis comitia in loco vbi contingeret Regem mori. Sunt hæc verba canonis [c]: Abhinc ergo & deinceps ita erunt in regni gloriam præficiendi Rectores, vt aut in vrbe regia, aut in loco vbi Princeps deceſſerit, cum Pontificum maiorumq. palatij omnimodo eligantur aſſenſu.] Si hæc ergo de ſucceſſione Regum Hiſpaniarum in Concilio ſtatuiſſe leguntur Hiſpaniæ Epiſcopi: quid adeo mirandum, primum ſummumq. in Eccleſia Catholica Hierarcham de electoribus Imperatorum conſtituere decretum?

[c] *Can. 10. ad finem.*

Quod autem ad cauſam Iudæorum ſpectat, aduerſus quos querela Regis Synodum interpellauit: placuit ſanctæ Synodo, vt in eos qui poſt Chriſtianam fidem ſuſceptam ad Iudaiſmum reuerſi eſſent, leges Siſenandi ſeueræ admodum exercerentur: quarum timore ijdem conuenientes, atque pœnitentiam præſeferentes, ad eumdem Regem eiuſmodi anno ſequenti ſcripſere libellum [d]: D

[d] *For. Iud. lib. 12. tit. 2. c. 16.*

Clementiſſimo ac ſereniſſimo domino noſtro Receſuindo Regi, omnes nos Hebræi Toletanæ ciuitatis atque Hiſpaniæ, gloriæ veſtræ, qui infra ſubſcripturi vel ſigna facturi ſumus.

IVDAEI APOSTATAE QVIBVS PACTIS RECEPTI SINT.

Bene quidem ac iuſte nos meminimus compulſos fuiſſe, vt placitum in nomine diuæ memoriæ Cinthilani Regis pro conſeruanda fide Catholica conſcribere deberemus, ſicut & fecimus. Sed quia perfidia noſtræ obſtinationis & vetuſtas parentalis erroris nos ita detinuit, vt nec veraciter in Ieſum Chriſtum Dominum crederemus, nec Catholicæ fidei ſinceriter hæreremus: idcirco nunc libenter ac placide ſpopondimus gloriæ veſtræ tam pro nobis, quam pro vxoribus & filijs noſtris per hoc placitum noſtrum, vt deinceps in nullis obſeruationibus, in nullis inceſtiuis vſibus miſceamur, Iudæis autem non baptizatis nullo penitus execrando conſortio ſociemur. Non, more noſtro, propinquitatem E ſanguinis vſque ad ſextum gradum inceſtiua commixtione vel fornicatione iungamus. Non coniugia ex genere noſtro aut nos, aut filij noſtri, vel noſtra poſteritas vllatenus ſortiamur, ſed in vtroque ſexu deinceps Chriſtianis iugali copulatione nectamur. Non circumciſionem carnis operemur, non Paſcha, & ſabbata, ceterosq. dies feſtos iuxta ritum Iudaicæ obſeruantiæ celebremus. Non eſcarum diſcretionem, vel conſuetudinem teneamus. Non ex omnibus quæ Iudæorum vſus & abominanda conſuetudo vel conuerſatio agit, aliquatenus faciamus: ſed ſincera fide, grato animo, plena deuotione in Chriſtum Filium Dei viui, ſecundum quod Euangelica & Apoſtolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur. Omnes etiam vſus ſanctæ Chriſtianæ religionis tam in feſtis diebus, vel in coniugijs & eſcis, quam in obſeruationibus vniuerſis veraciter teneamus & ſinceriter amplectamur, nullo reſeruato apud nos aut oppoſitionis obiectu,

A obiectu, aut fallaciæ argumento; per quod aut illa quæ facere denegamus, iterum faciamus; aut hæc quæ facere promittimus, minime vel non ſinceriter compleamus.

De ſuillis vero carnibus id obſeruare promittimus, vt ſi eas pro conſuetudine minime percipere poterimus, ea tamen quæ cum ipſis decocta ſunt, abſque faſtidio & horrore ſumamus. Quod ſi in his omnibus quæ ſupra taxata ſunt, in quocumque vel minimo transgreſſores inuenti fuerimus, aut contra Chriſtianam fidem agere præſumpſerimus, aut quæ congrua Catholicæ religionis promiſimus, verbis aut factis implere diſtulerimus: iuramus per eumdem Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, qui eſt vnus in Trinitate & verus Deus: quia ſi ex nobis omnibus vel vnus transgreſſor inuentus fuerit, aut a nobis ignibus aut lapidibus perimatur: aut ſi hunc ad vitam gloriæ veſtræ ſeruauerit pietas, mox amiſſa libertate, tam eum quam omnem ipſius facultatem, cui elegeritis perenniter B ſeruiendum, donetis; vel quicquid ex eo, vel ex rebus eius facere iuſſeritis, non ſolum ex regni veſtri potentia, ſed etiam ex huius placiti noſtri ſponſione poteſtatem liberam habeatis. Factum placitum ſub die duodecimo Kalendas Martias, anno feliciter ſexto gloriæ veſtræ. In Dei nomine Toleto.] hucuſque ibi. Verum ſemper Hiſpaniarum Epiſcopis ſuper huiuſmodi perfidis hominibus inuigilandum fuit, vtpote qui mille artibus fallere, promiſſis non ſtare, tegereq. impietatem velamento religionis conſueuerunt: vt vix ſit reperire celebratum poſt hæc ibi Concilium, in quo non fuerit aliquid de his ſtatuendum: cum tamen non inficias ierimus, inter tot vepres lilia naſci ſæpe viſa eſſe, viros inquam ex ijſdem pietate inſignes.

IVRAMENTVM POENITENTIVM NEOPHYTORVM.

Poſt ſcriptos canones ſecuta eſt ſubſcriptio primum Epiſcoporum, deinde Abbatum, demum Vicariorum abſentium Epiſcoporum. Qui autem quarto loco inter Abbates ſubC ſcriptus reperitur Ildefonſus, erat iſte inſignis ille ſanctitate & doctrina clarus, qui poſtea fuit Archiepiſcopus ſucceſſor Eugenij in Eccleſia Toletana. Fuit autem diſcipulus ſancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, cum adhuc militaret clericus in Toletana Eccleſia. Poſtea vero monaſticam vitam profeſſus eſt, atque Agalienſis cœnobij creatus eſt Abbas, quam functionem ſanctiſſime adminiſtrauit; de quo inferius plura dicenda erunt.

ILDEFONSVS ABBAS.

Hoc eodem anno propagatur fides in Anglia, cum populi Middelengli ſub Principe Penda fidei myſterijs ſunt imbuti, vt Beda teſtatur [a]. Quomodo vero id acciderit, audi ipſum, vbi fuſius rem ita proſequitur [b]:

[a] Beda in Epit. hoc anno.
[b] Beda. lib. 3. c. 21.

His temporibus Middelengli, id eſt, Mediterranei Angli, ſub Principe Penda filio Pendæ Regis, fidem & ſacramenta veritatis perceperunt. Qui cum eſſet iuuenis optimus, ac Regis nomine ac perſona digniſſimus, prælatus eſt a patre regno gentis illius: venitq. D ad Regem Nordhumbrorum Oſuui, poſtulans filiam eius Alchfledã ſibi coniugem dari: neque aliter quod petebat impetrare potuit, niſi fidem Chriſti ac baptiſma, cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis, & promiſſione regni cæleſtis, ſpeq. reſurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter ſe Chriſtianum fieri velle confeſſus eſt, etiam ſi virginem non acciperet: perſuaſus maxime ad percipiendam fidem a filio Regis Oſuui, nomine Alchfrido, qui erat cognatus & amicus eius, habens ſororem ipſius coniugem, vocabulo Cymburgam, filiam Pendæ Regis. Baptizatus eſt ergo a Finano Epiſcopo, cum omnibus qui ſecum venerant comitibus ac militibus, eorumq. famulis vniuerſis, in vico Regis illuſtri, qui vocatur Admurum. Et acceptis quatuor presbyteris, qui ad docendam baptizandamq. gentem illius & eruditione & vita videbantur idonei, multo cum gaudio reuerſus eſt. Erant autem presbyteri Cedda, & Adda, & Betti, & E Diuma: quorum vltimus natione Scotus, ceteri fuere Angli: Adda autem erat frater Vttan presbyteri illuſtris, & Abbatis monaſterij, quod vocatur ad Capreæ caput, cuius ſupra meminimus.

MEDITERRANEORVM ANGLORVM CONVERSIO.

Venientes igitur in prouinciam memorati ſacerdotes cum Principe, prædicabant verbum, & libenter auditi ſunt: multiq. quotidie & nobilium & infirmorum, abrenunciata ſorde idololatriæ, fidei ſunt fonte abluti. Nec prohibuit Penda Rex, quin etiam in ſua, hoc eſt, Merciorum natione verbum (ſi qui vellent audire) prædicaretur. Quin potius odio habebat & deſpiciebat eos, quos fide Chriſti imbutos opera fidei non habere deprehendit, dicens contemnendos & miſeros eſſe eos, qui Deo ſuo, in quem crederent, obedire contemnerent. Cœpta ſunt hæc biennio ante mortem Pendæ Regis: ipſo autem occiſo, cum Oſuui Rex Chriſtianiſſimus regnum eius acciperet (vt in ſequentibus dicemus) factus eſt Diuma, vnus ex præfatis quatuor ſacerdotibus, Epiſcopus Mediterraneorum Anglorum

PENDA REX APERIT IANVAM EVANGELIO.

glorum simul & Merciorum ordinatus a Finano Episcopo. Paucitas enim sacerdotum co- A
gebat, vnum Antistitem duobus populis præfici. Qui cum pauco sub tempore non pau-
cam Domino plebem acquisiuisset, defunctus est apud Mediterraneos Anglos, &c.] hæc
enim præsenti anno cœpta, vsque ad biennium esse producta, idem Beda in Epitome do-
cet. Quæ autem post secuta sunt de conuersione Orientalium Saxonum, suo loco dicemus.

Contigit hoc pariter anno ex hac vita migrare Honorium Archiepiscopum Dorouer-
nensem [a], quintum ab Augustino eius sedis Antistitem, cui post annum & sex menses sub-
rogatus est Deusdedit. Porro hi omnes præ virtutum insignibus meritis videbantur esse
columnæ: ipse vero Honorius inter sanctos relatus, anniuersaria commemoratione in
Ecclesia celebratur pridie Kalendas Octobris [b].

Hoc insuper anno quinquagesimotertio post sexcentesimum signatum habetur marty- B
rium Reginæ Osithæ in Anglia. Fuit ista filia Fritheuualdi Regis & Vuilteburgæ filiæ Pen-
dæ Regis Merciorum, educata a sancta Moduuenna Abbatissa in monasterio, inde contra
votum tradita nuptui Regi Orientalium Saxonum, a quo intacta seruata licentiam acce-
pit monasterium ingrediendi, vbi feliciter martyrium est consecuta (vt eius vitæ res ge-
stæ declarant [c]) ab irruentibus piratis Danis, ijsdemq. Gentilibus, Christianis tunc infen-
sissimis. Porro multa ibi tunc miracula edita, eadem Acta significant, quæ tu consulas.

Hoc eodem anno Sigebertus consignat obitum sancti Iudoci Regis Britonum filij, qui
(vt ait) spreto regno & mundo, peregrinus & eremita in pago Pontino quieuit.

Quod pertinet ad res Orientales: incensa semel fax a Sarracenorum gente ad inflam-
mandum Imperium, eadem nec obice maris extincta, sed ipsas insulas maris Ionij conflа-
grans, Rhodum progressa, depasta est etiam simulacrum illud æneum, inter septem mundi
miracula numeratum, Rhodium inquâ colossum, de quo hæc ex Theophane habent [d] Græ- C
corum Annales: Anno duodecimo Imperij Constantis Mahuuias Sarracenorum Dux Rho-
dum rediens, destruxit colossum eius post mille trecentos sexaginta stabilitatis ipsius an-
nos: quem cum Iudæus quidam Emesenus emisset, nongentos camelos ex eius ære onera-
uit.] hæc de colosso in portu Rhodio tanta magnitudine collocato, vt diuaricatis cruri-
bus spatium præberet nauibus ingredientibus portum ipsum, altitudinis centum vigin-
tisex pedum; qui antea terræmotu dissectus, demum Sarracenorum manu confractus
est, ac Iudæo homini venumdatus. Hic finis rerum mirabilium orbis terrarum, cum ni-
hil temporis edacitati resistat: vt plane imprudens admodum arguatur, qui hic ex casuris
aliquando ædificijs gloriam quærit, & non potius in cælo in æternum permansuram habi-
tationem ædificat.

Accessit ad alias huius anni clades, quod Armenia itidem a Sarracenis longe lateq. D
deuastata est. Ita quidem dormiente atque stertente ignauo Imperatore, ad malum in-
ferendum Catholicis tantummodo vigilante, totus funditus quassatus est Oriens. Hæc pla-
ne adeo ingentia mala pertigerunt Armeniam ea ex causa, quod Manichæorum hæresis
ibidem restitui cœpta est, tot ante Concilijs ac legibus Imperatorum sæpesæpius iugula-
ta. Quomodo autem ista se habuerint, nos hoc anno occasione cladis a Sarracenis illatæ
de his agere operæpretium iudicamus ex auctore recondito nondum edito, quem possi-
det Vaticana bibliotheca. is est Petrus Siculus, qui aduersus Manichæos, itidemq. nomi-
natos Paulicianos, egregium edidit commentarium ad Archiepiscopũ Bulgariæ: floruit is
sub Basilio & filijs Imperatoribus, anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo, cum
adhuc vrgerent eiusmodi in Oriente vepres agrum Dominicum occupantes, & in exteras
regiones radices extendere satagentes. Porro quæ hic tibi ex eodem Petro reddituri su- E
mus, Latinitate donauit Iacobus Sirmundus Parisiensis Societatis Iesu professor, inter
nostri sæculi primos viros disertos merito adnumerandus. Rem gestam post multa ita pro-
sequitur auctor:

Fuit imperante Constantino (seu Constante) Heraclij nepote, non procul a Samosa-
tis Armeniæ indigena quidam, Constantinus nomine, vicum incolens Mananalim, quem
ad hunc vsque diem habitant Manichæi. Hic diaconum captiuum, qui e Syria (vt con-
stat) in patriam reuertebatur, & Mananalim forte præteribat, tecto excepit, aluitq. dies
aliquot domi suæ. Diaconus ergo, vt hanc quasi gratiam hospiti suo rependeret, codi-
ces duos, quos e Syria secum tulerat, Euangelium scilicet, Pauliq. epistolas, dono dedit
Constantino. At ille, qui iampridem nefariam atque impuram hæresim suam propter im-
pia dicta fœdaq. flagitia, quæ Manichæorum scriptis continentur, omnibus odio atque
horrori

[a] Beda lib. 3. c. 20.

[b] Martyrolog. Rom. ea die.

[c] Extant apud Sur. die 7. Octobris.

[d] Theoph. hoc an. 12. Constan.

COLOSSVS RHODIVS A SARRACENIS FRACTVS.

ARMENIA A SARRACENIS DEVASTATA.

DE MANICHAEIS IN ARMENIA DEGENTIBVS.

horrori esse animaduerterat, vti pietatem magnopere pestem illam renouare iterum, ac latius diffundere, in animum induxit, dæmone (vt par est) instigante, librum deinceps præter Euangelij & Apostoli codices nullum attingere; hoc spectans nimirum, vt mali labem vniuersam eorum ope obtegeret: quemadmodum qui noxia pocula propinant, eadem melle obliniunt atque obducunt. Et quidem ille cum Manichæorum libris (vt diximus) omnes iam cuiusque impietatis artes percepisset, tantum mox Satanæ ope assecutus est, vt Euangelij Apostoliq. sensus perperam interpretando, facile omnes in rem suam quo vellet & pro libidine detorqueret. Manichæorum itaque scripta (vt dictum est) idcirco protinus abiecit, & hanc etiam maxime ob causam, quod multos videbat eo nomine gladio cædi. Hoc siquidem ad cetera sua egregia facinora diuini atque Orthodoxi Imperatores addiderunt, vt Manichæos, Montanosq. capitali puniri sententia iuberent, eorumq. libros, quocumque loco inuenti essent, flammis tradi: quod si quis vspiam eosdem occultasse deprehenderetur, hunc eumdem mortis pœnæ addici, eiusq. bona in fiscum inferri.

CONSTANTINI MANICHAEI SVBDOLAE ARTES.

Egregius autem Manetis discipulus Constantinus, quo facilius auditores suos in fraudem ac periculum induceret, & probabiliora redderet quæ docebat, Valentini primum blasphemias ac portentosa de triginta æonibus dijsq. dogmata, totam item Curbicij fabulam de pluuia, quam ex formosi adolescentis virginem infectantis sudoribus manare affirmabat, & alia id genus non pauca tamquam absurda nimis atque incredibilia reijcienda sibi ac explodenda putauit; minime id quidem vt tantam impietatem profligaret, sed quo plures ad se doctrinamq. suam pertraheret. Basilidis vero nefanda flagitia & impuritates, ceterorumq. omnium tetrum ac graueolens cœnum amplectens, nouus repente pernicioſæ pestis ductor exilijt: adeo vt quotquot nunc sunt Manichæi, pœnam istam & artificium ignorantes, Scythianum ac Beddam & Manetem ipsum, qui totius sectæ principes fuerunt, promptis animis respuant & detestentur; Constantinum vero hunc, qui *Siluani* quoque nomen assumpsit, aliosq. qui post eum exorti, in Christi Apostolorum numero habeant, & Paulo pares in honore ducant.

Hic igitur Constantinus, qui & Saloanes, Mananali vico relicto, Cibassam immigrauit, quod castrum est Coloniæ vicinum. Ibi residens, Siluanum se illum esse iactabat, cuius mentio in Pauli epistolis, quiq. tamquam fidus discipulus a Paulo missus est in Macedoniam: ostendensq. discipulis suis Apostoli codicem, quem a diacono acceperat: Vos, aiebat, Macedones estis, ego Siluanus, ad vos a Paulo missus. Atque id ille post sexcentos annos, quam a Paulo scripta hæc fuerunt, dicere non dubitabat, cum emerserit (vt iam diximus) Heraclij nepotis Constantis temporibus. At enim cum eo loci annos septem & viginti versatus esset, multosq. ex incolis in errorem impulisset, dignum magisterio & doctrina suæ vitæ finem sortitus est. Nam Imperator postquam de hominis insolentia nescio qua ratione certior factus est, Palatinum quemdam Simeonem protinus ablegauit, cum mandatis, quibus ipsum vt improbitatis artificem lapidare iubebatur, eius vero discipulos, quos nempe induxerat ignorantia, per Dei Ecclesias erudiendos conuertendosq. dispergere, quamquam *illi* corrigi prorsus noluerunt. Nec mora iussis interceſſit.

SILVANVM SE IACTAT MANICHAEVS.

SIMEON ABLEGATVS ADVERSVS MANICHAEOS.

Aduolans enim Simeon, Tryphonemq. sibi adiungens ex ijs vnum, qui cum imperio & magistratu in illis oris versabatur, simulac destinatum locum attigit, comprehendi omnes, & in Australem Colonienſis castri partem duci iussit. Quo loco miserum illum, eiusq. discipulos ex aduerso destituens, signum dat illico, vt vnum omnes lapidibus inceſſant. Verum hi magistro suo, vt qui a Deo ad ipsos missus esset, parcentes, lapidibus arreptis, manus quidem ad balteos suos per speciem adducebant, clam autem lapides in terga vibrabant. Adoptarat ante plures annos Siluanus Iustum quemdam (id enim *illi* nomen erat) eumq. Manichæi hæresi cum primis imbuerat: tunc vero educationis doctrinæq. suæ congruentem ab illo mercedem tulit: Palatini enim iussis obsequens, sumpto in manu saxo, Siluanum quasi alterum Goliath vi magna percussit & occidit. In quem apte cecidit vox illa Dauidica [a]: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Et: Conuertetur dolor eius in caput eius. Ceterum locus ipse hodieq. ob lapidum congeriem Aceruus nuncupatur.

SILVANVS MANICHAEVS OCCIDITVR.

[a] *Psal. 7.*

Simeon autem ne quid regij mandati præteriret, Constantini discipulos, quo ad saniorem mentem reuocarentur, Ecclesijs commendat. Sed illi haudquaquam conuersi

sunt

SIMEON HAERESI INFECTVS.

sunt, malueruntq. in errore suo impie mori, quam Deum sibi pœnitentia placare, salutemq. consequi sempiternam. Quos quidem dum temere nimis excutit & auscultat Simeon, vt qui diuinæ institutionis expers erat, ac plane rudis, atque (vt verius dicam) leuis ac præceps animo, pestiferam hæresim hausit, & cum ea redijt Constantinopolim ad Imperatorem. Triennio deinde domi suæ priuatim acto, cum plene iam irretitus possideretur a diabolo, relictis omnibus, clam excessit, Cibassam petens. Vbi conuocatis collectisq. hinc inde Constantini discipulis, eiusdem impietatis successor effectus est: &

IMPOSTOR MVTAT NOMEN.

vt nomini suo famam eadem qua prædecessores arte conciliaret, Titum se appellauit. Ego vero non Titum hunc dixerim (neque enim imitator eius Titi fuit, quem Paulus Apostolus Cretensium fecit Episcopum) sed Cetum potius: siquidem Cetum imitatus est in maris vndis latitantem. De Ceto enim marino narrant quidam, Aspidochelonem appellari, mole vero tam vastum esse, vt insulæ referat speciem, vocis porro sonum grauem illi & obscurum inesse. hinc fieri, vt decepti nonnumquam nautæ anchoras suas in eum conijciant, palisq. infixis nauigia deligent; quoad accenso desuper igne concalefacta bellua, repente aquas subeat, omnesq. in altum demergat & suffocet. Sic prorsus iste, eo quod qui eius nequitiæ magnitudinem non norant, grauemq. vocis sonum minime refugiebant, sed auscultabant, suæq. adeo spei anchoram in eo defigebant, omnes per ignem ad inferni profunda depressit: igni enim extinctus vna cum eiusdem amentiæ socijs ad æternum ignem profectus est.

PVGNANT INTER SE MANICHAEI.

Nam cum triennij iam spatium in illis locis permultos ijsdem erroribus implicans perageret, exorta tandem est inter Iustum illum, a quo lapidatum diximus Constantinum, & Simeonem hunc Cetum grauis disputatio, multaq. inter eos vltro citroq. agitata de Pauli Apostoli sensu in illis verbis epistolæ ad Colossenses: Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Vrgente autem Iusto ac dicente, Ne forte *populo* imponamus, & ne si ab Apostoli verbis discrepantia docuerimus, hominum animas temere perdamus, pro quibus in tremendo iudicio reddi a nobis rationem oporteat: Nihil his eius verbis mouebatur Simeon; quin pergebat acriùs, eius loci expositionem huc illucq. suo more distorquens.

EPISC. DEFERT MANICHAEOS

Glisceute igitur inter Iustum & Simeonem contentione, proficiscitur Iustus ad Episcopum Coloniæ, atque vt de Apostoli sensu quod cupiebat audiret, omnia mox de se socijsq. & quam inter se disciplinam tenerent, liquido exposuit. Re comperta, Episcopus nihil in his sibi cunctandum ratus, de singulis cuestigio refert ad Iustinianum Augustum, qui post Heraclium Imperij sceptra gubernauit, &c.] quæ enim tunc gesta sint, suo loco dicenda opportunius erunt: hic autem plurium annorum historiam narratio complectitur, quæ nulla per annos singulos possit partiri discretione.

IESV CHRISTI ANNVS 654.	MARTINI PAP. ANNVS 6.	CONSTANTIS IMP. ANNVS 13.

MARTINI PAP. ET MARTYRIS OBITVS.

ANnus agitur Redemptoris sexcentesimus quinquagesimusquartus, Indictione duodecima: quo duodecima die mensis Nouembris sanctus Martinus Papa & martyr Chersonæ in Ponto, vbi fuerat relegatus, ærumnis confectus martyrium feliciter consummans, in consortium aliorum martyrum atque Pontificum assumptus in cælum, triumphat nobili corona martyrij insignitus, cum iam sedisset annos sex, menses tres, atque dies duodecim: cuius dies natalis monumentis Ecclesiasticis adnotatus, coruscа luce annuatim Ecclesiæ Catholicæ redditur celebrandus.

De eiusdem S. Martini obitu hæc habet Anastasius Bibliothecarius: Directus est in exilium supradictus vir sanctissimus in locum qui dicitur Chersona, & ibidem (vt placuit Deo) vitam finiuit in pace Christi confessor, qui & multa mirabilia operatur vsque ad hodiernum diem. Fecit autem ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros vndecim, diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca numero trigintatres. Depositus est autem die duodecima mensis Nouembris *: & cessauit Episcopatus eius dies viginti-octo.] hæc apud Anastasium leguntur, quæ haud mediocri censura indigent. Etenim

* *Alij codices habẽt*, octaua mensis Septembris, *alij*, Octobris.

quomodo

A quomodo feciſſe dicitur ordinationes duas menſe Decembri, ſi primo tantum anno ſuæ ſedis eum menſe Decembri contigit habitaſſe Romæ? Vnde dicendum erit, ipſum ſemel tantum ordinationem habuiſſe, vel ſi bis dicas, alio ſane menſe quam Decembri, vel alibi quam Romæ. Præterea quod tradit de tempore vacationis eius ſedis, nihil in alijs codicibus editis. certe quidem neque adeo facile potuit innotuiſſe Vrbi eius condẽnatio, neque exiliũ tyrannice factum tam breui temporis ſpatio, neque obitus e tam longinquis regionibus haud aduentantium frequentia notus valuit Vrbi in eccleſia fieri manifeſtus.

Quod autem ad edita ab eo defuncto miracula pertinet: etiam ab ipſo adhuc viuente in Oriente illuminatum fuiſſe cæcum, S. Audoenus Rothomagenſis Epiſcopus in rebus geſtis S. Eligij, quas fideliſſime proſecutus eſt auctor eius temporis ac veri amantiſſimus ſcriptor, fidem facit, qui ſtylo ſuo glorioſum martyrium ſanctiſſimi viri, veluti in æter- B num permanſurum in Eccleſia monumentum, poſteris ſcriptum reliquit [a] verbis iſtis poſt alia quæ ex eodem auctore ſunt ſuperius recitata: Conſtantinopolim perductus ſanctus Martinus, atque ibi in exilium relegatus, ſola oratione meruit cæco lumina reddere. Porro exulans & deliteſcens, poſt multa tormenta, claram valde & nobilem vitam optimo & venerabili fine concluſit. Simulent nunc hæretici quantum volunt, confundantur & erubeſcant a ſe martyrem factum, quamuis in pace eum exhalaſſe animam clamitent: quamuis non a ſe interemptum, ſed propria fingant morte defunctum, quaſi non eum pœna conſumpſerit, in quo pœna conſumpta eſt. Qui ſi in præſenti nunc adeſſent, hæc a me pro martyre verba audirent: Etſi imminente carnificis gladio mortuus non fuit, in confeſſione tamen Catholicæ fidei in exilium relegatus, poſt continuam & indefeſſam profeſſionem, glorioſum mortis exitum meruit, ſicq. ad Deum ſuum redeun- C tem cæleſtis aula martyrem ſuſcepit.

S. MARTIN. MIRACVLIS ILLVSTRATVS.

[a] *Audoen. in vita S. Eligij c. 34. apud Sur. die 1. Decemb.*

DE MARTYRIO S. MART. ELOGIVM S. AVDOENI.

Neque enim virtus eius aut honor minor eſt, quo minus beatis martyribus aggregetur: quia (quantum in ipſo fuit) æquanimiter tolerauit, quicquid ei aduerſitatis oblatum eſt. Nam ſicut quidam teſtatur (*hic eſt Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus apud Euſebium Cæſarienſem*) non eſt inferior gloria, ſed potius excellentior ſuſtinere martyrium pro eo ne ſcindatur Eccleſia fallacijs hæreticorum, quam eſt illa ne immoletur idolis impulſu Paganorum. In Paganorum namque perſecutione vnuſquiſque tantum pro anima ſua, in hæreticorum vero pro vniuerſali patitur Eccleſia. Idcirco potiorem eum dixerim, qui proculdubio excellentior, magiſq. eximius comprobatur. Hæc pauca de tanti viri memoria Eligij vita ſibi inſerta habeat, loquaturq. ea vbicumque Eligij vita legetur per ſæcula, quantum Martinus fidei dogmate claruerit. D Quæ quidem nos dilectionis gratia hactenus narraſſe ſufficiat, vt ſit tam eximij viri memoria, qui vtique collegis meis in vrbe Romana multa impendit bona: quamuis in Oriente frequentetur, non vſquequaque in Occidente obliuioni tradatur.] hucuſque de ſancto martyre ſanctus confeſſor Audoenus, de quo ſuperius dictum, & inferius ſuo loco dicendum erit.

NON MINOR GLORIA MARTYRII AB HAERETICIS ILLATI, QVAM A GENTILIBVS.

Sed accipe quæ de S. Martino dicat S. Gregorius Papa huius nominis Secundus, cognomento Dialogus, in epiſtola ad Leonem Iſauricum Imperatorem hæreticum Iconoclaſtam, cum ſuis ſcriptis comminatus eſſet ipſi Gregorio, facturũ ſe in eum, quod in S. Martinum perpetrauerat Conſtantinus, nimirũ vt ab Vrbe vinctum Conſtantinopolim perduci mandaret, eadẽq. inferret ipſi ſupplicia, quæ fuerat Martinus paſſus. Ad hæc, poſt alia quæ ab eodem impio tyranno S. Martinus eſt paſſus, enarrata, ſubijcit iſta ipſe Gregorius: At E beatum Martinum eſſe & ſanctum, teſtatur ciuitas Cherſonenſis & Boſphori, in quam relegatus eſt, & totus Septemtrio atque incolæ Septemtrionis, qui ad ſepulchrum eius confluunt, & morborum curationes experiuntur. Atque vtinam faxit Deus, vt nos Martini viam ingrediamur, eamdemq. ſortem ſubeamus.] hæc Gregorius in dicta epiſtola ad Leonem Iſauricum, de qua ſuo loco fuſius acturi ſumus: ſatis modo hanc de ſancto Martino (quod ad rem pertinet) accepiſſe teſtificationem, qua quidem nondum Romam eius corpus fuiſſe tranſlatum, ſed illic Cherſonæ, vbi martyrium conſummauit, honore cultum ac miraculis illuſtratum apparet.

DE CVLTV S. MARTINI, EX GREG. II.

Accepi equidem ab Orientali homine pio viro Catholicæ communionis, fide integro, in hanc vſque diem a Græcis frequentari memoriã S. Martini Papæ, confluereq. populos frequenti cœtu ad ſepulchrũ eius, & gratias curationũ accipere, & alia iuſta petita impetrare ſolere. Quamobrem in eam ſententiam imus, vt etſi corpus eius Romam delatum eſt, &

VIGET ADHVC IN ORIENTE EIVS CVLTVS.

collocatum in Titulo Equitij, in quo & celebris est memoria S. Martini confessoris Epi- A
scopi Turonensis, vt vetus in eo posita docet inscriptio: pars tamen ipsius aliqua ibi remanserit, vendicantibus eum vt suum martyrem Chersonensibus. Quando autem facta sit ista S. Martini sacrarum reliquiarum translatio, vt e Ponticis oris triumphatorem suum martyrio coronatum Roma receperit, nos latet: receptum tamen, & honoribus martyre dignis non a Romanis tantum, sed ab vniuersa Ecclesia Catholica Occidentis & Orientis iugiter frequentatum, certissimum est.

EVGENII PAP. LEGITIMVS PONTIFICATVS.

Vbi igitur de S. Martini Pontificis obitu certum nuncium Romam delatum est, nullus alius quæsitus fuit qui ipsi succederet: sed qui tunc sedere per imaginem saltem Eugenius (vt diximus) inuentus est, accedente rursus semel antea lato consensu, legitime sedere cœpit: vt nonnisi ab hoc tempore Eugenij Pontificatus tempus sit numerandum.

NAVALI PROELIO VICTVS A SARRACENIS IMP.

Hoc eodem anno Constans Imperator a Sarracenis nauali prœlio superatur, ipseq. in B
vitæ discrimen adductus, vix mutata veste fugiens, saluus euasit. Vox quidem sanguinis iusti Abel, Martini inquam, e cælo potius quam e terra clamabat in perfidum ipsum Imperatorem, qui instar Cain nonnisi in fuga nouit sperare salutem. Quomodo autem ista se habuerint, a Theophane sic narrantur [a]: Anno decimotertio Constantis præcepit Mahuias Sarracenorum Princeps armaturam fieri magnam nauium, quo ascenderet ad regiam vrbem classis eorum. Omnis autem apparatus eorum apud Tripolim Phœnices consistebat. Verum hoc viso, duo fratres quidam Christiani amici Tripoli manentes, filij buccinatoris cuiusdã, zelo Dei sauciati, ad carcerem ciuitatis cucurrerunt impetu: habebat autem multitudinem Romanorum vinculatorum: & disruptis portis, vinculisq. solutis, in Amiram irruerunt, quo perempto vna cũ his qui cum eo erant, præparaturaq. omni igni tradita, in Romaniã nauigio transierunt. Verumtamen nec sic illi ab eadem præparatura C
cessauerunt. Sed Mahuuias quidem militat contra Cæsaream Cappadociæ: Ablulathar vero fabrum naualis structuræ constituit, qui veniens in locum diuertit, vocabulo Phœnicẽ Lyciæ, vbi erat Constans Imperator, & Romanus stolus *, cum eo naualiter pugnaturi.

[a] *Theoph. hoc an. 13. Costan. Imp.*

* stolus *pro exercitu vsurpatur.*

Cumq. futurum esset vt Imperator cũ ipso nauigio prœliaretur, contemplatur nocte illa visum, videlicet apud Thessalonicenses esse. Porro cuidã coniectori somniorum expergefactus narrat visionem. Qui ait: O Imperator, vtinam nec dormisses, nec somnium aspexisses. Nam esse Thessalonicæ, θὲσ ἄλλῳ νίκιν, innuit, quod interpretatur, alteri cede victoriam, id est, ad inimicum tuũ victoria vertitur. Sed Imperator nihil metuens, ad prœlium naualis pugnæ Romanorum classes præstruxit ad bellum. Quibus in alterutrũ irruentibus,

TVRPIS FVGA IMPERATORIS.

superantur Romani, & commixtum efficitur mare sanguine Romanorum. Induit autẽ Imperator alium veste sua: & insiliens prædictus buccinatoris filius in regiam scapham, Im- D
peratorem arripuit, & in aliam nauim transductum inopinate saluauit. Porro ipse fortissimus viriliter insistens Imperatoriæ naui, multos occidit, mortiq. se ipsum pro Imperatore contradidit. Hunc præterea hostes circumdantes & in medio retinentes, putabant ipsum esse Imperatorem. Postquam autem multos occiderunt, interfecerunt hostes vna cum eis & ipsum qui portabat Imperatoriam vestem. Ast Imperator taliter in fugam versus saluatur, & derelictis omnibus, nauigauit Constantinopolim.] hucusque ex Theophane.

DE ROTHARIS REGIS OBITV ET SEPVLTVRA.

Eodem anno Rotharis Rex Longobardorum Arianus, vbi regnasset annos sexdecim & menses quatuor, moriens, regnum reliquit filio Rodoaldo. De eius sepultura habet hæc Paulus [b]: Hic cum iuxta basilicam beati Ioannis Baptistæ fuisset humatus, post aliquantum tempus quidam iniqua cupiditate succensus eius sepulchrum noctu aperuit, & quic- E
quid in ornamentis eius corporis reperit, abstulit. Cui beatus Ioannes per visionem apparens, eum vehementer exterruit, eiq. dixit: Cur ausus es corpus istius hominis contingere? Fuerit licet non recte credens, tamen mihi se commendauit. Qui igitur hoc facere præsumpsisti, numquam deinceps in meam basilicam ingressum habebis. Quod ita quoque factum est. Quoties enim cumque voluisset beati Ioannis oraculum * ingredi, statim velut a validissimo pugili guttur eius feriretur, sic subito retro ruebat impulsus. Veritatem in Christo loquor: hoc mihi ipse retulit, qui hoc ipsum suis oculis factum vidit.] hæc Paulus. Hic primum aduerte (quod dictum ab auctore est) Rotharis corpus non intra basilicam, sed iuxta eam humatum esse: alioqui si in basilica, exhumandus religiose fuisset. Sed & illud obseruatione dignissimum, nec impiorum preces interdum despicere inuocatos sanctos, vel irremuneratas relinquere præmio saltem aliquo temporali: siquidem & Creator omnium Deus Solem suum oriri facit super bonos & malos.

[b] *Paul. diac. de gest. Longob. lib. 4. c. 48.*

* oratorium

Hoc

A Hoc eodem anno sexcentesimo quinquagesimoquarto, qui a sancto Martino Pontifice missus est ad prædicandum Euangelium Follianus Fossensis Episcopus, coronatus est corona martyrij vna cum tribus discipulis; quorum dies natalis inter martyres collocatus, annis singulis celebratur. reliqua tu consule de ijsdem apud Martyrologium Belgicum, quod Molanus vir doctissimus mirifice illustrauit. Sancta his temporibus æmulatio pertigit Hibernos ac Scotos religionis Christianæ cultores: quod enim scissent ab Vrbe complures in Britanniam ad Anglorum conuersionem sanctos viros missos, & ipsi hactenus id non sine culpa neglexisse visi essent, quibus ob locorum propinquitatem id magis peragendum fuisset: complures ex ipsis paternis egressi domibus, ad prædicandum gentibus Euangelium profecti sunt, vt ex Beda apparet, atque nonnullorum sanctorum vitæ Actis scriptis omni fide mandatis.

DE FOLLIANI ET SOC. MARTYRIO.

B Porro qui comes illi inhæsit & magister extitit, Leuinus Gandensis Episcopus, & ipse consecutus est coronam martyrij: dum enim prædicationi Euangelij instat apud Escham, multis vulneribus confossus occubuit: habent natalem eius indelebili inscriptione notatum tabulæ Ecclesiasticæ [a], eumdemq. consueto præconio annis singulis anniuersaria die in Ecclesia exhibent, duodecima Nouembris. Sed auctor horum omnium, vt ex Hibernia magnæ virtutis homines transferrentur in Gallias, vel alias eius regiones, fuit Vincentius Comes Hannoniæ, qui vxorem habuit consanguineam Regis Dagoberti beatissimam Vualdetrudē: missus enim a Francorum Rege in Hiberniam, inde recedens, secū duxit sanctissimos & strenuos fidei prædicatores, Follianum, Furseum, Vltranum, Eloquium, Ettonem, & Aldagisum, quos omnes egregia sanctitas decorauit: sed & ipse Vincentius in sanctorum album relatus est: excultus enim manu sancti Authberti Cameracensis Epi-

C scopi, tandem monastico suscepto habitu, sese totum, abdicato sæculo, Christo addixit, atque egregia claruit sanctitate; cuius natalem [b] diem Cameracenses & alij finitimi populi decimaquarta Iulij mensis celebrare consueuerunt.

[a] *Martyrolog. Rom. & Molan. in Natal. SS. Belg. die 12. Nouemb.*

S. VINCENTIVS COMES HANNONIAE.

[b] *Molan. in Natal. SS. Belg. die 14. Iul.*

IESV CHRISTI ANNVS 655. VITALIANI PAP. ANNVS 1. CONSTANTIS IMP. ANNVS 14.

D ANnus adest sexcentesimus quinquagesimusquintus, decimatertia *Indictione*, quo Romæ moritur Eugenius Papa die secunda Iunij: cuius sedis annos qui numerant ab eo tempore quo in locū sanctissimi Martini martyris adhuc viuentis subrogatus inique fuit, cum ille tyrannice Pontificatu exutus in exilium missus esset, eum annos duos & menses quatuor sedisse tradunt. Verum cum nonnisi post S. Martini Papæ obitum potuerit, accedente cleri consensu, legitime sedisse: affirmare necesse est, non amplius quam sex menses & dies vigintitres ipsum Romanæ Ecclesiæ Pontificem præfuisse. Habet de ipso Anastasius, sepultum fuisse apud sanctum Petrum, nulla facta, dum viueret, cleri ordinatione, sed tantum Episcopos per diuersa loca creasse numero vigintiduos. Modeste visus est vsus Pontificia potestate, quod viuente Martino, optime sciret, se non legitime sedere potuisse Pontificem, sed tantum loco ipsius veluti Vicarium se gerere.

EVGENIVS PAPA MORITVR.

Vacasse autem eius sedem mensem vnum, dies vero vigintinouem, idem Anastasius tra-

E dit: sicq. colligas, hoc eodem anno vltima die mensis Augusti creatum fuisse successorem Vitalianum Signinum. est Signia ciuitas apud Hernicos, longe ab Vrbe trigesimo lapide, via Lauicana. De ipso autem Vitaliano hæc in primis idem Anastasius habet:

VITALIANVS PAPA CREATVS.

Hic direxit Responsales suos secundum consuetudinem cum Synodica in Regiam vrbem ad pijssimos Principes, significans de ordinatione sua: & dum susceptī essent, renouantes Ecclesiæ priuilegia reuersi sunt.] hæc Anastasius, qui & addit: Per eosdem Missos, *Responsales scilicet*, direxit Constans Imp. B. Petro & Euangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis ornata in circuitu.] Ex his intelligas, callidum Imperatorē, quo rebus Occidentalis Imperij bene consultum esset, conatum fuisse muneribus saltem & alijs officijs demerere Romanum populum, quem sciret tunc sibi coniunctum atque beneuolum fore, si se Catholicum forinsecus præseferret, studiosumq. erga Romanum Pontificem. Probe enim nouerat, in se Romanum populum, simulq. clerum, & (vt vno verbo dicam)

omnes Occidentales Catholicæ fidei integros professores magnopere concitasse ob eiectionem ex Vrbe sanctissimi Papæ Martini, eiusq. tyrannicam depositionem & eiectionem, ac demum perfunctum, morte intercedente, martyrium. A

FRAVS CONSTANTIS IMP.

Quod igitur sciret ex ijs se apud Occidentales omnes male audire, hæreticum proclamari, trucemq. persecutorem ore omnium nominari, vafro atque subdolo consilio egit vt se facti pœnitentem recepisse Catholicam fidem, redditumq. penitus Orthodoxum ostenderet. Ita plane hæreticus Princeps iure regnandi abuti consueuit religione, vt cum Catholicam fidem oderit, tamen de ea bene mereri videri velit: vt si vir vxori, quam oderit, blandiatur; quo id quod molitur, consequi facile possit; & cum fuerit consecutus, domo statim eijciat, & pellicem introducat. Hoc plane vsum esse consilio Constantem Imperatorem, perspicue eius res gestæ declarant: qui cum Catholicus videri vellet,

OBLATIO EIVS VTI CATHOLICI SVSCEPTA.

illud signum edidit manifestum, vt cum Romano Pontifice se communicare publicis significaret officijs: nam misit ad eum sacrosanctum Euangelium gemmis miræ magnitudinis exornatum (quod erat symbolum Catholicæ susceptæ fidei) sancti Petri Apostolorum principis basilicæ offerendum: & quod dictum est, legatos (quos Responsales vocat auctor) missos Constantinopolim cum Synodica de fidei Catholicæ confessione, ipse Imperator non (vt ante fecerat) eos reiecit, sed bene habuit & amice recepit, donatosq. dimisit impertita confirmatione priuilegiorum illorum, quæ ab Imperatoribus conferri possent Ecclesijs. B

AD TEMPVS SIMVLAT IMP.

Et licet Anastasius non dicat; emisisse etiam eumdem versipellem Proteum fidei Catholicæ professionem, æque possumus intelligere, ac nihil denique prætermisisse, quo Catholicus forinsecus hominibus appareret. Ita quidem factum, ex ijs quæ ex eodem Anastasio dicta sunt, cogimur affirmare: nam si aliter creditum esset, nequaquam Vitalianus missam per Responsales accepisset oblationem: siquidem oblationem hæreticorum semper Ecclesia Catholica respuit & execrata est, vti victimam impiorum Deo abominabilem. Hæc tanta cum præstiterit dolosus homo, quæ haberet in stomacho, non potuit occultasse: nam cum occasio venit, in fidem Catholicam hominesq. Catholicos quid sentiret, euomuit: quod contigit anno sequenti, cum vera fortiq. confessione Maximi prouocatus, in eum eiusq. socios, vt bestia truculenta, violentus insilijt, quos laniauit atque discerpsit: quomodo autem ea se habuerint, suo loco dicturi sumus. hæc vero haud oportuit prætermisisse, vt qualis esset qui velut in scena ad tempus personam induit pietatis, penitus innotesceret. Sed ad Vitalianum Papam redeamus. C

QVALIS PETRI FIDEI PROFESSIO AD VITALIANVM DATA.

Eadem legatione missa Constantinopolim Vitalianus litteras dedit ad Petrum Constantinopolitanum Episcopum, hortans eum ad fidem Catholicam amplexandam. At ille excusans excusationem in peccato, se profiteri rescripsit quæ docuerunt veteres Patres; eorumq. testimonia, sed haud fideliter, mutatis verbis, adnexuit: quæ fraus tum a Græcis, tum a Latinis detecta fuit, vbi de ijsdem litteris actum est. Habentur enim de his ista in decimatertia Sextæ Synodi Actione: Item relecta est ex altero regesto epistola Petri & ipsius quondam Præsulis regiæ ciuitatis ad Vitalianum sanctæ memoriæ, qui fuit Papa Romanus, cuius est initium: Spiritalem nobis lætitiam peperit epistola vestræ vnanimis & sanctæ fraternitatis. Dumq. legeretur eadem epistola habens diuersa Patrum testimonia, hi qui locum gerebant Agathonis sanctissimi Papæ Romani, dixerunt: Innotescimus vestræ gloriæ, quod paterna testimonia, quæ continentur in præsenti quæ nunc legitur Petri epistola, circumcisa & defiorata sunt ab eodē Petro ex hoc quod ostendere voluisset suam super vnam voluntatem & vnam operationem intentionem. Glorioſissimi Iudices dixerunt: Comperimus diligenter, iuxta quæ a vestra reuerentia dicta sunt, quod talia testimonia, quæ continentur in præsenti epistola, detruncata posita sunt: & si placet vestro sancto ac vniuersali Concilio, in amplius huiusmodi epistolæ lectio non procedat.] ficq. in re clara dubitatum a nemine fuit. Hic est status rerum Orientalium anni huius. Iam vero ad res Ecclesiæ Anglicanæ conuertamus orationem. D E

PROPAGATIO FIDEI IN ANGLIA.

Contigit hoc eodem anno latius propagari in Anglia Christianam religionem: defuncto enim Penda Merciorum Rege Gentili, populi illi facti sunt Christiani. ita Beda [a], qui etiam tradit eodem tempore Orientales Saxones relictam ante sub Mellito Episcopo fidem Christianam recepisse, maioribusq. augmentis auxisse. De quibus primum ex eodem Beda agendum, qui ait [b]: Eodem tempore etiam Orientales Saxones fidem, quam olim, expulso Mellito Antistite, abiecerunt, instantia Regis Osuui receperunt:

a Beda in Epit. hist. Angl.

b Beda. lib. 3. c. 22.

A runt: erat autem Rex eiusdem gentis Sigbert, qui post Sigbertum cognomento Paruum regnauit, amicus eiusdem Osuui Regis; qui cum frequenter ad eum in prouinciam Nordhumbrorum veniret, solebat eum hortari ad intelligendum, deos esse non posse, quŏ hominum manibus facti essent.] subdit exhortationem ad eum conuertendum ab ipso haberi solitam, atque demum de eius conuersione, baptizatumq. esse, dum apud Osuui maneret, a Finano Episcopo: atque demum de eius reditu in patriam subijcit ista [a]: SIGBERTVS REX CVM SVIS CHRISTIANVS EFFECTVS.

[a] *Bed. lib. 3. c.22.*

Igitur Rex Sigbert æterni regni iam ciuis effectus, temporalis sui regni sedem repetijt, postulans ab Osuui Rege, vt aliquos sibi doctores daret, qui gentem suam ad Christi fidem conuerterent, ac fonte salutari abluerent. At ille mittens ad prouinciam Mediterraneorum Anglorum, mandauit * ad seruum Dei Cedd, & dato illi socio altero quodam presbytero, misit prædicare verbum genti Orientalium Saxonum. Vbi cum omnia per-
B ambulantes, multam Domino Ecclesiam congregassent, contigit quodam tempore eumdem Cedd redire domŭ, ac peruenire ad Ecclesiam Lindisfarnensem propter colloquium Finani Episcopi: qui vbi prosperatum ei opus Euangelij comperit, fecit eum Episcopum in gente Orientalium Saxonum, vocatis ad se in ministerium ordinationis alijs duobus Episcopis. Qui accepto gradu Episcopatus, redijt ad prouinciam, & maiori auctoritate cœptum opus explens, fecit per loca ecclesias, presbyteros & diaconos ordinauit, qui se in verbo fidei & ministerio baptizandi adiuuarent.] & paulo post de eiusdem Regis nece hæc subdit:

[*] clamauit ad se virum Dei CEDD EPISC. PRAEDICATOR EVANGELII.

Cumq. tempore non pauco in præfata prouincia, gaudente Rege, congaudente vniuerso populo, vitæ cælestis institutio quotidianum sumeret augmentum: contigit ipsum Regem, instigante omnium bonorum inimico, propinquorum suorum manu interfici.
C Erant autem duo germani fratres, qui hoc facinus patrarunt. Qui cũ interrogarentur, cur hoc facerent: nihil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc se iratos fuisse & inimicos Regi, quod ille nimium suis parcere soleret inimicis, & factas ab eis iniurias mox obsecrantibus placida mente dimitteret. Talis erat culpa Regis, pro qua occideretur, quod Euangelica præcepta deuoto corde seruaret. in qua tamen morte eius innoxia, iuxta prædictum viri Dei, vera est eius culpa punita.] at quænam ista culpa fuerit, idem Beda mox subdens, enarrat, cum ait:

OB CHRISTIANAM MANSVETVDINEM REX OCCIDITVR.

Habuerat enim vnus ex his qui eum occiderant Comitibus illicitum coniugium: quod cum Episcopus prohibere & corrigere non posset, excommunicauit eum, atque omnibus qui se audire vellent, præcepit ne domum eius intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempsit hoc Rex præceptum: & rogatus a Comite intrauit epulaturus do-
D mum eius. Qui cum abijsset, obuiauit ei Antistes. At Rex intuens eum, mox tremefactus desiliuit de equo, ceciditq. ante pedes eius, veniam reatus sui postulans. Nam & Episcopus pariter desiliuit; sederat enim & ipse in equo. Iratus autem tetigit Regem iacentem virga, quam tenebat manu; & Pontificali auctoritate protestans: Dico tibi, inquit, quia noluisti te continere a domo perditi & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes. Sed credendum est, quia talis mors viri religiosi non solum talem culpam diluerit, sed etiam meritum eius auxerit: quia nimirum ob causam pietatis propter obseruantiam mandatorum Christi contigit.] hæc Beda: quibus intelligas, quanto suo damno non pareant Principes sacerdotibus, quantaq. iactura quis excommunicato cõmunicet, & quomodo insuper Præsules iuste censuram Ecclesiasticam exercentes exaudiat Deus, contumaces aduersarios puniens. Prosequitur Beda res præclare gestas ab eodẽ Episcopo Cedd
E Apostolico plane viro narrare; quem tu consulas: prætermittimus nos breuitatis ergo.

QVAE CVLPA REGIS.

Quomodo autem contigerit conuersio Merciorum, occiso Penda crudelissimo Pagano Rege, rem memoria dignam, hic suo loco ijs quæ sunt dicta iungamus: ait enim [b]: His tẽporibus (*nempe, vt habet in Epitome, hoc anno Domini sexcentesimo quinquagesimoquinto*) Rex Osuui cum acerbas & intolerabiles pateretur irruptiones sæpe dicti Regis Merciorum, qui fratrem eius occiderat: ad vltimum necessitate cogente, promisit se ei innumera & maiora quam credi potest ornamenta regia vel donaria in pretium pacis largiturum, dummodo ille domum rediret, & prouincias regni eius vsque ad internecionem vastare desineret. Cumq. Rex perfidus nullatenus precibus illius assensum præberet, qui totam eius gentem a paruo vsque ad magnum delere atque exterminare decreuerat: respexit ille ad diuinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbarica posset eripi; votoq. se obligans: Si Paganus, inquit, nescit accipere nostra donaria, offeramus ei qui nouit,

[b] *Bed. histor. Anglor. lib. 3. c.24.*

DE INTERITV PENDAE REGIS ET CONVERSIONE MERCIORVM.

VOTVM REGIS

Domino Deo noſtro. Vouit ergo, quod ſi victor exiſteret, filiam ſuam Domino ſacra virginitate dicandam offerre, ſimulq. duodecim poſſeſſiones prædiorum ad conſtruenda monaſteria donare. & ſic cum pauciſſimo exercitu ſe certamini dedit. A

Denique fertur, quod tricies maiorem Pagani habuerint exercitum: ſiquidem ipſi triginta legiones ducibus nobiliſſimis inſtructas in bello habuere. Quibus Oſuui Rex cum Alchfrido filio, perparuum (vt dixi) habens exercitum, ſed Chriſto duce confiſus occurrit. Nam alius filius eius Ecfrid eo tẽpore in prouincia Merciorum apud Reginã Cinuiſe obſes tenebatur. Filius autem Oſuualdi Regis Edeluuald, qui eis auxilio eſſe debuerat, in parte erat aduerſariorũ, eiſdemq. contra patriam & patruum ſuum pugnaturis ductor extiterat, quamuis ipſo tempore pugnandi ſeſe pugna ſubtraxerat, euentumq. diſcriminis tuto in loco expectabat. Inito ergo certamine, fugati ſunt & cæſi Pagani duces Regis triginta, & qui ad auxilium venerant, pene omnes interfecti: in quibus Edilhere frater Annæ Regis Orientalium Anglorum, qui poſt eum regnauit, auctor ipſe belli, perditis militibus, ſiue auxilijs, interemptus eſt. Et quia prope fluuium Iuuuet pugnatum eſt, qui tunc præ inundantia pluuiarum late alueum ſuum, immo omnes ripas ſuas tranſierat: contigit, vt multo plures aqua fugientes, quam bellantes perderet enſis, &c.] ſubdit his Beda de impleto antea nuncupato voto eiuſdem Regis, de monaſteriorum erectionibus, deq. fide Chriſtiana in illis regionibus propagata: hæcq. facta eſſe cum dicat anno decimotertio eiuſdem Regis Oſuui, plane ad hunc annum referre neceſſe eſt. Sed de Britannia ad Hiſpanias tranſeamus.

VICTORIA DIVINITVS OBTENTA. B

Hoc eodem anno in Hiſpania celebratum eſt Toletanum Concilium nonum dictum, Era nimirum ſexcenteſima nonageſimatertia, Regis vero Recceſuinthi anno ſeptimo: cui interfuerunt Epiſcopi ſexdecim, primoq. loco Metropolitanus Eugenius Toletanus Epiſcopus ſedens præfuit ſacro conuentui. In quo cum de rebus ad Epiſcopos qui bona Eccleſiaſtica illicite vſurpaſſent ſpectantibus acturi eſſent, ita ijdem Patres digne præfati ſunt poſt alia quæ de antiquis reſtituendis canonibus prælocuti fuerunt: Sed quia nequaquam recte ſubditos iudicat, qui non ſe ipſum prius iuſtitiæ cenſura caſtigat: aptum nobis & expedibile viſum eſt, ante noſtris exceſſibus imponere modum, & ſic errata corrigere ſubditorum. Tunc namque melius iudiciorum exordia diriguntur, cum vita Iudicum ante diſponitur; eo quod potius iudicij forma completur, quo negotiorum principijs æquitas iudicantium antefertur. Adeo exordium æquitatis inchoari a Iudicibus debet, vt perfectio iuris cauſarum limitem aptius formet.] Hæc poſtquam præfati ſunt Patres, ſanciuere canones decem & ſeptem, quos tu conſulas. Poſt Eugenium ſubſcriptus ibi legitur Taio ſanctus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, de quo ſuperius dictum eſt ſatis. C D

CONC. TOLET. NONVM.

SEquitur Chriſti annus ſexcenteſimus quinquageſimusſextus, Indictione decimaquarta: quo ab Imperatore Conſtante decernitur legatio ad Maximum confeſſorem Byziæ in Thracia ciuitatis exulem exiſtentem, quo eum in Monothelitarum errorem perducere poſſet. Qui miſſi ſunt, fuerunt præclariſſimæ dignitatis viri, nempe Theodoſius & Paulus Patricij, ijdemq. Proconſulari dignitate inſigniti, & vna cum eis Theodorus Cæſarienſis Epiſcopus, vir omnium eius ſectæ doctiſſimus. Scripta fuerunt ab aliquo qui præſens fuit omnia quæ in hac legatione mutuoq. congreſſu cum Maximo contigerunt. Quorum Actorum duo fragmenta cum recitata reperiſſemus in quarta Actione ſeptimæ Synodi œcumenicæ, ingens exarſit in animo deſiderium ipſa integra Acta perquirendi. Sed viſis ſcriptis Maximi, quæ in Vaticana bibliotheca aſſeruantur, nec inuentis; cum iam ſpe excidiſſemus ea amplius inueniendi: accidit ex inſperato, vt eadem intexta in vita ipſius Maximi repererimus.

IMPERATOR LABORAT SVBVERTERE MAXIMVM.

E

Qui igitur miſſi ſunt ab Imperatore, cum diu contuliſſent cum Maximo, vt reuocarent eum a cœptis, & reducerent cum honore Conſtantinopolim; tantum abfuit vt id fuerint conſecuti, vt potius ſumma potentia veritatis ipſe illos in ſuam ſententiam traxerit, atque ad iurandum adegerit, quod abiecta hæreſi, Catholicam fidem amplecterentur; ſicq. reuerſi fuerint ad Imperatorem, quo & ipſum in eamdem ſententiam perducerent. Quod

MAXIMVS CONVERTIT HAERETICOS.

cum

A cum minime facere Imperator assentiretur, misit rursum Paulum, qui eum perduceret Constantinopolim: in quem magis renitentem inuentum duriorem decernit relegationem. Hæc ipsa Acta, quæ cuncta hoc eodem esse anno confecta, nota Indictionis in eis apposita docet. Accipe igitur iam eadem ipsa digna Annalibus Acta quam fideliſſime ab exceptore conscripta, & ab Anastasio Maximi discipulo vna cum alijs rebus gestis eiusdem Sancti simul collecta: quod & Ioannes Episcopus Ephesinus pariter profitetur, nempe res gestas ipsius ab eodem ipso Anastasio esse scriptis mandatas quam fideliſſime. quæ ex tribus codicibus Vaticanis accepta Petrus Morinus Theologus Parisiensis, vir doctiſſimus, e Græco primus transtulit in Latinum non sine magno labore. quibus tu fruere; sic enim se habent:

Plurimis autem diebus interpositis, mittitur ad Sanctum in exilio degentem Theodo-
B sius ille Cæsareæ Bithyniæ Episcopus, & Paulus, & Theodosius alter, vterque Patricius & Proconsulari dignitate: veniuntq. ad eum, vt ab Imperatore & Patriarcha Constantinopoleos missi. Hi multos variosq. sermones beato viro prætenderunt, modo adulantes, modo comminantes, modo etiam aliquid sciscitantes, atque interrogantes. Quorum sermonum per partes narrationem compositus ab egregio Anastasio (vt ante a me dictum est) commentarius ostendit. Ex quo non intempestiuum fortasse est, a nobis pauca commemorari, cursim & hic narrationem exequentibus, vt magis virum hunc capi non potuisse cognoscamus. Nam cum multa essent, quæ eum concuterent, fluctuationemq. multis modis afferrent; ipse nullo modo indignatus, constantiam obtinuit, firmus totus, ac mentis sensu non mutato. THEODOSIVS ET SOCII MISSI AD MAXIMVM.

Cum igitur ad eum veniſſent, consederunt, eiq. vt sederet permiserunt, cum videlicet
C vna cum ijs Byziæ esset Episcopus. *Erat Byzia sedes Episcopalis in Thracia, cuius Episcopus nomine Georgius interfuit Sextæ Synodo pro Catholica fide tuenda.* Theodosius itaque ei dicit: Vt te habes, domne Abba Maxime? Ad quem ille: Vt ante omnia sæcula præfiniuit Deus vitæ meæ actum ex eius prouidentia pendentem, sic habeo. Ac Theodosius: Quid igitur, inquit, ante omnia sæcula res vniuscuiusque nostrum Deus præfiniuit? Maximus: Præcognitio, inquit, cogitationum est, & sermonum, & operum, quæ in nostra sunt potestate: præfinitio vero determinatio est eorum quæ eueniunt, in nobis non sita. Tum Theodosius: Quænam potestatis nostræ sunt, quæve non sunt? Cui Maximus: Omnia cognoscens dominus meus, explorandi causa cum seruo suo loquitur. At Theodosius: Per Dei veritatem, ignorans interrogaui; ac discere volo, quid discriminis sit inter ea quæ in nostra potestate sunt, & ea quæ non sunt, & quomo-
D do alia in præscientiam Dei cadunt, alia in præfinitionem. PRIMA SERMOCINATIO MAXIMI CVM THEODOSIO.

Et Maximus: In nobis sita sunt voluntaria omnia, vt virtutes atque vitia: nostræ vero non sunt potestatis, pœnarum quæ nobis accidunt irrogationes, aut contrariorum. Neque enim potestatem habemus punientis morbi, aut iucundæ sanitatis, sed causarum quæ hæc efficiunt: vt morbi causa est intemperantia, temperantia bonæ valetudinis; & regni cælorum causa est mandatorum custodia, quemadmodum horum præuaricatio ignis æterni. Theodosius: Quid, inquit, affligeris hoc exilio? quod quædam hac calamitate digna perpetraris? At Maximus: Deum oro, vt hoc incommodo definiat eorum pœnas, quæ in eum deliqui transgressione iustissimorum mandatorum. Tum Theodosius: An non probationis causa multis calamitas infligitur?

Maximus: Probatio sanctorum est, vt perferendis incommodis vitæ hominum ostenda-
E tur eorum erga ea quæ natura honesta sunt amor, simul declarans ipsorum omnibus ignoratas virtutes, vt in Iob, & in Ioseph: nam ille ad demonstrandam occultam fortitudinem tentabatur: hic probabatur, vt sanctificans ostenderetur temperantia. Et quiuis sanctorum inuoluntarie in hoc sæculo afflictus, ob quamdam talem dispensationem affligebatur, vt per infirmitatem, quæ ipsis permittebatur inferri, superbum & apostatam conculcarent draconem, id est, diabolum. Patientia enim probationis opus est in vnoquoque sanctorum.

Theodosius vero: Per veritatem Dei, inquit, bene dixisti, & confiteor vtilitatem; ac vellem in talibus semper vobiscum loqui. Sed quoniam in aliud caput ego & domini mei magnificentissimi Patricij ad te venimus tanto locorum interuallo: rogamus te, vt quæ ad te afferimus, accipias, vniuersumq. terræ orbem lætifices. Cui Maximus: Quænam hæc sunt, domine? Et quis ego, aut vnde sum, vt assentiri ijs quæ promit- DE CAVSA IPSA AGERE INCIPIT THEODOSIVS.

tis,

tis, orbis lætitia sit? Per veritatem Domini nostri Iesu Christi, ait Theodosius, quæ A
tibi dico & domini mei magnificentissimi Pauricij, ex ore domini nostri Patriarchæ, ac
pij domini orbis terrarum audiuimus.

Tum Maximus: Iubete, domini mei, dicere quæ vultis, quæq. audistis. At Theodosius: Hortantur Imperator & Patriarcha, vt per nos a te discant, quam ob causam non communicas throno Constantinopoleos? Et Maximus: De hoc habetis scriptam procurationem a pijssimo Imperatore, aut a Patriarcha? Theodosius vero: Non debebat, ait, dominus meus nobis diffidere: quamuis enim humilis sim, tamen Episcopus sum, ac domini mei pars sunt Senatus: nec te venimus tentatum: ne permittat hoc Deus. Maximus: Quacumque ratione venistis ad seruum ipsius & vestrum: ego sine vlla tergiuersatione & sine dissimulatione dicam vobis causam. verumtamen quamuis aliorum esset percontari me, quam ob causam, non est vestrum, qui hanc magis nostis, quam ego. B

MAXIMVS RENVIT COMMVNICARE HAERETICIS.

Scitis enim factas innouationes a sexta Indictione præteriti circuli, quæ ab Alexandria inceperunt per expositionem nouem capitulorum a Cyro, qui nescio quo modo ibi Præsul fuit; quæ confirmata sunt a throno Constantinopolis: & alias mutationes, additiones, imminutiones synodice factas ab ijs qui præfuerunt Byzantiorum Ecclesiæ, Sergio, & Pyrrho, & Paulo: quas nouitates omnis nouit Ecclesia. Propter hanc causam non communico seruus vester Constantinopoleos Ecclesiæ. Tollantur offensiones positæ a præfatis viris cum illis qui eas posuerunt, sicut dixit Deus, & lapides de via disijcite, ac planam ac tritam ab omni hæresi liberam Euangelij viam incedite, & inueniam sicut erat, & ego inueniar vt fui; & incedo absque omni exhortatione humana. Quamdiu vero positis offensionibus, & ijs qui eas posuerunt, se venerabiles putant Præsules Constantinopoleos: nulla mihi ratio persuadet, nullus sermo, vt ijs aliquo modo communicem. C

MAXIMVS DETEGIT BLASPHEMIAS MONOTHELITARVM.

Ibi Theodosius: Quid, inquit, mali confitemur, vt a nostra communione te segreges? At Maximus: Quod vnam operationem dicentes diuinitatis & humanitatis Saluatoris nostri Iesu Christi, confunditis & Theologiæ & dispensationis verbum. Nam si credi oportet sanctis Patribus, dicentibus, quorum vna est operatio, eorum esse essentiam vnam; Quaternitatem facitis sanctam Trinitatem, quasi eius incarnatio fuerit Verbo connaturalis, ac discesserit a cognata secundum naturam identitate, quam nobiscum & cum sancta Dei genitrice habet. Rursum dum tollitis operationes, & sancitis vnam voluntatem diuinitatis ipsius atque humanitatis, detrahitis ei bonorum distributionem. Si enim operationem nullam habet, secundum eos qui id affirmarunt; videlicet quamuis velit, misereri non potest, derogata ei bonorum operatione: siquidem absque operatione & efficacia naturali, nulla res operari aut agere nata est. Ceterum & carnem facitis voluntate D
quidem opificem omnium sæculorum, omniumq. rerum vna cum Patre & Filio & Spiritu sancto, natura vero creatam, aut verius dicendo, voluntate expertem principij (siquidem diuina voluntas sine principio est, vt Deitate principium non habente) natura vero recentem. quod omnem non solum amentiam exuperat, sed etiam impietatem: non enim dicitis solum simpliciter vnam voluntatem, sed hanc diuinam. Diuinæ autem voluntatis nemo potest principium cogitare temporarium, aut finem; quandoquidem nec naturæ diuinæ, cuius est essentialis voluntas. Item aliam inducentes nouitatem, detrahitis omnino Christo omnes notas & characteres, quibus nos citamus diuinitatem eius & humanitatem, qui legibus ac typis sancitis, ne vna, neve duæ in eo voluntates aut operationes dicantur; quod est rei minime existentis. Entium enim nullum, siue intelligibile sit, caret volendi facultate & operatione; siue sensibile, operatione sensus; siue pror- E
sus inanimum & omnis expers vitæ, operatione quæ secundum habitum dicitur, & aptitudine: idq. ostendunt hæc omnia quæ sensibilia comprehendunt sensibus suis: eorum enim quæ sentiuntur, actus est, quod subijciuntur, visui quidem per propriam superficiem, auditui per sonum, olfactui per odorem quemdam innatum, gustatui quibusdam saporibus, tactui per renisum. Quemadmodum enim operationem dicimus visionis, videri aliquid; & cetera omnia eodem modo se habere perspicimus.

Si igitur nullum ens omni prorsus operatione vacuum est: Dominus autem ac Deus noster (propitius sis Domine) nullam habet naturalem voluntatem aut operationem in alterutro eorum, ex quibus & in quibus & quæ ipse est: quomodo possumus esse aut vocari Dei cultores, affirmantes nullo modo facultatem volendi aut operandi habere Deum, qui a nobis adoratur? Plane enim a sanctis Patribus docemur, dicentibus: Quod

enim

A enim nullam facultatem habet, id neque est, nec aliquid est, nec vlla eius omnino positio. Tum Theodosius, vtpote inopia laborans: At quod per dispensationem fit, inquit, noli accipere vt certum dogma; quemadmodum nunc qui a nobis prætenditur Typus dispensatorie factus est, non dogmatice.

Maximus vero: Si non est, inquit, certum dogma eorum qui suscipiunt Typum ac legem sancientem nullam dici Domini voluntatem aut operationem (quorum ablatio declarat nullam esse eius existentiam, cui hæc auferuntur) quam ob causam barbaris ac sine Deo gentibus vendidisti me sine pretio? Quamobrem damnatus sum incolatu Byziæ, & conserui mei alter Perbam, alter Mesembriam relegati?

At Theodosius: Per eum qui me examinaturus est, & cum factus est dixi, & nunc dico, male Typum factum esse, multorum malo & damno. Occasio autem & prætextus fuit, CVR TYPVS FACTVS.
B cur is exponeretur, Orthodoxorum de voluntatibus & operationibus contentio: atque vt omnes inter se pacem haberent, prospexerunt quidam, vt huiusmodi tacerentur voces. Beatus autem Maximus: Et quis, ait, fidelis dispensationem accipit seditione expellentem voces, quas magnus Christi Apostolus Paulus per epistolas iubet eloqui? Vide igitur, attrectatum hoc capitulum, in quod malum desinat. Si enim Deus [a] posuit in Ecclesia primum quidem Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores in consummationem sanctorum: qui dixit in Euangelio Apostolis [b], ac per ipsos eorum successoribus: Quod vobis dico, omnibus dico: ac rursum [c]: Qui recipit vos, me recipit: & qui vos spernit, me spernit: manifestum est & apertum, eum qui non accipit Apostolos & prophetas & doctores, sed eorum voces spernit, spernere ipsum Christum. [a] 1. Cor. 12. [b] Marc. 13. [c] Matth. 10.

Aliud quoque consideremus. Deus electos excitauit Apostolos & prophetas & do-
C ctores ad consummationem sanctorum: Diabolus vero pseudoapostolos & pseudoprophetas & falsos doctores eligens, contra pietatem excitauit, vt & vetus oppugnaretur lex & Euangelica. Falsos autem Apostolos & falsos prophetas & falsos doctores solos cogito hæreticos, quorum sermones & ratiocinationes peruersæ sunt. Quemadmodum igitur qui veros Apostolos & prophetas & doctores recipit, Christum recipit; sic etiam qui pseudoapostolos & pseudoprophetas & falsos doctores recipit, diabolum recipit. Quamobrem qui simul expellit sanctos cũ sceleſtis & impuris hæreticis, Deum dicentem, Accipite me veritatem, vna cum diabolo aperte condemnauit. Exercentes ergo & alentes factas nouitates nostris temporibus, quas comperimus ad hoc summum malum peruenire: videte ne quodammodo pacem obtendentes, defectione inueniamur laborare, eamq. prædicare, quam Antichristi aduentus præcursatricem fore dixit diuinus OPVS DEI QVALE, ET QVALE DIABOLI.
D Apostolus.

Hæc sine dissimulatione vobis dixi, domini mei, vt vobis ipsis ac nobis parcatis. Iubetis, vt cum hæc scripta habeam in libro cordis mei, intrem communicaturus ecclesiæ, MAXIMI CONCLVSIO.
vbi ista prædicantur, & fiam eorum particeps, qui re vera quidem Deum, in speciem vero diabolum cum Deo eijciunt? Hoc mihi non contingat a Deo, qui propter me, secundum me factus est absque peccato. Et βαλὼν μετάνοιαν, dixit: Si quid iubetis facere seruo vestro, facite: ego enim, qui ista recipiunt, numquam ero socius.]

Quod ad locum hunc Maximi pertinet, in Græcorum verborum interpretatione scito claros esse lapsos interpretes, Anastasium Perionium, Gentianum Heruetum, Godefridum Tilmannum, vel alios, dum eadem verba, siue apud Ioannem Damascenum, siue in Actione quarta secundi Nicæni Concilij ex ijsdem sancti Maximi Actis, siue in ver-
E sione Latina vitæ sancti Ioãnis Chrysostomi a Georgio Patriarcha Alexandrino conscriptæ, vel in Liturgia eiusdem sancti Ioannis Chrysostomi, vel alibi eodem ferme modo eadem verba exponunt, agere pœnitentiam, duci pœnitentia, mittere pœnitentiam, siue (vt Perionius transtulit) inijcere desiderium: quem corrigens Billius in scholio trigesimosecundo in primam orationem sancti Ioannis Damasceni de imaginibus, alios pariter interpretes errore lapsos emendat, dum sic habet:

Ioanni desiderium inijciens: Græce, βαλὼν μετάνοιαν τῷ Ἰωάννῃ. Quam quidem locutionem non satis intellexisse videtur interpres: βαλὼν enim μετάνοιαν, est honoris causa ad alicuius pedes se abijcere, ac venerabundo animo ante ipsum se prosternere, velutq. benedictionem ab eo poſtulare. In Græcorum Euchologio diaconus multis locis τῷ ἱερεῖ βάλλει μετανοίας, hoc est, pœnitentis in modum tertio ante ipsum se incuruat. Quin etiam in Græcorum historijs sacris, cum quispiam eximiæ sanctitatis viro obuius fiebat,

ipsi

ipsi βαλεῖν τὰ γόνατα dicebatur, id est, ad ipsius genua accidere. Eodem itaque modo A
hic quoque Proclus, cum D. Paulum sanctissimo suo magistro velut in aurem insusurrantem vidisset, admiratione perculsus, venerationis causa ante præceptorem suum sese incuruauit.] vt & hoc loco Maximus dicatur sese illis venerationis causa incuruasse, cum ea esset dicturus verba. Sed prosequamur cœptam collationem:

At illi ob hos sermones defixi, capitibus pronis in terram, diu silentium tenuerunt. Theodosius demum Episcopus oculos extollens,& Abbatem Maximum intuens: Nos quidem, inquit, spondemus pro domino nostro Imperatore, ab eo, si communicetis, Typum
REMEDIVM DOCET MAXIMVS. factum iri leuiorem. At Maximus: Admodum, inquit, differt inter nos: longe inuicem absumus. Quid facimus de voce vnius voluntatis synodaliter confirmata ad reijciendam omnem operationem, sub Sergio, & Pyrrho, & Paulo? Cui Theodosius: Illa charta deposita est & abiecta. Deposita est (ait Maximus) e tabulis lapideis, non e tabulis B
mentis. Assentiantur etiam damnationi Romæ synodice expositæ pijs dogmatibus & regulis: & medius paries solutus est, nec adhortatione indigemus.

Tum Theodosius: Non est valida Synodus habita Romæ, quæ Imperatoris facta sit iniussu. At Maximus: Si Synodos factas Regum imperia firmant, non pia fides: recipe Synodos quæ contra Homousion sunt habitæ Imperatorum iussu, nempe primam quæ
SYNODI QVAE DAMNATAE IN ECCL. Tyri, alteram quæ Antiochiæ, tertiam quæ Selcuciæ, quartam quæ Constantinopoli sub Eudoxio Ariano, quintam quæ Nicææ Thraciæ, sextam quæ Sirmij, ac multis post temporibus septimam quæ Ephesi, cuius princeps Dioscorus fuit: nam has omnes iussa Imperatorum congregarunt: attamen damnatæ sunt omnes, propterea quod sancita in illis dogmata, sine Deo facta, Deo aduersabantur. Cur autem eam non repudiatis,quæ Paulum Samosatensem deposuit, habita sub sanctis & beatis Dionysio Papa Romæ, & C
Dionysio Alexandriæ, & Gregorio Thaumaturgo, qui eius Synodi princeps fuit; quia
SYNODI QVAE PROBATAE. iussu Imperatoris facta non est? Illas nouit probas & sanctas Synodos pius Ecclesiæ canon, quas rectitudo dogmatum probauit. Et sane (vt nouit dominus meus & alios docet) bis in anno Synodos in vnaquaque prouincia fieri, canon iubet, iussionis regiæ nulla mentione facta: idq. ad munimentum salutaris nostræ fidei, & emendationem eorum quæ pertinent ad id quod diuinum Ecclesiæ caput est.

* Mennæ MENNAE LIBELLVS HAERETICVS. Theodosius autem: Vt dicis, ita est. Verumtamen non recipis libellum Menæ*, quo vnam voluntatem & vnam operationem Christi dogmatizauit? Et Maximus: Ne det hoc Dominus Deus. Vos non recipitis, sed reijcitis omnes doctores, qui post sanctam Chalcedone habitam Synodum contra Seueri nefariam hæresim decertarunt: & ego habeo recipere libellum Menæ post Synodum factum, quo aperte Seuero patrocinatur, & A- D
pollinario, & Macedonio, & Ario, & omni hæresi; & ijs quæ dogmatizauit, dicit contra Synodum, vel potius eam omnino aspernatur?

Theodosius: Quid igitur (ait) non recipis vnam operationem lectissimorum doctoHAERETICI FALSA SCRIPTA SS. PATRVM SVPPONVNT. rum? Et produxit Theodosius eas, quæ falso nomine ab eis afferuntur, vt Iulij Romæ, & Thaumaturgi Gregorij, & Athanasij, sanctorum auctoritates, & eas recitauit. Dixit vero Maximus: Metuamus sane Deum, & nolimus eum ad iracundiam prouocare, has proferendo hæreticas auctoritates: nemo enim ignorat, has esse impij Apollinarij. Si quidem alias habes, ostende: nam has afferentes, amplius omnibus persuadetis, vos re vera Apollinarij, & eorum qui cum eo sentiunt, malitiam renouasse. Et affert alia duo testimonia, nomine veluti Chrysostomi. Quæ cum legisset Abbas Maximus, ait: Hæc Nestorij sunt, qui de Christo laborauit morbo personalis dualitatis. Ac statim ira efferue- E
scens Theodosius dixit: Domne monache, Satanas locutus est per frenum tuum, *os scilicet, nam labia & dentes frenum sunt linguæ.* Tum Maximus: Ne, quæso, indoluerit dominus meus ad seruum suum. Ac statim in manus sumens, ostendit ei has voces esse NestoMAXIMVS DETEGIT IMPOSTVRAM. rij, & quibus in sermonibus eæ sitæ essent. Theodosius vero: Deus nouit, frater: auctoritates has Patriarcha mihi dedit: verumtamen ecce alias dixisti Apollinaris, alias Nestorij. Et producens sancti Cyrilli auctoritatem, quæ diceret, Vnam & congenerem per ambo ostendens operationem, ait: Quid ad hæc dicis?

At Maximus: Nonnulli, inquit, ostenderunt, eam re vera additam esse interpretationi Euangelij ab hoc sancto Patre factæ,a Timotheo Aeluro. Sit vero,secundū vos,eius: expendamus igitur sententiam vocum Patrum,& intelligemus veritatem. Theodosius vero: Non concedo vt hoc fiat: necesse enim habes, voces simplices accipere. Et Maximus:

Dic

A Dic mihi, quæso, quid differant simplices voces a varijs? Theodosius: Vt vocem, sicuti est, accipias: noli scrutari eius sententiam. Maximus: Aperte nouas, peregrinas, alienasq. ab Ecclesia de vocibus leges inducitis. Si secundum vos non oportet scrutari voces Scripturarum & Patrum, reijcimus omnem Scripturam veterem & nouam. Audiui enim dicentem Dauid [a]: Beati qui scrutantur testimonia tua, & in toto corde exquirunt ea: quod nemo sine scrutatione possit Deum acquirere. Et rursum [b]: Da mihi intellectũ, & scrutabor legem tuam, & custodiã illam in toto corde meo: vt scrutatione ducente ad cognitionem legis, & cognitione per desideriũ suadente sanctis ex corde eum custodire, sancta mandata implendo, quæ in ea sunt posita. Et rursum [c]: Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Quid autem? parabolas & ænigmata & obscuros sermones scrutari non vult prouerbialis sermo? Quid Dominus in parabolis loquens vult intelligere & considerare
B discipulos suos, docens parabolarum sententiam? Quid vero? imperans [d]: Scrutamini scripturas, vt testimonium perhibentes de ipso. Quid Apostolorum primus Petrus docere vult, dicens [e]: De qua salute exquisierunt & scrutati sunt prophetæ? Quid Paulus diuinus Apostolus, dicens [f]: Si opertum est Euangelium, in ijs qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius sæculi excæcauit corda & oculos mentis ipsorum, vt non fulgeat illis illuminatio scientiæ Dei. verisimile est velle non similes nos Iudæorum esse, qui in simplicibus vocibus (vt appellatis) hoc est in sola littera, vt in quadam magna strue, obruentes sententiam, a veritate exciderunt, velamen habentes in corde suo, ne intelligant spiritum Domini occultatum in littera: de quo ait [g]: Littera occidit, spiritus autem viuificat. Satis habet dominus meus, qui non sustineam vocem recipere sine ea quæ ipsi inest sententia, ne manifeste sim Iudæus.

SCRIPTVRAE DIVINAE SCRVTANDAE

a *Psal.* 118.
b *Ibid.*
c *Ibid.*
d *Ioan.* 5.
e 1. *Petr.* 1.
f 2. *Cor.* 4.
g 2. *Cor.* 3.

C Ibi vero Theodosius: Vnam, inquit, operationem Christi hypostaticam debemus dicere. At Maximus: Videamus quid mali ex eo nascatur, & fugiamus peregrinam hanc vocem: hæc enim est solum hæreticorum, qui plures deos inducunt. Nam si hypostaticam Christi dicimus vnam operationem, Verbum autem non conuenit secundum hypostasim Patri & Spiritui, ac videlicet ne secundum hypostaticam quidem operationem; cogimur autem vt Filio, ita & Patri & Spiritui hypostaticas operationes tribuere: secundum vos quatuor operationes habebit beata Deitas; tres, quæ determinant personas, in quibus est; & vnam communem, quæ significet communionem secundum naturam trium hypostaseon: Ac secundum Patres (siquidem eorum doctrinam accipimus) morbum contrahemus opinionis quatuor deorum: naturalem enim, non hypostaticam omnem operationem esse dicunt. Quod si hoc verum est, vt sane est, demonstrabitur nos dicere quaD tuor naturas & quatuor deos inter se hypostasi & natura differentes. Et tamen quis vmquam dixit aut contemplatus est propriam operationem cuiusuis earum rerum, quæ sub aliquam speciem reducuntur, & quæ natura sub communem definitionem speciei ponuntur? Numquam enim quod natura commune est, alicuius vnius & solius proprium est: nam hypostatica signacula, quæ personam designant, vt aduncus nasus, aut simus, aut glaucus color, determinandi vim habent numero inter se differentia & maxime propria, & distinguuntur ab ijs quæ communia sunt & communiter dicuntur, vt animal rationale mortale, quod est eius rationis, quæ generalis est: omnes enim eiusdem vitæ participes sumus & rationabilitatis, fluxus, defluxus, sedendi, standi, loquendi, tacendi, & videndi, & audiendi, & tangendi, quæ eius rationis sunt quæ communiter in nobis consideratur. Quamobrem ea vox innouanda non est, quæ vim nullam habet, quæq. nec a Scriptura
E est, nec a Patribus, sed peregrinam existimare debemus ac peruersitate inuentam. eam sane ostende mihi positam apud quemuis Patrem, ac rursus quæramus sententiam eius qui eam dixerit.

QVATERNITAS INTRODVCITVR A MONOTHELITIS.

Quid igitur? ait Theodosius, nullo modo in Christo vnam operationem dici oportet? Et Maximus: A sacra Scriptura & sanctis Patribus nihil huiusmodi dicendum accepimus: sed quemadmodum duas Christi naturas, ex quibus est, ita & naturales eius voluntates & operationes conuenientes ei qui natura Deus & homo est, credere & confiteri, nobis permissum est. At Theodosius: Sic & nos confitemur & naturas & differentes operationes, id est, diuinam & humanam, ac eius diuinitatem volendi vim habentem, itidemq. humanitatem; quandoquidem sine voluntate anima eius non erat: duas vero nescimus, ne eum secum pugnantem inducamus. Tum Maximus: Cur igitur numerus naturis assignatus non diuidit; cum vero in voluntatibus & operationibus dicitur, vim diuidendi

FALLACIBVS CAPTIONIBVS IMPLICATVR HAERETICVS.

dendi habet? Theodosius: In his omnino habet diuisionem: nec Patres numerum in voluntatibus & operationibus dixerunt, diuisionem fugientes; sed aliam & aliam, diuinam & humanam, duplicem, vt ipsi dixerunt, & dico & testificor. A

STVLTA POSITIO CONFVTATVR.

Cui Maximus: Per Deum, si quis tibi dicat, aliam & aliam: quot intelligis? Theodosius vero: Scio, inquit, quomodo intelligam: duas vero non dico. Tunc conuersus Abbas Maximus ad principes, dixit: Per Dominum, si audietis vnam & vnam, aut bis duo, aut bis quinque: quid intelligentes respondetis ita dicentibus? Et dixerunt: Quoniam adiurasti nos: Vnam & vnam, duas intelligimus: duas quoque, aliam & aliam: bis duo, quatuor: bis quinque, decem. Et quasi verecundus Theodosius illorum responso, dixit: Quod a Patribus dictum non est, non dico.

Et confestim sumens Abbas Maximus librum gestorum sanctæ & Apostolicæ Synodi Romanæ, ostendit Patres, qui aperte dicerent duas Saluatoris nostri Iesu Christi voluntates & operationes. Quem librum ab eo Theodosius Consul accipiens, omnes sanctorum B

CEDIT VERITATI THEODOSIVS EPISC.

Patrum auctoritates legit. Tum respondens Theodosius Episcopus dixit: Nouit Deus: nisi personaliter anathema Synodus illa posuisset, eam magis quam quisquam alius reciperem. Verum ne tempus teramus hic, si quid dixerunt Patres, dico, & statim scripto facio duas voluntates, duasq. operationes. Accede ad nos, communica, & fit vnio.

ROM. ECCL. RECONCILIAT HAERETICOS POENITENTES

Ibi Maximus: Non audeo, inquit, domine, tali de re scriptam assensionem a vobis accipere: nudus sum & merus monachus. Sed quoniam Deus vos compunxit, vt sanctorum Patrum voces reciperetis (sicut canon requirit) ad Præsulem Romæ de hoc scriptum mittite, siue Imperator, & Patriarcha cum Synodo sua. Nam ego non communico, ne si hæc quidem fiant, cum in sancta oblatione offerantur anathematizati: metuo enim iudicium anathematis.] hæc idcirco Maximus, quod ab Apostolica sede excommunicatis C nemo communicare debet, nisi ab ea prius fuerint absoluti: alioqui eamdem anathematis sententiam ipsi communicantes subeant. Ad hæc Theodosius: Non condemno te metuentem, sed nec quisquam alius: sed consilium nobis da per Dominum, si hoc fieri potest.

CONSILIVM MAXIMI SECVNDVM CANONES.

Et Maximus: Quod consilium vobis de hoc dare possum? Ite, palpate si quid huiusmodi vmquam factum est, ac post mortem quis crimine circa fidem est absolutus: & hoc suscipiat Imperator atque Patriarcha, vt imitentur Dei condescensionem: ac ille, *nempe Imperator*, Iussum hortatorium, Ectheſin vulgo dictam; hic, *nempe Patriarcha*, Synodicam ad Papam Romæ mittant. Et omnino si inueniatur Typus Ecclesiasticus hoc permittens, propter rectam confessionem fidei conuenit nobis de hoc.] hæc quidē Maximus, eo quod eodem anathemate aduersus Monothelitas Romæ in Synodo promulgato, tum Imperator qui Ectheſin promulgasset, tū Patriarchæ Constātinopolitani eius defensores hæresis per- D culsi fuissent; quos absolui post mortē, quod in eodē errore & anathemate defuncti essent, non liceret. opus autē esse, si ipsi vellent absolui, ad sedem Apostolicam se conferre. His nāque persuasus Theodosius ostenditur ex ijs quæ sequuntur in ijsdē Actis, in quibus ita:

Ac Theodosius: Hoc omnino fit. Sed da mihi verbum; si mittar, mecum venire. Maximus: Tibi confert, domine, conseruum meum, qui Mesembriæ est, tecum ducere, quam me: nam & ille linguam nouit, & eum digne reuerentur, qui tamdiu iam punitur propter Deum & rectam fidem quæ in illo throno est. Theodosius vero: Certamina varia inter nos fuere, nec libenter cum illo proficiscor. Tum Maximus: Quia, domine, ita fieri visum est, placitorum euentus fiat: & quo iubetis, vos sequor. Postea surrexere omnes cum lætitiæ lacrymis, & humili reuerentia inclinarunt sibi inuicem: & ora-

IVRAMENTO STABILITA CONCORDIA.

tio facta est. Et vnusquisque eorum sancta Euangelia, & pretiosam Crucem, & imagi- E nem Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi & genitricis eius dominæ nostræ Deiparæ salutarunt, & proprias manus posuerunt ad dictorum confirmationem.] Locus iste citatus reperitur in sancta Synodo Nicæna secunda ab Euthymio Sardensi Episcopo, lectusq. est a Ioanne Notario, hoc titulo[a]: Ex dogmatibus, quæ agitata sunt inter piæ memoriæ Maximum, & Theodosium Episcopum Cæsareæ quæ est in Bithynia, eiusq. assecias.] sed male ibi, loco mutuæ reuerentiæ, pœnitentia facta ponitur, vt superius ex Billio correctum est. Lecto citato loco ad confirmationem venerandi cultus sacrarum imaginum, hæc tunc addita sunt ex ijs quæ & inferius in eodem codice scripta leguntur:

[a] *Concil. Nic. 2. Act. 4.*

Conuersus autem ad Episcopum Abbas Maximus, cum lacrymis eum sic affatus est: Magnus Dominus: Diem iudicij omnes expectamus. Nouisti quæ sancita sunt per sancta Euangelia, viuificamq. Crucem, necnon imaginem Dei Saluatoris nostri, ipsiusq.

san-

A ſanctam ſemper Virginem matrem. His lectis, Conſtantinus ſanctiſſimus Epiſcopus Cypri dixit: Verbum hoc, Salutarunt, hoc loco ſanctus pater ſumpſit pro, Adorarunt. Siquidem ſanctum Euangelium & viuificam Crucem ipſe adorauit, deinde imagines venerandas Saluatoris & inculpatæ eius matris.] lecta iterum eadem verba ſunt ex alio codice, quem attulerat Petrus Epiſcopus Nicomediæ. Quibus lectis, de eodem ſancto Maximo hæc idem Petrus: Neque enim vulgaris vir qui hoc fecit, ſed Maximus Dei philoſophus & cũ Patribus certans, *vtpote non illis impar*, quinetiam confeſſor & veritatis propugnator. Sufficiat igitur nobis, vt in ſalutando venerandas imagines, illum ſequamur.] hæc ex Concilij Actis. Proſequamur reliqua inter Maximum atque Theodoſium tunc geſta, quæ ſic ſe habent:

Deinde cum inter ſe pauliſper ſermonem habuiſſent de vita ſecundum Deum, ac de di-
B uinorum mandatorum obſeruatione: conuerſus Theodoſius ad Abbatẽ Maximum, dixit: Ecce ſublata ſunt omnia ſcandala, & facta eſt pax per Deum, & fiet. Sed per Dominum ne celes me: Nullo modo dicis vnam voluntatem & vnam operationem in Chriſto? At Maximus: Non capit me hoc vmquam dicere. Et dico cauſam: Quia peregrina hæc eſt ſanctis Patribus vox, duarum differentium naturarum vnam voluntatem & operationem. Deinde vero, & omnimodo qui hoc dicit, inuenit ex aduerſo abſurditatẽ ſibi occurrentem.

Primum enim, ſi dicã naturalẽ, timeo confuſionem. Secundo, ſi hypoſtaticam, diuido a Patre & Spiritu Filiũ, ac tres voluntates videbor inducere nõ conuenientes inter ſe, quemadmodũ & hypoſtaſes. Tertio, ſi dicam vt vnius vnam voluntatem & operationẽ, cogor & vt vnius Patris, & vt vnius Spiritus dicere, tametſi nolim, vnã voluntatẽ & operationem; ac ſermo incidere inuenietur in multos deos. Quarto, ſi dicam per cognationem ac neceſ-
C ſitudinem & amicitiam relatiuam, Neſtorij perſonalem diuiſionem induco. Quinto, ſi dicam, præter naturam, corrumpo exiſtentiam volentis: naturæ enim corruptela eſt, quod eſt contra naturam, ſicut Patres dixerunt. Ibi Theodoſius: Vnam propter vnionem, inquit, Saluatoris noſtri voluntatem omnimodis debemus dicere, quemadmodum Pyrrhus & Sergius pulchre (vt arbitror) intelligentes ſcripſerunt.

QVOT ABSVRDA CONTINEAT MONOTHILITARVM HAERESIS.

Et Maximus: Si propter vnionem vna Dei & Saluatoris noſtri (vt Pyrrhus & Sergius & Paulus ſcripſerunt) facta eſt voluntas: primo alterius voluntatis, ſecundum eos, Filius erit, quã Pater, qui propter naturã voluntatem habet, non propter vnionẽ, quæ in Filio: quandoquidẽ non idẽ eſt vnio & natura. Item ſecundo, ſi propter vnionẽ vna, ſecundũ eos, Saluatoris noſtri facta eſt voluntas: cauſam eius habebit omnino vnionem, neutram vero earum, ex quibus eſt, naturarum: & amicitiæ & familiaritatis relationis, ſecundum eos, aperte
D erit voluntas, non naturæ: naturam enim, non relationem veritatis nouit ſermo. Tertio, ſi propter adunationem (vt dicitis) vna Saluatoris facta eſt voluntas: qua voluntate aiunt ipſam factam eſſe vnitionem? Non enim (ſi veritas ijs eſt curæ, & volunt effugere quod præter rationem eſt) dixerint, ea quæ per ipſum eſt facta. Quarto, ſi propter vnitionem vna Saluatoris facta voluntas eſt: ante vnitionem videlicet aut multas voluntates habebat, aut penitus nullam. Ac ſi quidem multas habebat, diminutionem multarum ſubijt, in vnam contractus voluntatem; & conuerſionis aperte recepit paſſionem, imminutionem nempe multarum voluntatum, quæ ei naturaliter inerant. Sin erat abſque voluntate, potiorem quam naturam oſtendit vnionem eſſe, ex qua voluntatem adeptus eſt, cuius natura erat indigens: ac rurſum conuertibilis apparuit, relatione id conſecutus, quod per naturam non inerat. Quinto, ſi propter vnionem, Saluatoris noſtri voluntas facta eſt vna,
E ſecundum vtrũque eorum ex quibus eſt: fuit Deus voluntate recens, idem propter vnionem natura manens æternus, ac homo voluntate expers principij, manens ſecundum naturam recens: quod impoſſibile eſt, ne dicã impium. Sexto, ſi ob vnionem facta eſt naturarum voluntas vna: cur eamdem ob cauſam, naturarum facta non eſt vna natura?

ALIA ABSVRDA.

Interpellans autem longiorem horum progreſſum Theodoſius Epiſcopus, dixit: Quid igitur propter vnitionem factum eſt, ſi ob eam nihil horum fuit? Maximus vero: Oſtendit eum, inquit, qui ſine carne erat, veraciter fuiſſe in carne: eum, qui natura Deus erat, & omnium opifex, præbuit aperte natura hominem factum, non conuerſione naturæ, aut diminutione vllius eorum quæ naturæ erant, ſed vera aſſumptione carnis intelligenter animatæ, ſiue indeficientis humanitatis, omni perpurgans contracto ſecundum naturam crimine primorum parentum: & ratione mutuæ connexionis, admirabilem vere rem ac ſtupendã fecit, totum inter homines Deũ, eumdem integrum manentem in proprijs, eumdem totũ in diuinis hominem, totum manentem in proprijs, nec ijs excidentem. Cõmea-

tus enim & cõmercium naturarũ inter ipſas,& naturaliũ quæ ijs inſunt,ex Deiloqua Patrũ A
noſtrorum doctrina, non tranſitio ob vnionem, nec mutatio facta eſt; quod propriũ eſt eorum,qui veritatem interpolantes, vnitionem faciunt confuſionem, ac idcirco multimodis verſantur in nouitatibus, ac propter inopiam ſtabilitatis rationis ſuæ pios perſequuntur.

Hæc cum audiſſet Theodoſius Epiſcopus, viſus eſt cum ceteris qui cum eo aderant, ea probare: rurſumq. ad Sanctum dixit: Fac charitatem: Quid illud eſt, quod nobis dixiſti, neminem ſecundum hypoſtaſim operari, ſed operari vnumquemque ſecundum naturam: mihi enim illud, propterea quod non intellexerim, officit. Et Maximus: Non operatur quiſquam ſecundum hypoſtaſim, ſed ſecundum naturam: vt Petrus & Paulus aliquid faciunt, ſed non Petrice & Paulice,verum humanitus: ambo enim naturaliter homines iuxta communem ex definitione comprehenſam rationem naturæ, at non hypoſtatice iuxta id quod proprie quale eſt. Eodemq. modo Michael & Gabriel ſunt in opere, B
ſed non Michaelice aut Gabrielice, ſed Angelice; ambo enim Angeli. Sicq. in omni natura, quæ multo numero prædicatur, communem intuemur, non ſingularem operationem. Quamobrem qui hypoſtaticam & perſonalem operationem dicit, inducit ipſam naturam, quæ vna eſt, factam eſſe operationibus infinitam & a ſe ipſa differentem ſecundum multitudinem indiuiduorum, quæ ſub ipſam reducuntur. Quod ſi pulchre ſe habere accipiemus, in omni natura rationem, quomodo ea eſt, corrumpimus.

RVRSVS VRGET QVAESTIONIBVS THEODOSIVS.

Poſt hunc ſermonem, cum inter ſe conſultaſſent, dixit Theodoſius Conſularis*: Ecce bene omnia proceſſerunt. An in ſe recipiet Imperator, vt Iuſſum faciat adhortationis? Dicit vero Abbas Maximus: Omnino, ſi velit imitator Dei eſſe, ac ſe cum ipſo humiliare, communis noſtræ ſalutis cauſa, ſicq. cogitare. Siquidem Deus,qui natura ſaluat, non ſaluauit,quoad humiliatus eſt volens: quomodo qui natura ſaluatur homo,aut ſaluus erit, C
aut alijs ſalutem afferet, niſi humilietur? Tum Theodoſius Conſul: Spero, inquit, Deo meam conſeruante memoriam, ei cum hoc dixerim, perſuaſum iri. Poſtea inter ſe ſalutarunt, & abierunt in pace.] Hæc autem quæ ſequuntur, in alio codice ſcriptorum Maximi itidem in Vaticana bibliotheca exiſtente leguntur, his verbis:

* Conſul

DE VOLVNTATE IMP. DVBITATIO.

Cum religioſus vir omnes Theodoſij Epiſcopi in ſermonibus & ratiocinationibus obiectiones facile euertiſſet: tandem hic feſſus,qui nihil in præſentia haberet quod reſponderet, alia ratione Sanctum abſtrahere conatur, & amicius cum eo loquitur; ſe ipſum quoque velle omnia de medio ſcandala & offendicula auferri,priſtinamq.pacẽ reddi Eccleſiæ: Quæ res, inquit, aliter non fiet, niſi ad eos qui Romæ ſunt iam proficiſcamur, & ad conditiones reconciliationemq. eos prouocemus, vnum videlicet cum ipſis & ſpirantes & ſentientes. Quare Sanctus ille bono animo magis eſſe cœpit: vixq. dici poteſt, quomodo D
ad hæc fuerit affectus, quibusq. laudibus ei qui ſic locutus eſſet, reſponderit. Qui ſane cum ita corpore affecto eſſet, ac exercitijs monaſticis, ſenectaq. afflicto: tamen prompto animo parabat ſe,vt Romam rurſus contenderet, & vna cum illis ea quæ in rem eſſent atque vtilia conficeret: Modo, inquit, res hæc ſit, non ſermo fruſtra habitus.

MAXIMVS ROMAM IRE CVM THEODOSIO POLLICETVR.

Cum vero Theodoſius iureiurando dicta firmaſſet, & inuiolabilia Euangelia manibus contigiſſet: quamuis vir non intelligens, horum nihil ſeruarit, vtpote eorum voluntate qui rerum potiebantur, attractus: magis ac magis religioſus vir bonum animum ſuſcipiebat, ſe totum ad iter intendens, eaq. ſpectans quæ eſſent cum ipſis, tum qui Romæ erant, profutura. Inde igitur diſceſſurus Theodoſius,vt cũ ijs qui in vrbe regia erant,de his communicaret: ſalutatione virũ religioſum rurſum excipit,dexteraq. data,& ei donata tunica linea & fuſco pallio, Byzantium reuertitur vna cum duobus Conſulibus eius comitibus.] E

LEGATI REDEVNT CONSTANTINOPOLIM.

At quid poſt hæc? Reuerſi Conſtantinopolim qui miſſi fuerant ab Imperatore, omnia retulerunt quæ cum Maximo geſta eſſent, & quomodo veritate victi manus dediſſent. Quibus acceptis Imperator magnopere commotus eſt, ac tantum abfuit vt pactis ab ipſis conuentis ſtaret, & Romanæ fidei acquieſceret, pacemq. in Eccleſia reſtitueret,vt iterum vnum ex ipſis, Paulum videlicet,Byziam mitteret, qui Maximum Conſtantinopolim perduceret. Quæ autem cum eo acta ſint, vbi Conſtantinopolim perductus eſt, eadem Acta ſignificant, dum inſtitutam de his narrationem ita proſequuntur:

Poſtea octauo die menſis Septembris præſentis decimæquintæ Indictionis (*ita auctor cunctis præſens quæ agebantur, ſcribensq. ſingula*) contulit ſe rurſum Paulus Conſul Byziam ad Abbatem Maximum, mandatum afferens hac formula:

Iubemus gloriam tuam Byziam proficiſci, Maximumq. monachũ adducere cum multo honore ac veneratione propter ſenium & imbecillitatem, atque vt amicum & familiarem

maiorum

A maiorum meorum, a quibus in honore est habitus; eumq. collocare in religioso monasterio S. Theodori, quod prope Rhegium positum est; ac venire, nosq. certiores facere: & mittimus ad eum ex persona nostra duos Patricios, vt cum illo loquantur, nobis ex animo amicos, quiq. a nobis diliguntur.] hucusque mandatũ Principis Paulo Consuli oblatum. Pergit vero auctor: Adductum itaque eum Consul in eo monasterio deposuit: venitq. ad Imperatorem, vt id renunciaret. Veniunt ad eum postridie Epiphanius & Troilus, ambo Patricij cum multo comitatu ac fastu & ostentatione, item Theodosius Episcopus, quem & Sanctus præstolabatur, quæq. dicta erant, confirmaturum sperabat: nec enim illius subdolum obscurumq. animum deprehenderat vir mentẽ doli in primis expertem gerens. Is in illius mansionis Catechumenio, *nempe vbi catechumeni instrui solerent*, erat. Ipsi consueta salutatione facta, consederunt, vim ei adhibentes vt sederet.

S. MAXIMVS ITERVM REVOCATVS.

B Sermonis vero cum eo initium faciens Troilus, dixit: Orbis dominus nos ad te esse iussit, ac dicere quæ eius Imperio a Deo stabilito placuissent. Sed nobis primum dic: Imperata facies, an non? Dixit Maximus: Audiam, domine, quid iusserit pium eius Imperium: ac tibi respondebo quæ oportet. Nam ad id quod mihi ignoratur, quod responsum habeo dare? Troilus autem perseuerauit, ac dixit: Non dicimus quid afferamus, nisi prius responderis, vtrum Imperatori obtemperes. Vt vidit religiosus vir eos amplius vrgere in eius mora, & infestius aspicere, & respondere asperius cum omnibus comitibus, qui & ipsi elati erant sæcularium honorum dignitate; respondit: Quandoquidem non sustinetis dicere seruo vestro, quæ domino nostro Imperatori placita sunt: en dico, audiente Deo & sanctis Angelis ac vobis omnibus, me, quicquid iusserit, quod cum hoc sæculo dissoluatur & vna corrumpatur, libenter facturum.

TROILVS STVLTE MAXIMVM INTERPELLAT.

C Statim consurgens Troilus exijt, ac dixit: Orate mihi: ego abeo: hic enim nihil facit. Cum tumultus exortus esset, magnæq. turbæ atque confusio, dixit eis Theodosius Episcopus: Edicite ei Imperatoris iussa, & cognoscite quid loquatur: nec enim rationi consentaneum est, nulla re dicta, nulla audita, abire nos. Tum Epiphanius Patricius dixit: Hoc Imperator per nos tibi denunciat, ac dicit: Quoniam totus Occidens, quiq. sunt in Oriente, peruersitate ducti, ad te respiciunt, ac propter te omnes seditionem concitant, cum nolint se nobiscum in fide coniungere: vt te compungat Deus, quo nobiscum communices super a nobis exposito Typo. Ac nos vltro imus in Chalcen, teq. consalutamus, supponimusq. vobis manũ nostram, ac vos cum magno honore & gloria in magnam ecclesiã inducimus, statuimusq. nobiscum, vbi de more Reges stant: facimus vna tecum Synaxim, & vna communicamus puris ac viuificis mysterijs viuifici corporis & sanguinis Christi; teq. prædica-

MAGNVM NOMEN MAXIMI IN ORIENTE ET OCCIDENTE.

D mus ac declaramus nostrũ Patrem: & gaudium erit non solum in nostra Christũ diligente vrbe, sed etiã in vniuerso orbe terrarum. Certo enim scimus fore, vt si sancto huic throno cõmunices, se nobis omnes adiungant, qui propter te tuãq. doctrinã se a nobis absciderunt.

Conuersus vero ad Episcopum Abbas Maximus cum lacrymis dixit: Magnum, domine, iudicij diem expectamus omnes: Nosti quæ constituta sint & placita super sanctis Euangelijs, & viuifica Cruce, & imagine Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi & eius genitricis sanctissimæ Deiparæ ac perpetuæ Virginis Mariæ. Episcopus, vultu in terram demisso, leniori voce respondet: Et quid possum facere, cum aliud visum sit pijssimo Imperatori? Cui Abbas Maximus: Cur, inquit, tetigisti sancta Euangelia, & qui tecum erant, cum in vobis situs non esset dictorum euentus? Re vera, omnis cæli virtus non persuadet mihi, vt hoc faciam. Quam enim defensionem afferam, non dico Deo, sed conscientiæ meæ, si

EXPROBRAT EPISCOPO MAXIMVS IVRAMENTVM.

E propter gloriam & existimationem humanam, quæ ex sui ratione nullam existentiam habet, eiurauerim fidem, quæ ipsam diligentes saluat?

His dictis, consurrexere omnes, & iracundia ducti, eum crebris vellicationibus, pulsando, vexando, debilitarunt, a capite ad vngues vsque spuris inundantes, e quibus tetrum exhalabatur cœnum, quibusq. vestis eius tota impleta est. Exurgens autem Episcopus, dixit: Non sic fieri oportuit, sed tantum ex eo responsum audire, & renunciare domino Imperatori: res enim quæ ex canonibus pendent, alio modo administrantur. Ac vix persuasit eis Episcopus, vt quiescerent, & rursum sederent. Cum igitur eum innumeris contumelijs ac inexcogitabilibus diris fugillassent, omiserunt.

IMPIE ET ILLIBERALITER NIMIS TRACTATVR S. MAXIMVS.

Tum multa asperitate Epiphanius dixit: Dic, pessime vetule, helluo: vt nos pro hæreticis habens & ciuitatem nostram & Imperatorem, hæc dixisti. Vere magis quam tu, Christiani sumus & Orthodoxi: ac Dominum nostrum Iesum Chri-

NEGANT SE ESSE HAERETICOS MONOTHELITAE.

stum fatemur habere tum diuinam voluntatem, tum humanam: nam omnis natura mentem habens, omnino & voluntatem a natura habet & operationem: quandoquidem vitæ proprium est motus, ac mentis proprium est voluntas. Ac nouimus ipsum volendi facultatem habere non diuinitate solum, sed etiam humanitate: quinetiam duas eius voluntates & operationes non negamus. A

CONFITENDA APERTA VOCE FIDES CATHOLICA.

Respondit vero Abbas Maximus: Si ita creditis, vt & intellectuales naturæ & Ecclesia Dei; cur me cogitis communicare Typo, qui hæc penitus tollat, quæ etiam nunc confessi estis? Ibi Epiphanius: Hoc, inquit, per dispensationem factum est, ne læderentur populi subtilioribus huiusmodi vocibus. At Abbas Maximus: Contra, omnis sanctificatur homo accurata fidei confessione. Troilus: Et in palatio tibi dixi: non sublatum hoc, sed iussum esse sileri, vt omnes pacem tueremur. Et Abbas Maximus: Tacere sermonem, est eum tollere: nam per prophetam dicit Spiritus sanctus [a]: Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Quamobrem qui non dicitur sermo, omnino non est. Troilus vero: Habe in corde tuo vt vis: nemo te prohibet. Maximus: At vniuersam salutem in corde non definiuit Deus, qui dixit [b]: Qui me non confitetur coram hominibus, nec ego confitebor eum coram Patre meo, qui in cælis est. ac diuinus Apostolus docet, dicens [c]: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Si igitur Deus, & Dei prophetæ, & Apostoli iubent confiteri mysterium vocibus sanctum & magnum & tremendum totius mundi salutare: nullo modo vtile est silentium eius vocis præcipi, quæ mysterium hoc prædicet, ne tacentium hominum salus minuatur. B

a *Psal.* 18.

b *Matth.* 10.

c *Rom.* 10.

EPIPHANII COMMINATIONES.

Respondens asperrimo sermone Epiphanius, dixit: Subscripsisti in libello? *anathematis scilicet aduersus Monothelitas*. Et Maximus: Subscripsi. Et quomodo (inquit Epiphanius) ausus es subscribere, atque anathematizare confitentes & credentes vt intellectuales naturæ & Catholica Ecclesia? Re vera, meo iudicio, inducemus te in vrbem, & sistemus in foro vinctum, & mimos mimasq. ac prostibula inferemus & vniuersam plebem, vt omnes te colaphis cædant, & conspuant tuum os. Ad hæc Sanctus respondens, dixit: Sicut dixisti, fiat, si eos qui confitentur duas naturas ex quibus Dominus est, ac duas naturales voluntates & operationes ei conuenientes, qui natura Deus & homo veritate est, anathematizauimus. Lege, domine, gesta & libellum; ac si inueniatis quod dixistis, facite quod vultis. Nam ego, & conserui mei, & quicumque subscripserunt, eos qui iuxta Arium & Apollinarium vnam voluntatem & vnam operationem dicunt, anathematizauimus, quiq. non confitentur Dominum nostrum ac Deum, secundum vtramque earum, ex quibus & in quibus est, & quæ ipse est naturarum, esse secundum naturam intellectu præditum, & idcirco volendi facultatem habere, & nostram operandi salutem. C D

RECEDVNT IVDICES.

Tum Epiphanij comites inter se dixerunt: Si hunc vsque attendamus, neque comedimus, neque bibimus: verum surgamus, & prandeamus; & ingrediamur, renunciemusq. ea quæ audiuimus: hic enim vendidit se Satanæ. Surrexerunt itaque, & pransi sunt. Erat autem statio, siue vigilia Exaltationis pretiosæ Crucis, & introierunt in vrbem cum ira.

REVOCATVR MAXIMVS AD IVDICIVM.

Postridie mane venit Theodosius Consul ad Abbatem Maximum, & omnia quæcumque habebat, abstulit, hæc verbis Imperatoris locutus: Quia noluisti honorem, & elongatus est a te: abi, quo dignum te ipsum iudicasti, habens iudicium discipulorum tuorum, quiq. Mesembriæ est, quiq. Perberis, qui fuit Notarius beatæ nostræ matris.

CALVMNIA DE BLASPHEMIA VRGETVR S. MAXIMVS.

Dixerunt autem Patricij Troilus & Epiphanius: Omnino duos discipulos tuos adducimus, tum qui Mesembriæ, tum qui Perberis, eosq. examinamus, ac eorum videmus euentum. Theodosius vero Consul tradidit eum militibus; qui eum Selymbriam duxerunt, vbi biduum moratus est. Ac interea vnus militum in castra ad exercitum est profectus, ac in vulgus diuulgauit, eos in senem incitans, venire monachum, qui Deiparam blasphemaret. Post biduum miles redit, eumq. ducit in castra. Legatus vero, Dux exercitus, compunctus a Deo, mittit ad beatum Maximum primores e clero presbyteros & diaconos, religiosos q. signiferos. Quos vir sanctus conspicatus, surrexit, ac veneratus est humili obsequio, summisso videlicet corpore inclinans se honoris ergo: idemq. illi fecerunt, & sederunt, eumq. sedere iusserunt. E

Tum quidam senex valde honorabilis cum multa reuerentia ei dixit: Pater, quoniam nonnulli scandalizauerunt nos de tua sanctitate, quod non dicas Deiparam, dominam nostram sanctam Virginem: adiuro te per sanctam & consubstantialem Trinitatem, vt nobis

A bis verum dicas, & hanc offensionem de animis nostris abstergas, ne lædamur, iniuste scandalizati. Maximus humili prostratione corporis facta, surrexit, dixitque, manus in cælum tendens cum lacrymis: Qui non dicit Dominam nostram omnibus hymnis ce- MAXIMVS CALVMNIAM DILVIT.
lebrandam & sanctissimam & immaculatam, & omni intellectuali naturæ venerabilem, naturalem vere matrem Dei factam, qui fecit cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt: esto anathema a Patre & Filio & Spiritu sancto, consubstantiali & supersubstantiali Trinitate, & ab omni virtute cælesti, & choro sanctorum Apostolorum & prophetarum, infinitoq. populo sanctorum martyrum, omniq. spiritu in iustitia consummato & nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Flentes omnes, bene precati sunt ei, dicentes: Deus corroboret te, pater, dignumq. te faciat, qui peragas sine offensione cursum tuum. Atque his dictis, multi conuenere mili-
B tes, audituri multos egregiosq. sermones, qui tum habiti sunt. Cum autem quidam e domesticis Ducis videret multum exercitum conglobari, ac sancti viri ædificari sermonibus, & ea quæ fierent contra eum scilicet damnare: iubet eum (qua cogitatione ac suspicione, nouit Deus) inde abstrahi, duobusq. millibus passibus a castris abduci, dum Synaxim facerent, & venirent qui eum ducerent Perbera. Clerici diuina moti charitate, duo illa milliaria pedibus confecerunt cum eo. Et cum aduenissent qui ducerent Perbera: ipsi manibus eum gestantes, imposuerunt iumento: cumq. eum amplexi essent, salutem dixissent, atque orassent, in loca sua cum pace redierunt. Ipse vero Perbera adductus est, tenente eum custodia.] hucusque Acta de rebus Maximi gestis hoc anno.

Vidisti, lector, præstantissimi confessoris iterata certamina, in quibus omnibus etsi furens semper obstrepuerit, tamen victa semper remansit impietas cedere nescia, maio-
C ri cum prosternitur obstinatione resurgens. Sed ea omnia ad profectum Euangelij prouenere, vt vno Maximo resistente, fides Catholica non fuerit omnino in partibus illis extincta, vsque adeo eiusmodi confessione virescens, vt post obitum nefandi Imperatoris fœcundiori cæspite germinauerit, atque fructum ex eo produxerit & quidem vberrimum, cum videlicet œcumenica Synodo congregata, Monothelitarum hæresis fuit penitus condemnata. Sic igitur optime conuenit, vt de Maximo illud propheticum [a] ab Orien- [a] Isai. 1.
talibus occinatur: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.] cū vno tantum Maximo atque duobus discipulis eius & non alijs (quod sciatur) fides tunc splendescere visa sit, dum vndique tenebræ operirent terram, & caligo populos. Sed etsi grandia sint ista de Maximo, longe sunt maiora quæ dicturi sumus, cum rursum aduersus eum eiusq. discipulos acerbiora excitata sunt prœlia,
D ex quibus inuicti milites Christi maiora erexere de hæresi profligata hæreticisq. superatis trophæa: quando autem ista contigerint, suo loco dicturi sumus inferius.

Sed quid accidit? qui obniti hactenus visus est veritati, Imperatoris fauens prauis affectibus, idem ipse ad supernum tribunal vocatur reddere rationem, mortis nuncio interpellatus. Hoc siquidem anno Petrus Patriarcha Constantinopolitanus hæreticus, vbi PETRI EPISC. CONSTANTINOP. OBITVS.
sedisset annos duos & menses tres, moritur, atque in eius locum subrogatus est Thomas, qui in Concilio œcumenico Constantinopolitano asseritur fuisse Catholicus. Ceterum de annis quibus sederit Petrus, textus Nicephori corrigendus est, dum habet sedisse annis duodecim, cum duobus dumtaxat ei Ecclesiæ præfuisse legatur.

Porro ista de electione Thomæ quomodo se habuerint, vt Imperator insequens Maximum Orthodoxum, eo quod acquiescere nullo modo voluerit ipsius sententiæ de commu- THOMAS SVCCESSOR PETRI.
E nicando cū Ecclesia Constantinopolitana in probando qui promulgatus est Typus, idem passus sit Thomam assertum Orthodoxū illi Ecclesiæ præfici? cū nihil sit quod dici possit, ipsum mutasse sententiam & ad frugem meliorē esse conuersum, siquidem in persecutione Maximi perseueraſſe vsque ad obitū reperitur. Verum tunc fuisse Thomam Orthodoxum non puto dici aliquo modo posse. Certe quidem ex ijs quæ de Maximo dicta sunt, & quæ inferius suo loco dicentur, cum longe aliter res se habuisse inueniatur, conuincuntur Acta illa Sextæ Synodi fuisse admodum deprauata; siquidem ipsa facta Thomæ repugnant: etenim ipsum liquet cum Monothelitis contra Maximum sedisse: adeo enim res patens est, vt ne cum eo cōmunicaret, maluerit sanctus martyr subire martyrium. Hunc ne ergo dixerimus fuisse Catholicum, cuius hæresis Acta Proconsularia corā Senatu amplissimo habita satis certum firmumq. testimonium habent? id quidem inferius suo loco patebit.

Verum quæ habent de fide Catholica Thomæ deprauata Acta Sextæ Synodi, videa-

mus. In ipsius enim quæ extat Synodi Collatione decimasexta, dum mentio habetur de A
epistola Catholica ab eo scripta ad Vitalianum Rom. Pontificem, sed cur ad eum mitti
minime fuerit facultas, declaratur, ibi ex Georgij Chartophylacis verbis hæc leguntur:

DE SYNODICA SCRIPTA A THOMA EPISCOPO CONSTANTINOP.

Hic mihi præsto est cum his & authentica Synodica bullata, quæ facta sunt a Thoma
sanctæ memoriæ quondam Patriarcha ad Vitalianum sanctæ memoriæ quondam Papam
Romanum: quæ etiam volens ad eum dirigere, propter impiorum Sarracenorum incur-
sum assidue imminentem (vt nostis) & obsessionem quæ facta est per biennium, quo ges-
sit Episcopatum, non valuit dirigere: & hæc ego statim vobis iubentibus profero.] &
paulo post iussa sunt edi scripta Thomæ & successorum Patriarcharum, eademq. legi.
nam inferius: Accipiens Agatho religiosus lector & Notarius sanctissimi Patriarchæ
Constantinopoleos Synodicam authenticam sanctæ memoriæ Thomæ bullatam, & coram
omnibus bullam quæ in eo pressa fuerat auferens, reliquit habens in superscriptione B
ita: Per omnia sanctissimo ac beatissimo & consacerdoti domino Vitaliano Thomas indi-
gnus Episcopus salutem.] hucusque inscriptio. Epistolæ autem initium est: Qui cuncta ex
nihilo quidem vt existerent protulit, &c. quod Synodicum collatum est cum regesto, quod
protulit Georgius Deo amabilis diaconus & Chartophylax, & constitit ab initio vsque ad
finem indeminute.] hucusque in Actis de Synodali Thomæ in Synodo recitata, sed non
integre in ijsdem Actis descripta.

SEXTAE SYNODI ACTA DEPRAVATA.

Quod insuper in ijsdem Synodalibus recitatis Actis Constantinopolitana ciuitas bien-
nali fuisse obsidione fatigata traditur, haud mediocrem pariter de impostura suspicionem
auget: siquidem neque Theophanes, qui per annos singulos Imperatorũ res gestas recen-
suit, neque quisquam alius Græcorum historicorum tantæ rei vel leuiter meminisse repe-
ritur. Verum ista toleranda quomodocumque videri poterant, si reliqua consentientia ve- C
ritati reperta fuissent, vt quod dictum est de Thoma Constantinopolitano Patriarcha
post Petrum, cui vt hæretico constat sanctum Maximum (vt ex ijsdem Actis apparet) mi-
nime communicare voluisse; sed & hæc ea quæ dicentur sequenti anno perspicue de-
monstrabunt. Immutata plane fuisse Sextæ Synodi Acta a Theodoro Constantinopoli-
tano Patriarcha, ex compluribus haud leuibus coniecturis suo loco inferius demonstra-
turi sumus: vt plane tu ipse mireris, considerans, secundum illud Dauidicum, quanta sit
malignatus inimicus in Sancto, quomodo Græcus impostor velut præstigijs quibusdam
fecerit videri lucem tenebras, & tenebras lucem, malum bonum, & bonum malum,
tantamq. fidem inuenerit, vt in hanc diem sub Sextæ Synodi titulo multa reperiantur
intexta mendacia. Sed de his diffusius suo loco.

CONCILIVM TOLETANVM DECIMVM.

Celebratum est hoc eodem anno Toleti Concilium, quod numeratum reperitur deci- D
mum, Era nimirum sexcentesima nonagesimaquarta, anno autem Recessuinthi Regis
octauo: cui interfuerunt Episcopi viginti, vicarij vero ab Episcopis absentibus missi quin-
que; præfuit autem Eugenius Toletanus Metropolitanus. Sancitum primo loco fuit, vt
dies festa Incarnationis Verbi, nẽpe Annunciationis Deiparæ, celebraretur ante octo dies
a Natali Domini; eo quod quando re vera mysterium incidit, Ecclesia vel ieiunij pœniten-
tia, vel celebritate Paschæ teneri soleat occupata. At visum postea ob excellens mys-
terium, nonnisi ea die qua contigit, celebrari debere. His decretis, statuti sunt a sacro con-
uentu canones numero septem. Quibus omnibus rite dispositis, cognita est causa Potamij

DE CAVSA POTAMII EPISC. BRACAREN.

Episcopi Bracarensis, qui (quod mirum visum fuit) nemine accusante, se ipse pro-
dens, abdicansque, libellum obtulit sui lapsus & pœnitentiæ: cuius gratia vniuersa Sy-
nodus in lacrymas conuersa est. Editum quidem ab eo fuit dignum vere pœnitentis spe- E
cimen: qui enim a digna sacerdotis per culpam decidit maiestate, se in pœnitentium
numerum volens libensq. coniecit. Sed de his ipsam Synodum audiamus: hæc enim ad
finem post sancitos canones habentur de his quæ de ea causa locuti sunt Patres:

Assumere poteramus canoram in tantum fraternæ lætitiæ tibiam, quia diuina pietas
conuentum nostrum ad concordiæ conuocauerat studia: & conuenerat mœstitiam vitare,
quoniam visitatione disciplinæ videbamur paternas regulas innouasse. Sed grauius si-
strum pro cimbalo sumimus, & funus pro carmine decantamus, gementesq. cum Hiere-
miæ [a] questibus dicimus: Dissolutum est gaudium cordis nostri, versus est in luctum cho-
rus noster. Vnde & Væ, coram nobis conspicimus: quoniam cecidisse coronam capitis
nostri videmus, dum tam nobile in infimum corruit, quod in tam sublime sanctitatis op-
timum stetit. Ecce etenim tractantibus nobis in pace Dei de Ecclesiasticis regulis, dela-

[a] Thren. 5.

tum

A tum est conuentui nostro epistolium confusæ confessionis & abolendæ subscriptionis, quod Potamius Bracarensis Ecclesiæ Episcopus de factis proprijs, suisq. verbis annotarat & articulis. Quo relato, quid obliteranda pagina & abolenda litterarum panderent elementa, fletibus potius quam sermonibus lacrymosa concio recensuit. Tunc solitarie tantum secretimq. adunatis Pontificibus Dei, prædictum Episcopum adesse coram nobis fecimus. POTAMIVS SVI PRODITOR LAPSVS.

Quem singultibus aggredientes amplius quã loquelis, relatam illi suæ deformitatis & nostræ confusionis scripturam protulimus. Quam accipiens & recurrens, scisitantibus nobis, vtrum sui operis & suæ annotationis intimatio esset: ille suum actum, suiq. oris eloquium, suorum quoque digitorum esse robur asseruit, quod illic relegendo peruidit. Rursum diuini nominis contestatione hunc adiurantes, obtestati sumus, vt an de se sponte men-
B dacium diceret, aut alicuius violentia premeretur, & perterritus talia enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce, luminibusq. ploratu madentibus, & fragore singultuum cum vnius Dei nominis iuramento clamauit, se & vere eadem mala de se confiteri, & ad hæc confitenda nulla se violentia prægrauari. Vnde etiam ferme per nouem menses sponte deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam pro admisso flagitio acturus pœnitentiam se conclusisse, edixit. Tunc per fidelem confessionem eius agnito quod tactu femineo sorduisset, & declarato: licet hunc paterna antiquitas sacris regulis deijcere ab honore decernat: nos tamen miserationis iura seruantes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione iam tulerat: sed valida auctoritate decreuimus, perpetuæ pœnitentiæ hunc inseruire officijs & ærumnis: prouidentes, melius illum per asperam & dumosam ire pœnitentiæ solitudinem, vt quandoque peruenire ad refrigerij
C mansionem, quam relictum in voluntatis suæ latitudine, ad præcipitium deijci æterna damnatione.

Tunc vero Fructuosum Ecclesiæ Dumiensis Episcopũ communi omniũ nostrũ electione constituimus Ecclesiæ Bracarensis gubernacula continere: ita vt omnem Metropolim prouinciæ Gallæciæ, cunctosq. Episcopos, populosq. conuentus ipsius, omniumq. curã animarum Bracarensis Ecclesiæ gubernandam suscipiens, ita componat atque conseruet, vt & Dominum nostrum de rectitudine operis sui glorificet, & nobis de incolumitate Ecclesiæ eius gaudium præstet. Quia vero ad futura prospicere conuenit, ne exoriri possit in statu pacis quædam commotio litis: Patrum sententiam, quæ iam dictum Potamium Episcopum rectitudine damnat, huic decreto connectere, nostra vigilantia procurat.] FRVCTVOSVS IN POTAMII LOCVM SVFFECTVS.

Hic aduertendum est, citatum & recitatum canonem ad condemnationem Potamij, non
D aliquem fuisse ex canonibus pœnam infligentibus eiusmodi lapsis, sed canonem Concilij Valentini Galliæ, quo tractatur de eo qui sua sponte proderet culpam, qui omnino damnandus esset: nam siue re vera peccatum admisisset, ob peccatum puniendus, si vero non admisisset, ob id quod se mendacio infamasset, grauius plectendus foret. Sunt enim hæc verba canonis: POTAMIVS EX RECENTI CANONE REDARGVTVS.

Quicumque sub ordinatione vel diaconatus vel presbyterij vel Episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinationibus submouendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolui potest is qui in se ipsum dixerit, quod dictum in alios puniretur: quoniam omnis qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida fit.] Tu vero consule a nobis superius suo loco dicta in eodem canone Concilij Valentini. Habent eadem Acta hæc infra: Factum est decretum sub die Kalen-
E darum Decembris, anno feliciter octauo regni glorioſissimi domini nostri Recceſuinthi Regis.] Quod ad eumdem Potamium spectat, interfuerat ipse octauo Concilio Toletano, sederatq. quarto loco in consessu quinquagintaduorum Episcoporum, auctorq. cum alijs fuerat, vt sanciretur canon [a] aduersus carnis inquinatione pollutos, quos Episcopi deberent inquirere, eosdemq. seuere corrigere, ne quid huiusmodi admissum audiri posset: cuius memor tantus Episcopus, in se ipsum statutam in eos pœnam sponte conuertit, dignum vere pœnitentis edens exemplum. CANON DE CLERICIS PVBLICE SVA CRIMINA PRODENTIBVS.

[a] *Concil. Tolet. 2. c. 5.*

Sed & illud (vt vidimus) bene consultum fuit, vt sancta Synodus in locum lapsi Episcopi substitueret sanctissimum sacerdotem Fructuosum, de quo hæc in Notis suis doctissimus Garsias: Fructuosus ex regio Gothorum sanguine ortus, Ducis filius, Episcopi Palentini Tonantij discipulus, multorum monasteriorum conditor & pater, ex Complutensi Abbate, cum monasterium exædificauerat ad Virgidiensem tractum Iusti & Pastoris DE S. FRVCTVOSO EPISC. BRACARENSI.

ſtoris martyrum nomine, Dumienſis Epiſcopus creatus, in Potamij deiecti locum ſubrogatus, Bracarenſis Eccleſiæ curam ſuſcepit; Actis huius Concilij, *nempe Toletani noni*, poſt Eugenium Toletanum & Fugitiuum Hiſpalenſem ſubſcribit. Eius memoria cum ſanctitatis opinione a populis Bracarenſibus & Compoſtellanis colitur, feſto die dicato ad ſextumdecimum Kalend. Maij. Corpus eius a monaſterio ab ipſo exædificato inter Dumium & Bracaram ſepulturæ mandatum, poſtea a Gelmeride primo Compoſtellæ Archiepiſcopo Compoſtellam tranſlatum, vbi magna populi veneratione colitur.] hactenus ipſe. Sic igitur magna conſideratione a Patribus factum, vt in locum vbi S. Eccleſia atrox vulnus acceperat, tanti ſucceſſoris ornamento eã, quæ irrogata videri poſſet, delerent infamiam. Porro eiuſdem S. Fructuoſi memoria in Romano Martyrologio recenſita anniuerſaria die publico præconio in Eccleſia vna cum alijs ſanctis recepta eſt ſextodecimo Kal. Maij. A

B

IESV CHRISTI ANNVS 657. VITALIANI PAP. ANNVS 3. CONSTANTIS IMP. ANNVS 16.

REdemptoris adeſt annus ſexcenteſimus quinquageſimuſ ſeptimus, Indictione *decimaquinta* anno ſuperiori iam inchoata: quo S. Maximus, eiuſq. diſcipuli ab *exilio* Conſtantinopolim reuocantur ad quæſtiones, ad dicendam rurſus cauſam de his, quibus a pluribus idem Maximus & diſcipuli accuſarentur: hic prætextus erat, cũ re vera illud agerent perfidi Monothelitæ, vt eos a Catholica fide diuellerent, & ſuæ ipſorum hæreſi ſociarent: quod alias ſæpe tentatum ab ipſis, ſatis ex Actis eſt demonſtratum. Sed cum id diu multumq. aduerſarij fruſtra tentaſſent, tandem eo furoris adacti ſunt, vt ſanctiſſimi viri C

MAXIMI CONSVMMATIO MARTYRII.

iam decrepitæ ſenectutis etiam Angelis reuerendi radicitus linguam præciderint, & manum dexteram crudeliſſime amputarint, pariq. ſupplicio alterum eius quoque diſcipulum affecerint. Eſt de his veterum omnium ſcriptorum aſſertio, præcipue vero eius *vitæ Actorum*, necnon Theophanis, & aliorum Græcorum hiſtoricorum, ſimulq. etiam Latinorum: ſed & publica præconia Eccleſiaſtica [a], quibus in ipſorum natali die, anniuerſaria commemoratione, eorumdem martyrium prædicatur, id ipſum tradunt.

[a] *Martyrolog. Rom. die 13. Auguſti.*

Quomodo autẽ iſta ſe habuerint, ex dictis Actis publicis ſumma fide exceptis prodenda erunt, ſed primum omnium quæ ſpectant ad temporis rationem ſtabilienda. Hæc quidem facta eſſe hoc ipſo anno, inde certum deducimus argumentum, quod in ijſdem publicis Actis numerentur anni viginti duo ab eo tempore quo Sarraceni peruaſerunt Aegyptum, vſque ad tẽpus quo Maximus ab exilio reuocatus Conſtantinopolim iudicio ſiſtitur; cum D

TEMPVS MARTYRII S. MAXIMI.

ex Theophane & alijs dictum ſit ſuperius, ea de Sarracenis Aegyptum inuadentibus facta eſſe anno vigeſimoſexto Heraclij Imperatoris, qui numeratur Redemptoris annus ſexcenteſimus trigeſimusquintus: cui ſi addantur anni viginti duo, plane ad *hunc ipſum* Domini annum ſexcenteſimum quinquageſimumſeptimum peruenies. His de temporis ratione elucidatis, iam ipſa Acta recenſeamus, prodita (vt ſæpe dictum eſt) ex Græcis Vaticanis codicibus; quæ ſic ſe habent:

Poſtquam vero multum temporis præterijſſet, ac Sanctus eſſet in exilio: rurſum miſit Imperator, eumq. accerſiuit. Quo vero die ad hanc vrbem regiam appulerunt tum domnus Maximus, tũ eius diſcipuli, ſub occaſum Solis venerunt duo Mandatores cum decem excubitoribus, eosq. e nauigio eduxerunt nudos & incalceatos, ac diſiunxerunt, & in diuerſis excubijs cuſtodierunt. Poſt aliquot vero dies ducunt eos in Palatium; ſenemq. E

S. MAXIMVS AD QVAESTIONES.

eo introducunt, vbi Senatus conuenerat, multaq. alia turba, & ſtatuunt in medio ſedentium principum. Tum dicit ei Sacellarius iracunde: Chriſtianus es? Reſpondet: Gratia Chriſti Dei vniuerſorum, Chriſtianus ſum. Sacellarius autem multo percitus furore: Non eſt hoc verum. Reſpondit ſeruus Dei, & dixit: Tu dicis, me non eſſe; at Deus dicit, eſſe me & perſeuerare Chriſtianũ. Sacellarius: Si Chriſtianus es, cur odiſti Imperatorem? Et Sanctus: Vnde hoc manifeſte declaratur? Odium, animi eſt occulta affectio, ſicut & dilectio eſt. Sacellarius vero: Ex ijs quæ feciſti, omnibus apparuit te & Imperatorem odiſſe & vrbem eius: tu enim ſolus Aegyptum, & Alexandriam, & Pentapolim, & Tripolim, & Africam Sarracenis prodidiſti. Et quæ horum demonſtratio? dixit Maximus.

Et introducunt Ioannem, qui fuerat Sacellarius Petri, dum eſſet Prætor Numidiæ Africæ, & dixit: Ante vigintiduos annos auus domini imperauit beato Petro, vt exercitum

in Ac-

A in Aegyptum duceret aduersus Sarracenos. Qui cum tibi consideret vt seruo Dei, te scisscitatus est per litteras, num ei auctor esses, vt duceret. Ne id faceret, rescripsisti: nec enim Deo placere, Heraclij imperio soboliſq. ipsius, Imperium Romanorum iuuare. Dixit autem seruus Dei: Si vera dicis, habesq. Petri ad me, measq. ad eum litteras: proferantur, & suscipiam pœnas placitas legi. Ego (inquit ille) non habeo litteras, sed neque scio an ad te scripserit: sed in castris hæc omnes illo tempore loquebantur. Et Sanctus: Si tota castra id loquebantur, quomodo tu solus de hoc me calumniaris? An vmquam me vidisti, aut ego te? Respondet: Numquam. Et ad Senatum Sanctus conuersus, dixit: Si ius est huiusmodi proferre accusatores testes, iudicate: In quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, dicit [a] vniuersis Deus. *a Matth. 7.*

Deinde intromittitur Sergius Magudas, hæcq. dixit: Abhinc nouem annis dixit mi-
B hi beatus Abbas Thomas, qui Roma venerat: Papa Theodorus me misit ad Patricium Gregorium, qui ab Imperio desciuerat, vt ei dicerem, ne quemquam extimesceret: nam seruus Dei Abbas Maximus somnium vidit, fuisse in cælis ad Orientem & Occidentem multitudinem Angelorum, quorũ alteri ad Orientem clamabant: Constantine Auguste tu vincas: alteri ad Occidentem: Gregori Auguste tu vincas. clarior autẽ ea fuit vox, quæ ad Occidentem. Tum exclamat Sacellarius: Te ad hanc vrbem misit Deus comburendum. ALIA IN MAXIMVM CALVMNIA.

At Sanctus: Gratias ago Deo purganti voluntaria mala mea inuoluntario supplicio. Verumtamen [b] væ mundo a scandalis: Necesse est enim vt veniant scandala: væ au-
C tem ei, per quem scandalum venit. Non sic oportuit talia dici, præsentibus Christianis, nec impunitos esse, qui hæc faciunt vt hominibus placeant, qui hodie sunt, cras non sunt. Hæc viuo Gregorio hunc dicere oportuit, ac suam erga Imperatorem beneuolentiam ostendere. Ius fuit (si & vobis ita videtur) tum illum, qui ante hunc sycophanta fuit, impelli, vt iret, & adduceret Patricium Petrum, tum hunc producere Abbatem Thomam, & a Thoma sisti beatum Papam Theodorum. Tunc, præsentibus omnibus, dixissem Patricio Petro: Dic nobis, domne Patrici; scripsisti ad me vmquam, de quibus dixit pro testimonio tuus Sacellarius? aut ego ad te? Similiter beato Papæ: Dic, domine, ego ne tibi vmquam somnium narraui? Si me arguisset, illius fuerat crimen, non meum, qui vidissem: res enim inuoluntaria somnium: ea autem sola quæ proficiscuntur a voluntate, punit lex. *b Matth. 18.* PVRGAT SE A-LIA CALVMNIA S. MAXIM.

Tum dicit ei Troilus: Ludis, Abba: non nosti vbi sis? Et Sanctus: Non ludo, inquit, sed lugeo vitam meam adhuc conseruatam, vt talia spectra experiar. Dicit domnus Epiphanius: Quod Deus cognoscit, bene facis, ludens ea si vera non sunt. Post quem Sacellarius rursus cum iracundia dixit: Plane omnes mentiuntur, ac tu solus vera loque-
D ris. Sanctus vero ei verbo illacrymans, dixit: Potestatem habetis, permittente Deo, & viuificare & mortificare. Verum tantum abest vt hi vera loquantur, quantum vt Satanas natura Deus esse possit, quod est omnino impossibile.] hæc Maximus secundum loquendi modum vsitatum, cum quid omnino impossibile dici soleret. Sed & apponit adhuc iuramentum, dicens: Nam non merear cum Christianis videre faciem Dei, qui super omnia est, qui factor est & opifex & conditor & prouisor & iudex & conseruator vniuersorum, si vmquam tale somnium vidi, aut alium narrantem audiui, nisi hac hora ex domno Sergio, qui beneuolus est in Imperium. PVRGAT ETIAM SE MAXIMVS IVRAMENTO.

Tum adducunt tertium sycophantam, Theodorum filium Ioannis, qui fuerat Candidatus, cognomine Chilan, qui nunc gener est domni Platonis Patricij, qui hæc testificatur: Cum sermo inter nos Romæ esset de Imperatore, vituperabat quæ dicerentur, intrita fa-
E ciens & lamias *. Ei Sanctus dixit: An vmquam tecum locutus sum, nisi semel cum religiosissimo presbytero domno Theocharito fratre Præfecti propter Primicerium, de eo per litteras rogatus? Quod si mentiri deprehendar, pretium habeam. TERTIA CALVMNIA AGITATVR MAX. *

Postea adducitur Gregorius filius Photini, & dicit: Romæ contuli me in cellam Abbatis Maximi: cumq. dixissem & Imperatorem esse sacerdotem, dixit Abbas Anastasius huius discipulus: Ne mereatur esse sacerdos. Statim ei Sanctus respondet: Metue Deum, domne Gregori: nec enim tecum quicquam in eo sermone locutus est conseruus meus. Ac se humi prosternit, hæcq. dixit ad Senatum: Seruum vestrum sustinete. Ego, qui habitus est, sermonem exponam: me redarguet, si mentiar. Dominus hic meus Gregorius, cum Romam venisset, dignatus est venire in cellam serui vestri: quem cum vidissem, abieci me ipsum (vt mihi moris est) in terram, & adoraui, & amplexus sum eum; dixiq. postquam consedissemus: Quæ causa est optabilis aduentus domini mei? QVARTA CALVMNIA.

ni mei? Is respondit: Sanctus a Deo stabilitus dominus noster, *Imperator scilicet*, curam gerens pacis sanctarum Dei Ecclesiarum, fecit iussum ad a Deo honorificatum Papam, missa oblatione ad sanctum Petrum, adhortans eum, vt se cum Præsule Constantinopolitano coniungeret: quæ pium eius Imperium dignatum est mitti per meam mediocritatem. A

SILENTIVM QVANDO IDEM QVOD NEGATIO.

Ego tum dixi: Gloria Deo, qui te dignum fecit tali ministerio. Sed quomodo iussit vnionem fieri Deo amabilis eius serenitas? siquidē nosti. Dixisti, Typi causa. Impossibile (vt arbitror) hoc est. Non enim patiuntur Romani, tolli vna cum impiorum hæreticorum vocibus lucem gerentes sanctorum Patrum voces, aut cum mendacio extingui veritatem, aut lucem consociari cum tenebris. Nihil enim erit nobis quod adoramus, si verba quæ docuit Deus, tollantur. Et dixisti: Non facit Typus sacrarum vocum sublationem, sed silentium, vt hac dispensatione pacem tueamur. Dixi vero: Idem est apud sacram Scripturam silentium & sublatio. Dixit enim Deus per Dauid [a]: Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Quare nisi dicantur & audiantur, nec penitus sunt, iuxta Scripturam. Dixisti: Non me conijcias in siluas: ego enim Symbolo contentus sum. Et quomodo, inquam, contentus esse potes, qui recipias Typum? At tu: Et quid detrimenti est, Typum recipere, & Symbolum dici? Et dixi: Propterea quod Typus aperte Symbolum euertit. Tu vero: Quomodo? per Dominum. Recitemus, dixi, Symbolum: & cognosce quomodo perimatur a Typo. B

[a] *Psal.* 18.

MONOTHELITAE NEGANT NICAENAM FIDEM.

Cœpisti dicere: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Dixi: Consiste parumper, ac disce, quomodo Nicææ Patrum fides negata est. Factor enim non erit Deus, voluntate & operatione priuatus naturali: siquidem volens, at non coactus, fecit cælum & terram, si vere dicit in spiritu Dauid [b]: Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Quod si dispensationis causa cum perfidia tollitur salutaris fides, separatio est omnino a Deo, non vnio, hoc genus dispensationis. C

[b] *Psal.* 134.

Cras enim nefarij Iudæi dicent: Dispensatione faciamus inter nos pacem, & copulemur; tollamusq. nos quidem circumcisionem, vos vero baptisma, nec amplius inter nos belligeremus. Hoc & quondam Ariani scripto prætenderunt sub Magno Constantino, dicentes: Tollamus Consubstantiale, & Alterius substantiæ, & inter se Ecclesiæ totæ coniungantur. Nec vero Deiferi Patres nostri id acceperunt, sed maluerunt persecutionē pati ac mortem, quam eam vocem tacere, quæ ostenderet vnam Patris & Filij & Spiritus sancti superessentialem diuinitatem: idq. adiuncto ijs qui hæc proponerent Magno Constantino, sicut ab ijs memoriæ traditum est, qui magno labore & studio, quæ tum scripta sunt, collegerunt. Ac Imperatorum nemo potuit Deiferis Patribus persuadere, vt medijs vocibus conglutinarentur cum ijs qui ipsorum tempore hæresim sequebantur: sed dilucidis, proprijs, ac certis, & accommodatis dogmati, de quo quæstio esset, vsi sunt, manifeste dicentes, Sacerdotum esse quærere ac definire de salutaribus dogmatibus Catholicæ Ecclesiæ, non Imperatorum. D

SILENTIVM QVARVMDAM VOCVM NON ADMISERVNT PATRES.

Dixisti: Quid igitur? an non est omnis Imp. Christianus & sacerdos? Non est, inquio: non enim assistit altari; non post sanctificationem panis extollit, ac dicit, Sancta sanctis: neque baptizat, neque vnguenti mysterium peragit: non ordinat & facit Episcopos, & diaconos, & presbyteros; neque confecrat & vngit templa: nec signa sacerdotij gerit, superhumerale & Euangelium, vt Imperij coronā & purpuram. Et tu dixisti: Quomodo igitur Scriptura Regem & sacerdotem dicit esse Melchisedec? Respondi: Vnius natura Regis vniuersorum Dei, qui factus est natura propter nostram salutem Pontifex, vnus fuit typus Melchisedec. Ac si quidem secundum ordinem Melchisedec alium dicis esse Regem & sacerdotem: audeto reliqua quoque dicere, Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem: & considera quid ex eo mali nascatur. talis enim alius inuenietur Deus factus homo, qui secundum ordinem Melchisedec, non secundum ordinem Aaron nostram operaretur salutem. E

MONOTHELITAE IMPERATOREM ESSE SACERDOTEM DICEBANT.

Et quid multa percurrimus? In oblatione, quæ in sancta mensa fit, post Pontifices & sacerdotes & diaconos ac omnem ordinem sacrum, cum laicis Imperatores commemorantur, dicente diacono: Et laicorum, qui in fide dormierunt, Constantini, Constantis, & reliquorum. sic & viuentium Regum meminit post omnes sacris initiatos.

LOCVS IMPERATORVM IN SACRIS.

Cum hæc diceret, clamauit Menas: Hoc sermone scidisti Ecclesiam. Ad quem Maximus: Si qui sanctarum Scripturarum sanctorumq. Patrum verba dicit, scindit Ecclesiam:

qui

A qui tollit sanctorum dogmata: quid demonstrabitur Ecclesiæ facere, sine quibus nec hoc ipsum Ecclesia esse potest? Sacellarius autem dixit apparitoribus Præfecti: Dicite Præfecto: Hunc hominem debuisti sinere viuere, vbi cum potestate es?

Ibi eo foras ducto, discipulum eius intromittunt, ab eo postulantes, vt indicium faceret in præceptorem, vt qui Pyrrhum affixisset. At ille sedata voce sic verum respondit: Nemo æque honorem habuit Pyrrho, ac meus magister. Cum igitur de multis interrogatus, non potuisset adduci, vt a decente & religiosa voce atque ab obseruantia decederet: iubet eum Sacellarius, coram ijs qui aderant, verberari. Quem pugnis cædentes, semineçem fecerunt. Dimissis illis in carcerem, ad senem venit Menas, eiq. præsentibus principibus, dixit: Huc te coniecit Deus, huc adduxit, vt pretium habeas eorum quæ alijs fecisti, omnes in Origenis dogmatum trahens errorem. Ad quem senex, omnibus præ- ANASTASIVS DISCIPVLVS S. MAXIMI VERBERATVR.

B sentibus: Anathema Origeni, eiusq. doctrinæ, & cuiuis cum eo sentienti. Tum dixit Patricius Epiphanius: Solutum est, domne Abbas, Menæ a te illatum opprobrium: nam etsi Origenistes fuisset; postquam anathematizauit, se eo liberauit crimine: Ego, inquit, in præsens nihil tale de eo amplius accipio. Post hæc eo vnusquisque eorum abductus est, vbi custodiebatur.

Postero vero die, circiter lucernæ accensionem, Troilus Patricius & Sergius Euphratas regiæ mensæ præfectus ad eum venerunt: cumq. sedissent, eum quoque iusserunt sedere, eiq. dixerunt: Narra nobis, domne Abbas, quem cum Pyrrho in Africa & Romæ ser- TROILI ET SERGII CVM MAXIMO SERMO.

monem habuisti, quibusq. ei argumentis persuaseris, vt proprium dogma anathematizaret, tuoq. assentiretur. Respondit Abbas: Si penes me libri mei essent, ex ijs vobis, nulla re prætermissa, quæ in commentarios retuli, narrassem: Sed quia a me ablati sunt, expo-

C nam quæ memoria reuocabit. Et quædam commemorauit eorũ quæ dicta fuerant: hocq. addidit: Ego proprium dogma non habeo, sed Catholicæ Ecclesiæ commune: nec enim vocem vllam innouaui, vt meum proprium dicatur dogma.

Post omnem narrationem ei dicunt: Non communicas sedi Constantinopolis? Respondet: Non communico. Dicunt: Quamobrem? Et respondit: Quia sanctas quatuor Syno- CAVSAE CVR NON COMMVNICET CVM MONOTHELITIS.

dos eiecerunt per nouem Alexandriæ facta capitula, & per Ecthesim proxime a Sergio in hac vrbe factam, & per Typum deinceps sexta Indictione expositum: & quod ea quæ per Ecthesim dogmatizauerunt, per Typum repudiauerunt, ac se ipsos toties destruxerunt. Qui ergo a se damnati sunt, & a Romanis, & ab ea Synodo quæ postea sexta Indictione facta est, depositi & sacerdotio nudati, quamnam conficiunt Mystagogiam? aut qualis spiritus ad eos venit, qui a talibus perficiuntur? *ordinantur scilicet.* Dicunt ei: Quid igitur?

D tu solus saluaris, & omnes pereunt? Et dixit: Neminem condemnauerunt tres pueri, cum omnes statuam adorarent: non enim res aliorum respiciebant, sed ne ipsi excciderent a vera pietate. Sic quoque Daniel coniectus in lacum leonum, non damnauit eos qui Deum non orarent ex edicto Darij, sed de se cogitauit, ac sibi prospexit, maluitq. mori, & in Deum non delinquere, nec a propria flagellari conscientia ob diuinarum legum præuaricationem. Quare mihi Deus non det, vt de quoquam iudicem, aut dicam me solum saluum esse. Quantum autem possum, malo mori, quam conscientiam perturbari meam, quod in fide quocumque modo peccarim.

Dicunt ei: Quid habes facere, cum Romani Byzantijs vniantur? Nam ecce heri venerunt Apocrisarij Romæ, & crastino die Dominico communicant cum Patriarcha, MENDACIIS AGVNT HAERETICI.

ac omnes manifesto cognoscent te deprauasse Romanos: videlicet, te illinc sublato,

E nostris assentiuntur. Dixit Maximus: Qui venere, præiudicium sedi Romanæ, tametsi communicent (quoniam quidem non attulerunt ad Patriarcham litteras) non faciunt. Nec mihi vmquam persuadeo, Romanos his qui hic sunt, communicaturos, nisi confiteantur Dominum nostrum ac Deum secundum vtramque naturam, ex quibus & in quibus est, quæq. ipse est, habere volendi facultatem & operandi salutem nostram. Et dicunt: Si vero his coniungantur Romani, quid facis? Qui dicit: Spiritus sanctus per Apostolum [a] & Angelos anathematizat, qui præter prædicationem noui aliquid afferant. [a] *Galat. 1.*

Dicunt ei: An omnino necesse est, duas voluntates dicere in Christo & operationes? Respondit: Omnino necesse, si quidem pietatem veritate colere volumus. Nihil enim entium sine naturali operatione subsistit. Sancti enim Patres aperte dicunt, neque esse, neque cognosci absque essentiali eius operatione quamcumque naturam. Si ergo non est,

neque

neque cognoscitur natura sine operatione, quæ eam essentialiter denotat & characterizat: quomodo aliter possibile est, sciri Christum, aut noscitari Deum vere natura & hominem? A

VRGENT ADHVC MONOTHELITAE.

Tum dixerunt: Scimus re vera ita esse. Verumtamen ne afferas Imperatori dolorem, qui vel pacis solum causa hunc fecit Typum, non vt quicquam eorum tolleret, quæ in Christo intelliguntur, sed vt pacem tueretur, dispensatione silentium earum vocum faciendo, quæ dissidium alebant.

Seruus autem Dei, humi se abijciens, respondet cum lacrymis: Non debuit bonus ac pius dominus ex mea humilitate percipere dolorem: non enim possum contristare Deum ea tacendo, quæ ipse iussit dici & confiteri. Nam si iuxta diuinum Apostolum [a], ipse est qui posuit in Ecclesia primum Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores: per eos videlicet ipse est locutus: ex omni autem sancta Scriptura tum veteris, tum noui Testamenti, & a sanctis doctoribus ac Synodis edocemur facultatem volendi & operandi habere tum Deitate, tum humanitate, incarnatum Christum Iesum Dominum ac Deum nostrum: nihil enim ab ipso abest eorum, quibus vt Deus cognoscitur, aut eorum, quibus vt homo noscitatur, excepto peccato. Si vero perfectus est secundum vtrumque, nec vlla re deficitur: profecto totum de eo adulterat mysterium, qui non confitetur, ipsum esse, quod est cum ijs, quæ ei insunt secundum vtrasque earum, ex quibus, & in quibus est, & quæ ipse est, omnium naturalium proprietatum. B

a 2. Cor. 12.

Cum illi pauliſper conticuissent, inter se annuentes, dixerunt: Vnde demonstrare potes, eos qui sedis Constantinopolitanæ sunt, Synodos aspernari? Respondet: Iam singillatim ostensum est ex eo sermone, quem cum domno Gregorio, qui primus a secretis, Romæ habui: nunc vero (si ita videtur) hoc etiam demonstrabo. Iubete dari hanc veniam indigno seruo vestro, & notitiam facio librorum, quandoquidem mei adempti sunt: idq. omnibus manifestum facio sine vllis verborum flexuosis ambagibus. C

Cum deinde alia multa dicta essent, conuerterunt se ad tractationes, considerationesq. petitas a Scriptura, a natura, & ab arte: quibus oblectati, hilariores fuerunt, cœperuntq. dicere: Nouit Deus, hæc nobis profuerunt; atque ex hac hora non habemus quod vobis faceſſamus molestiam. Domnus vero Sergius ei dixit: Sæpe veni ad cellam tuam in Bembas, ac tuam audiui doctrinam. Deus potest tibi opitulari: noli vllam agoniam susci pere. Hoc vno omnes dolent, quod committis, vt multi a communione huius Ecclesiæ seperentur.

QVANTI MOMENTI MAXIMI CONFESSIO.

Ecquis est (ait seruus Dei) qui asseueret, me cuiquam dixisse, ne Ecclesiæ communicaret Byzantiorum? Respondit domnus Sergius: Hoc ipsum, quod non communicas, magna ad omnes defectionis est vox. Seruus Dei dixit: Nihil violentius accusante conscientia, ac nihil eadem patrocinante liberius. Cum vero audisset domnus Troilus, in toto Occidente Typum anathematizari: dicit Dei seruo: Pulchrum ne est, quod pij domini nostri existimatio contumelia afficitur? Respondet Dei seruus: Ignoscat ijs Deus, qui domino auctores fuerunt, vt Typum faceret, & ijs qui assensi sunt. Dicit Troilus: Qui auctores? Quinam assensi sunt? Respondit seruus Dei: Qui sunt Ecclesiæ, impulerunt: principes concesserunt. Et ecce obnoxiorum sordes in insontem & ab omni hæresi purum excussæ sunt. D

SALVBRE CONSILIVM MAX.

Verum consilium hoc ei date, vt sui aui, *nempe Heraclij Imperatoris*, piæ memoriæ exemplum sequatur. Ille enim cum sensisset, a nonnullis in Occidente probrum sibi aspergi: edicto se liberauit omni Ecclesiastica reprehensione, hæcq. scripsit: Ecthesis mea non est, nec ego dictaui, aut fieri iussi: verum cum Sergius Patriarcha eam quinque ante annis condidisset, quam ab Oriente redirem; orauit me, postquam ad hanc felicem vrbem aduenì, vt nomine meo promulgaretur, cum subscriptione. Eius hortatu id feci: Nunc vero cum cognouerim eam a nonnullis oppugnari; declaro ad omnes, non esse meam. Hoc Iussum (siue edictum) fecit ad beatum Ioannem Papam, qui damnaret Ecthesim in ijs quæ ad Pyrrhum tum scripta sunt. ac Sergij ex illo tempore illa expositio habetur. Faciat hoc qui nunc pie nobis imperat, & eius existimatio penitus omni vituperatione carebit. E

Illi tum quatientes capita, siluerunt, cum hoc tantum dixissent: Difficilia omnia, nec vllum habent exitum. His igitur, alijsq. varijs habitis sermonibus, inter se salutarunt cũ omni hilaritate, ac recesserũt.]hactenus huius diei de Maximo habita quæstio corã Iudicibus.

Ex qui-

A * Ex quibus, inter alia plura notatu digna, perſpexiſti vera eſſe quæ a nobis ſuperius dicta ſunt in Iuſtiniano: nimirum, vt Imperatores Orientis tot ſancirent leges Eccleſiaſticas, quot relatas vides in Codicem & Authenticorum librum, & alias quæ extra vagantur, auctores illis fuiſſe Conſtantinopolitanos Epiſcopos, qui cum quæ ipſi ſancituri eſſent, ſcirent haud ab omnibus recipi & obſeruari, nomine Imperatoris ea roborari curarint; quo vel timore ſaltem ſubditi fideles perculſi, eadem reciperent Imperatoris nomine ſancita decreta. Ita illi male conſulentes Eccleſiaſticæ libertati, ius Eccleſiaſticarum legum condendarũ, quo nihil in Eccleſia Dei præſtantius, ſponte proſtituerũt Imperatoribus: vſque adeo, vt etiam decreta fidei, immo & perfidiæ & impietatis, quibus ſuam quiſque hæreſim ſiue ſchiſma roborare vellet, ea Imperatorum nomine promulgarint: qui oblatam occaſionem haud inuiti abripuerunt, qua ſe ſicut laicis, ita & Eccleſiaſticis imperare docerent.

VNDE IMPP. IVS CONDENDARVM LEGVM ECCLESIASTICARVM

B Confeſſus eſt id ingenue Heraclius, cum videret ex Ecthesi ſuo nomine promulgata nonniſi infamiam ſe corraſiſſe, notaq. hæreticæ prauitatis aſperſum eſſe. Sed quæ in ſequenti confeſſu Iudicum de Maximo eiuſq. diſcipulo facta ſint, ex ijſdem Actis publicis audiamus, in quibus iſta ſubijciuntur:

Alio rurſum ſabbato in Palatium ducuntur, *Maximus ſcilicet, & Anaſtaſius eius diſcipulus*: priorq. introducitur diſcipulus ſenis, cum duo tunc Patriarchæ adeſſent] quorum alter Conſtantinopolitanus Epiſcopus Thomas fuit, qui hoc tempore illi Eccleſiæ præerat. pergit auctor: Veniunt Conſtantinus & Menas ſenis accuſatores: & a diſcipulo petunt, vt illorum dictis aſſentiretur. Multa vero cum libertate ac intrepide diſcipulus ad Senatum dixit: Conſtantinum adducitis in Secretum * Palatij? Hic nec presbyter eſt, nec monachus; ſed eum norunt Afri & Romani Tribunum Thymelicũ. Venit illinc, neſcio

ANAST. LIBERA CONFESSIO. * Secretarium

C quas mulierculas paſcens. Omnes eius flagitia norunt, aſtutamq. malitiam ad fallendum & ad lædendum promptam. Modo dicit, eas ſorores eſſe ſuas: modo vero, quia illæ non cõmunicant Eccleſiæ Conſtantinopoleos: Idcirco eas abduxi, ne hæretico contagio macularentur. Ac rurſum, ſi deliciæ ei defuerint, eam regionem inueniat, quæ ipſum non nouerit: eadem faciet turpis lucri cauſa & fordidæ voluptatis: magnum namque eſt dedecus, huius congreſſum non vitare eos, qui grauitatem atque honeſtatem ſuſceperint vitæ.

Poſtea interrogatus, Typum ne anathematizaſſet? ſine metu dixit: Non ſolum anathematizaui, ſed etiam libellum feci ac porrexi, *anathematis ſcilicet*. Dicunt ei principes: Quid igitur? Non confiteris, male te feciſſe? Reſpondet: Ne permittat hoc Deus, vt quod recte feci, atque ex lege Eccleſiaſtica, dicam male factum. Multaq. alia interrogatus, cum reſpondiſſet vt ei Deus ſubminiſtrabat, educitur e Secreto, & adducitur ſenex.

D Cui dicit Troilus Patricius: Vide Abba, dic veritatem, & dominus tui miſeretur: quandoquidem ſi in legitimam quæſtionem veniamus, & vel vnum eorum criminum quæ tibi obiecta ſunt, verum inueniatur; lex te interficit. Reſpondet: Iam dixi, ac rurſum dico, tantum poſſibile eſſe vt ex ijs vel vnum verum ſit, quantum vt qui eſt Satanas, Deus ſit: ſed cum Deus non ſit, nec eſſe poſſit, qui eſt apoſtata; crimina quoque hæc falſa ſunt, nec ſubſiſtunt. Attamen ſi quid iubetis facere, facite: Deum colens, non afficior iniuria. Dicit ei Troilus: Nonne Typum anathematizaſti? Reſpondit ſenex: Sæpe dixi, me anathematizaſſe. Troilus: Si Typum anathematizaſti, anathematizaſti quoque Imperatorem. Reſpondet Dei ſeruus: Ego Imperatorem non anathematizaui, ſed chartam alienam ab Orthodoxa & Eccleſiaſtica fide. Dicit ille: Vbi anathematizatus eſt? Sanctus Maximus reſpondit: A Synodo Romana, in eccleſia Saluatoris, & in Dei genitricis.

SECVRA CONSCIENTIA LOQVITVR MAX.

E Tunc dixit ad eum Eparchus: Communicas huic Eccleſiæ, an non? Reſpondit ac dixit: Non communico. Dixit ei: Quamobrem? Reſpondit Sanctus: Quia reijcit Synodos. Dicit ei: Si reijcit Synodos, quomodo in Diptycha referuntur? Et dicit: Ecquæ vtilitas nominum, cum dogmata eiecta ſunt? Potes (inquit Eparchus) hoc docere? Reſpondit: Si hanc veniam a vobis accipiam ac iubetis, admodum facile poſſum oſtendere.

CVR NON COMMVNICET ECCLESIAE CONSTANTINOP.

Cum omnes tacuiſſent, dicit ei Sacellarius: Cur diligis Romanos, Græcos vero odiſti? Reſpondens autem ſeruus Dei dixit: Præceptum habemus, ne oderimus quemquam. Diligo Romanos vt eiuſdem fidei, Græcos vt eiuſdem linguæ. Rurſum Sacellarius: Quot annorum te ipſum dicis? Reſpondit: Septuagintaquinque. Dicit ei: Quot iam annos tecum habitat diſcipulus tuus? Reſpondit: Triginta ſeptem. Tum quidam clericus exclamauit: Tibi reddidit Deus, quæcumque feciſti beato Pyrrho. Ad quem nihil omnino reſpondit.

OBIICITVR DILECTIO ROM. ECCLESIAE.

* Secretario

DEFENDITVR S. MARTINVS A MAXIMO.

Cum vero tam multa in Secreto * dicta sunt, nullus Patriarcharum quicquam locutus A est. Cum autem sermo de Synodo Romana moueretur, clamat Demosthenes: Non valuit ista Synodus, cum eam congregauerit Martinus, qui depositus est. Tum dicit seruus Dei: Non depositus est, sed persecutionē passus. Quænam enim facta est super gestis Synodalis & canonica expositio, quæ certo habeat eius depositionem? Verumtamen demus vt canonice depositus fuerit: hoc non facit ijs præiudicium, quæ canonice secundum sacros canones decreta sunt: quibus & ea quæ a sancto Papa Theodoro scripta sunt, conueniunt. Hæc audiens Troilus Patricius, inquit: Nescis quid dicas, Abba. quod factum, factum est. His dictis, cum sanctum senem paulum a Secreto summouissent, consilium capiunt, vitam quidem ad speciem clementiæ non adimentes, vt homines inhumani aliquid per humanitatem facere viderentur, morte vero acerbiora his supplicia infligentes.

DIRISSIME VERBERATVR S. MAXIMVS.

Et quidem cum eos Vrbis Præfectus sibi traditos accepisset, atque in Prætorium adduB xisset: primum quidem diuinum Maximum distentum neruis durissimis iussit verberari, non senectutem nefarius vir miseratus, non membra squallida & rugis contracta, non corpus illud ieiunio & laboribus consumptum; adeoq. crudeliter cædit, vt ob defluentis sanguinis copiam subiectum pauimentum cruentaretur, caroq. vniuersa consumeretur, nec vllum membrum sanum & integrum relinqueretur.

DVO ANASTASII FLAGELLANTVR.

Tum bellum se ad eius discipulum transfert, deinde ad eius cognominem, Anastasium itidem appellatum; multasq. eis plagas imponit, vibicibus corpora eorum replens. Atque ijs præcones adhibuit, qui, dum flagellarentur, hæc clamarent: QVI REGIIS SANCTIONIBVS NON PARENT ET IN CONTVMACIA PERSISTVNT, DIGNI SVNT QVI HAEC PATIANTVR. Ac eos quidem ægrum tenuemq. spiritum ducentes, in carcerem contruserunt. C

LINGVA PRAECIDVNTVR S. MAXIMVS ET ANASTASIVS.

Postero vero die religiosum virum vna cum discipulo sistunt, totum vibicibus exaratum, totum scatentem tumoribus, totum plagis inustum. Quinetiam cum tot doloribus confectus esset, non tamen sibi temperarunt, quin alia peiora ei facerent, naturam penitus aspernantes. Linguam enim illam Theologam, quæq. sermonibus fluuiorum instar scaturierat, a faucibus vsque & a contigua epiglottide sceleratissime præcidunt; vt vocis adempto instrumento, doctrina ei quoque & sermones eriperentur, posteaq. conticesceret, & mutus esset. At vero, egregie Maxime, non eras vel lingua exsecta taciturus. Verum qui linguam perficit infantium, & muto surdoq. dedit sermonem, ipse fecit vt præter opinionem loquereris, sermonesq. emitteres magis quam antea articulatos.

MANV DEXTERA PRAECIDVNTVR MAXIMVS ET ANASTASIVS.

Postquam autem idem & discipulo Anastasio fecerunt, eiusq. linguam introrsus præciderunt: eadem ipsum corroborauit gratia, sermonem dans absque loquentis instru- D mento, cumq. vberem inopinato & copiosum. Quare maiori inuidia scelesti homines perculsi, alium generosis athletis inusitatiorem cruciatum inflixerunt; quasi se iniurios esse existimarent, nisi omnem in eos acerbitatem experirentur: quos & multo satius erat, morte affectos tollere de medio, sicut illis quoque videbatur, quam huiusmodi supplicijs addicere: nam restibus tenuibus beatum complentes, ac tormentis vndique adhibitis, ei cultro & malleo dexteram manum abscindunt: confestimq. certaminis socium Anastasium adeunt, idē ab eo supplicium expetentes, vt paris gloriæ fructu omnino potiretur.

DVCVNTVR IN EXILIVM MAXIMVS ET DISCIPVLI.

Hos lingua & manus expertes eijciunt e Prætorio, trahunt & circumducunt per forum, excisa membra ostentantes, clamoribus vtentes incertis, eosq. ludibrijs & dicterijs appetentes. Tum post inhonestam illam circumductionem, exilio longinquo tradunt vna cum Apocrisario Anastasio, ab omni cura & ope desertos & nudos, sine calceis, sine cibo, E omni vitæ facultate priuatos, procul a mari propter misericordem hominum visitationem, & (quod omnium grauissimum) inter se disiunctos; hoc solum facientes pulchre, sanctos scelerati a se segregantes.] pepercerant autem inferre dicta supplicia alteri Anastasio, muneris quo functus erat, Apocrisarij, rationem habentes. Sed pergit auctor:

DISIVNGVNTVR SINGVLI AB INVICEM.

Postquam autem (vt sermo narrauit) in exiliū Maximum deportarunt: contigit, vt is in via multa perpeteretur, multasq. ærumnas subiret ac dolores, vtpote qui nec in iumento, nec in sella aut lectica sedere posset multis doloribus confectus, ac innumeris afflictus angoribus. Eum igitur in quēdam grabatum vimine contextum imponunt, ac vix ægreq. gestantes longo illo itinere abducunt. Quem in quodam Alaniæ castello, quod Schimaris appellatur, custodia inclusum collocantes, sinunt ab ope & cura desertum. Cumq. præclarum eius discipulum cum eius cognomine, *ambos Anastasios*, eodem itinere duxis-

sent

A sent: diſiungunt vtrumque a præceptore, eosq. etiam ab inuicem dirimunt, ſingillatim multa commutantes loca, & a longe in Abſagorum inducunt regionem. Ex his alter multis incommodis feſſus, ipſum ſpiritum, qui ſolus reliquus erat, emiſit: nec ſatis ſcitur dies, quo diſceſſit e vita, vt eius dixit cognominis Apocriſarius Anaſtaſius. At diuino Maximo in caſtello Alaniæ iam trienniũ concluſo, ſibimetq. in corporis cura miniſtranti, quamuis plenus dierum eſſet (vt dictum eſt) ac infirmo corpore, diuinum quoddam viſum ſuperne oblatum eſt, mortis diem ei ſignificans, & ad illa accerſens tabernacula. Qui dies cum veniſſet (erat autem decimustertius menſis Auguſti) hæc dimittens, percurrit ad cælos, re vera cælis & illa habitatione dignus. Monumentum autem, in quo ſacrum eius corpus depoſitum eſt, tres lucidæ faces per vnam noctium ex tunc ſplendore illuſtrant, mirificum quidem emittentes fulgorem, mirabiliorem vero (vt par eſt) ſtuporem intuen-

DIES OBITVS ET CORONAE SANCTI MAXIMI MARTYRIS.

B tibus afferentes, munificiq. Dei erga famulum ſuum ditiſſimam oſtendentes gratiam.

Verum tibi quidem, ſanctiſſime Pater, magna præſentium gloria & ſplendor eſt, cum te etiam Dominus plus hic honorificauerit: multo vero maior eſt, longeq. præſtantiſſima tibi illa tributa ſors, cæleſtes illi honores, cum magnæ luci aſſiſtis, ac beatæ Trinitatis principisq. lucis in te recipis ſplendorem, Deumq. (quod maximum, maximeq. mirabile eſt) vides, ac videlicet ipſa vnione factus ſis Deus, & participatione totus deificatus, deificationemq. inenarrabilẽ ſuſceperis. Quamobrem cum eã gloriam ſis adeptus, da quoque multum abs te auxilium nobis, qui adhuc in præſentibus natamus vndis, curſum hunc peragimus, & hanc vitam nauigamus multis procellis plenam: Vt te gubernatore, te duce, mare hoc inſtabile enauigemus, & in æterno tranquilloq. portu ſtationem adipiſcamur in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo Patri gloria, vna cum ſancto & viuifico Spiritu

AVCTORIS AD MAXIMVM APOSTROPHE.

C nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.] hactenus auctor: quæ autem ſequitur oratio, nonniſi in vno volumine (cum ſint tres Vaticani codices, in quibus eadem S. Maximi & ſociorum Acta continentur) ſcripta reperitur, addita (vt videri poteſt) a notario, qui in gratiam cuiuſdam Epiſcopi, Nicolai nomine, eiuſdem ſancti Maximi ſtudioſiſſimi, eadem Acta conſcripſit. Sic enim ſe habet:

Hæc a nobis tibi oratio, o Patrum optime, & filiorum amantiſſime, rebus ipſis (vt & ipſe noui) omnino inferior, deſiderio autem (vt puto) nemini cedens. Orationis vero cauſa & auctor fuit Antiſtes ex te pendens, qui ditatus eſt tum nomine, tum ſimilitudine morum eius, qui fuit Myrorum gregis princeps: mirabilium ſermonum tuorum ſemper ipſe cupidus, te maxime deſiderans, tuumq. iucundiſſimum nomen linguæ faciens delicias. Cui & redde, ſocietatem tecum & contubernium nanciſci: qui multum (vt vides) pro

NOTARII AD S. MAXIMVM PRECES.

D honeſtate pulchriſq. inſtitutis certamen capeſſit: quiq. vitam ipſam libens proijciat, modo ei contingat aliquid melius in rebus gerendis peragere in ipſo Chriſto Domino noſtro, cui gloria & imperium nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.] Porro his de Maximo atque eius diſcipulis dictis Græci hiſtorici omnes adſtipulantur, ſimulq. eorumdem Græcorum Menologia, necnon Latini auctores: ita vt glorioſum Maximi martyrium tam in Oriente quam in Occidente ſcriptorum omnium monumentis fuerit celebratum.

Accedit ad gloriã tanti martyris, quod ſui nobiliſſimi ingenij & fidei Orthodoxæ, qua pollebat, dignas poſt ſe lucubrationes reliquit, quibus licet viuens fuerit ab aduerſarijs (vt dictum eſt) ſpoliatus: haud tamen, Deo eas protegente, perire penitus valuerunt, ſed magna ex parte integræ remanſerunt. quarum hic tibi indicem, veluti inſignem coronidẽ ad ea quæ ſunt dicta de ipſo, ex Vaticano promptuario exſcriptum apponimus, depromptũ ex

E tribus tomis Græce conſcriptis, & ex Photio collectum: quorum vt facilior ſit tibi cognitio, quatuor alphabeti litteris diſtincta ſerie ſcripta ſingula numeramus hoc ordine:

P. ſignificat Photium eius operis meminiſſe.
A. reperiri docet in codice Vaticano numero 335.
B. eſſe oſtendit in codice Vaticano numero 336.
C. reperiri in codice Vaticano numero 337.

SCRIPTA S. MAXIMI MART.

P. A. Quæſtiones in ſacram Scripturam numero ſexagintaquinque cum earumdem ſolutionibus, ad Thalaſſium presbyterum ac Præpoſitum.
A. Expoſitio ſymbolica eorum quæ in ſacra Synaxi fiunt in Eccleſia.
A. Expoſitio in Pſalmum quinquageſimumnonum.
A. Expoſitio orationis Dominicæ ad quemdam Chriſti famulum.
C. Scholia in B. Dionyſium Areopagitam.

S. MAX. MARTYRIS SCRIPTA.

P.	A.		Ad Thomam Dei famulum, de diuersis eius quæstionibus in Dionysium & Gregorium, epistolæ duæ. A
P.	A.		Scholia in Gregorium Theologum ad Ioannẽ Cyzici Archiepiscopum.
P.	A.		Centuriæ quatuor de charitate, ad Elpidium presbyterum.
P.	A.		Cẽturiæ septẽ de Trinitate, de Verbi incarnatione, & de virtute ac vitio.
P.	A.		Sermo ascēticus per interrogationem & responsionem.
P.			Sermo compendiosus aduersus Seueri dogmata, ad Petrum illustrem, per capita distinctus.
P.	A.		Dialogus Pyrrhi & Maximi, de duabus voluntatibus & operationibus in Christo.
		A.	Tomus dogmaticus in Cyprum missus ad Marinum diaconum *. *presbyterum
		A.	Expositio summaria de Pascha Dominico, in qua totius Kalendarij canonici ratio explicatur, cum breui sub finem chronologia. B

Epistolæ ad diuersos.

	B.		Auxentio.
P.	B.		Cononi presbytero ac Præposito.
P.	B.		Constantino illustri ex Sacellarijs duæ.
P.	A.		Cosmæ diacono Alexandrino, de communi ac proprio, deq. essentia & hypostasi. continet capita nouem.
	B.		Cydonio Episcopo.
P.	B.		Cyricio, seu Cyrificio Episcopo duæ.
	B.		Eulogio Episcopo Alexandriæ, de duabus Christi naturis. continet capita septem. C
P.	A.		Georgio Præfecto, cum appulisset Constantinopolim.
P.	B.		Georgij Africæ Præfecti nomine, ad monachas Alexandrinas, quæ ab Ecclesia Catholica defecerant.
	A.		Georgio presbytero ac Præposito, qui per epistolam interrogarat de Christi mysterio.
P.	A.		Ianiæ Præpositæ, de monacha quæ cœnobium reliquerat.
	A.		Ioanni Archiepiscopo Cyzici, quod anima sit immortalis.
	B.		Ioanni cubiculario, de charitate.
	A.		Ioanni cubiculario, de tristitia secundum Deum.
P.			Ioanni cubiculario duæ. D
P.	B.		Ioanni Episcopo duæ.
P.			Ioanni Philosopho. continet capita vndecim.
	A.		Ioanni cubiculario, de rectis Ecclesiæ dogmatibus, & cõtra Seuerũ duæ.
P.			Ioanni Sophistæ.
P.	A.		Iordani presbytero, de animæ operatione post mortem.
P.			Iuliano Alexandrino ab hæresi Acephalorum conuerso.
	B.		Iuliano Scholastico Alexandriæ, de dogmate Ecclesiæ circa Christi incarnationem.
P.	A.		Marino presbytero, de naturali voluntate, &c. continet capita nouem.
	A.		Nicandro Episcopo, de duabus operationibus in Christo.
	A.	B.	Petro illustri epistola dogmatica. E
P.	B.		Polychronio Abbati quatuor.
P.	A.		Pyrrho adhuc presbytero.
	A.		Siciliæ insulæ Præpositis, monachis, & plebi Orthodoxæ, contra eos qui vnam operationem ponunt in Christo.
	B.		Stephano Abbati.
P.			Stephano Præposito ac presbytero duæ.
P.	A.	B.	Sophronio monacho cognomento Eucratæ duæ.
	B.		Thalassio Præposito ac presbytero, de Regibus Ethnicis, qui filios immolarunt.
P.	A.	B.	Thalassio presbytero ac Præposito quinque.
	B.		Theodoro presbytero Lauræ Raithu, de essentia & natura.

Anomæi

A A. Anomæi siue Ariani disputatio cum Orthodoxo.
A. Anomæi & Orthodoxi altera disputatio.
A. Macedoniani hæretici disputatio cum Orthodoxo.
A. S. Athanasij cum Apollinarista disputatio.
A. Quænam sit animæ vis comprehensiua, καταληπτικὸν ψυχῆς κριτήριον.

Sunt & alia opuscula, quæ magna ex parte videntur pertinere ad superiores epistolas, videlicet:

B. De duabus vnius Christi Dei nostri voluntatibus.
B. De differentijs definitionum.
B Capita x. de duabus voluntatibus, ad Orthodoxos. subijciuntur epistolæ dogmaticæ ad Petrum.
Capita x. de naturalibus voluntatibus & operationibus. } subijciuntur epistolæ ad Theodorum Raithu.
Capita xiij. de voluntatibus, seu contra eos qui vnam in Christo dicunt voluntatem. } subijciuntur epistolæ ad Theodorum Raithu.
Capita x. de essẽtia & natura, hypostasi & personis. } subijciuntur epistolæ ad Theodorum Raithu.
Capita xj. de essentia, natura, & hypostasi. } subijciuntur epistolæ ad Eulogium.
Quod impossibile sit vnam dicere Christi voluntatem. } subijciuntur epistolæ ad Eulogium.
A. Aduersus eos qui asserunt vnam in Christo dicendam esse voluntatem.
A. Ex tractatu de operationibus & voluntatibus caput quinquagesimum
C & quod sequitur.
A. De duabus Christi naturis contra Arium, Nestorium, Sabellium, & Eutychem.
B. Metaphrasis ex carminibus de silentio & virtutibus.
A. In illud: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.
B. In Porphyrij Isagogen, & categorias Aristotelis, quid definitio, &c.
A. Variæ definitiones.
B. Excerpta ex antiquis Patribus. Incipit ab Irenæo, desinitq. in aliquot Cyrilli epistolis.] hactenus lucubrationes Maximi, qui non Orientem solum, sed & Occidentem illustrauit, & eo clarius, quod ea quæ scripsit, martyrio etiam consignarit. Sed de Maximo hactenus.

D Hoc eodem anno, qui & numeratur nonus Recceſuinthi Hispaniarum Regis, ex quo solus regnare cœpit anno Domini sexcentesimo quadragesimooctauo, S. Eugenius Toletanus Episcopus moritur; in cuius locũ subrogatur Ildefonsus æque sanctus. Porro Eugenius egregiæ sanctitatis merito adscriptus retinetur publicis Ecclesiæ tabulis inter sanctos, ex quibus anniuersaria die qua obijt, Idibus Nouembris, nomen eius publice recitatur. At cũ viri huius egregiæ res gestæ magna ex parte obscuræ remanserint: pauca quæ de eo reperiuntur scripta in libello eiusdẽ S. Ildefonsi de viris illustribus, hic reddamus: ait enim:

S. EVGENIVS TOLET. EPISC. MORITVR. SVCCEDIT ILDEFONSVS.

Eugenius alter post priorem Eugenium Pontifex subrogatur. Hic cum Ecclesiæ clericus esset egregius, vita monachali delectatus est. Qui sagaci fuga, vrbem Cæsaraugustanam petens, illic martyrum sepulchris inhæsit, ibiq. studia sapientiæ & propositum monachi decenter excoluit. Vnde Principali violentia reductus, & in Pontificatum adscitus,

EVGENII MORES ET LVCVBRATIONES.

E vitam plus virtutum meritis, quam viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, paruus robore, sed valde feruescens spiritus virtute, studiorum bonorum viam prosequens. Cantus passiuis vsibus vitiatos, melodiæ cognitione correxit: Officiorum remissos ordines, curamq. discreuit. Scripsit de Trinitate libellum & eloquio nitidum, & rei veritate perspicuum: qui Libyæ Orientisq. partibus mitti quantocyus poterat, nisi procellis resultantia freta incertum pauidis iter viatoribus distuliſſent.] Quos enim præpotens armis euertisset secta Mahometana, quæ ab Ariano homine venena fuerat mutuata: his quamprimum Eugenius suis scriptis occurrendum putauit; quæ in Orientem perferri curans, haud perficere valuit. Cum enim nefaria secta non disputatione, sed armis robur sibi compararet: haud prosperum Deus fecit iter libros ferentibus non profuturos. Sed quæ fuerint aliæ eiusdem viri sanctissimi lucubrationes, idem ita pergit ostendere:

Scripsit & duos libellos, vnum de diuersi carminis metro, alium de diuersi operis prosa

concretos: qui ad multorum industriam, eius ex hoc tenaciter sanctam valuerunt commendare memoriam. Libellos quoque Dracontij de creatione mundi conscriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea quæ inconuenientia reperit subtrahendo, immutando, vel meliorando, ita in pulchritudinis formam coegit, vt pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu processisse videantur auctoris. Et quia de die septimo idem Dracontius reticendo, semiplenum opus visus est reliquisse; iste & sex dierum recapitulationem singulis versibus renouauit, & de die septimo, quæ illi visa sunt, eleganter dicta subiunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindasuindi & Recceſuinthi Regum, fere duodecim annis tenens dignitatem simul & gloriam sacerdotis: sicq. post lucis mundialis occasum in basilica S. Leocadiæ tenet habitationem sepulchri.] A

Antequam autem de eius successore Ildefonso agamus, hic eiusdem Eugenij sepulchri epitaphium reddendum putamus, quod habet acrosticis his versibus ipsius Eugenij nomen expressum: B

EPITAPHIVM SEPVLCHRI EVGENII.

Excipe, Christe potens, discretam corpore mentem,
Vt possim picei pœnam vitare barathri.
Grandis inest culpa, sed tu pietate redundas.
Elue probra, Pater, & vitæ crimina tolle.
Non sim pro meritis sanctorum cœtibus exul.
Iudice te prosit sanctum videre tribunal.
Vis lector vno, quis sim, dignoscere versu?
Signa priora lege, mox vltima nosse valebis.]

nempe EVGENIVS MISELLVS.

ILDEFONSVS SVCCESSOR EVGENII.

Ildefonsus autem successor ipsius, cum (vt dictum est) scribatur anno nono Recceſuinthi successisse Eugenio, plane hoc anno in eius locum subrogatus apparet. Quæ autem de se ipsemet habeat, cum præfatur in libello, quem postquam creatus est Episcopus scripsit de viris illustribus, in mediũ adducamus: vbi enim eos recensuit auctores qui eodem argumento libros scripsere, hæc de se ipso: Aſt ego procul valde impar & ijs quos adnotatio retinet, & ijs quos adnotatio delectauit, indignus satis, & absque substantia alicuius boni operis, successor sanctæ memoriæ alterius Eugenij factus in sede illa gloriosa Toletanæ vrbis, quam non ex hominum immenso conuentu * glorioſam dico (cum hanc etiam gloriosorum illustret præsentia Principum) sed ex hoc quod coram timentibus Dominum, iniquis atque iustis * habetur locus terribilis, omniq. veneratione sublimis, &c.] hæc de sede Toletana Ildefonsus; de ipsius autem lucubrationibus agendum erit in eius obitu. C

* numero

* iniustis

TOLETANA ECCL. CELEBRIS.

Quod vero pertinet ad ea quæ dicit de sede Toletana: eam plane præter alia multa insigniaq. reddidit his temporibus celebrẽ successio plurium sanctorum Pontificũ: nihil enim tam mouet populum ad cultum venerationemq. alicuius Ecclesiæ, quam præsidentium sacerdotũ fulgens sanctis operibus vita. Rursum vero, quod & in eos qui minus digne in eam assumpti sedem degeneres reperti essent, diuina vindicta euigilasset, eamdem ipse nominat locum terribilem, omniq. veneratione sublimem, ex ijs scilicet quæ ipse eadem præfatione inferius habet, vbi de sancto Montano quæ suo loco sunt dicta recensuisset, his verbis: D

TERRIBILIA DEI IVDICIA IN PRAVOS EPISCOPOS ET CLERICOS.

Cum, inquit, Helladio Episcopo sedis eius Iustus diaconus fastu superbiæ insultaret, post mortem quidem sui Pontificis vixit Episcopus, & ipse tabefactus; sed in reprobum versus sensum, ob intemperantiam morum, a ministris altaris sui dormiens strangulatus laqueo expirauit. Item cum successori eius Iusto Episcopo Gerontius presbyter, Principis oblectamine fotus, contemptum aduersitatemq. deferret, tam repentino motu vim perdidit intellectus, vt multis medicorum curationibus quicquid in medelam fieret, totum in pestis augmentum creſceret: sicq. inualuit commotio mentis, vt vsque ad obitum suum terror esset homini eius vel participatio visionis, vel colloquium oris. Adhuc etiam successori in locum eius Eugenio priori Eufridius * diaconus suus cum innixus amicitiæ sæculari violenter honorem presbyterij & quædam prædia extorsisset, tam in reprobum sensum, tamq. in languoris supereminentem peruenit statum, vt cum viuere recusaret, tam mori esset quod viueret, quam viuere quod mori vellet.] hæc Ildefonsus: ad quæ visus est allusisse, cum sedem Toletanam nominat locum terribilem, omniq. veneratione sublimem. E

* Decentius *habet cod. Vatic.*

Sed Deus, qui se aduersus prauos Episcopos vltorem manifestum exhibuit, erga sanctos misericordẽ, donis pluribus ijsdemq. maximis impertitis, ostendit. Quanta enim per suam genitri-

A genitricem Mariam Virginem ipſi, poſtquam factus eſt Epiſcopus, contulerit Ildefonſo, ex canone Concilij in Hiſpania ad Pennam fidelem ſub Aegidio Epiſcopo Toletano habiti hic innoteſcet. eſt canon eiuſdem Concilij vndecimus iſtis verbis expreſſus, vbi agitur de ſolemniori cultu celebrando die natali eiuſdem ſanctiſſimi viri:

Item quia mater Dei & Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti glorioſa ac ſemper Virgo Maria cappellanum ac ſuæ virginitatis ſpecialem præconem beatum Ildefonſum Patriarchalis Toletanæ Eccleſiæ Præſulem ac rectorem poſt ſui aſſumptionem deſcendens de cælo empyreo corporaliter viſitauit, ac donis & muneribus ſpiritualibus decorauit in ſignum ſpiritualis dilectionis & amoris; & quos mater Dei diligit & honorat, nos teneamur diligere & etiam honorare: Statuimus & ordinamus, vt per totam Toletanam prouinciam eius feſtiuitas præcipue ſeu duplici officio ſolemniter celebretur.] hæc Patres in B dicto Concilio anno Domini milleſimo trecenteſimo ſecundo celebrato. Sed quæ de re tanta in rebus geſtis eiuſdem ſancti Ildefonſi ſcripta reperiuntur, in medium adducamus. SYNODALIS TESTIFICATIO DE GRANDI MIRACVLO

Iulianus, non ille Toletanus Epiſcopus, ſed eiuſdem Eccleſiæ Toletanæ diaconus, in præfatione voluminis ſancti Ildefonſi de laude intemeratæ Dei genitricis Mariæ, ipſius ſanctiſſimi Epiſcopi res geſtas contexuit: habes eam, ſimulq. eiuſdem Sancti opuſcula cum ſermonibus eiuſdem haud pridem typis ex ſcriptis codicibus primum cuſa Pariſijs, in lucem prodita ſumma diligentia viri doctiſſimi Franciſci Feuardentij Theologi Pariſienſis, cui hoc nomine plurimum debeat Hiſpaniarum Eccleſia. Quæ autem idem Iulianus diaconus Toletanus ſcribit de rebus adeo admirandis tranſactis inter Deiparam & ſanctũ Ildefonſum, ac primum quæ cum ſancta Leocadia interceſſerunt, ſe accepiſſe teſtatur a teſtibus fide integerrimis Vrbano & Euantio, qui eodem ſæculo quo Ildefonſus vixerunt, C & Vrbanus factus eſt poſtea Epiſcopus Toletanus, Euantius vero eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconus. Poſtquam igitur de primordijs eiuſdem Sancti nonnulla Iulianus ipſe narraſſet, hæc de eodem dicere pergit: IVLIANVS DIACONVS SCRIPTOR REVM S. ILDEFONSI.

Quod per tot annos populis deſiderantibus necdum fuerat oſtenſum, illis iſte patefaceret primum: & reliquias ſanctæ ac Deo dicatæ virginis Leocadiæ, aduenientе Rege in ſede regia, ſua feſtiuitate, omnibus aſtantibus præſentaret: & ante ſepulchrum eius genibus prouolutus, tumulum in quo eius ſanctiſſimum corpuſculum vſque hodie humatum eſt, vt exiliret, & operculum quod vix triginta iuuenes mouere potuiſſent, non humanis manibus ſed Angelicis eleuatum: velum quod ſanctæ martyris membra tegebat, conſurrexit, tamquam illud ipſa viuens foras ſubmitteret, & veluti manibus hominum extenſum eleuaretur, atque conſpectui eius virgo pulcherrima obſequens aduen- D taret, clamantibus Epiſcopis, Principibus, presbyteris, diaconibus cleri, atque omni populo, Deo gratias in cælo, Deo gratias in terra, nemine tacente. Ipſe * vero manibus ſtatim complexans & aſtringens, talia fertur depromere vota, vociferans cum omni populo & clamans: Deo gratias, viuit domina mea, per Ildefonſi. Et ipſum repetens clerus vehementer pſallebat, Halleluia: & canticum quod ipſe dominus Ildefonſus grauiter fecerat: Specioſa facta es, Halleluia: & alia quæ in ipſa Miſſa, quæ ſubter eſt annotata, in laude eius deprompſerat. Clamabat inter voces populi velut mugiens, vt aliquod inciſorium deferrent, vnde quod manibus tenebat præcideret: & nemo illi accurrebat, & populus vaſtis vocibus rictibusq. frendebat. Nam & ſancta virgo quod voluntate ſubmiſerat, violenter retrahebat. Sed & Princeps quondam Recceſuindus, qui eo tempore erat, gloria & ferocitate terrena depoſita, qui eum ob iniquitates ſuas in- E crepitus ſuperbo oculo intuebatur, cultrum modicum, quem in theca tenebat, cum lacrymis offerebat: & collo ſubmiſſo, ſupplices manus a throno ſuo extendens, vt eum illi deferrent, inſtanter deprecabatur, poſtulans vt indignum non iudicaret ſua cum lacrymis offerentem. Quem ille apprehendens, quod manu læua iam modicum tenebat, dextra præcidit: & cultrum ipſum vna cum eiſdem reliquijs tectis * argenteis collocauit, indignum iudicans, vt qui ſancta præciderat, vltra polluta tangeret. Requirentis manus quantum valebat vicario iure præcipit impendi. DE S. LEOCADIAE APPARITIONE. * Ipſa * thecis

His peractis, quia longum eſt iſta omnia enucleare; cuncta quæ vſui pertinebant ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, in Dei laudibus vſquequaque completa ſunt. His excuſſis, alia adhuc miracula Spiritus ſanctus per eum in ipſo Dominico Aduentu non poſt multos dies peregit. Sed quia omnia longa ſunt recenſere, quæ eius temporibus in Toletana vrbe dominus Vrbanus & dominus Euantius per eum facta narrabant, vel ex multis pauca aggrediamur

diamur: quia qui hoc mecũ audierunt, cum hoc legerint, dolebunt prætermisisse me tam A
multa & magna, quæcumque mecũ sciunt. Superueniente vero die Assumptionis sanctæ &
semper virginis Mariæ, ante tres dies tribus diebus Litanias peregit, & Missã quæ in illius
laude decantaretur, perfecit, quæ est septima. At vbi ventum est ad eius solemnitatem,
supradictus Rex minus de timore Dei solicitus, & de suis iniquitatibus male conscius, ad
DEI GENITRIX VISA IN ECCLESIA. audienda solemnia regali de more accessit. Nam rebus Dei Ildefonsus maiori adhuc
munere fretus, dum Dominæ suæ solemnia, cui Deo præsule seruiebat, ouans susciperet,
& in laude genitricis Dei hoc quod supra prænotauimus, summo cordis affectu harmonica
modulatione composita carmina appararet, & libellum virginitatis more synonymiæ
testimonijs veteris ac noui Testamenti plenum compte ederet, & digna facundia ac magnificentia
iam præfatæ Dominæ suæ exornaret, dum ante horas matutinas solito more
ad obsequia Dei peragenda consurgeret, vt vigilias suas Domino consecraret: diacono B
vel subdiacono, atque clero ante eum cum vasculis præcedentibus, subito ostia aperientes,
& ecclesiam intuentes, atque splendori cælesti aciem defigentes, lumen quod ferre
non valuerunt, cum tremore effugientes; lampadas, quas manibus tenebant, reliquerunt,
& sua vestigia per quæ venerat adeuntes, prope mortui reuersi sunt ad sodales.

Solicite omnis congregatio requirens quid de Dei seruo ageretur, cum cum Angelicis
choris viderunt: quod tã subito expauerunt custodes, vt & terga ab ostio ecclesiæ dantes,
reuertebantur ad proprias sedes. At ille bene sibi cõscius, ante altare sanctæ Virginis pro-
cidens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem, vbi solitus erat Episcopus resi-
QVAE SANCTO ILDEFONSO DONARIT SANCTA DEI GENITRIX MARIA. dere & populum salutare (quam cathedram nullus Episcopus adire tentauit postea, nisi
dominus Sisibertus, qui statim ipsam perdens, exilio relegatus est) & eleuatis oculis aspe-
xit in circuitu eius, & vidit omnem apsidem ecclesiæ repletam virginum turmis, de can- C
ticis Dauid modulata suauitate aliquid decantantibus. Aspiciensq. in eam, vt ipse sibi
conscius bene carissimis referebat, sic eum allocuta est voce: Propera in occursum, serue
Dei carissime, accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro filij mei tibi attuli:
Sic enim tibi opus est, vt benedictione tegminis, quæ tibi data est, in meo tantum seruitio
vtaris. Et quia oculos fidei fixos in meo semper seruitio tenens permansisti; & laudem
meam, diffusa in labijs tuis gratia, dulciter in cordibus fidelium depinxisti: & ve-
stimentis Ecclesiæ iam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuarijs meis cum
alijs seruis filij mei lætaberis. Et hæc dicens, ab oculis eius vna cum virginibus & luce,
quæ venerat, remeauit. Remansit Dei seruus in tantum securus de adipiscenda gloria,
in quantum præscius de sibi donata palmæ victoria, præstante Domino nostro Iesu Chri-
sto, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & cuncta regit per infinita semper sæcula sæ- D
culorum. Amen.] hucusque Iulianus diaconus. tribuunt alij eius historiæ scriptionem Li-
xicæ Toletano Episcopo Vrbani successori, accepisseq. eam ab Vrbano & Euantio, qui-
bus per ætatem licuerit rei gestæ miraculo immo miraculis interesse. His autem omnes pe-
nitus, qui res Hispaniarum Ecclesiæ scriptis sunt prosecuti, absque controuersia adstipu-
lantur. Qui vero eiusdem Sancti opuscula legerit, videritq. quã ardentissimo Dei genitri-
cis amore ipse flagrarit, & quam copiose prosecutus sit laudes cultumq. eiusdem sanctissi-
mæ Mariæ Deiparæ: haud adeo, puto, mirabitur, si tale ab ipsa munus fuerit consecutus.

Hoc anno, qui vndecimus numeratur Sigeberti Francorum Regis, ipse ex hac vita mi-
OBITVS SIGEBERTI FRANCORVM REG. grauit: licet alij decem tantum vixisse annos tradant, alij dicant peruenisse ad annum
Domini sexcentesimum sexagesimumsecundum, quod pluribus quæ erunt dicenda repu-
Molan. in natal. SS. Belg. die 1. Febr. gnat. Constat* autem ipsum ob egregias animi virtutes a maioribus relatum esse inter E
sanctos, coliq. diem natalem eius Kalendis Februarij. Scripsit libellum de eiusdem mira-
culis Sigebertus Gemblacensis.

IESV CHRISTI ANNVS 658. VITALIANI PAP. ANNVS 4. CONSTANTIS IMP. ANNVS 17.

ANnus sequitur Redemptoris sexcentesimus quinquagesimusoctauus, Indictione
prima: quo Thomas Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset (vt habet Ni-
cephori Chronicon) annos duos & menses septem, moritur, atque in eius locum subro-
* diaconus gatur Ioannes presbyter* eiusdem Ecclesiæ Syncellus & Custos vasorum. Hic ipse in Sex-

tæ Sy-

A tæ Synodi Actis (vt dictum est superius) prædicatur Catholicus; quē de sua quam profitebatur Catholica fide Synodalem scripsisse epistolam ad Macarium Antiochenum, fidem faciunt Acta quæ extant Sextæ Synodi, vbi inter alia de Ioannis fide Catholica hæc leguntur [a]: Similiter relectum est ex eodem regesto exemplar Synodicorum Ioannis sanctæ memoriæ, qui fuit similiter Patriarcha huius regiæ vrbis, continens in superscriptione ita: Per omnia sanctissimo & consacerdoti Macario Ioannes indignus Episcopus. quorum initium est: Quis loquetur potentias Domini? &c.] Probatum vero cognitumq. fuisse Catholicum eumdem Ioannem Episcopum, inferius eadem Acta testantur, quæ commentitia existimantur. IOANNES EPISC. CONSTANTINOP.

[a] *Sext. Synod. Act. 12.*

Valde namque repugnant ijs quæ in S. Maximum facta sunt, atque in discipulos eius, cum omnes simul toto hoc tempore durissimo detinerentur exilio, eo quod nollent com-
B municare cum Constantinopolitana Ecclesia, cuius esset ipse Thomas Episcopus Monothelita. Si enim secus fuisset, communicare eidem minime recusassent; sicq. ab exilio liberati, Deo gratias egissent de reddita Ecclesiæ pace, quam diu optassent, & pro ea Deum iugiter rogassent. Quamdiu igitur perseuerare videmus in Orthodoxorum præcipuos agonistas persecutionem; quæ scripta habentur de Catholica fide eius Ecclesiæ Patriarcharum, æquo animo haud ferre possumus absque suspicione commenti. Sed de his iam superius diximus.

Hoc anno pax tractata est inter Romanos & Sarracenos, de qua Theophanes inter alios verbis istis: Anno decimoseptimo Imperatoris Mahuuias Arabum Princeps, suorum seditione compulsus, de pace ineunda ad Constantem misit, eius pacis nomine in singulos dies ab Arabibus mille nummos depensum iri promittens & equum & seruum.] hæc
C Theophanes.

Quod pertinet ad res Occidentalis Ecclesiæ, clarent Galliæ noua luce martyrij, quod subijt hoc anno [b] sanctus Theodardus Episcopus Traiectensis. Extant eius Acta, scripta, vel restituta potius a Sigeberto Gemblacensi, qui se ea meliori stylo expolijsse testatur. Natione Gallus Theodardus fuit, professione monachus: cumq. Sigebertus Rex Francorum in Austrasia duodecim monasteria erexisset, vni eorum, nempe Stabulensi, consilio sancti Reclami Tungrensis Episcopi & Cuniberti Colonien sis, inuitus præficitur Abbas; nolensq. haud diu post ipsi Reclamo successit in Episcopatu Ecclesiæ Traiectensis. Fuit ipsi aliqua ex parte quies, cum viueret Sigebertus laudatissimus Princeps æqui amantissimus, & religionis obseruantissimus: quippe qui solus visus sit pro miraculo frenum iniecisse indomitæ dominandi cupiditati, cum paterni regni ipse maior natu minorem sibi sumpserit partem, maiorem vero minori cesserit fratri Clodoueo; beneq. vsus
D pace, cum ab externis & a ciuilibus bellis quiesceret, sese totum monasterijs erigendis, alijsq. pietatis operibus mancipauit.

[b] *Sig. in Chron. hoc anno, & Molan. in Martyrol. SS. Belgij.*

SIGEBERTI REGIS VIRTVTES LAVDATAE.

Cum vero (vti anno superiori dictum est) Sigebertus ad annum vndecimum propagasset regnum, & ex hac vita recessisset, vno relicto puero filio Dagoberto; adoptatoq. iam antea, cum prole careret, Ildeberto filio Grimoaldi Maioris domus, cuius arte foras in Scotiā Dagobertus puer fuerat amandatus, in bello perēpto, & eius parente carceri mancipato; potitus est regno frater ipsius Sigeberti Clodoueus, monarchiam obtinens Galliarum; qui Childerico secundo loco nato filio regnum a Sigeberto relictum tradidit, adolescenti (vt aiunt) leuissimo, ad omnem prauorum impulsum facile mobili: sub quo ipse, quem diximus, Theodardus martyrium subijt. Quomodo autem id acciderit, ex eius Actis
E hic reddimus, quæ sic se habent [c]:

CHILDERICI REGNVM.

[c] *Extant apud Sur. die 10. Septemb. tom. 5.*

Tutabatur Theodardum Episcopum contra omnes fauor Sigeberti Regis, qui amator diuinæ religionis, oculos habebat columbinæ simplicitatis. Quo defuncto, regnum Austrasiæ, quod tenuerat, dedit frater Clodoueus filio suo Childerico. Tum vero omnis malitia & iniustitia in regno prævaluit, & contra Ecclesiam grauis domesticæ tempestatis turbo insonuit. Theodardus autem, quia mercenarius non erat, non fugit a facie luporum, sed pro ouibus suis constantius ex aduerso stetit. Et quia pastor essentialiter bonus dixerat [d]: Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis: nec in hoc surdus auditor fuit, paratus pro ouibus animam ponere. Sed ne quid inexpertum relinqueret, deliberat Regem Childericum adire, & ante eum super iniurijs Ecclesiæ illatis legaliter expostulare, si forte per censuram regalem Ecclesia possessiones suas reciperet. Atque diuinitus edoctus a mentis suæ oracu lo, imminere sibi tem-

CHILDERICVS ADVERSATVR S. THEODARDO.

[d] *Ioan. 15.*

tempus passionis, disposuit domui suæ, & omnibus vltimum Vale dicto, ouesq. suas illi A
commendans, qui sibi illas commendauit, duce mentis constantia, cũ paucis iter arripuit.

Porro filij Belial, qui præ duritia impœnitentis cordis thesaurizabant sibi irã, nullo modo potuerunt adduci ad aliquam resipiscendi viam, vt scilicet ablata Ecclesiæ restituerent: sed scientes quia in nullo ibi responderet iustitia, si de præsumptis rebus Ecclesiæ coram Palatinis ageretur controuersia; mala malis cumulant, & ex desperationis periculo de morte innocentis Præsulis tractant, & iter eius diligenter explorant. At vir sanctus iusti propositi tenax, quem armabat viuus & efficax sermo Dei dicentis [a]: Nolite timere eos qui occidunt solum corpus: iam diœcesis suæ terminos longe excesserat, & in pago, quem Alisatiam vulgo dicunt, bonis adhuc prouentibus gradum fixerat. Et ecce cuneus inimicorum Dei de insidijs emergens, arrectis lanceis in necem innocentis proruit. Ille munitus tuto patientiæ clypeo, eos ad pacis bonum inuitare volebat. Sed quia B
non erant filij pacis, pax non inueniens in eis vbi requiesceret, ad amicũ pacis reuersa est.

a Matth. 10.

MARTYRIVM THEODARDI EPISCOPI.

Tum vero vt lupi agnum, impij circumstabant pium; illumq. oculos ad cælos tollentem, & pro eis orantem exemplo Iesu in Cruce pendentis, contumelijs afficiunt, humi prosternunt: & quia iram nequit explere potestas, caput sancto oleo perunctum in frusta secant, corpus sanctum membratim dilaniant. Terra quidem sic data est in manus impiorum, spiritus autem ab omni terræ rudere excoctus per ignem passionis, vt aurum in fornace probatus redijt ad Dominum, qui fecit illum. Fides nimirum, quæ protomartyri Stephano aperuit cælos, vt videret Iesum stantem ad auxiliandum sibi: hæc quoque Theodardo martyri cælos aperuit, &c.] pergit auctor pluribus dicere de miraculis, quæ postea contigerunt plurima quidem & ingentia, quibus Deus voluit hominibus notum fieri, secum in cælis regnare martyrem, quem improborum manus in terris occiderant. C
Adscriptus autem est Theodardus ea die qua passus, decima mensis Septembris, catalogo sanctorum martyrum, eademq. annis singulis publica commemoratione in Ecclesia conspicitur rediuiuus. Successit Theodardo martyri S. Lambertus Episcopus pariter martyrio coronatus, vt suo loco dicemus: fuisse autem & hunc discipulum sancti Reclami Episcopi Leodiensis, eius Acta testantur.

IESV CHRISTI ANNVS 659. VITALIANI PAP. ANNVS 1. CONSTANTIS IMP. ANNVS 18.

CONSTANS FRATREM OCCIDIT.

SExcentesimus quinquagesimusnonus Domini annus sequitur, Indictione secunda: quo D
Imp. Constans, sceleribus scelera iungens, impulsu malorum dæmonum, fratrem suum Theodosium consecratum iã diaconum nece abstulit, ita crudeliter fratricidium sacrilegio magis infamans. De nefando facinore breuiter hæc tantum ex Theophane Græcorum habent Annales: Anno decimooctauo Imperij Constans germanum suum fratrem Theodosium interfecit: quem quidem, offensus ab eo antea, opera Pauli Patriarchæ attonsum diaconum consecrari voluisset: a quo ministrante idem Imperator sancto sanguinis poculo in sacrosanctis mysterijs impertitus fuisset.] Ista vero haud impune patrauit: exegit enim fusus sanguis innocuus a Deo vindictam, vt omnibus vitæ suæ diebus, instar Cain, conscientiæ stimulis agitatus, profugus & vagus viueret super terram; eo infelicior, quod non sicut ille [b] signum accepit a Domino, ne ab aliquo interficeretur: etenim insequente eum culpa, tremens vbique locorum fuit & pauens: sed etiam ea ex causa infe- E
licissimus, quod ob oculos positum proficuum remedium pœnitentiæ non arripuit, sed in fuga insanus præsidium collocauit, vane putans mutatione locorum ab insequente se culpa non expiata posse defendi. Quidnam autem memoria dignum tunc acciderit, audi inchoatæ tragœdiæ dignum exitum.

b Genes. 4.

DIVINA VLTIO EXAGITAT IMPERATOREM.

Vbi enim scelus, immo in vno plura scelera nefandissima perpetrasset, cum extinctum penitus fratrem & obliuione sepultum omnino putauit, didicit suo damno miser superesse post cædem homini, quod viuat & clamet. Sed accipe quæ in Græcorum leguntur Annalibus [c]: Is ergo Theodosius a morte sua ipsi Constantio crebro per quietem visus est habitu diaconi poculum sanguine plenum porrigens, atque dicens: Bibe, frater.] ac si diceret: Inebriare fraterno sanguine, quem fudisti. talem decet propinare poculum plenum sanguine auidæ crudelitati. Explere cruore germani porrigentis, non vt olim in ec-

c Cedren. compendiũ in Constant. hoc an.

clesia

A cleſia porrigebat in tuarum redemptionem culparum ſanguinem Chriſti, ſed in vltionem paratum. Sume de manu non ſanguine agni refertum poculum, quo percuſſor Angelus abigatur [a], ſed qui vltorem excitet in te Deum. Accipe ſanguinem victimæ, non quo ſancitum eſt fœdus, ſed quo tua eſt damnatio comparata. Porrigo calicem non ſalutarem, ſed ira Dei [b] poculum plenum, quod haurias eſt neceſſe. Meus ecce ſanguis, qui tuũ a Deo vindice ſuis vocibus exigit. Audiebat hæc & metuebat Imperator, vltrice accuſante pariter conſcientia, & fugientem maioribus clamoribus inſequente: nam pergit auctor:

[a] *Exod.* 12.

[b] *Iſa.* 51.

Eius viſionis acerbitate victus infelix Imperator, ſtatuit in Siciliam abire. Itaque in vrbe relinquens vxorem & tres filios, celocem conſcendit (*eſt nauigij genus*) Cumq. ſoluiſſet, conuerſus retro vrbem Imperij ſedem conſpuit. Sed ne in Sicilia quidem inſomnium illud vexare Conſtantem deſijt. Syracuſas ſibi delegit, vbi vitam ageret, vbi & ſtatuit Im-
B perium Romanum transferre, cum inuiſus eſſet ob Monothelitarum hæreſim, aliasq. prauas de religione ſententias. Miſit ergo qui vxorem & liberos adducerent: ſed hanc Byzantij cum liberis detinuerunt.] hæc Annales hoc anno exhibent. Anaſtaſius autem reliqua addit, quæ ſunt in Annalibus prætermiſſa, nempe eius aduentum Romam, antequam in Siciliam ſe conferret. Sed de his ſuo loco dicendum erit.

SARRACENI INFESTANT PERSAS ET ROMAN. IMP.

Hoc eodem anno, qui bello ciuili ſuorum armis depreſſus Mahuuias Princeps Sarracenorum pendere delegerat tributum Conſtanti Imperatori (vt ſuperius vidimus) exigentibus Imperatoris eiuſdem peccatis, æmulo ſuo Hali nece ſublato, ſolus abſque timore imperans, aduerſus Perſas primum, inde aduerſus Romanos erigitur.

RODOALDI REGIS LONGOBARD. OBITVS.

Moritur hoc anno Longobardorum Rex Rodoaldus, occiſus a Longobardo homine, cuius vxorem adulterio polluerat, vbi regnaſſet (vt Paulus ait [c]) annos quinque & dies
C ſeptem. Cuius tempore nihil præterea memoria dignum geſtum reperitur, niſi quod eius coniux filia Theodolindæ, quam matrimonio ſibi coniunxerat, exemplo matris, Ticini baſilicam erexit in honorem S. Ioannis Baptiſtæ, quam mirifice exornatam auro & argento etiã reditibus locupletauit, vbi & ſepeliri voluit. Porro de ea ſubijcit iſta Paulus: Hæc cum crimine adulterij apud virum accuſata fuiſſet, proprius eius ſeruus Carellus nomine a Rege expetijt, vt cũ eo qui Reginæ crimen ingeſſerat, pro caſtitate ſuæ dominæ, monomachia dimicaret. Qui cum criminatore illo ſingulare certamen cum inijſſet, eum, cuncto populo aſtante, ſuperauit: Regina vero poſt hoc factum ad dignitatem priſtinam redijt.] hæc ipſe.

[c] *Paul. diacon. lib. 4. c. 49. 50. non. edit. Plantin.*

DETESTATIO MONOMACHIAE.

Inuexerunt barbari in Italiam deteſtandam eiuſmodi conſuetudinem, vt monomachia iurgia definirent. quo ſicut nihil crudelius, ita nihil ſtultius poteſt excogitari, cum nequaquam ſemper in vnoquoque bello victoria iuſtitiam conſequatur, ſed diuina ſententia
D & occulto Dei iudicio declinet interdum ad eum qui cauſam malam fouet. Sunt de his exempla cum in alijs libris, tum etiã in diuina Scriptura; ſed illa memorabilia magis, cum iuſſu Dei, iuſtiſſima præcedente cauſa, apparatu longe maiore filij Iſrael [d] omnes zelo Dei incenſi ad vltionem deteſtandi facinoris progreſſi ſemel & iterum vincuntur a longe diſpari militum numero; ea (vt aſſeritur) ratione, quod antequam idonei eſſent aliorum punire peccata, ipſi prius ſua, accepta iterum clade, expiare deberent. Quid ergo inſani homines, degeneres Chriſtiani, deſertores paternarum legum, ob idq. millies deteſtandi, iureq. anathemate damnati, eiuſmodi iactu infamis aleæ vitam non ſæculi tantum huius, ſed & æternam amittunt; cum nec ſi vincant, certum reddi poſſit fouiſſe iuſtitiam, & pugnaſſe pro veritate? Sed miſſa iſtæc.

[d] *Iud.* 20.

ARIPERTVS REX LONGOBARDORVM.

Succeſſit autem Rodoaldo Regi Aripertus, de quo Paulus hæc ſcribit [e]: Fuit hic filius
E Gundibaldi, qui fuerat germanus Theodolindæ Reginæ. Hic condidit apud Ticinum oraculum Domini Saluatoris, quod extra portam Occidentalem, quæ dicitur Marenca, ſitum eſt, quod ornamentis varijs decorauit, & ſubſtantijs ſufficienter ditauit.] hæc Paulus, qui in eo erroris arguitur, dum nouem annos eius regno tribuit, vt oſtendetur inferius, cum de exordio regni Grimoaldi diſputatio erit.

[e] *Paul. diacon. lib. 4. c. 50.*

Porro adhuc Longobardorum Reges Ariana peſte affecti cum eſſent, Catholicis Epiſcopis haud parum negotij faceſſebant, qui ſeſe pro muro Iſrael domus opponebant: inter quos præcipue enituerunt Ioannes cognomento Bonus Mediolanenſis & Ioannes Bergomatis Eccleſiæ Epiſcopi. hi enim, vt olim Paulus [f] & Barnabas, ad fidem Catholicam tuendam ac propagandam manus ſimul iunxere: verum eorum alter, Bergomenſis videlicet, eo gloriæ progreſſus eſt, vt ea pugna ſibi martyrium lucraretur: Martyris enim titulo decoratum ipſum tabulæ Eccleſiaſticæ retinent quinto Idus Iulij, quo anniuerſaria

[f] *Act.* 13.

die

die ea redimitum laurea Ecclesia Catholica repræsentat: licet eius martyrij Acta nobis hactenus remaneant incomperta. Collega vero etsi non consummauit martyrium, egregiorum tamen meritorum ergo inter sanctos æque adscribi meruit suo natali die, quarto videlicet Idus Ianuarij. sed & de ambobus iterum inferius mentio fiet.

IESV CHRISTI ANNVS 660. VITALIANI PAP. ANNVS 6. CONSTANTIS IMP. ANNVS 19.

SEquitur ordine temporis annus Redemptoris nostri sexcentesimus sexagesimus, Indictione tertia: quo sanctus Maximus Abbas & martyr, vbi post mutilationem linguæ & manus triennium in exilio apud Alanos barbaros exegisset, complens glorioſum martyrium, in cælum migrat, relatusq. inter martyres remansit in Ecclesia perenni memoria celeberrimus; de quo superius satis.

Eodem anno, qui & numeratur Clodouei iunioris Francorum Regis decimusquartus, hæc ab eo facta narrantur [a]: Anno decimoquarto suscepti regiminis Clodoueus Rex argentum, quo genitor suus apsidem super sepulchra martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij prominentem operuerat, auferri mandauit, & Argulfo loci illius Abbati, vt illud egenis & necessitatem patientibus (quia fames eo tempore totam pene occupauerat Franciam) dispartiret. Et quia idem locus sub potestate constitutus erat adhuc Parisiaci Pontificis, tale quid idem Deo amabilis Princeps excogitauit.] Deesse aliquid in narratione videtur, dum conatur excusare factum, & adscribere pietati, quod ab alijs vt sacrilegium condemnatur, cum mox sit vltione diuinitus immissa punitum: ista siquidem apud Sigebertum leguntur hoc eodem anno [b]: Clodoueus Rex corpus sancti Dionysij Parisiensis discooperiens minus religiose, os brachij eius fregit & rapuit, moxq. in amentiam perpetuam incidit.] hæc ipse.

[a] *Aimoin. lib. 4. c. 42.*

CLODOVEVS INCONCESSA TENTAT.

[b] *Sig. in Chron.*

Solent mali Principes, quodcumque licet impietatis factum, aliquo tamen pietatis tegumento velare, vt tum ex Gentilibus tum ex Christianis exempla non pauca declarant. Certe quidem quod ad præsens facinus pertinet, nihil est quod iure defendi excusarive possit. Quidnam enim sibi Principes vendicant iuris in ijs quæ Deo semel dicata sunt? Vel si necessitas suaderet tale quid perpetrari: thesaurus primum regius ab ipso fuerat prodigendus, & ante profana quam sacra distrahenda. Demum si post erogatum thesaurum regium, adhuc vrgente fame, in sacram supellectilem manus conijciendæ fuissent: non illæ quidem regiæ, sed sacerdotales esse debuerant; sicuti ab Ambrosio, Augustino, alijsq. sanctis viris compluribus factum scimus. Fuit Iuliani Apostatæ tantum facinus, aliquo colorato prætextu expilare Ecclesiarum thesauros, non Principis Orthodoxi. Non caruisse multiplici sacrilegio tale factum, certum est, cum non tantum concameratum in apside argentum sublatum ab ipso fuerit, sed quo tectæ erant sacræ reliquiæ, idq. absque aliqua adhibita penitus reuerentia, cum brachij os tunc ab eo fractum, insuper & raptum etiam fuisse dicatur.

MALI PRINCIPES OBTENDVNT VELAMENTVM PIETATIS.

Porro in detestationem eiusdem facinoris, vtpote causæ ruinæ regni Francorum, in appendice ad Aimoinum hæc de eodem Clodoueo leguntur [c]: Eodem tempore Clodoueus brachium beati Dionysij martyris abscidit, instigante diabolo. Per idem tempus concidit regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit autem ipse Clodoueus omni spurcitiæ deditus, fornicarius, illusor feminarum, gulæ & ebrietati operam dans.] Certe quidem ex eo tempore collabi cœptum regnum Francorum familiæ Morouingorum generis Clodouei, historiæ perspicuo docent, posterioribus Regibus ignauiæ deditis & delicijs, cum per suos ministros, quos Maiores domus nominabant, regnum administrantes, nudum vix nomen Regis apud ipsos remanserit, effectis illis rerum dominis. Sed de his inferius. Quod vero circa vitæ ipsius finē Clodoueum laborasse insania, æque tradat qui ad Gregorium appendicem appposuit incertus auctor: erroris videtur redargui ex rebus gestis anno decimosexto eius regni, ex quibus ipsum vsque ad illud tēpus satis sibi constasse, specimenq. summæ pietatis edidisse, quæ eo anno inferius dicentur, ostendunt, dum in expiationem puto admissi sceleris, conuocatis vndique Galliarum Episcopis & sæcularibus potestatibus, monasterium S. Dionysij ab omni dominio liberum fecit, vt suo loco patebit.

[c] *Aimoin. lib. 4. c. 44.*

QVANDO COEPIT DEFICERE REGNVM E FAMILIA CLODOVEI.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 661. VITALIANI PAP. ANNVS 7. CONSTANTIS IMP. ANNVS 20.

ANnus Christi sexcentesimus sexagesimusprimus, Indictione quarta, rerũ gestarũ inopia tam in Oriente, quã in Occidente obscurus omnino, veluti face magnopere illustratur natali sanctissimi viri Amandi Traiectensis Episcopi, Flandrorum Apostoli nuncupati, de quo plura superius dicta sunt. Plurimum quidem eius virtutibus atque miraculis Gallia Belgica coruscauit: siquidem eius admonitionibus & exemplis quamplurimi nobilissimi viri ac feminæ sublime secundum Christianam perfectionem viuendi ge-
B nus arripuerunt. Et vt de alijs modo taceam: ipsius [a] admonitione Yduberga relicta Pipini Ducis Brabantiæ sibi & filiæ suæ Gertrudi, Christiq. familiæ cœnobium instruxit Niuellanum, in quo vtramque Deo sacrauit.

DE OBITV S. AMANDI EPISC. TRAIECT.

[a] Molan. in Natal. SS. Belg. die 5. Februar.

At minime contentus fuit terminis suæ diœcesis, sed inibi constituens Vicarium sanctissimum Landoaldum archipresbyterum, alijs etiam gentibus Christum prædicauit, vt Sclauis circa Danubium, Vasconibus circa Pyrenæos saltus, & in Flandria Gandensibus & Pabulensibus potissimum: Gandenses vero a Mercurij & aliorum idolorum cultu auocauit; ibiq. duo celeberrima monasteria ad honorem sancti Petri Blandinienſe & Gandense erexit, ac sancto Bauoni Hasbaniæ Principi Deum sincere colendi leges dedit. Truncinij ad Lisam fluuium clericorum siue canonicorum societatem instituit, quæ multis post annis in cœnobium instituti Præmonstratensis est conuersa. Tandem
C Apostolica virtute & spiritu plenus apud Pabulenses in Elnonensi monasterio, quod hodie ab auctore proprie dicitur S. Amandi, mortem obijt hoc anno incarnationis Verbi sexcentesimo sexagesimoprimo.] hæc Molanus ex diuersis scriptis simul iunxit. Demonstratus est longe absenti eius transitus sanctæ Aldegundi virgini Deo sacratæ, estq. de his fidelis narratio ad finem rerum gestarum eiusdem Sancti a Baudemundo conscriptarum.

Hoc etiam tempore, ante videlicet Grimoaldi regnum, Lupus Longobardorum Dux Foroiulienſis Grados insulam deprædatur, in quam Aquileiensis Patriarcha vna cum supellectili Aquileiensis Ecclesiæ prædiuite sedem transferens sese contulerat. Ait enim de his hæc Paulus [b]: Hic Lupus in Grados insulã, quæ non longe ab Aquileia est, cum equestri exercitu, per stratam quæ antiquitus per mare facta fuerat, introiuit: & deprædata ipsa ciuitate, Aquileiensis Ecclesiæ thesauros inde auferens deportauit.] hæc Paulus.
D Translatam vero fuisse tunc pariter sedem Aquileiensem apud Forumiulij, & Patriarchas ibidem habitasse; quæ idem Paulus [c] inferius pluribus in locis tradit, pleniſſimam fidem faciunt. verum non Forijulij, vbi degebat eius ciuitatis Episcopus, sed (vt idem ait Paulus) in Cormone sedẽ habebat, loco proximo, sed ignobili castro, de quo alibi meminit [d].

[b] Paul. diac. de gestis Longob. lib. 5. c. 17. non. edit. & vet. 2.

[c] Paul. eod. lib. 5. c. 23. & lib. 6. c. 51. non. edit. & vet. 14.

[d] Paul. diac. lib. 4. c. 38. vel in vet. 12.

Quid præterea hoc anno gestum sit, nihil inuenimus, nisi pium monumentum Reccesuinthi Hispaniarum Regis, qui memoriæ sancti Ioannis Baptistæ ecclesiam erigens, hoc ipso anno, Era nimirum sexcentesima nonagesimanona, eam dedicauit. Mirum dictu, quomodo eius Sancti cultus vbique terrarum Christiani orbis fuerit propagatus. De Longobardis audisti, ab eis plures in honorem eiusdem sancti Ioannis, teste Paulo diacono, erectas fuisse basilicas, vt de alijs vbique locorum extructis modo taceamus. Quod enim testificatione Domini adeo ipse meruit commendari, idcirco a fidelibus præ
E ceteris celebriori cultu susceptus est venerandus. Sed reddamus hic eam quæ de eiusdem ecclesiæ erectione & dedicatione extat vetus inscriptio, quæ ab Ambrosio descripta sic se habet:

ECCL. S. IOAN. BAPT ERECTA A RECCESVINTHO.

PRAECVRSOR DOMINI MARTYR BAPTISTA IOANNES
POSSIDE CONSTRVCTAM IN AETERNO MVNERE SEDEM,
QVAM DEVOTVS REX RECCESVINTHVS AMATOR
NOMINIS IPSE TVI PROPRIO DE IVRE DICAVI
TERTIO POST DECIMVM REGNI COMES INCLYTVS ANNO,
SEXCENTVM DECIES ERA NONAGESIMA NOVEM.] Porro vocem, decies, otiose appositam ad versus perfectionẽ, idem auctor, qui recitat, affirmat ex temporis exacta ratione. Locus in quo ecclesia erecta erat, licet amplus, modo humilis apparet, Balneum, dictus, qui hoc tempore nobilissimus habebatur in vertice Vallisoletanæ situs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IESV CHRISTI ANNVS 662. VITALIANI PAP. ANNVS 8. CONSTANTIS IMP. ANNVS 21.

A

CONCILIVM CLYPIACENSE.

SExcentesimus sexagesimus secundus Domini annus, quinta Indictione, numeratur etiam Clodouei Regis decimus sextus: quo a Clodoueo Rege in Gallijs Clypiacensis habita est Synodus omnium propemodum Francorum gentis Episcoporum. Est Clypiacum villa in territorio Parisiensi, de qua mentio habetur in rebus gestis S. Ansberti Episcopi Rothomagensis. De hac vero Synodo hæc apud Aimoinum leguntur [a]:

a *Aimoin. lib. 4. c. 41.*

Anno decimosexto ex quo sceptra susceperat regalia Clodoueus, Pontifices & totius gentis Principes Clypiacū conuenire iubens, mediusq. inter eos solio resident, hoc habuit sermonis exordium: Quamquam, inquiens, Francigenæ ciues, terreni nos cura principatus admonuerit, publicis nos rebus consultores aduocare: tamen prius nobis conuenit ea quæ Dei & sanctorū eius sunt, disponere, vt postmodum ea quæ nostra sunt, Deo dante, ex sententia cedant. Ille enim qui per semetipsum polliceri dignatus est, dicens [b]: Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis: nobis suis obtemperantibus præceptis, sua confert promissa. Requiramus itaque quæ sunt placita sanctis in regno iam consistentibus æterni Patris, & cuncta nobis euenient prospera in terris, si ea curauerimus adimplere factis. Intentionem igitur nostri cordis, vos sacerdotes, qui dij vocati estis & filij Excelsi omnes, attendite & audite; & auditam si probaueritis, vna nobiscum ad effectum adducere laborate. Nostri itaque deuotio hæc extat animi, vt monasterium patroni nostri domini Dionysij, in quo ipse cum consortibus testimonij veritatis requiescit humatus, & piæ memoriæ genitores nostri, dominus videlicet Dagobertus ore dominæ Nantildis se sepeliri mandauerunt, ab omni soluamus dominio mortalium: quatenus Abba vel fratres eo loco commanentes, possessiones a parentibus nostris, siue ab alijs fidelibus Christianis sibi traditas absque vllius dominationis inquietudine possidentes, pro salute nostra ac statu regni nostri liberius Deum deprecentur.

b *Matth. 6.*

PRIVILEGIVM MONACHORVM S. DIONYSII.

B C

Huic autem nostræ suggestioni consentit venerabilis Landericus Parisiacæ vrbis Præsul, in cuius diœcesi cœnobium illud situm est, & cui vsque ad præsens tempus subiectum fuit. Hanc ergo libertatem serui Dei inibi constituti dum fuerint adepti, nulliusq. præter Dei & sanctorum, nostrumque, cui etiam tota natio Francorum paret, fuerint perpessi dominatum: sciant se debito tali genitoribus nostris & nobis, eisq. qui nostro (vt speramus) per Dei gratiam orientur ex semine, fore obnoxios: & pro nostra, eorumq. quos commemorauimus, præsenti ac futura requie non desinant Deum exorare. Hæc Regem pro concione locutum circumstantes postquam auscultauerunt intente: in laudibus eius proclamantes, mansura ei optant gaudia.

D

Huic conuentui interfuere prope omnes Gallicani Episcopi, inter quos quidam sancti extiterunt viri, quos sancta Ecclesia dignis effert honoribus, eo quod ad eorum sepulchra varijs vexati sanarentur infirmitatibus: id est, beatus Audoenus, sanctus Rado frater ipsius, & dominus Eligius cum beato Sulpitio, necnon sancto Eucherio.] hæc de Synodo ibi: de rebus autem in ea gestis nihil præterea.

CABILONENSE CONCIL.

Sed & sub eodem Clodoueo Rege celebrata reperitur Synodus Cabilonensis, quoto autem anno regni eius, ignoratur: cui inter alios dignos Episcopos sanctitateq. celebres interfuisse leguntur, qui etiam in dicto Concilio Clypiacensi præsentes fuerunt sancti viri Audoenus & Eligius: verum non sub Landerico Episcopo Parisiensi habita ponitur, sed eo tempore quo Parisiensi Ecclesiæ præerat Audobertus, qui per Abbatem Grimoaldum eidem interfuit. Ad hunc autem Audobertum S. Audoenus Episcopus Rothomagensis scripsit vitam S. Eligij Episcopi Nouiomensis: extant ea de re litteræ vtriusque vltro citroq. datæ in appendice eiusdem scriptionis. habentur eius Synodi canones decem & nouem, quos tu consulas. Legitur post ipsos epistola Synodalis ad Theodorum Episcopum, qui publice egerit pœnitentiam ob publica peccata commissa, qua citatur causam dicere ad sequentem Synodum Arelatensem. Quod ad tempus regni Clodouei spectat: peruenisse ipsum vsque ad annum decimumoctauum sui regni, inferius dicturi sumus.

E

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 663. VITALIANI PAP. ANNVS 9. CONSTANTIS IMP. ANNVS 22.

QVi sequitur annus sexcentesimus sexagesimustertius, Indictione sexta inscribitur: quo Constans Imperator Romam se conferens ad limina Apostolorum visitanda, a Vitaliano Romano Pontifice honorifice exceptus est. Sed quomodo id acciderit, & quæ tunc ab eodem Imperatore Romæ gesta sint, ex Anastasio Bibliothecario audiamus, qui in Vitaliano ipso ista habet: Huius, inquit, temporibus venit Constans * Augustus B de regia vrbe per litoraria Athenas, exinde Tarentum, inde Beneuentum & Neapolim per Indictionem sextam: postmodum venit Romam, id est, quinta die mensis Iulij, Indictione suprascripta. Et occurrit ei Apostolicus cum clero suo milliario sexto ab vrbe Roma, & suscepit eum.] Obsequia ista Pontificis quid aliud monent, nisi fuisse aduentum eius in Vrbem pacificum, præcessisseq. pacis nuncia, quæ significarent Imperatorem venientem in Occidentem, Occidentalium velle sectari fidem, ac detestari Orientalium errorem, a quibus volens libensq. discederet? Hæc & alia huiusmodi cum apud Vitalianum Pontificem fidem inuenerint, nihil voluit prætermisisse, quo eum demerere & continere in officio posset; vt ab eodem auctore audies, qui sic reliqua narrare pergit:

DE ADVENTV CONSTANTIS IMP. IN VRBEM.

* Constantinus

Et ipsa die ambulauit Imperator ad sanctum Petrum ad orationem, & donum ibi obtulit: die sabbati ad sanctam Mariam venit, itemq. donum obtulit. Dominico die processit C ad sanctum Petrum cum exercitu suo: omnes cum cereis exierunt obuiam ei, & obtulit super altare illius pallium auro textum; & celebratæ sunt Missæ. Item sabbati die venit Imperator ad Lateranas ædes, & lauit se, & ibidem pransus est in basilica Iulij. Item Dominico die fuit statio ad sanctum Petrum; & post Missas celebratas, Vale fecerunt sibi inuicem Imperator & Pontifex. Duodecim dies in ciuitate Romana perseuerans, omnia quæ erant in ære ad ornatum ciuitatis deposuit. Sed & ecclesiam beatæ Mariæ ad Martyres, quæ tecta tegulis æreis erat, discooperuit, & in regiam vrbem cum alijs diuersis rebus, quas deposuerat, direxit. Et postmodum secunda feria egressus de ciuitate Romana, reuersus Neapolim, inde terreno itinere pergens Rhegium, ingressus est Siciliam per Indictionem septimam, & habitauit in ciuitate Syracusana, & talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus prouinciarum Calabriæ, *Siciliæ*, *Afri*- D cæ, Sardiniæ per diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales a sæculo numquam fuerant: sed & alia multa inaudita perpessi sunt, vt aliqua spes vitæ non remaneret: sed & sacra vasa, vel Cimilia *siue vtensilia* sanctarum Dei ecclesiarum auferens, nihil dimisit.] hucusque Anastasius: quæ autem prosequitur de eius nece, suo loco dicemus.

QVOMODO IMPERATOR EXCEPTVS EST A VITALIANO.

Hic vero absque accurata consideratione non transeat, quomodo Romanus Pontifex Vitalianus inter solertes prudentesq. Pontifices adnumeratus, immo & inter sanctos, quos colit Ecclesia Catholica, recensitus, erga Constantem Augustum nullum genus obsequij prætermisit, quo posset hominem demerere. Non enim eiecit ab Ecclesia sacrilegum fratricidam, neque procul abhorruit vel a salutatione hominis, qui sanctissimum Pontificem Martinum e sede tyrannice euulsisset, ignominiose tractasset, ac tan- E dem relegatum Chersonæ perire fame etiam coegisset: non exhibitam in sanctum Maximum eiusq. discipulum carnificinam exprobrauit: non, inquam, tot tantisq. aspersum criminibus hominem spreuit, vel (vt par erat) exhorruit, foresq. illi occlusit Ecclesiæ; sed obuiam prodijt, excepit, fouit, amplexatus & prosecutus est omni genere charitatis.

VITALIANVS CENSVRAE CVR REMITTAT NERVOS.

Cur ista Vitalianus in summum dispendium (vt videri poterat) Ecclesiasticæ læsæ censuræ, & fractæ penitus disciplinæ? Qui cuncta moderatur Deus, & fecit in numero, pondere, ac mensura, & pro ratione diuersorum temporum diuersas a nobis in rebus gerendis rationes exposcit; secundum quod Sapiens definiuit, dicens [a]: Tempus odij & tempus amoris, & tempus amplexandi & tempus ab amplexibus recedendi, & tempus pacis & belli tempus] suasit Vicario suo Summo Pontifici, ita agere cum sceleſtissimo homine, dissimulanda omnia hominis illis delicta, dummodo Catholicæ esset veritati consultū,

[a] *Eccles.* 3.

cui conduceret vt Imperator diu hæreticus, siue per veritatem, siue per occasionem spe- A
cimen ederet Catholicæ pietatis, personam præseferens hominis Orthodoxi.

OPPORTVNA VITALIANI DISPENSATIO

Quod enim vna cum Imperatore (vt sæpe cognitum est) vniuersus Oriens vel schismate scindi, vel communione Catholica vniri soleret: sanctus Spiritus persuasit, Ecclesiasticos tunc reliquos omnes silere canones, Ecclesiasticamq. tacere censuram, vt vnius communicatione vniuersus simul Oriens & Occidens, diu inter se diuisi schismate, communione Catholica stringerentur. Nec ipsum Vitalianum spes fefellit, vel consilium eius est irritum redditum: etenim eiusmodi remissione censuræ factum, vt non ipse solus Constans vsque ad obitum videri voluerit esse Catholicus, sed hac semel aperta via, & eius successor in Imperio, œcumenico congregato Concilio, ad ipsam hæresim extirpandam, omne contulerit studium atque robur. Cuius enim est sancire canones, eiusdem est & moderari eos, ac pro ratione personarum & temporis secundum Dei consilium cuncta disponere, B
quæ prodesse sciat Ecclesiæ. Vnus idemq. Spiritus dono consilij atque discretionis hæc omnia est operatus, remittens neruos Ecclesiasticæ arctæ censuræ pro salute totius Ecclesiæ consequenda. Hinc illud quam saluberrime monet Ecclesiastes [a]: Noli esse iustus multum: neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.] Probes igitur necesse est medicinam, ex qua integra sanitas fuit Ecclesiæ Catholicæ restituta.

a Eccles. 7.

b Paul. diac. lib. 5. c. 6. 7. 11.

Hæc eadem cum & describat Paulus [b] diaconus de aduentu Constantis Imp. & rebus ab eo Romæ gestis, dicatq. contigisse reditum eius in Siciliam anno sequenti, Indictione septima: multa commiscet de bello ab eodem in Italia gesto aduersus Grimoaldum Regem Longobardorum, & eius filium Romoaldum Ducem Beneuentanum, antequam se conferret in Vrbem ipse Constans Imperator hoc anno: licet annorum eius ex ijs quæ idem Paulus tradit, vbi agit de tempore Rotharis Regis eius prædecessoris, alia esset C
ratio ineunda. Siquidem dum ait ipsum annos nouem regnasse, & filios vnum, cœpisse vero ex sententia ipsius regnare anno Redemptoris sexcentesimo quinquagesimonono: non ante sexcentesimum sexagesimumnonum Grimoaldum regnare cœpisse, dicendum esset: quod plane contrarium omnino esse reperitur ijs quæ de exordio regni eiusdem Grimoaldi habentur in eiusdem Regis edicto, cui magis quam alicui scriptori aliter asserenti esse standum, nemo non dixerit; & ex eius assertione fore necesse omnes diuersa sentientes corrigere & emendare, æque consentiet absque aliqua controuersia. Hoc idcirco dixerimus, quod qui nuper res Longobardorum & Regum Italiæ est accuratius prosecutus [c], ponat exordium regni Grimoaldi anno Domini sexcentesimo sexagesimoprimo, cum ex eiusdem edicti, quod & ipse recitat, auctoritate erroris redarguatur: etenim ipsius exor- D
dio hæc in eo leguntur: Ideo ego Grimoaldus vir excellentissimus Rex gentis Longobardorum, anno (Deo propitio) sexto regni mei, mense Iulio, Indictione vndecima, per suggestionem Iudicum, &c.] Cum igitur mense Iulio Indictionis vndecimæ numeret ipse Grimoaldus annum sextum regni sui; fateri vtique necesse est, ipsum regnare cœpisse hoc anno sexcentesimo sexagesimotertio, sexta inchoata Indictione: ad quod sane tempus bellum cum Longobardis a Constante gestum referendum est, nec est quod ad sequentem sextam Indictionem id referri possit, cum tunc temporis neque Constantem, neque Grimoaldum superstites esse contigerit, iam diu ante vtroque defuncto.

c Sigon. de regn. Ital. lib. 2. in Grimoaldo.

GRIMOALDI REGNVM QVANDO CONTIGIT.

Quod autem ad ipsum bellum pertinet: antequam illud auspicaretur Constans, consultum ab eo sanctum eremitam, Paulus tradit, qui hæc de his habet [d]: Prius ad solitarium quemdam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, abijt, studiose ab eo sciscitans, vtrum gentem Longobardorum, quæ in Italia habitabat, superare & obtinere posset. A E
quo cum seruus Dei spatium vnius noctis expetisset, vt pro hoc ipso Dominum supplicaret: facto mane, ita eidem Augusto respondit: Gens Longobardorum superari modo aliquo non potest: quia Regina quædam ex alia prouincia veniens, basilicam beati Ioannis Baptistæ in Longobardorum finibus construxit, & propter hoc ipse beatus Ioannes pro Longobardorum gente continue intercedit. Veniet autem tempus, quando ipsum oraculum habebitur despectui, & tunc gens ipsa peribit. Quod nos ita factum esse probauimus: quia ante Longobardorum perditionem, eamdem beati Ioannis basilicam, quæ vtique in loco, qui Modicia dicitur, est constituta, per viles personas ordinari conspeximus: ita vt indignis & adulteris, non pro vitæ merito, sed præmiorum datione isdem locus venerabilis largiretur.] hactenus Paulus, qui narrare pergit inania studia Constantis Imperatoris, quæ insumpsit, vt Beneuentana potiri posset ciuitate. tu ipsum consulas.

d Paul. diac. lib. 5. c. 6.

VATICINIVM DE REGNO LONGOB.

ceterum

A ceterum eiusdem Pauli [a] assertione, ante Imperatoris aduentum in Vrbem ea omnia contigisse traduntur. Defensam autem fuisse Beneuentanam ciuitatem ope sancti Barbari eiusdem ciuitatis tunc Episcopi, plura quæ in eius vita scripta habentur, ostendunt.

Quod autem ad Grimoaldum pertinet: fuisse ipsum quidem ex Ariano ad fidem Catholicam conuersum per S. Ioannem Bergomi Episcopum, eiusdem sancti Acta tradunt. Porro de sua ipsius fide Catholica illud certum reliquit posteris omnibus conspicuum monumentum, dum (vt ex Paulo suo loco dicetur) constat ipsum erexisse basilicam sub titulo sancti Ambrosij Mediolanensis Episcopi, quem liquet fuisse Arianorum acerrimum oppugnatorem. De bellica eius virtute, & aduersus Græcos alia antehac obtenta victoria, hæc breuiter idem Paulus [b]: Cum esset bellicosissimus & vbique insignis, venientibus eo tempore Græcis, vt oraculum sancti Michaelis Archangeli in monte Gargano situm de-
B prædarentur: Grimoaldus super eos cum exercitu veniens, vltima cæde eos prostrauit.] hæc ipse de rebus ab eo gestis, cum Dux tantum esset, antequam regnum capesseret.

[a] Paul. diacon. lib. 5. c. 34.

[b] Paul. lib. 4. c. 47.

IESV CHRISTI ANNVS 664. VITALIANI PAP. ANNVS 10. CONSTANTIS IMP. ANNVS 23.

ANnus sexcentesimus sexagesimusquartus, Indictione septima, adest: quo Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset annos quinque & menses nouem (vt
C Nicephori Chronicon habet) moritur, atque in locum ipsius subrogatus est Constantinus diaconus eiusdem Ecclesiæ, itemq. vasorum custos & Oeconomus, Catholicæ communionis, Monothelitis penitus aduersarius; vt Sextæ Synodi Acta [c], si tamen impostura careant, significant, cum ita sancta Synodus de tribus his Episcopis Thoma, Ioanne, & Constantino decreuisse dicitur: Sanctum Concilium dixit: Corporali sacramento in nostra audientia & gloriosissimorum Iudicum, qui nobiscum sunt, persoluto a Georgio Deo amabili diacono & Chartophylace sanctæ huius magnæ Ecclesiæ Dei, perfectamq. nobis satisfactionem huiusmodi corporali verbo perhibente, quod nullatenus sanctæ memoriæ Thomas, Ioannes, & Constantinus a quibusdam libellos extorserunt de vna operatione & voluntate: hos sanctæ memoriæ tres viros, id est, Thomam, Ioannem, & Constantinum, præuidimus in identitate manere, atque in sacris Diptychis sanctarum Ec-
D clesiarum recitari, vtpote qui in omnibus immaculati & irreprehensibiles inuenti sunt circa rectam nostram Christianorum fidem.] hæc de his ibi. Ceterum quod ad Constantinum pertinet, nihil prohibet quin potuerit esse Catholicus, Imperatore iam in Occidente inter Catholicos apparente Catholico: sed de duobus alijs Thoma & Ioanne quæ dicta sunt superius obstant.

CONSTANTINVS EPISC. CONSTANTINOP.

[c] Sext. Synod. Act. 14.

Porro hoc eodē anno Constans Imp. in Siciliam venit, ibiq. (vt Paulus diaconus [d] tradit) vsque ad duodecimam Indictionem permansit: cum interea Grimoaldus Rex Longobardorum Auares mouet aduersus Lupum Ducē Forijulij, qui absentia Regis fretus, ducatum illum sibi vsurpans, aduersus eumdem Regem rebellauerat. Sed tandem Lupus a barbaris illis occiditur: at labor fuit Grimoaldo post necē tyranni, Auares ad propria reuocare, qui Foroiulij potiti erant. Occisus est pariter Vuarnefridus Lupi successor a Foroiulienſibus,
E cum aduersus eos commouisset Sclauos. Sed quomodo per eius successorem Vuectarim ijdem Sclaui fuerint penitus superati, audi mirandum. Paulus diaconus rem gestam paucis ita describit:

[d] Paul. diacon. lib. 5. c. 7. 8. 9. in non. edit. c. 18. 19. 20. 21. 23.

LVPVS TYRANNVS.

Venientes Sclaui castra metati sunt in loco qui Broxas dicitur, non longe a Foroiulij. Secundum diuinam autem dispositionem contigit, vt Dux Vuectari superiori ve-
SCLAVI VINCVNTVR A PAVCISSIMO NVMERO MILITVM.
spere a Ticino reuerteretur, nescientibus Sclauis. Cuius Comites cum ad propria (vt assolet fieri) remeassent: ipse hoc nuncium de Sclauis audiens, cum paucis viris, hoc est, cum vigintiquinque, contra eos progressus est. Quem Sclaui cum tam paucis venire conspicientes, irriserunt, dicentes, Patriarcham contra se cum clericis aduentare.] etenim (vt dictum est) Patriarcha Aquileiensis, Aquileia primum, inde e Grado insula pulsus, in castro Chermone apud Forumiulij residebat, quem redire Chermonem Sclaui existimarunt. Pergit vero Paulus hæc de Vuectari: Qui, inquit, cum ad pontem Naciſonis

fluminis, qui ibidem est, vbi Sclaui residebant, propinquasset: cassidem sibi de capite auferens, vultum suum Sclauis ostendit: erat enim caluo capite. Quem dum Sclaui, quia ipse esset Vuectari, cognoscerent: mox perturbati, Vuectarim adesse clamitant: Deoq. eos exterrente, plus de fuga quam de prœlio cogitant. Tune super eos Vuectari, cum paucis quos habebat, irruens, tanta eos strage prostrauit, vt ex quinque millibus viris, vix pauci qui euaderent, remanerent.] hactenus Paulus.

Quod ad res Anglicanæ Ecclesiæ pertinet: cum in prouincia mediterraneorum Anglorum Nordhumbrorum & Merciorum ex Scotia petiti præsiderent Episcopi, qui cæti in omnibus fide essent Orthodoxi, in celebratione tamen Paschalis festi minime cum Catholicis conuenirent: huius rei gratia factum est, vt hoc ipso anno coram Rege Osuui inter vtramque partẽ de eo disputatio haberetur. describitur ipsa a Beda, qui de occasione eius disputationis ista præmittit[a]: His, inquit, temporibus quæstio facta est frequens & magna de obseruatione Paschæ, confirmantibus eis qui de Cantia vel de Gallijs aduenerant, quod Scoti Dominicum Paschæ diem contra vniuersalis Ecclesiæ morem celebrarent. Erat in his acerrimus veri Paschæ defensor, nomine Ronan, natione quidem Scotus, sed in Galliæ vel Italiæ partibus regulam Ecclesiasticæ veritatis edoctus: qui cum Finano *Scoto Episcopo* consligens, multos quidem correxit, vel ad solertiorem veritatis inquisitionem accendit, nequaquam tamen Finanum emendare potuit; quin potius, quod esset homo ferocis animi, acerbiorem, castigando, & apertum veritatis aduersarium reddidit. Obseruabat autem Iacob, diaconus quondam (vt supra docuimus) venerabilis Archiepiscopi Paulini, verum & Catholicum Pascha cũ omnibus, quos ad correctionis viam erudire poterat. Obseruabat & Regina Eanfeld cum suis iuxta quod in Cantia fieri viderat, habens secum de Cantia presbyterum Catholicæ obseruationis, nomine Romanum. Vnde nonnumquam contigisse fertur illis temporibus, vt bis in anno vno Pascha celebraretur; & cum Rex Pascha Dominicum solutis ieiunijs faceret, tunc Regina cum suis persistens adhuc in ieiunio, diem Palmarum celebraret.]

a *Bed. lib. 3. c. 25.*

DIVERSIMODA CELEBRATIO PASCHAE.

Sed antequam vlterius progrediatur oratio, hic meminisse oportet, quæ & superius attigimus, eodem auctore Beda constare, hos quidem qui secus ac Catholici in Scotia Pascha celebrabant, non fuisse eius erroris, vt cum Iudæis celebrandum Pascha dicerent, ob idq. sententiæ in Quartadecimanos in Nicæno Concilio latæ obnoxij fuerint, sed ijdem secus ac illi, non decimaquarta Luna, sed die semper Dominico celebrarent, vt Catholici omnes, cum quibus tamen in eo nequaquam conuenirent, quod Catholici illum Dominicum diem ad agendum Pascha susciperent, qui a decimaquarta Luna ad vesperam vsque ad vigesimamprimam Lunam primus occurreret; Scotis autem, qui a decimatertia Luna vsque ad vigesimam dies Dominicus primus occurreret, is dies Paschalis ipsis solemnis erat: ex quo illud absurdum interdum contingebat, vt si quartadecima Luna occurreret Dominica dies, ipsi eadem die vna cum Iudæis Pascha pariter celebrarent. Verum eiusmodi error irrepsit in Scotos non ex refractaria contentione, vt agere voluerint contra totius Ecclesiæ Catholicæ vsum, sed ex insciția Paschalis computus. Porro cœptus est eiusmodi error anno Domini quingentesimo sexagesimosexto, perdurauitq. vsque ad annum septingentesimum decimumsextum, ita vigens annis centum quinquaginta. Cetertũ idem error in hunc vsque annum fuisse illis venialis ostenditur, quod non ex contumacia & schismate fuisset exortus, sed tolerabili quadã ignorantia, cum (vt idem testatur Beda[b]) nemo illis vltra orbem positis Synodalia Paschalis obseruantiæ decreta porrexisset. Quamobrem haud visi sunt Ecclesiæ Catholicæ ex Albo sanctorum expungendi ij, qui sanctitate insignes in hunc vsque annum inter eos egregijs virtutibus claruerunt pluribus etiam miraculis illustrati. Sed age hic ipsam disputationem paucis argumentis tractatam ac definitam ex eodem auctore reddamus.

ERROR SCOTORVM DE PASCHATE QVOVSQVE VENIALIS.

b *Bed. lib. 3. c. 4.*

Celebrata ipsa quidem est, duobus Regibus præsentibus patre ac filio, Osuui & Alchfrido, quorum alter, nempe pater Scotos in celebrando Paschate sequebatur, Alchfridus autẽ Romanæ Ecclesiæ vsum, vtpote qui catechistam habuisset Vuilfridum, qui Romæ primum, deinde in Gallijs res Ecclesiasticas didicisset. Locus vero conuentus habendi delectum est monasterium Hildæ Abbatissæ magni nominis feminæ. Ceterum si vocabulis vti debemus Ecclesiasticis, haud putamus eiusmodi conuentum Synodum vel Concilium esse dicendum, cum in eo non fuerint prouinciales conuocati omnes Episcopi, sed qui tunc aderant, inter se coram Regibus amice contulerint. sic ergo propria magis voce Collationem

COLLATIO DE PASCHATE CELEBRANDO.

A tionem quis dixerit, imitatus S. Auguſtinum, qui huiuſcemodi conuentus Collationes appellare conſueuit. Beda itaque rem geſtam ſic aggreditur [a]:

a Beda lib. 3. c. 25.

Veneruntq. illo Reges ambo, pater ſcilicet & filius; Epiſcopi, Colman cum clericis ſuis de Scotia, Agilbertus cum Agathone & Vuilfrido presbyteris. Iacobus & Romanus in horum parte erant: Hilda Abbatiſſa cum ſuis in parte Scotorum, in qua erat etiam venerabilis Epiſcopus Cedda iamdudum ordinatus a Scotis, vt ſupra docuimus, qui & interpres in eo Concilio vigilantiſſimus vtriuſque partis extitit. Primusq. Rex Oſuui, præmiſſa præfatione, quod oporteret eos qui vni Deo ſeruirent, vnam viuendi regulam tenere, nec diſcrepare in celebratione ſacramentorum cæleſtium, qui vnum omnes in cælis regnum expectarent: inquirendum potius, quæ eſſet verior traditio, & hanc ab omnibus communiter eſſe ſequendam. Iuſſit primo dicere Epiſcopum ſuum Colmanum, qui eſſet

REX QVID IN COLLATIONE PRAEFATVS.

B ritus, & vnde originem ducens ille, quem ipſe ſequeretur.

Tunc Colmanus: Paſcha, inquit, hoc quod agere ſoleo, a maioribus meis accepi, qui me huc Epiſcopum miſerunt, quod omnes patres noſtri viri Deo dilecti eodem modo celebraſſe noſcuntur: quod ne cui contemnendum & reprobandum eſſe videatur, ipſum eſt quod beatus Euangeliſta Ioannes, diſcipulus ſpecialiter Domino dilectus, cum omnibus quibus præerat Eccleſijs, celebraſſe legitur. Quo hæc & his ſimilia dicente, iuſſit Rex & Agilbertum proferre in medium morem ſuæ obſeruationis, vnde initium haberet, vel qua hunc auctoritate ſequeretur. Reſpondit Agilbertus: Loquatur obſecro vice mea diſcipulus meus Vuilfrid presbyter: quia vnum ambo ſapimus cum ceteris, qui hic aſſident, Eccleſiaſticæ traditionis cultoribus: & ille melius ac manifeſtius ipſa lingua Anglorum, quam ego per interpretem, poteſt explanare quæ ſentimus. Tunc Vuilfrid, iubente Rege

C vt diceret, ita exorſus eſt:

Paſcha quod facimus, inquit, vidimus Romæ, vbi beati Apoſtoli Petrus & Paulus vixere, docuere, paſſi ſunt & ſepulti, ab omnibus celebrari: hoc in Italia, hoc in Gallia, quas diſcendi vel orandi ſtudio pertranſiuimus, ab omnibus agi conſpeximus: hoc Africam, Aſiam, & Aegyptum, Græciam, & omnem orbem, quacumque Chriſti Eccleſia diffuſa eſt, per diuerſas nationes ac linguas, vno ac non diuerſo temporis ordine geri comperimus: præter hos tantum & obſtinationis eorum complices, Pictos dico, & Britones, cum quibus de duabus vltimis Oceani inſulis, his non totis, contra totum orbem ſtulto labore pugnant.

ASSERTIO CATHOLICI PASCHATIS.

Cui hæc dicenti reſpondit Colmanus: Mirum quare ſtultum appellare velitis laborem noſtrum, in quo tanti Apoſtoli, qui ſuper pectus Domini recumbere dignus

D fuit, exempla ſectamur, cum ipſum ſapientiſſime vixiſſe omnis mundus nouerit. At Vuilfridus: Abſit, inquit, vt Ioannem ſtultitiæ reprehendamus, cum ſcita legis Moſaicæ iuxta litteram ſeruaret, Iudaizante adhuc in multis Eccleſia, nec ſubito valentibus Apoſtolis omnem Legis obſeruantiam, quæ a Deo inſtituta eſt, abdicare: quomodo ſimulacra, quæ a dæmonibus inuenta ſunt, repudiare omnes qui ad fidem veniunt, neceſſe eſt: videlicet ne ſcandalum facerent eis, qui inter Gentes erant, Iudæis. Hinc eſt enim quod Paulus Timotheum circumcidit [b], quod hoſtias in templo immolauit [c], quod cum Aquila & Priſcilla caput Corinthi totondit [d]: ad nihil videlicet vtile, niſi ad ſcandalum vitandum Iudæorum. Hinc quod eidem Paulo Iacobus ait [e]: Vides, frater, quot millia ſunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes ij æmulatores ſunt legis. Nec tamen hodie clareſcente per mundum Euangelio neceſſe eſt, immo nec licitum fidelibus vel circumcidi, vel ho-

IVDAICA DIV TOLERATA ET VSV FREQVENTATA.

b Act. 16.
c Act. 21.
d Act. 18.
e Act. 21.

E ſtias Deo victimarum offerre carnalium. Itaque Ioannes ſecundum Legis conſuetudinem decimaquarta die menſis primi ad veſperam incipiebat celebrationem feſti Paſchalis, nil curans vtrum hæc ſabbato, an alia qualibet feria proueniret.

At vero Petrus cum Romæ prædicaret, memor quia Dominus prima ſabbati reſurrexit a mortuis, ac mundo ſpem reſurrectionis contulit, ita Paſcha faciendum intellexit, vt ſecundum conſuetudinem ac præcepta Legis, decimamquartam Lunam primi menſis, æque ſicut Ioannes orientem, ad veſperam ſemper expectaret: & hac exorta, ſi Dominica dies (quæ tunc prima ſabbati vocabatur) erat mane ventura, in ipſa veſpera Paſcha Dominicum celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere ſolemus. Sin autem Dominica non proximo mane poſt Lunam decimamquartam, ſed ſextadecima, aut ſeptimadecima, aut alia qualibet Luna, vſque ad vigeſimamprimam eſſet ventura: expectabat eam, & præcedente ſabbato veſpere ſacroſancta Paſchæ

CATHOLICVM PASCHA A PETRO ROMANIS DATVM.

schæ solemnia inchoabat: sicq. fiebat, vt Dominica Paschæ dies nonnisi a quintadecima A
Luna vsque ad vigesimamprimam seruaretur. Neque hæc Euangelica & Apostolica traditio Legem soluit, sed potius adimplet, in qua obseruandum Pascha a quartadecima Luna primi mensis ad vesperam, vsque ad vigesimamprimam eiusdem mensis præceptum est. In quam obseruantiam imitandam omnes sancti Ioannis successores in Asia post obitum eius, & omnis per orbem Ecclesia conuersa est. Et hoc esse verum, Pascha hoc solum fidelibus celebrandum, a Nicæno Concilio non statutum nouiter, sed confirmatum est, vt Ecclesiastica docet historia.

IN ECCLESIA SEMPER RECEPTVM CATHOLICVM PASCHA.

Vnde constat, vos, Colmane, neque Ioannis (vt autumaris) exempla sectari, neque Petri, cuius traditioni scientes contradicitis, neque Legi, neque Euangelio in obseruatione vestri Paschæ congruere. Ioannes enim ad legis Mosaicæ decreta tempus Paschale custodiens, nihil de prima sabbati curabat: quod vos non facitis, qui nonnisi prima sab- B
bati Pascha celebratis. Petrus a decimaquinta Luna vsque ad vigesimamprimam diem Paschæ Dominicum celebrabat: quod vos non facitis, qui a decimaquarta vsque ad vigesimam Lunam diem Dominicum Paschæ obseruatis, ita vt tertiadecima Luna ad vesperam sæpius Pascha incipiatis, cuius neque Lex vllam fecit mentionem, neque auctor ac dator Euangelij Dominus in ea, sed in quartadecima Luna vel vetus Pascha manducauit ad vesperam, vel noui Testamenti sacramenta in commemorationem suæ passionis Ecclesiæ celebranda tradidit. Itemq. Lunam vigesimamprimam, quam Lex maxime celebrandam commendauit, a celebratione vestri Paschæ funditus eliminatis, sicq. (vt dixi) in celebratione summæ festiuitatis neque Ioanni, neque Petro, neque Legi, neque Euangelio concordatis.

His contra Colmanus: Numquid, ait, Anatholius vir sanctus, & in præfata historia Ec- C
clesiastica multum laudatus, Legi vel Euangelio contraria sapuit, qui a quartadecima vsque ad vigesimam Pascha celebrandum scripsit? Numquid reuerendissimum patrem nostrum Columbam & successores eius viros Deo dilectos, qui eodem modo Pascha fecerunt, diuinis paginis contraria sapuisse vel egisse credendum est? cum plurimi fuerint in eis, quorum sanctitati cælesti signa & virtutum quæ fecerunt miracula testimonium præbuerunt, quos ipse vt sanctos esse non dubitans, semper eorum vitam & mores & disciplinam sequi non desisto.

DECLARATVR SENTENTIA ANATHOLII.

At Vuilfridus: Constat, inquit, Anatholium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum: sed quid vobis cum illo, cum nec eius decreta seruetis? Ille enim in Pascha suo regulam vtique veritatis sequens, circulum nouemdecim annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum a tota Christi Ecclesia custoditum pro nihilo con- D
temnitis. Ille sic in Paschæ Dominicum decimamquartam Lunam computauit, vt hanc eadem ipsa die more Aegyptiorum decimamquintam Lunam ad vesperam esse fateretur. Sic enim vigesimam diem Dominico Paschæ annotauit, vt hanc declinata eadem die esse vigesimamprimam crederet. Cuius regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquoties Pascha manifestissime ante plenilunium, id est, in tertiadecima Luna facitis.

De patre autem vestro Columba & sequacibus eius, quorum sanctitatem vos imitari & regulam ac præcepta cælestibus signis confirmata sequi perhibetis: possum respondere: quia multis in iudicio dicentibus Domino, quod in nomine eius prophetauerint, & dæmonia eiecerint, & virtutes multas fecerint, responsurus sit Dominus, quia numquam eos nouerit. Sed absit, vt de patribus vestris hoc dicam: quia iustius multo est, de incognitis bonum credere, quam malum. Vnde & illos Dei famulos ac Deo dilectos esse non E
nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum dilexerunt. Neque illis multum obesse Paschæ talem reor obseruantiam, quamdiu nullus aduenerat, qui eius instituti perfectioris decreta, quæ sequerentur, ostenderet. Quos vtique credo, si quis tunc ad eos Catholicus calculator aduenisset, sic eius monita fuisse secuturos, quomodo ea quæ nouerant ac didicerant Dei mandata probantur fuisse secuti. Tu autem & socij tui si audita decreta sedis Apostolicæ, immo vniuersalis Ecclesiæ, & hæc litteris sacris confirmata sequi cõtemnitis, absque vlla dubietate peccatis. Etsi enim patres tui sancti fuerunt: numquid vniuersali, quæ per orbem est, Christi Ecclesiæ, horum est paucitas vna de angulo extremæ insulæ præferenda? Et si sanctus erat ac potens virtutibus ille Columba vester, immo & noster, si Christi erat: num præferri potuit beatissimo Apostolorum Principi? cui Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ

QVOD CATHOLICVM, HOC PRAEFERENDVM.

inferi

A inferi non præualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues regni cælorum?] hucusque disputatio de Paschatis quæstione.

Quod autem adeo certis principijs nitebatur, qui vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ partes tuerctur? facile fuit ei qui aderat eius partis sectator, Regi Osuui, quid de his sentiendum esset, asserere: qui eiusmodi definitione clausit sinceræ veritatis amore propositam quæstionem, quam idem recitat Beda, dicens: Hæc perorante Vuilfrido, dixit Rex: Vere ne, Colmane, hæc illi Petro dicta sunt a Domino? Qui ait: Vere, Rex. At ille: Habetis, inquit, vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Columbæ datum? At ille ait: Nihil. Rursum autem Rex: Si vtrique vestrum, inquit, in hoc sine vlla controuersia consentiunt, quod hæc principaliter Petro dicta, & ei claues regni cælorum sint datæ a Domino? Responderunt: Etiam, vtrique. At ille ita concluſit: Et ego vobis dico: Quia B hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo: sed in quantum noui, vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis: ne forte, me aduenientę ad fores regni cælorum, non sit qui referat, auerso illo, qui claues tenere probatur. Hæc dicente Rege, fauerunt assidentes quique, siue astantes maiores vna cum mediocribus; & abdicata minus perfecta institutione, ad ea quæ meliora cognouerant, sese transferre festinabant.] ita quidem veluti euidenti demonstratione allata, omnes sunt persuasi. Ad quam quidem sententiam certis adeo deductam principijs prouocandi sunt omnes a veritate deuij, qui per hæresum inuia atque prærupta feruntur, perq. inextricabiles labyrinthos mentis insania reuoluuntur. quibus & illud propheticū sit inclamandum [a]: Respicite ad petram, de qua scissi estis] ad Petrum ipsum, a quo diuisi estis. Subdit vero Beda [b]:

SCITA SENTENTIA CLAVSA DISPVTATIO.

[a] *Isai. 51.*

[b] *Beda lib. 3. c. 26.*

Finito conflictu, ac soluta concione, Agilbertus domum redijt. Colman videns spre- C tam suam doctrinam, sectamq. esse despectam, assumptis his qui se sequi voluerunt, id est, qui Pascha Catholicum & tonsuram coronæ (nam & de hoc quæstio non minima erat) recipere nolebant, in Scotiam regressus est, tractaturus cum suis, quid de his facere deberet. Cedd, relictis Scotorum vestigijs, ad suam sedem redijt, vtpote agnita obseruatione Catholici Paschæ. Facta est autem hæc quæstio anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo sexagesimoquarto, qui fuit annus Osuui Regis vigesimussecundus; Episcopatus autem Scotorum, quem gesserunt in prouincia Anglorum, annus trigesimus: siquidem Aidan decem & septem annis, Finan decem, Colman tribus Episcopatus tenuere.

TEMPVS COLLATIONIS HVIVS ASTRVITVR.

Reuerso autem in patriam Colmano, suscepit pro illo Episcopatum Nordhumbrorum famulus Christi Tuda, qui erat apud Scotos Austrinos eruditus atque ordinatus Episcopus, habens iuxta morem prouinciæ illius coronam tonsuræ Ecclesiasticæ, & Catholi- D cam temporis Paschalis regulam obseruans, vir quidem bonus ac religiosus, sed permodico tempore Ecclesiam regens.] Quomodo autem iterum de eadem quæstione celebriori conuentu disputatum est, suo loco dicturi sumus. Pergit dicere Beda de Scotorum clericorum & monachorum seueriſſima disciplina, quam inuexissent in Angliam;

Vnde, inquit, & in magna erat veneratione tēpore illo religionis habitus: ita vt vbicūque clericus aliquis, aut monachus aduenirct, gaudenter ab omnibus tamquā Dei famulus exciperetur: & iam si in itinere pergens inueniretur, accurrebāt, & flexa ceruice, vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant: verbis quoque horum exhortatorijs diligenter auditum præbebant, sed & diebus Dominicis ad ecclesiam siue ad monasteria certatim, non reficiendi corporis, sed erudiendi sermonis Dei gratia, confluebant: & si quis sacerdotum in vicum forte deueniret, mox congregati in vnum vicani, verbum vitæ ab illo exE petere curabant. Nam neque alia ipsis sacerdotibus aut clericis vicos adeundi, quam prædicandi, baptizandi, infirmos visitandi, & (vt breuiter dicam) animas curandi, causa fuit: qui in tantum erant ab omni auaritiæ peste castigati, vt nec territoria, nec possessiones ad construenda monasteria, nisi a potestatibus sæculi coacti, acciperent.] hæc de florenti tunc ibi Ecclesia Beda. Ita quidem, cum sal illud terræ sua virtute integrum ad condiendos alios permansit: postea autem cum infatuatum fuit, conculcatum est ab hominibus.

CLERICORVM ET MONACH. VIGENS DISCIPLINA.

Eodem quoque anno Earcombertus [c] Rex Cantuariorum defunctus est, inq. locum eius successit Ecgbertus, qui amicus Osuui Regis Orientalium Saxonum de propaganda custodiendaq. fide Catholica in vniuersa insula cum eo consilium inijt: factumq. vt decerneretur legatio ad Vitalianum Romanum Pontificem: quidnam autem per eam sit petitum, dicemus anno sequenti, quo (vt colligi potest) mitti contigit. Addit vero idem

[c] *Beda in Epit. & lib. 3. c. 27.*

auctor

[a] Beda lib. 3. c. 27.

auctor[a], hoc eodem anno dira peste in insula laboratum, complureſq. ex Dei ministris non sine graui damno eius Ecclesiæ ad superos euocatos: Dei tamen benignitate factum, vt sanctus Ecgbertus multum profuturus illi Ecclesiæ non moreretur; de quo mira ista narrantur, cum de ipso atque germano eius Edilhuno nobilibus Anglis & vtrisque monachis historia texitur: A

5. ECGBERTVS DIVINITVS SERVATVR AB INTERITV.

Ecgbertus (sicut mihi referebat quidam veracissimus & venerandæ canitiei presbyter, qui hæc se ab ipso audisse perhibebat) cum se existimaret esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo, in quo infirmi quiescebant, & residens solus in loco opportuno, cœpit sedulus cogitare de actibus suis, & compunctus memoria peccatorum suorum, faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel præteritas negligentias, quas in pueritia siue infantia commiserat, perfectius ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus abundantius exerceret. B Vouit etiam votum: quia adeo peregrinus viuere vellet, vt numquam in insulam in qua natus est, id est, Britanniam rediret: quod præter solemnem canonici temporis psalmodiam (si non valetudo corporis obsisteret) quotidie Psalterium totum in memoriam diuinæ laudis decantaret: quod in omni septimana diem cum nocte ieiunus transiret. Cumq. finitis lacrymis, precibus, & votis, domum rediret, inuenit sodalem dormientem: & ipse quoque lectulum conscendens, cœpit in quietem membra laxare: & cum paululum quiesceret, expergefactus sodalis respexit eum, & ait: O frater Ecgberte, o quid fecisti? Sperabam quia pariter ad vitam æternam intraremus: Verumtamen scito, quia quæ postulasti accipies. Didicerat enim per visionem, & quid ille petijsset, & quia petita impetrasset. Quid multa? ipse Edilhunus proxima nocte defunctus est.

At vero Ecgbertus decussa molestia ægritudinis conualuit, ac multo post tẽpore viuens, C acceptumq. sacerdotij gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum bona, vt ipse desiderabat, nuper, id est, anno Dominicæ incarnationis septingentesimo vigesimonono, cum esset ipse annorum nonaginta, migrauit ad regna cælestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis, & iustitiæ perfectione. Vnde genti suæ, & illis, in quibus exulabat, nationibus Scotorum siue Pictorum, & exemplo viuendi, & instantia docendi, & auctoritate corripiendi, & pietate largiendi de his quæ a diuitibus acceperat, multum profuit, &c.] profuit quidem multum, vt monachos ab errore Paschatis emendatos, ad Catholicam restitueret obseruantiam.

Quomodo autem tempore huius ingruentis hoc anno pestis Rex partis vnius Orientalium Saxonum a fide desciuerit cum suis ad idola conuersus, & reuersus postea ad fidẽ fuerit, idem auctor sic narrat[b]: Eodem tempore prouinciæ Orientalium Saxonum post Guuid- D

[b] Beda lib. 3. c. 30.

APOSTASIA REGIS ET POPVLI.

helmum (de quo supra diximus) præfuere Reges Sighere & Sebbi, quamuis ipsi Regi Merciorum Vulfhere subiecti. Quæ videlicet prouincia cum præfatæ mortalitatis clade premeretur, Sighere cum sua parte populi, relictis Christianæ fidei sacramentis, ad apostasiam conuersus est. Nam & ipse Rex, & plurimi de plebe, siue optimatibus, diligentes hanc vitam, & futuram non quærentes, siue etiam non esse credentes, cœperunt fana, quæ derelicta erant, restaurare, & adorare simulacra, quasi per hæc possent a mortalitate defendi.

Porro socius eius & coheres regni eiusdem Sebbi magna fidem perceptam cum suis omnibus deuotione seruauit, & magna (vt in sequentibus dicemus) vitam fidelem felicitate compleuit. Quod vbi Rex Vulfhere comperit, fidem videlicet prouinciæ ex parte

CONVERSIO REGIS ET POPVLI.

profanatam: misit ad corrigendum errorem, reuocandamq. ad fidem veritatis prouin- E ciam Iarumannum Episcopum, qui successor erat Trumhere: qui multa agens solertia (iuxta quod mihi presbyter, qui comes itineris illi & cooperator verbi extiterat, referebat: erat enim religiosus & bonus vir) longe lateq. omnia peruagatus, & populum & Regem præfatum ad viam iustitiæ reduxit: adeo vt, relictis siue destructis fanis, ariſq. quas fecerant, aperirent ecclesias, ac nomen Christi, cui contradixerant, confiteri gauderent, magis cum fide resurrectionis in illo mori, quam in perfidiæ sordibus inter idola viuere cupientes. Quibus ita gestis, & ipsi sacerdotes, doctoresq. eorum domum redire lætantes.] At de rebus Anglicanæ Ecclesiæ hactenus: ad res Gallicanas transeamus.

CLODOVEI II. OBITVS.

Hoc anno Clodoueus Francorũ Rex diem obijt, vbi regnasset annos decẽ & octo: ita vetus auctor, qui appendicem affixit ad Gregorium Turonensem, aitq. mente captum fuisse. Reliquit autem tres filios, nempe Clotharium, Childericũ, atque Theodoricum: de quibus

quæ

A quæ S. Eligius præuiderit, ſanctus Audoenus ita narrat[a]: Talis Eligio oblata viſio eſt: Aſpiciebam, inquit, in viſione noctis Solem ſub horam diei tertiam clare lucentem, repente diſparere. Cumq. inſolens prodigium intente contemplarer, video repente ceu dimidiam oriri Lunam tribus in orbem vallatam ſtellis, eaq. via ingredi, qua ſolet quotidie Sol recurrens. Ecce autem dum hic attonitus defigo obtutus, mox ſtellis manentibus, Luna euaneſcit. Deinde illas tres accurate conſiderans ſtellas, ad horam pene meridianam video eas accedere, viciſſimq. ſuis ſe radijs cædere, & eam quæ inter eas præſtantior erat, de improuiſo non apparere. Cumq. duæ reliquæ inter ſe coniungi viderentur, dicto citius altera earum obſcurata & ſublata, vna ſola remanſit; eaq. recto tramite Solis curſum imitans, magno tandem lumine aucta eſt; quantoq. ad Occidentem magis ferebatur, tanto eius lux copioſior propagabatur. Porro vbi ad vltimum peruenit occubitum, tan-
B tam vim luminis ex ſe diffudit, vt Solis ſplendorem vincere videretur.] hactenus viſio, quam idem qui viderat eam S. Eligius, diuino ſpiritu, quo viderat, ita eſt prophetice interpretatus: pergit enim Audoenus ea ab ipſo audita referre:

[a] *Audoen. in vit. S. Eligij lib. 2. cap. 31. apud Sur. die 1. Decembris.*

VISIO S. ELIGII DE FRANCORVM REGIBVS.

Huius autem viſionis hæc eſt interpretatio. Defuncto Clodoueo Rege, qui ſine dubio breui deſinet eſſe in humanis, aliquandiu coniux eius cum tribus filiolis regnum Francorum obtinebit: illa autem ſublata, filijs in regno relictis, vnus ex ijs cadet, nec diu poſt alter quoque e duobus regno priuabitur; tertius ſolus obtinebit monarchiam, eritq. eius magna gloria atque potentia. hucuſque Eligius. Nos vero dubitare non debemus ita fore vt prædixit, cum iam nonnulla impleta videamus: nam & Clodoueus Rex intra breue tempus in pace obijt; & Regina coniux cum tribus paruulis ad paucos annos regnans, filijs poſtea reliquit principatum: paucis interim labentibus annis, maior natu dum
C pacifice regnat, excedit e vita, duobus relictis fratribus; de quibus quid futurum ſit, ſolus Deus nouit.] ita ipſe, cum S. Eligij vitam ſcriberet, adhuc viuentibus eiſdem Regibus. Porro & de reliquis ita factum, vt prædixerat ſanctus, ipſe exitus declarauit.

VISIONIS INTERPRETATIO.

Sed antequam de ſucceſſoribus Clodouei agamus, dicendum eſt de his quæ vltimis eius regni temporibus contigerunt, præcipue vero de martyrio Aigulphi Abbatis, quod etſi neſcitur quo anno acciderit, tamen eo plane tempore, quo defuncto Erconualdo Magiſtro domus Clodouei ſubrogatus eſt Ebroinus, ex antiquis ſcriptorum monumentis[b] conſtat ipſum Aigulphum Abbatem Lerinenſis cœnobij vna cū ſocijs regulæ monaſticæ obſeruantiſſimis occiſum eſſe dolo pſeudomonachi Columbi, in ipſum vero lege actum a Clodoueo & Ebroino Magiſtro domus. quæ hæc omnia quidem cum ad Tertium Clodoueum referri non poſſint, cum iam ante illius regnum Ebroinus probetur fuiſſe neca-
D tus, vtique ad Secundum hunc Clodoueum referenda ſunt. De quibus antequam agamus, ſciendum eſt, quod Aigulphi Acta docent, quibus & alij complures ſcriptores adſtipulantur, ipſum miſſum a Mummulo Abbate Floriacenſi Caſſinum ad auferendas inde ſacras reliquias ſancti Benedicti Abbatis: addunt alij[c] & Scholaſticæ ſororis eius a Cenomanis vel Aurelianenſibus eſſe ſublatas. Id cum plerique tradant, haud conſentiunt tempore, cum alij ad Martini Papæ Pontificatum, alij ad Deodati tempora referant.

[b] *Extant apud Sur. die 3. Sept.*

AIGVLPHI MARTYRIVM.

[c] *Paul. diacon. lib. 6. c. 2.*

At alij ſunt innumeri qui contradicunt, adeo vt etiam diplomata afferant Romanorum Pontificum id teſtantia; cuius probationis genere nec careat pars aduerſa. Sed refugit animus tam denſum controuerſiæ huius ſpinetum adire, quod horret vel e longe ſpectare. Prætermiſſis igitur omnibus his, ac ſi non extarent, perplexitatum ambagibus, re-
E uocata ad ſuum principium quæſtione, modo tantum quid ſuadeant coniecturæ, velut e ſpecula attentius contemplemur, non vt quid verum ſit definiamus, ſed tantum quid veriſimile conſideremus.

DE TRANSLATIONE S. BENEDICTI IN GALLIAS.

Certum eſt a Longobardis Caſſinenſe cœnobium deuaſtatum: Sed rogo te, num monachis illis Caſſinenſibus Romam migrantibus, quibus curæ fuit menſuram quoque panis & vini ſecum ferre, nulla fuit ratio ſacrorum oſſium ſanctiſſimi Benedicti, etſi non ſecum aſportandi, ſaltem occultandi, vel cuſtodiendi ea alicuius monachi anachoreticā vitam illic ducentis aſſiſtentia? ita plane ſenties: neque enim fas eſſe videtur exiſtimare tam ſacra pignora Benedicti atque Scholaſticæ illic fuiſſe penitus abſque cultu aliquo derelicta a monachis Caſſinenſibus Romæ degentibus; cum videamus exemplis, quoſuis etiam regularis diſciplinæ ſolutiſſimos monachos, ſui ipſorum inſtitutoris memoriæ tenaciſſimos eſſe, vt pro ea conſeruanda parati ſint vitam quoque profundere. Certe quidem quando

CORPVS S. BENEDICTI HAVD PENITVS DESTITVTVM.

Petro-

Petronax Brixianus ad instaurandum locum perrexit, aliquos ibi residere inuenit; prout A
idem Paulus [a] diaconus docet.

a Paul. diacon. lib. 6. c. 40. nou. edit. Plant.

Vel si velimus nimia oscitantia stertisse omnes, vt absque cultu veneranda lypsana dereliquerint: quomodo transferre ea Romam ad Lateranense cœnobium in mentem potuit non venisse, tot præterlabentibus annis? Quod cũ eos non fecisse constet; plane bene cultum tunc & custoditum fuisse locum illum, aliquando restituendum, argumento est.

Rursum vero, si innotuit Gallis, & ijs magnopere exultantibus, corpus sancti Benedicti Floriacum esse translatum: cur non Floriacum, sed Cassinum a Francorũ principibus & alijs innumeris vndique confluentibus post hæc frequentes fuerunt pietatis ergo peregrinationes susceptæ? Quam autem frequens & celeberrima ex toto pene orbe, ex Transalpinis vero potissimum, peregrinatio ad Cassinum montem fuerit, quæ suis locis inferius dicenda erunt, aperte docebunt. Sunt hæc, quæ (vt diximus) coniectura opinari nos B
admonet.

b Paul. diacon. lib. 6. c. 1. vel 2. nou. edit.

Scimus tamen antiquiorem omnium Paulum [b] diaconum, qui hoc sæculo vixit, & monachus in dicto Cassinensi cœnobio diem extremum clausit, quæstionẽ ita dirimere, vt dicat translata ossa fuisse, remansisse vero redactas in puluerem carnes: sicq. idem intelligit quod ait inferius, dum agẽs de restitutione monasterij Cassinensis facta per Petronacem [c], corpus ipsum sancti Benedicti illic esse, absque dubitatione testatur: cuius auctoritas apud me plurimum valet. Vtcumque sit; venerari fideles pie sancteq. corpus integrum, vbi tenuis tantum puluisculus habeatur alicuius sancti, quod eiusdem sit virtutis cuius & integrum corpus, docet Gregorius Nazianzenus in Iulianum. Sed de his hæc satis. redeamus ad necem sanctorum monachorum Aigulphi ac sociorum.

c Paul. diacon. lib. 6. c. 23. vel nou. edit. c. 40.

MARTYRIVM AIGVLPHI ET SOCIORVM.

Cum enim ex Floriacensi monasterio ad præfecturam Lerinensis monasterij vocatus C
esset, in quo collapsa monastica disciplina videretur; inuidiam incurrit & odium pseudomonachorum illic degentium Columbi atque Arcadij: qui ipsum cum eius socijs primum vinciendum curarunt, & in carcerem conijciendum: inde vero ad eorum supplicium ignobilem insulam delegerunt inter Corsicam atque Sardiniam constitutam, vbi post linguæ abscissionem & erutionem oculorum capite truncati sunt. Sed eorum corpora, comperto facinore, in Lerinensem insulam relata atque cum honore sepulta fuere; nefandus autem Columbus sceleris architectus a Rege Clodoueo post alia tormenta necari iussus est. Hæc summatim satis dixisse de Aigulpho, eiusq. socijs martyribus: sed ista pluribus eorumdem Acta martyrum. Relati sunt ijdem inter sanctos Dei martyres, tabulisq. Ecclesiasticis [d] adnotati, atque annua memoria nobilitati.

d Martyrolog. Rom. die 3. Septemb.

S. GERTRVDIS OBITVS.

Transijt hoc eodem anno ex hac vita insignis illa virgo, Francorum nobilitatis decus D
& ornamentum, sancta Gertrudis filia Pipini Ducis. Extant eius res præclare gestæ omni fide posteris traditæ, ex quibus perpauca hæc retulisse sat sit [e]: Fuit virgo clarissimis & per totam Europam peruulgatis orta natalibus. Ab ipsius pueritiæ annis viam mandatorum Dei ingressa, omnem lubricæ ætatis leuitatem fugiebat; & assidue matri Ittæ adhærens, ab ore eius trahebat verba vitæ & disciplinæ. Ancillis suis se ancillam præstabat, nec vsquam natalium suorum sublimitatem attendebat. Dum autem altiori proposito virgineæ pudicitiæ sigillum consecrare vult auctori castitatis Domino Iesu, superuenit ad ædes paternas Rex Dagobertus, in cuius comitatu erat Ducis cuiusdam filius, qui eam in matrimonium postulauit. Sed virgo Regi, parenti, & reliquis principibus respondit: Ego mihi sponsum delegi, cuius æterna pulchritudine omnis creaturarum pulchritudo resplendet, in cuius diuitijs cælum & terra & omnis ornatus numeratur, cuius nobilitatem Angelica E
sublimitas cum tremore veneratur.]

e Molan. in Natal. SS. Belg.

Iacta sunt eiusmodi fundamenta ad celsam valde molem erigendam, quam ex rebus ab ea præclare gestis descriptam iam cusam præ oculis habes. hic sat sit meminisse ipsius, cuius natalem Catholica Ecclesia anniuersaria memoria colit die decimaseptima mensis Martij. Sed non prætereat hic meminisse [f] sanctæ matris ipsius Gertrudis, quæ Yduberga nomine, & Itta cognomine, vxor Pipini, viduata viro, a S. Amando sacrum religionis velamen accipiens, ex agro sanctæ continentiæ sexagesimum collegit fructum, adeoq. profecit, vt inter sanctas & ipsa mereretur adnumerari, cuius natalis dies Niuellæ solemnis est octaua Martij. Has fixit beata illa familia in cælo radices, ex quibus Francorum Regum progenies fœcundo cæspite pullularet, vbi truncus vetus familiæ Clodouei arescere cœpit auitæ defectu virtutis.

f Molan. in Natal. SS. Belg. die 2. Mart.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 667. VITALIANI PAP. ANNVS 11. CONSTANTIS IMP. ANNVS 24.

Excentesimus sexagesimusquintus, Indictione octaua, adest annus, quo ex Anglia a Rege Osuui legatio missa est ad Vitalianum Romanum Pontificem vna cum oblationibus in basilicam Petri Apostoli inferendis. Qui enim anno superiori in Collatione habita accepisset illam firmiter tenendam fidem, quam Romana doceret Ecclesia, cui Petrus consignatum Euangelium reliquit, audissetq. pariter insignia Petri merita & diuina charismata præ ceteris Apostolis eidem impertita: magno exarsit desiderio, vt inde acci- B peret magistrum atque doctorem, qui sibi pariter eumdem Petrum conciliaret Apostolum. Cum enim, ingruente lue, ex hac vita subductus esset Deusdedit Episcopus Dorouernensis sextus ordine, successorem ab ipso Romano Pontifice ordinari voluit, misitq. qui ab eo ordinaretur Episcopus, Vuighardum presbyterum. Desiderantur eius litteræ ad Romanum Pontificem datæ; sed ex ijs quæ ad ipsum Vitalianus Papa rescripsit, possumus hæc omnia facile intelligere. At priusquam Vitaliani legamus litteras, quæ illis Beda [a] præmittit, audiamus: sic enim ait:

LEGATIO EX ANGLIA ROMAM.

[a] *Beda lib. 3. c. 29.*

His temporibus Reges Anglorum nobilissimi, Osuui prouinciæ Nordhumbrorum, & Ecgbert Cantuariorum, habito inter se consilio, quid de statu Ecclesiæ Anglorum esset C agendum (intellexerat enim veraciter Osuui, quamuis educatus a Scotis, quia Romana esset Catholica & Apostolica Ecclesia) assumpserunt cum electione & consensu sanctæ Ecclesiæ gentis Anglorum, virum bonum, & aptum Episcopatu presbyterum, nomine Vuighardum, de clero Deusdedit Archiepiscopi, & hunc Antistitem ordinandum Romam miserunt; quatenus accepto ipse gradu Archiepiscopatus, Catholicis per omnem Britanniam Ecclesijs Anglorum ordinare posset Antistites. Verum Vuighardus Romam perueniens, priusquam consecrari in Episcopum posset, morte præreptus est, & huiusmodi litteræ Regi Osuui in Britanniam remissæ sunt:

CONSVLTATIO REGVM ANGLORVM.

Domino excellentissimo filio Osuuio Regi Saxonum, Vitalianus Episcopus seruus seruorum Dei.

Desiderabiles litteras excellentiæ vestræ susceptmus, quas relegentes cognouimus eius pijssimam deuotionem, feruentissimumq. amorem, quem habet propter beatam vitam: D & quia dextera Domini protegente, ad veram & Apostolicam fidem sit conuersus; sperans, sicut in sua gente regnat, ita & cum Christo in futuro conregnare. Benedicta igitur gens, quæ talem sapientissimum & Dei cultorem promeruit habere Regem: quia non solum ipse Dei cultor existit, sed etiam omnes subiectos suos meditatur die ac nocte ad fidem Catholicam atque Apostolicam pro suæ animæ redemptione conuerti. Quis enim audiens hæc suauia, non lætetur? Quis non exultet & gaudeat in his pijs operibus? quia & gens vestra Christo omnipotenti Deo credit, secundum diuinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Isaia [b]: In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur. Et iterum [c]: Audite insulæ, & attendite populi de longe. Et post paululum: Parum, inquit, est, vt mihi sis seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas: dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Et rursus: Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt. Et post pu- E sillum: Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas, & diceres his qui vincti sunt, Exite, & his qui in tenebris, Reuelamini. Et rursum [d]: Ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui, & dedi te in lucem Gentium, & in fœdus populi, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris.

EPIST. VITAL. PP. AD REGEM OSVVI.

[b] *Isai. 11.*

[c] *Isai. 49.*

[d] *Ibidem.*

Ecce, excellentissime fili, quam luce clarius est, non solum de vobis, sed etiam de omnibus prophetatū Gentibus, quod sint credituræ in Christo omnium conditore. Quamobrem oportet vestram celsitudinem, vtpote membrum existens Christi, in omnibus piā regulam sequi perenniter Principis Apostolorum, siue in Pascha celebrando, siue in omnibus quæ tradiderunt SS. Apostoli Petrus & Paulus: quia vt duo luminaria cæli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum quotidie illustrat credentium. *Et post nonnulla, quibus de celebrando per orbem totum vno vero Pascha loquitur*: Hominem deni-

que, inquit, docibilem & in omnibus ornatum Antistitem secundum vestrorum scriptorum tenorem minime valuimus nunc reperire pro longinquitate itineris. Profectò enim dum huiusmodi apta reperta persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, vt ipse & viua voce & per diuina oracula omnem inimici zizaniam ex omni vestra insula cum diuino nutu eradicet. A

DE MVNERIBVS MISSIS AD ECCL. S. PETRI.

Munuscula a vestra celsitudine beato Principi Apostolorum directa pro æterna eius memoria suscepimus, gratiasq. ei agimus, ac pro eius incolumitate iugiter Deum deprecamur cum Christi clero.] quæ autem fuerint ista munera, Beda inferius ait, fuisse vasa aurea & argentea non pauca. Pergit vero Vitalianus: Itaque qui hæc obtulit munera, de hac subtractus est luce, situsq. ad limina Apostolorum: pro quo valde sumus contristati, cum hic esset defunctus. Verumtamen gerulis harum nostrarum litterarum vestris Missis & beneficia sanctorum martyrum, hoc est, reliquias beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctorum martyrum Laurentij, Ioannis & Pauli, & Gregorij, atque Pancratij eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profecto omnes contradendas. Nam & coniugi vestræ nostræ spirituali filiæ direximus per præfatos gerulos Crucem, clauem auream habentem de sacratissimis vinculis beatorum Apostolorum Petri & Pauli: de cuius pio studio cognoscentes, tantum cuncta sedes Apostolica vna nobiscum lætatur, quantum eius pia opera coram Deo fiagrant & vernant. B

EXHORTATIO VITALIANI AD REGEM.

Festinet igitur, quæsumus, vestra celsitudo (vt optamus) totam insulam suam Deo Christo dicare. Habet enim profecto protectorem humani generis Redemptorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui ei cuncta prospera impartiet, vti nouum Christi populum coaceruet, Catholicam ibi & Apostolicam constituens fidem. Scriptum enim est [a]: Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. nimirum enim quærit & impetrabit, & ei omnes suæ insulæ (vt optamus) subdentur. Paterno itaque affectu salutantes vestram excellentiam, diuinam iugiter precamur clementiam, quæ vos vestrosq. omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, vt cum Christo in futuro regnetis sæculo. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.] hucusque ad Regem Anglorum Vitalianus Pontifex: qui solicite requirens quem expetitum in Angliam mitteret idoneum ad munus subeundum Episcopum, tandem nactus virum egregium, doctrina & moribus insignem Theodorum Tarsensem, eumdem Episcopum ordinatum cum Hadriano itineris duce in Angliam misit: quando autem id acciderit, suo loco dicturi sumus. Porro quod pertinet ad obitum eius qui fuerat missus, Vuighardi: ait Beda [b], eum cum omnibus pene socijs Romæ pestilentia vrgente interijsse: adeo vt appareat, eamdem pestem, quæ Anglos afflixit, Italiam etiam inuasisse. C D

a Matth. 6.

PESTIS IN VRBE.

b Beda lib. 4. cap. 1.

Eodem Christi anno [c] S. Eligius admirandus Nouiomensis Episcopus, Flandrorũ Apostolus nuncupatus, sæculi huius splendor, ex hac vita migrauit miraculis celebris & egregijs factis insignis, cuius præclaras res gestas vir æque sanctitate clarus Audoenus eius æqualis tribus libris digessit, quos consulere quisque potest: de ipso autem hic elogium ex eisdem ab erudito viro Molano excerptum, intextumq. in Natalibus sanctorum Belgij, reddere sat erit: Hunc, inquit, & Flandri & Antuerpienses merito vt Apostolum suum venerantur: multum enim in Flandris laborauit, iugi instantia Andouerpis decertauit: pastoris cura solicitus lustrabat vrbes & municipia circumquaque sibi commissa. Sed Flandrenses atque Andouerpienses, Frisones quoque & Sueui, & barbari quique circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomer impressserat, primo eum hostili animo & auersa mente susceperunt: postmodum vero cum paulatim per gratiam his verbum Dei insinuare cœpisset, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, conuersa est ad verum Deum, Christoq. subiecta. Fana nonnulla, Christi clypeo protectus, cum Apostolica auctoritate destruxit: idola quoque diuersi generis vbicumque inuenit, funditus subruit. Inter hæc autem frequenter laceffitus ab ingrato & perfido populo, & pene vsque ad contumeliam prouocatus, nullatenus a cœpta doctrina arcebatur; sed magis ipse lenis, patiens, humilis, & mitis pro eis Dominum deprecabatur. Hæc & alia multa de eo scribit S. Audoenus, qui & Dado, Episcopus Rothomagensis eius æqualis, vitæq. scriptor. Aldenburgi, Rodenburgi, Oostburgi, Brugis, & alibi sacras inchoauit ædes.] hæc summatim ipse, ex ampla messe paucas spicas perstringens manipulo vno. E

c Sigeb. hoc anno in Chron.

S. ELIGII EPISCOPI OBITVS.

Claruit & post obitum plurimis miraculis, quæ idem prosequitur Audoenus, agitq. de ipsius

A ipſius memoriæ erecta Nouiomi baſilica. Quid autem acciderit Clothario maiori natu Francorum Regi, non eo quo par erat honore Sanctum proſequente, audi eumdem Audoenum rem geſtam ita narrantem[a]: Duo Reges, germani fratres, Clotharius & Theodoricus, quandoque e palatio egreſſi, orandi cauſa ad eam baſilicam acceſſerunt. Abſolutis precibus exeuntes illos quidam proceres admonuerunt, vt aliquam eleemoſynam pro S. Eligij veneratione illi loco tribuerent: ſed Rex ſenior contempſit, iunior vero aliquot ſolidos ex radianti metallo ibi reliquit. Vbi ad palatium reuerſi ſunt, Rex ſenior Clotharius moleſta confeſtim febre vexatur, totoq. corporis ardore ad caput tendente, ſecutus eſt vehementiſſimus dolor dentium. Nocte igitur illa in ſummis cruciamentis tranſacta, mane recordatur quid heſterno die neglexerit; ſeq. confert ad beatum Eligium deprecandum, cui etiam per hominem fidelem multos miſit ſolidos: qui ſimulatque illati ſunt in

B templum, dolor omnis repente ſopitus eſt.] Sed quæ miranda, præſente Bathilde Regina, acciderint, videamus: idem enim qui his præſens eſſe potuit Audoenus Epiſcopus Rothomagenſis hæc ait[b]:

Mane ingens vtriuſque ſexus multitudo ad oppidum aduolauit, itemq. Regina Bathildis cum filijs & proceribus, multoq. exercitu. Et ipſa quidem Regina propere ad corpus beati viri accurrens, magnam illic fudit lacrymarum vim, valde dolens, quod eum viuum non reperiſſet. Interim iubet præparari omnia, vt poſſit corpus ad Calam monaſterium eius transferri: ſed cum loco moueri non poſſet, magno animi mærore affecta eſt: curauitq. triduanum indicendum ieiunium, quod etiam ipſa cum optimatibus ſuis & clero ſeruauit, ieiunio etiam cum illis pariter perpetuas adiungens vigilias: quæ cum fierent, in tantum illa mærebat & lugebat, vt nullo pacto lacrymas frenare poſſet. Cumq. præ ni-

C mio dolore deſiderium eius ferre non ſuſtineret, tandem vt animo ſuo ſatisfaceret, detecto eius vultu, cum multis lacrymis oſculata eſt eum, itemq. pectus & manus. Ecce autem dum ſic palpat ſacrum corpus, tametſi erat hibernum tempus, & iamdiu illud fuiſſet exanime prorſuſq. frigidum, copioſus ſanguis ex eius naribus emanauit. Id vbi viderunt Epiſcopi & Regina Chriſtianiſſima, confeſtim admouerunt lintea, ſummo ſtudio ſanguinem colligentes, eum pro magno munere in reliquijs ſeruandum ſepoſituri.

Interim expleto ieiunio, modis omnibus ſatagebat Regina, vt corpus beati viri in Calam monaſterium eius transferretur: ſed e diuerſo alij Pariſios illud transferre volebant. Quibus vtriſque ſe opponebant ciues Nouiomenſes, iuſtiſſimam hereditatem corpus Antiſtitis ſui ſibi vendicantes. Sub ea pia contentione, cum Epiſcopi & præſtantiores quique fauerent Reginæ partibus, decernerentq. ad monaſterium beati viri corpus eius tranſ-

D ferendum, magnus clamor & tumultus ortus eſt in vniuerſo populo Nouiomenſi. Tunc Regina prudenti vſa conſilio, omnipotentis Dei iudicio rem totam committens: Faceſſant, inquit, verborum contentiones. Si placet Deo & Sancto eius vt perducatur corpus quo ego volo, illico ſe leuari ſinat: ſin aliter, iam experiamur. Mox accedunt ad corpus, vt illud tollant; ſed nulla vi moueri poteſt. Tentatur id ſubinde ab alijs atque alijs, & tandem ab ipſa Regina totis viribus in id incumbente; ſed nihil efficiunt. Tum Regina ad proceres ſe vertens: Iam perſpicue (ait) animaduertimus, nolle eum alio aſportari. Permittamus igitur huic populo vel inuiti, quod hactenus ſponte noluimus. Aſſenſerunt omnes, & ſimulatque feretrum leuare cœperunt, tanta facilitate motum eſt, vt commode iam a duobus portaretur, quod paulo ante plurimi nec mouere leuiter poterant. Id miraculum cum vidiſſet Regina & ciues omnes, in Dei laudes eruperunt, dixeruntque: Mira-

E bilis es Deus in ſanctis tuis, &c.] pergit de funere dicere, atque rurſus hæc de Bathilde: Ad extremum Regina venerabilis cum plebe valde feſſa, poſtquam illud reuerenter veneratа eſt, ieiuna receſſit: luctuq. eam non ſinente cibum ſumere, ſic triduanum lacrymabunda ieiunium expleuit.] hucuſque de Reginæ ſanctiſſimæ miniſterio.

Quæ cum conſueuiſſet commoneri ab eodem ſancto Eligio viuente, eidem poſt mortem non deſtitit Sanctus ea quæ pie agenda eſſent oſtendere ac ſignificare. Cum enim viduata marito anno ſuperiori (vt vidimus) ipſa cum paruulis filijs ſuis regnaret, coronato tamen Clothario primogenito, quod putaret decere Reginam regalibus vti indumentis, nullam habuit rationem viduitatis, nempe vt humilioribus veſtibus vteretur, ſed regijs vtebatur: cuius rei gratia per Sanctum corripi meruit, id cuidam ſeruo ſuo fideli reuelantem. Res geſta digna memoria ita narratur ab eodem æque ſancto Audoeno Epiſcopo Rothomagenſi verbis iſtis: Alij cuidam in Regis palatio commoranti in luculento ha-

[a] *Audo. vit. S. Eligij lib. 2. c. 58 apud Sur. die 1. Decemb.*

CLOTHARIVS CVR MORBO CORREPTVS.

[b] *Ibid. c. 33.*

STVDIVM REGINAE ERGA SACRAS SANCTI RELIQVIAS.

CADAVER IMMOBILE RELICTVM CIVIBVS.

MONETVR A S. ELIGIO REGINA.

bitu apparens Sanctus iussit, vt quamprimum adeat Reginam Bathildem, admoneatq. A
BATHILDIS DIVINITVS ADMONETVR ABDICARE ORNATVM REGIVM. eam pro Christi reuerentia deinceps missa facere vestium aurea gemmataq. ornamenta, quibus etiamnum vteretur. Illo dissimulante, nocte altera rursus apparet ei, repetitq. eadem quæ prius mandarat. Sed illo minime id ausо Reginæ indicare, tertio adest, grauiterq. homini comminatur, ni faciat quod iussus sit. At nec sic tamen iussa capessentem præ timore, mox febris infestat. Regina ad eum venit, causam morbi perquirit. Et data opportunitate, aperit ille, quid ab Eligio audierit; statimq. pulsa febre, reualescit. Porro Regina ocyus ponit ornamenta omnia, nihil præter manicas aureas retinens: cunctaq. pauperibus distribuens, elegantiora quæque seruauit, atque ex ijs Crucem pulchertimam fecit, eamq. ad caput beati Eligij deponi iussit. Thecam quoque ex multo auro & argento, in qua eius sacra ossa conderentur, miro opere conficiendam curauit, ita dicens: Hic vir beatissimus multorum sanctorum effecit thecas; & ego quoque (vt dignum est) eius memoriæ, B
si potero, operam dabo. Cumq. id fecisset, tanta deinceps a proceribus & potentibus ei loco auri & argenti atque gemmarum copia collata est, vt eam difficile sit verbis explicare.] subdit his dicere de miraculis ex eadem Cruce Dei virtute manantibus, quæ breuitatis causa omittimus.

BATHILDIS REGINA PROFESSA VITAM MONASTICAM Ipsa vero Regina superuixit Clothario & Childerico filijs, superstite tantum relicto Theodorico, prout sanctus Vuandregisilus ipsi prædixerat, vt eius sancti Acta habent ab eius temporis auctore conscripta: ipsa enim filijs regni administrationem relinquens, in monastico habitu diem clausit extremum sanctitate percelebris: nam inter sanctas relata, anniuersaria memoria in Ecclesia ex eo tempore in hanc diem celebrari non desiuit sextodecimo Kalendas Februarij, qua die ex hac vita recessit. Reliquit inter alia suæ pietatis monumenta duo a se celeberrima monasteria constructa, alterum cui nomen Corbeia, alterum Cala, de quo nuper mentio facta est. C

Sed & hoc eodem pariter anno ex hac vita discessit magnæ vir sanctitatis Vuandregisilus sacerdos: interfuit eius ad Deum transitui S. Audoenus Episcopus Rothomagensis, de quo nuper mentio facta est. Genitus [a] iste ex consobrino Pipini Ducis Austrasiorum, Comes Palatinus apud Dagobertum Regem obligatus coniugio, cum vxore virgine & ipse virgo religionis ergo virginitatem seruare pari consensu decreuit, attonsusq. est in clericum, cum & eius vxor institutum monasticæ vitæ susceperit. quibus autem progressibus culmen ascenderit sanctitatis, eius Acta quam fidelissime scripta significant, quæ tu consulas.

[a] *Acta eius apud Sur. die 22. Iul. to. 4.*

S. VVANDREGISILI OBITVS. Quod vero ad obitus tempus pertinet, hæc ad finem inuenies: Requieuit sane venerandus & cum omni magnificentia nominandus beatissimus pater & sacerdos Domini Vuandregisilus anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi sexcentesimo sexagesimo- D
quinto, Indictione octaua, anno XI.* Pontificatus Vitaliani Papæ (*ita corrigendum loco* IX.) porro Tertij Clotharij anno regni vndecimo.] Habent tabulæ Ecclesiasticæ eius diem natalem vigesimasecunda Iulij recensitum, quem annua die vna cũ alijs sanctis Ecclesia colit. Sed non prætereat de eodem sanctissimo viro, quod cum ædificaret quatuor basilicas, misit nepotem suum Romam ad Vitalianum Papam, a quo accepit quod voluit. auctor enim eius Actorum hæc habet:

*IX.

A VITALIANO PP. ACCEPTAE RELIQVIAE. Aedificauit autem in ipso loco vir Domini basilicas egregio cultu numero quatuor, in honorem videlicet Principis Apostolorum Petri, simulq. doctoris Gentium Pauli, sanctiq. Laurentij ac Pancratij martyrum Christi. Et cum huic operi insisteret, misit antedictum nepotem suum Romam propter pignora beatorum Apostolorum ac martyrum Christi: vt ædificatis basilicis, in promptu haberet reliquias sanctorum, quorum nomini & reuerenE
tiæ dicare dispossuerat. Qui votis pij patris libentissime parens, Romam abijt, Vitaliano Papa eodem tempore gubernante sedem eiusdem Ecclesiæ: atque ab eo susceptа plurima Apostolorum & martyrum Christi pignora, vna cum benedictione Apostolica rediens, secum detulit, codicũq. sacrorum copiam non minimã, &c.] hæc enim satis ad *institutum* de Vuandregisilo viro sanctissimo. Sane quidem videas his temporibus, quibus densa caligine Oriens, ingruentibus Sarracenis & diuersarum sectarum hæreticis, obscuratur, elucescere splendoribus sanctorum Gallias & Britanniam: ita plane eo clarioribus & ardentioribus fulget fides vt Sol alibi radijs, quæ nubium densitate lucere alibi prohibetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 666. VITALIANI PAP. ANNVS 12. CONSTANTIS IMP. ANNVS 25.

SEquitur ordine temporis annus Redemptoris ſexcenteſimus ſexageſimusſextus, Indictione nona: quo Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, vbi ſediſſet annum vnum, menſes duos, & dies ſeptem, vt Nicephori Chronicon habet, moritur, ſubrogaturq. in locum ipſius Theodorus presbyter Syncellus & cuſtos vaſorum. Fuit iſte hæreticus omnium impudentiſſimus, ſubdolus, verſipellis, malorum omnium concinnator egregius, Monothelitarum ſectæ propugnator audaciſſimus: cui cum pax ſumma fuerit at- THEODORVS EPISC. CONSTANTINOP.
B que poteſtas, quamdiu Conſtans Imperator vixit; æque poſſumus intelligere fidem ipſius Imperatoris, quam Catholicam profiteri viſus eſt in Occidente, nihil præterea fuiſſe, quam laruam ad mentiendum atque decipiendum impoſitam. Qui igitur in malum Eccleſiæ Catholicæ hoc anno ſedere cœpit Theodorus, peruenit vſque ad annum duodecimum ſuæ ſedis. ita corrigas textum Nicephori, vbi legitur ſediſſe annos duos & menſes tres, vt reſtituas annos duodecim: vſque enim ad annum ante Sextam Synodum ſediſſe, quæ inferius dicentur, oſtendent. Hic eſt ſtatus anni huius Orientalis Eccleſiæ plane miſer.

Hoc eodem anno, qui numeratur decimusoctauus Recceſuinthi Regis, Era ſeptingenteſimaquarta celebratum eſt Concilium Emeritenſe duodecim comprouincialium Epiſcoporum prouinciæ Luſitaniæ: cuius ſunt canones vigintitres ad optimum Eccleſiæ ſtatum diſponendum ſpectantes. Sed memoria dignum, quod habet canon tertius de ope- CONCILVM EMERITENSE.
C ferenda a ſacerdotibus Regi, dum in bello detinetur, his verbis:

Inſtituit hoc ſanctum Concilium, vt quandocumque eum cauſa ingredi fecerit contra ſuos hoſtes, vnuſquiſque noſtrum in Eccleſia ſua hunc teneat ordinem; ita vt omnibus diebus per bonam diſpoſitionem ſacrificium omnipotenti Deo pro eius, ſuorumq. fidelium, atque exercitus ſui ſalute offeratur, & diuinæ virtutis auxilium impetretur: vt ſalus cunctis a Domino tribuatur, & victoria illi ab omnipotenti Deo concedatur. Tamdiu hic ordo tenendus eſt, quamdiu cum diuino iuuamine ad ſuam redeat ſedem. Quiſquis huius inſtitutionis modum implere diſtulerit, ſciat ſe a ſuo Metropolitano eſſe excommunicatum.] hæc de his Synodus. SACRIFICIVM QVOTIDIANVM PRO REGE DECERNITVR.

Sed & illud recens inſtitutum eſt canone quinto, ne niſi presbyteri ab Epiſcopis impedimento aliquo detentis vicarij in Concilium mitterentur, ijſdemq. ſedere a tergo Epi-
D ſcoporum concederetur, diaconis autem nullo modo. Fuit & illud ſalubriter decretum, ne quis defuncto Epiſcopo quoquo modo detraheret, ſed grauibus plectendos pœnis, qui ſecus egerint. eſt ſancitus de his canon decimusſeptimus, in quo hæc poſt alia: Inſtituentes igitur decernimus, vt nullus ſubiectus decedentem detrahat Epiſcopum: nullus de eo deroget, nec malum quicquã loquatur. Si quis talia deinceps facere præſumpſerit: ſi preſbyter fuerit, tribus menſibus ab Epiſcopo ſuo ſub pœnitentia religatus maneat: ſi diaconus, quinque: ſi ſubdiaconus, aut clericus, vel quilibet religioſus de maiori gradu (quia conſtat ex his iam aliquos per bonam actionem eſſe venerandos) nouem: ſi minimi fuerint, qui leui corde ſint, minimæq. adhuc perſonæ, quinquagenis flagellis iuſſione feriantur Epiſcopi: quod ſi laicus quamuis ingenuus, in domo Eccleſiæ tamen nutritus, & ab Eccleſiæ rebus, dignitatis gratia prædítus, iuxta quod dignitas eius exegerit, pro tali ex- NON DETRAHENDVM DEFVNCTIS EPISC.
E ceſſu excommunicationis ſententia feriendus erit. ſi vero de familia Eccleſiæ fuerit quiſque (quia & in his diſcretionis eſt gradus) ſi maior fuerit qui dignitate polleat, ſex menſibus ab Epiſcopo ſuo excommunicatus maneat: inferior tamen, aut minima perſona diſciplinam mereatur, iuxta quod Epiſcopi proceſſerit ſententia. Dignum eſt enim, vt cui in vita honor fuit impenſus, poſt mortem detractionis ſubtrahatur ſtimulus.] hæc Patres, & digne quidem, ſecundum illud vulgatum: Ne quid in mortuum, neque ſi fuerit ipſe Nero: prout alibi meminimus nos ex Luciano notaſſe.

Statuit & illud ſanctum Concilium, vt cui ob paupertatem ipſarum plures creditæ eſſent eccleſiæ, in illis ſingulis ſingula ſacrificia Dominicis diebus offerre deberet. extat de his canon decimusnonus. Reliqua prætermittimus quamuis obſeruatione digniſſima, ne longe nimis ab inſtituto digrediamur. Tu maiori otio ipſa conſulas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

IESV CHRISTI ANNVS 667. | VITALIANI PAP. ANNVS 13. | CONSTANTIS IMP. ANNVS 26.

SAPORIVS PRAEFECTVS ARMENIAE TYRANNVS.

ANnus agitur sexcentesimus sexagesimusseptimus, Indictione decima: quo Saporius Armeniæ Præfectus rebellans aduersus Imperatorem, a Rege Sarracenorum auxilium petiturus, legat ad eum Damasci degentem Sergium magistrum militum: quo & legatio Constantis Imperatoris aduenit, eo fungente munere Andrea cubiculario: auditiq. ambo simul fuere a Mahuuia Sarracenorum Principe. Insultante vero & contumelioſe multa in Andream iactante Sergio illo a tyranno legato, ei potius fauit Princeps Sarracenorum, multa pollicitus; dimisitq. Andream contestantem, spretum Romanorum Imperatorem a Deo auxilium petere, & in ipso haud frustra sperare. Quod haud inane cessisse, paulo post declarauit euentus: nam Sergius ille rediens, in manus Andreæ nesciens venit, & pœnas dignas dedit suspensus in ligno. Tunc & missus est ab Imperatore Nicephorus Patricius aduersus tyrannum: sed quomodo absque armis, Deo pugnante, superatus sit, audi: Erat (inquit Theophanes) Sapor tyrannus Hadrianopoli degens, & cum Nicephorum ad se venire comperisset, exercebat se ipsum ad prœlium. Verum die quadam contigit, hunc secundum consuetudinem de ciuitate super equum sedentem exire: cumq. portæ ciuitatis appropinquasset, equum flagello percussit: qui iactanter saltans, & huius caput in portam allidens, hunc vita male priuauit, & sic Deus victoriam Imperatori contulit.] Ista meruit fides, quam animose de diuino auxilio legatus ante conceperat. B

Hoc eodem anno, inchoata mense Septembri vndecima Indictione, Ioannes Episcopus Lappæ in Creta iniustitiam passus ab Archiepiscopo Cretensi, appellans ad Romanum Pontificem, cũ detineretur ne Romam veniret, tandem elapsus venit ad Vitalianum Pontificem. Sunt de his litteræ eiusdẽ Vitaliani Papæ ad Paulum Cretensem Archiepiscopum, quarũ est exordium *: Decimonono die mensis Decembris præsentis vndecimæ Indictionis Ioannes Episcopus Lappæ vrbis intra basilicam venerabilem beati principis Apostolorum Petri nobis intulit petitionem, per quam nos obnixe postulauit, atque coniurauit, per terribilem, inquiens, aduentum magni Dei atque Saluatoris nostri Iesu Christi, vt secundum sacratissimos canones, institutaq. sanctorum Patrum, eius causæ meritum requireremus, & sententiam promulgaremus, &c.] Non despexit iustam Vitalianus petitionem, sed annuit, atque Synodum Episcoporum collegit, in qua eius causa cognosceretur. Cum autem innotuisset Patribus in Synodo considentibus, iniustitiam passum ipsum fuisse, communi eum absoluunt calculo. Ipse vero Vitalianus scribens ad Paulum Cretensem Archiepiscopum, qui appellantem Episcopum cohibuerat, cum redarguens, habet hæc inter alia: C D

DE CAVSA IO. LAPPENSIS EPISCOPI.

* *Vitalian. epist. 1. tom. 2. epist. Rom. Pont.*

Oportebat tuam fraternitatem secundum canonum vigorem, tempore quo se petijt ad nos venire, eum absoluere tuis litteris: quem non solum noluisti canonice absoluere ad principis Apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens: Quia non competenter quæris. Quæ ergo sancti sanxerunt Patres, indecentia sunt? An placentia tibi, decentia sunt? Igitur præfatum Ioannem Antistitem æque inculpabilem reperientes iuxta textum sententiæ a te nobis directæ, fecimus nobiscum cum Episcopis ad Missarum solemnia in ecclesias Dei præcedere. Itaque statuimus atque firmamus per huius nostræ præceptionis auctoritatem, omnia quæ a te, tuaq. Synodo contra canonum instituta, contra legum decreta gesta confectave sunt, vel sententiam promulgatam aduersus eum, inania & vacua esse: sed quicquid claruerit eum damnificatum, eiusdemq. Ecclesiam a quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conseruans eum absque damno, &c.] multa reprehendit & comminatur in eum Vitalianus. Porro data est epistola mense Augusto anni sequentis. tantum plane temporis est interlapsum, donec Acta in Ioannem confecta Romam mitterentur, & Synodus Romæ colligeretur Episcoporum. Sic igitur vidisti, quantopere in Archiepiscopum commotus sit Vitalianus, quod appellanti ad Apostolicam sedem non detulisset, sed contempsisset Apostolicæ sedis auctoritatem. Sed & irritauit etiam idem Pontifex sententiam latam ab Episcopis Orientalibus, cum hæreticus Patriarcha Theodorus (vt dicemus) eius nomen a Diptychis abradere conatus est. Porro & aliæ quoque litteræ eadem ex causa datæ a Vitaliano leguntur. E

ABSOLVTVS IOANNES.

Hoc

A Hoc eodem anno, mense Ianuario, magnus ille meritis sanctus Ildefonsus Toletanus Archiepiscopus ex hac vita migrat, vbi magna cum laude Ecclesiam illam rexisset annos nouem & menses duos: de quo instar epitaphij sepulchralis hic elogium appositum velut appendicem ad libellum eius de viris illustribus ex Vaticano codice describemus. Quis autem eius sit auctor, ignoratur, sed eum fuisse constat, qui hoc viuebat tempore, & hæc de sancto scripsit, antequam eius crearetur successor Episcopus: siquidem dum de Ildefonso ea scribit, nouissimum eum appellat Toletanum Episcopum. Sed audi illum, qui hæc habet: OBITVS S. ILDEFONSI EPISCOP. TOLET.

Ildefonsus memoria sui temporis clarus, & irriguis eloquentiæ fluminibus exornans Ecclesiam, ætatis nostræ nouissimus Toletanæ sedis adscitus in cathedram, Præsul post secundum Eugenium in sacerdotium consecratur, vir tanta laude dignissimus, quanta &
B virtutum gratia numerosus fuit. Denique timoris Dei instantiæ plenus, præditus virtutibus, religione comptus, compunctione probus, incessu grauis, honestate laudabilis, patientia singularis, secreti tacitus, sapientia summus, differendi ingenio clarus, eloquendi facultate præcipuus, linguæ flumine copiosus, tantoq. eloquentiæ cothurno celebris habitus, vt disputationum eius profusa oratio dum per recta dirigitur, merito non homo, sed Deus per hominem affatim eloqui crederetur. Hic igitur sub rudimentis adhuc infantiæ degens, diuino tactus spiritu, vita delectatus est monachorum; contemptisq. parentum rerumq. affectibus, Agalense monasterium petijt, monachumq. se in eo multis annis decenter exhibuit: cœnobium quoque virginum in Deilsensi villula construxit, ac proprijs opibus dedicauit*: rector deinde effectus Agalensis cœnobij, monachorum mores exercuit, rem discreuit*, vitamq. seruauit: Principali post hæc violentia To-
C letum reducitur, atque ibi post decessoris sui obitum Pontifex subrogatur. LAVDES S. ILDEFONSI. * ædificauit

Scripsit sane quamplurimos libros luculentiori sermone purissimos, quos idem in tot partibus censuit diuidendos, id est, librum prosopopeiæ imbecillitatis propriæ, libellum de virginitate sanctæ Mariæ contra tres infideles, opusculum de proprietate personarum Patris & Filij & Spiritus sancti, opusculum de viris illustribus, opusculum Annotationis in sacramentis, librum in cognitione baptismi vnum, & de progressu spiritualis deserti alium: quod totum partis primæ voluit volumini connectendum: partis quoque secundæ liber epistolarum est, in quo diuersis scribens, ænigmaticis formulis egit, personasq. interdum induxit: in quo etiam a quibusdam luculentiora scriptorum responsa promeruit. partem sane tertiam Missarum esse voluit, hymnorum, atque sermonum: altioris denique partis liber est quartus versibus prosaq. concretus, in quo epitaphia & quædam
D sunt epigrammata annotata. Scripsit alia multa, quamuis varijs molestiarum occupationibus impeditus: aliqua cœpta, aliqua semiplena reliquit. Adscitus autem in pontificatum nono glorioso Recceswinthi Principis anno, nouem annis & duobus fere mensibus clarus habitus fuit, vitæq. meritis & retentione regiminis: expletoq. decimooctauo prædicti Principis anno, sequenti die Kalendarum Februariarum domicilio carnis exuitur, atque in ecclesia beatæ Leocadiæ tumulatur, ad pedes sui conditus decessoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis.] hucusque auctor. Dolemus magnopere, iniuria temporum, grassationibusq. Sarracenorum, tot nobilissimi ingenij monumenta perpaucis exceptis, magna iactura Ecclesiasticæ Hispaniarum antiquitatis, esse deperdita. Successit autem Ildefonso Cyriacus, post quem sedit sanctus Iulianus eius nominis secundus. Sed de his inferius suis locis dicendum erit. SCRIPTA S. ILDEFONSI.

E

IESV CHRISTI ANNVS 668. VITALIANI PAP. ANNVS 14. CONSTANTIS IMP. ANNVS 27.

SExcentesimo sexagesimooctauo Christi anno, Indictione vndecima, Constans Imperator cum in Sicilia degeret, Syracusis in balneo occiditur a quodam Andrea Troili filio. ita Anastasius. Paulus [a] autem diaconus id factum tradit Indictione duodecima: consentit Anastasio Theophanes, qui vigintiseptē tantum annos numerat Constantis Imperatoris: consentiūt pariter Acta Sextæ Synodi. Occiso Cōstante, rebelles Metiū, siue Mezentiū Armenum, Imperatorē crearunt. Quo audito Constantinus Constantis filius in Siciliam veniens, CONSTANS IMP. OCCIDITVR. [a] *Paul. diac. lib. 5. in fin. & edit. non. c. 11.* MEZENTIVS TYRANNVS.

veniens, nouũ aggreſſus Imperatorem, immo tyrannum, occidit vna cum ijs qui aduerſus A
patrem coniurarant. hæc Annales [a] Græcorum. Porro ſuppetias miniſtraſſe Vitalianũ Pontificem Conſtantino Catholico Imperatori aduerſus tyrannos, idem ipſe Imperator in litteris poſtea a ſe ſcriptis ad Donum Papam profitetur. Ipſe vero Conſtantinus, bene diſpoſitis rebus Occidentalis Imperij, regreſſus eſt Conſtantinopolim, atque allectis fratribus Tiberio & Heraclio in collegas, vna cum eis imperat. Fuit (vt dictum ſæpe eſt) Catholicæ religionis profeſſor, idemq. ob barbam dictus Pogonatus, quod ſcilicet Byzantio ſoluens tenera adhuc lanugine fuerat, & e Sicilia promiſſam barbam (vt Zonaras ait) retuliſſet. Quod vero furens populus nimis importune ab eo coronationem fratrum expeteret, ipſius in eos inuidiam & iram accendit, quos ſuſpendi patibulo atque naribus præcidi iuſſit, Iuſtinianumq. patricium Germani poſtea Patriarchæ parentem capite truncari mandauit, Germanumq. ipſum euirauit.] verum hæc longe poſtea acciderunt; licet errore facta B
hoc anno exordio eius Imperij, Annales prodant, qui & addunt lugubrem hunc extitiſſe annum miſeris Africanis: ſiquidem irrumpentes in eam prouinciam iterum Sarraceni, octoginta millia ipſorum duxere captiuos.

[a] *Theophan. & Cedren. hoc an.*

CONSTANTINVS, TIBERIVS, ET HERACL. IMPPP.

AFRICANORVM DIRA CLADES.

Quod ad res Catholicæ fidei bene diſponendas, ſtudium Orthodoxi Imperatoris non defuit: perfeciſſetq. quod conceperat animo, vt ſimul cum Occidentali Orientalis Eccleſia vniretur, quod in primis erat in votis, niſi bellorum ingruentium motibus impeditus fuiſſet: illud tamen præſtitit, vt res interea ſilentio ſopiretur, quouſque congregandi Concilij tempus opportunum adeſſet. Teſtatur id ipſe quidem in epiſtola quam poſtea dedit ad Donum Romanum Pontificem, de qua ſuo loco agemus. Vitalianus enim Pontifex id ab eo exigebat, vt qui viciſſet tyrannos, iam ſuperaret hæreticos Dei Eccleſiam infeſtantes. Idem quoque Vitalianus hoc tempore datis litteris ad Paulum Cretenſem C
Epiſcopum ſcribit de Ioanne Epiſcopo, qui ſedem Apoſtolicam appellauerat, eumq. abſolutum ſignificat, & reſtituendum in ſuam Eccleſiam præcipit.

Porro qui ſuper eminentem ſpeculam inſpector & curator totius a Deo conſtitutus eſt orbis Vitalianus, dũ ad Orientem ad ſubleuandos oppreſſos intendit, ad extremam quoque toto noſtro hoc orbe diuiſam Britanniam reſpiciens, in Anglicanam nouam illic coaleſcentem Eccleſiam miniſtrorum inopia laborantem figens obtutum, mittit ad eam magnum illum Theodorum Tarſenſem opere quidem atque ſermone pollentem, de cuius electione Beda huiuſmodi ſcribit hiſtoriam [b]:

[b] *Bed. lib. 4. c. 1.*

VITALIANVS QVAERIT QVEM MITTAT IN ANGLIAM.

Apoſtolicus Papa, habito de his conſilio, quæſiuit ſedulus, quem Eccleſijs Anglorum Archiepiſcopum mitteret. Erat autem in monaſterio Niridano, quod eſt non longe a Neapoli Campaniæ, Abbas Hadrianus, vir natione Afer, ſacris litteris diligenter im- D
butus, monaſterialibus ſimul & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutus, Græcæ pariter & Latinæ linguæ peritiſſimus. Hunc ad ſe accitum Papa iuſſit, Epiſcopatu accepto, in Britanniam venire. Qui indignum ſe tanto gradu reſpondens, oſtendere poſſe ſe dixit alium, cuius magis ad ſuſcipiendum Epiſcopatum & eruditio conueniret & ætas. Cumq. monachum quemdam de vicino virginum monaſterio, nomine Andream, Pontifici offerret: hic ab omnibus, qui eum nouere, dignus Epiſcopatu iudicatus eſt; verum pondus corporeæ infirmitatis, ne Epiſcopus fieri poſſet, obſtitit.

Et rurſum Hadrianus ad ſuſcipiendum Epiſcopatum actus eſt: qui petijt inducias, ſi forte alium, qui Epiſcopus ordinaretur, ex tempore poſſet inuenire. Erat ipſo tempore Romæ monachus Hadriano notus, nomine Theodorus, natus ex Tarſo Ciliciæ, vir & E
ſæculari & diuina litteratura Græce & Latine inſtructus, probus moribus, & ætate venerandus, id eſt, annos habens ætatis ſexagintaſex. Hunc offerens Hadrianus Pontifici, vt Epiſcopus ordinaretur, obtinuit: his tamen conditionibus interpoſitis, vt ipſe eum perduceret in Britanniam, eo quod iam bis partes Galliarum diuerſis ex cauſis adijſſet, & ob id maiorem huius itineris peragendi notitiam haberet, ſufficiensq. eſſet in poſſeſſione hominum propriorum: & vt ei doctrinæ cooperator exiſtens, diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati fidei, Græcorum more, in Eccleſiam, cui præeſſet, introduceret. Qui ſubdiaconus ordinatus, quatuor expectauit menſes, donec illi coma creſceret, quo in coronam tonderi poſſet: habuerat enim tonſuram more Orientalium ſancti Pauli Apoſtoli. Qui ordinatus eſt a Vitaliano Papa anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimooctauo, ſub die ſeptimo Kalendarum Aprilium, Dominica: & ita vna cum Hadriano, ſexto Kalendas Iunias in Britanniam miſſus eſt. Qui cum pariter per mare ad

THEODORVS ET HADRIANVS MITTVNTVR IN ANGLIAM.

Maſſi-

A Massiliam, & inde per terram Arelatem peruenissent, & tradidissent Ioanni Archiepiscopo ciuitatis illius scripta commendaticia Vitaliani Pontificis; retenti sunt ab eo, quousque Ebroinus Maior domus regiæ copiam pergendi quoquo vellent, tribuit eis. Qua accepta, Theodorus profectus est ad Agilbertum Parisiorum Episcopum, de quo superius diximus, & ab eo benigne susceptus, & multo tempore habitus est. Hadrianus vero perrexit primo ad Emesenonum, & postea ad Faronem Meldonum Episcopum, & bene cum eis diutius fuit: coegerat enim eos imminens hiems, vt vbicumque potuissent, quieti manerent.

Quod cum nuncij certi narrassent Regi Ecgberto, adesse scilicet Episcopum, quem petierant a Romano Antistite, in regno Francorum: misit illo continuo Redfridum Præfectum suum ad adducendum eum. Quo cum peruenisset, assumpsit Theodorum cum E- THEODORVS IN ANGLIAM NAVIGAT, ET POST EVM HADRIANVS.
B broini licentia, & perduxit eum ad portum, cui nomen est Quentauuic; vbi fatigatus infirmitate, aliquantisper moratus est: & cum conualescere cœpisset, nauigauit in Britanniam. Hadrianum autem Ebroinus retinuit: quoniam suspicabatur eum habere aliquam legationem Imperatoris ad Britanniæ Reges aduersus regnum, cuius tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cum tale nihil illum habere, vel habuisse, veraciter comperisset, absoluit eum, & post Theodorum ire permisit. Qui statim vt ad illum peruenit, dedit ei monasterium beati Petri Apostoli, vbi Archiepiscopi Cantiæ sepeliri (vt præfatus sum) solent. Præceperat enim Theodoro abeunti dominus Papa Apostolicus, vt in diœcesi sua prouideret & daret ei locum, in quo cum suis apte degere potuisset.] Quia autem accessus ipsius Theodori in Britanniam contigit (vt idem testatur auctor) anno sequenti: quæ tunc per Theodorum gesta sint, suo loco dicemus.

C Hoc eodem anno Clotharius Rex Francorum, vbi regnasset annos quatuor, ex hac vita migrauit: tot namque eum regnasse annos, auctor appendicis ad Gregorium Turonensem affirmat, & alij consentiunt. Successerunt in regnum fratres Theodoricus & Chilpericus: sed illo redacto in ordinem, Chilpericus tenuit annos tres, vt patet ex ijs quæ in eius obitu inferius dicentur. tradunt autem ipsum coegisse Ebroinum Maiorem domus regiæ fieri monachum in Luxouiensi cœnobio, cum faueret Theodorico: quod & in Actis sancti Philiberti Abbatis expressum habetur. Verum sponte ipsum secessisse, rerum spectator Vrsinus, qui exposcente Audolpho Abbate monasterij sancti Maxentij scripsit res gestas sancti Leodegarij Episcopi Augustodunensis & martyris, tradit, pauloq. diuersa ita narrat, incipiens a Clothario filio Clodouei maiore natu, regniq. successore, his verbis[a]:

Per idem tẽpus minor Clotharius Rex cũ Bathilde *matre regni Francorũ habenas mo- *a Apud Sur. die 2. Octob.
D derabatur. Qui cum Leodegarij prudentiã auditione accepissent, cuperentq. eũ in palatio apud se habere: petierunt ab Episcopo Pictauiense eius auunculo & educatore, vt ei faceret copiam apud ipsos in palatio manendi. Episcopus statim iussa cõplens, magnis rebus instructum & sapientiæ floribus redimitum eum misit ad illos, qui eum sane honorifice acceperunt. Ille vero intra paucos dies virtute & integritate sua, sermonisq. comitate id consecutus est, vt Rex & Regina & plerique Pontifices eum præcipue carum haberent, consensuq. omnium, maxime Francorum, Episcopi functione dignus proclamaretur. Itaque ab omnibus electum Augustoduni (quæ est Heduorum ciuitas) Episcopum curarunt ordinandum: quo munere cum annis tribus *strenue functus esset, Rex Clotharius, *Alij decem. sed male
qui eum promouerat, excessit e viuis. * Blitilde CLOTHARII REGIS OBITVS.

Tum vero beatus Leodegarius Episcopus id audiens, celeriter ad palatium profectus
E est, & cum alijs de Rege constituendo tractare cœpit: cumq. comperissent Childericum Austrasiorum Regem adolescentem pro sua ætate regnum optime administrasse, quædam CHILDERICVS FRANCORVM REX HABETVR
Francorum pars cum voluit habere Regem. Porro Ebroinus, qui sub Clothario Rege Maior domus fuerat, Theodoricum fratrem Childerici nitebatur Clothario subrogare. eius autem nomen tum erat odiosum apud Francos, vt qui illo rursus iugo premendos se verentur, quod sub Clothario per eum experti essent. Itaque Ebroini consilio posthabito, Childericum Francorum Regem elegerunt. Cernens ergo Ebroinus se destitutum, consiliumq. suum prorsus negligi, multo timore correptus, petijt a Rege, vt rebus omnibus derelictis, permitteret ipsi, vita incolumi degere in monasterio. Illo sic rogante, & Leodegario quoque pro eo intercedente, Rex assensit, & illico eum ad Luxouiense monasterium ablegauit, vt illic monasticum institutum complecteretur. Deinde in regno confirmatus Childericus Rex, germanum suum Theodoricum cuidam seruo Dei conseruan-

dum

-dum ac nutriendum commisit. Porro Leodegarium Episcopum omni domui suæ præfecit, & in omnibus Maiorem domus esse voluit. A

Is ergo, ea accepta potestate, quicquid aduersus priscorum Regum & magnorum procerum leges comperit inepte introductum, cum esset vita & moribus incolpatis, ad pristinum reduxit statum. Vsque adeo vero totum Francorum regnum vsquequaque restituit, vt omnes se gratularentur Regem habere Childericum, & palatij Præfectum Leodegarium.] at non intelligas vt ipse fuerit Magister domus, cum tunc temporis eiusdem Leodegarij consilio constet creatum fuisse Leudesium filium Erchonualdi sub Clothario eodem munere perfuncti ante Ebroinum. Sed pergit auctor: Cum hæc annis fere tribus cū multo decore agerentur, malus dæmon, qui pro insita sibi inuidentia bona destruere solet, administris suis, quos idem Antistes sibi socios adhibuerat rerum gerendarum, inuidiæ faces admouere cœpit, & per illos inter Episcopum & Regem discordiæ zizaniā seminare. B

PRODITOR AVELLIT LEODEGARIVM A REGE.

Imminente igitur tum Paschatis celebertimo die, Episcopus a Rege petijt, vt Augustoduni Heduorum ciuitate diem sanctissimum celebraret. Non abnuit Rex, sed Episcopi precibus studet obsequi. In ipsis igitur vigilijs Paschæ pro antiquo more illis pariter euntibus ad Missarum solemnia celebranda, odij seminario adhuc latitante, is qui malorum incentor erat, accedens ad Episcopum, ait: Caucas tibi, sancte Pontifex: Missarum enim celebritate peracta, iussu Regis interficiendus es: nam semen nequam ab hostibus tuis in eius fatum pectore, hac nocte exeret sese. His auditis, dissimulat interim Episcopus, neque eam rem magni pendens, lætum & serenum vultum exhibet, inchoataq. Missarum solemnia honestissime consummat. Postquam autem ipse & Rex Eucharistiam sumpserunt, Rex ad palatium pransurus abscessit: Episcopus vero, peracto ministerio, hausto. cum suis mero (vt sese habet humana fragilitas) Regis animos metuens, cum illis tractare cœpit, quid hac in re agendum videretur. Vbi autem ad Dominum preces fudit, consultius ei visum est, posthabitis omnibus, Christum sequi, quam cædi locum dare, ne manus Regis tam festo die sacerdotis sanguine inquinarentur, atque inde in Francorum odium & contemptum incideret, vniusq. hominis causa totius populi concertatio & conflictus oriretur.

TIMET REGEM LEODEGARIVS. C

Relicto igitur Rege, cunctisq. regni proceribus, pro nihilo ducens quod in mundo haberetur, eadem nocte cum paucis iter suscipit, eo profecturus, vbi pauper Christi effici posset. Id vbi Rex cognouit, valde contristatus ac animo mærens, quēdam e fidelibus suis cum magno exercitu post illum misit; qui cum tota nocte insecutus, diluculo assecutus est. Deprecante autē humiliter Pontifice, vt liceret ipsi quoque, relicto sæculo, vacare Deo in Luxouiensi cœnobio, mox * id ei permissum est. Itaque celeriter ad monasterium perueniens, Ebroinum iam clericum inuenit, eumq. rogauit, vt si quid in ipsum peccasset, veniam inuicem peterent, & animorum inter se concordia iungerentur. Attamen ab Abbate seiuncti, aliquo temporis spatio pœnitentiam agentes, inter monachorum contubernia tam strenue se gesserunt, vt perpetuo illic in monastico instituto mansuri viderentur.] hactenus de his vsque ad obitum Childerici, qui triennio in regno vixit ab obitu Clotharij Regis. quæ autem post hæc secuta sint, suo loco dicturi sumus: quæ quidem etsi diuersa ab ijs quæ ab alijs narrantur nonnihil reperiantur, non spernenda dixerim, vt auctoris sui temporis res scribentis.

LEODEGARIVS SE CONFERT IN LVXOVIENSE COENOBIVM. * vix D

IESV CHRISTI ANNVS 669. ADEODATI PAP. ANNVS 1. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 2. E

ANnus sequitur Domini sexcentesimus vndeseptuagesimus, Indictione duodecima inchoata: quo, sexto Kalendas Februarias Vitalianus Papa, vbi sedisset annos quatuordecim & menses quinque minus diebus quatuor, ex hac vita ad Deum migrat: cuius probitas ita refulsit, vt inter sanctos Pontifices adscriberetur, eiusq. natalis dies anniuersaria memoria perpetuo celebrandus sanciretur. Dolemus tanti Pontificis tum scripta tum acta maxima ex parte calamitate temporis deperijsse penitus oblitione sepulta.

VITALIANI PAP. OBITVS.

Præter illa autem quæ de ipso singulis certis annis sunt superius enarrata, alia quædam reperiuntur, quæ cum certo anno definita minime habeantur, hic ea describere, ex more, voluimus. Habet hæc enim Anastasius: Fecit autem Vitalianus ordinationes quatuor, creauit presbyteros vigintiduos, diaconum vnum, Episcopos per diuersa loca

A loca decem & octo*.] Inter Episcopos recens creatos, datum tradunt Episcopum primum Ferrarienſibus, vel (vt Rubeo[a] placet) Vicehabentiæ Episcopatum Ferrariam translatum: qui autẽ primus Ferrarienſibus Episcopus datus dicitur, Marinus nomine dictus habetur. Prodit idem auctor ex Rauennatis Eccleſiæ monumentis, a Vitaliano Papa excommunicatum fuiſſe Maurum Episcopum Rauennatem, quod ab ipſo Romam vocatus cauſam dicturus, adeſſe contempſerit. At ille tantum abfuit vt percuſſus anathemate reſipuerit, vt etiam fretus Exarchi potentia, quem ſibi intimum conciliauerat amicum, eo veſaniæ progreſſus ſit, vt in Vitalianum eamdem anathematis ſententiam reciprocaret: quo portentoſo facinore perculſi omnes Italiæ Epiſcopi, vna cum Vitaliano coeuntes, eumdem Maurum vt indignum penitus ſacerdotio exuerunt. puto id factum in Romano Concilio anno ſuperiori in cauſa Cretenſis Epiſcopi Ioannis collecto.

* al. XCVII.

FERRARIENSIS PRIMVS EPISCOPVS.

[a] Hieron. Rub. hiſtor. Rauen. lib. 4.

MAVRVS EPISCOPVS RAVENNAS CONTVMAX ET PROTERVVS.

B Ceterum quo cœpit mentis delirio Maurus perſeuerans, nec mutans Ethiops pellem ſuam, ad finem vitæ perductus, conteſtatus eſt omnes Rauennatis Eccleſiæ clericos, ne vmquam ſubijcerent ſe Romano Pontifici: in qua obſtinatione vita functus miſer, ab omni prorſus Eccleſiaſtica communione, ſuffragijs ſcilicet pro defunctis exhiberi ſolitis & commemoratione e ſacris Diptychis interdictus eſt a ſucceſſore Vitaliani Adeodato, de quo proxime dicturi ſumus. Porro in locum Mauri ſubrogatus eſt Reparatus, qui & ipſe refractarius laborauit perficere per Imperatoris reſcriptum, ne ſubiaceret Eccleſia illa Romanæ, licet in fine vitæ facti pœnitens obijſſe dicatur: cui ſucceſſit Theodorus Eccleſiæ Romanæ obſequentiſſimus, qui & tenax fuit Chriſtianæ humilitatis, cuius Maurus penitus expers fuerat: is enim in Synodo Romana ſub Agathone ita ſubſcribere voluit: Theodorus exiguus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Rauennatis. Hæc de Epiſcopis Rauennatibus C ſimul ſtrinximus occaſione Vitaliani Papæ Maurum corripientis.

Ad poſtremum autem hæc de Vitaliani ſepultura Anaſtaſius: Sepultus eſt, inquit, ad beatum Petrum Apoſtolum ſub die ſexto Kalend. Februarij. Ceſſauit Epiſcopatus eius menſes duos & dies tredecim.] hæc ipſe. Qua ratione temporis inita, dicendum eſt ſucceſſorem ſubrogatum fuiſſe die nona menſis Aprilis. Fuit is Adeodatus natione Romanus, filius Iouiniani, ex monacho, gratiſſimus omnibus; de quo iſta Anaſtaſius: In tanta magnitudine fuit mitiſſimus ac benigniſſimus, vt omnem hominem a maiore vſque ad minimum libenter ſuſciperet: peregrinis compaſſionem exhibuit, vt etiam vnuſquiſque quod poſtulauit, ſine dubio impetraret: ſed & rogam omnibus ampliauit.] erat roga (vt dictum eſt) donatiuum ſolitum erogari, ita dictum ab erogando. Quod autem idem ſubdit, huius tempore motum ab Italia exercitum ad debellandum exortum in Sicilia ty- D rannum: operam ad id faciendum egregiam nauaſſe Vitalianum, conſtare diximus ex Imperatoris epiſtola.

ADEODATVS PAPA.

Ceterum ſub eodem Adeodato Romano Pontifice, vbi Conſtantinopolim profectus eſt Conſtantinus, inuaſam fuiſſe inſulam illam a Sarracenis, direq. vaſtatam, Anaſtaſius habet his verbis: Poſtmodum venientes Sarraceni in Siciliam, obtinuerunt prædictam ciuitatem, *nempe Syracuſas*, & multam occiſionem in populo fecerunt, qui in caſtra ſeu montana confugerant: ſimiliter autem & prædam nimiam fecere; & æs quod illuc de ciuitate Romana delatũ fuerat, ſecum tollentes, Alexandriam reuerſi ſunt.] hæc Anaſtaſius in ſucceſſore Vitaliani: eadem habet Paulus [b] diaconus. Verum cladem iſtam Siciliæ inſulæ factam eſſe ſub Vitaliano potius dicendum eſſet, ſi quæ extant litteræ nomine Vitaliani Papæ ad monachos Siculos, vere Vitaliani eſſent: ponimus eas, ne inuidioſe præ- E termiſiſſe videamur. Extant apud Leonem Oſtienſem in Chronico Caſſinate, vbi cuſæ in fine leguntur, his præmiſſis eorumdem monachorum litteris ad ſuos Romam datis, quæ ſic ſe habent:

SARRACENI SICILIAM VASTANT.

[b] Paul. diacon. lib. 5. c. 23.

Sanctæ ac Deo dignæ congregationi Caſſinenſi Lateranis degenti, ſerui & filij eorum in Sicilia commorantes: Sic huius vitæ pelagum currere, vt portum quietis valeant apprehendere.

Diuerſis attriti miſerijs, & innumeris calamitatibus oppreſſi, de profundis ad veſtrã paternitatem clamamus, rogantes illã miſereri afflictæ & deſolatæ Siciliæ. Tot enim ac tantis tribulationum preſſuris deprimimur, vt iam nulla ſpes vitæ relinquatur. Sarraceni namque ab Alexandria cũ immenſo exercitu ad Siciliam venientes, omnem fere inſulam igne & gladio deleuerunt; & monachos in ſancti Chriſti martyris Placidi commorantes cœnobio, diuerſis ſupplicijs affectos, morti tradiderunt. Redacta eſt terra in ſolitudinem, & ablatis

LITTERAE NOMINE SICVLORVM MONACHORVM.

ablatis ab illa hominibus, ferarum saltus effecta est: & nonaginta & octo ciuitates & A
villæ vobis in Sicilia subditæ incensæ, subuersæ, & desolatæ sunt. Sanctorum quoque domicilia destruentes, altaria Domini suffoderunt, & clericos cuiuscumque ordinis & dignitatis diuersis supplicijs affectos occiderunt. Facta sum in derisum (clamat Sicilia) omnibus gentibus, canticum eorum tota die: in tristitia sedeo, clamo, non est qui consoletur me. Iam enim pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, domini mei, vnica spes salutis meæ, quia manus Domini tetigit me.

Quapropter opportune importune vos per patrem Benedictum & martyrem Christi Placidum adiuramus, vt super nos afflictos misericordiæ brachium extendatis, & ad monasterium instaurandum, & ciuitates, castra, possessiones, & villas reparandas dirigere cum supplemento pecuniæ studeatis; periclitantiq. insulæ, iam iamq. nutanti Benedicti B
dexteram porrigatis. Iam enim Placidus in sibi commissis ouibus rursum occiditur, & Eutychius, Victorinus, & Flauia virgo in sibi adhærentibus rursus capite truncantur. Effudere namque Sarraceni sanguinem monachorum Cassinensium, & Christianorum cum illis habitantium, velut aquam in circuitu possessionum suarum, & non erat qui iret & sepeliret. Vnde vestram sanctitatem iterum iterumq. rogamus, vt nobis afflictis consolationis iuuamen impendere studeatis. Valete.] his subditæ leguntur litteræ Vitaliani Papæ nomine inscriptæ his verbis:

Vitalianus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filijs sub patris Benedicti & Placidi dominio in Sicilia constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

VITALIANI PAPAE NOMINE DATAE LITTERAE AD SICVL. MONACHOS.

Ad hoc nos superna clementia in orbe terrarum præfecit rectores atque custodes, vt dispersa congregare, & congregata conseruare, & destructa restituere summopere procure- C
mus. Quapropter quia ciuitates, castra, monasteria, possessiones, & villas beato Benedicto in Sicilia subditas Paganorum incursionibus desolatas esse audiuimus, supra modum dolemus, omnipotentiq. Deo super hoc gratias agimus, qui ideo temporaliter hic flagella irrogat, ne in æternum puniat. Vnde vos, carissimi filij, a fletu & mærore cessare monemus, & his nostris filijs, quos de Cassinensi congregatione ad monasteria restauranda, & ciuitates, castra, possessiones, & villas recuperandas in Siciliam dirigere studuimus, vt specialibus dominis deseruire curetis; ex parte beati Benedicti & nostra præcipientes, vt in restauratione monasterij & possessionum illos adiuuare studeatis, cœptumq. laborem ad effectum perducere summopere procuretis. Nos enim & vos, & ciuitates, castra, possessiones, & villas, quas Tertullus Patricius beato patri Benedicto in Sicilia dedit, defendere, adiuuare, & manu tenere parati sumus. Omnipotens Deus sua vos gratia D
benedicat, atque a cunctis aduersis eripiat. Valete.] hactenus litteræ, quæ nobis parum arrident ob id potissimum, quod ciuitates plures in Sicilia hoc tempore possedisse monachi dicerentur, quando nec ipsa Romana Ecclesia vel vnius oppiduli domina esset, vt ipsum possideret, immo nec Imperator ipse insulæ dominus tot illic ciuitates haberet.

Missis his, de profectu Anglicanæ Ecclesiæ per Theodorum & Hadrianum a Vitaliano Pontifice anno superiori missos (vt vidimus) iam agamus: non enim eodem quo iussi sunt anno in Britanniam appulerunt, sed sequenti, hoc ipso scilicet: quod etiam Beda testatur his verbis[a]: Peruenit autem Theodorus ad Ecclesiam suam secundo postquam consecratus est anno sub sexto Kalen. Iuniarum Dominica, & fecit in ea annos viginti & vnum, menses tres, dies viginti sex. Moxq. peragrata insula tota, quaquauersum Anglorum gentes morabantur (nam & libentissime ab omnibus suscipiebatur atque audiebatur) re- E
ctum viuendi ordinem, ritum celebrandi Pascha canonicum, per omnia comitante & cooperante Hadriano, disseminabat. Isq. primus erat Archiepiscopus, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consentiret. Et quia litteris sacris simul & sæcularibus (vt diximus) abundanter ambo erant instructi: congregata discipulorum caterua, scientiæ salutaris quotidie flumina in rigandis eorum cordibus emanabant; ita vt etiam metricæ artis, astronomicæ, & arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod vsque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam Græcamq. linguam æque vt propriam, in qua nati sunt, norunt.

[a] *Bed. de gest. Angl. lib. 4. c. 2.*

PROGRESSVS THEODORI EPISC. IN ANGLIA.

Neque vmquam prorsus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora, dum & fortissimos Christianosq. habentes Reges, cunctis barbaris nationibus essent terrori,

A rori, & omnium vota ad nuper audita cælestis regni gaudia penderent; & quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros, qui docerent: & sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum nouerant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Ecclesias discere cœperunt: primusque, excepto Iacobo, de quo supra diximus, cantandi magister Nordhumbrorum Ecclesijs Eddi cognomento Stephanus fuit inuitatus de Cantia a reuerendissimo viro Vuilfrido, qui primus inter Episcopos, qui de Anglorum gente essent, Catholicum viuendi morem Ecclesijs Anglorum tradere didicit.

Itaque Theodorus perlustrans vniuersa, ordinabat locis opportunis Episcopos, & ea quæ minus perfecta reperit, his quoque iuuantibus corrigebat. In quibus & Ceaddam Episcopum cum argueret non fuisse rite consecratum, respondens ipse voce humillima B dixit: Si me, inquit, nosti Episcopatū non rite suscepisse, libenter ab officio discedo: quippe qui neque me vmquam hoc esse dignum arbitrabar, sed obedientiæ causa iussus subire hoc, quamuis indignus, consensi. At ille audiens humilitatem responsionis eius, dixit, non eum Episcopatum dimittere debere: sed ipse ordinationem eius denuo Catholica ratione consummauit.] At de his modo hactenus: habes quem consulas, si scire cupis Theodori res gestas: nobis ad institutum satis, eius primordia hic posuisse, quo intelligas quantos germen istud ex vinea illa, quæ extendit vsque ad mare & trans mare propagines suas, Romana inquam Ecclesia, fructus attulerit.

THEODORVS CONFIRMAT CEADDAE EPISC. ORDINATIONEM.

IESV CHRISTI ANNVS 670. ADEODATI PAP. ANNVS 2. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 3.

C CHristi annus sexcentesimus septuagesimus sequitur decimatertia Indictione, in quo quid bonū Annales exhibere valeant, nō reperimus, nisi fruges ex fertili agro Ecclesiæ Anglicanæ, excolentibus eam (vt diximus) Theodoro atquē Hadriano illuc a Romano Pontifice Vitaliano missis. Etsi enim olim vomere exculta Apostolicorum virorum, quos S. Gregorius miserat, vberes primitiarum fructus Deo dedisset; silvescente illa nonnihil Scotorum cultu diuersa semina rituum ferentium, nouorum cultorum ex Romana Ecclesia missorum laboribus, diuina iuuante gratia, vbique læta, vbique fœcunda apparuit, erga Romanam Ecclesiam redditis propensioribus Anglorum animis, cuius ope rite sanD cteq. colere religionem iterum didicissent. Audi ista ex eorum gentili Beda [a], pauca hæc in medium afferente, ex quibus reliqua intelligere quisque possit. ait enim:

Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus ex quo in Britanniam venit Theodorus, *tertio vero ex quo a Vitaliano fuit ab Vrbe dimissus*, Osuui Rex Nordhumbrorū pressus est infirmitate, qua & mortuus est, anno ætatis suæ quinquagesimooctauo. Qui in tantum eo tempore tenebatur amore Romanæ & Apostolicæ institutionis, vt si ab infirmitate saluaretur, etiam Romam venire, ibiq. ad loca sancta vitam finire disponeret, Vuilfridumq. Episcopum ducem sibi itineris fieri, promissa non parua pecuniarum donatione, rogaret. Qui defunctus die decimaquinta Kalendarum Martiarum, Ecgfridum filium regni heredem reliquit, &c.] quæ enim sequuntur de Synodo Anglicana, suo loco dicemus.

[a] *Bed. lib. 4. c. 5.*

OBITVS OSVVI REGIS ANGLORVM.

E In Belgio autē in pago Cameracensi hoc anno clarissima virgo [b] radijs castitatis enitens, fulgore martyrij addito, longe lateq. resplenduit, vespertilionibus Nouatoribus tantum inuisa. Maxellendis ista nomine dicta est, quæ cum virginitatem Christo desponsam omni virtutum genere exornasset, ab eo qui eam cuperet in vxorem ducere, Arduino nomine, militari manu domi comprehensa, cum eidem consentire omnino renueret, gladio petita, ab eodem occisa est. Cuius virginitatem martyrio consecratam Dei Ecclesia venerata, accedentibus diuinis suffragijs per miracula declaratis, ipsam inter sanctas martyres retulit, anniuersariaq. memoria colit. Agit de eadem hoc itidem anno Sigebertus in Chronico: cuius etiam testificatione liquet, eodem tempore subijsse martyrium sanctum Proiectum Aruernensem Episcopum, cuius martyrij causam illam afferunt, quod conquesto ipso apud Childericum Regem aduersus Hectorem Massiliensem Patricium ob plurima ab eo illata damna Aruernensi Ecclesiæ, cum Rex facinorosum hominem gla-

[b] *Molan. in Nat. SS. Belg. die 13. Nouemb.*

MAXELLENDIS VIRGO ET MARTYR.

PROIECTVS EPISC. ARVERNENSIS MARTYR.

dio cædi iussisset, ipse sanctus Antistes ab eiusdem vrbis primoribus Hectoris perneces- A
sarijs appetitus armis, crudeliter necatus est. Sufficiens quidem ad martyrium existimata est causa, cum ob defensionem suæ Ecclesiæ id sit passus.

IESV CHRISTI ANNVS 671. ADEODATI PAP. ANNVS 3. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 4.

OBITVS CHILDERICI. THEODORICI REGNVM.

SExcentesimus septuagesimusprimus agitur Redemptoris annus, decimaquarta Indictione, eodemq. tertius absoluitur Childerici Francorum Regis, quo ipse priuatus est regno secundum S. Eligij vaticinium, de quo superius dictum est. De priuatione autem ipsius & morte causam illam afferunt [a], quod cum ob nimiam sæuitiam in Francorum no- B
biles exhibitam eorumdem Francorum in se animos concitasset, a Bobilone, quem seruili supplicio ad stipitem tentum verberare fecisset, occisus fuit: in locum vero eius subrogatur germanus ipsius Theodoricus. Quo audito Ebroinus, qui illi antea studuisset, & eius causa in monasterium detrusus esset, vel timore malorum sponte adijsset, ex monacho mutatus in militem, aduersus eos, quos passus esset aduersarios, gladium strinxit, nobilesq. complures obtruncauit, summo magistratu Maioris domus eidem Regi Theodorico inhærens. Inter ipsos fuit sanctus Leodegarius Augustodunensis Episcopus, de quo suo loco dicendum erit.

a In appendic. apud Greg. Turonen. & apud Aimoin. lib. 4. c. 44.

Hic autem lectorem monitum velim, in horum Regum successione diuersos diuersa scribere, nempe post obitum Clotharij eleuatum in regnum Theodoricum, eoq. sublato, Childericum successisse: aliqui autem aiunt Theodoricum successisse Childerico. Verum de C
his sentienda puto, quæ scribit sanctus Audoenus ex oraculo S. Eligij, qui ea scriberet sicut expleta vidit. Repetenda hic sunt verba eius, quo de his certior veritas percipi possit; ait enim hæc: Defuncto Clodoueo Rege, qui sine dubio breui desinet esse in humanis, aliquandiu Regina coniux eius cum tribus filiolis regnum obtinebit. Illa autem sublata, & filijs in regno relictis, vnus ex eis cadet: *fuit hic, vt dictum est, Clotharius.* nec diu post alter quoque e duobus regno priuabitur. *quem ex his quæ sequuntur, Childericum fuisse, dicere opus est. nam pergit*: Tertius vero solus obtinebit monarchiam, eritq. eius magna gloria atque potentia. Hucusque Eligius.] subdit Audoenus:

Nos vero dubitare non debemus ita fore vt prædixit, cum iam nonnulla impleta videamus. nam & Clodoueus Rex intra breue tempus in pace obijt, & Regina coniux cum tribus paruulis ad paucos annos regnans, filijs postea reliquit principatum: paucis inte- D
rim labentibus annis, maior natu, Clotharius videlicet, dum pacifice regnat, excedit e vita, duobus relictis fratribus, de quibus quid futurum sit, Deus solus nouit.] hæc scribebat (vt apparet) Audoenus, cum post obitum Clotharij ambo fratres regnare cœperunt. Sed non diu post reijcitur Theodoricus, & erigitur Childericus, quem secundum vaticinium S. Eligij haud diutius regnasse oportuit: nam (vt dicebat) alter cito cecidit ex duobus, & tertius diu monarchiam obtinuit, qui fuit Theodoricus. Ex his ergo corrigas, qui Childerico annos tribuunt duodecim, quem non excessisse putamus annum tertium, ad quem peruenisse vidimus. Quem vero diutius tenuisse regnum ex eodem diuino constat oraculo, fuit Theodoricus: nam apud Aimoinum reperies regnasse annos vndeuiginti, siue (vt alia lectio habet) viginti & vnum. Quod autem apud Gregorium legitur regnasse annos quatuordecim, a tempore restitutionis certum est auctorem numerare: ait enim Si- E
gebertus, cum restiturum anno Domini sexcentesimo septuagesimonono, defunctum vero anno sexcentesimo nonagesimotertio.

CORRIGITVR ERROR DE TEMPORE REGVM FRANCORVM.

Reddunt Græcorum Annales, hoc anno quarto Imperatoris Constantini cælesti signo perterrefactum orbem, ita vt videretur eius interitus imminere; inuasamq. a Sarracenis Lyciam atque Ciliciam, comparatumq. ab eisdem apparatum ad expugnandam Constantinopolitanam ciuitatem. Ita turbatus est Oriens, cum hæreticus Patriarcha eamdem gubernaret Ecclesiam; qui nec cessauit diuersis motibus quati, quousque fides Catholica firmata est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 673. ADEODATI PAP. ANNVS 4. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 5.

ANnus Domini sequitur sexcentesimus septuagesimus secundus, Indictione decimaquinta, idemq. quartus Adeodati Romani Pontificis, quo contigit sanctissimi viri Audoeni Rothomagensis Episcopi peregrinatio ad limina Apostolorũ, digna quidem quæ intexatur Annalibus in exemplum fidelium, vt discant quanta pietate consueuerint viri sancti eiusmodi religiosum munus obire. de ea enim hæc in rebus ab eo præclare gestis [a]: Post fundatam in fide Ecclesiam, post doctrinæ fluenta, post tot ædificata monasteria, B post tranquillatum totius Franciæ regnum, vrbem Romam caput orbis & Christianæ religionis, quam Apostolorum Principes suis corporibus ornant, ac martyrum cateruæ sacris ossibus decorant, Pontificatum eius vrbis tunc in annum quartum obtinente Adeodato Papa, adire tandem constituit. Cumq. hoc longe lateq. fama vulgaret, vndique conueniunt ad virum Dei homines religiosi, auri argentiq. pondera multa ei afferentes, simulq. obsecrantes, vt ad corpus sanctorum Apostolorum & martyrum pro redemptione animarum suarum ea deferri iubeat, partem etiam pauperibus illic suis sacris manibus distribuat, ipsosq. suis precibus Christo commendet.

[a] *Extant apud Sur. die 24. Aug. c. 23.*

PEREGRINATIO S. AVDOENI AD LIMINA APOST.

Multi ergo venerabiles viri & Deo deuoti vna cum illo proficisci sibi licere gratulantur, in quibus erat sanctus Sidonius genere Scotus, extructor monasterij, quod nunc per metonymiam, sanctum Sidonium appellant. Stipatus ergo vir Deo dilectus sanctorum C comitum turba, eleemosynarumq. benedictionibus onustus, ad limina sanctorum Apostolorum hilaris, vt quondam Vas electionis, cum diuersarum Ecclesiarum benedictiones in ministerium sanctorum Hierosolymam apportaret, peruenit. Ad singulas autem Apostolorum & martyrum Memorias se prosternens, vota & supplicationes tam pro se, quam pro totius Ecclesiæ Catholicæ pace obtulit, lacrymas tamen vberius quam verba fundens: vbicumque enim in oratione prostratus iacebat, flumina lacrymarum pauimenta irrigabant. Denique cum ad Petri Confessionem hunc versum inciperet: Exultabunt sancti in gloria: diuinitus responsum est: Lætabuntur in cubilibus suis.

CVLTVS SANCTORVM MIRIFICVS.

Sed quis commemorare sufficiat, quanta liberalitate & munificentia per Romanas ecclesias & sanctorum Memorias traditam sibi pecuniam distribueret? Cumulabantur altaria sanctorum auro & argento, itemq. pauperum manus implebantur: gaudebat vrbs D tota, cum & beneficijs gratulabatur, ac si fidei suæ fundatores coram oculis corporeis intueretur. Absolutis vero apud loca sanctorum diu optatis precibus, diuinis acceptis responsis, cum multarum reliquiarum suffragijs tandem venerabilis senex, altissimis Alpium iugis transmissis, in Gallias reuertit.] hucusque auctor.

OBLATIONES FIDELIVM AD SS. MARTYRES.

Hoc eodem anno, mense Septembri, quo prima Indictio inchoatur, & quinto Kalendas Martij numerari incipit annus tertius Ecgfridi Regis Anglorum, a Theodoro Archiepiscopo Dorouernensi, Apostolica qua fungebatur auctoritate, congregata est in Anglia Synodus, de qua Beda [b] his verbis meminit: Eiusdem Regis Ecgfridi anno tertio Theodorus cogit Concilium Episcoporum vna cum eis, qui canonica Patrum statuta diligerent & nossent, magistris Ecclesiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea quæ vnitati pacis Ecclesiasticæ congruerent, eo quo Pontificem decebat animo, E cœpit obseruanda docere: cuius Synodicæ Actionis huiusmodi textus est:

SYNODVS ANGLICANA.

[b] *Bed. de gest. Angl. lib. 4. c. 5.*

In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, regnante in perpetuum ac gubernante Ecclesiam eodem Domino nostro Iesu Christo, placuit conuenire nos iuxta morem canonum venerabilium tractaturos de necessarijs Ecclesiæ negotijs. Conuenimus autẽ die vigesimaquarta mensis Septembris, Indictione prima, in loco qui dicitur Hertford: Ego quidem Theodorus quamuis indignus ab Apostolica sede destinatus Dorouernensis Ecclesiæ Episcopus, & consacerdos ac frater noster reuerendissimus Bisi Orientalium Anglorum Episcopus: quibus etiam frater & consacerdos noster Vuilfridus Nordumbrorum gentis Episcopus per proprios legatarios affuit. Affuerunt & fratres ac consacerdotes nostri Putta Episcopus castelli Cantuariorum quod dicitur Rotschester, Leutherius Episcopus Occidentalium Saxonum, Vuinfridus Episcopus prouinciæ Merciorum. Cumq. in vnum conuenientes, iuxta ordinem quique suum resedissemus: Rogo, in-

quam, dilectissimi fratres, propter timorem & amorem Redemptoris nostri, vt in commune omnes pro nostra fide tractemus: vt quæque decreta ac definita sunt a sanctis ac probabilibus Patribus, incorrupte ab omnibus nobis seruentur. A

Hæc & alia quamplura, quæ ad charitatem pertinebant, vnitatemq. Ecclesiæ conseruandam, prosecutus sum. Cumq. explessem prolocutionem, interrogaui vnumquemque eorum per ordinem, si consentirent, ea quæ a Patribus canonice sunt antiquitus decreta, custodire. Ad quod omnes consacerdotes nostri respondentes dixerunt: Optime omnibus placet, quæque definierunt sanctorum canones Patrum, nos quoque alacri animo libentissime seruare. Quibus statim protuli eumdem librum canonum, & ex eodem libro decem capitula, quæ per loca notaueram, quia maxime nobis necessaria sciebam, illis coram ostendi, & vt hæc diligentius ab omnibus susciperentur, rogaui.

SANCITI CANONES. Primum capitulum, vt sanctum diem Paschæ in commune omnes seruemus Dominica B post decimamquartam Lunam primi mensis.

Secundum, vt nullus Episcoporum parochiam alterius inuadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.

Tertium, vt quæque monasteria Deo consecrata nulli Episcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter abstrahere.

Quartum, vt monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprij Abbatis, sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conuersionis promiserunt.

Quintum, vt nullus clericorum relinquens proprium Episcopum passim quolibet discurrat, neque alicubi veniens absque commendaticijs litteris sui Præsulis suscipiatur. Quod si semel susceptus est, & noluerit inuitatus redire: & susceptor, & is qui susceptus est, ex- C communicationi subiacebit.

Sextum, vt Episcopi atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nulliq. eorum liceat vllum officium sacerdotale absque permissu Episcopi, in cuius parochia esse cognoscitur, agere.

Septimum, vt bis in anno Synodus congregetur: sed quia diuersæ causæ impediunt, placuit omnibus in commune, vt Kalendis Augusti, in loco qui appellatur Clofeshooh, semel in anno congregetur.

Octauum, vt nullus Episcoporum se præferat alteri per ambitionem, sed omnes agnoscant tempus & ordinem consecrationis suæ.

Nonum capitulum in commune tractatum est, vt plures Episcopi, crescente numero fidelium, augerentur. Sed de hac re ad præsens silemus. D

Decimum pro coniugijs, vt nulli liceat nisi legitimum habere connubium: nullus incestum faciat: nullus coniugem propriam, nisi vt sanctum Euangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit coniugem legitimo sibi matrimonio coniunctam: si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur coniugi.

His itaque capitulis in commune tractatis ac definitis, vt nullum deinceps ab aliquo nostrum oriatur contentionis scandalum, aut alia præ alijs diuulgarentur: placuit, vt quæque definita sunt, vnusquisque nostrum manus nostræ subscriptione confirmaret. Quam sententiam definitionis nostræ Titillo notario scribendam dictaui. Actum in mense & Indictione suprascriptis. Quisquis igitur contra hanc sententiam iuxta decreta canonum, nostra etiam consensione ac subscriptione manus nostræ confirmatam, quoquo E modo venire, eamq. infringere tentauerit, nouerit se ab omni officio sacerdotali & nostra societate separatum. Diuina nos gratia in vnitate sanctæ Ecclesiæ suæ viuentes custodiat incolumes. Facta autem est hæc Synodus anno ab incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimotertio.] hactenus de Synodo Beda: sed corrigendum puto annum Domini, cum facta Synodus dicitur anno septuagesimotertio supra sexcentesimum; nisi tunc vna cum Indictionis principio, hoc ipso quoque anno, mense Septembri sequens annus Domini fuerit numerari cœptus.

DE CEADDAE EPISC. OBITV. Hoc eodem anno e vita ereptus est lue sanctissimus Episcopus Ceadda, vt idem asserit Beda [a], qui de peste, quæ hoc anno Angliam depasta est, pluribus agit [b]: tertius namque hic est annus sedis eius, de quo ipse Beda hæc ait: Cum in illa prouincia (*Merciorum scilicet, cui dictus Ceadda Episcopus datus erat*) duobus annis ac dimidio Ecclesiam glorioſissime rexisset,

a Bed. lib. 4. c. 3.
b Beda lib. 4. c. 7. 8. 9. & 10.

A rexisset, affuit, superno dispensante iudicio, tempus, de quo loquitur Ecclesiastes [a]: Quia tempus mittendi lapides, & tempus colligendi. Superuenit namque clades diuinitus missa, quæ per mortem carnis viuos Ecclesiæ lapides de terrenis sedibus ad ædificium cæleste transferret.] pergit dicere de vita & ad Deum transitu eiusdem Episcopi, qui hoc anno contigit sexto Nonas Martias: deq. magni meriti viro, Ouuino monacho multa habet, pluraq. etiam de nonnullis sanctis virginibus monasticam vitam agentibus sub sancta Eldiburga Abbatissa tunc ex hac vita ad Deum receptis, ipsiusq. Eldiburgæ ex hac vita migratione, signis cælestibus earumdem sanctitate omnibus testata: quæ tu consulas. [a] *Eccles. 3.*

LVES GRASSATVR.

At non silentio prætereundus, sed Annalibus merito intexendus felix ad Deũ transitus Orientalium Saxonũ Regis Sebbi, de quo superius mentio [b] facta est, quem sanctarum virginum læto funeri idem Beda subijcit istis verbis [c]: Eo tẽpore præerat regno Orientalium [b] *Bed. lib. 3. c. 3.*

B Saxonum (vt idem etiam libellus docet) vir multum Deo deuotus, nomine Sebbi, cuius supra meminimus. Erat enim religiosis actibus, crebris precibus, pijs eleemosynarum fructibus plurimum intentus, vitam priuatam & monachicam cunctis diuitijs & honoribus præferens: quam & olim iam, si non obstinatus coniugis animus diuortium negaret, relicto regno, subijsset. Vnde & multis visum (vt sæpe dictum est) quia talis animi virum, Episcopum magis, quam Regem ordinari deceret. Cumq. annos triginta in regno miles regni cælestis exegisset, correptus corporis infirmitate permaxima, qua & mortuus est, admonuitq. coniugem, vt vel tunc diuino se seruitio pariter manciparent, cum amplius pariter mundum amplecti, vel potius mundo seruire non possent. [c] *Beda lib. 4. c. 11.*

SEBBI REG. LAVDES.

Quod dum ægre impetraret ab ea, venit ad Antistitem Londoniæ ciuitatis vocabulo Valdhere, qui Erconualdo successerat, & per eius benedictionem habitum religionis,

C quem diu desiderarat, accepit. Attulit autem eidem & summam pecuniæ non paruam pauperibus erogandam, nil omnimodis sibi reseruans, sed pauper spiritu magis propter regnum cælorum manere desiderans. Qui cum ingrauescente præfata ægritudine diem sibi mortis imminere sensisset, timere cœpit homo animi regalis, ne ad mortem veniens tanto affectus dolore aliquid indignum suæ personæ vel ore proferret, vel aliorum motu gereret membrorum. Vnde accito ad se præfatæ vrbis Londoniæ, in qua tunc ipse manebat, Episcopo, rogauit, ne plures eo moriente, quam ipse Episcopus & duo sui ministri adessent. Quod dum Episcopus libentissime se facturum promitteret, non multo post idem vir Dei cum membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam, quæ omnem ei anxietatem memoratæ solicitudinis auferret, insuper & qua die esset hanc vitam terminaturus, ostenderet.

REX RELIGIONIS HABITVM SVSCIPIT.

D Vidit enim (vt post ipse referebat) tres ad se veniisse viros claro indutos habitu: quorum vnus residens ante lectulum eius, stantibus his qui secum aduenerunt comitibus, & interrogantibus de statu eius quem languentem visitare venerunt, dixit quod anima eius & sine vllo dolore & cum magno lucis splendore esset egressura de corpore: sed & tertium exinde diem, quo esset moriturus, insinuauit. Quod ita vtrumque, vt ex visione didicit, completum est. Nam die dehinc tertio, completa hora nona, subito quasi leuiter obdormiens, sine vllo sensu doloris emisit spiritum. Cuius corpori tumulando præparauerunt sarcophagum lapideum: sed cum hic corpus imponere cœpissent, inuenerunt hoc mensura palmi longius esse sarcophago. Dolantes ergo lapidem in quantum valebant, addiderunt longitudini sarcophagi quasi duorum mensuram digitorum; sed nec sic quidem corpus capiebat. Vnde facta difficultate tumulandi, cogitabant aut alium quærere loculum, aut ipsum corpus, si possent, in genibus inflectendo breuiare, donec ipso loculo caperetur.

VISIO ET FELIX TRANSITVS PII REGIS.

Sed mira res, nec nisi cælitus facta, ne aliquid horum fieri deberet, prohibuit. Nam subito astante Episcopo & filio Regis eiusdem ac monacho Sighardo, qui post illum cum fratre suo Fredo regnauit, & turba hominum non modica, inuentum est sarcophagum illud congruæ longitudinis ad mensuram corporis, adeo vt a parte capitis etiam ceruical posset interponi, a parte vero pedum mensura quatuor digitorum in sarcophago corpus excederet. Conditus est autem in ecclesia beati Doctoris Gentium, cuius edoctus monitis, cælestia spirare didicerat.] hucusque Beda. Porro omnes istos tunc ea peste defunctos, in sanctorum catalogum religiose, calculo accedente diuino, receptos, annis singulis, singulis diebus quibus ex hac vita migrarunt, Ecclesia Dei pia memoria repræsentat.

INGENS MIRACVLVM DE SEPVLCHRO REGIS.

Hoc pariter anno, qui numeratur quintus Constantini Imperatoris, Sarraceni ingenti

numero traijcientes in Thraciam, appropinquantes Conſtantinopolim, aſſiduis prœlijs a menſe Aprili vſque ad Septembrem eam expugnare tentarunt: quod cum facere minime a Deo conceſſum fuerit, hiemare ſtatuerunt Cyzici, vt ad proximum ver copias ad aggrediendam ciuitatem paratas haberent. quod non ſemel tantum factum eſt, ſed id ipſum per ſeptem annorum ſpatia iteratum annis ſingulis, ex Theophane Græcorum produnt Annales[a]: aiunt enim: Per ſeptem annos eiſdem geſtis, diuina, Deiq. genitricis ope, multitudine virorum bellicoſorum amiſſa, & vulneratione maxima in eis effecta, confuſi ac reuerſi cum ingenti mœrore ſunt. Cum autem diſceſſiſſet idem demergendus a Deo ſtolus, ab hiemali æſtu ac ſpiritu procellarum circa partes Scyllei comprehenditur, & contritus totus omnino diſperijt.] hæc de claſſe Sarracenorum & rebus ab eis in obſidione Conſtantinopolis geſtis.

[a] *Theophan. & Cedren. an. 5. Conſtãtin. Imp.*

OBSIDIO CONSTANTINOP. COEPTA.

Quo etiam anno, pugnante alio Sarracenorum Duce aduerſus copias Romanorum ſub Floro, Petronio, & Cypriano Ducibus conſtitutas, ex ipſius exercitu triginta millia deſiderata eſſe, ijdem docent Annales; adduntq. de nouo adinuento igne, quem marinum dicebant, eo quod in mari arderet, quo & naues Arabum combuſſerunt. Verum quod ad obſidionis tempus ſpectat, errorem eſſe in annorum numero certum eſt: nequaquam enim potuit ad ſeptennium perduraſſe: nam anno abhinc quarto conſtat inter Romanos & Arabes pacem eſſe ſancitam, vt ijdem produnt Annales. Eſt mentio in decimatertia Actione Sextæ Synodi de obſidione Conſtantinopolis, quæ facta eſt per ſpatium duorum annorum, ſed ſub Vitaliano Romano Pontifice, ac proinde diuerſo ab iſto tempore. Ceterum tot tantaq. præter ſpem atque opinionem conceſſit Deus Imperatori Catholico de fide Catholica benemereri ſatagenti, quotidie verſanti animo, quomodo pacem inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam ſancire poſſet: nec deſtitit, donec tandem perfecit, vt ſuo loco dicetur.

ERROR CORRIGITVR DE TEMPORE OBSIDIONIS.

Eodem anno Recceſuinthus Rex Hiſpaniarum, vbi ab obitu patris regnaſſet annos duodecim & menſes ſex, moritur, deſiderium ſui relinquens, vtpote Regis optimi, Eccleſiæ valde proficui. de eo enim hæc Tudenſis habet: Hic fidem Catholicam in tantum dilexit, vt ſemper perquireret viros litteratos, qui frequenter coram ipſo conferrent de articulis fidei: delectabatur enim in diuinis Scripturis, & altare Chriſti auro, argento, gemmis, & ſericis ſummo ſtudio decorabat: ter Synodum cum Epiſcopis Toleti peregit; & leges apud deceſſores ſuos editas firmauit, atque quaſdam addidit omnino honeſtati conuenientes. Cunctos mire dilexit, & ab omnibus valde dilectus fuit. Erat enim adeo mitis & humilis, vt inter ſubditos quaſi vnus ex illis videretur. In pace regnum ſibi ſubiectum rexit; & in villa nomine Gerticos, quæ in monte Laurienſi ſita eſt, propria morte deceſſit ſub Imperatore Conſtantino.] hucuſque Tudenſis.

RECCESVINTHI REGIS OBITVS.

Meruit a Deo Recceſuinthus ſucceſſorem haud imparẽ pietate, ſed mundi contemptu præclariorem: dictus eſt iſte Bamba, ſiue Vuamba, vel Vuambanus, de quo hæc idem auctor habet: Hic Toleti eadem hora qua vnctus eſt in Regem, quadam apparitione viſa eſt apis cunctis qui aderant ex capite eius exire, & ad cælos volare. Hoc ſignũ factum eſt, non vt futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, ſed dulcedinem pacis, quam habuit erga ſuos.] hæc ipſe ſummatim, qui & inferius fuſius perpetua digna memoria habet iſta de eius electione:

VVAMBA REX HISPANIARVM.

Bamba Princeps clariſſimus de regali Gothico ſanguine ortus eſt, quem digne principari Dominus voluit, quem ſacra vnctio decoraret: quem, Rege mortuo, totius gentis & patriæ communio elegit: quem populorum amabilitas exquiſiuit: qui ante regni faſtigia multorum relationibus præconio celebrabatur & prædicabatur, antequam regnaret. Dum decedentis Recceſuinthi Regis morti exequiale funus ſolueret, inter ipſa lamenta, in vnam omnes concordiam verſi, vno affectu pariter prouocati, illum ſe deſiderio habere Principem clamant: illum, nec alium poſſe eſſe Principem, vnitis vocibus intonant; & cateruatim eius pedibus obuoluti, noſtri regimen regni ſuſcipiat inſtant, cum lacrymis poſtulantes. At ille, quem mirifice fortitudo firmauerat, nec lacrymis cedit, nec precibus vincitur, nec voto flectitur populorum, modo ſe non ſuffecturum tot ruinis imminentibus clamans, modo ſenio confectum ſe eſſe pronuncians. Tam acriter reluctanti vnus ex officio Ducum audacter in medium proſilijt, & irato contra eum vultu, educto gladio, proſpiciens dixit: Niſi conſenſurum te nobis promittas, gladij huius mucrone modo cruentandum te ſcias nece: Hic tamdiu ſumus, quamdiu aut expectatio noſtra

VVAMBAE ELECTIO.

te Re-

A te Regem accipiat, aut contradictorem cruentus hic hodie casus mortis absorbeat. Quorum tam precibus superatus, quam minis, tandem cessit, regnumq. suscipiens, ad suam omnes pacem recepit. Et tamen ne citra locum sacræ sedis Toletanæ regni sacratam susciperet vnctionem, distulit vsque ad nonamdecimam diem, ne videretur vel ambitione vsurpasse, vel paratam esse regni gloriam, sed potius signum tanti culminis a Domino percepisse.

Gerebantur enim ista in villa cui antiquitus Gerticos nomen dedit, quæ fere centum viginti milliaria ab vrbe regia distans, in Salmanticensi territorio sita est: ibi enim vno eodemq. die, scilicet Kalendis Septembris, & decedentis Regis vitalis exitus fuit, & dicti viri electio subsecuta. Postquam autem Toletanam vrbem ingreditur, & ventum est quo sanctæ vnctionis susciperet signum, regio iam vultu conspicuus ante altare diuinum
B consistens, ex more Catholicam fidem professus, cum sacramento iurandi fidem populis dedit, & mores bonos prædecessorum Regum atque leges firmauit. Deinde curuatis genibus oleum vnctionis per sacras Primatis & Pontificis Quiriaci manus vertici eius infunditur, & vnctionis copia exhibetur. Vbi hoc statim emicuit mirabile signum: nam mox e vertice ipso, vbi oleum sanctum perfusum fuerat, euaporatio quædam fumo similis in modum columnæ sese erexit, & ex capite ipso apis visa est prosilijsse, & aeris alta petijsse; quæ vtique signa fuerunt secuturæ felicitatis.] hæc & alia Tudensis: sed de eodem Rege inferius rursum agetur annis sequentibus, cum ipsum aduersus rebelles pugnantem diuina gratia comitata cum triumpho reduxit Toletum. Licet enim nullus filius defuncti Regis, qui succedere regno posset, extaret, & fratres eius ob nimiam imbecillitatem extra aleam esse viderentur, qui eligi possent in Regem: alij tamen affines robore validi non
C deerant, nobilesq. alij viribus æque pollentes, qui se Vuambæ debuisse præferri putarunt, quorum causa & intra fines regni ipsius fuerunt res admodum turbulentæ. sed de his suo loco vberius dicendum erit.

IESV CHRISTI ANNVS 673. ADEODATI PAP. ANNVS 5. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 6.

SExcentesimo septuagesimotertio Christi anno, Indictione prima, Grimoaldus Longobardorum Rex moritur, cum regnasset annos nouem. hæc ex Paulo, quod ad tempus regni eius: quod vero ad annum obitus, non ex ipso, sed (vt diximus) ex ipsius Re-
D gis constitutione edita ponitur. Redditum autem ipsum ex Ariano fuisse Catholicum, monumenta ab eo constructa testantur: ita vt si quis id negaret, lapides clamantes audiret, dum videlicet constet (quod dictum est) acerrimo Arianorum hosti & expugnatori S. Ambrosio ipsum Ticini erexisse basilicam, in eaq. sepeliri potius, quam in alijs a se erectis, delegisse. *Successit* vero in regnum filius eius, quem puerum nouem annorum reliquerat, Garibaldus, sed *non diu tenuit*: etenim cælesti nuncio repente accitus venit ab internecione antea elapsus Bertaridus Ariperti Regis filius, cui debebatur regnum: cum enim iam extorris annos nouem apud Francos egisset, & in Britanniam apud Saxonum Regem pergeret, diuinitus redire in patriam iussus, vbi adfuit, regnum capessit. magna diuinæ prouidentiæ vis in eo tunc quidem enituit, cum magno est declaratum exemplo, quod eius arbitrio dentur ac pariter auferantur regna. Sed quomodo id acciderit,
E ex Paulo diacono audi rem gestam, quam ita recenset[a]:

OBITVS GRIMOALDI REG. LONGOB.

Igitur (vt dicere cœperamus) Bertaridus egressus de Gallia, nauem ascendit, vt ad Britanniam insulam ad regnum Saxonum transmearet. Cum aliquantulum per pelagus nauigasset, vox a littore audita est inquirentis vtrum Bertaridus in eadem naue consisteret? Cui cum responsum esset, quod Bertaridus ibi esset: *ille* qui clamabat, subiunxit, Quia tertia *dies* est hodie, quod Grimoaldus ex hac subtractus est luce. Quo audito Bertaridus statim post se reuersus est; venienq. ad littus, inuenire personam non potuit, quæ ei de Grimoaldi nece nunciarat. Vnde arbitratus est, non hunc hominem, sed diuinum nuncium fuisse. Exindeq. ad patriam rediens, cum ad claustra Italiæ venisset, iam ibi omnia obsequia palatina, omnemq. regiam dignitatem cum magna Longobardorum multitudine paratam esse reperit. Exinde itaque Bertaridus Ticinum reuersus, exturbato Garibaldo puerulo a regno, ab vniuersis Longobardis mense tertio post mortem Grimoaldi in regnum

[a] *Paul. diac. lib. 5. c. 32.*

BERTARIDVS REX LONGOB.

gnum leuatus est. Erat autem vir pius, fide Catholicus, iustitiæ tenax, pauperumq. largissimus nutritor. Qui statim Beneuentum misit, exindeq. Rodelindam suam coniugem & Cunibertum filium suum reuocauit.]detinebantur enim ibi in custodia.Sed & pergit Paulus de eodem Bertarido, cum ex insperato regnum recuperasset: A

SACRAE AEDES ERECTAE A LONGOB. REG.

Vt, inquit, regni iura suscepit, in loco illo, qui a parte fluminis Ticini est, vnde ipse olim fugerat, monasterium, quod Nouum appellatur, Domino & liberatori suo in honorem sanctæ virginis & martyris Agathæ construxit, in quo multas virgines aggregauit, rebusq. diuersis, pariterq. ornamentis eumdem locum ditauit. Regina vero vxor eius Rodelinda basilicam sanctæ Dei genitricis extra muros eiusdem ciuitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisq. mirifice decorauit.] hæc Paulus, qui & cur ad Perticas locus ille dictus esset declarat: quod scilicet cœmeterium illic esset Longobardorum, a quibus poni ibi solerent perticæ desuper columbam ligneam habentes illuc versam vbi illorum carus quisquam obijsset, atque vt sciri posset vbi defuncti corpus quiesceret. B

TYRANNI IN HISPANIA ET GALLIA NARBONEN.

Eodem anno,cum a nobilibus nonnullis Hispaniarum regni hominibus indigno animo ferretur electio Vuambæ Regis, populi fauore in tantum euecti regni fastigium: nouarum rerum moliendi fomite in animis eorumdem incenso; primus omnium,qui præerat Galliæ Narbonensi adhuc sub Gothorum regno existenti, Ildericus in tyrannum erupit, secumq. etiam Episcopos aliquos traxit. Post hunc autem qui aduersus eum missus est Paulus Dux, vir domi forisq. spectatus, in Regem ipsum, a quo missus fuit, arma conuertens, pleraſque Hispaniæ ciuitates suæ subdidit potestati, Regisq. nomen vsurpans, coronam auream, quam gemmis ornatam dono dederat Reccaredus S. Felici Gerundensi martyri, sacrilegus suo imponere capiti est ausus: sed quomodo vix emenso integro anni curriculo pœnas dedit anno sequenti, suo loco dicendum erit. hic enim annus ad comparandum exercitum, quem Paulus duceret aduersus Ildericum, insumptus est, & in defectione ipsius Pauli, aduersus quem Rex nonnisi anno sequenti potuit proficisci. C

IESV CHRISTI ANNVS 674. ADEODATI PAP. ANNVS 6. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 7.

VVAMBAE REGIS VICTORIA DIVINITVS PARTA.

ANno Redemptoris sexcentesimo septuagesimoquarto, Indictione secunda, Vuamba Rex Hispaniarum aduersus tyrannos, qui Galliam Narbonensem & alia loca regni sui proditione subegerant, comparato exercitu progrediens, diuino munitus auxilio, sex mensium spatio eosdem feliciter debellauit, penitusq. deleuit. Victoriam tantam haud humanis viribus partam, sed diuinitus comparatam perpetuis consignatam monumentis tradidit posteris Iulianus, qui successit Quiriaco huius temporis Archiepiscopo Toletano: is enim, scripto commentariolo, eiusmodi belli historiam prosecutus est; quem totidem ferme verbis maiori ex parte Tudensis in suum Chronicon retulit. D

PERSECVTIO IN GALLIA NARBONEN.

Qui autem tyrannidem aduersus Regem exercuerunt, etiam aduersus Deum impietate pugnarunt. Etenim inter alia nefanda scelera impius Ildericus persecutionem haud leuem in Gallia Narbonensi aduersus Ecclesiasticos excitauit, qui ipsi in omnibus parere recusarent. Cuius rei gratia tunc accidit, vt Nemausensis Ecclesiæ Episcopum vita sanctissima commendatum, Aregium nomine, eidē constanti animo repugnantem, vinculis mancipatum tradiderit illudendum,in eiusq.sedem suæ perfidiæ socium Ramirum Abbatem intruserit. Addidit alia nefanda, quæ recensere longum esset. Sed & qui aduersus eum missus est Paulus natione Græcus, in tyrannum æque conuersus, nequiora patrauit,vbique perfidus, vbique sacrilegus, expolians cunctas suis thesauris ecclesias. E

PIVS REX PVRGAT EXERCITVM.

Ad hos igitur debellandos tyrannos expeditionem parans Rex maxime pius, primum omnium studuit exercitum communire iustitia: quamobrem in ipso procinctu,quos sciuit milites adulteria perpetrasse, iussit amputari virilibus, hanc tanto Principe dignam sententiam promens: Ecce iam iudicium imminet belli; & licet fornicari,vt Deus ad iracundiam prouocetur?] & post alia hæc quoque perpetuæ mandanda memoriæ verba addidit: Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum.]

Qui vero primum sceleribus militū eo modo purgauit exercitum, a Deo accepit,vt Angelos

A gelos haberet commilitones. Ita quidem teſtatur dignus cui credatur auctor, nẽpe viſum eſſe Angelis vallatum exercitum. ſed reddamus hic eius verba: Manifeſte, inquit, diuina protectio adfuit; quod cæleſtibus indicijs patuit euidẽter. Viſus eſt enim Angelorum excubijs protectus noſter exercitus,& ipſos Angelos ſuper caſtra coruſca volitatione protectionis ſuæ ſigna protendere.] quod & rerum declararunt euenta: ſiquidem difficillimum bellum aduerſus duos tyrannos Vaſconum Francorumq. roboratos auxilio, ciuitatibus munitiſſimis tutatos,breuiſſimo temporis ſpatio ſumma felicitate confecit: inſuper & poſt deuictos tyrannos, Lupum Ducem pollentem Francorum viribus nullo negotio ſuperauit, deq. omnibus triumphum glorioſiſsimum egit. Inter alia autem diuini iudicij æqua lance librata ſententia patuit, cum rerum deſperatione Paulus tyrannus penitus ſuperatus, hoc anno ſua ſponte,antequam ab aduerſarijs caperetur, ipſis Kalendis Septem-
B bris regalibus ſe exuit veſtimentis, ac priuatis indutus regnum depoſuit, qua die a Deo electus Rex Vuamba illud acceperat.

VVAMBA REX OPE DIVINA TYRANNOS SVPERAT.

Sed non prætermittendum, quod prophetice ipſius Pauli tyranni epiſtola ſignificatum eſt. Quod enim ipſe Paulus ſciſſet Regem exercitum comparaſſe; vt in officio contineret virum venerabilem Amatorem Gerundenſem Epiſcopum, hanc ad eum perbreuem ſcripſit epiſtolam:

Audiſti quod Vuamba Rex cum exercitu aduerſum nos venire diſponat: ſed cor tuum non turbetur: nec enim fieri puto. Sed tamen quem primum de nobis ambobus ibi tua ſanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipſum ſe credat habere dominum, vt in eius debeat perſiſtere charitate.] ita ipſe, neſciens quid diceret, prophetauit. Nouit id poſtea Vuamba Rex,cum Gerundam peruenit, gauiſus etiam hoſtis ſententia de diuino ſe patro-
C cinio eſſe ſecurum, regnoq. pariter potiturum.

EPIST. PAVLI TYRANNI.

Sed ne in bellicis amplius immoremur,finem audi dignum meritis, quem ſacrilegus tyrannus accepit. Qui S.Felicis martyris Gerundenſis donatã a S.Reccaredo Rege coronam ſacrilege ſuo capiti regnaturus impoſuit, idem in triumphum catenis vinctus deductus, Toletum ingreſſus eſt vna cum ſocijs perduellibus ijſdem pœnis affectis, capite decaluato, raſa barba (erat id apud Gothos perinfame ſupplicium) nudatis pedibus, indutus ſordidis veſtibus, camelo impoſitus, corona ex corio facta redimitus: poſt hæc vero ijdem omnes pariter ſancitum legibus in tyrannos ſupplicium nouiſsimum ſubiere. Porro Vuamba Rex Dei beneficij accepti memor, eidem gratus exiſtens, ſacra vaſa & alia ornamenta, quæ ablata ex eccleſijs ab hoſtibus comperit, vna cum alijs manubijs vendicatis iuſsit ijſdẽ reddi: addidit & alia, pia vbique ſuæ a Deo conceſſæ victoriæ monumẽta relinquens:
D loco autem triumphalis fornicis, ea quæ omnibus eſſent proficua ciuibus Toletanis conſtruenda curauit ædificia, noua erigens mœnia ciuitatis, in quorum nonnullis turribus eiuſmodi inſcriptionem iuſsit incidi:

PAVLVS AC SOCII POENIS AFFECTI.

MONVMENTA PIETATIS VVAMBAE REGIS.

EREXIT FAVTORE DEO REX INCLYTVS VRBEM
VVAMBA SVAE CELEBREM PROTENDENS GENTIS HONOREM.]

Sed & ſecundum illud propheticum [a]: Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes] ſupra cacumina turrium ſtatuas erexit Sanctorum, quorum cuſtodia ciuitas ſalua foret, eiuſmodi inſcriptione notatas:

[a] Iſai. 62.

VOS DOMINI SANCTI, QVORVM HIC PRAESENTIA FVLGET,
HANC VRBEM ET PLEBEM SOLITO SERVATE FAVORE.]

Hæc quidem religioſiſsimus Rex, de quo rurſum inferius ſuis locis ſæpe dicendum erit.
E Quomodo autem idem Rex vbi muros ciuitatis extruxit, inſtar Zorobabelis [b] ſanctuarium pariter expurgare & exædificare agreſſus eſt, anno ſequenti dicturi ſumus.

[b] Eſdr. 1. c. 1. 2. 3.

IESV CHRISTI ANNVS 675. ADEODATI PAP. ANNVS 7. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 8.

CHriſti annus ſexcenteſimus ſeptuageſimusquintus, Indictione tertia, adeſt: quo ſeptimo Idus Septembris in Hiſpania celebrata fuit Synodus Toletana vndecima,ita dicta, Era nimirum ſeptingenteſima decimatertia, anno quarto Vuambæ * Regis, decem & nouem Epiſcoporum præſentia, quorum duo tantum per vicarios interfuerunt.

CONC. TOLET. XI. DICTVM. * Vuambani

Hacte-

Hactenus Rex ipse religiosissimus æque ac fortissimus bellicis expeditionibus detentus, haud rebus Ecclesiæ componendis curam impendere valuit: deletis autem diuersis hostibus, atque in primis tyrannis, nihil antiquius habuit, quam vt res Ecclesiasticæ per Episcopos bene disponerentur, quæ sacerdotum negligentia videbantur omni ex parte collapsæ. De his vero summatim habet ista Tudensis: Astures enim & Vascones in finibus Cantabriæ crebro rebellantes edomuit, & suo imperio ciuitatem subiugauit, quæ Carta vocabatur, ampliauit, & eam Bambelonam, quasi Bambæ Lunam vocauit. prouinciam quoque Galliæ, quæ Hispania citerior dicitur, sibi rebellantem, multis agminibus Francorum interemptis, subiugauit, & Paulum perfidum tyrannum cepit, & ei oculos euellere præcepit. Et ad vrbem Toletanam cum triumpho magno reuersus, discordantes Pontifices, eo quod alij aliorum parochias inuadebant, ad concordiam studuit reuocare.] Sic igitur hoc anno quarto regni eius inchoato a mense Septembri, Concilium prouinciale Toleti conuocandum curauit. In eius præfatione, hæc quæ præcesserant impedimenta congregandi Episcoporum conuentus, significantur his verbis:

PRAELOCVTIO PATRVM. * Vuambæ

In nomine sanctæ Trinitatis. Collectis in vnum Carthaginis prouinciæ sacerdotibus in Toletana vrbe, in beatæ matris Domini Mariæ Virginis sede, anno quarto excellentissimi & religiosi Vuambani * Principis, sub die septimo Idus Nouembris, res votiua gaudij, & dies nimium optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datum est conspicere pariter & deflere, quid lacrymarum de præteritis Domino deberemus. Eramus hucusque prolabentis sæculi colluuione instabiles: quia annosa series temporum, subtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quam matrem omnium errorum ignorantiam otiosis mentibus ingerebat. Cernebamus enim, quomodo Babylonicæ confusionis [a] olla succensa, nunc tempora Conciliorũ auerteret, nunc sacerdotes Domini dissolutis moribus irretiret: purpuratæ enim [b] meretricis sequebantur inuitamenta, quia Ecclesiastici conuentus non aderat disciplina; nec erat qui errantium corrigeret partes, cum sermo diuinus haberetur extorris. Et quia non erat adunandorum Pontificum vlla præceptio, crescebat in maius vita deterior. Cum tandem diuina nos clementia ex alto respiciens, & tempori ætatis nostræ se occursuram præbuit & saluti, præparans nostris sæculis religiosi Principis mentem deuotam pariter & instructam, cuius feruidæ solicitudinis voto & lux Conciliorum reuocata resplenduit, & alterna charitas se mutuo in corrigendis vel instruendis moribus excitauit, dum & aggregandi nobis hortatu Principis religiosi facultas est data, & opportuna corrigendis præparata est disciplina: vt qui decursis longe ante temporibus, post decem & octo scilicet labentium annorum excursum, in vnum meruimus aggregari conuentum, mederi possemus spirituali gratia sanitatum. Nec enim numerus iste alienus est a salute: sic quippe mulier illa in Euangelio [c] ter senis annorum excursibus curua, quæ figuram totius generis humani gestabat, sub sacramento huius numeri saluti pristinæ a Saluatore donatur, &c.] hæc ex multis voluimus reddidisse, vt sciretur quam damnosa esse consueuisset in Ecclesia frequentis Conciliorum celebrationis intermissio, quamq. vtilis eius vsus; vtq. ex eorumdem Patrum verbis intelligi posset, quod cum Reges ad Episcopos de conueniendo in vnum scriberent, non id iubendo facerent, sed hortando: hortatu namque Regis se conueniisse, ijdem (vt dictum est) testati sunt. sicq. cum audis siue ab eis siue ab alijs dictum, iussu Principis conuocatos Episcopos ad Concilium conueniisse, eius exhortatione id factum intelligas.

STATVS ECCL. HISPANIAR.
a Hier. 2.
b Apoc. 17.

c Luc. 13.

QVAE IN CONCILIO FVERINT STATVTA.

Quod vero ad exactam fidei professionem primo loco in Concilio editam pertinet, ex ea intelligi potest, necdum nomen Orientalis hæresis Monothelitarum illic peruenisse, cum nequicquam de ea mentio habeatur, vel aduersus eam assertio proponatur. Post fidei vero prolixam valde professionem editi sunt a Patribus canones sexdecim, quorum primo corrigitur in ipsomet Concilio, quicquid alienum a sacerdotali maiestate siue indecorum verborũ strepitu, risu, ac iocis proferretur ineptum. Secundo loco illud magnoperq inculcatur, vt vacent doctrinæ Episcopi, nec vllo curarum obice a diuina lectione reuocentur, vel a doctrina, verbi scilicet prædicatione cessent. Illud præterea additum, vt idem custodiretur in psallendo ac Missis celebrandis ab omnibus ordo, qui in Metropolitana Ecclesia vsu receptus esset. Sic & qui sequuntur canones, ad ipsos sacerdotes respicere, duobus exceptis, noscuntur; probe scientibus Patribus, inde prouenire vt subditorũ quoque mores rectissime disponantur, si qui præsunt rectores populis, digne præsint. Nouissime vero fatentur Patres, eiusdem Regis Vuambæ fuisse voluntatem, vt prætermissa Concilio-

liorum

A liorum celebratio reſtitueretur, anniſq. ſingulis ab Epiſcopis ſecundum Eccleſiaſticos canones frequentaretur. Vnde ſatis poteſt intelligi, complura Toletana Concilia eſſe deperdita, vel ipſa ſaltem quæ reliquis annis eiuſdem Regis maxime pij celebrari contigerunt, vt inter alia generale Concilium, de quo dicemus.

Quod vero aliqui, temporum haud adeo veram rationem habentes, collocant eamdem Synodum ſub Agathone Romano Pontifice, errare certum eſt; cum ex conſtitutione Imperatoris, de qua inferius agemus, certum ſit, non ante ſextam Indictionem ipſum ſedere cœpiſſe. Porro hæc Synodus ſub quarta Indictione inchoata, hoc anno, ſeptimo Idus Nouembris celebrata reperitur. Sed quod ab omnibus aſſeritur, in eodem Concilio omnium Hiſpanarum Eccleſiarum factam eſſe ſedium Epiſcopalium diuiſionem: ſecus ſenſerim: nam Tudenſis aſſertione conſtat id factum in Concilio generali ſub eodem Rege celebra-
B to, cui omnes Hiſpaniarum Epiſcopi interfuerunt & ſubſcripſerunt, huic vero decem & nouem dumtaxat Epiſcopi interfuerunt.

Quod enim eſſent inter Epiſcopos ob diœceſum fines obortæ diſcordiæ, ad has componendas indicendum fuit generale Concilium, quod quidem non extat; ſed celebratum eſſe, eiuſdem auctoris teſtificatione liquet. In eo potiſſimum ad dirimendas diſcordias, & perpetuam inter Epiſcopos ſanciendam pacem, idem Rex diuidi & terminis diſtingui voluit vniuſcuiuſque Epiſcopi parœcias, immo quomodo antiquitus diuiſæ fuerint innoteſcere, aliquibus recens additis: cuius rei gratia idem Tudenſis ait priorum Regum voluiſſe legi hiſtorias: nam ſubdit: Fecit Chronica Regum priorum coram ſe legere, vt facilius poſſet terminos parœciarum diuidere, ſicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris cenſura, & iura propria quilibet etiam poſſideret, ſicut ſubiecta demonſtrat
C ſcriptura, &c.] Poſt vero multa de earumdem diſtinctione hæc habet ex verbis Regis: Fiunt ſedes harum duarum Hiſpaniarum octoginta ſub dominio Gothorum tam Archiepiſcopales, quam Epiſcopales, per quas nobis miniſtratur verbum Dei, quæ a Romano Pontifice communionem Catholicæ veritatis habent, vt ex fide Chriſti ſecundum traditionem ſanctorum Patrum animas ſibi commiſſas valeant gubernare. Hæc igitur noſtra diuiſio de aſſenſu omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum dictarum ſedium in Toleto facta firma permaneat in æternum.

DE TOLETANO CONCIL. GENERALI.

Hæc omnia ſupraſcripta legit glorioſus Rex Vuamba in Concilio Toletano, vbi omnes Epiſcopi & Archiepiſcopi Hiſpaniarum conuenerant; quæ ſubſcriptione omnium firmata ſunt, Quiriaco Toletano Archiepiſcopo in primaria dignitate & fide Catholica conſiſtente. Statutum eſt præterea a iudicio Concilij, vt omnes clerici viuerent ſecundum
D regulam ſanctiſſimi patris Iſidori, &c.] hæc de Concilio generali ſub eodem Rege habito, ſed incerto anno Tudenſis, quem præ ceteris citare conſueuimus, quod præſtet fide & antiquitate, non quod reijciamus reliquos nobiles rerum Hiſpanicarum hiſtoricos tam veteres, inter quos eminet Rodericus, quam recentiores viros doctiſſimos.

Rurſum vero hoc ipſo anno ex Epiſcopis prouinciæ Luſitaniæ celebratum eſt Concilium Bracarenſe, quod ponitur ordine tertium; cui interfuerunt Epiſcopi octo, ſanci-
CONCIL. BRACAREN. TERTIVM.
ueruntq. canones totidem, quibus correcti ſunt praui errores, qui in ritus ſacros & bene inſtitutam Eccleſiaſticam diſciplinam irrepſerant: vt inter alios, ne procedentes in ſolemnitatibus martyrum Epiſcopi, diaconorum humeris ſella geſtatoria veherentur ſuſpenſas collo ſacras reliquias portantes. etenim ſella geſtatoria vehi, Romani Pontificis tantum fuit inſigne, vel ſi cui Patriarcharum ipſe conceſſit, ſed quæ laicorum humeris vectaretur,
E diaconorum numquam, neque infimi ordinis clericorum. Porro inter alios dignos Præſules, qui Synodo huic interfuiſſe leguntur, fuit Iſidorus Aſturicenſis, qui tum moribus dignitati congruis, tum doctrina enituit, relinquens ſui ingenij poſteris monumenta: quo tempore etiam eius æqualis claruit Valerius Abbas æque doctrina & pietate inſignis. Reliqua Synodi tu conſulas: hæc ſatis ad inſtitutum. At de Concilijs in Hiſpania hoc anno celebratis hactenus.

Qui igitur Dei Eccleſiæ bene inſtituendæ totus intentus fuit, accepit ipſe Vuamba Rex inſigne beneficium, quod idem Tudenſis paucis enarrat, nempe vt Sarraceni, qui Orien-
CLASSIS SARRACENORVM INCENSA.
te magna ex parte potiti eſſent, inſulasq. plurimas deuaſtaſſent, ingenti comparata claſſe nauium ducentarum & ſeptuaginta cum Hiſpanias inuaſiſſent, victi ijdem fuerint ab ipſo Rege maritimo bello, quo & eorum claſſis incenſa funditus deperierit; ſicq. quam euidentiſſime oſtenſum fuerit, aduerſus fideles tunc tantum perfidos infidelesq. barba-

ros

ros præualere, cum in illis peccata insunt, quæ Dei iusta sententia puniantur: vbi autem pietas viget & fulta sancta religio bonis operibus floret, tunc barbaricas omnes vires summo licet studio comparatas, imbecilles penitus reddi & impotentes, sit necesse. A

IESV CHRISTI ANNVS 676. DONI PAP. ANNVS 1. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 9.

ADEODATVS PP. MORITVR.

ANno Redemptoris sexcentesimo septuagesimosexto, Indictione quarta, sexto Kalendas Iulias moritur Adeodatus Papa, cum sedisset annos septem, menses duos, B dies decem & septem. ita apud Anastasium, sed in aliquibus codicibus quatuor tantum ipsi anni tribuuntur: veriorem tamen lectionem putamus, quæ ei septem annos tribuit, cui & Sigebertus subscribit, cum totidem ipse Adeodati annos numeret. Accidit plane infeliciter, vt tanti Pontificis res gestæ temporis iniuria alto sint sepultæ silentio, quas fuisse præclaras nemini dubiũ esse debet: vix autẽ reperitur vna eius epistola ex Turonensi archiuo in lucem vindicata per Papirium Massonum diligentem virum, qua continetur priuilegium Abbati monasterij sancti Martini concessum: quam cum absque nota temporis positam inuenerimus, hic in fine Pontificatus eius putauimus collocandam. sic enim se habet ipsa data pro eodem monasterio ad omnes Galliarum Episcopos:

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis in Galliæ partibus commorantibus Adeodatus C

PRIVILEGIVM CONCESSVM ECCL. S. MARTINI.

Aequitatis nos admonet norma, quam apprime custodire præcipimus, vt canonica sanctorum Patrum consulta, præsertim a beatissimis Apostolicæ sedis Præsulibus, prædecessoribus scilicet nostris, qui auctoritatem successionis & vicem sacratissimi Apostolorum principis Petri per diligentem solertiam nacti sunt, quemadmodum statuta reperimus, intemerata atque illibata custodita conseruemus. Sed vt sunt quæque a fratribus nostris Ecclesiarum Episcopis pedissequa dumtaxat imitatione consulta & salubriter fuerunt ordinata, vtpote functi Apostolorum principis licet impares ministerio, conseruanda simili ratione decernimus.

Qua ex re dum Aegiricus religiosus presbyter & Abbas monasterij sancti Martini, in quo venerabile corpus eius est situm, visendas ex desiderio veniens Apostolicas Confessiones & atria, nostris se repræsentaret obtutibus, commendationemq. fratris nostri Cutperti Turonicæ Ecclesiæ Præsulis obiuisset: supplici voce precatus est, vt priuilegium Apostolica auctoritate subnixum ob munitionem venerabilis monasterij, quod beatæ recordationis confessor Christi Martinus Turonensis Ecclesiæ Episcopus in Gallicanis partibus ad conuersorum salutem sui sacratissimi corporis consecratione decorauit, cui nunc præesse se perhibens, scriptis ostenderat, ei concedere deberemus. D

Parumper autẽ ambigimus, idcirco quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat, a regimine Episcopatus prouidẽtiæ religiosa loca secernere. Verũ vbi & prædicti fratris nostri Cutperti Turonensis Ecclesiæ Præsulis monasticã libertatem, hoc est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam religiositatem eius exemplaris proferente comperimus, in cuius volumine & aliorum per Gallicanã videlicet prouinciam constitutorum Antistitum ad id consensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus: E nullatenus iam exortem rationis, ac canonicæ regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus. Propterea & nos erga quos ijdem fratres nostri reuerendissimi præsentes conferre prouiderunt, simili censura ex auctoritate profecto Apostolorum principis, cui claues ligandi atque soluendi Conditor atque Redemptor omnium tribuit, identidem confirmare concessimus: vt Apostolica fulti auctoritate per priuilegij seriem grauedines a quolibet Episcoporum sub prætextu discussionis religiosus Abbas vel monachi ibi degentes ne sustineant: neque rursus sibi disputandi apud eos licentiam vendicantes, dispendia his atque insolentias angariarum imponant: neque per occasionem regularis disciplinæ rimandæ atque seruandæ quaslibet eis intentent iniurias, sed liberam licentiam habere statuimus, salua profecto monachicarum regularum custodia, religioso Abbate (quicumque pro tempore præerit) præfato venerabili monasterio id

procu-

A procurante, vt erga quos priſtinæ recordationis eius articulus continet, & ipſe conſeruare nitatur, & quicumque ſub eius reguntur diſpenſatione, ſolerter cuſtodire commoneat, diſtricteq. compellat.

Reuerendiſſimus vero Epiſcopus, in cuius parœcia eſt memoratum venerabile monaſterium, vel res ac poſſeſſiones conſtiterint, faciendæ tantum ordinationis ac promotionis ſacerdotum atque leuitarum, vel conficiendi chriſmatis ſit tantum conceſſa licentia. Diſpoſitionem autem venerabilis loci gerere, & conuerſationē monachicam exquirere, religioſo Abbati, eiusq. Præpoſito, vel qui probatiſſimi fuerint in eodem monaſterio (quod etiam præfati Præſules conſona ſententia definierunt) decernimus.

Quiſquis igitur quolibet tempore (quod nullatenus credimus) huius decretum priuilegij, quod auctoritate Apoſtolica ſubnixi conſentiendo firmauimus, in totum vel in
B partem temerare tentauerit, hancq. præſumptionis audaciam digna emendatione minus correxerit: in perpetuum percellendum vel anathematizandum ſe nouerit, non ſolum tantorum ſententia ſacerdotum, ſed etiam æquiſſimo condemnationis aculeo: quoniam violare pertinaciter viſus eſt, quod ſalubriter ſeruare debebat. Et ita quoque huius priuilegij ſanctio firma & rata indiminutaq. perſiſtat atque permaneat. Erga quod & præexcellentiſſimi totius Galliæ Reges (vt ſcripto comperimus) ad reprimendas laicorum infeſtationes, edicto præmunire idem venerabile monaſterium regali pietate dignati ſunt. Bene valete, dilectiſſimi fratres.] hactenus Adeodatus.

Ex cuius ſcripto illud fit manifeſtum, iam ceſſaſſe Romanos Pontifices eiuſmodi immunitates concedere monaſterijs, cum dicat: Mos atque traditio ſanctæ noſtræ Eccleſiæ plus non ſuppetat a regimine Epiſcopalis prouidentiæ religioſa loca ſecernere.] id fortaſſe,
C quod experimento didiciſſent, eiuſmodi immunitates obfuiſſe potius, quam profuiſſe monaſticæ obſeruantiæ. Certe quidem numquam placuit S. Bernardo (quod ex pluribus locis epiſtolarum eius apparet) vt monachi ab Epiſcopali obedientia huiuſcemodi priuilegijs ſe ſubtraherent: nec gratum fuit S. Franciſco, ſed fratris Eliæ hominis non diuino ſpiritu, ſed carnis prudentia nitentis, fuit opus. At de his modo hactenus. Redeamus ad obitum ſanctiſsimi Præſulis, quem viſa ſunt ipſa etiam elementa luxiſſe, cum poſt eius tranſitum portentoſæ fuerint continuo exortæ pluuiæ, prout in ipſo Anaſtaſius refert, vbi primum hæc habet:

EXEMPTIONES MONACHORVM A SANCTIS IMPROBATAE.

Hic eccleſiam beati Petri, quæ eſt in Portuenſi iuxta campum Meruli, reparauit atque dedicauit. Sed & monaſterium S. Eraſmi ſitum in Cœlio monte, in quo conueniſſe viſus eſt prædictus ſanctiſsimus vir, multa noua ædificia coagmentauit, ſed & caſalia con-
D quiſiuit, ſed & in vita ſua Abbatem & congregationem ibi conſtituit.

RELIQVAE RES GESTAE ADEODATI.

Poſt cuius tranſitum tantæ pluuiæ & tonitrua fuerunt, qualia nulla ætas hominum meminiſſet: adeo vt etiam homines & pecudes fulgure interirent; & niſi per litanias, quæ quotidie fiebant, Dominus propitiatus eſſet, non potuiſſent homines triturare, & in horreis frumenta reponere. In tantum enim creuere hæc mala, vt ex ipſis pluuijs denuo legumina naſcerentur, & ad maturitatem præuenirent, pro quo capti homines mirarentur. Fecit autē Adeodatus ordinationem vnam per menſem Decembrem, creauit presbyteros quatuordecim, diaconos duos, Epiſcopos per diuerſa loca quadragintatres: qui etiam ſepultus eſt ad beatum Petrum.] hæc ipſe, qui & addit poſt obitum Adeodati ſedem vacaſſe menſibus quatuor & diebus ſex.

PLVVIAE INDESINENTES.

Hac igitur ratione dicendum eſt, hoc eodē anno Kalen. Nouembris Donum, ſiue Dom-
E num, vel Domnionem, quē alij Conum, ſiue Cunonem appellant, creatum eſſe Rom. Pontificem, alij addunt quarto Nonas eiuſdem menſis conſecratum fuiſſe. Romanus iſte fuit, Mauritij filius. Vbi autem Conſtantinopoli innotuit Donum Romæ creatū eſſe Pontificē, Theodorus Conſtantinopolitanus Patriarcha nequaquā ex more Synodalem ad eum epiſtolam dedit, cū probe ſciret minime ab eo fore recipiendam, quod hæreſis nomine a Romanæ ſedis Pontificibus a cōmunione Catholica haberetur extorris: verum hortatoriā ad eū epiſtolā miſit, vt aliquando tandē inter Orientalem & Occidentalē Eccleſiā concordia ſanciretur. Quid ad hæc Donus Papa reſcripſerit, ignoratur: de litteris autem Theodori ad ipſum teſtis eſt epiſtola a Conſtantino Imp. ad eum ſcripta, quam ſuo loco reddemus.

DONVS PAPA CREATVR.

Hoc eodem anno, qui nonus Conſtantini Imp. numeratur, habent Græcorum Annales, Sarracenos, compoſita cum Romanis pace ſpatio triginta annorū, conſenſiſſe annuū pendere ipſis tributū. Quanam occaſione tumētes animo barbari in eiuſmodi coniecti fuerint

PAX A SARRACENIS EXPETITA.

necessitatem, ex Theophane ita accipe: Anno nono Imperij Constantini ingressi sunt A
*Maronitæ Mardaitæ * Libanum, & tenuerunt a Mauro monte vsque ad sanctam ciuitatem, & ce-
REX SARRACENORVM PACEM PETIT AB IMP. perunt cacumina Libani, & multi captiui & serui & liberi fugerunt ad eos, ita vt multa millia in breui tempore fierent. Quibus compertis Mahuuias & consiliarij eius timuerunt valde, colligentes quod Imperium Romanorum diutius muniretur; & dirigit legatos ad Principem Constantinum, postulans pacem, & pollicitus annualia se Imperatori pacta laturum. Ast Imperator huiusmodi susceptis, eorumq. petitione audita, destinauit cum eis in Syriam Ioannem Patricium cognomento Pitzigaudin, tamquam antiquæ prosapiæ virum Reipublicæ & multorum negotiorum expertum, atque magnam consecutum prudentiam ad disputandum aptissime cũ Arabibus, & quæ pacis sunt, consone præstruendum.

Qui cum venisset in Syriam, coaceruatione Mahuuias tam Amireorum quam Gerasino-
*Corasinorum rum * effecta, suscepit eum cum honore magno. Multis ergo inter eos verbis pacificis edi- B
PACTIS CONVENTIS PAX STATVTA. ctis, conuenit inter vtrumque, in scriptis fieri pacis cum iureiurando sermonem super consonantia annui pacti, præbendi videlicet Romanæ Reipublicæ ab Agarenis auri librarum tria millia, viros captiuos quinquaginta, & equos nobiles quinquaginta. His ex communi placito inter vtramque partem firmatis, & in triginta seruandis annis mutuo repromissis, amplissima pax inter Romanos & Arabes est effecta: sicq. generalibus duobus inscriptis verbis ad alterutrum cum iureiurando patratis & inuicem traditis, sæpedictus famosus vir ad Imperatorem cum muneribus quoque multis reuersus est. Cum hæc autem didicissent qui Hesperias partes inhabitant, tam videlicet Caianus Auarus, quam Exarchi & Castaldi, necnon & principes nationum ad Occidentem sitarum, per legatos muneribus Imperatori transmissis, pacificam erga se dilectionem poposcere firmandam. Annuens itaque Imperator postulationibus eorum, confirmauit etiam circa illos donatoriam pacem, C
& facta est securitas magna in Oriente, necnon & in Occidente.] hactenus Theophanes. Admiratione quidem dignum fuit, quod qui vniuersum orbem terrore concusserant, magnaq. ex parte vastarant, eo humilitatis consternati deuenerint, vt pacem sponte enixe rogarent, muneribus redimerent, & persolutione tributi firmarent. Præstita sunt tanta hæc Catholico Principi, sub cuius antecessoribus hæreticis Imperatoribus Imperium florentissimum in vltimum discrimen perductum fuerat, iam iam penitus collapsurum.

Eodem anno Anglorum Ecclesia in Cantia bellorum incursionibus dire vexatur. Cum
a Beda in epit. hist. Angl. enim anno superiori (vt Beda [a] auctor est) mortuus esset Vulfhere Rex Merciorum; qui in locum eius successit Edilredus, comparato exercitu, ingressus Cantiam, absque delectu rerum sacrarum ac profanarum cuncta vastauit. Regnabat eo tempore Cantuariorũ Rex
PERSECVTIO IN ANGLICANA ECCLESIA. Lotheri, qui successerat fratri Ecgberto defuncto ante annos tres, nempe (vt idem testa- D
tur) anno Domini sexcentesimo septuagesimotertio. Ex his autem maiores creuere sancto Theodoro labores, cui non solum Dorouernensis Ecclesiæ, sed totius Angliæ a Romano Pontifice veluti Apostolicæ sedis legato cura credita erat; adeo vt eius penderet arbi-
b Bed. lib. 4. c. 6. trio, quem vellet Episcopum sedere, vel sede moueri. de ipso enim ita Beda [b]: Non multo post hæc elapso tempore offensus a Vuinfrido Merciorum Episcopo per demeritum cuiusdam inobedientiæ Theodorus Archiepiscopus deposuit eum ab Episcopatu post annos accepti Episcopatus non multos, & in locum ipsius ordinauit Episcopum Sexuulfum.] ita
c 2. Cor. 10. quidem secundum illud Apostoli [c]: In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.] subdit autem Beda de Erconuualdo eodem tempore ab eodem Theodoro ordinato Episcopo Londonensi viro sanctissimo, necnon de eius sorore sancta virgine Edilburga, cui
idem frater ante Episcopatum extruxerat monasterium, in quo tum ipsa mater omnium, E
tum aliæ eius subditæ discipulæ egregia hoc tempore floruerunt sanctitate; de quarum felici ad Deum transitu idem Beda æque historiam scripsit.

Florebat siquidem his temporibus Ecclesia Anglicana veluti paradisus Domini, abun-
ANGLICANA ECCLESIA FLORENTISSIMA. dans lilijs sanctarum virginum, atque violis cœtuum sanctorum monachorum humiliori loco latentium: sed & sanctissimis quoque abundauit Episcopis, inter quos pariter idem, de quo mentio est, Erconuualdus egregia claruit sanctitate, vt idem auctor paucis his docet: Huius viri & in Episcopatu & ante Episcopatum vita & conuersatio fertur fuisse sanctissima, sicut etiam nunc cælestium signa virtutum indicio sunt: etenim vsque hodie feretrum eius caballarium, quo infirmus vehi solebat, seruatum a discipulis eius, multos febricitantes, vel alio quolibet incommodo fessos sanare non destitit: non solum autem
*suppositi superpositi * eidem feretro vel appositi curantur ægroti, sed & assulæ de illo abscissæ atque

A ad infirmos allatæ citam illis ſolent afferre medelam.] hæc de eo Beda, quem inter ſanctos receptum vniuerſa Catholica Dei Eccleſia colit, anniuerſaria die recolens eius memoriam trigeſima menſis Aprilis [a].

[a] *Martyrolog. Rom. ea die.*

IESV CHRISTI ANNVS 677. DONI PAP. ANNVS 2. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 10.

ANnus Redẽptoris ſexcenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus Indictione quinta inchoatur, quo Imperator Conſtantinus ſolutus bellicis curis, pace compoſita cum Sarracenis, ad pacem Eccleſiæ reſtituendam totum adiecit animum: ſed obices mox paſſus eſt

CONATVS THEODORI ET MACARII HAERETIC. ADVERSVS ROM. PONTIFICES.

B Theodorum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Macarium Patriarcham Antiochenum ſigniferos hæreſis Monothelitarum, eoſdemq. acerrimos aduerſarios Pontificum Romanorum. Nam vnius excepto Honorij nomine, quem ab ipſorum partibus ſtetiſſe mentiebantur, aliorum neminem recitandum putarunt in ſacris Eccleſiæ diptychis: egeruntq. apud Imperatorem, vt relatum in eaſdem ſacras tabulas nomen Vitaliani Pontificis deleretur: quod Imperator faciendum omnino negauit, eo quod animo concepiſſet pacem inter Orientalem atque Occidentalem Eccleſiam, vbi primum licuiſſet, omnino componere: cuius rei gerendæ anno ſequenti (vt dicemus) cœpit iacere fundamenta: quod & feliciter ex ſententia conſecutus eſt, inuitis licet hæreticis, ac diſcordiarum ſubijcientibus ſæpe fomitem.

Egit itaque Imperator, vt omnino Vitaliani nomen in ſacris tabulis retineretur, re-

NOMEN VITALIANI PAPAE RETENTVM IN DIPTYCHIS.

C liquorum vero Romanorum Pontificum nomina, qui in hunc vſque annum Romanæ Eccleſiæ præfuiſſent, ex decreto futuri Concilij poſtea reciperentur in diptycha. Hæc quidem omnia ita tranſacta eſſe inter duos illos Patriarchas hæreticos & Imperatorem, epiſtola ipſius ad Donum Papam anno ſequenti ſcripta teſtatur. Verum licet ita illi polliciti eſſent Imperatori, vt nomen Vitaliani Papæ retineretur in diptychis: poſtea tamen ijdem, vel inuito, vel inſcio ipſo Imperatore, minime ſtetere promiſſis, ſed dicti Pontificis nomen e diptychis amouere, eiecereq. penitus. Id quidem ita ab ipſis factum eſſe, declarant Acta Sextæ Synodi in octaua Collatione, vbi actum eſt vt nomen Vitaliani in ſacra diptycha reſtitueretur, e quibus fuerat iniuſte ſublatum.

Quod igitur reliquis abiectis, vnum ſibi honorandum hæretici vendicarent Honorium,

CVR HONORIVS INTER IMPROBOS NVMERATVS.

D haud modicam illi, defuncto licet, conflauit inuidiam, in ſuſpicionemq. falſo adductus eſt conniuentiæ cum hæreticis, a quibus ipſe Honorius, excluſis ceteris, recipi & honorari ſciretur. ex quo factum eſt, vt qui inter damnatos Monothelitas in diptychis reperiretur adſcriptus, poſtea vna cum ipſis fuerit pariter relictus eadem aſperſus infamia: ſed calumnioſe cuncta peracta eſſe, dicetur inferius. hæc autem dicta ſunto, vt cauſa pateat, cur apud Orthodoxos nonnullos Honorius Papa male reperiatur audiſſe, arte nimirum doloſa hæreticorum, qui, licet calumnioſe, eiuſdem cum ipſis ſententiæ Honorium fuiſſe ſcriptis dictiſq. iactarent, vt & ſuperius eſt demonſtratum in Pyrrho diſputante cum Maximo.

Eodem anno, qui & ſecundus numeratur cœptæ perſecutionis, quæ grauiter exagitauit Eccleſiam Anglicanam in Cantia, de ea ita Beda occaſione Rhofenſis Eccleſiæ [b]: Anno

[b] *Beda hiſt. Anglor. lib. 4. c. 12.*

ANGLICANA ECCL. EXAGITATA BELLIS

E Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, cum Edilred Rex Merciorum adducto maligno exercitu Cantiam vaſtaret, & eccleſias ac monaſteria ſine reſpectu pietatis vel diuini timoris fœdaret, ciuitatem quoque Rhofi, in qua erat Putta Epiſcopus, quamuis eo tempore abſens, communi clade abſumpſit. quod ille vbi comperit, eccleſiam videlicet ſuam rebus ablatis omnibus depopulatam, diuertit ad Sexuulfum Merciorum Antiſtitem, & accepta ab eo poſſeſſione eccleſiæ cuiuſdam & agelli non grandis, ibidem in pace vitam finiuit, nil omnino de reſtaurando Epiſcopatu ſuo agens: quia (ſicut & ſupra diximus) magis in Eccleſiaſticis, quam in mundanis rebus erat induſtrius; ſed in illa ſolum eccleſia Deo ſeruiens, & vbicumque rogabatur, ad docenda Eccleſiaſtica carmina diuertens. Pro quo Theodorus in ciuitate Rhofi Vuilhelmum conſecrauit Epiſcopum: ſed illo poſt non multum temporis præ inopia rerum ab Epiſcopatu decedente, atque ad alia loca ſecedente, Gebmundum pro eo ſubſtituit Antiſtitem.] hæc Beda occaſione Rhofenſis Eccleſiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. AVDOENI EPISC. ROTHOMAGENSIS TRANSITVS.

Eodem anno Audoenus ille admirandus Rothomagensis Episcopus ex hac vita migrauit, vt eius Acta testantur, in quibus hæc scripta leguntur [a]: Anno igitur sexto (*ita restituendum est pro decimosexto*) Theodorici Regis & Crotildis Reginæ, res palatij administrante Vuarratone subregulo, apud villam Clypiacum, vbi tum vir beatus de pace inter Francorum populos constituta nuncium attulerat, iam longæuæ ætatis senio confectus in morbum incidit. Appropinquabat enim dies optatus, quo cupiebat dissolui & esse cum Christo, terraq. relicta, penetrare cælos, & videre iam facie ad faciem, quod in ænigmate iampridem vidisset. Cumq. febribus corpus attenuaretur, & obitum suum iam imminere cerneret, obsecrabat Dominum, vt suas oues idoneo pastori committeret. Denique hortabatur Regem, vt Abbatem Ansbertum sibi faceret successorem: quod & factum est. Postremo fusis ad Dominum precibus, gregem sibi creditum illi deuote commendauit, atque ita spiritum reddidit in manus Creatoris cælestibus choris sociandum,& gloria sempiterna paradisi fruiturum.] hactenus ibi de tempore obitus: de funere autem & pluribus ex eius corpore editis miraculis, idem auctor inferius narrat, qui eius vitam egregijs factis cumulatam scriptis tradidit.

[a] *Vit. S. Audoe. c. 29. die 24. Augusti. Sur. to. 4.*

A

B

FRANCORVM CVM AVSTRASIIS PAX INITA.

Quod igitur pace confecta inter Francos populos, eum obijsse auctor affirmet: quænam ante præcessisset discordia, ex eodem sic accipe [b]: Orta, inquit, erat discordia inter Francos & Austrasios. Vir beatus componendæ pacis causa Coloniam venit. Vbi cum martyrum monumenta perlustrasset, atque suo more reliquias ex eorum monumentis ablatas secum magno cum honore asportaret, obuium habuit mutum quemdam, qui iam annis vndecim nullum cuiquam verbum fudisset. Permisit autem Dominus tot annis illum sic permanere in famuli sui Audoeni honorem, vt per eum facultas ei loquendi restitueretur, & diu tacens lingua in Christi laudes erumperet. Illi autem muto vir Dei signum Crucis impressit, caput eius consignans; moxq. locuta est lingua diu tacens. Tum vero inter discordes populos instaurato pacis fœdere, inde discedens in Austriam, Virdunum peruenit. Cum autem in eius vrbis ecclesiam ingrederetur, mulier quædam dæmoniaca vexari cœpit miserabiliter: frendensq. dentibus in virum Dei, rapido cursu inuehebatur. At vir beatus manu caput eius stringens, illico dæmonium eiecit, sanamq. illam parentibus reddidit.] hæc sunt quæ proxime eius præcessisse obitum Deus voluit post alia multa antea miracula edita, quibus eiusdem transitus veluti diuinis sanctitatis testibus illustraretur: sicq. factum est, vt præcedente vitæ sanctitate per istiusmodi signa Deo loquente, idem inter sanctos ab Ecclesia Catholica fuerit adnumeratus, & annis singulis repetendus ipsius natalis dies referretur in tabulas [c] Ecclesiasticas.

[b] *Vit. S. Audoe. c. 27. 28.*

[c] *Martyrolog. Roman. die 24. Augusti.*

C

D

IESV CHRISTI ANNVS 678. AGATHONIS PAP. ANNVS 1. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 11.

DONVS PAPA MORITVR.

SExcentesimus septuagesimusoctauus annus Redemptoris sexta Indictione numeratur, quo tertio Idus Aprilis moritur Donus Papa, cum sedisset annum vnum, menses quinque, dies decem. Porro eius reliquas res gestas Anastasius ita narrat: Hic atrium beati Petri Apostoli superius, quod est ante ecclesiam, in quadriporticum magnis marmoribus strauit: sed & ecclesiam Apostolorum sitam via Ostiensi (vt decuit) restaurauit atque dedicauit, itemq. ecclesiam sanctæ Euphemiæ positam via Appia similiter dedicauit: clerum diuersis ordinibus & honoribus ampliauit. Hic reperit in vrbe Roma, in monasterio quod appellatur Boetianum, Nestorianos monachos Syros, quos per diuersa monasteria diuisit, *ad pœnitentiam scilicet*. In prædicto monasterio monachos Romanos instituit.

E

EPISC. RAVEN. SVBDIDIT SE ROM. PONT.

Huius temporibus Ecclesia Rauennas, quæ se ab Ecclesia Romana segregauerat causa primatus, denuo se pristinæ sedi Apostolicæ subiugauit; cuius Ecclesiæ Præsul nomine Reparatus euestigio, vt Deo placuit, vitam finiuit.] subdit de cometa, quæ eius tempore apparuit per menses tres, quã pestilentia subsecuta est, de qua inferius dicturi sumus. Ad postremum hæc de eodem: Fecit ordinationẽ vnam, creauit presbyteros decem, diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca numero sex. Cessauit Episcopatus eius menses duos, dies quindecim.] hucusque Anastasius. Verum ad aliquot menses amplius propagasse sedẽ Donum Pontificem, epistola Constantini Imperatoris ad ipsum scripta existimare

A mare suadet,cum data reperiatur hoc eodem anno pridie Idus Augustas,Indictione sexta. quæ enim ratio patitur,vt post menses quatuor adhuc latuerit Imperatorem obitus Romani Pontificis? At de eiusdem Imperatoris epistola ad Donum Pontificem data agamus.

Haud enim Deo ingratus existens Constantinus Catholicus Imperator, de acceptis ab eo beneficijs has immolandas hostias ipsi gratissimas existimauit,vt Monothelitarum ingruentem hæresim condemnare penitusq. sepelire curaret, & Orientalem Ecclesiam ea ex causa a Romana diuisam, Catholicæ fidei compagine eidem Catholica communione coniungeret, barbaris omnibus, qui hactenus post longissimi temporis spatium Romanum deuastarant Imperium, iam pace firmatis, & Sarracenis redditis tributarijs; quæ tanta quis prudens neque animo concipere valuisset. Tot igitur tantisq. acceptis a Deo Imperator Catholicus beneficijs, quæ nec sperari posse videbantur, nihil antiquius habuit, B quam bene vti concessa diuinitus pace, ad comprimendum nimirum exortum inter Christianos ciuile bellum, intestinamq. discordiam effugandam: cuius rei gratia litteris compellandum Pontificem Romanum existimauit, ipsum inquam quem adhuc putabat superstitem esse Donum. Extant ipsæ integræ ante ingressum Sextæ Synodi collocatæ, vtpote ad eam Synodum præambulares, quas hic tibi reddendas necessitas postulat argumenti; ac primum qui eis inscriptus est titulus verbis istis:

CONSTANTINVS IMP. AGIT DE PACE ECCLES.

In nomine Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, Flauius Constantinus Fidelis, Magnus, Imperator, Dono sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ & vniuersali Papæ. Sacra data prid. Idus Augustas Constantinopoli, Indictione sexta.

Per omnia nouit vestra paterna beatitudo & plures vestræ sanctæ Ecclesiæ antiquæ Romæ, quia ex quo iussit Deus principaliter nos imperare, dum voluissent quidam motio- C nem facere de verbis, de quibus est contentio pro dogmate pietatis inter partes tam sanctæ vestræ Ecclesiæ, quamq. huius sanctæ magnæ Ecclesiæ, vt ambigerent: & hoc prohibuimus fieri, tempore non admittente, cognoscentes quod ex particulari contentione non solum vnitas fieri non posset, sed magis malum accresceret. Et licet animo doleremus vltra omnem dolorem tam pro exprobratione quæ nobis ob hoc ab inimicis inferebatur, & propter ipsam veritatem, quod Pontifices secundum nos & Orthodoxus noster populus propter quasdam nouitates vocum in schisma incidissent, exultatioq. ex hoc fieret impijs hæreticis: attamen Deo nostro commisimus, ipso pro nobis potiora prouidente, & dum eius benignitas iusserit, correctionem huius rei fieri, tunc nobis donante opportunitate temporis ad generalem collectionem faciendam vtrarumque sedium: quatenus considerantibus eis definitiones sanctarum quinque Synodorum, & editiones san- D ctorum probabilium Patrum, satisfacerent semetipsis, & conuenirent in vno ore, vnoq. corde ad glorificandum honorificum nomen Dei nostri.

EPIST. CONSTANT. IMP. AD DONVM PAPAM.

Sed quoniam sicut homines cogitamus, sicut autem iubet Deus, omnia perfecit; ipse enim nouit futura & quæque nobis expediunt: sic ei placitũ est, vt ad effectum perducantur: cognoscere facimus vestram paternam beatitudinem, quod dum ordinatus esset Theodorus sanctissimus & beatissimus Patriarcha a Deo conseruandæ huius nostræ regiæ vrbis, suggessit nostræ serenitati, suspectum se esse dirigere consueta Synodica ad vestram paternam beatitudinem, ne forte non recipiantur, sicut & sub prædecessoribus eius Patriarchis factum est. Sed quia magis præuidit adhortatoriam epistolam facere ad vestram paternam beatitudinem, quam & direxit, cuius per omnia scientiam habet vestra paterna beatitudo, & non præuidimus per præsentem nostram piam Sacram de huiusmodi epi- E stola vti multiloquio.

CVR NON SCRIPSERIT THEODORVS FIDEI PROFESSIONEM.

Sed postquam directa est eadem epistola ad vestram paternam beatitudinem, interrogauimus eumdem sanctissimum & beatissimum Patriarcham, & Macarium sanctissimum Patriarcham ciuitatis Theopolitanæ, quænam esset difficultas, quæ prouenerat inter vestram paternam beatitudinem, seu vestram Apostolicam sedem & ipsos, olim omnibus expletis quæcumque sunt de immaculata nostra & incommutabili Christianorum fide, tam per doctrinam sanctorum Apostolorum, quam per definitiones sanctarum quinque Synodorum, & doctrinam sanctorum ac probabilium Patrum, & omnibus hæresibus iam manifestatis atque condemnatis, & nullo deinceps remanente modo, quo possit diuisio aut schisma sanctæ & immaculatæ nostræ fidei inferri: satisfecerunt nobis ijdem ipsi sanctissimi Patriarchæ, quod verba quædam nouitatis intromissa sunt, aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus vero incongrue scrutan-

EXPLORAT IMP. DISSIDII CAVSAM.

tibus incomprehensibilia opera Dei; & quia ex quo hæc verba moueri cœperunt & vsque hactenus vtraque sedes inter se minime conuenerunt, vt inquirentes sibimet satisfacerent pro veritate. A

QVID ORTHODOXI AGERE DEBEANT.

Propter viles igitur inquisitiones non sit infinita contentio; ne nobis insultent Pagani & hæretici, neque in nobis vsquequaque locum accipiant semina aduersarij: cadens namque ab humano genere, quod ei seruiebat, & confusus per apparitionem Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri, etiam in his confundetur per studium vestræ paternæ beatitudinis. Et secundum quod scriptum est [a], deponentibus nobis omnem zelum, & omnem contentionem, omnemq. inuidiam, veritati concurramus. Veritas enim Deo cara est, & secundum Domini vocem [b]: Quicumque voluerit omnium primus esse, sit omnium minister. Et iterum dictum est [c]: In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. B

a 1. Petr. 2.

b Matth. 2. & Marc. 9. 10.

c Ioan. 13.

IMPERATORIS EXHORTATIO

Postquam igitur tempus recipit perfectam congregationem fieri, hortamur vestram paternam beatitudinem per præsentem nostram piam Sacram dirigere viros vtiles, modestos, notitiam habentes totius a Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ sedis, eiusq. Concilij, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes: quatenus conuenientes cum hic posito sanctissimo ac beatissimo Patriarcha, & Macario sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ ciuitatis, perscrutentur cum omni mansuetudine & modestia, & per gratiam sancti Spiritus veritati insistere & consentire, munitionem habentibus eis, qui huc aduenerint ex parte sedis vestræ per præsentem nostram piam Sacram. Per Deum enim omnipotentem non est apud nos partis cuiuslibet fauor, sed æqualitatem vtrisque partibus conseruabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocumque capitulo eis qui a vobis diriguntur quoquo modo, sed & omni honore cum competenti munificentia & susceptione dignos eos habebimus. Et si quidem vtrique conuenerint, ecce & bene; sin autem minime conuenerint, iterum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus; de cetero nos excusantes in iudicio Dei imminente nobis, iuxta quod constituti sumus seruare fidem sanctam & immaculatam, quam percepimus (vnoquoque proprio sensu abundante) rationem reddituri ante sanctum & terribile tribunal Dei nostri. Inuitare enim & rogare possumus ad omnem commendationem & vnitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus. C

QVI CAVSAM COGNITVRI ESSENT.

Per personas vero quæ dirigentur a paterna vestra beatitudine, ita decernat: Ex vestra quidem sancta Ecclesia (si vtique videtur ei) tres personas; quod si plures, quantæ ei placuerint, dirigat; de Concilio vero vsque ad duodecim Metropolitas Episcopos; de quatuor vero monasterijs Byzacenis, ab vnoquoque monasterio monachos quatuor. Nam si receperit tempus, vt dictum est, perfectam congregationem studuissemus facere: sed quoniam tempus non admisit, Deus autem noster proprio consilio protulit quod nos differebamus, in hoc tempore per omnia iubemus vestram paternam beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere. Sic enim speramus in eius benignitate, quoniam qui voluerit huiusmodi capitulum moueri in præsenti, per Spiritum sanctum concedere habet, vt veritas clareat, & instruantur omnes sine schismate & contentione veritatem profiteri, & vno ore, vnoq. corde glorificare nos omnes eius bonitatem. Tacere quippe hoc, terribile æstimamus: vt ne plebs, quæ vt sanctificetur, accedit ad sanctas Dei Catholicas & Apostolicas Ecclesias, contrarijs congregationibus occupetur, considerans Antistitum adinuicem dissonantiam. D E

QVID CONATI SINT HAERETICI PATRIARCHAE.

Multam nobis instantiam fecerunt tam hic sanctissimus Patriarcha, quamq. Macarius sanctissimus Patriarcha Theopoleos, vt eijceretur Vitalianus beatissimus e diptychis, asserentes Honorium memorari in diptychis propter honorem Apostolicæ sedis antiquæ nostræ Romæ. Nam non acquieuere, vt memorentur Patriarchæ qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proueniat verborum, de quibus contenditur inter vtrasque sedes, & ita vestra beatitudo consequenter memoretur. Sed hoc non acquieuimus, id est, vt eijceretur idem Vitalianus e diptychis: hoc quidem, vtpote omnem æqualitatem seruantes, & vtrosque Orthodoxos habentes: hoc autem & propter collatam nobis charitatem ab eodem Vitaliano, dum superesset, in motione tyrannorum nostrorum. Sed sic polliciti sumus prædictis sanctissimis Patriarchis, quod per omnia diriget vestra paterna beatitudo homines, qui debeant conquirere cum ipsis;

A & tunc ſecundum quod claruerit, perfecta diſpoſitio fiet: nam hoc nullo modo nos acquieſcere, vt idem beatiſſimus Vitalianus eijceretur.

Hoc cognoſcens veſtra paterna beatitudo, ſtudeat ſequi voluntatem Dei: ſicut enim prædictum eſt, ſpem habemus in coronatore Deo noſtro, quia dum præuiderit ſuper hoc feruentem noſtrum affectum, eius benignitas etiam ingruentes nobis perturbationes gentium ſedabit. Omnem vero concurſum venientibus iuſſimus præbere Theodorum glorioſum Patricium & Exarchum Chriſto amabilis noſtræ Italiæ prouinciæ, tam in naui, quam in expenſis & omni vtilitate eorum; & ſi neceſſitas exegerit, etiam caſtellatos dromones præbere ad eorum munimen: vt ex omnibus illæſi & ſine periculo, Deo cooperante, ijdem ad nos perducantur. *Et ſubſcriptio.* Diuinitas te ſeruet per multos annos, ſanctiſſime ac beatiſſime Pater.] hactenus Imperatoris ad Donum Papam epiſtola ſcripta, reddita vero

B (vt dictum eſt) ſucceſſori eius Agathoni, illo iam vita functo.

Quod autem in hac epiſtola Imperator queritur de perturbationibus ex tumultu bellorum rurſum exortis, cum ait: Eius benignitas ingruentes nobis perturbationes gentium ſedabit.] ſciendum eſt, hos fuiſſe Bulgaros, hoc anno vndecimo Conſtantini Imperatoris in Romani Imperij prouincias irrumpentes. Hoc quidem anno id accidiſſe, teſtatur Theophanes, apud quem hæc anno vndecimo eiuſdem Imperatoris leguntur: Hoc quoque anno Bulgarorum gens ſuperuenit in Thraciam, &c.] pergit dicere de origine Bulgarorum, quos duplicis fuiſſe generis tradit, Onogundurenſes ſcilicet, & Contragenſes, ex Septemtrionalibus Euxini ponti partibus oriundos: dictosq. a Bulga flumine, teſtatur Cedrenus. BVLGARORVM IRRVPTIO PRIMA.

Quomodo vero iniqua conditione cum eiuſmodi barbaris tranſegerit Imperator, vt

C quies daretur & pacatum tempus celebrandi Concilij, ita Theophanes ſubdit: Vi coactus Imperator pacem fecit cum eis, annua illis præbere pacta pollicitus in confuſionem Romanorum ob multitudinem delictorum. Mirabile quippe ipſo auditu erat, vt is qui omnes tributarios ſibi ſtatuerat, tam videlicet eos qui ad Eoum & Occaſum, quam qui ad Arctum & Meſembriam commorabantur, ab iſta deteſtabili gente fuerit ſuperatus. Verum Imperator ita quidem ex prouidentia Dei hoc Chriſtianis contigiſſe credens, pacem fecit, & fuit vſque ad obitum ſuum quietus a cunctis hoſtibus, ſtudium habens præcipuum vniendi vniuerſas Eccleſias Dei, quæ vbique diuiſæ fuerant a temporibus Heraclij proaui ſui, &c.] Vt igitur indictam Synodum proſequi Imperator poſſet, pacem indignis licet conditionibus tranſegit cum Bulgaris. PAX SANCITA CVM BVLGARIS.

Hoc cum factum, peccatis exigentibus, Theophanes dixerit: nullum grauius & ma-

D gis euidens peccatum extitit, quam quod Catholicus Imperator paſſus hactenus fuerit ſedere Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſulem Theodorum Monothelitam hæreticum; qui & eo temeritatis progreſſus fuit, vt poſt Honorium neminem Romanorum Pontificum paſſus ſit in ſacris diptychis reperiri, nuperq. contra expreſſam ipſius Imperatoris iuſſionem Vitalianum Papam ex eiſdem eraſerit. Non ferens vero tantam viri procaciam Imperator, eum ceſſare protinus voluit, atque in locum eius Georgium ſubrogauit, qui præſens poſtea fuit Sextæ œcumenicæ Synodo. Tu vero corrigas, quod apud Nicephorum legitur, ſediſſe Theodorum annos duos & menſes tres, vt loco duorum ponas duodecim: ad hoc namque tempus vſque perueniſſe, litteræ eiuſdem Imperatoris ad Donum Pontificem datæ (vt diximus) docent. THEODORVS EIICITVR. GEORGIVS SVB ROGATVR.

Hoc eodem anno vndecimo Iuſtiniani Imperatoris moritur Mahuuias Princeps Sarra-

E cenorum, relinquens regni ſucceſſorem Gizid filium ſuum. Huius autē Mahuuiæ tempore inuentum fuiſſe ſacroſanctum ſudarium capitis Redemptoris, Beda teſtatur in libello de locis ſanctis ſcripto relatione Archulphi Epiſcopi, quē his ferme diebus loca ſancta viſitaſſe teſtatur. Porro rem geſtam ita deſcribit [a]: Sudarium capitis Domini poſt reſurrectionem eius mox Chriſtianiſſimus quidam Iudæus furatus, vſque ad obitum, diuitijs ſibi affluentibus, habuit. Qui moriturus interrogat filios, qui Domini ſudarium, qui ceteras patris velit accipere diuitias. Maior theſauros rerum, minor elegit ſudarium. Et mox illi decreſcunt opes vſque ad paupertatem, fratri autem cum fide creſcunt & opes, quod vſque ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perueniens, diuitias tantum auxit vt Iudæis, & hoc multo tempore: donec poſt longa litigia, quibus Chriſtiani Iudæi ſe Chriſti, infideles vero ſe patrum ſuorū affirmabant heredes, Mahuuias Sarracenorū Rex, qui noſtra ætate fuit, iudex poſtulatur. Qui accenſa grandi pyra, Chriſtum iudicem precatur, SACRVM SVDARIVM CAPITIS CHRISTI INVENTVM.

[a] *Beda de loc. ſanct. c. 5.*

catur, qui hoc pro suorum salute super caput habere dignatus est. Missum ergo in ignem A
sudarium veloci raptu effugiens euolat, & summo in aere diutissime quasi ludendo volucritans, ad vltimum cunctis vtrinque intuentibus, sese leuiter in cuiusdam de Christiana plebe sinum deposuit: quod mane mox totus populus summa veneratione salutabat & osculabatur. habet autem longitudinis pedes octo. Aliud quoque aliquanto maius linteum in ecclesia illa veneratur, quod fertur a sancta Maria contextum, duodecim Apostolorum & ipsius Domini continens imagines, vno latere rubro, & altero viridi.]

LINTEVM CVM SACRIS IMAGINIBVS.

hucusque Beda, qui de rebus patrijs historiam cum prosequitur, hæc habet de ijs quæ hoc anno contigerunt [a]:

a Beda lib. 4. c. 12.

Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimooctauo, qui est annus Imperij Regis Ecgfridi octauus, apparuit mense Augusto stella quæ dicitur cometa, & tribus mensibus permanens matutinis horis oriebatur excelsa radiantis flammæ quasi columnam præferens.] hæc Beda, qui hanc secutam esse post siccitatem ingentem pestem tradit, B

SICCITAS INGENS.

cademq. Anastasius Bibliothecarius docet; siccitatem vero perdurasse triennio, ita vt numquam imbribus terra maduerit. Quæ autem digna memoria postea acciderint pestis tempore, suo loco dicturi sumus: modo huius anni res gestas eodem auctore prosequamur.

b Beda lib. 4. c. 13. & in epitom. hoc anno.

Eodem enim anno (vt idem subdit [b]) exorta inter Vuilfridum Episcopum Eboracensem & Regem Ecgfridum dissensione, a sua sede ille deijcitur, alio in eius locum subrogato. Verum ista iniuste passus Vuilfridus, Romanum Pontificem appellauit; ad quem profectus, detentus in via prædicatione Euangelica apud Frisios, non ante sequentem annum peruenit, vt idem testatus est Beda. Quid vero cum Agathone in Vrbe gesserit, & quomodo cum alijs Episcopis in Romano Concilio sederit, suo loco dicturi sumus. hic autem de eo, cũ discedens ex Anglia, conscendens nauim est delatus ad Frisios, prosequamur C

VVILFRIDVS PRAEDICAT FRISIIS.

historiam, quam idem auctor ita breuiter prosecutus est [c]: Romam, inquit, iturus Vuilfridus, & coram Apostolico Papa causam dicturus, vbi nauem conscendit, flante Fauonio, pulsus est in Frisiam; & honorifice susceptus a barbaris, ac Rege illorum Aldgisilo, prædicabat eis Christum; & multa eorum millia verbo veritatis instituens, a peccatorum suorum sordibus fonte Saluatoris abluit: & quod postmodum Vuilbrordus reuerendissimus Christi Pontifex in magna deuotione cõpleuit, ipse primus ibi opus Euangelij cœpit. Ibi ergo hiemem cum noua Dei plebe feliciter exigens, sic Romã veniendi iter repetijt, &c.]

c Beda lib. 5. c. 20.

Eadem totidem ferme verbis Marcellinus ante Bedam scriptis mandauit, dum sui temporis res gestas sancti Suitberti Episcopi scripsit: in quo tamen corrigas mendum in numeri notam illapsum, vt dum præsenti anno appulsum ad Frisios Vuilfridi contigisse D
tradiderit, numeri inuersa nota, loco anni Domini sexcentesimi septuagesimioctaui, legatur octogesimiseptimi. Magna sane enituit Dei prouidentia, vt sanctissimum Episcopum permiserit a Christiano Rege sede turbari, quo ad sitientes Gentes Euangelij fluenta portaret: vt & ipsi ob Apostolicum munus æque prophetícum dictum aptari possit [d]: Qui sunt isti qui volant sicut nubes? &c.] vtpote qui flante vento delatus in terram aridam, eamdem mox cælestibus imbribus irrigauit.

d Isa. 60.

E

SExcentesimo septuagesimonono anno salutis, Indictione septima, cum innotuissent Episcopis Occidentalibus per Agathonem Romanum Pontificem ea quæ ad Donum Papam a Constantino Imperatore scripta ipse accepisset de legatione mittenda, eiusdem pariter Agathonis Pontificis iussu, ea de causa ijdem Synodos congregarunt, quibus vbique condemnata est hæresis Monothelitarum hæreticorum. Id quidem factum esse in Italia, in Gallijs, & in Anglia, eiusdem Agathonis litteræ sequenti anno ad eumdem Imperatorem datæ declarant. Porro omnium Italiæ Episcoporum conuentuum supereſt tantum memoria de Synodo Mediolanensi: Gallicanorum vero Conciliorum Acta penitus exciderunt: sed Anglicanæ Synodi aliqua adhuc fragmenta supersunt. Mediolanensis autem Concilij extat Synodalis epistola, cuius hæc est inscriptio:

SYNODI PLVRES CONTRA MONOTHELITAS.

Domino serenissimo atque tranquillissimo & a Deo coronato religiosissimo Constantino

A tino Imperatori Manſuetus Mediolanenſis Metropolitanæ Eccleſiæ indignus Epiſcopus, vel vniuerſa ſancta Epiſcoporum fraternitas, quæ in hac magna regia vrbe conuenit, æternam in Domino ſalutem.

Sapicē Imperialis faſtigij, &c.] laudatur in primis eius exordio pietas Imperatoris, quem cōparat religioſis, qui ante eum in Eccleſia claruerunt, Imperatoribus, per quos generalibus Synodis congregatis, curatū eſt, vt ortæ hæreſes damnarentur. quibus fuſius explicatis, & Catholica fide ex præſcripto ſacrorum Conciliorum aſſerta, hæc ſubijciuntur: Ecce, præſtantiſſime Princeps, antiquorum Patrum ſtatuta vna cum conſenſu pijſſimorum Imperatorum definita, quæ conuelli vel infirmari nulla ratione pietas veſtra permittat. Nam ſi ſunt qui audacia dialecticæ artis inflati, cothurnata ceruice, buccis tumeſcentibus, ſinuoſis circuitionibus, & flexuoſis ambagibus, phaleris verborum, pompisq. ſermonum
B ſua ferali calliditate ſimplicem fidei rationem conuellere, & delegatas a Patribus regulas conculcare vel temerare voluerint: eorum inflationibus tranquillitas veſtra non acquieſcat, ſed recordamini qualiter propheta dicit [a]: Verbum breuiatū facit Dominus ſuper terrā. quod per ſanctos Apoſtolos vidimus impletū. Quid enim breuius, quam ſimplex fidei ſymbolum ab Apoſtolis inſtitutū, in quo myſticum ſacramenti continetur arcanum?

MONET IMPERATOREM MANSVETVS EPISCOPVS.

[a] *Iſa.* 10.

Nam ſi recolas, inſigniſſime Imperator, non cum dialecticis, non cum rhetoricis, non cum grammaticis, ſed cum ruricolis & piſcatoribus Dominus poſuit rationem, & his tradidit ſui ſecreta conſilij, quos & principes ordinauit, quibus ligandi atque ſoluendi tribuit poteſtatem. Nonne vobis videtur, optime Imperator, dementiſſimæ mentis eſſe, qui Apoſtolicas traditiones & venerabilium Patrum inſtituta deprauare feſtinant? Nos autem omnes, &c.] quibus docet Manſuetus vna cum eadem ſancta Synodo, ſequi
C ſe quæ ſunt ab Apoſtolis tradita, a ſacris Concilijs inſtituta, atque a ſanctis Patribus confirmata. His coniungit rectæ fidei confeſſionem, ad cuius finem contra Monothelitas duæ in Chriſto aſſeruntur voluntates & operationes totidem: nā dum duas naturas diuinam & humanam in vna eademq. perſona ipſe vna cum eadem ſancta Synodo recognoſcit, mox ex vniuſcuiuſque naturæ præſcripto duas infert voluntates atque operationes.

SIMPLICITAS DOCTRINAE CHRISTIANAE

Iſta quidem ſanctus Manſuetus vna cum collegis Epiſcopis. magnæ vero exiſtimationis erat eo tempore apud omnes ipſe Manſuetus, vtpote qui egregia claruit ſanctitate, dignusq. eſt habitus, vt qui viuens ſanctiſsimos prædeceſſores Epiſcopos moribus atque doctrina ſectatus eſſet, cum eiſdem poſt mortem in ſacris Eccleſiæ tabulis adſcriberetur, quo ſicut illorum, ita & ipſius anniuerſaria natali die memoria in Eccleſia publice coleretur, nempe decimanona menſis Februarij.

MANSVETVS SANCTITATE CLARVS.

D At nec ſatis ipſi fuit iſta de Catholica fide in Synodo ſtatuiſſe, ſcriptisq. mandaſſe, atque ad Imperatorem in Orientem miſiſſe, ſed etiam ſequenti anno Romam ſe contulit, vt vna cum alijs vniuerſali conuocato Concilio intereſſet. Verum quod ad dictam epiſtolam Synodalē pertinet, eam non a Manſueto, ſed a Damiano Ticinenſi Epiſcopo ſcriptam, teſtatur Paulus diaconus his verbis [b]:

[b] *Paul. diac. lib. 6. c. 4.*

Eo tempore Damianus Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſub nomine Manſueti Mediolanenſis Archiepiſcopi hac de cauſa ſatis vtilem rectæq. fidei epiſtolam compoſuit, quæ in præfata Synodo non mediocre ſuffragium tulit.] Ceterum & ipſe Damianus magni nominis his temporibus claruit, vitæ quoque probitate inſignis: adeo vt æque ac Manſuetus inter ſanctos poſt tranſitum ex hac vita adnumerari meruerit, vt ſacræ teſtantur tabulæ, in quibus idem Damianus duodecima menſis Aprilis inſcriptus legitur anniuer-
E ſaria memoria in Eccleſia repetendus.

DAMIANVS EPISC. TICINENSIS.

Sed iam proſequamur quæ ad Conciliū Anglicanū ſpectant: meminit ipſius Beda, ſcriptāq. in eo Synodalem epiſtolā de fide Catholica ex parte recitat, quā hic tibi ſubijciendā putamus. ſic enim in primis idem Beda præfatur [c]: His temporibus audiens Theodorus fidem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ per hæreſim Eutychetis multum eſſe turbatam; & Eccleſias Anglorum, quibus præerat, ab huiuſmodi labe immunes perdurare deſiderans; collecto venerabilium ſacerdotum, doctorumq. plurimorum cœtu, cuius eſſent fidei ſinguli, ſedulus inquirebat; omniumq. vnanimem in fide Catholica reperit conſenſum, & hunc Synodalibus litteris ad inſtructionem memoriamq. ſequentium commendare curauit.] iſta præfatur Beda: cui incomperta fuiſſe videntur, quæ ſequenti anno tum ab Agathone, tum a Synodo Romæ collecta in Synodalibus litteris ad Imperatores datis reperiuntur de eodem Theodoro conſcripta, nempe vocatum & expectatum ad Concilium

CONCILIVM ANGLICANVM.

[c] *Bed. lib. 4. c. 17.*

lium Romæ celebrandum, idq. ob egregiam tanti viri peritiam; vtpote quia hoc sæculo A valde rudi scientia, ipse ferme solus vel ceteris eminentior peritia scientiarum, præsertim vero sacrarum, celebris haberetur. Sed cum non licuerit ipsi coalescentem Ecclesiam, atque lacte adhuc opus habentem relinquere, placuit fidem Catholicam conuentu publico cognitam & confirmatam conscribere, quæ sic se habet a Beda recitata:

FIDEI CATHOLICAE PROFESSIO.

In nomine Domini Iesu Christi Saluatoris, imperantibus dominis pijssimis nostris Ecgfrido Rege Humbronensium, anno decimo regni eius, sub die quintodecimo Kalendas Octobris, Indictione octaua, & Edilredo Mercinensium, anno sexto regni eius, & Alduulfo Rege Estranglorum, anno decimoseptimo regni eius, & Lodthario Rege Cantuariorum, regni eius anno septimo, præsidente ipso Theodoro gratia Dei Archiepiscopo Britanniæ insulæ & ciuitatis Dorouernensis, vna cum eo sedentibus ceteris Episcopis Britanniæ insulæ viris venerabilibus, præpositis sacrosanctis Euangelijs, in loco B qui Saxonico vocabulo Hedtfeld nominatur, pariter tractantes, fidem rectam & Orthodoxam exposuimus, sicut Dominus noster Iesus incarnatus tradidit discipulis suis, qui præsentialiter viderunt & audierunt sermones eius, atque sanctorum Patrum tradidit symbolum, & generaliter omnes sanctæ & vniuersales Synodi, & omnis probabilium Catholicæ Ecclesiæ doctorum chorus.

Hos itaque sequentes nos pie atque orthodoxe, iuxta diuinitus inspiratam doctrinam eorum professi, credimus consonanter & confitemur secundum sanctos Patres proprie & veraciter Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem in vnitate consubstantialem, & vnitatem in Trinitate, hoc est, vnum Deum in tribus subsistentijs vel personis consubstantialibus, æqualis gloriæ & honoris. Et post multa huiusmodi, quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hæc quoque sancta Synodus suis litteris addidit: Suscipimus C sanctas & vniuersales quinque Synodos beatorum & Deo acceptabilium Patrum, id est, qui in Nicæa congregati fuerunt, trecentorum decem & octo contra Arium impijssimum & eiusdem dogmata: & in Constantinopoli centum quinquaginta contra vesaniam Macedonij & Eudoxij & eorum dogmata: & in Epheso primo ducentorum contra nequissimum Nestorium & eiusdem dogmata: & in Chalcedone sexcentorum & triginta contra Eutychem & Nestorium & eorum dogmata: & iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt Concilio in tempore Iustiniani minoris contra Theodorum & Theodoretum & Ibæ epistolas & eorum dogmata contra Cyrillum. paulo post: Et Synodum quæ facta est in vrbe Roma in tempore Martini Papæ beatissimi, Indictione octaua, imperante Constantino pijssimo anno nono. Suscipimus & glorificamus Dominum nostrum Iesum Christum, sicut isti glorificauerunt, nihil addentes vel subtrahen- D tes: & anathematizamus corde & ore, quos anathematizauerunt; & quos susceperunt, suscipimus, glorificantes Deum Patrem sine initio, & Filium eius vnigenitum ex Patre generatum ante sæcula, & Spiritum sanctum procedentem ex Patre & Filio inenarrabiliter, sicut prædicauerunt hi, quos memorauimus, supradicti sancti Apostoli & prophetæ & doctores.] hactenus ex Synodali epistola Beda: in qua illud considerandum, sanctum Theodorum virum natione quidem Græcum, meritis insignem, sanctis quibuslibet veteribus comparandum, atque doctrina clarissimum, æque cum vniuersa Catholica Ecclesia asserere Spiritum sanctum a Patre Filioq. procedere, sicuti non a Latinis tantum, sed & a sanctis Orientalibus doctoribus affirmari certo sciebat. Vnde erubescant magis recentiores Græci, cum a suis ipsis, qui doctiores ac sanctiores fuere, erroris redarguantur.

SPIRITVS SANCTVS A PATRE ET FILIO PROCEDIT.

Subdit vero his hæc Beda[a]: E

[a] *Bed. lib. 4. c. 18.*

Intererat huic Synodo, pariterq. Catholicæ fidei decreta firmabat vir venerabilis Ioannes archicantor ecclesiæ S. Petri & Abbas monasterij beati Martini, qui nuper venerat a Roma per iussionem Papæ Agathonis, duce reuerendissimo Abbate Biscopo, cognomine Benedicto, cuius supra meminimus. Cum autem idem Benedictus construxisset monasterium Britanniæ in honorem beatissimi Apostolorum Principis iuxta ostium fluminis Vuyri, venit Romam cum cooperatore suo ac socio eiusdem operis Ceolfrido, qui post ipsum eiusdem monasterij Abbas fuit (quod & ante sæpius facere consueuerat) atque honorifice a beatæ memoriæ Agathone susceptus est, petijtq. & accepit ab eo in munimẽtum libertatis monasterij quod fecerat, epistolam priuilegij ex auctoritate Apostolica firmatam, iuxta quod Ecgfridum Regem voluisse, ac licentiam dedisse nouerat; quo concedente & possessionẽ terræ largiente, ipsum monasteriũ fecerat. Accepit & præfatũ Ioannem

A nem Abbatem in Britanniam perducendum, quatenus in monasterio suo cur sum canendi annuum, sicut ad sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret. Egit itaque Abbas Ioannes, vt iussionem acceperat Pontificis, & ordinem videlicet ritumq. canendi ac legendi viua voce præfati monasterij cantores edocendo, & ea quæ totius anni circulus in celebratione dierum festorum poscebat, etiam litteris mandando, quæ hactenus in eodem monasterio seruata & a multis iam sunt circumquaque transcripta. CANTVS ECCLESIASTICVS TRADITVS AB ECCL. ROM. ANGLIS.

Non solum autem idem Ioannes ipsius monasterij fratres docebat, verum de omnibus pene eiusdem prouinciæ monasterijs ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluebant; sed & ipsum per loca, in quibus doceret, multi inuitare curabant. Ipse autem, excepto cantandi vel legendi munere, & aliud in mandatis ab Apostolico Papa acceperat, vt cuius esset fidei Anglorũ Ecclesia, diligenter edisceret, Romamq. rediens referret. Nam
B & Synodum beati Papæ Martini centum quinque Episcoporum consensu* non multo ante Romæ celebratam, contra eos maxime qui vnam in Christo operationem & voluntatem prædicabant, secum veniens attulit, atque in præfato religiosissimi Abbatis Benedicti monasterio transcribendam commodauit*. Tales namque eo tempore Constantinopolitanæ Ecclesiæ fidem multum turbauerant; sed Domino donante, proditi iam tunc & victi sunt. Vnde volens Agatho Papa, sicut in alijs prouincijs, ita etiam in Britannia, qualis esset status Ecclesiæ, quomodo ab hæreticorũ contagijs castus, ediscere, hoc negotium reuerendissimo Abbati Ioanni in Britanniam destinato iniunxit. Quamobrẽ collecta pro hoc in Britannia Synodo, quam diximus, inuenta est in omnibus fides Catholica inuiolata, datumq. illi exemplar eius Romam perferendum.] hactenus Beda, in quo desideratur & alia causa profectionis Ioannis in Britanniam, vt scilicet (quod dictum est) Theodo-
C rum ad Romanam Synodum conuocaret, vt Synodales epistolæ a Romana Synodo Constantinopolim scriptæ docent. Verum quod sciisset Theodorus Romam abijsse S. Vuilfridum, hocq. anno ab Agathone Pontifice auditũ & absolutum, eidem legationem credidit, vt nomine totius Ecclesiæ Anglicanæ Synodo interesset: quod ipsum ostendent, quæ anno sequẽti dicturi sumus. De absolutione Vuilfridi facta ab Agathone Beda[a] testatur. * confessu EXPLORATA FIDES ECCLESIAE ANGLICANAE. * commendauit LEGATIO S. VVILFRIDO CREDITA.

Hoc ipso anno qui præcedit sexcentesimum octogesimum (vt auctor est Beda[b]) per Theodorum Archiepiscopum componitur pax inter Ecgfridum & Edilredum Reges graui prœlio mutuo confligentes. Quid vero valde mirandum tunc acciderit, Beda ipse ita describit: In præfato autem prœlio, quo occisus est Rex Elbuini, memorabile quoddam factum esse constat, quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti (si referatur) fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia eius iuuenis
D vocabulo Imma: qui cum die illo & nocte sequente inter cadauera occisorum similis mortuo iaceret, tandem recepto spiritu reuixit; ac residens, sua vulnera (prout potuit) ipse alligauit: deinde modicum requietus leuauit se, & cœpit abire sic, vbi amicos, qui sui curam agerent, posset inuenire. Quod dum faceret, inuentus est & captus a viris hostilis exercitus, & ad dominum ipsorum, Comitem videlicet Edilredi Regis adductus: a quo interrogatus quis esset, timuit se militem fuisse confiteri: rusticum se potius & pauperem, atque vxorio vinculo colligatum fuisse respondit, & propter victum militibus afferendum, in expeditionem se cum suis similibus venisse, testatus est. At ille suscipiens eum, curam vulneribus egit; & vbi sanari cœpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit, nec tamen vinciri potuit: nam mox vt abiere qui vincierant, eadem sunt eius vincula soluta. DE PACE INTER REGES ANGLORVM PER THEODORVM FACTA.

[a] *Beda lib. 5. c. 20.*
[b] *Bed. lib. 4. c. 23. & supra c. 21. & 22.*

E Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat Tunna, presbyterum & Abbatem monasterij in ciuitate quæ hactenus ab eius nomine Tunnacestir cognominatur: qui cum eum in pugna peremptum audiret, venit quærere, si forte corpus eius inuenire posset: inuentumq. alium illi per omnia simillimum, putauit ipsum esse; quem ad monasterium suum deferens, honorifice sepeliuit, & pro absolutione animæ eius sæpius Missas facere curauit; quarum celebratione factum est quod dixi, vt nullus eum posset vincire, quin continuo solueretur. Interea Comes, qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit, quare ligari non posset, an forte litteras solutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset. At ille respondit, nihil se talium artium nosse: sed habeo fratrem, inquit, presbyterum in mea prouincia, & scio quia ille me interfectum putans, pro me Missas crebras facit; & si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones eius solueretur a pœnis. Dumq. aliquanto tempore apud Comitem teneretur, SACRIFICIVM MISSAE PROFICVVM VIVIS ATQVE DEFVNCTIS.

ani-

animaduerterunt qui eum diligentius considerabant, ex vultu & habitu & sermonibus A
eius, quia non erat de paupere vulgo, vt dixerat, sed de nobilibus.

Tum secrete aduocans eum Comes, interrogauit intentius, vnde esset, promittens se nihil ei mali facturum, si simpliciter sibi, quis esset, proderet. Quod dum ille faceret, ministrum se Regis fuisse manifestans, respondit: Et ego per singula responsa cognoueram, quod rusticus non eras: & nunc quidem dignus es morte, quia omnes fratres & cognati mei in illa sunt pugna interempti: nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi præuaricem. Vt ergo conualuit, vendidit eum Londoniam Fresoni cuidam. sed nec ab illo, nec cum illuc duceretur, vllatenus potuit alligari: verum cum alia atque alia vinculorum genera ei hostes imponerent, dissoluta sunt. Cumq. videret qui emerat, eum vinculis non posse cohiberi, donauit ei facultatem sese redimendi, si posset. A tertia enim hora, quando Missæ fieri solebant, sæpissime vincula soluebantur. At ille dato iure- B
iurando, vt rediret, vel pecuniam illi pro se mitteret, venit Cantiam ad Regem Lodhere, qui erat filius sororis Edildridæ Reginæ (de qua supra dictum est, qui & ipse quondam eiusdem Reginæ minister fuerat) petijtq. & accepit ab eo pretium suæ redemptionis, ac suo domino pro se, vt promiserat, misit.

NVLLIS VALVIT TENERI VINCVLIS.

Qui post hæc in patriam reuersus, atque ad suum fratrem perueniens, replicauit ex ordine cuncta quæ sibi aduersa, quæve in aduersis solatia prouenissent: cognouitq. referente eo, illis maxime temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se Missarum fuerant celebrata solemnia; sed & alia quæ periclitanti ei commoda contigissent & prospera, per intercessionem fraternam & oblationem hostiæ salutaris cælitus fuisse sibi donata, intellexit. Multiq. hæc a præfato viro audientes, accensi sunt in fide ac deuotione pietatis ad orandum, vel ad eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Domino victimas C
sacræ oblationis pro ereptione suorum, qui de sæculo migrauerunt. Intellexerunt enim, quod sacrificium salutare ad redemptionem valeret & animæ & corporis sempiternam. Hanc mihi historiam etiam quidam eorum, qui ab ipso viro, in quo facta est, audiere, narrarunt: vnde eam, quam liquido comperi, indubitanter historiæ nostræ Ecclesiasticæ inserendam credidi.] hactenus Beda.

Hoc eodem anno, tertiodecimo Kalendas Iulij sanctus Adeodatus Episcopus Niuernensis, idemq. eremi cultor, ex hac vita migrauit. Eius res præclare gestas vidimus typis excusas, in quibus non ipsius tantum, sed & aliorum eiusdem temporis illustrium virorum facta narrantur. Scriptæ fuerunt tempore Leonis Noni Romani Pontificis, cui oblatæ, ab eodemq. probatæ leguntur.

IESV CHRISTI ANNVS 680. AGATHONIS PAP. ANNVS 3. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 13. D

ANnus qui sequitur Redemptoris sexcentesimus octogesimus, Indictione octaua inscribitur: quo ab Agathone Pontifice Romæ generalis Synodus veris tempore (puto post Pascha) aduersus Monothelitas coacta est, cui interfuerunt centum viginti quinque Episcopi, qui omnes Synodalibus litteris subscripti leguntur in quarta Actione Sextæ Synodi, vbi eædem recitantur, & nomina singulorum subscribentium Episcoporũ: inter quos legati leguntur missi a Synodo in Gallijs habita, nẽpe Felix Arelatensis, Adeodatus Leucorum Episcopus, & Taurinus diaconus Ecclesiæ Tolonensis. Sed & ex Britannia S. Vuilfridus interfuit Episcopus Eboracensis: ipse enim titulo legationis inter alios subscriptus E
Synodo reperitur, licet primum non legationis, sed appellationis causa eum anno superiori Romam diuina prouidentia perduxisset.

SYNODVS ROMANA SVB AGATHONE PAPA.

Missus namque fuerat in Britanniam (vt testatur Beda[a]) Ioannes archicantor ecclesiæ sancti Petri & Abbas monasterij sancti Martini, & quidem (vt ex epistola ipsius Agathonis Papæ ad Imperatores colligitur) vt Theodorum ipsum Angliæ Primatem vocaret ad Synodum: ait enim [b]: Sperabamus de Britannia Theodorum confamulum atque coepiscopum nostrum, magnæ insulæ Britanniæ Archiepiscopum & philosophum, cum alijs qui ibidem vsque hactenus demorantur, exinde ad nostram humilitatem coniungere.] hæc & alia ad excusationem tarditatis Agatho scribit ad Constantinum & fratres Augustos. Quod autem Theodorus occupatione illius tunc coalescentis magnæ Ecclesiæ minime venire potuisset, Synodum ipse ea de causa aduersus eiusmodi hæreticos

celebrauit

a Bed. lib. 4. c. 18.

VOCATVS FRVSTRA THEODORVS.

b Extat in Sex. Synodo Act. 4.

celebrauit in Anglia (vt dictum est) ex qua legatione videtur decreuisse Vuilfrido, quem alia causa ante annum Romam perduxerat; licet nihil de legatione Beda, qui de eodem Romano Concilio his verbis meminit [a]: Eo tempore idem Papa Agatho cum Synodum congregasset Romæ centum viginti quinque Episcoporum aduersus eos qui vnam in Domino Saluatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocari iussit & Vuilfridum, atque inter Episcopos considentem dicere fidem suam simul & prouinciæ, siue insulæ, de qua venerat. Cumque Catholicus fide cum suis esset inuentus, placuit hoc inter cetera eiusdem Synodi gestis inseri, scriptumq. est hoc modo: Vuilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis ciuitatis, Apostolicam sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertisq. rebus absolutus, & cum alijs centum viginti coepiscopis in Synodo in iudicij sede constitutus, & pro omni Aquilonari parte Britanniæ & Hiberniæ insulis, quæ ab Anglorum & Britonum, necnon Scotorum & Pictorum gentibus incoluntur, veram & Catholicam fidem confessus est, & conscriptione sua corroborauit.] hæc de his Beda: iamq. satis de legationibus e Gallia atque Britannia & alijs Borealibus insulis.

[a] Bed. lib. 5. c. 20.

VVILFRIDVS SYNODO INTERFVIT.

De reliquis modo agamus Episcopis, qui ex Italiæ diuersis Ecclesijs Synodo interfuerũt, de illis inquam, qui celebriori sanctitatis nomine claruerunt. Præter enim Mansuetũ Mediolanensis Ecclesiæ spectatæ sanctitatis Antistitẽ, interfuit etiã Barbatus Beneuentanus in Albũ sanctorũ relatus: itemq. Ioannes Episcopus Bergomas æque sanctitate celebris eidem interfuisse Synodo reperitur, de quo & superius dictũ est. celebrat etiã eũ Paulus diaconus, de quo ista habet [b]: Per idem quoque tempus Ioannes Episcopus Bergomatis Ecclesiæ vir miræ sanctitatis extitit: qui cum Regem Cunibertum in conuiuio, dum sermocinaretur, offendisset, Rex ei ad hospitium reuertenti equum ferocem & indomitum, qui immenso fremitu super se sedentes terræ allidere solebat, præparari fecit: cui cum Episcopus supersedisset, ita mansuetus extitit, vt eum blando incessu vsque ad domum propriã deportaret. Quod Rex audiens, & Episcopũ ex eo die honore debito coluit, & ei suum equũ, quem sua sessione dedicauerat, dono largitus est.] hæc Paulus de Ioanne, qui (vt diximus) eũdem sacrũ Patrum conuentum præsens ornauit; insuper & Decorosus Episcopus Capuanus, qui in numerũ sanctorũ reperitur adscriptus decimaquinta die mensis Februarij. His adde Felicem Spoletinum Episcopum, cuius diem natalem Ecclesia Catholica celebrat decimaoctaua Maij. Sanctus Anastasius præterea Ticinẽsis Episcopus æque sanctitate conspicuus præsens fuit, cuius memoria in Ecclesia colitur trigesima die eiusdem mensis. Interfuerunt & alij præclari virtute Episcopi, adeo vt tanta corona Patrũ eiusmodi Synodus magno fuerit honore digna. Corrigendũ vero (quod obiter dicendum occurrit) vbi post Saturninum Alatrinæ Ecclesiæ Episcopum legitur in cuso codice Valerianus Episcopus Rosanæ Ecclesiæ: sed pro Rosanæ, restitue ex codice scripto, Soranæ: nam etsi cetera deessent testimonia codicum; cũ ipsa subscriptio posita legatur secundum ordinem prouinciarum, nulla ratio persuadet vt post Alatrinum & ante Signinum Rosanus, siue Rosanensis ponatur Episcopus ex Calabriæ prouincia; sed restituendum, Soranus, iuxta nominatum locum ciuitatis Alatrinæ, itemq. Signinæ. Erat præterea Valerianus, siue Valerius, nomen commune satis Soranis ciuibus: nam & ipsa ciuitas dicta a Iuuenale reperitur Domus Valeriorum, eo quod cum colonia illuc est Romanorum deducta, Valeriorum familiæ plurimi migrauerunt. At hæc de nominibus satis.

[b] Paul. diac. lib. 6. c. 2.

EPISCOPI SANCTITATE CLARI QVI SYNODO INTERFVERVNT.

VALERIANVS SORANVS EPISCOPVS.

De rebus autem in hac Synodo gestis, nihil præterea reperitur, nisi epistola Agathonis ad Constantinum Imperatorem & fratres eius de fide Catholica contra Monothelitas, sed & alia epistola ad eosdem nomine totius Synodi de fide Catholica conseruanda. Canon nullus in ea sancitus legitur; quod non ob aliam causam fuerit conuocata, quam ad fidem Catholicam confirmandam, & legationem Constantinopolim ad Synodum œcumenicam decernendam: & cum vtrũque quam diligentissime reperiatur impletum, nihil est quod ab ea amplius fuerit requisitum. Delecti sunt autem in eodem Concilio legati Constantinopolim profecturi, Ioannes Episcopus Portuensis, Abundantius Episcopus Paternensis, & Ioannes Episcopus Regitanus, siue Regiensis: hi tres a Concilio Rom. missi fuerunt; sed & ab Episcopo Rauennate Theodoro missus est Theodorus presbyter. hæc quidem ex Actis ipsius Sextæ Synodi constant. Quod vero Anastasius Bibliothecarius vniuersos qui cum ijsdem profecti sunt legatis recensens, post tres ex dicto Concilio legatos missos, hos addit, dicens: Misit Agatho & Theodorum & Georgium presbyteros, Ioannem diaconum, & Constantinum subdiaconum, Theodorum presbyterum Rauen-

DE REBVS GESTIS IN SYNODO.

natem, atque reliquos seruos Dei monachos] ijdem etiam in litteris Agathonis nominati A
reperiuntur. Sed est sciendum, duas missas esse legationes, ab Agathone Pontifice vnam,
DVPLEX LEGATIO. alteram vero ab ipso Romano Concilio seorsum, licet easdem simul contigerit proficisci.
Testantur id quidem eiusdem Imperatoris litteræ ad Georgium Constantinopolitanum
Episcopum, in quibus & ista leguntur [a]:

a Extant in prælimin. Sextæ Synodi.

Iam enim super hoc adhortati sumus per pios nostros apices adhuc inter viuos existentem & Donum sanctissimum Apostolicæ sedis antiquæ Romæ Præsulem: & illo ex hoc sæculo migrante, Agatho sanctissimus nuper ordinatus Papa in Apostolica sede prædictæ antiquæ Romæ huiusmodi nostros pios suscipiens apices, destinauit in præsenti propriam eius indutos personam Theodorum & Georgium Deo amabiles presbyteros, & Ioannem Deo amabilem diaconum; ex persona vero totius eius Concilij Ioannem & Abundantium & Ioannem venerabiles Episcopos cum ceteris clericis & monachis, &c.] Sicut ergo B
discretæ duæ missæ sunt eodem tempore legationes ad Constantinum ac fratres Imperatores; ita duæ ad eosdem missæ sunt epistolæ, altera priuatim Agathonis Papæ, altera vero eiusdem Agathonis ac Synodi Romæ habitæ, vt earumdem præseferunt *inscriptiones*, quarum prioris sic se habet:

Dominis pijssimis & serenissimis victoribus ac triumphatoribus, carissimis filijs, amatoribus Dei & Domini nostri Iesu Christi, Constantino maiori Imperatori, Heraclio & Tiberio Augustis, Agatho Episcopus seruus seruorum Dei.

Consideranti mihi humanæ vitæ diuersos angores, & ante Deum, qui vnus & verus est,
AGATHONIS EPISTOLA AD IMPPP. cum vehementia fletuum ingementi, vt consolationem animæ fluctuanti diuinæ miseratio-
nis impertiret instinctus, & de profundo mœroris & angustiæ potentia suæ dexteræ sub- C
leuaret: magnam atque mirabilem cum indesinenti gratiarum actione, serenissimi domini
filij, confiteor, consolationis opportunitatem exhibere dignatus est pijssimum tranquillæ manſuetudinis vestræ propositum, quod ad stabilitatem diuinitus commissæ Reipublicæ Christianæ eius concessit dignatio, vt Imperialis virtus atque clementia de Deo, per
b Prou. 8. quem Reges [b] regnant, & qui Rex regum & Dominus dominantium est, & curet & quærat immaculatæ fidei veritatem, vt ab Apostolis atque Apostolicis est Patribus tradita, inquirere vigilanter; atque vt vera traditio continet, instantissime desideret in omnibus Ecclesijs obtinere.

Et ne quemquam tam pia lateret intentio audientium, humanave suspicio perterreret, æstimantium potestate nos esse compulsos, & non plena serenitate ad satisfaciendum super Euangelicæ & Apostolicæ nostræ fidei prædicatione communitos: diuales
apices ad Apostolicæ memoriæ Donum Pontificem nostræ pusillitatis prædecessorem, D
* satisfaciunt cunctis populis ac gentibus per nostrum ministerium patefecerunt ac patefaciunt *, quos gratia sancti Spiritus Imperialis linguæ calamo de puro cordis thesauro dictauit, commonentis, non opprimentis; satisfacientis, non perterrentis; non affligentis, sed exhortantis, & ad ea quæ Dei sunt, secundum Deum inuitantis. Quia & ipse conditor omnium ac Redemptor cum posset in suæ diuinitatis maiestate in sæculum veniendo mortales perterrere, humanitate magis inæstimabilis clementiæ humiliter ad nostra descendens, quos creauit, dignatus est & redimere. Qui & spontaneam de nobis veræ de se fidei confessionem expectat: quod & beatus Petrus Apostolorum princeps commo-
c 1. Petr. 5. net [c]: Pascite, qui in vobis est, gregem Christi non coacte, sed sponte, secundum Deum exhortantes.

His itaque, manſuetissimi rerum domini, diualibus apicibus animatus, & ad spem con- E
* eleuatus solationis de profundis angoribus alleuiatus *, sum meliori refectus confidentia paulatim & his quæ per manſuetissimæ fortitudinis vestræ Sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere; vt personas, quales secundū temporis huius defectum
LEGATI HAVD ADEO IMBVTI SCIENTIIS. ac seruilis prouinciæ qualitatem poterant inueniri, pro obedientiæ satisfactione inquirerem, & cum consilio confamulorum meorum Episcoporum tam de propinqua huius Apostolicæ sedis Synodo, quamq. de familiari clero, amatores Christiani Imperij, & sequenter de religiosis seruis Dei, vt ad pijssimæ tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortarer. Et nisi longos prouinciarum ambitus, in quibus humilitatis nostræ Concilium constitutum est, tanti temporis protelationem ingereret; olim hoc, quod vix tandem nunc fieri potuit, studiosa obedientia noster famulatus impleſſet. Sed dum de diuersis prouincijs familiare nobiscum Concilium congregatur, & dum personas quasdam quidem

de

A de hac ſeruili veſtri ſereniſſimi principatus Romana vrbe vel proxima dirigere procuramus, quaſdam de longe poſitis prouincijs, in quibus verbum Chriſtianæ fidei ab Apoſtolicis exiguitatis meæ prædeceſſoribus miſſi prædicabant, remeare præſtolamur, nō paruus temporum curſus elapſus eſt: vt corporales ægritudines mei famulatus ſilentio tranſeam, quibus nec viuere licet, nec libet aſſiduis ægrimonijs laborantem.] Quem audis, lector, expectatū e longinquis regionibus, hunc fuiſſe ſcias Theodorū in Angliā antea miſſum, qui alijs litteris a Synodo Romana datis nominatim explicatur. Sed pergit de legatis miſſis:

Ideoque, Chriſtianiſſimi domini filij, ſecundum pijſſimam iuſſionem a Deo protegendæ manſuetudinis veſtræ, pro obedientia quam debuimus, non pro confidentia eorū ſcientiæ quos dirigimus, præſentes famulos noſtros Abundantium & Ioannem reuerendiſſimos fratres noſtros Epiſcopos, Theodorum & Georgium dilectiſſimos filios noſtros
B presbyteros cum dilectiſſimo filio noſtro Ioanne diacono & Conſtantino ſubdiacono ſanctæ huius ſpiritalis matris Apoſtolicæ ſedis, necnon & Theodorum presbyterum legatum ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, & religioſos ſeruos Dei monachos cum ſcripturarum cordis deuotione curauimus demandare: nam apud homines in medio gentium poſitos, & de labore corporis quotidianum victum cum ſumma hæſitatione * conquirentes, quomodo ad plenum poterit inueniri ſcripturarum ſcientia, niſi quæ regulariter a ſanctis atque Apoſtolicis prædeceſſoribus & venerabilibus quinque Concilijs definita ſunt, cum ſimplicitate cordis & ſine ambiguitate a Patribus traditæ fidei conſeruamus, vnū ac præcipuum bonū habere ſemper optātes atque ſtudētes, vt nihil de eis quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur vel augeatur, ſed eadē & verbis & ſenſibus illibata a nobis cuſtodiātur?]

RVDE SAECVLVM DEPLORATVR.

* *vel* exercitatione

Intelligis probe, lector, quantum deploret Agatho Pontifex temporis huius bonarum
C litterarum ſterilitatem, cum ob aſſiduos Longobardorum motus, exculta Latinitas & ipſa Italia fœcunda ſcientijs, fuerint omnino ijſdem incultæ & ſteriles redditæ: vt opus fuerit e Britannia Theodorum accerſire Theologum, quem nec habere licuit. Habes præterea ex ijſdem Agathonis Pontificis verbis, in quantam Eccleſiæ redactæ eſſent paupertatem, vt neceſſarium fuerit earum miniſtris corporali exercitatione ſibi victum comparare. Sed & illud pariter obſeruatione dignū conſidera, quod cum in Eccleſia deſunt homines ſacris litteris ſumme eruditi, tunc pro ſecuritate ad tutum portum eſſe confugiendum, nimirum ad prædeceſſorum & ſanctorum ſcripta Patrum in omnibus ſemper & ante omnia antiquis traditionibus firmiter inhærendo. Sed audi reliqua Agathonis epiſtolæ id ipſum præſtantis, dum collectas in vnum ſanctorū Patrum ſententias, & quæ a prædeceſſoribus definita fuiſſent, dedit ijſdem legatis Conſtantinopolim perferenda: nam ſubdit:

QVID AGENDVM, CVM DEEST LITTERARVM PERITIA.

D Quibus portitoribus & teſtimonia aliquorum ſanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſcipit, cum eorum libris tradidimus: vt facultatem ſuggerendi a benigniſſimo veſtræ Chriſtianitatis Imperio conſecuti, ex his dumtaxat ſatisfacere ſtudeant, dū Imperialis manſuetudo percipiat quid hæc ſpiritalis mater eorum ac a Deo propagati Imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat & prædicet, non per eloquentiā ſæcularem, quæ nec ſuppetit idiotis hominibus, ſed per ſinceritatem Apoſtolicæ fidei, in qua & ab incunabulis edocti vſque in finem propagatori veſtri Chriſtiani Imperij cæli Domino omnes nobiſcum deprecantur ſeruire & obedire. Licentiam proinde eis ſiue auctoritatem dedimus apud tranquilliſſimum veſtrum Imperium, dum iuſſerit eius clementia, ſimpliciter ſatisfaciendi, in quantum eis dumtaxat iniunctum eſt, vt nihil profecto præſumant augere, minuere, vel mutare, ſed traditionem huius Apoſtolicæ ſedis, vt a prædeceſſo-
E ribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare.

QVID CONCESSVM LEGATIS.

Pro quibus flexo mentis poplite ſuppliciter veſtram ad manſuetudinem ſemper intentam clementiam deprecamur, vt iuxta benigniſſimam atque auguſtiſſimam Imperialis Sacræ promiſſionem, acceptione eos dignos efficiat Chriſti imitabilis veſtra tranquillitas, atque placabiles auditus eorū humillimis ſuggeſtionibus accommodare dignetur: ſic aures Dei omnipotentis ſuis precibus ad exaudiendum inueniat veſtra manſuetiſſima pietas reſeratas: illæſosq. tam in rectitudine noſtræ Apoſtolicæ fidei, quamq. corporum ſoſpitate in proprijs reſtituere iubeat: ſic reſtituat ſuperna maieſtas per fortiſſimos atque inuictiſſimos labores veſtræ a Deo corroboratæ clementiæ ſub benigni veſtri principatus regimine totam Chriſtianam Rempublicam, & fortiſſimis veſtris ſceptris aduerſas ſubigat nationes, vt ex hoc omni animæ atque omnibus gentibus ſatisfiat: quia quod per auguſtiſſimos apices de immunitate atque illæſione cuntium, Deo ſibi aſpirante, polliceri dignata eſt, adimpleuit in omnibus. Non enim nobis eorū ſcientia confidentiam dedit, vt ad

COMMENDAT LEGATOS.

pia vestra vestigia eos auderemus dirigere, sed hoc Imperialis vestra benignitas clementer iubens hortata est, & nostra pusillitas, quod iussum est, obsequenter impleuit.] hæc prælocutus, subijcit Catholicæ fidei regulam ab omnibus custodiendam, verbis istis: A

FIDEI CATHOLICAE REGVLA.

Vt autem vestræ diuinitus instructæ pietati, quid Apostolicæ nostræ fidei vigor contineat, breuiter intimemus, quam percepimus per Apostolicam Apostolicorumq. Pontificum traditionem, & sanctarum quinque vniuersalium Synodorum, per quas fundamenta Catholicæ Christi Ecclesiæ firmata atque stabilita sunt. Hic igitur status est Euangelicæ & Apostolicæ fidei, regularisq. traditio, vt confitentes sanctam & inseparabilem Trinitatem, id est, Patrem & Filium & sanctum Spiritum, vnius esse Deitatis, vnius naturæ & substantiæ siue essentiæ, vnius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis, potestatis, & gloriæ. Et quicquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur singulari numero, tamquam de vna natura trium consubstantialium personarum, comprehendamus, regulari ratione instituti. Cum vero de vno earumdem trium personarum ipsius sanctæ Trinitatis, Filio Dei, Deo Verbo, & de mysterio admirandæ eius secundum carnem dispensationis confitemur, omnia duplicia vnius eiusdemq. Domini Saluatoris nostri Iesu Christi secundum Euangelicam traditionem asserimus, id est, duas eius naturas prædicamus, diuinã scilicet & humanam, ex quibus & in quibus etiam post admirabilem atque inseparabilem vnitionem subsistit: & vnamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & habere diuinam omnia quæ diuina sunt, & humanam omnia quæ humana sunt, absque vllo peccato: & vtrasque vnius eiusdem Dei Verbi incarnati, id est humanati, inconfuse, inseparabiliter, immutabiliter esse cognoscimus, sola intelligentia quæ vnita sunt discernentes, propter confusionis dumtaxat errorem: æqualiter enim & diuisionis & commixtionis detestamur blasphemiam. B C Cum duas autem naturas, duasq. naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in vno Domino nostro Iesu Christo, non contrarias eas, nec aduersas ad alterutrum dicimus (sicut a via veritatis errantes Apostolicam traditionem accusant: absit hæc impietas a fidelium cordibus) nec tamquam separatas in duabus personis vel subsistentijs, sed duas dicimus vnum eumdemq. Dominum nostrum Iesum Christum, sicut naturas, ita & naturales in se voluntates & operationes habere, diuinã scilicet & humanam: diuinam quidem voluntatem & operationem habere ex æterno cum coessentiali Patre communem, humanam temporaliter ex nobis cum nostra natura susceptam.

Hæc est Apostolica atque Euangelica traditio, quã tenet spiritalis vestri feliciſſimi Imperij mater Apostolica Christi Ecclesia: hæc est mera confessio pietatis: hæc est Christianæ religionis vera atque immaculata professio, quã non humana adinuenit versutia, sed Spiritus sanctus per Apostolorum Principes docuit. hæc est firma & irreprehensibilis sanctorum Apostolorum doctrina, cuius sinceræ pietatis integritas quoadusque libere * prædicatur in Republica Christiana, vestræ tranquillitatis Imperium tuebitur stabilitum, & exultans & felix (vt perfecte * confidimus) demonstrabit. Credite humillimo mihi, Christianissimi domini filij, quia pro stabilitate & exultatione eius has cum fletibus preces effundo. Et hæc (licet indignus & exiguus) sinceriter diligendo, præsumo consulere: quia vestra a Deo concedenda victoria, nostra salus est: vestræ tranquillitatis felicitas, nostra lætitia est: vestræ mansuetudinis sospitas, nostræ paruitatis securitas est. D

* libenter

* profecto

Et ideo cũ corde contrito & profluentibus lacrymis, mente prostratus exoro, porrigere dignemini clementissimam dexteram Apostolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum vestrorum beatus Petrus Apostolus tradidit, non vt sub modio condatur, sed vt E tuba clarius in toto orbe prædicetur: quia eius vera confessio a Patre de cælis est reuelata, pro qua a Domino omnium [a] beatus esse pronunciatus est Petrus, qui & spiritales oues Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit. Cuius adnitente præsidio, hæc Apostolica eius Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte defiexa est: cuius auctoritatem, vtpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesq. venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem doctores Orthodoxi venerati atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odijs insecuti.

a Matth. 16.

ROMANAE ECCLESIAE PRAECONIA.

Hæc est Apostolorum Christi viua traditio, quam vbique eius tenet Ecclesia, quæ præcipue diligenda atque fouenda & fiducialiter prædicanda est: quæ per veridicã confessionem

A nem Deo conciliat, quæ & Christo Domino commendabilem facit: quæ clementiæ vestræ Christianum conseruat Imperium: quæ a cæli Domino largas victorias vestræ pijssimæ fortitudinis confirmat: quæ comitatur in prœlijs, & expugnat aduersos: quæ vestrum a Deo propagatum Imperium vbique vt murus inexpugnabilis protegat: quæ terrorem in contrarias nationes immittat, & ira diuina percellat: quæ & in bellis triumphales palmas de hostium deiectione atque subiectione cælitus tribuat, & in pace securum & hilarem vestrum fidelissimum principatum semper custodiat.

Hæc est enim vera fidei regula, quam & in prosperis & in aduersis viuaciter tenuit ac defendit: hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed vt ab exordio fidei Chri-
B stianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permanet secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationē, quam suorum discipulorum principi in sacris Euangelijs fatus est[a]: Petre, Petre, inquiens, ecce Satan expetiuit vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum: quorum & pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto tamen diuina dignatione ministerio pedissequa cupit existere. Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi sinceriter prædicarunt, prædicare neglexero.]

[a] *Luc.* 22.

OMNES ROMANI PONTIFICES IMMVNES AB HAERESI.

C Audisti, lector, quam libere asserat, ac fortiter inculcet, firmiterq. asseueret sanctissimus Agatho Papa, nulla hæreticæ prauitatis suspicionis labe hactenus aspersam fuisse Apostolicam sedem, nullum prædecessorem defecisse a Catholicæ pietatis assertione atque defensione. At quomodo ista tam libere potuisset tantus Pontifex contestari, si in eadem hæresi, quam sua epistola ipse Agatho adeo valide infectatur, Honorius, cuius recens adhuc memoria erat, ijsdem hæreticis ignominiose manus dedisset, & eumdem cum illis errorem confouisset? Sed quæ Agatho, hæc ante ipsum sanctus Martinus Papa & martyr, & successores qui posthac fuerunt summi Pontifices, vt Nicolaus & alij, eadem pariter libertate atque securitate professi sunt: id ipsum (ne longius recedamus) & ipsa Romana Synodus centum viginti quinque Episcoporū hoc anno Romæ celebrata in sua ad eosdem Imperatores scripta Synodali epistola profitetur. Videas ergo, quam inconsiderate agant,
D qui hæresis accusant Honorium Papam. Sed de his satis superius diximus in Honorio, in Ioanne eius successore, necnon in Theodoro Romanis Pontificibus, sed & inferius dicturi sumus. Pergit vero Agatho:

HONORII FIDES CATHOLICA COGNITA.

Væ mihi erit, si silentio texero veritatem, quam erogare nummularijs iussus sum, id est, Christianum populum imbuere & docere. Quid dicam in ipsius Christi futuro examine, si hic (quod absit) prædicare eius sermonum veritatem confundor? Quid de me ipso, quid de commissis animabus satisfaciam, dum de officio suscepto rationem districtam exegerit? Quis igitur, clementissimi atque pijssimi domini filij (quod tremens & consternatus spiritu dico) non prouocetur illa admirabili pollicitatione, qua fidelibus repromittit[b]: Qui me confessus fuerit coram hominibus, inquiens, confitebor & ego eum co-
E ram Patre meo, qui in cælis est? Et quem infidelium saltem non perterreat illa seueriissima comminatio, qua indignaturum se protestatur & asserit, inquiens: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est? &c.] Post hæc rursum prædecessorum diligentiam commendans in admonendis Episcopis Constantinopolitanis, & horū condemnans improbitatem in assertione vnius voluntatis & operationis in Christo, doctrinam Catholicam rursus inculcans, eamdem tum diuinæ Scripturæ, tum sanctorum Patrum assertionibus testatam reddit; addens, hæreticorum dumtaxat esse vnam voluntatem & operationem in Christo fateri, quos ista delirantes nominatim recensetet: nos autem ea cuncta referre prolixitatis nimiæ vitandæ causa definimus.

ROM. PONTIFICIS ESSE IMPP. MONERE.

[b] *Matth.* 10. *Marc.* 8. *Luc.* 12.

Quorum omnium recensitis ineptijs, huiusmodi argumento idem Agatho compellat eosdem Imperatores: Attendat igitur, inquit, a Deo institutum vestræ clementiæ fastigium interno discretionis illius oculo, quem ad dispensandum populos Christianos, diuina gratia illustrante, percipere meruit, quemnam talium doctorum sequendum censeat

HAERETICORVM SEMPER INCONSTANS SENTENTIA.

populus Christianus, cuius horum doctrinam debeat amplecti, vt possit saluari, qui & A
omnes & alterutrum vnusquisque eorum condemnat, sicut variæ eorum & instabiles definitiones in scriptis asseuerant, modo vnam voluntatem & vnam operationem, modo nec vnam nec duas operationes, modo & vnam voluntatem & operationem, & rursum duas voluntates & duas operationes, itemq. vnam voluntatem & vnam operationem, & denuo nec vnam nec duas, & aliàs vnam & duas] secundum assertiones recensitas diuersorum hæreticorum. Digna plane tanto Pontifice Romano sententia, qua vna quis possit omnes hæreses confutare, dum nemo inueniet alicuius hæresis sectatores in vna eademq. sententia fuisse perstantes, sed mobiles & quoquouersum volubiles: contra vero (quod vna sit veritas) Catholicorum vna eademq. fuit & erit in omnibus, de quibus est dubitatum, assertio. At eosdem rursus Imperatores hortans, hæc subdit:

* exæstuans

Quis existimans*, pijssimi domini, tantæ cæcitatis errores non abominetur & caueat, B
si vtique saluari desiderat, & immaculatam suæ fidei rectitudinem venienti Domino cupit offerre? Eximenda proinde ac summis conatibus cum Dei præsidio liberanda est sancta Dei Ecclesia Christianissimi vestri Imperij de talium doctorum erroribus, vt Euangelicam atque Apostolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata est super firmam petram huius beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiæ, quæ eius gratia atque præsidio ab omni errore illibata permanet, omnis Præsulum numerus ac sacerdotum, cleri, ac populorum vnanimiter ad placendum Deo, animamq. saluandam, veritatis formulam Apostolicæ traditionis nobiscum confiteatur & prædicet.

Hæc autem nostræ humillimæ suggestioni innectere curauimus, afflicti atque incessabiliter ingementes de tantis Ecclesiæ sacerdotũ erroribus propria magis quærentium, quam C
veritatem fidei statuere, & fraternæ admonitionis sinceritatem ad proprium contemptum pertinere censentium, non inuido (sicut Deus testis est) animo, neque per elationẽ iactantiæ, neque per contentionis aduersitatem, neque inaniter eorum doctrinam cupientes reprehendere, neque quamlibet quis suspicetur humanæ delectationis arrogantiam, sed pro ipsius veritatis, in qua saluari nos confidimus, rectitudine, & pro ipsius puræ Euangelicæ confessionis regula, pro salute videlicet animarum, ac Reipublicæ Christianæ stabilitate, pro sospitate Romani Imperij gubernacula dispensantium meæ humilitatis Apostolicos prædecessores commonuisse, rogasse, increpasse, obsecrasse, arguisse, & omnem modum exhortationis exercuisse, quatenus medelam posset recens vulnus accipere.

Nec post inoliti erroris diuturnitatem a commonitione siluerunt, sed semper hortati sunt ac contestari, & hoc ex fraterna charitate, non per malitiam vel pertinaciam odiosam (Absit, absit a corde Christiano, vt in alterius lapsum grassetur, cum Dominus om- D
nium doceat[a]: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: qui gaudet[b] super vnum pœnitentem magis, quam supra nonagintanouem iustos: qui ad liberandam ouem perditam, suæ maiestatis inclinans potentiam, de cælis ad terras descendit) sed expansis spiritualibus vlnis optantes atque exhortantes eos in Orthodoxæ fidei vnanimitate remeantes amplecti, eorumq. conuersionem ad integram Orthodoxæ fidei rectitudinem præstolantes: quatenus nostro consortio, immo beati Petri Apostoli, cuius licet indigni ministerio fungimur, & traditionis formulam prædicamus, se ipsos non facerent alienos, sed concorditer nobiscum immaculatam hostiam pro stabilitate fortissimi ac serenissimi Imperij indesinenter Christum Dominum exorent.

a Ezech. 18.
b Luc. 15.

Credimus, pijssimi rerum domini, nullam ambiguitatis caliginem remansisse, quæ ad discernendum possit obsistere, quod secuti sunt noui dogmatis inuentores. Nam & sua- E
uitas spiritalis intelligentiæ, quã Patrum redolent dicta, coram oculis constituta, & hæreticorum abominabilis fœtor ab omnibus fidelibus aspernandus innotuit. Et quia noui dogmatis inuentores, hæreticorum sectatores ostensi sunt, & non sanctorum Patrum pedissequi, nec hoc remansit incognitum. Igitur quantumcumque suum colorare velit quisquam errorem, a luce veritatis arguitur, sicut & Apostolus Gentium docet[c]: Omne quod reuelatur, lumen est: quia veritas constans semper & eadem permanet, semper autem falsitas variatur, & sibi ipsi, variando, approbatur ac redarguitur esse contraria. Ex hoc enim & sibi ipsis aduersa docuisse noui dogmatis inuentores ostensi sunt, quia Euangelicæ atque Apostolicæ fidei sectatores esse noluerunt.

c Ephes. 5.

Quapropter quia & veritas claruit a Deo inspiratis vestræ pietatis obtutibus, & falsitas denotata, & qua digna est, abominationem consecuta: restat vt a Deo coronatæ vestræ

clementiæ

A clementiæ pijs fauoribus victoriæ coronam redimita veritas fulgeat, & nouitatis error cum suis inuentoribus, & his quorum doctrinam secuti sunt, propriæ præsumptionis pœnam exoluant, & de medio Orthodoxorum Antistitum pro suæ nouitatis hæretica prauitate pellantur, quam intra vnam sanctam Catholicam atque Apostolicam Christi Ecclesiam conati sunt introducere, & indiuiduum atque illibatum corpus Ecclesiæ contagione prauitatis hæreticæ maculare. Nec enim æquum est, vt nocentes innocentibus noceant, aut immunes aliorum delicta percellant; cum & si in hoc sæculo condemnatis parcatur, sicut ipsi quibus parcitur, nullum in Dei iudicio sentiunt parcendo beneficium, ita parcentibus non minimum ingerunt pro illicita compassione periculum. VT PELLANTVR HAERETICI, MONET AGATHO.

Hæc autem ideo Deum omnipotentem felicibus vestræ mansuetudinis ad emendandum credimus reseruasse temporibus, vt locum & zelum ipsius Domini nostri Iesu Chri-
B sti, qui vestrum Imperium coronare dignatus est, facientes in terris, pro eius Euangelica atque Apostolica veritate iustum iudicium proferatis: quia dum humani generis Redemptor atque Saluator sit iniuriam passus, nuncusque sustinuit, vestræq. fortitudinis aspirauit Imperio, vt eius fidei causam, sicut æquitas exigit, & sanctorum Patrum, sacrarumq. generalium quinque Synodorum decreuit institutio, exequi dignemini, & Redemptoris ac conregnatoris iniuriam de suæ fidei contemptoribus per eius præsidium vlciscamini, propheticum illud vaticinium cum Imperiali clementia magnanimiter adimplentes, quo Rex & propheta Dauid ad Deum loquitur [a]: Zelus domus tuæ, inquiens, comedit me. Vnde pro tali Deo placito zelo collaudatus, illam beatam vocem audire a Creatore omnium meruit [b]: Inueni Dauid virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. Cui & in Psalmis pollicetur [c]: Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi
C eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. vt cuius causam conflagranti studio elaborat Christianæ clementiæ vestræ pijssimus principatus efficere, remunerationis gratia omnes actus fortissimi eorum Imperij felices & prosperos faciat, qui in suis sacris Euangelijs repromittit, inquiens [d]: Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.

[a] Psal. 68. [b] Act. 13. [c] Psal. 98. [d] Matth. 6.

Omnes enim, ad quos sacrorum apicum peruenit notitia, & quia sic benigniter augustæ magnanimitatis vestræ mansuetudinis est demonstratus intentus, innumeras gratiarum actiones & incessabiles laudes, admirati de tanta clementiæ magnitudine, propagatori vestri fortissimi Imperij persoluerunt: quia vere vt pijssimi & æquissimi Principes, quæ Dei sunt, cum Dei timore dignati estis peragere, omnem immunitatem a nostra paruitate dirigendis personis polliciti. Et confidimus, quia quæ promisit vestra pia clementia,
D potens est efficere: quatenus quod Deo a vestræ Christianitatis Imperio religiosa humanitate deuotũ est & promissum, nihilominus eius auxiliante omnipotentia impleatur. Vnde & laus ab omnibus nationibus Christianis, & perennis memoria, & frequens oratio pro sospitate, triumphalibus ac perfectis victorijs concedendis, ante Christum Dominum, cuius causa est, effundatur: quatenus supernæ maiestatis terrore perculsæ gentium nationes, sub sceptris vestri robustissimi principatus humiliter colla prosternant, vt pijssimi vestri regni continuetur potentia, dum temporali Imperio æterni regni succedit perennis felicitas.

Nec enim poterit aliud simillimum inueniri, quod vestræ inuictissimæ fortitudinis diuinæ maiestati commendet clementiam, quam vt repulsis a regula veritatis erroribus, Euangelicæ atque Apostolicæ nostræ fidei vbique illustretur & prædicetur integritas. QVID MAGIS COMMENDET PRINCIPEM.
E Propterea, pijssimi & a Deo instructi domni filij, si hanc sacrarum Scripturarum, venerabilium Synodorum, spiritualium Patrum irreprehensibilem Apostolici dogmatis regulam, iuxta Euangelicam eorum intelligentiam, per quam veritatis nobis formula, Spiritu referante, monstrata est, Constantinopolitanæ Præsul Ecclesiæ tenere nobiscum ac prædicare delegerit, pax [e] multa erit diligentibus nomen Dei, & vllum non remanebit dissensionis scandalum, & fiet quod est in Actibus [f] Apostolorum, dum per gratiam sancti Spiritus populus ad cognitionem Christianitatis accesserit, omnibus nobis cor vnum & anima vna.

[e] Psal. 118. [f] Act. 4.

Sin autem (quod porro longe sit) nouitatem nuper ab alijs introductam amplecti maluerit, & alienis a regula veritatis Orthodoxæ atque Apostolicæ nostræ fidei sese irretire doctrinis, quam vtpote animabus noxiã declinare indesinenter ab Apostolicis meæ humilitatis prædecessoribus exhortati atque commoniti vsque hactenus distulerunt: ipse no-

uerit,

uerit, quod de tali contemptu in diuino Christi examine satisfaciet apud Iudicem om- A
nium, qui in cælis est, cui & nos ipsi pro suscepto veræ prædicationis ministerio, vel præ-
sumptione Christianæ religioni contraria, dum ad iudicandum aduenerit, reddituri su-
mus rationem: nobisq. (quod suppliciter exoro) liceat Apostolicam atque Euangelicam
rectæ fidei regulam, vt ab exordio percepimus, inconeusse & libere cum simplici puritate
integram atque illibatam seruare.

Proinde vestræ augustissimæ serenitati pro affectu ac reuerentia Catholicæ atque Apo-
stolicæ rectæ fidei ab ipso conregnatore Christiani Imperij a Domino nostro Iesu Christo,
cuius veram confessionem intemeratam cupitis conseruare, perfecta piorum laborum re-
portabitur * merces: quia nihil in aliquo neglectum est, vel omissum a vestra a Deo coro- * reputabitur
nata clementia, quod non possit salua integritate vestræ fidei ad Ecclesiarum concordiam
pertinere. quia Iudex omnium Deus propositum mentis exquirit, & studium pietatis ac- B
ceptat, qui causarum exitus, sicut expedire iudicat, & dispensat.

PRECES ENIXAE PONTIFICIS.

Obsecro itaque, pijssimi ac clementissimi Augusti, atque vna cum mea exiguitate omnis
anima Christiana flexo genu suppliciter deprecatur, vt omnibus Deo placitis bonis, at-
que admirandis Imperialibus beneficijs, quæ per eorum Deo acceptabile studium super-
na dignatio humano generi concedere dignata est, etiam hoc ad reintegrationem perfe-
ctæ pietatis conregnatori Christo Domino hostiam acceptabilem offerre iubeatis, ver-
bum impunitatis concedentes, & liberam loquendi facultatem vnicuique loqui volenti, &
verbum impendere pro fide quam credit & tenet: quatenus ab omnibus manifestissime
cognoscatur, quod nullo terrore, nulla potestate, nulla comminatione vel auersione quis-
quam pro veritate Catholicæ & Apostolicæ fidei loqui volens, prohibitus aut repulsus est:
quatenus omnes vnanimiter pro tanto & tam inæstimabili bono per cunctum suæ vitæ spa- C
tium diuinam maiestatē glorificent, & pro incolumitate atque exaltatione fortissimi vestri
Imperij vnanimiter incessabiles Christo Domino preces effundant. *Et subscriptio*. Pijssi-
morum dominorum Imperium gratia superna custodiat, eisq. omnium gentium colla sub-
sternat.] hactenus epistola Agathonis Papæ: qui cū statum Ecclesiæ Orientalis deplora-
tissimum esse sciret, ad consarcinandam scissam penitus communionem Catholicam ma-
gnis opus esse remedijs intelligens, enixius (vt vidisti) Imperatores precibus interpellat,
veritus ne quid accideret aduersus legatos Apostolicos, cum non ignoraret quid alias ad-
uersus eosdem, immo & aduersus Romanos Pontifices S. Siluerium, Vigilium, atque san-
ctum Martinum ab Imperatoribus sacrilege factum esset. Ita igitur ea animi summissione,
non deiectione humiliat se adeo Imperatori Agatho Pontifex, vt iacentem protritam pe-
nitus Orientalem Ecclesiam erigat. D

Sicut autem (vt dictum est) duæ legationes Romam missæ sunt ad Imperatorem Con-
stantinopolim, altera ab Agathone Pontifice, a Synodo altera: ita & duæ epistolæ ad
ipsum & fratres eius consortes Imperij eisdem legatis datæ fuere, altera ab eodem Aga-
thone Papa, altera vero ab ipsa Synodo centum vigintiquinque Episcoporum: ita tamen,
vt ipse qui præerat Synodo Agatho, idem primo loco in eadem epistola sit inscriptus in
hunc modum:

SYNODALIS EPISTOLA EX CONCIL. ROM.

Pijssimis dominis & serenissimis victoribus ac triūphatoribus dilectis filijs Dei & Do-
mini nostri Iesu Christi Constātino magno Imperatori, Heraclio & Tiberio Augustis, Aga-
tho Episcopus seruus seruorum Dei, cum vniuersis Synodis subiacentibus Concilio Apo-
stolicæ sedis.] hæc idcirco de Synodis, quod scilicet contigisset (vt diximus) ea de re mo-
nitos ab ipso Agathone Ecclesiæ Occidentalis Episcopos in diuersis prouincijs Synodos E
celebrasse. Quænam prouincia expers Synodi esse potuit, si in Britannia in Anglicana
Ecclesia fuit etiam celebrata? Et post multa, ista subiungentes aiunt: Credimus autem,
quia quod paucis raroq. concessum est, a Deo coronato vestro Imperio diuinitus conce-
detur, & per ipsum Catholicæ & Apostolicæ veræ nostræ fidei splendidissimum in om-
nium mentibus emicet lumen, quod ex veri luminis fonte, tamquam de radio viuifici ful-
goris, per ministros beatos Petrum & Paulum Apostolorum principes, eorumq. discipulos
& Apostolicos successores gradatim vsque ad nostram paruitatem, Dei opitulatione ser-
uatum est, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confœ-
datum, nec intermixtis hæreticis prauitatibus velut caliginosis nebulis perumbratum,
immune atque sincerum & suis radijs perlustratum pijssimis conatibus conseruare cupit
vestrum a Deo coronatum fastigium.

In

A In hoc enim tam Apoſtolicæ ſedis quamq. noſtri exigui famulatus prædeceſſores vſque hactenus non ſine periculis deſudarunt, nunc decretali commonitione cum Apoſtolicis Pontificibus conſulentes, nunc Synodali definitione, quæ veritatis regula continebat, omnibus innoteſcentes; & terminos, quos tranſgredi nefas eſt, vſque ad animæ ipſius exitum conſtanter defendentes, non ſeducti blanditijs, non periculis territi, vt illam in Euangelijs Domini noſtri ſententiam operibus demonſtrarent, qua ſententialiter præcipit, dicens [a]: Qui me confeſſus fuerit corã hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui in cælis eſt. & ſubſequenti pœna deterret, quia ſeuere comminatur: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eũ corã Patre meo, qui in cælis eſt. Execratur enim vera confeſſio pietatis iuxta diuerſitates temporum variari, ſicut nec ipſe varietatem admittit, de quo eſt ipſa vera confeſſio, qui dicit [b]: Ego ſum, & non ſum mutatus. [a] *Matth.* 10. *Marc.* 8. *Luc.* 12. [b] *Malach.* 3.

B Igitur quia tranquilliſſimæ fortitudinis veſtræ clementia perſonas de Epiſcopali numero dirigi iuſſit vita atque ſcientia omnium ſcripturarum præditas: de vitæ quidem puritate, quamuis quiſquam munditer vixerit, confidere tamen non præſumit: perfecta vero ſcientia ſi ad veræ pietatis ſcientiam redigatur, ſolius * eſt veritatis cognitio: ſi ad eloquentiam ſæcularem, non æſtimamus quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiæ glorietur: quandoquidem in noſtris regionibus diuerſarum gentium quotidie æſtuat furor, nunc confligendo, nunc diſcurrendo ac rapiendo. Vnde tota vita noſtra ſolicitudinibus plena eſt, quos gentium manus circumdat, & de labore corporis victus eſt, eo quod priſtina Eccleſiarum ſuſtentatio paulatim per diuerſas calamitates deficiendo ſuccubuit: & ſola eſt noſtra ſubſtantia fides noſtra, cum qua nobis viuere, ſumma eſt gloria: pro qua etiam mori, lucrum æternum eſt. Hæc eſt perfecta noſtra ſcien- * ſola STATVS MISERANDVS ECCLESIARVM OCCIDENTALIVM.

C tia, vt terminos Catholicæ atque Apoſtolicæ fidei, quoſq. hactenus Apoſtolica ſedes nobiſcum & tenet & tradit, tota mentis cuſtodia conſeruemus, credentes in Deum, &c.] integram enim ſubijciunt fidei Catholicæ confeſſionem.

Porro in ea, quæ a ſancta Synodo in eadem Synodali epiſtola ſcribitur, Catholicæ fidei ſincera confeſſione ſtylus ſcribarum mendax operatus eſt falſitatem: dum enim ibi legeretur: Credimus & in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificatorem, ex Patre Filioq. procedentem] abraſo nomine, Filioque, a Patre procedentem tantum, relictum eſt. Detecta fuit eiuſmodi impoſtura Græcorum in Concilio Florentino a Iuliano S.R.E. Cardinale in diſputatione quam habuit contra Græcos: quod ipſum longe ante Iulianum aduertit & ſugillauit Emmanuel Caleca Græcus auctor in commentarijs aduerſus Græcorum errores conſcriptis. Hæc ingerimus, & conſideranda tibi lector veritatis cultor ob GRAECI CORRVPTORES SEX. SYNODI.

D oculos ponimus, ne mirum adeo tibi ſit, cum in nonnullis alijs, in ijſq. præſertim quæ de Honorio Romano Pontifice tradunt, a Græcis eſſe deprauata dicemus. Deſcripta vero integra Catholicæ fidei regula, hæc ad finem ipſius habent:

Hanc igitur meræ Catholicæ atque Apoſtolicæ confeſſionis regulam & ſanctum Concilium, quod in hanc Romanam vrbem ſeruilem veſtri Chriſtianiſſimi Imperij ſub Apoſtolicæ memoriæ Martino Papa conuenit, prædicaſſe ſynodice, ac conſtanter defendiſſe, omnes nos (quiſquis vbique eſt) humillimi Eccleſiarum Chriſti Antiſtites cognoſcimus: in qua & noſtræ paruitatis prædeceſſores conuenientes, Apoſtolicam confeſſionem, quam a principio perceperunt, etiam Synodali præconio prædicarunt, & abſque cuiuſpiam nouitatis errore citra ambiguitatem determinarunt, &c.] multa addunt, quæ & in ſuperiori æque reperiuntur epiſtola Agathonis.

E Demum vero, quid auctoritatis traditum ſit legatis Conſtantinopolim profecturis, ita declarant: Perſonas autem de noſtræ humilitatis ordine præuidimus dirigere ad veſtræ a Deo protegendæ fortitudinis veſtigia, quæ omnium noſtrum, id eſt, vniuerſorum per Septemtrionales vel Occiduas regiones Epiſcoporum ſuggeſtionem, in qua & Apoſtolicæ noſtræ fidei confeſſionẽ prælibauimus, offerre debeant; non tamen tamquam de incertis contendere, ſed vt certa atque immutabilia compendioſa definitione proferre: ſuppliciter obſecrantes, vt a Deo coronato veſtro Imperio fauente, hæc eadem omnibus prædicari, atque apud omnes obtinere iubeatis, &c.] plura ſubdũt in cõmendatione legatorũ. QVID LEGATIS CONCESSVM AGERE.

Sed vel hac ex parte etiã de Honorij cõdẽnatione, quæ in Actis Sextæ Synodi reperitur, tu lector detegas impoſturã. Quonã pacto, rogo te, legati, quibus vetitum eſt diſputare, ſed ſolũ bene ſancita in Romana Synodo proferre, ijdẽ tantũ ſibi ſumpſerint auctoritatis, vt de cauſa Honorij Papæ diſſererent, immo inconſulta Romana Synodo, ipſoq. Romano Pontifice IMPOSTVRA DETEGITVR.

tifice Agathone, damnare (quod hactenus inauditum fuit) insigni temeritate præsume- A
rent? Num, quantumuis perfrictæ frontis illi fuissent, de his ante consulere Agathonem, omittere potuissent? Sed de his alias.

Quod igitur (vt dictum est) non disputandi gratia, sed docendi quæ esset Catholica fides, Romanum Concilium, necnon ipse Pontifex legatos mitterent; in ijsdem Synodalibus litteris eiusmodi sententiam subijciunt indelebilem: Quicumque proinde sacerdotum hæc, quæ in hac nostræ humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter prædicare desiderant: vt nostræ Apostolicæ fidei concordes, vt consacerdotes & comministros eiusdem fidei, & (vt simpliciter dicamus) vt spiritales fratres & coepiscopos nostros suscipimus. Qui vero hæc confiteri noluerint, vt infestos Catholicæ atque Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus: nec aliquando tales in nostræ humilitatis collegio, nisi correctos suscipere patimur, &c.] hæc S. Synodus, quæ Synodali eidem B
epistolæ omnium qui Synodo interfuerunt nomina Episcoporum vna cum eorumdem singulorum subscriptione subijci voluit: quæ omnia in Sexta Synodo Actione quarta habentur intexta.

QVI RECIPIENDI SINT AB APOSTOLICA SEDE, ET QVI SECVS.

In hac præterea Synodo actum esse de subiectione Rauennatis Ecclesiæ Romano Pontifici, ex Anastasio intelligere possumus: haud enim contumacia illa a Mauro Episcopo cœpta, & vsque ad Theodorum eiusdem ciuitatis Episcopum propagata, eius generis erat, vt dissimulari aliquo modo posset. Quonam pacto ista de Rauennate Episcopo ferrent Romani Pontifices, qui eiusmodi rei causa hactenus aduersati fuerant Constantinopolitanis Episcopis, non se ab obedientia & subiectione Apostolicæ sedis subtrahentibus, sed alijs se præferentibus sedibus, vt sæpe superius dictum est? Quod igitur Rauennatis Ecclesiæ Annales habent, sequenti anno subiecisse omnino se Rauennatem Ecclesiam Romanæ: C
haud aliter quam arbitrio sanctæ Synodi id esse factum, æquum est existimare. Quomodo non oportuit de his actum esse in Synodo, si eidem reperitur interfuisse Rauennatis Ecclesiæ Theodorus Episcopus? Immo non ob aliam causam venisse Theodorum Romam ad Agathonem Pontificem, nisi vt se illi subijceret, testatur Anastasius. quod cum hoc anno factum sit, quo Synodus Romæ est celebrata, eodem pariter anno restitutionem Rauennatis Ecclesiæ ad Catholicam & Apostolicam communionẽ referendam putamus.

DE ECCLESIA RAVENNATE ROMANAE SVBIECTA.

Cum autem adeo honorificus Patrum conuentus absolutus summa concordia esset; qui decreti fuerant a S. Synodo & ab Apostolica sede legati, Constantinopolim profecti sunt æstatis tempore, peruenerunt q. illuc ad finem mensis Augusti, vel inchoato Septembri, vt colligitur ex Sacra Imperatoris ad Georgium Patriarcham, de qua proxime acturi sumus. Venerunt quidẽ expectati diu: etenim iam ferme biennium elapsum videbatur, ex quo ad D
prædecessorem Agathonis Donum Papam ipse Constantinus Imp. litteras dederat. Quomodo vero qui a Cõcilio Romano & Agathone Pontifice missi sunt legati, bene habiti fuerint ab Imperatore, ex ijs quæ de ipsis scribit Anastasius Bibliothecarius, intelligere possumus: sic enim se habent: Suprascripti vero Missi sedis Apostolicæ, qui directi fuerant, regiam vrbem ingredientes die decima mensis Nouembris, nona Indictione, Domino solatiante, atque Principe Apostolorum comitante, suscepti sunt a Principe in oratorio intra palatium, porrigentes ei & scripta Pontificis. Quæ cum suscepisset, commonuit eos atque adhortatus est, vt non per schisma aut furorem, sed pacifica dispositione, remittentes philosophicas assertiones, puram sanctarum Scripturarum Patrumq. probatam fidem per Synodalia decreta satisfacerent; & tribuens eis inducias ad tractanda scripta, tribuit eis omnia quæ ad sustentationem sufficiebant in eorum expensas, in domo quæ E
Placidias dicebatur.

LEGATI PERVENIVNT CONSTANTINOPOLIM.

Die decimooctauo suprascripti mensis, die Dominico, aduocati sunt in processione ad sanctam Dei genitricem in Blachernis in tanta honorificentia, vt etiam de palatio cabal-los stratos dirigeret cum obsequio pietas Imperialis, vt sic eos susciperet, ea ipsa commonens, vt pacifica assertione testimonia venerabilium Patrum proponerent.] hæc sunt quæ Synodum præcesserunt. Sed in eo (vt dictum est) corrigendus omnino Anastasius, siue codex deprauatus emendandus, dum habet aduentum legatorum Constantinopolim contigisse die decima mensis Nouembris: repugnant his enim Acta Synodalia ipsius Sextæ œcumenicæ Synodi, quibus constat eam inchoatam hoc anno fuisse die septima mensis Nouembris, cum iam eidem præsentes essent dicti Apostolicæ sedis legati. quamobrem corrigendũ est, vt dicere debeat, decima die Septembris. Si enim epistola scripta ab Imperatore

QVI HONOR LEGATIS EXHIBITVS.

A ratore ad Georgium Patriarcham Constantinopolitanum post aduentum legatorum, data habetur quarto Idus Septembris : certe ante illud tempus oportuit peruenisse legatos Constantinopolim. Vbi enim Constantinopolim peruenerunt Apostolicæ sedis legati, confestim Imperator Constantinus epistolã dedit, seu edictum inscripsit ad ipsum Patriarcham Constantinopolitanum, quo significauit, vt quantocyus Metropolitani Episcopi iuberentur se conferre Constantinopolim. est autem eius ista inscriptio [a] :

[a] Extãt in præambulis Sextæ Synodi.

In nomine Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, Imperator pius pacificus Fl. Constantinus, fidelis in Iesu Christo Deo, Georgio sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo Constantinopoleos & vniuersali Patriarchæ. Data quarto Idus Septembris Constantinopoli, imperante domino pijssimo perpetuo Augusto Constantino Imperatore anno vigesimooctauo*, & post Consulatum eius anno duodecimo*.] sed corrigas vt in margine

*XIII
*XIII.

B ex Actis ipsis Sextæ Synodi. Epistola vero est huiusmodi :

Quamquam solicitudinibus tam militaribus quamq. ciuilibus indesinenter nostra serenitas coarctetur : attamen omnes Christo amabilis nostræ Reipublicæ causas insequendo ob Christianam nostram fidem ponentes, quam & in bellis propugnatricem tam nostri quamq. Christo dilectorum nostrorum exercituum habemus, necessarium iudicauimus præsenti nostra pia Sacra ad vestram paternam beatitudinem vti, per quam adhortantes eam, sancimus congregare vestram paternam beatitudinem omnes qui ad eius sanctissimam sedem pertinent, sanctissimos Metropolitas & Episcopos in hanc a Deo conseruandam nostram regiam vrbem : quatenus, cooperante omnipotente & misericorde Deo nostro, diligentissima inquisitio dogmatis fiat, quod olim ante multum tempus exortum est de voluntate & operatione in dispensatione incarnationis vnius de sancta Trinitate Do-

EPIST. IMP. AD GEORGIVM EPISC. CONSTANTINOP.

C mini nostri Iesu Christi veri Dei nostri ; quod & disidium non minimum per quasdam personas sanctæ Dei Ecclesiæ intulit. Innotescere quoque super hoc & Macario venerabili Archiepiscopo Antiochenæ magnæ ciuitatis, quatenus & ipse de propria Synodo Deo amabiles Metropolitanos & Episcopos præparatos faciat pro hoc ipso huc congregari.

Iam enim super hoc adhortati sumus per pios nostros apices adhuc inter viuos existentem & Donum sanctissimum Apostolicæ sedis antiquæ Romæ Præsulem : & illo de hoc sæculo migrante, Agatho sanctus nuper ordinatus Papa in Apostolica sede prædictæ antiquæ Romæ huiusmodi nostros pios suscipiens apices, destinauit in præsenti propriam eius indutos personam Theodorum & Georgium Deo amabiles presbyteros, & Ioannem Deo amabilem diaconum, ex persona vero totius eius Concilij Ioannem & Abundantium & Ioannem venerabiles Episcopos cum ceteris clericis & monachis, qui de-

D beant inuenire in prædicto capitulo quæstionem : qui & nunc ad nostra conuenerunt vestigia, porrigentes nobis etiam duas suggestiones, vnam quidem eiusdem sanctissimi Agathonis Papæ, aliam vero Concilij eius. Sciens igitur vestra paterna beatitudo, quia primum nobis & præcipuum (vt prædiximus) hoc Orthodoxiæ existit capitulum, festinet prædictos venerabiles Metropolitanos Episcopos celeriter aduenire in hanc a Deo conseruandam nostram regiam vrbem, quatenus prædictum tractetur capitulum, & maiorum donorum datore atque coronatore nostro Deo cooperante, cauta atque Orthodoxa definitio huiusmodi dogmati imponatur. *Et subscriptio*. Diuinitas te seruet per multos annos, sanctissime ac beatissime Pater.] hactenus Constantinus ad Agathonem.

His scriptis ab Imperatore litteris, omni adhibita diligentia curatum est negotium, vt quam citissime ijdem vocati Episcopi Constantinopolim properarent ; factumq. est,

SEXTA SYNODVS QVANDO COEPTA.

E vt antequam menses duo integri implerentur, nempe septima die Nouembris cœptæ iam Indictionis nonæ, Synodus œcumenica inchoari potuerit. Numerus autem Episcoporum, qui Synodo interfuisse dicuntur, diuersus a diuersis auctoribus ponitur : ducentos octogintanouem habent Annales Græcorum tam apud Cedrenum, quam apud Theophanem : Photius in epistola siue libello de Synodis numerat centum septuaginta, centum vero quinquaginta Paulus [b] diaconus : Theodorus Balsamo ponit centum septuaginta & vnum. In vltima autem Actione eiusdem Synodi numerantur subscripti omnes Episcopi cum legatis presbyteris & diaconis centum sexagintasex : verum ipso Synodi exordio longe minor numerus habetur, quod Episcopi omnes tanta breuitate temporis minime peruenire potuerint Constantinopolim.

[b] Paul. diacon. de gest. Longob. lib. 6. c. 4.

Locus autem vbi celebrata est Synodus, fuit (vt habent Acta) Secretarium sacri palatij, quod cognominatum est Trullus. Sed quid Trullus proprie sit, petenda est istius

DE LOCO SYNODI TRVLLO DICTO.

vocis

vocis interpretatio ab ijs qui scripserunt de ædificijs, præsertim vero ipsius Constantinopo- A
litanæ ciuitatis. Omittimus dicere de Trulla, quod est genus vasis, siue quod significat cæmentariorum instrumentum. In eo autem quod vox ista ad ædificium aliquod pertinet, dictam eam reperimus tam in feminino genere, quam masculino, significareq. sublimem fornicem desuper in altum porrectum & in rotundum concameratum, quem Italice dicimus, Cuppula: in quo sensu hæc apud Anastasium in Sergio Papa: Trullum vero eius ecclesiæ, *scilicet SS. Cosmæ & Damiani apud templum Pacis Romæ*, fusis chartis plumbeis cooperuit.] extat adhuc locus, & ex his quæ videntur etiam hodie, intelligi probe potest, quid Trullus significet. In Chronico etiam de rebus patrijs Constantinopolitanis a Godino edito, vbi agitur de admirabili templo a Iustiniano Imp. erecto, frequentissima mentio est de Trulla in feminino genere, eodem sensu accepta. Sic igitur locus Synodi fuit palatij Secretarium, quod eiusmodi Trullo seu Trulla fastigiatum, testudine B
sursum erecta sui rotunditate conficiens emisphærium, ab ipso ædificij genere, Trullus fuerit nominatum.

PRIMA ACTIO SEXTAE SYNODI.

Quod vero spectat ad tempus Synodi, cœpta prima Sessio fuit (vti dictum est) septima die mensis Nouembris, Indictione nona, hoc ipso videlicet Redemptoris anno sexcentesimo octogesimo, decimotertio anno Imperij, eodemq. numero notato post Consulatum Constantini, ex quo ab obitu patris solus cum fratribus imperare cœpit, ex quo vero imperare cœpit viuo parente, anno vigesimosecundo. hæcq. ex ipsis Actis.

CONSESSVS QVOMODO DISPOSITVS.

Sessio autem ita disposita est, sicut & in Concilio Chalcedonensi, nempe vt digniori loco, a sinistris scilicet sederent Apostolicæ sedis legati, a dextris vero Constantinopolitanus Episcopus, necnon Antiochenus, atque legatus sedis Alexandrinæ. Quod vero in eo consessu digniorem locum legati Apostolicæ sedis obtinuerint, nulli dubium esse potest, C
si Acta Synodi Chalcedonensis perlegerit, vbi & de his egimus. Sed præter exempla alia, id quisque intelliget ex rebus in hac Synodo gestis, si quis eas consideret, videlicet, quomodo ijdem primo loco sententiam dicant, primoq. subscribant, & alia huiusmodi, quibus primarius illis delatus honor in omnibus intelligatur more maiorum. Eminentiori loco Constantinus Imperator cum suis magistratibus positus erat, locus vero medius Synodi ex more datus sacrosanctis Dei Euangelijs super sedem ornatam positis, Christum ipsum repræsentantibus. Patriarcharum autem præsentes tantum fuere Georgius Constantinopolitanus, & Macarius Antiochenus; duo reliqui, nempe Alexandrinus, atque Hierosolymitanus, per legatos: nimirum ex parte Theodori Hierosolymorum Episcopi, qui primus legitur postquam a Sarracenis ciuitas illa capta est, eius ciuitatis nominatus Episcopus, missus ponitur Georgius monachus, & Petrus itidem monachus pro sede Ale- D
xandrina pastore vacante.

QVAE IN PRIMA ACTIONE GESTA.

His ita dispositis, qui primum in Synodo locum tenebant Apostolicæ sedis legati aggressi sunt loqui, sui ipsorum aduentus causam edocentes, querentes pariter, quod quatuor Constantinopolitanæ sedis Patriarchæ, nempe Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, & cum eis Cyrus Alexandrinus Episcopus vna cum Theodoro Episcopo Pharan, nouam inuexissent hæresim in Ecclesiã de vna in Christo voluntate atque operatione; petierũtq. dicere erroris causam & originẽ nouitatis. Iubẽte ergo Imperatore causam ab aduersa parte reddi Apostolicæ sedis legatis, coryphæus eius sectæ Macarius Episcopus Antiochenus respondit, & cum eo alij pro Constantinopolitana sede causam agentes, nullam a se nouitatem esse in Ecclesiam introductam, sed quæ a sacris Synodis & sanctis Patribus essent accepta, ea in medium protulisse: quæ enim a dictis Episcopis Constantinopo- E
litanæ ciuitatis, siue ab Honorio Papa, vel Cyro Alexandrino dicta essent, se credere & prædicare professi sunt. ita quidem illi calumniose (vt sæpe superius perspicue est demonstratum) cum damnatis hæreticis admiscentes Honorium Romanum Pontificem.

INANIS MACARII TESTIFICATIO EX CONC. EPHESINO.

His auditis Imperator, non passurum se in Synodo residere Macarium, dixit, *nisi quæ* propositisset, omnino probaret. Id vero pollicitus est Macarius, rogans proferri codices ex Patriarchio, in quibus quinque Synodi œcumenicæ scriptæ essent: quod & factum est. Allatisq. in Synodum codicibus, lectus est a Macarij discipulo Stephano tertia Synodus, Ephesina prima dicta: vbi cum ventum esset ad locum Cyrilli, quo ait: Est enim eius omnipotens voluntas: Macarius de vna voluntate testimonium esse locum illum non erubuit affirmare. Sed demonstratũ est ab Apostolicæ sedis legatis & alijs, necnon a Iudicibus cognitoribus, inepte admodum locum Cyrilli in suam ipsius sententiam a Macario detorqueri,

A queri, cũ manifeſte appareret de diuina natura, quam communem cũ Patre & Spiritu ſancto Filius habet, intellexiſſe, dum eius omnipotentem dixit voluntatem, ſingulari numero minime pluralitatem excludens. Cum vero poſt hæc quæ reliqua eſſent voluminis Concilij Epheſini lecta in Synodo fuiſſent, pluribus in his impenſis horis, reliquorum œcumenicorum Conciliorum lectio iuſſu Imperatoris in ſequentem Seſsionem dilata eſt, ſicq. primæ Seſsionis periodus finem accepit.

Secunda vero Actio habita eſt eodem in loco, eodemq. anno, die decima eiuſdem menſis Nouembris, ijſdẽq. qui ſupra præſentibus Imperatore, magiſtratibus, & Epiſcopis, vbi (vt in ſuperiori Actione decretum fuit) lectum eſt ſacroſanctũ Chalcedonenſe Concilium, ad cognoſcendum num verum eſſet, quod impudens Macarius Epiſcopus Antiochenus magna iactantia effudiſſet, in vniuerſalibus Concilijs Monothelitarum hæreſis aſſertas B ſententias reperiri. Quoniam autem prolixum ſatis Chalcedonenſe Concilium eſt, conſumpta in ea lectione Actio iſta fuit; ſed nihil inueniri potuit, quod contra fidem Catholicam de vna aſſerta voluntate a Macario obijci potuiſſet. Contra vero dum ventum eſſet ad lectionẽ epiſtolæ S. Leonis, qua expreſſe duæ in Chriſto operationes, ſicut duæ naturæ prædicantur: legati Apoſtolicæ ſedis Monothelitis exprobrauerunt, quod adeo turpiter mentiti eſſent, in Actis Synodalibus illis vnam in Chriſto aſſeri operationem ac voluntatem. His confuſus Macarius, confugit ad illud Dionyſij Areopagitæ, vt Deiuirilem tantum, non numero duas operationes dici debere, aſſereret. Lecto vero quod reliquum erat Chalcedonenſis Concilij, clauſa eſt Actio eius diei; reliquis Synodalibus Actis Quintæ, quæ ſequebatur ordine, Synodi, in ſequentem Seſſionem dilatis. SECVNDA ACTIO.

Eodem anno & menſe Nouembri, decimatertia eius die, rurſus in Trullum ijdem qui C ſupra ad Synodum conuenere Epiſcopi, Imperator, & magiſtratus: eodemq. ordine diſpoſita ſeſſione, iuſſæ ſunt (vt decretum ante fuerat) legi Quintæ Synodi Actiones. In cuius exordio vbi lecta eſſet epiſtola Mennæ Cõſtantinopolitani Epiſcopi ad Vigilium Papam, lectum eſt ex ea, quod vna ſit in Chriſto voluntas. Tunc exurgentes legati Apoſtolicæ ſedis, vitiatum eſſe codicem a Monothelitis exclamarunt, additamq. illam eſſe Mennæ nomine ad Vigilium epiſtolam, ſiue libellum, eo quod Acta ipſa germana id non haberent: eiuſq. rei certum illud attulerunt argumentum, quod Mennas diem obierit vigeſimoprimo anno Iuſtiniani Imperatoris, Quinta vero Synodus anno eiuſdem Imperatoris vigeſimoſexto coacta ſit. Sed & quomodo adeo patens tunc detecta ſit impoſtura, ex Actis ipſis ſic accipe, vbi hæc habentur: TERTIA ACTIO.

Et inſpicientes tam pijſſimus Imperator, quam glorioſiſſimi Iudices vna cum quibuſ- D dam ex ſancta Synodo Deo amabilibus Epiſcopis, & aperientes ac diſcernentes, inuenerunt tres quaterniones in principio libri additos non habentes ſubnotationem numeri, qui ſecundum conſuetudinem affigitur in quaternionibus, ſed in quarto quaternione habente primum numerum, & in ſequenti quaternione ſecundum, & tertium atque quartum ſubſequenter: alias vero & diſſimiles eſſe litteras eorumdem in exordijs ſubmiſſorum quaternionum, in quibus continebatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, ex litteris quæ prius ſcriptæ erant in eodem codice.] quod cum dilucide adeo declaratum eſſet, iuſſum eſt ab Imperatore præteriri quod reliquum erat lectionis eiuſdem epiſtolæ, ſed ipſam Quintam Synodum legi: quod & factum eſt. Cum vero ventum eſſet ad ſeptimam Actionem, vbi contigit percurri ſcripta Vigilij in anathematiſmo aduerſus Theodorum Mopſueſtenum, quod non confiteretur vnam in Chriſto perſonam, lectum fuit ex additaE mento Monothelitarum, Et vnam operationem. QVOMODO IMPOSTVRA DETECTA.

At legati audientes impoſturam, reſtiterunt, & exclamarunt, nihil huiuſmodi eſſe Vigilij, ſed falſos illos eſſe libellos, partusq. ſuppoſitos nomine Vigilij. Si enim cum vnius operationis aſſertione Vigilius receptus eſſet a Synodo, oportuiſſet & Synodum eiuſdem errorem eſſe profeſſam: quod cum non poſſit dici, vtique neque de Vigilio id ſentiendum. His diſputatis, probeq. cognitis, interlocuti ſunt Patres & ipſi Iudices cognitores, nihil inuentũ eſſe (vt vaniloquus iactabat Macarius Antiochenus) in Synodis œcumenicis, quod faueret Monothelitis: tantum reliquum eſſe, vt (quod Macarius pollicitus erat) id, ſi poſſet, probaret ex Patribus. Interlocutus vero Georgius Cõſtantinopolitanus Epiſcopus, & reliqui Epiſcopi qui ſub ipſo erant, petierunt ante omnia legi in Synodo debere, quæ Roma ab Agathone Pontifice, necnon quæ a Synodo Romæ coacta ad Imperatorem ſcripta fuiſſent: quod & obtentum eſt, verum dilatum in Actionem ſequentem.

ACTIO QVARTA.

Vno interlapſo die, decimaquinta Nouembris cum in Trullum conueniſſent omnes qui A
ſupra nominati ſunt Epiſcopi & magiſtratus, facta eſt editio litterarum tum Agathonis
Pontificis, tum etiam Romani Concilij, eædemq. in Græcum conuerſæ ſunt lectæ: in
quibus cum conſtans eſſet aſſertio de Romanæ Eccleſiæ in fide Catholica integritate, in
qua nullus hactenus extitiſſet Pontifex, qui vel leuiter Catholicam fidem labefactaſſet,
nihil penitus ab aduerſarijs ex aduerſo ſtantibus Monothelitis in Honorium Romanum
Pontificem aut alios obiectum eſt. Quod vero litteræ prolixæ admodum fuerint, nihil
præterea in Actione tractatum eſt, ſed claudi Synodum oportuit, & in ſequentem Actio-
nem referri, quæ a Macario ſuggeſta erant de Patribus, quos dicebat aſſertores eſſe vnius
in Chriſto voluntatis & operationis.

ACTIO QVINTA.

Quinto rurſum conuenerunt ibidem Patres vna cum Imperatore & magiſtratibus, ijſ-
dem Iudicibus cognitoribus, eodem anno, ſeptima die menſis Decembris: vbi facta eſt a B
Macario editio duorum codicum, quibus (vt aſſerebat) teſtimonia continebantur de vni-
ca in Chriſto voluntate atque operatione: quibus lectis, in ſequentem Seſſionem reli-
quorum de eadem ſententia teſtimoniorum dilata eſt editio.

SEXTA ACTIO

Sexta vero quæ ſequitur Actio, habita eſt eodem in loco, ijſdemq. præſentibus, duo-
decima die eiuſdem menſis Decembris: factaq. eſt ab eodem Macario Antiocheno Epi-
ſcopo editio codicilli, in quo quæ ſupererant teſtimonia Patrum (vt aiebat) de vnica vo-
luntate in Chriſto Domino, ſcripta erant. Quibus lectis, iuſſa ſunt ab Imperatore tam
quæ a legatis Apoſtolicæ ſedis, quam quæ a Macario & alijs eius ſectæ ſunt edita, ſigillo
conſignari, ac cuſtodiri. Porro ad tantam nubem teſtimoniorum penitus diſſipandam,

LEGATI DETEGVNT IMPOSTVRAM.

iſta tunc ab Apoſtolicæ ſedis legatis dicta ſunt: Ipſa teſtimonia, quæ protulerunt coram C
veſtra pietate ac ſancta Synodo, detruncauerunt: & quæ ad Trinitatis quidē pertinent ra-
tionem de vna voluntate, pro incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti
protulerunt: quæ vero conueniunt, & quæ proprie pro huiuſmodi incarnationis diſpen-
ſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti poſita ſunt, tam ſenſum quam verba detruncauerunt.
Vnde petimus veſtram pijſſimam fortitudinem, authenticos codices prolatorum ab eis
paternorum teſtimoniorum proferri ex venerabili Patriarchio huius almæ ciuitatis, &
conferri cum codicibus ab eis oblatis; & demonſtramus quæ ab eis in his facta eſt cela-
tio, &c.] Iuſſu igitur Imperatoris in ſequentem conuentum dilata eſt collatio codicum.
Porro ſequens Actio in ſequentem annum producta reperitur, nempe in diem decimam-
tertiam menſis Februarij anni Redemptoris ſexcenteſimi octogeſimiprimi. agemus nos
de ea ſequenti anno ſuo loco, modo autem quæ reliqua ſunt anni huius digna memoria
percurramus. D

DE PESTE QVAE IN ITALIA GRASSATA EST.

Hoc anno menſe Iulio poſt Lunæ eclipſim peſtis ingens vaſtauit Vrbem & alias non-
nullas Italiæ ciuitates; de qua iſta habet Paulus[a] diaconus: His temporibus per Indi-
ctionem octauam Luna eclipſim paſſa eſt. Solis quoque eclipſis eodem pene tempo-
re hora dici quaſi decima, quinto Nonas Maias, effecta eſt; moxq. ſecuta eſt grauiſſi-
ma peſtis tribus menſibus, hoc eſt, Iulio, Auguſto, & Septembrio. Tantaq. fuit multi-
tudo morientium, vt etiam parentes cum filijs, atque fratres cum ſororibus, bini per
feretra poſiti apud vrbem Romam in ſepulchra deducerentur. Pari etiam modo hæc
peſtilentia Ticinum quoque depopulata eſt: ita vt cunctis ciuibus per iuga montium,
ſeu per diuerſa loca fugientibus, in foro & per plateas ciuitatis herbæ & fructeta na-
ſcerentur.

[a] *Paul. diacon. lib. 6. c. 5.*

QVAE VISIONES APPARVERE.

Tuncq. viſibiliter multis apparuit, quia bonus & malus Angelus noctu per ciuitatē per- E
gerent, & ex iuſſu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulum in manu ferre,
quotiens de venabulo oſtium cuiuſcumque domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſe-
quenti homines interirent. Tunc per reuelationem cuidam dictum eſt, quod peſtis ipſa
prius non quieſceret, quam in baſilica, quæ beati Petri ad Vincula dicitur, S. Sebaſtiani
martyris altariū poneretur. Factumq. eſt, & delatis ab vrbe * Roma beati Sebaſtiani mar-
tyris reliquijs, mox vt in iam dicta baſilica altarium conſtitutum eſt, peſtis ipſa quieuit.]
hucuſque Paulus. Extat adhuc integrum ipſum altare, necnon eiuſdem ſancti martyris
imago muſiuo opere expreſſa. Sed ex hoc propagata ad poſteros religio eſt, vt peſtis tem-
pore voti cauſa imago eiuſdem S. Sebaſtiani diuerſis in locis pingi ſoleret, ſed & in eius
memoriam altaria erigi, immo etiam & eccleſias fabricari. Eadem de tempore & peſte
habet Anaſtaſius in Agathone Pontifice.

* ad vrbē Romam

Eodem

A Eodem anno (vt auctor est Beda [a]) magni nominis femina regalis stemmatis religiosissima sancta Hilda Abbatissa quintodecimo Kalendas Decembris ex hac vita in cælum migrauit, vbi trigintatres annos in monastica vita transegisset. Eius vitæ periodum breui compendio complexus est idem Beda; at nobis sat erit ipsius felicissimum ad Deum transitum ex eodem auctore referre, qui ait: Septimo suæ infirmitatis anno, conuerso ad intranea dolore, ad diem peruenit vltimum, & circa galli cantum percepto viatico sacrosanctæ communionis, cum accersitis ancillis Christi quæ erant in eodem monasterio, de seruanda inter eas inuicem, immo cum omnibus pace Euangelica admoneret, inter verba exhortationis læta mortem vidit, immo (vt verbis Domini loquar) de morte transiuit ad vitam. Qua videlicet nocte Dominus omnipotens obitum ipsius in alio longius posito monasterio, quod ipsa eodem anno construxerat, & appellatur Hacanes, manifesta visio-
B ne reuelare dignatus est.

[a] *Bed. lib. 4. c. 23. & in epit.*

DE OBITV S. HILDAE ABBATISSAE.

Erat in eodem monasterio quædam sanctimonialis femina, nomine Bega, quæ triginta & amplius annos, dedicata Domino virginitate, in monachica conuersatione seruiebat. Hæc tunc in dormitorio sororum pausans, audiuit subito in aere notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel conuocari solebant, cum quis eorum de sæculo fuisset euocatus: apertisq. (vt sibi videbatur) oculis aspexit, detecto domus culmine, fusam desuper lucem omnia repleuisse: cui videlicet luci cum solicita intenderet, vidit animam præfatæ Dei famulæ in ipsa luce, comitantibus ac ducentibus eam Angelis, ad cælum ferri. Cumq. somno excussa videret ceteras pausantes circa se sorores, intellexit vel in somnio vel in visione mentis ostensum sibi esse quod viderat. Statimq. exurgens nimio timore præterrita, cucurrit ad virginem quæ tunc monasterio Abbatissæ vice præfuit, cui nomen
C erat Frigit: fletuq. ac lacrymis multũ perfusa, ac suspiria longa trahens, nunciauit matrem illarum omnium Hildam Abbatissam iam migrasse de sæculo, & se aspectante, cum luce immensa, ducibus Angelis, ad æternæ limina lucis & supernorum consortia ciuium ascendisse. Quod cum illa audisset, suscitauit cunctas sorores, & in ecclesiam conuocatas orationibus ac psalmis pro anima matris operam dare monuit.

VISIO DIVINITVS OSTENSA DE ANIMA S. HILDAE ABBATISSAE.

Quod cum residuo noctis tempore diligenter agerent, venerunt primo diluculo fratres, qui eius obitum nunciarent, a loco vbi defuncta est. At illæ respondentes dixerunt, se prius eadem cognouisse: & cum exponerent per ordinem quomodo hæc vel quando didicissent, inuentum est, eadem hora transitum eius illis ostensum esse per visionem, qua illam referebant exisse de mundo: pulchraq. rerum concordia procuratum est diuinitus, vt cum illi exitum eius de hac vita viderent, tunc istæ introitum eius in perpetuam animarum vitam
D cognoscerent. Distant autem inter se monasteria hæc tredecim ferme millibus passuum.] Idem subijcit de alia visione alteri virgini ostensa: sed hæc modo satis ad indicandam magnam diuinæ benignitatis clementiam, qua nouellam Ecclesiam Deus istiusmodi de æternæ vitæ præmij cerritudine veluti lacte quodam alere voluit, quo plantata semel ibi fides altas figeret in operatione radices. plurima enim id genus a Beda referuntur, quæ nos vel ex parte saltem, certis annis quibus facta noscuntur, referemus.

Eodem anno, nouo exemplo, Vuamba Hispaniarum Rex, cum regnasset annos octo & mensem vnum, abdicans se, monasticum amplexus est institutum; in cuius locum subrogatur Eruigius pridie Idus Octobris. Quomodo autem ista se habuerint, reddam totum quod scribitur a Iuliano Toletano, relatum a Luca Tudensi his verbis: Quia malignitatis auctor per bonorum discordiam semper tendit: tempore bonæ memoriæ Cindasuin-
E di Regis ex Græcia venit vir quidam nomine Andabastus, Græcorum genere nobilis, qui ab Imperatore suo expulsus in Hispaniam est, quem Recceswinthus Rex magnifice suscepit, & ei in coniugium consobrinam suam dedit, ex quo coniugio natus est ei filius nomine Eruigius. Qui cum esset in palatio regio nutritus & honore Comitis sublimatus, elatus superbia, callide aduersus Regem Bambanem excogitauit, & potionem letiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoriæ perdidit. Cumq. Episcopus ciuitatis, & optimates palatij, qui erant fideles Regis, quos potionis causa latebat, vidissent Regem iacentem absque memoria, causa pietatis commoti, pœnitentiam volentes illi perficere, vnctionem sancti olei, & communionem Christi corporis obtulerunt. Sed factum est, vt Rex a potione liberatus, cum præsensisset, quod ille extremæ vnctionis Episcopus peregerit sacramentum, ad monasterium perrexit, ibiq. in Christiana religione permansit.] hæc ibi. Additur his ex primo canone Concilij Toletani [b] anno sequenti celebrati, eumdem Vuambam

VVAMBAE REGIS ABDICATIO, ET ERVIGII SVBSTITVTIO.

[b] *Concil. Tolet. 12. c. 1.*

Regem scriptis suis pronunciasse regni successorem eumdem Eruigium, præceptionemq. A
ab eo factam Iuliano Toletano Episcopo, vt eum in Regem vngere deberet: quo etiam
canone declaratur quod dictum est de suscepta ab Vuamba Rege pœnitentia, nempe
ipsum fuisse monastico indutum habitu, atque tonsura initiatum in signum monasticæ
professionis: sequenti vero canone [a] significatur eam tunc in Hispaniarum Ecclesijs vi-
guisse consuetudinem, vt vrgente ægritudine, cum se quis proxime moriturum putaret,
eiusmodi pœnitentiam peteret: quam si etiam extra mentis integrum sensum constitu-
tus ab Antistite ministratam accepisset, haud vlterius ad sæculum reuerti ipsi liceret, sed
teneretur monachus permanere, etiam si eam minime petijsset, sed nesciens accepisset;
licet pœna dignus censeretur sacerdos, qui eam non petenti vel aliquo saltem signo se id
cupere significanti tribuisset ac ministrasset: sicuti Vuambæ Regi contigisse apparet, cui,
cum ea potione iam sensibus esset alienatus, proximeq. moriturus crederetur, ab Episco- B
po eiusmodi pœnitentia collata est.

[a] Concil. Tolet. cod. c. 2.

Restitutus vero ipse sensibus, cũ se repente monachum ex Rege factũ persensisset, bene
vsus ea occasione (quod summæ religionis indicium fuit) collatũ eo modo monasticum ha-
bitum numquam amplius abijcere voluit, sed ad vitæ finem monachus permanere dele-
git, successorem scripto substituens: in quo vitæ instituto transegisse vsque ad obitum an-
nos septem atque tres menses, tradunt; in nuper vero citato codice ex Iuliano anni duo-
decim ponuntur. Sic igitur Vuamba Dei iudicio assumptus in regnum, hominis fraude,
magis vero sua religione illo se abdicauit: cuius sicut in electione & regni administra-
tione laudatur sapientia & fortitudo, ita in abdicando summæ specimen edidit pietatis,
magis deligens regno cedere, quam collatum per imaginem nescienti sibi monasticum ha-
bitum exuere, sponte scripto significans (quod Synodalia Acta testantur) quem vellet si- C
bi succedere Regem, iniuriæ immemor, regni magis paci consulens, quam quicquam
affectui priuato concedens.

LAVDATVR VVAMBA REX HISP.

Inter alia vero eiusdẽ Regis maxime pij egregia monumenta, posteris diu integra mansit
illa, quam diximus, eius opera in generali Toletano Concilio cuiusque Episcopatus facta
distinctio, finiumq. cuiusque diœcesis certa partitio, quã idem qui supra recitat Iulianus.
Reijcimus autẽ longe longius, quæ eodem argumento scripta [b] feruntur nomine cuiusdam
Rasis Arabis, dum tribuit Constantino Magno diuisionem, immo & institutionem sedium
Episcopalium in Hispania. Mirati sumus creditũ id a prudentibus, & veluti quoddã nobile
antiquitatis monumentum in medium allatam huiusmodi partitionem, quam auctor ille
asserit a Constantino Magno factã. At quid de rebus antiquis Ecclesiarum Hispaniæ Ara-
bes nosse potuerunt? Quæ rerum cognitio, nisi cum ipsi venientes in Africã post hæc tem- D
pora inde Hispanias occuparunt? Sed in pluribus mendax auctor esse conuincitur, vt cũ in-
ter alias Hispaniarum Ecclesias tradit eũdem Imp. Narbonæ dedisse Episcopum, eidemq.
subiecisse alias septẽ Ecclesias, Biterrensem, Tolosanam, Magalonensem, Nemausensem,
Carcasonensem, Lutebanensem, & Helanensem. At quis ignoret eiusmodi Ecclesias
Galliæ Narbonensis non prius numeratas esse inter Hispaniarum Ecclesias, quam vbi ea
regione potiti sunt Gothi, qui postea regnum in Hispanias propagarunt? Sed & quis ne-
sciat, longe ante tempora Constantini, ipsorum ferme Apostolorum tempore, Narbonæ
Paulum datum Episcopum? Et quis dubitet complures Hispaniæ Ecclesias ab eodem au-
ctore nominatas, eodem fere Apostolorum tempore, siue ab Apostolis ipsis, siue ab Apo-
stolorum discipulis esse consecutas Episcopos? Sed Arabis & infidelis est somnium, vt ab
Imperatore darentur Episcopi ciuitatibus atque prouincijs. Facessat igitur hominis Sar- E
raceni rerum nostrarum ignari leuissimum ex sua coniectura excogitatum commentum
antiquioribus penitus inauditum.

[b] Recitantur a Ioan. Marian. de reb. Hispan. lib. 6. c. 10.

IESV CHRISTI ANNVS 681. AGATHONIS PAP. ANNVS 4. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 14.

ACTIO SEPTIMA SEXTAE SYNODI.

ANno qui sequitur Domini sexcentesimo octogesimoprimo, Indictione nona, quod
reliquũ fuit Sextæ œcumenicæ Synodi expletum est: cũ enim duodecima die mensis
Decẽbris Actio sexta fuerit habita, cessatũ est a comitijs sacris per duos menses, vsque sci-
licet ad decimamtertiã Februarij diem, quando ijdẽ qui supra Episcopi & Imperator cum

magi-

A magistratibus conuenientes in Trullum, quæ iã cœpta erant prosecuti sunt, nempe vt (sicut decretũ fuerat in proxima sexta Actione) editio fieret ab Apostolicæ sedis legatis locorum sanctorum Patrum, quibus de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo duæ assererentur voluntates ac totidem operationes; rursumq. loca hæreticorum, quibus vna in Christo voluntas cum operatione affirmaretur. quod & factum est, editusq. a legatis codex hac inscriptione notatus: Testimonia sanctorum ac probabilium Patrum demonstrantia duas voluntates & duas operationes in Domino Deo & Saluatore nostro Iesu Christo.] quo integre lecto in Synodo, item lecta est series hæreticorum asserentium scriptis suis vnicam voluntatem atque operationem in Christo. Quibus auditis, petitione Georgij Episcopi Constantinopolitani, & Macarij Antiocheni, iussum est, vt loca citata conferrentur cum codicibus Patriarchij, vt sciretur num consona essent Latina exemplaria cum Græ-
B cis: signatisq. scriptis, iussa est collatio quam exactissima fieri ab eisdem Georgio atque Macario, præsentibus alijs Episcopis: huncq. finem præsens Actio habuit.

Hic te monuisse, lector, oportet, reperiri apud Anastasium Bibliothecarium compendium seu epitomen Sextæ Synodi, in qua complura inueniantur quæ in ipsa Sexta Synodo desiderantur, contra vero desint complura, quæ in eiusdem Synodi Actis, quæ extant, scripta reperiuntur. Post Actionem enim diei decimætertiæ Februarij, rursum sequenti die decimaquarta eiusdem mensis ibidem loci conuentum esse, Anastasius habet.

Quæ autem in ea Actione facta sint, quæ desiderantur in editis Synodalibus Actis, hæc sunt: Protulit, inquit, pijssimus & sereniſſimus Princeps tomum ad relegendum, in quo QVAE DESIDERENTVR IN SEXTAE SYNODI ACTIONIBVS.
C vanum hæreticum dogma Macarij erat conscriptum & eius manu subscriptum, apertissime vnam voluntatem in Domino affirmantem. Sub ipsius subscriptione & Theodori Patriarchæ vtique iuxta eum tenorem ibi subscriptio erat. Et interrogatus Georgius Patriarcha, si eam fidem, quam docet sedes Apostolica, amplectitur iuxta scripta venerandi Agathonis Papæ, seu sanctorum ac venerabilium Patrum? Qui respondens petijt, vt accepta licentia, in scriptis, quæ opportuna essent, responderet.

Et in his recedentes, die decimaseptima mẽsis Februarij die Dominico intra oraculum * sancti Petri intra palatium conuenere, & astante Syncleto * simul cum Patriarcha legatus Apostolicæ sedis suscepit relegens suggestionem pro eorum condemnatione a sanctissimo Papa Agathone directam. Qui Georgius sanctissimus Patriarcha professus est eo die in GEORGIVS FIDEM CATHOLICAM PROFITETVR.
scriptis duas naturas, duas volũtates & operationes credere & prædicare, sicut sedes Apostolica, anathematizans eos, qui vnam naturam, voluntatem, & operationem in Domino
D Iesu Christo dicunt.] hæc ibi. Pergit insuper Anastasius: Die vigesimaquinta mensis Februarij, residente Synodo vna cum pio Principe simul & legatis sedis Apostolicæ, Macarium adesse iusserunt. Et data a Principe licentia, vt se in eas partes, in quas quis vellet, diuideret, Georgius Patriarcha regiæ ciuitatis cum suis in partibus Orthodoxorum stetit, Macarius vero cum suis a parte hæreticorum. Et adducentes in medium professionem Georgij Patriarchæ, quam fecerat, porrecta est Principi, & relecta est.] hæc apud Anastasium, quæ desiderantur in Actionibus Sextæ Synodi, Theodori Episcopi Constantinopolitani mutilatione, quod ex illis ipse ostenderetur hæreticus, vt suo loco dicemus.

* oratorium
* Syncello

DIVISI GEORGIVS ET MACARIVS.

Eodem anno, septima die mensis Martij iterum conuentum est ab ijsdẽ in Trullum: vbi primum Georgius Episcopus Constantinopolitanus retulit a se cognita loca singula sanctorum Patrum de duabus in Christo voluntatibus & operationibus citata in codice a legatis Apostolicæ sedis in Synodo edito, & inuenisse ea omnia in omnibus esse illis consen-
E tientia: quapropter & se profiteri testati sunt cum sanctis Patribus duas in Christo voluntates & operationes: reliqui etiam Episcopi, qui interfuerunt cum facta collatio fuit, id ipsum singuli professi sunt, & quidem non sine præconio Agathonis Romani Pontificis, vt cũ Domitius Episcopus Prusiados ita dixit: Directas suggestiones a patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis sedis antiquæ Romæ ad a Deo coronatum & mansuetissimum nostrum dominum & magnum victorem Imperatorem, tamquam ex Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas, suscipio & amplector, & ita credo, &c.]

ACTIO OCTAVA.

Post omnes autem Theodorus Episcopus Melitinæ prætendens rusticitatem in dicenda sententia, libellum obtulit legendum in Synodo, quo continebatur, nihil in fide decernendum, præter quam in sanctis œcumenicis Synodis decretum esset, ac proinde tacendum de duabus in Christo voluntatibus, sed satis esse vnum operatorem confiteri in dua-

bus naturis. Interrogatus autem ab Imperatore, quis ea dediſſet, dixit ſe ab hæretico A
Monothelita ſocio Macarij Antiocheni Stephano Abbate accepiſſe. His cognitis, reliqui Epiſcopi contulere ſuffragia de duabus voluntatibus ex Agathonis Pontificis ſcriptis editis, ita & reliqui omnes, Macario tantum cum ſuis excepto. Cum autem quæreretur a ſancta Synodo de eo quod dixerat, ſe a Stephano Abbate ea accepiſſe, quæ obtulerat pro Monothelitis: exurgentes Macarij diſcipuli conteſtati ſunt, Theodorum Melitenum Epiſcopum eſſe mentitum, paratos autem ſe eſſe Catholicam fidem profiteri. Sed iuſſi ſunt, ſcripto libello, fidem quam tenerent, ſequenti Actione in Synodo edere.

NOMEN VITALIANI RESTITVTVM IN DIPTYCHA.

Inter hæc autem interlocutus Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuggeſſit Imperatori, vt redderetur nomen Vitaliani Pontificis in diptycha, eo quod ea de cauſa complures ſe ab Eccleſia Catholica ſeparaſſent: quod ſi reſtitueretur, fieret vt plurimi Eccleſiæ Catholicæ ſe coniungerent. Annuit Imperator: cuius rei gratia honorificæ dictæ B
ſunt a ſancta Synodo acclamationes eidem Conſtantino Imperatori. Poſtea percontata eſt S. Synodus Macarium Antiochenum Epiſcopum, an conſentiret litteris ab Agathone conſcriptis. Refragatus eſt ipſe, ſeq. in Chriſto duas voluntates omnino negare; ſed Epiſcopi Syriæ illi ſubiecti, ſe omnes fidei Catholicæ aſſentire, publice profeſſi ſunt.

Poſt hæc iuſſa ſunt legi loca Patrum a Macario collecta, in quibus falſo affirmabat vnicam in Chriſto poſitam fuiſſe voluntatem: ſed inter legendum detectæ ſunt veternoſi hæretici technæ; ſiue quia cum de vnica voluntate diuina Patres dixerunt, attribuerat ipſe dictum de Chriſti perſona; ſiue quod interciſas recitaſſet ſententias, quibus ſenſus deprauaretur auctoris. Sic itaque manifeſta luce detectus, iuſſus eſt idem Macarius edere fidei profeſſionem, quam quidem contrariam fidei Catholicæ inuentam noluit retractare; & cum rogaretur ab Imperatore duas in Chriſto confiteri voluntates, reſiliens ipſe C
obſtinatus iſta reſpondit: Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare.] Tanta procacis hominis animi duritie patefacta, Conſtantinus Imp. iuſſit cum Synodo, vt libelli de Patrum ſententijs a Macario oblati fieret cum alijs codicibus e Patriarchio ſumptis collatio: ſed & (vt in alijs accidit) compertæ ſunt Macarij ſententiæ interciſæ poſitæ eſſe, demptis ab ipſo illis, quibus ſenſus Catholicus auctoris cognoſci integre potuiſſet.

Quibus omnibus probe perſpectis, hæc ſancta Synodus dixit: Non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas ſanctorum Patrum voces deflorare: hæreticorum potius proprium hoc eſt. Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Etiam dixi, quia quærens ſtabilire intentionem meam, hoc modo defloraui. Sancta Synodus exclamauit: Hæreticum ſe D
ipſum manifeſte demonſtrauit: Nouo Diſcoro anathema: Huiuſmodi deponatur: Nouum Dioſcorum foras mitte: Nouo Apollinario malos annos: Merito ab Epiſcopatu alienetur: Nudetur circumpoſito ei pallio. Et denudato eo, atque in medio aſtante

MACARIVS ANTIOCH. PALLIO NVDATVR

vna cum Stephano eius diſcipulo, Theophanes venerabilis presbyter & Abbas monaſterij Baias (*venerat hic cum legatis Apoſtolicæ ſedis*) interrogauit eoſdem, Macarium & Stephanum ſcilicet: Habuit voluntatem humanam Dominus noſter, &c.] Sed antequam diſputatio longius traheretur, viſum eſt Imperatori finem imperare illius diei Actioni.

His vero addenda ſunt quæ habet Anaſtaſius Bibliothecarius in Agathone hiſce verbis: Ea hora ſancta Synodus vna cum Principe eius oraria auferri iuſſit. Et exiliens Baſilius Cretenſis Epiſcopus, eius orarium abſtulit. Anathematizantes eum, dicebant: Foras Synodum procedant, ſimulq. & thronum eius. Stephanum autem diſcipulum eius ceruicibus E

DE TELIS ARANEARVM DECIDENTIBVS PORTENTVM.

a ſancta Synodo clerici Romani eijcientes, expulerunt. Ea hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur, eo quod ſordes hæreſeos expulſæ eſſent, & Deo auxiliante vnitæ ſunt ſanctæ Dei Eccleſiæ.] hæc Anaſtaſius.

NONA ACTIO.

Conuenit vero rurſus ſancta Synodus octaua die menſis Martij eodem anno: vbi reliquis ſanctorum Patrum locis a Macario citatis cum alijs exemplaribus collatis, cognitiſq. dolo malo ab eo detruncatis, corruptiſq. eorumdem ſanctorum Patrum ſententijs, in ipſum atque Stephanum ſententia damnationis lata eſt his verbis:

Sancta Synodus dixit: Tu Stephane, & tuus magiſter Macarius non oſtendiſtis vnam in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei noſtri, per codicillum a vobis oblatum; ſed & duas voluntates in teſtimonijs in eodem Concilio poſitis inuenimus aperte, clamante Athanaſio laudabili, quamuis detruncata & obcelata ſint, iuxta quod

ſoliti

A soliti estis, eadem testimonia, quæ peruerse interpretantes protulistis. Definimus igitur, postquam aperte probati estis ad subuersionem diuinorum dogmatum festinare, & sanctorum ac probabilium Patrum doctrinas corrumpere, & hæreticorum magis sensum assumere, & quæque ab eis dogmatizata sunt sectari ad contagium Orthodoxæ plebis, ab omni vos sacerdotali dignitate & ministerio alienos existere. Eos autem qui iam pœnitentiam egerunt, & superius nominatos tam Episcopos, quam clericos, & nunc in medio assistunt, & recte vna nobiscum confitentur, præuidimus quidem in proprijs locis residere: libellos autem quos promiserunt propriæ eorum fidei cum iureiurando, in subsequenti nobis offerent.] Hac lata sententia, dictæ sunt acclamationes Imperatori, & declamatum a Patribus: Hæreticum foras mitte: Nouo Eutychi malos annos: Nouo Apollinari malos annos: Hæreticum foras mitte. Et impulsus est Stephanus discipulus Macarij, & fo-
B ras missus est.] impositusq. est finis eius diei Collationi, in sequentem vero dilata oblatio libellorum eorum qui detestati sunt errorem, simulq. collatio locorum, quæ de duabus voluntatibus in litteris Apostolicæ sedis citata inuenirentur. SENTENTIA IN MACARIVM ET STEPHANVM.

Decima Actio Synodi decimaoctaua die eiusdem mensis Martij habita est, qua primum facta est collatio locorum, quæ citata fuerunt ex sanctis Patribus in litteris Apostolicæ sedis & Romani Concilij sub Agathone, cum codicibus Patriarchij, omniaq. inuenta sunt in omnibus esse certa fide constantia & conuenientia Græcis codicibus, prorsusq. eisdem consentientia. Quibus cognitis, lecta est fidei confessio Petri Episcopi Nicomediæ, qui palinodiam recantarat, quæ inuenta est in omnibus Catholicæ fidei consentire. Demum vero a legato Hierosolymorum Ecclesiæ Theodoro petitum est, vt legeretur Synodalis epistola Sophronij olim eiusdem Ecclesiæ Episcopi ad Sergium tunc Constan-
C tinopolitanum Antistitem data, sed ab eo minime susceptа; cuius lectio in sequentem dilata est Actionem. ACTIO DECIMA.

Vndecima sequitur Actio eodem in loco a sancta Synodo celebrata die vigesima mensis Martij: ibiq. primum omnium edita & lecta est epistola Sophronij Hierosolymorum Episcopi: qua consentire Catholicis dogmatibus reperta, suggestum est ab Apostolicæ sedis legatis, vt scripta Macarij Antiocheni olim Episcopi & Stephani eius discipuli legerentur in Synodo, quo eorum hæresis magis perspecta omnibus fieret. Editi itaque sunt libelli eiusdem Macarij, quorum vnius erat titulus, Sermo acclamatorius pijssimo & pacifico magno Imperatori Constantino: quem contra morem antea vulgarat ille Romæ & in Sardinia, alijsq. in locis, Imperatori vero, cui inscriptus erat, nequaquam obtulerat. Lectus itaque in Synodo liber, inuentus est totus confertus blasphemijs de vna vo-
D luntate & operatione hæresim firmans & roborans: itemq. lectus liber eiusdem ad Lucam presbyterum & monachum in Africa, quem scripserat de noua hæresi Maximinianorum, & pariter repertus est hæreticas continere blasphemias: adeo vt iterum a Synodo iussa sit lectio interrumpi, penitusq. cessari, eo quod noxia admodum animabus esset ob hæresum portentosos errores; iudicatumq. easdem simul iungi cum alijs blasphemijs hæreticorum, qui recensiti essent in litteris Agathonis ab Apostolicæ sedis legatis in detestationem hæresis Monothelitarum. ACTIO VNDECIMA.

Quod cum fieri iussum esset, collectæ sunt ex recitatis scriptis Macarij blasphemiæ in illis insertæ, & inter alia excerptus locus, quo Honorius hæresis crimine accusatur, dum eædem Macarij blasphemiæ recitantur his verbis: Macarij hæretici de sermone qui dicitur acclamatorius ad pijssimum Imperatorem, cuius est initium: Mirum quid, inuictissime
E domine: Eos qui contraria eis astruxerunt, sanctos Patres nostros condemnauerunt, & anathematizauerunt absolute omnes qui vnam voluntatem Domini astruxerunt, quorum vnus extitit Honorius Romanus, qui vnam voluntatem manifestissime prædicauit.]

Vetus est ista calumnia Monothelitarum hæreticorum, qua Honorium in suas attrahere partes (vt sæpe dictum est) conati sunt: verum tum a Ioanne Pontifice Honorij successore, tum a Maximo disputante cum Pyrrho conuicta est. Sed amabo te, quid sibi vult adeo tenax in Apostolicæ sedis legatis silentium, vt ne verbum quidem fecerint pro Honorij defensione? Omittimus dicere, quantum hæc aduersentur ijs quæ scripta sunt in litteris Agathonis & Concilij Romani superius Actione quarta recitatis, in quibus de prædecessoribus Romanis Pontificibus publica facta est attestatio, neminem in errorem hæresis lapsum aliquando fuisse: vt istæc a legatis Apostolicæ sedis absque leui saltem defensione audita in Synodo fuerint, cum viderimus etiam de quibuscumque minimis in reliquis HONORIVS FALSO ACCVSATVS AB HAERETICO.

supe-

Universidad de Deusto Biblioteca

superioribus Sessionibus altercatum fuisse, atque accuratissime disputatum. A

Hæc dixerimus, quod haud ista careant impostura vehementi suspicione: nempe hæc & omnia quæ sequuntur de Honorio in duabus sequentibus Sessionibus, manifestum fuisse additamentum Græcorum hæreticorum: apposuisse inquam eos ad germanam Sextam Synodum totidem quaterniones, quot fuisse ab ijsdem additos ad Quintam Synodum est demonstratum in huius Synodi tertia Actione. In qua & cum viderimus eosdem Apostolicæ sedis legatos constanti animo assurrexisse pro Vigilio calumniam passo, in crimenq. hæresis itidem Monothelitarum vocato, nec cessasse, quousque ipsum ab eadem calumnia penitus vindicarent, atque a quauis erroris suspicione immunem ostenderent: quomodo, rogo, ijdem pro iusta atque legitima Honorij defensione redditi penitus reperiuntur elingues, & cessisse perditissimi hæretici testificationi de Honorio nota hæresis sugillato, cum ad eius defensionem (vt dictum est) plura supperterent argumenta superius inculcata? & quomodo credi potest, quod adeo ignauiter fuerint sententia vnius hæretici exauctorati relinqui in Synodalibus Actis Honorium tanta affectum ignominia? At imposturæ huius auctorem Theodorum depositum hæreticum Constantinopolitanum Episcopum suo loco aperiemus inferius Actione sequenti; modo prosequamur quod est reliquum Sessionis huius Actorum. Recitatis post hæc alijs locis ex Macarij hæretici scriptis, imponi finem Actioni eius diei Imperator iussit: quodq. negotijs Reipublicæ occuparetur, residere in Synodo pro se voluit Constantium & Anastasium Patricios, necnon Polyeuctum & Petrum Exconsules. Augent hæc de Imperatoris absentia in quinque sequentibus Sessionibus de impostura suspicionem: etenim siluisse bellicos tumultus vsque ad obitum eius, Theophanes tradit. B C

MANIFESTAM CALVMNIAM PASSVS HONORIVS PAP.

Duodecima quæ sequitur Actio mendum in die continet, vtpote quæ celebrata dicatur die itidem vigesima Martij, qua præcedentem Actionem habitam esse, eadem Acta Synodalia continent. Congregatis autē ex more in vnum Patribus, missæ sunt ab Imperatore ad Synodum chartæ, quas se a Macario accepisse in superiori Actione testatus fuerat: quarum aliquæ cum inuentæ essent nihil præterea continere, quam sermonem illum acclamatorium, qui lectus antea fuerat, eius est lectio prætermissa. Quod vero inter alias chartas ab Imperatore missas, inuenta est epistola Sergij olim Constantinopolitani Episcopi ad Cyrum Episcopum Alexandrinum; ea in Synodo lecta est: sed quæ simul in ea intexta erant Mennæ & Vigilij Papæ nomine scripta de vnica voluntate, commenticia esse, in superioribus Synodalibus Actis fuerant iudicata. Post hæc in eadem Actione ex edito codice a Ioanne Patricio, nomine Imperatoris, lecta est Sergij Episcopi Constantinopolitani ad Honorium Romanum Pontificem epistola, necnon alia ipsius Honorij ad eumdē Sergium reddita, quas nos suo loco superius eodem quo sunt anno scriptæ retulimus, atque exacte discussimus. Quibus collatis cum codicibus Patriarchij, inuentisq. simul consentientibus, in Macarium rursum declamatum est a sancta Synodo, vtpote indignum qui amplius inueniretur cum Orthodoxis in Synodo sedens. Tunc Syriæ Episcopi & clerici reliqui petiere, vt in locum eius alius subrogaretur Antiochenus Episcopus Orthodoxus. Quæ omnia in sequentem relata sunt Actionem. D

ACTIO DVODECIMA.

Deinde vero vigesimaoctaua mensis Martij rursum conuenere Patres, a quibus statim sententia lata reperitur aduersus hæreticos Monothelitas, sed quæ (vt ostendemus inferius suo loco) manu impij Theodori appareat deprauata, appositio Honorij nomine, ac suo sublato: ipsa vero vt legitur, ita hic redditur verbis istis:

ACTIO DECIMATERTIA.

Sanctum Concilium dixit: Secundum promissionem quæ a nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes dogmaticas epistolas, quæ a Sergio quondam Patriarcha huius a Deo conseruandæ regiæ vrbis scriptæ sunt tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ; similiter autem & epistolam ab illo, id est, Honorio rescripram ad eumdem Sergium: hasq. inuenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & a definitionibus sanctorū Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum: eas omnimodo abijcimus, & tamquam animæ noxias execramur. Quorum autem (id est, eorumdem) impia execramur dogmata, horum & nomina a sancta Dei Ecclesia proijci iudicauimus, id est, Sergij quondam Præsulis huius a Deo conseruandæ regiæ vrbis, qui aggressus est de huiusmodi impio dogmate conscribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, & Pauli, qui & ipsi præsulatu functi sunt in sede huius a Deo conseruandæ ciuitatis, & similia eis sensesunt; E

SENTENTIA SYNODI IN MONOTHELITAS EPISCOPOS.

A runt; ad hæc & Theodori quondam Episcopi Pharan: quarum omnium suprascriptarum personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus ac ter beatissimus Papa antiquæ Romæ in suggestione quam fecit ad pijssimum & a Deo confirmatum dominum nostrum & magnum Imperatorem, eosq. abijcit, vtpote contraria rectæ fidei sentientes, quos anathemati submitti definimus. Cum his vero simul proijci a sancta Dei Catholica Ecclesia, simulq. anathematizari præuidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ; eo quod inuenimus per scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, & impia dogmata confirmauit.] hactenus quæ fertur sententia aduersus hæreticos in Synodo condemnatos.

Hic rogo, lector, siste mecum ista considerans, quo in tantæ rei historia nullus sit locus mendacio & falsitati, sed ipsa pura sinceraq. veritas fraudibus omnibus & impostu-
B ris superior semper appareat. Si in recitata sententia in condemnatione hæreticorum Patriarcharum & aliorum, Agathonis Romani Pontificis se exemplum & auctoritatem secutam Synodus profitetur, dum quos prædamnatos ait ab Agathone Pontifice in epistola ad Imperatorem, eosdem condemnatos confirmat: quare contra eamdem Agathonis epistolam ab eadem Synodo additur Honorij condemnatio? Si non latuere Synodum quæ in ea essent epistola de condemnatione dictorum Episcoporum hæreticorum: vtique neque potuerunt latuisse quæ pro Honorio in eadem legerentur in contestatione validissima illa iterum atque iterum repetita, qua firmissime astrueret, neminem suorum prædecessorum Romanorum Pontificum quid minimum in Catholicam fidem peccasse.

AGATHO DEFENSOR HONORII.

Sed accipe hic rursum recitata magna ex parte superius (quod id exigat necessitas argumenti) Agathonis in ea epistola verba: Hæc, inquit, Apostolica Ecclesia numquã a via
C veritatis in qualibet erroris parte deflexa est.] & rursum inferius de eadem Romana Ecclesia: Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis & in aduersis viuaciter tenuit ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus permanet, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Euangelijs fatus est [a]: Petre, Petre (inquiens) ecce Satan expetiuit vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autẽ pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem
D Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter feciisse semper, cunctis est cognitum.] Habes igitur ex recitatis Agathonis verbis, non solum prædecessores omnes Romanos Pontifices procul fuisse ab omni suspicione hæreticæ prauitatis, sed omnes pariter aduersus hæreses insurrexisse; insuper (quod maius his omnibus æstimari debet) Agathonem ipsum hæc sibi vendicare ex Domini (vt ait) pollicitatione, qua dixit: Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.] quæ irrita nullo modo reddi possit, ipso testante, qui ait [b]: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.] Vnde intelligas quam solido nitatur fundamento assertio illa de Romanorum Pontificum fide Catholica nullo fermento hæresis aliquando labefactata.

[a] *Luc.* 22.

[b] *Marc.* 13.

Vides igitur quantũ ista pro Honorio Papa stent inconcussa. Sed & quod idem Agatho
E Pontifex eadem epistola texens catalogum omnium hæreticorum, qui assertores vnius fuerint voluntatis, nec inter eos Honorium nominat, qui primus omnium nominandus fuisset pariter & execrandus: plane haud dubium reliquit, extrà eiusmodi nefandorum consortium Honorium collocatum; nam & subdit: Eximenda proinde, ac summis conatibus cum Dei præsidio liberanda est sancta Dei Ecclesia Christianissimi vestri Imperij de talium doctorum erroribus; vt Euangelicam atque Apostolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata est super petram huius B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiæ, quæ eius gratia atque præsidio ab omni errore illibata permanet, omnis Præsulum numerus ac sacerdotum, cleri ac populorum vnanimiter ad placendũ Deo, animãq. saluandam, veritatis formulam Apostolicæ traditionis nobiscũ confiteatur & prædicet.] & paulo post rursum de prædecessoribus verba faciens, hæc inculcat: Meæ humilitatis prædecessores commonuisse, rogasse, increpasse, obsecrasse, arguisse, & omnem modum exhortationis

tationis exercuisse, quatenus medelam posset recens vulnus accipere, &c.] Quis ex his A
non intelligat, haberi debere pro monstro, vt cum ex præscripto Agathonis epistolæ dicat Synodus nominatos se hæreticos condemnare, eadem ipsa illis coniungat Honorium ex dicta epistola tot argumentis probatissimum redditum Orthodoxum?

Insuper quod ad eam sententiam in Honorium latam spectat, dum eius damnationis illa vna causa exprimitur, quod (vt ibi dicitur) rescribens ad Sergium, mentem eius secutus est, & impia dogmata confirmauit: quam id longe procul sit a veritate, quæ diffuse superius dicta sunt, dum suo loco & tempore eamdem epistolam recitauimus, dilucide satis ostendunt, vt tu ipse eadem repetendo poteris intelligere. Sed esto, demus
DE IMPOSTVRA VALIDA ARGVMENTA. eamdem Honorij epistolam conuictam fuisse (quod dici non potest) hæreticam esse: numquid ex ea continuo damnandus a Synodo erat ipse Honorius, & non more maiorū disquirendum, an inueniri posset ipsum recantasse palinodiam, vel potius in eodem errore esse B
defunctum? Sed & quod sciretur extare posterior eiusdem Honorij epistola ad eumdem Sergium reddita: cur non expectata est eius editio atque lectio, quæ in sequenti Sessione postea secuta est, ex qua certo argumento demonstraretur idem Pontifex assertor esse duarum operationū & totidem in Christo voluntatum, vt superius, cū de ea egimus, perspicue est demonstratum? Quem non de impostura suspectū reddat præcox ista atque præpostera, immo veloci impetu præcipitata de Romanæ sedis Pontificis condemnatione sententia?

Insuper qui præsidebant Synodo Apostolicæ sedis legati, si hæc vere facta fuissent, quomodo potuerunt omnino ea præterijsse silentio? Repete lectione superiores cunctas hactenus habitas Synodales Actiones, & vide si est reperiri aliqua, in qua etiam in leuioribus causis non fuerint legati sedis Apostolicæ interlocuti. Et quomodo in re tam grauī, vbi damnatio tractaretur Summi Pontificis, in re tam aperta, vbi interfuissent de ea epi- C
stola Honorij Papæ præcedens iudicium Ioannis Romani Pontificis missum Constantinopolim, itemq. germana interpretatio Maximi martyris in publico conuentu toto orbi notissimo promulgata: quonam modo tam profundo letargo potuerunt non vnus vel alter, sed simul omnes ijdem esse sepulti legati, vt ista non senserint, ac nullus ex ipsis vindex insurrexerit saltem pro litteris Agathonis, quas ipsi detulerant Constantinopolim; cum præsertim ex ijsdem acceperint, nihil ab ipsis decernendum, præterquam illa tantum ipsa quæ ijsdem litteris continerentur?

Sed mandatum ipsum Agathonis eisdem litteris præscriptum legatis hic inspiciendum
MANDATVM AGATHONIS DATVM LEGATIS. reddamus: Portitoribus, inquit, & testimonia aliquorum sanctorum Patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, vt facultatem suggerendi a benignissimo vestræ Christianitatis Imperio consecuti, ex ijs dumtaxat satisfacere D
studeant.] & paulo post: Licentiam proinde eis siue auctoritatē dedimus apud tranquillissimum vestrum Imperium (dum iusserit eius clementia) simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat iniunctum est, vt nihil profecto præsumant augere, minuere, vel mutare; sed traditionem huius Apostolicæ sedis, vt a prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare] nimirum eā tantum, quæ eadem prolixa dogmatica epistola continentur, qua nihil magis quam prædecessorum fides integra commendatur: vt plane nihil adeo alienum fuerit a mente verbisq. Agathonis Pontificis, quam vt Honorius Papa in Synodo damnaretur.

Quod quidem si a Synodo factum esset, vt Acta quæ extant, edocent: nihil iniquius, nihil imprudentius vel ineptius potest excogitari. Si enim ob damnationem muscæ mortuæ (ita dixerim Theodorum Mopsuestenum) & condemnationem scriptorum Theo- E
doreti & Ibæ Orientalium sub alijs sedibus constitutorum Episcoporum, totum orbem terrarum oportuit commoueri, Synodumq. œcumenicam congregari, & non sine maximo labore id vix tandem obtineri valuit: quomodo accidere potuit, vt vnius dumtaxat lectione epistolæ, tamquam cælo sereno repente fulmine misso, condemnatus fuerit primariæ sedis Antistes, de qua illa esse consueuit omnium vox in Synodis, Prima sedes omnes iudicat, & a nemine iudicatur? Quomodo lecta epistola antea cum auctore damnata fuit, quam examinata? Sed & si examinata fuisset, & hæretica inuenta esset: nonne antequam cum ea damnaretur ipsius auctor, oportuisset exacte disquiri, num vsque ad obitum in eadem sententia perstitisset? quem certe non perstitisse, illud necessario demonstrabat, quod semper Romæ Catholicus habitus, in Catholica pariter communicatione diem clausisset extremum (id enim toto Christiano orbi notissimum erat)

quodq.

A quodq. vsque in hanc diem tot Romani Pontifices eius successores, & inter alios sanctissimus Papa martyrq. Martinus eius memoriam sicut aliorum Pontificum honorifice in Synodo fuerint prosecuti?

An non decebat (vt in rebus minoris momenti in alijs Synodis factum legimus) vt antea de his Agatho Papa consuleretur, quam de eo damnationis sententia proferretur? Siccine in causa tanti momenti absque defensore, absque perendina vlla dilatione, absque aliqua alia facta de Honorij fide perueſtigatione, vno eodemq. contextu, non rogatis sententijs singulorum, præcipitata est potius quam prolata de eius damnatione sententia? Non sic vel clericulus quispiam consueuit aliquando damnari, non laicus homo, defunctus præsertim, ab Ecclesia eijci; dixerim amplius, non famosus hæreticus, immo nec hæresiarcha (vt est exemplum de Theodoro Mopsuesteno) ita vno impetu,
B ductu vno calami condemnari, nisi multo temporis spatio antea iudicio ventilato, iterum repetito, discusso sæpius, & quæ obijci contra potuissent, diligentius examinatis atque solutis. Nihil huiusmodi in Honorio, non secus ac si agendum fuisset de homine in alijs sæpe Synodis prædamnato, atque ab omnibus & vbique execrationibus impetito.

CONVINCITVR MANIFESTA IMPOSTVRA.

Absit, absit vt tantam ignominiæ indelebilem notam subeat œcumenica Synodus, vt ita damnasse credatur non dico Romanum Pontificem, sed minimum quemlibet Episcoporum. Absit vt tantum dedecus tot tantosq. tum ab Agathone tum a Romano Concilio legatos missos perpetuo subsequatur, vt passi fuerint absque vlla non inquam defensione, sed nec iudiciali cognitione, post damnationem hæreticorum veluti corollarium adijci condemnationem Honorij, quasi nullius esset momenti causa, in qua periclitaretur & fama tum ipsius Agathonis, tum eius prædecessorum Romanorum Pontificum,
C vtpote qui mendacij arguendi essent & nugacitatis, quod Romanam Ecclesiam in prædecessoribus Romanis Pontificibus ab omni labe puram perseuerasse, ore pleniſſimo prædicarint, quæ (si hæc vera essent) reperta esset in Honorio adeo conspurcata.

QVAM MVLTA SEQVANTVR ABSVRDA.

Verum cum econtra ipsæ litteræ Constantini hoc anno, absoluta Synodo, Romam scriptæ ad Concilium ibidem congregatum, commendent dictam Agathonis epistolam, vt quæ sit omnino consentiens veritati, quam (vt testatur) in omnibus tum ipse tum sancta Synodus suscepisset: manifeste Honorij innocentia probata redditur: nam audi: Suscepimus enim non tantum ex beatitudine eius, *nempe Agathonis*, verum etiam a sanctitudine vestra directas nobis litteras; quæ prolatæ, lectæ sunt, & veritatis stylum declarauerunt, Orthodoxamq. fidem depinxerunt. Totæ enim conuenienter & non differenter positæ sunt ad imitationem, & tam Synodicis quam paternis doctrinis consentiunt: ne-
D que enim negleximus, sed diligentius eas comparauimus. Idcirco omnes consonanter mente & lingua concredimus, & similiter confessi sumus; & tamquam ipsius diuini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sumus.] hæc de Agathonis litteris Imperator, in quibus (vt dictum est) iterum atque iterum fides sincera prædecessorum omnium Romanorum Pontificum commendatur, & nec aliquando vel leuem erroris maculam in sedem Apostolicam irrepsisse, idem Pontifex (vt vidimus) testatus fuit.

ALIVD ARGVMENTVM DE INNOCENTIA HONORII.

Sed quod condemnatio Honorij manifestæ ex multis arguatur impostura: Quomodo, dices, in Acta Synodalia pluribus in locis ista de Honorio potuerunt irrepsisse? Attente, rogo, audi lector, & ostendam tibi furem, qui aliunde ad hoc tantum in ouile descendit ouium, vt furetur & mactet; lupumq. in vestimentis ouium demonstrabo, subdole ad gregem aditum sibi parasse, atque ita ea quæ sibi sunt visa e Synodo subtraxisse, & alia ex
E animi sententia addidisse: quorum si primum quam apertissime aperuero, puto de secundo nullus tibi reliquus erit dubitandi locus. Reuoca in memoriam Theodorum illum Constantinopolitanum Episcopum prædecessorem Georgij huius qui huic interfuit œcumenicæ Synodo: ac pariter mente repete quæ de ipso superius narrata sunt, ipsum scilicet Monothelitarum hæresis fuisse audacissimum defensorem (vtpote qui contra ipsius Constantini Imperatoris mandatũ e sacris diptychis abstulerit nomen Vitaliani Romani Pontificis, quiq. Macario Antiocheno impietate non impar manus cum eo iunxerat ad expugnandam, si licuisset, Catholicam fidem, vt superius dictum est ex epistola Imperatoris ad Donum Pontificem) huncq. ipsum e throno depositum, inq. locum eius subrogatum ipsum quem diximus Georgium: hæc inquam omnia superius suis locis sunt certis assertionibus enarrata atque probata; vt nulla de his dubitatio esse possit.

THEODORVS ACTORVM SYNODI CORRVPTOR.

Cũ igitur ista sic se habuisse, haud dubium aliquod sit: modo appello te, quid in causa,

quod

NOMEN THEODORI DAMNATI DEMPTVM EX ACTIS.

quod cũ in hac ſancta œcumenica Synodo omnes Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopi Monothelitæ nominatim ſinguli damnati eſſe reperiantur, vt Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, ipſe tamen Theodorus eiuſdem hæreſis cauſa e gradu iam dimotus, & in ordinem redactus, nequaquam inter alios damnatos Patriarchas hæreticos nominetur? in quorum claſſem ipſum fuiſſe reijciendum, vel ex eo præter alia quæ ſuperius ſunt dicta percipies, dum de omnibus eiuſdem Eccleſiæ Patriarchis, qui a tempore exortæ hæreſis eidem præfuerunt, eadem Synodus iudicium habens, aliquos ex eis condemnaſſe reperitur, quos diximus, Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, alios vero vt Orthodoxos nulla hæreſeos labe pollutos ſignificaſſe, nempe Thomam, Ioannem, & Conſtantinum, vt habet eiuſdem Synodi hæc ipſa Actio decimatertia inferius. Quid eſt igitur, quod qui nominari minime potuit inter Catholicos, nec recenſitus inuenitur inter hæreticos, qui vt hæreticus eiectus e ſede fuit? Certe quidem cum ſancta Synodus catalogum ſæpe texuit omnium Epiſcoporum Monothelitarum, qui eidem hæreſi patrocinati ſunt, haud potuit prætermiſiſſe Theodorum, quin ipſum vna cum illis toties adnumerarit, quoties contigit de eiſdem fieri mentionem. A B

THEODORVS AEQVE AC MACARIVS DAMNATVS.

Quod autẽ re vera in Actis Synodi Theodorus Patriarcha inter hæreticos fuerit nominatus, & ex ijſdem Synodalibus Actis poſtea ab ipſo deprauatis expunctus, accipe teſtificationem Anaſtaſij Bibliothecarij, qui Actiones eiuſdem Sextæ Synodi in compendium redigens, iſta habet: Deinde, inquit, protulit pijſſimus & ſereniſſimus Princeps tomum ad relegendum, in quo vno hæreticum dogma Macarij erat conſcriptum, & eius manu ſubſcriptum, apertiſſime vnam voluntatem in Domino affirmantem: ſub ipſius ſubſcriptione & Theodori Patriarchæ vtique iuxta eum tenorem ibi ſubſcriptio erat.] Vidiſti Anaſtaſij teſtificatione id ex Actis Synodalibus proferentis, ciuſdem in Synodo fuiſſe criminis reos Theodorum Patriarcham & Anaſtaſium Antiochenum? & tamen nihil huiuſmodi eſt reperiri in Actis Synodi, quæ præ manibus habentur. vt nihil dubites Synodum paſſam eſſe conciſionem, demptaq. omnino fuiſſe, quæ infamiam videbantur irrogare Theodoro. Sed quomodo, dices, accidit vt ipſe fecerit ne vſquam reperiatur cum illis in Synodi Actionibus nominatus? Rem geſtam ſic accipe. C

QVOMODO THEODORVS SYNODI ACTA CORRVPERIT.

Nicephorus & ipſe Conſtantinopolitanus Epiſcopus teſtatur in Chronico, Georgium hunc ipſum, qui Synodo interfuit, Patriarcham, vbi ſediſſet annos tres ac menſes totidem, eſſe defunctum, in locumq. ipſius ſubrogatum fuiſſe, qui ante fuerat redactus in ordinem, hunc de quo agimus Theodorum, Catholicæ fidei emiſſa profeſſione, cũ ipſi aliter ad thronum, e quo ob hæreſim antea eiectus fuerat, aditus nõ pateret: quod fieri contigit anno ſequẽnti. Hunc igitur reſtitutum in thronum, ſumma rerum potitum, Synodi prototypum nactum, nomen ſuum e damnatorum numero deleuiſſe (quod inter eos non legatur) affirmare neceſſe eſſe, neminem, qui hæc quæ ſunt dicta conſideret, inficias iturum puto. Cum igitur detectum tibi oſtenderimus impoſtorem, habes plane cui inuentam tribuas impoſturam: vt nullatenus dubites, quod cuius fuit ex Synodalibus Actis ſui damnationem auferre, eiuſdem quoque fuerit alia pro arbitrio addere; ac proinde qui e damnatorum numero ſuum ſubduxit nomen, idem inter damnatos adeo inconcinne appoſuerit nomen Honorij ob odium quod conceperat aduerſus Apoſtolicam ſedem: quod tunc potiſſimum declarauit, quando repugnante etiam Imperatore, abſtulit (vt dictum eſt) e diptychis nomen Vitaliani Romani Pontificis, ſic etiam leuiorem conatus reddere culpam ſuam ſuorumq. prædeceſſorum Monothelitarum, quod exemplo Romani Pontificis, quem ſequi deberent, ipſi peccaſſent. Sic igitur nihil eſt quod dubites Sextam Synodum in his quæ dicta ſunt, paſſam eſſe naufragium, in eo autem integram remanſiſſe damnationem hæreſis Monothelitarum, cuius cauſa fuerat congregata; de Honorio autem quæ in ea ſcripta leguntur, omnino apparere Theodori eſſe inuidia ſuperaddita. D E

Iſta ſi receperis, veritatis ſtudioſiſſime lector, probe quidem, gratulabor tibi mihique, quod haud fruſtra in his meum ingenium deſudarit: ſin minus, ſed adhuc animo reſilies refractario, haud putes ob id Honorium ipſum Romanum Pontificem cauſa cadere, vt iacere ſepultus debeat inter hæreticos. Tantum enim poſſibile erit, vt ipſe, qui Catholicus ſemper fuit, dici poſſit hæreticus, quantum vt vere Catholica ab eo aſſerta doctrina, ex qua ponitur damnatus hæreticus, eadem dici poſſit hæretica. Etenim ſi non aliunde (vt demus Acta Synodi incorrupta ſeruata) Honorius eſt condemnatus hæreticus, quam quod eius prior epiſtola ad Sergium ſcripta hæretica fuerit exiſtimata: cum e contra eadem

HONORIVS NECESSARIO COMPROBATVR CATHOLICVS.

A dem in omnibus Orthodoxa probetur, euaneſcet penitus illa de eius damnatione ſententia. Certe quidem iudicio Maximi in diſputatione cum Pyrrho, eam eſſe probatam Catholicam, & ex interpretatione germana facta ab auctore qui ſcripſerat, æque oſtenſam in omnibus Orthodoxam a Ioanne Romano Pontifice, ſuperius demonſtratum eſt; & cum de eadem epiſtola ſuo loco ſermo eſt habitus, pariter palam factum, ipſam in omnibus eſſe Catholicam, neque vlla ex parte periclitari poſſe: quæ quidem etiam communis eſt ſententia recentiorum Orthodoxorum ſcriptorum, qui eam exacte diſquirunt; quod egregie inter alios præſtitit doctiſſimus Robertus Bellarminus. Quibus ſi nec ſtandum quis obſtinate contenderit: in promptu eſt, vt de eo integrari iudicium poſsit, & afferantur in medium eædem ab Honorio ſcriptæ epiſtolæ: vt ijſdem inſpectis, an mereatur ex eis Honorius condemnari, quiſque arbiter æquus accedens, ſententiam ferre poſſit. Extant illæ B ipſæ integræ ijſdem Actis intextæ, & Dei magno beneficio conſeruatæ, vt qualis Honorius fuerit, ex ijſdem probe intelligi poſſit.

MVLTIPLICITER HONORIVS ORTHODOXVS OSTENSVS.

Sed dicat aliquis: Si vere aſſentimur ita de Honorio eſſe decretum a ſancta œcumenica Synodo, haud fas erit in controuerſiam rem deducere, & aliter quam ſtatutum eſt a Synodo, velle decernere. Id ipſum dixerim in ijs quæ ad fidem ſpectant: vt plane religio ſit vel latum vnguem ab ijs quæ in ſancta Synodo ſunt ſtatuta recedere; at in ijs quæ ad perſonas pertinent & ſcripta ipſarum, non ita rigide reperitur cuſtodita cenſura: nam patens exemplum eſt de Quinta Synodo, quæ Tria capitula condemnauit, de quibus a ſacroſancto Chalcedonenſi Concilio videri poterat aliter actum, nempe de Theodoro, Theodoreto, & Iba. In his enim quæ facti ſunt, vnumquemque contingere poſſe falli, nemini dubium eſt: & tunc illud Pauli ad Corinthios vſurpari poſſit[a]: Non enim poſſu- C mus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate.]

DE SYNODIS QVAE REVOCATA SINT IN IVDICIVM.

[a] 2. Cor. 13.

At iſta dixerimus, vt quaquauerſum oſtenderemus Honorium omni ex parte ab hæreſis vindicatum errore: cum tamen numquam prorſus rem talem Synodo maxime indignam, tot refragantibus teſtimonijs, eidem adſcripſerimus, vt tam propere atque præpoſtere, tamq. inconſulte, ac demum iniuſte facta ab ea fuerit condemnatio Romani Pontificis; cum præſertim qui antiquior ceteris atque fidelior huius temporis res geſtas ſcriptis mandauit Theophanes, nullum penitus de Honorij condemnatione verbum habuerit, quæ velut portentum magnum fuerat oſtentanda, quod numquam hactenus accidiſſet, vt a Catholicis in Synodo Romanus Pontifex damnaretur. Ex quibus omnibus corrigendi ſint, qui poſt promulgatas Synodi Actiones a Theodoro (vt diximus) deprauatas, id de Honorio affirmarunt, ſecundum quod in eis repererint eſſe ſcriptum, nul- D la altiori de veritate facta indagine, ſiue hi fuerint Græci, ſiue Latini, & inter hos recentior auctor, quem voluiſſem ſenſibus potius canum[b], quam nomine, totus præceps in ferenda de re tanta ſententia, dum leuiter admodum fuiſſe Honorium hæreticum (nondum inſpecta & dijudicata eius epiſtola, cuius cauſa ponitur eſſe dānatus) affirmat. Sed & quod in epiſtolis quibuſdam ſucceſſoris Agathonis S. Leonis Papæ, ſiue alijs, æque vt in Synodo adnumeratus habetur Honorius inter hæreticos condemnatos: eas ex pluribus argumentis ſpurias eſſe conuinci, ſuo loco dicturi ſumus; tu de illis interim tuum ſuſpende iudicium.

CORRIGENDAE CALVMNIAE DE HONORIO.

[b] Melchior Canus de loc. lib. 4. c. 11.

Vt demum frenum orationi imponam magna veritatis fiducia longius excurrenti, hoc vnum tantum ijs quæ dicta ſunt adijciam veluti corollarium ad eius fidem Catholicā comprobandam. Si cuncta, quæ in iuſtiſſimam Honorij defenſionem ſunt allata, ceſſarent: ſatis eſſe debet illud, quod fuit ſemper de Honorio Eccleſiæ Romanæ iudicium; ipſum vi- E delicet in Eccleſiæ Catholicæ communione, dum vixit, etiam poſt ſcriptas dictas epiſtolas fuiſſe retentum, in eademq. communicatione clauſiſſe diem extremum, & poſt mortem ſepultum cum Orthodoxis Pontificibus in baſilica ſancti Petri, eodemq. nomine in poſterum perſeueraſſe, numquam abraſum ex Albo Orthodoxorum Pontificum; eiusq. imaginem muſiuo contextam in apſide quam inſtaurauit ſanctæ Agneris eccleſiæ, via Numentana poſitæ, hactenus cerni publice venerationi Chriſtianorum expoſitam: cum tamen auctore Anaſtaſio ſciamus, Synodo abſoluta, omnium damnatorum Patriarcharum nomina fuiſſe deleta, ipſorumq. imagines de eccleſijs fuiſſe ſublatas.

HONORIVS COGNITVS SEMPER CATHOLICVS.

Sed iam quæ huius Actionis decimætertiæ ſunt reliqua videamus. Recitata ſententia de damnatione Monothelitarum Epiſcoporum, commendataq. fide Catholica Sophronij olim defuncti Patriarchæ Hieroſolymitani, dilataq. in ſequentem Seſſionem electione noui Epiſcopi Antiocheni in locum damnati Macarij ſubrogandi, iuſſa eſt editio fieri reliquarum epiſtolarum, aliorumq. ſcriptorum in Patriarchio aſſeruatorum,

eorum scilicet hæreticorum, quos Agatho Pontifex in suis litteris missis Constanti- A
nopolim sugillasset. Sic igitur lecta est primum epistola Cyri Episcopi Alexandrini ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum, indeq. alia scripta eiusdem, & inter alia nouem capitula, quibus latenter hæresim promulgauit: lectus est & liber dogmaticus Pyrrhi Episcopi Constantinopolitani, necnon Pauli eiusdem sedis Episcopi alia scripta, alia Petri eiusdem ciuitatis Antistitis item hæretici, necnon Thomæ, Ioannis, & Constantini eiusdem Ecclesiæ Episcoporum, ex quibus tres hi nouissimi probati dicuntur Orthodoxi.

ACTA EX MVLTIS DEPRAVATA CONVINCVNTVR.

Demum vero facta est editio posterioris Honorij Papæ epistolæ ad Sergium Patriarcham, eademq. recitata: nihil vero de ea reperitur in Actis interlocutum esse Concilium: vt non dubites ea esse passa concisionem: siquidem (vt suo loco fusius dictum est, cum de ea epistola egimus tempore quo scripta fuit) si quid erratum dici potuisset in priori, vel B
ambigue dictum, in posteriori ista plane inuenitur elucidatum, nimirum Honorium vna cum Ecclesia Catholica esse professum in Christo in eo quod respicit vnam personam, esse vnum volentem, quod vero ad duas naturas spectat, pro naturarum distinctione duas esse operationes: vt plane turpe valde fuisset (si ea Acta vera essent) ante scriptorum plenam editionem damnare hominem, qui ex eis venisset penitus absoluendus. Post hæc vero lecta est epistola Pyrrhi Constantinopolitani Episcopi ad Ioannem Romanum Pontificem: quæ omnia volumina edita, a Synodo impietatis condemnata, iussa sunt igne cremari. huncq. finem accepisse præsentem Actionem, ex ijs quæ in ea scripta extant, apparet.

Ceterum sicut verisimile satis est complura addita & detruncata a Theodoro Patriarcha Constantinopolitano, vt superius est demonstratum; ita desiderari Acta illa, quæ fieri contigerunt in electione successoris Macarij Episcopi Antiocheni, certum est. Etenim C
constat in locum eius esse subrogatum Theophanem hac ipsa Actione: siquidem idem Theophanes in singulis sequentibus Actionibus reperitur titulo Episcopi Antiocheni nominatus: adeo vt plane nulla de his dubitatio esse possit; sicq. intelligas, lector, non esse inanem assertionem de Actis Sextæ Synodi deprauatis.

ACTIO DECIMAQVARTA.

Rursus die secunda mensis Aprilis Synodus in Trulli secretario conuenit, vbi lecta sunt Mennæ & Vigilij Papæ scripta de vnica voluntate, eademq. esse supposita redarguta, atque anathemati tradita. Post hæc autem Cypri insulæ Episcopi tomum sancti Athanasij protulerunt, ex quo de duabus voluntatibus & operationibus ex inductione e longe petita proditur argumentum. Cuius occasione hic appello te, lector, si cognitus Patribus fuisset sermo qui Athanasij dicitur de sanctissima Deipara, quam opportunum fuisset, illam citare sententiam ibi positam verbis istis: Ita fit vt Christus duo pariter sit, & vnum singu- D
lare, vnusq. item sit, & non duo: & rursum duo, & nequaquam vnum est secundum rationem duarum naturarum; & vnus, non duo secundum vnitatem subsistendi. Ideoq. duas voluntates prædicamus, sed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, sed vnum volentem secundum vnitatem personæ: contra, duas voluntates & duas operationes secundum peculiarem vtriusque naturæ rationem. Hoc igitur modo diuinum incarnationis mysterium deprædicantes, hæreticorum blasphemias repudiamus; in quibus & eos inter se diuersos relinquentes, transeamus ad ea, &c.] Si Athanasij ista fuissent, quomodo latuere Catholicos singulas Athanasij syllabas perscrutatos? At recentiorem videas auctorem egregie perstringere Monothelitas ijsdem ipsis vocibus, quibus Ecclesia Catholica aduersus eos vti consueuit. Sed ad decimamquintam transeamus Actionem.

ACTIO DECIMAQVINTA.

Die vigesimasexta mensis Aprilis eiusdem nonæ Indictionis, decimaquinta Actio ha- E
bita est, in qua Polychronij cuiusdã presbyteri & monachi Monothelitæ causa pertractata est ex suggestione Donati Episcopi Prusiados, eo quod homo insanus suis stultiloquijs, falsis dæmonum illusionibus deceptus, magnã populi multitudinem decipiens per erroris deuia traduxisset, cum ad corroborandã perfidiam, quam prædicaret, se diuinitus per Angelos admonitũ diceret, pollicereturq. se eo nomine miracula editurum. Describemus hic inter seria ludum, quem vanus homo velut in scena non in Synodo tantum corã Patribus, sed vniuersa spectante ciuitate, hac ipsa die exhibuit: sic enim ista se habent: Cum adueniissent Patres, nunciatum est pro foribus astare Polychronium expectantẽ audiri. Iussus

POLYCHRONII CAVSA TRACTATVR.

ingredi, & quid de fide sentiret rogatus a Iudicibus cognitoribus, ita respondit: Ego exposition fidei meæ do in opere mortui, rogans pro eo Filium Dei, vt suscitet eum. Sin autem non resurrexerit, ecce Concilium & Imperator, quæ eis placuerint, in me faciant. Sanctum Concilium dixit: Qualem expositionem fidei vis supra mortuum ponere, vt re-

surgat

A surgat, agnoscere volumus. Polychronius religiosus presbyter & monachus dixit: Ego pono expositionem meam supra mortuum, & tunc eam relegetis. Sanctum Concilium dixit: Ecce mortuus præparatus est. Expositionem ergo fidei tuæ profer, quæ debeat superponi mortuo, vt suscitet eum, sicut dixisti.

Et protulit idem religiosus Polychronius chartulam bullatam, bulla exprimente monogrammum Polychronij confessoris, quæ habebat hanc superscriptionem: Constantino a Deo coronato & sapientissimo magno Principi Polychronius. Et dixit: In hoc est fides mea, & ita mihi ostendit Deus, vt ponam eam super mortuum: & si non surrexerit vt prædixi, ecce qui Imperator est & Concilium, & quomodo iusserint, iudicent. Sanctum Concilium dixit: Chartula, quæ prolata est a Polychronio religioso monacho, disbulletur ac relegatur. Et disbullata est huiusmodi chartula; quam accipiens Antiochus religiosus B lector & notarius sanctissimi Patriarchæ Constantinopoleos, relegit prædictam chartulam habentem his verbis ita: CHARTVLA POLYCHRONII.

Constantino a Deo coronato ac mansuetissimo magno Principi. Ego Polychronius tamquam præsens saluto & adoro. Et quia vidi multitudinem virorum & candidatorum, & in medio virum, cuius virtutem narrare non valeo, dicentem mihi: Quia nouam fidem componis, festina, & dic Imperatori Constantino: Non facias nouam fidem, neque acquiescas. Et veniente me ab Heraclea Chrysopolim, & stante me in solario (hora erat quasi septima diei) vidi virum terribilem, candidatum valde, & stetit coram me, dicens: Quia qui non confitetur vnam voluntatem & Deiuirilem operationem, non est Christianus. Ego autem dixi: Hoc & Constantinus sapientissimus Imperator præfiniuit, vnam voluntatem & Deiuirilem operationem. Ille autem dixit: Multum bene, & Deo placite.] PERFIDIA POLYCHRONII INNOTESCIT.

C His lectis, interlocutum est Concilium verbis istis:

Edicat Polychronius religiosus monachus, si litteræ quæ in præsenti continentur chartula, propriæ eius manus existunt, & si ipsa est chartula quæ debeat super mortuum poni, & resuscitare eum. Polychronius religiosus monachus dixit: Ita est, domini: propriæ meæ manus existunt, & ista est chartula, quæ debeat a me superponi mortuo, eumq. resuscitare. Glorioſissimi Iudices & sanctum Concilium dixerunt: Præuidimus, vt chartula quæ relecta est, super mortuum poni debeat ab eodem Polychronio iuxta propositionem, quæ ab eo facta est, extra hoc sacrum palatium, in loco publico, in præsentia nostra & plebis, quæque inuenta fuerit, ad satisfactionem Christo amabilis populi, qualiter Deus veritatem demonstret. CONCEDIT SYNODVS PERICVLVM FIERI.

Et egredientibus tam glorioſissimis Iudicibus & sancto Concilio & plurimo populo D congregato in atrio publici lauacri, quod dicitur Zeuxippus, appositus est ei in argenteo exequiali feretro mortuus. similiter coram glorioſisimis Iudicibus, & ijs qui erant ex sancto Concilio, & plurimo Christo amabili populo ibidem inuento superasistens idem Polychronius, posuit supra ipsum mortuum eiusmodi fidei suæ chartulam: perq. plures horas perseuerans & insusurrans ei, nihil horum quæ ab eo stolide ac blaspheme promissa fuerant, valens peragere, idem Polychronius dixit, nullatenus se posse mortuum suscitare. Populus itaque, qui ibidem aderat, exclamauit dicens: Nouo Simoni anathema: Polychronio seductori populi anathema. Et iterum ingredientes & glorioſisimi Iudices & sanctum ac vniuersale Concilium in secretario sacri palatij, quod appellatur Trullus, præsente eodem religioso presbytero & monacho, dixerunt: Edicat iterum Polychronius monachus, si confitetur duas naturales voluntates & duas naturales operationes in E incarnationis dispensatione Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri, qui vnus est de sancta Trinitate. Polychronius religiosus monachus dixit: Sicut continet chartula, quam obtuli & posui supra mortuum, ita credo vnam voluntatem & Deiuirilem operationem, & alterum quid non dico. Glorioſisimi Iudices & sanctum Concilium dixerunt: Chartam, quam obtulisti, quis scripsit? Polychronius dixit: Propria mea manus existit. Sanctum Concilium dixit: SPECTACVLVM DE RESVSCITANDO MORTVO EDITVR.

Postquam Polychronius monachus in proprio errore vsque in senium perseuerauit; nunc autem etiam a nobis commonitus, quomodo sentiat de humanatione Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri, conatus est tentare Spiritum sanctum, & blasphemam componens chartulam, obstinanter affatus est ponere eam super mortuum, & ad firmitatem blasphemiæ, quæ in ea fuerat scripta (vt non dicamus fidei) huiusmodi mortuum resurrecturum: nos (iuxta quod dictum est a sancto Paulo Apostolo a) anathemati iam hunc secun- SENTENTIA IN POLYCHRONIVM.

a 1. Cor. 5.

dum animam (*interitum carnis scilicet*) submisimus: sed ad satisfactionem Christo amabilium populorum, quorum plurimos præteritis temporibus tam ipse quam eius consentanei deceperant, permisimus talem eius præsumptionem, dæmoniacamq. ac temerariam propositionem publice fieri, & mortuum quem quæsierat, in medium deduci in præsentia nostra & glorioſissimorum Iudicum, & multitudinis Christo amabilis populi. Ille proposuit, tale eius impium scriptum superponens, & plurimam horam, quantum ipse voluit, superassistens eidem mortuo, & supersusurrans intra semetipsum quæque putauit, donec dixit, non se posse facere. Quomodo namque esset possibile, blasphemantem in Deum virtutes operari? Vnde præuidimus, hunc tamquam seductorem populi & deceptorem & manifestum hæreticum, omni sacerdotali ordine & officio denudari. Et depositio eo, sanctum Concilium exclamauit: Polychronio hæretico & consentaneis eius anathema: Macario & Stephano similibus Polychronio anathema: Trinitas istos tres deposuit.] hactenus spectaculum de Polychronio. A B

QVAE VTILITAS EX REPRAESENTATO SPECTACVLO.

In quo quidem, sicut euenire solet, vt in ijs quæ exhibentur populo, compositis iocis plurima contineantur seria, ipsiq. populoq. maxime vtilia: ita plane accidit in Polychronij facto. Etenim euenit secundum illud Dauidicum [a]: Mentita est iniquitas sibi.] siquidem etsi permisit Deus deludi hominem inanibus phantasmatibus, falsis stultisq. visionibus ac reuelationibus; vbi tamen causa fidei in examen venit, haud siuit diuina sapientia præstigijs decipi homines: experimentoq. probatum est, quod Apostolus Galatis ingerit [b]: Etsi Angelus de cælo annunciauerit vobis præter id quod annunciatum est, anathema sit.]

a *Psal.* 26.

b *Galat.* 1.

Ceterum eam indignam licet sancta Synodus coacta est conditionem subire, ne fidei sacramentum, leuissimi hominis petulantia, in discrimen adduceretur, ex eo quod nefandus impostor falsorum miraculorum promissione populum decepisset, & secum in errorem pariter induxisset: quo casu scimus Eliam [c] prophetam eiusmodi de miraculis non oblatam subijsse, sed obtulisse conditionem Baal prophetis, ne videlicet populus Dei persuasionibus ipsorum deceptus, contineretur in impietatis errore. Illud præterea de ijs quæ accidisse Polychronio dicta sunt, consideratione dignum esse videtur, simulac quis auersione contentiosa (vt propheta ait [d]) a Deo recedit, eumdem mox tradi nequissimis spiritibus illudendum, secundum illud quod aduersus apostatam Achab a Domino dictum scimus [e]: Quis decipiet Achab Regem Israel? &c.] C

c 3. *Reg.* 18.

d *Hierem.* 8.

e 3. *Reg.* 22.

ACTIO DECIMASEXTA.

Quæ autem sequitur ordine Actio decimasexta, habita reperitur die nona Augusti: in qua procax hæreticus Monothelita, licentia accepta dicendi, ita locutus est: Constantinus dicor: presbyter sum sanctissimæ Dei Apameensis Ecclesiæ secundæ Syrorum prouinciæ, ordinatus ab Abrahamio Episcopo Arethusio. Veni ad sanctum Dei nutu congregatum vestrum Concilium, vt instruam vos. Quia si auditus essem hoc anno, non habuissemus perpeti hoc quod passi sumus in prœlio.] ita arrogans iste sui existimatione tumidus, ad docendam sacrosanctam Synodum se aduenisse professus. D

Quod vero ad tam longam moram pertinet, qua Actio ista post superiorem vltra tres menses est celebrata: Annales Græcorum licet nullum hoc anno referant bellum, quo fuerit Romanum Imperium lacessitum, tamen hoc anno, cum videlicet nondum adhuc decimustertius Imperatoris Constantini annus absolutus esset, domesticis suspicionibus laboratum ostendunt, ob quas Imperator fratres suos & collegas Heraclium & Tiberium in suspicionem rerum nouandarum adductos amouit, solusq. ipse cum Iustiniano filio imperauit. Verum non id factum apparet ante diem decimamsextam mensis Septembris: siquidem in reliquis huius Synodi Actionibus ad dictam vsque diem cum Constantino nominati reperiuntur ijdem qui supra fratres Imperatores Heraclius atque Tiberius. Quamobrem cum in eius fine dictæ sint laudes & acclamationes tantummodo Constantino, eo quidem tempore id de fratribus accidisse credendum est. Docet id etiam quod reperitur eius Imperatoris edictum ad finem Synodi positum, vbi nullius fratrum nomen habetur, sed ipsius tantummodo Constantini, sicut etiam in datis ab eo ad Synodum litteris. E

Sed res gestas in Synodo hac Actione videamus, & prosequamur quæ dici cœpta sunt de Constantino presbytero æque ac Polychronio fatuo. Hic (vt dictum est) ad docendam Synodum se venisse professus, putauit se modum inuenisse ac temperamentum quoddam, quo concordari possent atque vniri simul Monothelitæ atque Catholici, hac scilicet ratione, vt dicerentur in Christo duæ operationes, voluntas vero vna. Interrogatus autem

A autem a Synodo dixit, humanam voluntatem deseruisse Christum cum carne & sanguine Crucis tempore. Sed explosa atque damnata est ista assertio tamquam Manichæorum, ipseq. cum ea parem damnationis sententiam accepit, forasq. eiectus est. His peractis, secutæ sunt ex more acclamationes Imperatori, Agathoni Papæ, & vniuerso Concilio, dictumq. anathema singulis nominatis hæreticis: sicq. præsens Actio finem accepit.

Decimaseptima Actio sequitur, habita vndecima mensis Septembris, iam inchoata decima Indictione, in qua Orthodoxæ fidei decretum confirmatum a Patribus publice lectum est, quo Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & Quintum vniuersalia Concilia confirmata sunt, eorumdemq. symbola recitata, ac demum apposita est damnatio Monothelitarum hæreticorum, ex præscripto epistolæ Agathonis Romani Pontificis, atque Synodi Romæ ab eodem coactæ. In quibus etiam de impostura au- ACTIO XVII.
B geatur illa suspicio, cum videlicet sibi ipsi aduersari decretum fidei sentias, dum primũ in DE EPISCOPORVM DECRETO FIDEI.
eo inter damnatorum nomina recensetur verbis expressis Honorius Romanus Pontifex, & paulo inferius secundum epistolam Agathonis cuncta esse definita, & nominatim damnatos in ea fuisse hæreticos eius hæresis siue inuentores, siue defensores, asseritur: cum tamen certum sit, non solũ in ea non esse nominatum inter damnatos Honorium, immo cum alijs Catholicæ veritatis defensoribus collaudatum, dum (quod dictum & repetitum sæpe superius est) omnium prædecessorum suorum Agatho Catholicam fidem commendat, quam sequi se profitetur, haud vane gloriatus numquam hactenus esse repertum, vt Romana Ecclesia vel minimum quidem a fide Catholica aberrarit. Sunt inquam plane sibi inuicem aduersantia, ista asseri, & in eodem fidei decreto inter hæreticos Honorium Romanum Pontificem nominari. Sed reddamus hic eiusdem verba decreti, quo ista ma-
C nifestiora reddantur. Vbi enim primum damnatorum recitata sunt nomina hæreticorum, hæc subijciuntur:

*Præsens sancta & vniuersalis Synodus fideliter susc*ipiens & expansis manibus amplectens tã suggestionem, quæ a sanctissimo atque beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum pijssimum atque fideliss*imum nostrum Imperatorem, quæ nominatim abiecit eos qui docuerunt vel prædicauerunt (sicut superius dictum est) vnam voluntatem & vnam operationem in incarnationis dispensatione Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri, adæque amplexa est & alteram Synodalem suggestionem, quæ missa est a sacro Concilio, quod sub eodem sanctissimo Papa centum vigintiquinque Deo amabilium Episcoporum, &c.] Repugnant igitur, vt in eadem fidei definitione Honorius lega- DE IMPOSTVRA INGENS ARGVMENTVM.
tur inter hæreticos, & quod epistolæ Roma missæ in omnibus cõprobatæ dicantur, ipsaq.
D Synodus in damnatis personis se Agathonis epistolam profiteatur esse secutam, qua omnium Romanorum Pontificum fides Catholica commendatur. Hæc sæpe meminisse, rursumq. obiter noua occasione ingessisse, haud superfluum puto, quo tu eamdem Synodum lancinatam opera Theodori Monothelitæ deplores, hominis (vt diximus) in Romanam Ecclesiam infensissimi. Demum vero (quod reliquum est huius Actionis) de vno volente & operante in duabus operationibus & voluntatibus doctrina ex sanctorum Patrum sententijs approbata, finem Patres imposuerunt Actioni, quæ omnium qui aderant Episcoporum chirographo consignata est.

Vltima vero Sessio eiusdem sanctæ Synodi celebrata est decimasexta die eiusdem mensis Septembris, inchoata nuper decima Indictione: in qua interfuit Imperator Constan- ACTIO XVIII. ET VLTIMA.
tinus, cui faustæ, honorificæq. & Orthodoxo dignæ Imperatore acclamationes dictæ
E sunt; cum & ipse Imperator sui instituti in cogenda Synodo, vt Catholicæ Ecclesiæ bene DE SERMONE ACCLAMATORIO A SYNODO DATO IMPERATORI.
consultum esset, attulit rationem: lectusq. est acclamatorius sermo eiusdem sanctæ Synodi ad ipsum Imperatorem, quo iterum sancta Synodus in definitione Catholici dogmatis professa est sequi Agathonis epistolam & Synodales litteras Romani Concilij, his verbis: Proinde inspiratione sancti Spiritus conspirantes, & adinuicem omnes consonantes atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri & summi Papæ dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes, &c.] rursumq. inferius de eodem Agathone ita magnifice: Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum princeps: illius enim imitatorem & sedis successorem habuimus fautorem, & diuini sacramenti mysterium illustrantem per litteras. confessionem tibi a Deo inscriptam illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit. charta & atramentum videbatur, sed per Agathonem Petrus loquebatur; & cum omnipotenti conregnato-

re pius Imperator simul decernebas tu, qui a Deo decoratus es. Et Simon quidem resupinus volutatus corruebat, & stat ruinæ eius statua: fides vero resurgit, plebisq. concordia in proprium restituitur decus, &c.] sequitur post hæc edictum eiusdem Imperatoris Constantini de fide Catholica. A

DE EPISTOLA CONSTANTINI IMP. AD ROM. CONCIL.

Reperitur ad finem eiusdem Actionis decimæseptimæ epistola ipsius Constantini apposita, data illa tamen non eodem die quo ipsa celebrata est Actio, sed longe postea, nempe decimo Kalendas Ianuarias eadem Indictione decima: qua commendans illorum qui conuenerunt studium in defendenda vna cum Romano Pontifice fide Catholica, hæc inter alia habet: Interfuistis namque & vos cum vniuersali principe pastorum, simul cum ipso diuinitus loquentes tam in spiritu, quam littera. Suscepimus enim non tantum ex beatitudine eius, verum etiam a sanctitate vestra directas nobis litteras: quæ prolatæ, lectæ sunt, & veritatis verum stylum declarauerunt, Orthodoxamq. fidem depinxerunt.] & paulo post de ijsdem: Tamquam ipsius diuini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sumus, &c.] pergit dicere de impio Macario Antiocheno Episcopo, qui resiliuit, eiusq. discipulis cum secutis, de quibus in fine: Vniuersalis conuentionis communi sententia de sacerdotali dignitate repulsi sunt, & probationi sanctissimi Papæ traditi sunt.] B

DAMNATI APPELLANT SEDEM APOSTOLICAM.

Cur autem damnati in Synodo Episcopi missi sint Romam, cum nulla afferatur in dicta epistola causa, ex alia Imperatoris epistola scripta ad Leonem Papam Agathonis successorem accipere licet, nempe quod ipsi damnati id petierint, appellantes Romanum Pontificem, a quo audiri petierant: licet Anastasius opinatus sit eos in exilium Romam missos: hæc enim habet in fine: Macarius vero cum suis amatoribus, id est, Stephano, Anastasio ex presbytero, Leontio ex diacono, Polychronio, Epiphanio, & Anastasio alio ex presbyteris & inclusis, in exilio in Romanam directi sunt ciuitatem.] hæc de his ipse: Ceterum appellationem præcessisse, litteræ eiusdem Constantini Imp. ad Leonem docent his verbis, dum agit de Macario & alijs damnatis hæreticis: Ipsi autem scriptis precibus serenitatem nostram communiter omnes deprecati sunt, vt se ad vestram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eosq. ad vos misimus, vestro paterno iudicio omnem ipsorum causam permittentes.] hæc Imperator: quibus cũ iudicio Rom. Pontificis omnem ipsorum causam remittere se testetur, pendere eorũ iudicium obice appellationis ostendit. Certe quidem si id non fuisset, in Oasenam solitudinem potius, vti Nestorius, hi deportandi fuissent, non autem Romam ad delicias: nam nullum antehac extare recordamur exemplũ, vt exilio relegandis damnatis improbis hæreticis, pro loco exilij decreta fuerit Vrbs. C

Hactenus de Actionibus Sextæ Synodi, quæ reperiuntur tum in Græcis, tum etiam Latinis codicibus, in quibus cum multa inuidiose deprauata inuenerimus atque calumniose corrupta, illud quidem certum atque integrùm indubitatumq. relictum scimus, damnationem videlicet Monothelitarum hæreticorum: quam Patrum sententiam vt sacrosanctam Ecclesia Catholica custodiuit, hactenusq. custodit. D

Desideratur inter Acta Synodalia huius nouissimæ Sessionis epistola Synodalis ab eodem Concilio scripta ad Agathonem Romanum Pontificem, quæ inter epistolas eius successoris Leonis Papæ prima ordine ponitur; quam hic restituendam necessario duximus, eo quod sancta Synodus potissimum petat ab ipso Romano Pontifice confirmari, quæ in eadem Synodo fuerunt constituta. sic enim se habet:

EPIST. SYNODALIS AD AGATHONEM PAPAM.

Sanctum & vniuersale Concilium, quod per Dei gratiam & piam sanctionem pijssimi ac fideliſsimi magni Imperatoris Constantini congregatum est in hac a Deo conseruanda & regia Constantinopoli noua Roma in secreto* palatij dicto Trullo, sanctissimo ac beatissimo Papæ senioris Romæ Agathoni in Domino salutem. E

* secretario

ROMANVS PONTIFEX SVMMVS ET AVCTORITATE ET HONORE.

Maximi morbi maioribus indigent auxilijs, vt scitis, beatissimi: atque idcirco Christus verus Deus noster, virtus vere rerũ omnium conditrix & gubernatrix, sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem remedijs Orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque tibi, vt primæ sedis Antistiti vniuersalis Ecclesiæ, quid gerendum sit permittimus stanti supra firmam fidei petram, acquiescentes veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas vt a summo Apostolorum vertice diuinitus scriptas agnoscimus: per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticã sectam depulimus, Constantino nobis ad decertandum hortatore, qui diuine imperat, sceptraq.

cle-

A clementissime regit; quo adiutore, impietatis errorem euertimus, hæreticorum nefariam doctrinam quasi obsidione adorti.

Inde fundamenta execrandæ eorum hæreseos prorsus conuellentes, eosq. armis spiritualibus paternisq. aggredientes, & linguas eorum, ne inter se accommodate loquerentur, confundentes, extructam ab ijs impijssimæ hæresis turrim subruimus, ac ipsos vt lapsos circa fidem ac peccatores extra castra atriorum Dei (vt Dauidice loquamur) anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras litteras de eis lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, Petrum.] hæc dum Patres habent, & profitentur (vt sæpe dictum est) se ex litteris ipsius Agathonis nominatos homines condemnasse, certe de nomine Honorij superaddito vehemens est de impostura suspicio: siquidem in litteris Agathonis nulla penitus de Hono-
B rio ignominiosa mentio facta est, sed honorifica potius, dum eum non excipit a laude omnium prædecessorum, quorum prædicat illibatam Catholicam fidem. Sed pergit Synodus:

Ad hos autem & post eos anathematibus hæreticorum iuste subiecimus & eos qui viuunt suscepta illorum impietate, vel (vt apertius dicatur) Apollinarij, & Seueri, & Themistij exosorum Deo: Macarium, qui fuit Antiochensium magnæ vrbis Episcopus, quem & pastoritia pelle merito ipsius denudauimus propter impœnitentiam eius circa Orthodoxam fidem, & obstinatam peruicaciam: & Stephanum eius ad amentiam discipulum, & ad impietatem doctorem: item Polychronium, qui in dogmatibus hæreticis nomini suo respondens, inueterauit, & fuit πολυχρόνιος: eos demum qui similia atque hi impœnitenter docuerunt, aut docent, aut sentiunt, aut senserunt. Hactenus igitur mæror nobis & tristitia & multæ lacrymæ fuere: non enim adiutauimus proximorum ruinas, aut eos præ-
C cipitantes impulimus, nec effrenato eorum furore læti exultauimus, nec idcirco sumus elati, vt eam ob rem grauius caderemus.

Non sic in his, o venerabile & sacrum caput, edocti sumus, qui vniuersitatis Dominum Christum humanum ac summe bonũ & benignum habemus, qui & hortatur nos, vt sicut bonos decet, sacerdotalium ipsius legum simus imitatores, formamq. obtineamus pastoralis eius & conciliatricis gubernationis. Sed & ad pœnitentiæ conuersionem tum sereniſſimus Imperator, tum nos eos varie adhortati sumus, omniaq. gessimus religione & diligentia singulari, non commoti gratia, non odio: quemadmodum ex ijs cognoscere potestis, quæ in vnoquoque negotio sunt pertractata, & relata in commentarios, & in præsentia ad vestram beatitudinem mittuntur: ac intelligetis a Vicarijs sanctitatis vestræ Theodoro ac Georgio dilectis Deo presbyteris, & Ioanne religiosissimo diacono, & Con-
D stantino venerabili hypodiacono, vestris spiritualibus filijs, nostrisq. dilectis fratribus; tum ab ijs, qui a sancta vestra Synodo missi sunt, sanctis Episcopis, qui recte ac probe ex vestra disciplina in primo fidei capitulo vna nobiscum decertarunt.

Sic nos sancto Spiritu illustrati, vestraq. instituti doctrina, infesta dogmata impietatis depulimus, rectissimam Orthodoxiæ semitam complanantes, pijssimo ac sereniſſimo nostro Imperatore Constantino sapienter & diuinitus confouente nos ac tuente; deinde vno ex nobis regnantis huius Constantinopoleos sanctissimo Præsule assentiente in primis misso a vobis ad pijssimum Imperatorem Orthodoxiæ scripto, vt in omnibus conuenienti probabilibus a Deo institutis Patribus, ac sanctis & vniuersalibus quinque Concilijs. Et quidem nos omnes, Christo Deo continente & adiuuante, quod studebamus, facile confecimus: Deus enim mouebat, Deus coronabat confessum. Istinc igitur in nos sancti
E Spiritus gratia illuxit, potestatem largiens per assiduas vestras preces cuncta zizania & omnem arborem non facientem fructum bonum excidendi, & in igne consumendi. Et corde nos & lingua & manu conuenientes, omnis erroris expertem, certamq. nec fallentem definitionem, viuifici Spiritus ope, edidimus, non transferentes (sicut scriptum est) terminos antiquos, absit, sed in sanctorum probabilium Patrum testimonijs & auctoritatibus permanentes, ac definientes, vt sicut ex duabus & in duabus naturis, diuinitate atque humanitate, ex quibus compositus est & ex quibus existit, Christus verus Deus noster prædicatur a nobis & glorificatur inseparabiliter, inconuertibiliter, inconfuse, & indiuise, ita duas naturales operationes indiuise, inconuertibiliter, inconfuse, impartibiliter prædicemus: quemadmodum in ijs quæ a nobis synodaliter definita sunt, declaratum est: quibus & Deum imitantis Imperatoris nostri potestas annuens, propria manu subsignauit: abijcientesq. (vt dictum est) impijssimam & imagi-

nariam

nariam de vna voluntate, vnaq. operatione in dispensatione incarnationis Christi veri Dei nostri, & condemnantes hæresim, ex eo confundentium ac diuidentium turbas compressimus, inflammatamq. procellam ceterarum hæreseon extinximus, Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicauimus: quam etiam vt per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem: per quam bona spe in Christum freti, confidimus, misericordem eius benignitatem largituram Romanæ Reipublicæ clementissimo Imperatori nostro commissæ perennem stabilitatem, exornaturamq. diuturnis iugibusq. victorijs serenam eius mansuetudinem: vestram autem Dei imitatricem sanctitatem, quæ rebus nostris affuerit, ac defenderit tremendam eius voluntatem, sincereq. ac vere fidem confessa sit, tueatur incolumem, & conseruantem creditos ipsi a Deo Orthodoxos greges. Vniuersam quæ cum vestra est beatitudine in Christo fraternitatem nos, & qui nobiscum sunt, plurimum salutamus.] hucusque epistola Synodalis.

CONFIRMATIO FIDEI CATHOLICAE SANCITAE PETITVR A ROM. PONTIF.

A

B

His recensitis, quæ de eadem Synodo extra posita reperiuntur, hic addenda putamus. Anastasius Bibliothecarius de ipsa agens in Agathone, plura cum addat, quæ non reperiuntur in Actis quæ extant; longe plura prætermittit, dū sex tantum in ea habitas refert Actiones, ipsamq. penitus absolutam ante Paschale tempus, & nihil prorsus de Actionibus, in quibus habetur condemnatus Honorius, neque de alijs sequentibus. Ad postremum vero post damnationem hæreticorum ibidem factam, hæc addit: Deinde, inquit, abstulerunt de diptychis ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel eorū picturas de ecclesia, aut de foribus eius, aut vbi esse poterant, auferentes, id est, Cyri, Sergij, Pyrrhi, necnon Petri, per quos error iste Orthodoxæ fidei vsque nunc pullulauit.] Vides, lector, nullam hic haberi de Honorio Pontifice mentionem, quem in eorum diptychis inscriptum vidimus. sed pergit auctor: Tanta autem gratia Dei omnipotentis concessa est Missis sedis Apostolicæ, vt ad lætitiam populi vel sancti Concilij, qui in regia vrbe erat Ioannes Episcopus Portuensis Dominico die octauarum Paschæ in ecclesia sanctæ Sophiæ publicas Missas coram Principe & Patriarcha Latine celebraret, & omnes vnanimes in laudes & victorias pijssimorum Imperatorum idem Latinis vocibus exclamarent.]

DE ANASTASII SYNODI COMPENDIO.

C

Addit his præterea Anastasius, per eosdem legatos scriptam ab eodem Constantino Imperatore epistolam, quam Sacram vocant, ad Agathonem Romanum Pontificem, qua significauit, liberare se Romanam Ecclesiam a pensitatione illa pecuniæ, quam primum impij Gothorum Reges Ariani persoluendam recens creatis Romanis Pontificibus indixerant, quæq. post illos extinctos ab Orientalibus Imperatoribus exigi solita erat, vt superius sæpius dictum est, præsertim vero cum de ea querelas sancti Gregorij Papæ recensuimus. Eiusmodi igitur iniquissimam exactionem cum Constantinus Imperator penitus abrogandam censuisset, retinere tamen voluit ius confirmationis antiquitus (vt superius dictum est) tyrannice vsurpatum. Habet autem hæc verbis istis Anastasius de Agathone Pontifice: Hic suscepit diualem iussionem secundum suam postulationem, vt suggessit: per quam releuata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda (*quod scilicet non sineretur electus ordinari, nisi ea quantitate soluta pecuniæ*) sic tamen, vt si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi decretum generale introducatur in regiam vrbem secundum antiquam consuetudinem, vt cum eorum iussione & scientia deberet ordinatio prouenire.] hæc Anastasius. quando autem & ab hac etiam tyrannica seruitute penitus Ecclesia Romana fuerit liberata, suo loco dicturi sumus.

ECCL. ROMANA LIBERATVR A SOLVTIONE PECVNIAE PRO ORDINATIONE ROM. PONTIF.

D

E

Quod vero pertinet ad canones, qui nomine Sextæ Synodi a Græcis tempore Iustiniani iunioris conscripti sunt, suo loco pluribus acturi sumus. Hic iam tibi finis, lector, Synodalium rerum gestarum, quas inueniſti vndique fraudulentia hæreticorū deprauatas, corruptas, atque vitiatas: cum tamen illud vnum saltem certum indubitatumq. ex eis colligas, hac sacrosancta œcumenica Synodo esse Monothelitarum hæresim condemnatam: quod satis esse potest ad pietatem fidemq. Catholicam insinuandā, cum ad hoc tantum & nullius alterius rei causa ipsa œcumenica Synodus fuerit conuocata, nimirū vt noua hæresis, totius Catholicæ Ecclesiæ communicato consilio, & vnito consensu, penitus dānaretur. Fuit plane res haud mediocris momenti, cui nisi diuino auxilio cito occursum esset, cuniculis ad inuadendum perdendumq. prorsus sacrosanctum Chalcedonense Concilium ab impijs Eutychianis effossis, vtique ab ijsdem conspirantibus vna simul conclamata

SATIS ESSE SCIRI EX HAC SYNODO DAMNATAM HAERESIM MONOTH.

fuisset

A fuisset eiusdem Chalcedonensis Concilij condemnatio, licet nihil se minus cogitare significarent, dum ex eius præscripto duas & ipsi in Christo naturas asserere profiterentur.

Vidisti, lector, in tanta Orientalis Ecclesiæ clade, cum si qua vix pertenuis scintilla veritatis supereſſet, densis nubium globis obducta lateret, Patriarchalibus in errorem collapsis Ecclesijs, cum nec sibi tantum virium vt resurgerent, neque voluntas esset, obnitentibus potius in aduersum qui ipsis præerant Ecclesijs, non aliunde quam ab Ecclesia Romana sperare salutem licuisse? Vidisti, inquam, in tanto discrimine laboranti Ecclesiæ non aliunde subuentum, quam ab ea, in qua Petrus sedere in successoribus comprobatur, ipsa Romana Ecclesia; quæ longe antequam ab excitatis longo somno stertentibus Orientalibus rogaretur adesse, iam ipso ferme eiusdem nascentis erroris exordio hæresim condemnarat, & Catholicam etiã Pontificis Romani martyrio sanciuerat disciplinam; quam

B litteris demum Agathonis Pontificis consignatam, resipiscentes, factiq. tandem sui compotes Orientales quam religiosissime susceperе: quibus & reliquus Catholicus orbis adgauisus est, Deo gratias agens, quod quam a maioribus fidem acceperat, illibatamq. seruauerat, eamdem œcumenicæ Synodi decreto firmatam cognosceret, & ab errore reuocatos esse fratres, quos vt mortuos deplorarat. At de Orientalibus rebus hactenus: quæ interim hoc eodem anno gesta sint in Occidente, videamus.

CVIVS BENEFICIO REVIXIT FIDES EXTINCTA IN ORIENTE.

Hoc pariter anno, quarto Idus Ianuarij, celebratum est in Hispania Concilium Toletanum ordine duodecimum numeratum, Era septingentesima vndeuigesima, anno primo Eruigij Regis, ipsis ferme eius regni primordijs, ad hoc (vt apparet) eiusdem Regis voluntate collectum, vt ipsi regnum Hispaniarum confirmaretur ab Episcopis, quibus his temporibus in Hispania tantum tribuit Christiana religio, vt absque ipsorum consen-

C su non liceret regnare cuiquam, quamuis heres esse defuncti Principis videretur. Collecti sunt Episcopi trigintaquinque præter tres alios, qui per vicarios interfuerunt, & Abbates quatuor; sancitiq. canones tredecim. Consummatum vero est Concilij (vt vltimus canon habet) octauo Kalendas Februarias eiusdem anni primi Eruigij Regis, dicta Era septingentesima decimanona. Sed audi, quam sapienter de vtilitate Conciliorum primo loco præfatus sit Rex verbis istis: Non dubium est, sanctissimi Patres, quod optima Conciliorum adiutoria ruenti mundo subueniant, si officiosis quæ corrigenda sunt, studijs peragantur, &c.] Ita præfatus, obtulit legendum in Synodo scriptum, quo de nuper susCONCILIVM TOLET. XII.

cepto regno reddens rationem, petijt, vt quod eorumdem assensu acceperat, ipsorum precibus & consilijs muniretur, pariter rogans per eos corrigi prauos mores, Iudæosq. inualescentes nimis comprimi, insuper & alia emendari. His auditis, Patres primum om-

D nium [a] fide Catholica cognita & stabilita, eiusdem Regis confirmarunt electionem, quam suo scripto iam Vuamba significauerat, consensuq. probauerat.

[a] *Concil. Tolet. 12. c. 1. 2. 3.*

Sequenti vero decreto de ijs egerunt Patres, qui consentientes acciperent in extremis (vt dictum est) pœnitentiam, mutatione habitus facta, tonsuraq. & veste religiosa susceQVAE STATVTA IN CONCILIO TOLETANO XII.

pta, ne eiusmodi possit violari vtcumque facta professio. Hæc autem idcirco Synodus, ne Regis Eruigij posset labefactari creatio, essetve spes vlla, vt Vuamba iterum repeteret regnum. pœnam tamen vnius anni excommunicationis statuerunt sacerdoti, qui cuilibet non petenti neque sentienti huiusce modi tribueret pœnitentiam.

Quarto deinde canone nouæ sedes Episcopales iussu Vuambæ Regis erectæ in diuersis Hispaniarum locis sublatæ sunt. Redarguti post hæc fuere in Synodo [b], qui plures vno die Missas celebrantes, in vltima tantum, non in singulis communicarent.

[b] *Can. 1.*

E Actum præterea in eodem Concilio, vt Toletanus Antistes ordinaret, quem Rex nominaret Episcopum, qui ordinatus suo deberet se præsentare Metropolitano. Hæc vt euidentius pateant, illud non ignorandum, Gothorum Reges in Hispania nominationem sibi vendicasse creandorũ Episcoporum, quorum nominatio referebatur ad Concilium, vt de persona, qualis esset, inquireret, digna ne sede haberetur Episcopali. Constant hæc ex veterum scriptorum monumentis [c]. Quoniam autem longæ moræ solerent intercedere in his omnibus curandis atque perficiendis, ob idq. contingere vacantes sedes diutius absque Episcopo permanere; id sancitum est in hoc Concilio, vt quem Rex nominaret, vnus Toletanus Episcopus posset, de persona habita inuestigatione solita, ordinare.

NOMINATIO A REGE FACTA A SYNODO EXAMINATVR.

[c] *Epist. Braulion. ad S. Isid. Concil. Tolet. & alij.*

Hoc licet in hac fuerit decretũ Synodo: tamen quod res admodum inuidiosa esset, cum in præiudiciũ reliquarum Archiepiscopalium sedium videretur id esse statutum, aduersus eiusmodi decretum constat fuisse ab Hispaniarum reliquis Episcopis tumultuatum, ab

eisq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eisq. in contrariam partem flexum Regem sibi timentem, ne reliqui Hispaniarum Epi- A
scopi rebellarent. Etenim Episcopi ipsi egere cum Romano Pontifice, vt omnes a primæ sedis eximerentur obedientia: hæc enim ita se habuisse, ostendunt quæ his verbis apud Lucam Tudensem scripta leguntur: Multa cũ Episcopis apud Toletum egit; leges, quæ a prædecessoribus suis conditæ fuerant, ex parte corrupit, & ex parte correxit, & ab Isidoro Hispalensi Episcopo Hispaniarum Primate traditas ex nomine suo adnotare præcepit, vel antiquas vocauit, ne nomine Ecclesiæ forum iudiciale agi videretur. Et Romani Pontificis assensu statuit, vt nullus Archiepiscopus Hispaniarum subderetur alicui Primati, nisi Romano.] hæc ibi: quibus intelligis, arbitrio Romanorum Pontificum pro temporis & personarum ratione dari & demi consueuisse Ecclesijs priuilegia, neque quicquam consistere quod Rex de his statuat, nisi Pontifex Romanus annuerit.

EPISCOPI HISPAN. ROM. PONTIFICI TANTVM SVBESSE VOLVERVNT.

Insuper præter alia, reperiuntur in eodem Concilio nono canone aduersus Iudæos plu- B
rima cumulata, & inter cetera, ne Iudæi libros legere audeant, quos fides Christiana repudiat: insuper & ne sæculares Iudices de Iudæorum excessibus absque sacerdotum consensu iudicare præsumerent. Indulsit [a] pariter sancta Synodus spatium triginta passuum foras progrediendi confugientibus ad ecclesiam. Hæc & alia in Synodo sunt statuta, quæ tu consulas.

[a] *Tolet. Synod. 12. c. 10.*

Hoc eodem anno graui fame ac peste laboratum in Anglia, testatur Beda [b], cum id con- C
tigisse tradat tres post annos ab apparitione cometæ illius, quæ mẽsibus tribus perdurauit, vt ex eodem auctore [c] colligitur. Tunc accidit, vt S. Vuilfridus Eboracensis Episcopus, qui pulsus sede, Romam profectus, Romanæ (vt vidimus) interfuit Synodo sub Agathone Pontifice; reuersus in Angliam, cum recipere sedem suam tyrannice occupatam non valeret, ad prædicandum Australibus Saxonibus Euangelium conuersus, eosdem adhuc Gentiles reddiderit Christianos. De his agens Beda [d], hæc habet post alia quæ ad famem spectant: Euangelizans autem genti Episcopus Vuilfridus, non solum eam ab ærumna perpetuæ damnationis, verum & a clade infanda temporalis interitus eripuit: siquidem tribus annis ante aduentum eius in prouinciam, nulla illis in locis pluuia ceciderat: vnde & fames acerbissima plebem inuadens, impia nece prostrauit. Denique fertur, quia sæpe quadraginta simul aut quinquaginta homines inedia macerati procederent ad præcipitium aliquod, siue ripam maris, & iunctis misere manibus pariter omnes aut ruina perituri aut fluctibus absorbendi decciderent. Verum ipsa die quo baptisma fidei gens suscepit illa, descendit pluuia serena & copiosa, refloruit terra, redijtq. viridantibus aruis annus lætus & frugifer.] & inferius narrat, eosdem Saxones alleuatos esse fame arte pi- D
scandi, quam vir sanctus Vuilfridus eos ad omnes pisces capiendos edocuit. subdit & de monasterio ibidem ab eodem Vuilfrido fundato.

[b] *Bed. lib. 4. c. 13.*

[c] *Bed. eod. lib. c. 12.*

[d] *Beda lib. 4. c. 13.*

FAMES INGENS IN ANGLIA.

CONVERSIO SAXONVM AVSTRALIVM.

Quod vero ad luem pertinet, quæ ex more famem secuta est, idem Beda quomodo ab ea liberati sint serui Dei, narrat verbis istis [e]: Eodem ferme tempore, quo ipsa prouincia nomen Christi susceperat, multas Britanniæ prouincias mortalitas sæua corripiebat: quæ cum præfatum quoque monasterium, cui tunc regendo reuerendissimus ac religiosissimus Christi sacerdos vocabulo Eappa præfuit, nutu diuinæ dispensationis attingeret, multiq. siue de his qui cum Antistite illo venerant, siue de illis qui de eadem prouincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperentur, visum est fratribus triduanum ieiunium agere, & diuinam suppliciter obsecrare clementiam, vt misericordiam sibi dignaretur impendere, siue periclitantes hoc morbo a præsenti morte liberaret, seu raptos e mundo a perpetua animæ damnatione seruaret. Erat tunc temporis in E
eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cum ergo secunda memorati ieiunij ac supplicationum dies ageretur, contigit forte ipsum puerum hora ferme secunda diei, in loco in quo æger iacebat, solum inueniri. Cui diuina dispensatione subito beatissimi Apostolorum Principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraq. deuotione sacramenta fidei, quæ susceperat, seruans.

[e] *Beda lib. 4. c. 14.*

PESTIS IN ANGLIA.

Salutantes ergo illum verbis pijssimis Apostoli dicebant: Noli timere, fili, mortem, pro qua solicitus es: non enim te hodierna die ad cælestia regna sumus perducturi: sed primum expectare habes, donec Missæ celebrentur, ac viatico Dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul & morte absolutus ad æterna in cælis gaudia subleueris.

Clama

A Clama ergo ad te presbyterum Eappam,& dicito illi, quia Dominus exaudiuit preces ve-
stras,& deuotionem ac ieiunia propitius aſpexit: neque aliquis de hoc monaſterio,ſiue de
adiacentibus ei poſſeſſiunculis, hac clade vltra moriturus eſt: ſed omnes qui alicubi de
veſtris hac ægritudine laborant, reſurrecturi a languore ad priſtinam ſunt ſoſpitatem re-
cuperandi,præter te ſolum,qui hodierna es die liberandus a morte, & ad viſionem Domi-
ni Chriſti,cui fideliter ſeruiſti,perducendus in cælum: quod diuina vobis miſericordia per
interceſſionem religioſi ac Deo dilecti Regis Oſuualdi, qui quondam genti Nordanhum-
brorum & regni temporalis auctoritate, & Chriſtianæ pietatis, quæ ad regnum perenne
ducit, deuotione ſublimiter præfuit, conferre dignata eſt: hac enim die idem Rex ab in-
fidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad ſempiterna animarum gaudia aſſumptus
in cælum,& electorum eſt ſociatus agminibus. Quærant in ſuis codicibus,in quibus defun-
B ctorum eſt adnotata depoſitio, & inuenient illum hac (vt diximus) die raptum eſſe de
ſæculo. Celebrent ergo Miſſas per cuncta monaſterij oratoria huius ſiue pro gratiarum
actione exauditæ ſuæ deprecationis, ſiue etiam in memoriam præfati Regis Oſuualdi,
qui quondam ipſorum genti præerat, ideoq. pro eis quaſi pro ſuæ gentis aduenis ſup-
plex orabat ad Dominum: & cunctis conuenientibus ad eccleſiam fratribus, com-
municent omnes ſacrificijs cæleſtibus, & ita ſoluto ieiunio, corpus quoque ſuis reficiant
alimentis.

NVNCIVM DIVINVM DE SALVTE MONACHORVM.

Quæ verba cum omnia vocato ad ſe presbytero puer narraſſet, interrogauit eum ſoli-
citus, quales eſſent habitu vel ſpecie viri, qui ſibi apparuiſſent. Reſpondit: Præclari om-
nino habitu & vultu erant lætiſsimi ac pulcherrimi, quales numquam ante videram, ne-
que aliquos hominum tanti decoris ac venuſtatis eſſe poſſe credebam. Vnus quidem at-
C tonſus erat vt clericus, alius barbam habebat prolixam; dicebantq. quod vnus eorum
Petrus, alius vocaretur Paulus, & ipſi eſſent miniſtri Domini & Saluatoris noſtri Ieſu
Chriſti ad tuitionem noſtri monaſterij miſsi ab ipſo de cælis. Credidit ergo verbis pueri
presbyter, & ſtatim egreſſus requiſiuit in Annali ſuo, & inuenit eadem ipſa die Oſuual-
dum Regem fuiſſe peremptum. Vocatisq. fratribus, parare prandium, Miſſas fieri, atque
omnes communicare more ſolito præcepit: ſimul & infirmanti puero de eodem ſacrificio
Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit. Quibus ita geſtis, non multo poſt,
eadem ipſa die puer defunctus eſt, ſuaq. morte probauit, vera fuiſſe verba quæ ab Apo-
ſtolis Chriſti audierat. Sed & hoc verbis eius teſtimonium perhibuit, quod nemo præter
ipſum tempore illo ex eodem eſt monaſterio raptus de mundo. Ex qua nimirum viſione
multi qui hæc audire potuerunt, & ad exorandam in aduerſis diuinam clementiam,& ad
D ſalutaria ieiuniorum remedia ſubeunda ſunt mirabiliter accenſi. Et ex eo tempore non ſo-
lum in eodem monaſterio, ſed & in pleriſque locis alijs cœpit annuatim eiuſdem Regis ac
militis Chriſti natalitius dies Miſſarum celebratione venerari.] hæc de his Beda.

PETRVS ET PAVLVS IN VISIONE COGNITI.

Fuerunt eodem peſtis tempore aliæ complures emiſſæ cælitus viſiones oſtenſæ corde pu-
ris Dei ſeruis: quæ cuncta quaſi imbrem ſuper plantatam recens Eccleſiam ad eam multi-
plicandam Deus concedere voluit,quæ & ſcriptis fideliter poſteris tradi ad excitandam fi-
delium tepeſcentium pietatem æque conceſsit: ex quibus Beda ipſe deſcripſit, nosq. ex
multis hic ea ex ipſo reddamus,quæ eodem libro,cum agit de ſanctiſsima Abbatiſſa Edil-
burga,de ipſius & aliarum ad Deum tranſitu habet his verbis *: In hoc etenim monaſterio
plura virtutum ſunt ſigna patrata, quæ & ad memoriam, ædificationemq. ſequentium ab
ijs qui nouere, deſcripta habentur a multis, e quibus & nos aliqua hiſtoriæ noſtræ Eccle-
E ſiaſticæ inſerere curauimus. Cum tempeſtas ſæpe dictæ cladis late cuncta depopulans,
etiam partem monaſterij huius illam, qua viri tenebantur, inuaſiſſet, & paſsim quotidie
raperentur ad Dominum; ſolicita mater congregationis, qua hora etiam monaſterij par-
tem, qua ancillarum Dei caterua a virorum erat ſecreta contubernio, eadem plaga tange-
ret, crebrius in conuentu ſororum perquirere cœpit, quo loco in monaſterio corpora
ſua poni & cœmeterium fieri vellent, cum eas eodem quo ceteros exterminio raptari e
mundo contingeret.

* *Bed. lib. 4. cap. 7.*

CHARISMATA NOVAE ECCLESIAE ANGLICANAE.

Cumq. nihil certi reſponſi, tametſi ſæpius inquirens, a ſororibus accepiſſet: accepit
ipſa cum omnibus certiſsimum ſupernæ prouiſionis reſponſum. Cum enim nocte qua-
dam, expletis matutinæ laudis pſalmodijs, egreſſæ de oratorio famulæ Chriſti ad ſepul-
chra fratrum, qui eas ex hac luce præceſſerant, ſolitas Domino laudes decantarent: ec-
ce ſubito lux emiſſa cælitus, veluti linteum magnum venit ſuper omnes; tantoq. eas ſtu-

DE LOCO COEMETERII DIVINITVS DEMONSTRATO.

pore

pore perculit, vt etiam canticum, quod canebant, tremefactæ intermitterent. Ipse autem A
splendor emissæ lucis, in cuius comparatione Sol meridianus videri posset obscurus, non
multo post illo eleuatus de loco, in meridianam monasterij partē, hoc est, ad Occidentem
oratorij secessit, ibiq. aliquandiu remoratus, & ea loca operiens, sic videntibus cunctis,
ad cæli se alta subduxit, vt nulli esset dubium, quin ipsa lux, quæ animas famularum Chri-
sti esset ductura vel susceptura in cælis, etiam corporibus earum locum, in quo requietura
& diem resurrectionis essent expectatura, monstraret. Cuius radius lucis tantus extitit, vt
quidam de fratribus senior, qui in ipsa hora in oratorio eorum cum alio iuniore positus
fuerat, referret quod mane ingressi per rimas ostiorum vel fenestrarum radij lucis omnem
diurni luminis viderentur superare fulgorem.] hæc de visione indicante locum cœmeterij
construendi: quibus significatum diuinitus fuit, quod etsi Domini [a] est terra & plenitu- *a Psal. 23.*
do eius, & in manu eius omnes fines terræ, & vbicumque sepulti fideles sint, in manu B
Dei sunt ossa eorum: peculiari tamen ipsum membra sui corporis prosequi cura ac prouidentia, monereq. proinde mortales, eosdem pio cultu venerari debere sacros cineres, quorum locum desuper tanto fulgore ipsa dignata est Diuinitas illustrare. Subijcit his Beda alia de sanctis virginibus e mortalibus erutis, ac demum de ipsa Aldiburga ex eadem lue perempta, atque in cælum vna cum illis ad Deum perducta: quæ cuncta nos breuitatis gratia prætermittimus; tu ipse velim consulas ipsum, qui præ manibus fere omnium habetur auctor.

Ad postremum vero quod spectat ad regnum Longobardorum, hoc anno Cunipertus a patre Bertarido, regni eius octauo, in regni consortium adsciscitur, regnauitq. cum pa- *b Paul. diacon. lib. 5. c. 23.* rente annis decem. ita Paulus diaconus habet [b]. C

IESV CHRISTI ANNVS 682. SEDES VACAT. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 15.

AGATHONIS PAPAE OBITVS.

SEquitur annus Redemptoris sexcentesimus octogesimus secundus, Indictione decima, quo Agatho Papa quarto Idus Ianuarij ex hac vita migrauit. ita Anastasius, ita & Romanum Martyrologium, vbi inter sanctos ea die reperitur adscriptus. Nec est quod eius obitus ad annum superiorem dicta die possit referri, quem post illud tempus superstitem fuisse, Synodi Sextæ Acta declarant. Porro de Agathone, præter illa quæ superius sunt enarrata, Anastasius ista habet: Hic diuisit omni clero rogam vnam, & ad lumina- D
ria Apostolorum & sanctæ Mariæ ad Præsepe solidos mille centum sexaginta. Fecit autem ordinationem vnam, creauit Episcopos decem, diaconos tres, Episcopos per diuersa loca numero octodecim: qui sepultus est ad beatum Petrum sub die quarto Idus Ianuarij. & cessauit Episcopatus eius annum vnum, menses septem, dies quinque.] hæc Anastasius.

TEMPVS VACATIONIS SEDIS.

Porro de causa tam longæ vacationis verbum *nullum*: verum tamdiu sedem vacasse Pontificiam, Acta decimæquartæ Synodi Toletanæ æque significant. Etenim cum constet eam Synodum celebratam anno Domini sexcentesimo octogesimoquarto fuisse, in eaq. asseri canone secundo, tunc S. Leonem Papam fuisse superstitem: cumq. omnium testificatione certum sit Leonem non amplius quam menses decem & dies octo sedisse: vtique affirmare necesse est, Leonis electionem non ante annum sequentem contingere potuisse.

MORTVO GEORGIO SVBROGATVR THEODORVS DAMNATVS HAERETICVS.

Tanta solitudo, vt tanto tempore viduata pastore Romana Ecclesia perseuerarit, ali- E
quid turbarum intercessisse, argumento haud dubio demonstrat; sed vnde emerserint illæ, nihil inuenimus declaratum. Verum nouus rerum status Constantinopolitanæ Ecclesiæ de eiusmodi nouitate suspicionem haud leuem affert. Hoc namque anno (vt ex Nicephoro eiusdem Ecclesiæ Episcopo habetur expressum) Georgius Constantinopolitanus Episcopus, cum sedisset annos tres ac totidem menses, moritur; inq. locum eius subrogatur Theodorus Syncellus, quem ante Georgium fuisse ex eodem throno depositum, superius diximus. Hunc vero Monothelitarum hæreticorum fuisse patronum, & in impietate collegam Macarij Antiocheni, infensissimumq. hostem Romanorum Pontificum, quæ dicta sunt superius, satis docent, cum & pariter demonstratum est, huius artibus Acta Sextæ Synodi passa esse iacturam haud leuem. Vt enim iste versipellis, formas mutare doctus, Catholicam fidem ceu laruam suscipiens, eam ad exhibendum se foris Catholi-

cum

A cum aggressus est profiteri, ad Patriarchatum sibi reditum præparauit: quem nactus, par est credere, quod omnia, per quæ in Actis eiusdem œcumenicæ Synodi nouit sibi infamiam ob hæresim irrogatam, prorsus abstulit, atque alia pro animi sententia adiecit. cuius perfidi hominis imposturas argumentis haud dubijs anno superiori, cum de Honorio Papa egimus, aperte satis significauimus.

Quisnam præter ipsum Imperatori potuit ingessisse, vt legatos Roma ad Synodum missos tamdiu post ipsam absolutam Constantinopoli detineret, donec nouus Romæ Pontifex crearetur, interim vero ea Synodalia Acta Constantinopoli dimoueri non sinerentur: & procurasse vt tardius ordinaretur Romæ Pontifex, ne esset qui interea suis molitionibus posset obsistere? adhuc enim apud ipsum Imperatorem repositum erat, quem clerus Romanus eligeret, confirmare. Magna fuit ista tentatio, vt tunc in rebus
B summis Romana Ecclesia vexaretur, cum careret ipsa pastore: quo, nemine contradicente, Acta Synodalia (saluo tamen fidei confirmato decreto, quod conuellere non liceret) pro arbitrio Theodori pœnitentiam simulantis, hæretici bis impij, mutarentur. Quibus ipse arietibus credendus est quatijsse mentem solidam Catholici Imperatoris, non vt a fide Orthodoxa diuelleret (quod nec sibi frustra tentandum putauit, quod sciret absque sedis nuper recuperatæ dispendio non licere) sed vt Synodalia Acta, antequam ederentur, ne quid esset quod ijsdem posset obijci, aptarentur? (nisi magis illo inconsulto, pro animi sententia id aggressus) illud prætexens haud absurdum debere existimari, sed perneccessarium duci, si præterita scandala reuocarentur in mentem; nimirum cum ob Tria capitula inemendata in Concilio Chalcedonensi, tanta essent in Ecclesia Catholica oborta diffidia, ad quæ componenda, & perperam facta emendanda, opus fuerit tandem
C post tot Ecclesiæ damna aliam conuocare Synodum œcumenicam, Quintam dictam, quæ corrigeret, quæ inemendata edita reperirentur in Quarta. Quanto vero maiori suffundendi pudore Catholici essent, si bis in id ipsum (vt est in prouerbio) relabi contingeret?

DETEGVNTVR THEODORI MACHINAMENTA.

In memoriam reuoca (dixisse putatur ille nequissimus ad Imperatorem) quanto turbarum motu vniuersus Christianus agitatus est orbis, quod homo diu ante defunctus licet, cum de ipso haberi mentionem in Chalcedonensi Concilio contigit, non inter hæreticos adnumeratus, neque cum illis sententiam damnationis acceperit Theodorus Mopsuestenus (vt modo dicere omittamus de Iba atque Theodoreto & scriptis ipsorum) adeo vt opus fuerit rursum Concilium œcumenicum ad hoc potissimum cogi, vt idem Theodorus (quod non fecerat Synodus Chalcedonensis) damnaretur hæreticus? At quomodo
D existimas, Imperator, posteros fore passuros, præsertim vero Orientales, cum lecturi sunt in ipsis Sextæ huius Synodi Actis Synodalibus, tot Constantinopolitanæ Ecclesiæ, necnon Alexandrinæ & Antiochenæ Patriarchas scientia sublimes viros vno simul ictos anathematis fulmine cum dedecore iacere prostratos, totius orbis ignominiæ expositos, & ad omnem locum, quo ipsa Acta contigerit peruenire, veluti vnco tractos ostentari damnatos, Honorium vero Romanum Pontificem prætermissum, qui a nostris collega reperitur eiusdem esse assertus erroris? Qui igitur sedis prærogatiua & alijs ad lapsum causa fuit, vtique inter illos primus fuerat adnumerandus, fortasse & solus.

QVO PRAETEXTV AGREDIATVR SYNODALIA ACTA CORRVMPERE.

Quis enim non se bene de fide Catholica credere, vel leuiter poterit dubitare, si quem sequatur, nactus sit Romanum Pontificem? Vnde veniam merentur Constantinopolitanæ Ecclesiæ prædecessores Patriarchæ (vt dicere modo prætermittamus de reliquis) si se-
E cuti sunt in credendo, quem errare non posse, hactenus constantissime creditum & assertum firmissime in Ecclesia sæpe fuit. Venia dignus & ego ipse, qui Honorij non vt hominis alicuius, sed velut Petri, immo & Dei me putaui, ipsum in dogmatibus sequens, securum vestigia consectari: siquidem sententia Domini, non est discipulus super magistrum, & sat erit discipulo, si sit sicut magister eius. Vt merito a veritatis linea eos tunc existimauerim aberrare, qui cum Honorio minime consensissent; iureq. extorres putauerim fidei Orthodoxæ eius successores, qui prædecessoris fidem minime conseruassent. Hinc mihi orta, Imperator, illa animi firma constantia, vt præter Honorium neminem successorum Pontificum in sacris legi diptychis passus fuerim, neque Vitalianum ipsum de Imperio Occidentali adeo bene meritum, tuo licet iussu compellerer; vt potius passus sim carere throno, quam a fide Catholica cadere, quam putabam, sequens Honorium, conseruare. Eiusdem quoque animi & consilij fuisse prædecessores meos, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Pe-

FALSVS PRAETEXTVS EX HONORIO SVMPTVS.

trum, ipſorum quæ adhuc extant ſcripta ſignificant, ſicut & Macarij Patriarchæ Antiocheni, quibus gloriabantur omnes ſe vnum inſtar omnium habere Honorium Romanum Pontificem, quem ſequerentur dogmatis aſſertorem. A

LABORAT VT HONORIVS INTER DAMNATOS RECENSEATVR.

At cum magno Dei beneficio veritas diu exulans œcumenici Concilij ſententia fuit nobis poſtliminio reſtituta, proditumq. luce clara, ſero licet, nos omnes ſecutos Honorium, hactenus errauiſſe; æquo animo paſſi ſumus (Macario cum ſuis excepto) vna cum hæreſi iure damnari. Sed reſipiſcentes, mirati ſumus inter nos & ante nos Honorium non numeratum, quem vnum omnes in primis ſectæ prædicabamus Antiſtitem. Num quia mortuus, damnari non debuit? Sed hac ratione nec tot prædeceſſores mei, quos diximus, damnari debuerunt ante defuncti. Verum ſoluit Quinta Synodus nodum iſtum, damnans hæreticos, qui ante plura ſæcula vixerant, hactenus indemnatos. Aeque ergo omnes errantes vel teneat vna ſententia, vel æque abſoluat indulgẽtia: nulla ſit acceptio B perſonarum. Si eximitur e numero damnatorum Honorius, cur ego cum prædeceſſoribus meis perpetua infamiæ nota cum illis adnumeror? At ſi non requirant hæc mortui, poſſum ego ſuperſtes tanto inflicto vulnere non dolere? Sed licet ſileam, meum mærorem deuorans patientia: putas ne poſteros iſta adeo inæqualia præterituros eſſe ſilentio, cum tot viderint in ſacris diptychis expunctorum Patriarcharum nominum patere opprobrio ſempiterno Eccleſiæ noſtræ lacunas, contra vero tot Romanos Pontifices in eadem poſtea reſtitutos. Sed de his vtpote Orthodoxis faceſſet inuidia: de Honorio certe iuſtæ numquam erunt ceſſaturæ querelæ aduerſus Synodum, atque te ipſum, Imperator, qui Synodalibus Actis præſens fueris, & tacueris, cum tale vulnus inflictum eſt Synodo, dum acceptione perſonarum, humano fauore potius quam iuſtitia actum eſſe intelligetur, quod inter hæreticos condemnatos non inueniatur numeratus Honorius. C

SVAM CAVSAM THEODORVS AGIT.

Vt demum perorans meam cauſam abſoluam: Quia abs te dignus ſum exiſtimatus, vt in priſtinam ampliſſimæ dignitatis ſedem rectæ fidei confeſsione reſtituar; idem ipſe non relinquar in Synodalibus Actis numeratus inter hæreticos. Si ad honores reuocor, cur infamia ſugillatum chartæ indelebili nota me retinent? quæ & hac ex parte te quoque afficiant contumelia, quod talem ad ſedem Patriarchalem prouehendum curaueris, quem œcumenicæ Synodi Acta hæreticum eſſe conclament, & vt hæreticum damnent. Quem Patriarcham facis, hæreticum ſcriptum manere; ne patiaris: ſit integra reſtitutio, vt ſit integrum beneficium, atque meæ omni ex parte conſultum ſit dignitati, ne & tui iudicij æſtimatio de mea reſtitutione teſtimonio Actorum Synodalium apud poſteros male audiat.

QVID FRAVDVLENTER ACTVM PER THEODORVM.

Exigit & id abs te Eccleſia Conſtantinopolitana, quæ non ſine lacrymis iugiter te D interpellat vocibus iſtis: Poſt tot funera meorum Antiſtitum, tua benignitate depoſui veſtem viduitatis meæ, reduce ſponſo: Sed numquid [a] non iſte torris eſt erutus de igne? Si eſt ſponſus, cur adhuc indutus ſordibus aſtat? cur inquam inter damnatos hæreticos computatur? Iubeas auferri eiuſmodi veſtimenta ſordida, atque indui candidis indumentis, & ſplendentem ſuper caput eius imponi cydarim. Sic mihi placeat ſponſus meus, vt nec nomine tenus damnatis iungatur hæreticis. Iſta inquam & alia his maiora Theodorum omnium malorum opificem adhibuiſſe machinamenta ad perficiendum quod cuperet, quiſque prudens facile exiſtimare poterit, cum ad perſuadendum Imperatori vteretur non eloquentia tantum, ſed comparatis ad decipiendum ſumma arte vndique fraudibus: quouſque tandem voti compos factus, in ſuum arbitrium acceptis Synodalibus Actis, eadem (vt dictum eſt ſuperius) vitiauit atque corrupit, ſuum nomen e nume- E ro ſubtrahens damnatorum, adiungens eis Honorium Romanum Pontificem, prædeceſſores vero Patriarchas hæreticos Thomam & alios collocans inter pios.

a Zach. 3.

Iſta quidem cum audis, haud puto, prudens lector, dices excogitatum a nobis eſſe figmentum, ſed firmiſſimum argumentum, ſi in memoriam reuoces, quæ anno ſuperiori, cum de Honorio ipſoq. Theodoro & alijs egimus, dicta ſunt. Si itaque veritatis adeo amator es, vt latentem etiam ſtudeas eam conſequi coniecturis, vtique te eam nactum eſſe gaudebis, cum iſtud ipſa Acta Synodalia clament, lugeantq. ſua vulnera, atque eſſe manu ſcorpij deprauata, pluribus additis, atque itidem pluribus mutilatis, non ab alio, quam ab eo qui comprehenſus eſt fur, peſſimo Theodoro, deplorent. Neque enim in alijs, quam in his dices inſumptum eſſe Conſtantinopoli annum vnum ac ſeptem menſes vſque ad ſucceſſoris Agathonis ordinationem, quando tandem dimiſſi

ſunt

A sunt ab Imperatore legati redire Romam ad nouum Pontificem. Quæ autem post hæc secuta sint, suo loco dicturi sumus. Interea vero quæ reliqua sunt anni huius rerum gestarum, ordine temporis prosequamur.

Quod ad res Occidentalis Ecclesiæ spectat, nihil præterea memoria dignum Annales exhibent, nisi quod hoc anno celebratum fuisse reperitur in Gallia Concilium generale Rothomagense sub sancto Ansberto eiusdem ciuitatis Episcopo, cuius Acta desiderantur: tantum enim mentio de ipso est apud Angradum monachum, dum eius sancti res gestas est prosecutus, agensq. de rebus monasterij Fontanellensis, hæc habet [a]: Facta est autem hæc priuilegij auctoritas sub anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimosecundo, Indictione decima, qui est annus præfati glorioſi Regis Theodorici tertius decimus, & præfati venerandi præsulis Pontificatus annus quintus, in Synodo generali Rothomago B vrbe habita, vbi plurima Deo accepta & sanctæ Ecclesiæ vtilitatibus profutura disputata sunt. Affuerunt quoque & sancti Pontifices, alijq. venerabiles viri ab ipso præcipuo Præsule euocati, quorum subter tenentur nomina adscripta.

CONCILIVM ROTHOMAGENSE.

[a] Extant apud Sur. die 9. Febr. tom. 1.

Ansbertus Archiepiscopus vrbis Rothomagensis huic Concilio præfui & subscripsi. Radbertus Episcopus, Regulus Episcopus, Airadus Episcopus Carnotenæ vrbis, Ausoaldus Episcopus Pictauiensis vrbis, Aquilinus Episcopus Ebroicinæ vrbis, Cadoenus Episcopus, Arnonius Episcopus, Saluius Episcopus, Desiderius Episcopus, Fulcrannus Episcopus, Ioannes Episcopus, Vuillebertus Episcopus, Gerebaldus Episcopus Baiocassinæ vrbis, Taurinus Episcopus, Annobertus Episcopus Sagiensis vrbis. Celsus Abba, Audomarus Abba, Scladio Abba, Bosochindus Abba, Genardus Vicedominus glorioſus antefati magni Pontificis. Ermentrannus, Ferrocinctus, & Fortianus Archidia- C coni venerandi. Aderat quoque presbyterorum residentium & diaconorum circumastantium magnus numerus. Ragnomirus lector, huius sancti Concilij gesta, & hanc priuilegij auctoritatem, ipso sancto Pontifice jubente, recognouit & subscripsit.] Quodnam autem eiusmodi priuilegium esset, idem auctor paulo superius his verbis significat:

EPISC. CONCILII ROTHOMAGENSIS.

Priuilegij sui auctoritatem eidem edidit, vt per succedentia tempora (secundum sancti Patris Benedicti regulam, & vt præcedentium Regum, Clodouei videlicet & Clotharij, simulq. Childerici & Theodorici priuilegiorum auctoritates docent) ex semetipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent. In qua etiam iustæ alligationis verbo præsentes futurosq. qui ibidem Domino militaturi erant, constringit, vt sicuti sub eius regimine, ita & deinceps & ipsi & posteri eorum secundum regulam sancti Patris Benedicti fideliter Christo deseruirent. Quod si aliquando, peccatis exigentibus, aut negligentia pa- D storali a via rectitudinis & obseruatione regulæ sancti Benedicti in futuro deuiare conarentur, aut cogerentur: tunc conuocatio sanctorum sacerdotum, reliquorumq. militum Christi vnanimiter fieret, eorumq. per consilium in pristinum reducerentur statum. Si vero hac Pontificali auctoritate postposita, qualibet cauillatione sinistram elegissent vitam ac conuersationem tenere: sub vinculo anathematis æternaliter se damnandos scirent.] hactenus ex Actis Rothomagensis Concilij Angradus.

DE PRIVILEGIO MONASTERII FONTANELLEN.

Quem autem legisti Audomarum Abbatem eidem Synodo interfuisse, hunc fuisse putamus mirandæ sanctitatis virum, qui alumnus fuit monasterij Luxouiensis, & his temporibus monasterio præerat; postea vero electus Morinensis Episcopus, Apostolico munere in conuertendis ad fidem Gentilibus claruit, licet in Actis eius de monastica præfectura verbum nullum. De Aquilino vero Ebroicensi Episcopo, qui eidem Synodo interfuit, E certum est ipsum egregia claruisse sanctitate, & inter sanctos relatum anniuersaria memoria coli decimanona mensis Octobris. extant eius vitæ præclaræ Acta [b].

S. AVDOMARVS ABBAS.

S. AQVILINVS EPISCOPVS EBROICEN.

[b] Apud Sur. die 19. Octob. tom. 5.

ANnus Christi sequitur sexcentesimus octogesimustertius, Indictione vndecima: quo, vbi Ecclesia Romana pastore vacasset (vt diximus ex Anastasio) anno vno,

LEO II. PAPA CREATVR.

mensibus septem, ac diebus quinque, tandem accepit Leonem Pontificem huius nomi- A
nis secundum, creatum, siue potius ordinatum decimaquinta mensis Augusti. De cu-
ius ordinatione hæc apud eumdem Anastasium: Suprascriptus sanctissimus vir ordinatus
est a tribus Episcopis, id est, Andrea Ostiensi, Ioanne Portuensi, & Placentino Veliter-
nensi, pro eo quod Ecclesia Albanensis Episcopum minime habuit.] hæc ipse, qui & de
eius doctrina atque moribus ista scribit: Leo natione Siculus, ex patre Paulo, vir elo-
quentissimus, in diuinis Scripturis sufficienter instructus, Græca, Latinaq. lingua erudi-
tus, cantilena & psalmodia præcipuus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione
limatus, lingua quoque scholasticus, eloquendi maiori lectione polita, exhortator
*plebiq. omnium bonorum operum, plerisque * florentissimam ingerens scientiam, paupertа-
tis amator, & erga inopum prouisionem non solum mentis pietate, sed & studij sui la-
bore solicitus.] hæc de eius moribus atque scientia Anastasius. Iam vero reliqua pro- B
sequamur.

Vbi autem arbitrio Imperatoris confirmantis electionem Romani Pontificis Leo Papa
Pontificatum administrandum accepit, idem Imperator detentos hactenus legatos Apo-
stolicæ sedis Romam redire permisit, quibus & Synodalia Acta a Theodoro (vt diximus)
ACTA MVTATA ROMAM MISSA. deprauata, non (vt præsetulit) castigata, eademq. Græce scripta, Romam ad Ponti-
ficem perferenda tradidit; quæ accepta Leo Latinitate donauit. Fuisse in eis nomen Ho-
norij inter damnatos hæreticos numeratum inuentum, prout eadem quæ præ manibus
habentur Acta præseferunt, æque Anastasius assentitur, qui tamen in Agathone (vt vi-
dimus) dum agit de eadem Synodo numeratq. singulas Actiones, atque res gestas in eis,
recensetq. damnatos hæreticos singillatim, nullam de Honorio habuit mentionem: vt
intelligas, in legitima Synodo, Actisq. eius temporibus Agathonis nihil penitus (vt an- C
no superiori demonstratum est) aduersus Honorium Papam fuisse a Patribus definitum,
immo neque tentatum; secus vero postea, vbi ex hac vita subductus est Agatho. Quas
enim inuenit a maioribus scriptas collegit Anastasius ipse res gestas Romanorum Ponti-
ficum, & quæ de singulis Sextæ Synodi Actis reperit narrata in Agathone, ea in lucem
prodidit, & quæ in Leone pariter; sed quæ in Agathone, eadem fuisse germana Syno-
di Acta summatim præstricta liquet, quæ vero in Leone, eadem ex corruptis (vt vidi-
mus) eiusdem Sextæ Synodi Actis Romam missis, cum damnatione Honorij, recepta esse
a Leone Pontifice, credita sunt a pluribus testificatione litterarum ipsius Leonis, exi-
stimantes nimirum eas illius esse: nulla de illis habita exacta in re tanta (vt opus fuis-
set) inuestigatione.

Quæ si germanæ probari possent, tunc alterum de duobus oportuit euenisse: vel quod D
eam iniquissimam conditionem necessitas temporis Leonem subire coegerit, vt si id
non fecisset, damnata hæresis iterum reuixisset, Actaq. Synodalia aduersus eam abo-
lenda fuissent: vel quod Leo præteritarum rerum ignarus nesciisset, ipsa Acta legiti-
ma Sextæ Synodi, atque ipsum præterijsset, quæ de scriptis Honorij epistolis vel per
Ioannem Pontificem, vel per Maximum Abbatem declaratio, siue defensio præcessis-
set. Sed horum neutrum in Pontifice culpa caruisset. Ceterum versamur in profunda
rerum obscuritate, vt nonnisi manu tentantes dubie incedere fas sit, cum præsertim
quæ reperiuntur Leonis epistolæ omnino fide careant, vt quæ dicentur inferius demon-
HONORII FIDES CATHOLICA NON POTEST LABEFACTARI. strabunt: Quicquid sit, illud vnum assertum sæpe superius & multipliciter demonstratum,
quod verum certumq. existat, firmissimum semper erit, & omni ex parte inconcussum
atque solidum permanebit, nempe Honorium nequaquam fuisse hæreticum, neque in E
legitima Synodo esse damnatum, vel potuisse iure damnari: adeo vt quæcumque aduer-
sus hæc, & a quocumque dicta fuerint, necesse sit penitus euanescere. quamobrem magis
ipse Leo, si quæ feruntur, vere ipsius essent epistolæ, indigeret apologia quod cedere vi-
sus esset Græcorum impostura de Honorij asserta falsa damnatione. at ipsæ esse adulteri-
næ, penitus conuincuntur.

Sed antequam de fide Leonis epistolarum exacta discussio fiat; quæ acciderint con-
demnatis hæreticis Romam Constantinopoli missis, cum legati rediere in Vrbem, ex Ana-
stasij verbis hic describamus. sic enim se habent: Verumtamen suprascriptos defensores
malorum hæreticos, Macarium, Stephanum, Polychronium, & Anastasium, dum nollent
a suo recedere proposito, per diuersa monasteria Leo retrusit. Qui prædictus sanctissimus

Leo

A Leo absoluit duos viros in percipienda communione, qui de regia vrbe cum prædicto Macario & ceteris in Romanam directi sunt ciuitatem, necdum a Synodo anathematizatos, id est, Anastasium presbyterum, ac Leontium diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ in die sancto Theophaniæ, exponentes videlicet per propria scripta fidem suam, iuxta quod & sancta Synodus determinauit, anathematizantes videlicet omnes hæreticos, sed & suprascriptos viros complices, quos sancta Synodus, vel sedes Apostolica anathematizauit.] hæc de restitutione lapsorum ex veterrimo Ecclesiæ more, vt alicuius nominis hæretici palinodiam recantaturi ad Romanam Ecclesiam mitterentur.

Iam vero maximi momenti rem aggrediamur, disquirere scilicet de fide epistolarum Leonis Pontificis; vtpote quibus cum magnopere infametur nomen Honorij, tamen magis ipsius Leonis fama labefactatur: etenim prophetis improbis a Domino exprobratum
B est [a], quod occiderent qui non morerentur, & viuificarent eos qui non viuerent, dum scilicet damnarent eos quos Deus saluaret, absoluerent vero illos quos diuina iustitia condemnaret. Antequam autem Leonis Papæ epistolarum lectio subijciatur, hic reddendæ erunt litteræ Constantini Imperatoris ad eumdem Pontificem datæ, quibus dum de rebus in Synodo gestis eumdem reddidit certiorem, se eiusdem Synodi Acta ad ipsum misisse significat, rogatq. demum, vt quam citius possit Apocrisarium Constantinopolim mittat. Est autem eiusmodi Imperatoris epistolæ titulus:

[a] Ezech. 13.

Leoni sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo veteris & clarissimæ vrbis Romæ, & œcumenico Papæ.] & post hæc ista habet adiecta: Missa est mense Decembri, Indictione decima.] Hic iam insurgunt difficultates, quæ de impostura suspicionem saltem non leuem ingerant. Etenim cum primæ ad Leonem missæ hæ litteræ censeantur, quibus de
C rebus in Synodo gestis certior redditur: quomodo accidisse potuit, vt cum Leonem Pontificem mense Augusto (vt vidimus ex Anastasio) creari contigerit, nonnisi post quatuor menses ad eum scripserit Imperator? Sed & quomodo decima Indictione scripta ab eo epistola dicitur data hoc anno mense Decembri, quo tempore duodecima esset Indictio, quæ iam a mense Septembri fuerat inchoata? Sed demus mendum in codicem irrepsisse, vt decima pro duodecima fuerit errore descripta: non enim adeo rigidi censores sumus, vt pro vno vel altero, qui in numero reperiatur error, si alia concordent, mox arguamus epistolam esse spuriam, ac proinde reijciendam; secus vero, si quæ in ea leguntur, ex multis argui possint erroris. Vt autem in Græcorum scriptis haud ita secure absque trepidatione libereq. incedere liceat, ipsamet Sextæ Synodi Acta demonstrant (vt alia ad hæc testimonia adducere non sit opus) vbi de ternionibus ad Quintam Synodum
D additis publicam inspectionem fieri contigit. Sed iam ipsam Imperatoris videamus epistolam, quæ Latine reddita sic se habet [b]:

[b] Extat tom. 2. epist. Rom. Pon. in Leone 2.

Cælorum æternum regnum & beatitudinem expetentes, & ad spiritualem adoptionem pia nostra consilia dirigentes, ea meditamur ac gerimus, quibus studia nostra bene euenire possint. Quid igitur Dominus in Euangelijs [c] pollicitus est? Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Ad hoc autem promissum, quo ad diuinam cognationem extollimur, & adoptionis nobilitatem assequimur, peruenire cupientes, ipsumq. Christum imitantes, a quo sumus corona redimiti, quiq. in se ipso omnia Deo reconciliauit; ad pacem & concordiam adducere studemus nostram Christi amantissimam Rempublicam. Præcipue vero nobis curæ est sanctarum Dei Ecclesiarum ordo; assidueq. hoc prospicimus, vt vnitatem fidei conciliemus. Quamobrem valde succensuimus, nec modice potuimus ferre
E tantum hoc, quod diuturnitate temporis corroboratum est dissidium, vt ab infidelibus ij qui Christum diligunt irriderentur, illisq. lætitiæ fuerint odia inter se Christianorum. Nam illorum oppugnationem omittentes, alij in alios linguas quasi nouaculam acutam maledictis & conuicijs armabant, fidemq. dissensionibus discindebant.

[c] Matth. 5.

Hæc ante ætatem nostram cœpta, & ad tantam progressa malitiam, vt insanabile illud malum esse videretur, comprimere, difficile ac molestum erat, molestius vero prætermittere. Irritabant Deum, nostram quoque mansuetudinem irritabant. Non aliter igitur morbum Ecclesias opprimentem curare in animum induximus, quam vt Dei sacerdotes & cultores, taliumq. curatores malorum ad deliberationem & consilia habenda hortaremur. Compluries enim Ecclesia impressionibus hæresum periculose ægrotauit: at non aliter orthodoxiæ accepit medicinam, quam piorum & Christi amantium Imperatorum adhortatione, sacerdotum vero a Deo institutorum consilijs ac cœtibus.

Quapropter ſancti Papæ Agathonis beatitudinem pijs apicibus noſtris ſumus hortati, A vt aliquot mitteret, qui eius perſonam obtinerent.] Hic ſiſte gradum, quod offendiculum haud facile ſuperandum occurrit. Apertum ſiquidem conuincitur eſſe mendacium, quod his litteris dicitur, de Synodo cogenda ſcriptas eſſe litteras Imperatoris ad Agathonem: ſiquidem nullæ ea de re ad Agathonem, ſed ad prædeceſſorem eius Donum Pontificem eo argumento datæ fuerunt litteræ, id teſtante ipſo Imperatore in litteris ad Georgium, idq. pariter aſſerente Agathone in epiſtola ad Imperatores ſcripta, id etiam Actibus Synodalibus, id denique Anaſtaſio Bibliothecario & alijs affirmantibus. Sed reliqua proſequamur:

Ceterisq. ſanctiſsimis Præſulibus denunciauimus, vt ſibi quiſque ſubditos venerabiles ſacerdotes conuocantes, omnes ſimul in noſtram a Deo conſeruandam & regiam vrbem conuenirent, vt putrefacti & ſcandalizantis membri inutilitatem excinderent, cum maxime nollet curam recipere, ceterumq. Chriſti corroborarent corpus doctrina & ca- B taplaſmatibus pietatis. Expedit enim (vt euangelice dicatur) vt vnum membrum pereat, & conſeruetur totius Eccleſiæ plenitudo. Et quidem ex noſtra aduocatione & iuſſione, cum & ij qui a parte ſunt veſtræ beatitudinis, & qui cum ipſa poſt ipſam ſolium obtinent ſanctiſsimi Patriarchæ, ceteriq. omnes almi Epiſcopi conueniſſent, & conſediſſent vna cum noſtra pietatis ſtudioſa tranquillitate, de fide tractatus eſt habitus.

Cumq. protinus ſuggeſtionem ſancti Papæ Agathonis ad poteſtatem noſtram ij qui vice eius fungebantur obtuliſſent, nempe Abundantius, & Ioannes, & Ioannes ſanctiſsimi Epiſcopi, Theodorus & Georgius Deo amabiliſsimi presbyteri, & Ioannes Deo amabilis Archidiaconus, & Conſtantinus venerabilis hypodiaconus, & Theodorus Deo amabilis presbyter Eccleſiæ Rauennæ, quiq. cum ipſis eam ſerenitati noſtræ porrexerunt: quam cum iuſsiſſemus omnibus audientibus recitari, ſane nec adulteratæ fidei charactē- C rem in ea perſpeximus.

Perpenſis enim Euangelicis & Apoſtolicis vocibus, comparatisq. cum ipſa ijs quæ a ſanctis & vniuerſalibus Concilijs ſtatuta ac definita ſunt, collatis præterea teſtimonijs, quæ afferebat, cum paternis libris: nihil non concinens inuentum eſt, ac nihilum immutata veræ confeſsionis ratio in ea perſpecta. Ac veluti principem Apoſtolici chori, primiq. loci Antiſtitem Petrum contuiti ſumus mentium noſtrarum oculis, totius diſpenſationis my- ſterium diuinitus eloquentem, verbaq. hæc per eas litteras Chriſto facientem [a]: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Nam ipſum totum Chriſtum nobis ſacræ eius litteræ differendo exprimebant: quod omnes libentibus animis ſincereq. accepimus.

a Matth. 16.

Solus autem cum ijs, quibuſcum abreptus eſt, defecit a nobis Macarius, qui pro ſuo nomine felix non eſt, is qui Antiochenſium vrbis Præſul fuit: ab iugo Chriſti ſe ſubduxit, D & a ſacerdotali conuentu exilijt, ac renuit ſanctiſsimis Agathonis litteris aſſentiri, veluti in ipſum coryphæum ac principem Petrum inſaniens. Non defuere monita, crebra hortatio adhibita eſt ei: omnes enim conuerſionis vias monſtrauimus, quid non dicentes? quid non molientes atque intentantes? eorum maxime quæ a ſacerdotali collegio ſeparant. Abeuntem ſequebamur ac retinebamus: ob commiſerationem viſcera noſtra dilacerabantur, cum ille diſiungeretur a Domini grege. Sed facies meretricis facta eſt ei, ac inuerecundiæ induit perſonam, vnaq. exhortationem & pietatem depulit: non enim intellexit, vt intelligeret, & verbum ſanctum abominatus eſt. Cur autem in hac narratione longiores ſumus, cum ea in Actis ſubtilius & accuratius explicentur? Quæ cum ad vos miſſa ſint; omnium quæ mota & tractata ſunt, cognitionem inueſtigate. Quoniam vero ita obduruit, ac in neruum ferreum ceruicem intendit, faciemq. ſuam fecit ferream, E aures aggrauauit, ne audiret, & cor ſtatuit peruicax, ne exaudiret legem: Lex enim de Sion exit, ab Apoſtolico montis cacumine doctrina: propterea ſanctum & vniuerſale Concilium eumdem inſanum Macarium cum eius hæreſeos ſocijs pontificali habitu nudauit.

Ipſi vero ſcriptis precibus ſerenitatem noſtram communiter omnes precati ſunt, vt ſe ad veſtram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eoſq. ad vos miſimus, veſtro paterno iudicio omnem ipſorum cauſam permittentes. Sacram autem ac venerabilem definitionem ſacrum Concilium edidit, cui & ſubſcripſimus, ac pijs noſtris edictis eam ſanciuimus, adhortati omnem Chriſti amantem populum noſtrum, vt fidei ibi perſcriptæ obſequeretur, nec vllam prorſus hæreticam ſectam comminiſceretur.

Gloria Deo, qui glorioſa facit, ac fidem apud nos integram conſeruauit. Quomodo enim

A enim id facturus non erat in ea petra, super quam ipse Ecclesiam fundauit [a], ac prædixit numquam fore vt portæ inferi hæreticis insidijs aduersus eam prævalerent? a qua tamquam e cælorum conuexis veræ confessionis sermo effulsit, animas diligentium Christum illustrauit, suscitauitq. refrigeratam orthodoxiam. Hæc, respiciente nos & adiuuante Deo, confecimus, Christiq. oues in vnum gregem adduximus, quæ a mercenarijs pastoribus, qui nec pastores sunt, amplius non decipiuntur, nec luporum præda sunt, sed ab vno & solo pastore bono pascuntur, quicum & vos pascere ac pro ouibus animam ponere iussi estis. [a] *Matth. 16.*

Quamobrem viriliter age, & confortare, & verbi gladio accingere, eumq. exacue zelo diuino: sta firmus propugnator pietatis, omnemq. hæreticum auditum & introductionem præcidere stude, quemadmodum & primitus Iudaici auditus sensum gladio percutiens Petrus abstulit, legalis & seruilis Synagogæ præsignificans surditatem. Ex-
B tende securim spiritus, & omnem arborem ferentem fructus hæreseos aut immuta erudiendo, aut canonicis pœnis excinde, & igni futuræ gehennæ transmitte: vt præcisis ijs omnibus quæ fidem labefactant, valens sit atque integrum Ecclesiæ corpus pace spiritus connexum & coagmentatum: qua stante & immota, conquassatur inimicorum factio atque impugnatio. Per petram fidei confirmatur solium nostræ serenitatis, consilia & conatus potestatis nostræ ad communem vtilitatem diriguntur, ac totius Romanæ Reipublicæ status cum tranquillitate fidei tranquillatur.

Hortamur porro vestrum sacratissimum verticem, vt quamprimum mittat designatum ab ea Apocrisarium, vt is in regia & a Deo conseruanda nostra vrbe degat, & in emergentibus siue dogmaticis siue canonicis, ac prorsus in omnibus Ecclesiasticis negotijs vestræ sanctitatis exprimat ac gerat personam. Vale in Domino beatissime, & pro potestate no-
C stra quammaximo studio orare intende. *Subscriptio pijssimi Imperatoris.* Deus te in multa tempora custodiat, sanctissime & beatissime Pater.] hactenus ad Leonem Papam Imperatoris litteræ.

DE EPISTOLA LEONIS AD CONSTANTINVM IMP.

Quæ vero ad Constantinum reddita habetur Leonis epistola, arguitur in multis impostura esse: etenim ipsa in fine data scribitur Nonis Maij, Indictione decima. Verum in textu hæc his contraria habet: Denique legatos huius Apostolicæ sedis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, pietatis vestræ famulos, id est, Theodorum & Georgium presbyteros, & Ioannem diaconum filios nostros, atque Constantinum subdiaconum Regionarium sanctæ nostræ Ecclesiæ, vna cum personis quæ cum eis profectæ fuerant, quæ a prædecessore meo Apostolicæ memoriæ Agathone Papa per octauam Indictionē pro causa fidei, vestra pietate iubente, illuc directæ fuerant, per nuper elapsam decimam Indictionē, mense Iulio, cum
D diualibus clementiæ vestræ apicibus & Synodalibus gestis cum magno iucunditatis gaudio in Domino exultantes suscepimus.] hæc inquam cum in ea scripta reperiantur, manifesti erroris arguuntur. Etenim quomodo per elapsam decimam Indictionem, mense Iulio scribit se accepisse litteras & alia Synodi monumenta, si redditæ ipsæ litteræ habentur mense Maio, decima Indictione? Sed quomodo mense Iulio potuit Leo suscepisse legatos vna cum litteris, si cum decem tantum menses sedisse ipse Pontifex reperiatur, ad dictum Iulium mensem minime potuerit peruenisse, quem creatum constat (vt dictum est) Augusto mense?

Quæ præterea ratio temporis, vt scriptas litteras ab Imperatore ad Leonem mense Decembri, inchoata iam duodecima Indictione, eas ipse dicat se accepisse decima Indictione? Vides, lector, vndique nutare, quæ solido veritatis fundamento carent. Sed leuia dixeris
E plane hæc, cum audieris quæ in quatuor reliquis epistolis eiusdem Leonis nomine scriptis reperiuntur absurda, & nonnisi manu impostoris formata portenta. Optassem quidem omnes has hic tibi ob oculos descriptas proponere epistolas, nisi veritus essem te earum fuisse nimiæ prolixitatis pertæsum, & penitus fastidio superatum: at præstitissem hoc nihilominus, nisi ipsæ cusæ secundo tomo epistolarum Romanorum Pontificum extarent, vbi quisque pro animi arbitrio legere valeat. Sed ne videamur præterijsse ob id eas, quod nomen Honorij infametur; accipe quæ de eo cum alijs damnatis hæreticis habeantur in prima epistola ad Constantinum:

LEONIS PAPAE NOMINE FICTAE EPISTOLAE.

Pariter anathematizamus noui erroris inuentores, id est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ successores magis quam Præsules, necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustrauit, sed profana proditione imma-

immaculatam fidem subuertere conatus est. Et omnes qui in suo errore defuncti sunt, si- A
militer anathematizamus.] hæc ibi. At quantum sunt ista indigna Leone: compello auctorem, qui scripsit: Quomodo tua sententia inter damnatos Honorium numeras, si tuamet assertione eos tantum defunctos condemnare te dicis, qui in suo errore defuncti sunt? Quid ais? In communicatione Catholica Honorius est defunctus, an non? Vtique necesse habes asserere, in communicatione esse defunctum, quem publico funere Romana Ecclesia sepeliuit inter sanctos Pontifices in ecclesia sancti Petri, & vt Catholico Pontifici eidem in omnibus parentauit. Ergo etiam si daremus Honorium in errorem aliquando lapsum, oportuit ab errore desijsse ante obitum suum, cum eum post obitum vt Catholicum Ecclesia Romana coluerit; ob idq. etiam tua sententia vendicari idem Honorius e numero damnatorum debuisset.

Sed videamus cuius sint fidei reliquæ quatuor quæ eiusdem Leonis nomine datæ ex- B
tant epistolæ in Hispaniam, quarum prima inscripta legitur ad omnes Hispaniæ Episcopos, secunda ad Quiricum Episcopum, tertia ad Simplicium Comitem, quarta vero ad Eruigium Regem, omnesq. eiusdem argumenti, nimirum quod absoluta œcumenica Synodo, ipse in Hispaniam mittat per Petrum Notarium Regionarium eius fidei definitionem, acclamatorium insuper sermonem Synodi ad Imperatorem, necnon eiusdem Imperatoris edictum; quo ipsorum omnium subscriptionibus munirentur, quæ in œcumenico Concilio statuta fuissent. Parcimus, inquam, hic eas omnes describere, ne nimia prolixitate (vt diximus) te obrui conqueraris. habes vbi legas in tomo secundo epistolarum Romanorum Pontificum. hic tibi tantum ex eis ea loca reddemus, quibus eædem possint argui impostura.

Atque illud primum, quod ad tempus spectat, dum in singulis istis epistolis asseritur C
ipsam œcumenicam Synodum absolutam fuisse nona Indictione: posset indulgendo eiusmodi dissimulari error, si semel id dictum, in vnave ipsarum tantum reperiretur assertum, incusando librarij oscitantiam, qui loco decimæ nonam posuerit. Verum cum id in singulis haud obiter positum, sed assertum & inculcatum sæpius habeatur; non eas Leonis epistolas, quem ea quæ sunt temporis minime præterijsse potuerunt, sed potius Leonis nomine suppositas esse, quilibet poterit facile existimare. Porro œcumenicam Synodum decima iam inchoata Indictione absolutam fuisse, nouissima eiusdem Acta declarant: vt de his iure dubitari non possit. Hæc igitur cum in singulis inueniantur epistolis illis, singulas arguunt falsitatis. Iam vero grauiora, quæ priuatim reperiantur in singulis, videamus.

In epistola, quæ ad Hispaniarum Præsules scripta est, hæc habentur: De diuersis autem D
DE EPISTOLA AD HISPAN. EPISCOPOS. Concilijs huic sanctæ Apostolicæ sedi, cuius ministerio fungimur, subiacentibus, Archiepiscopi sunt a nobis destinati, qui cum pio Principe, simul & omnibus qui eius mandato conuenerunt Ecclesiarum Præsulibus præsidentes ac considentes, primum quidem sancta quinque vniuersalia Concilia, &c.] Reuoluantur Synodalia Acta eius Sextæ œcumenicæ Synodi, an inueniri possit vel vnus Archiepiscopus, qui Roma missus Synodo interfuerit. Cum autem id minime sit reperiri, valde hæc de impostura roborant argumentum. Sed & quod a se eos esse destinatos Archiepiscopos dicat, seorsum hos ponens ab eis quos ab Agathone refert missos esse legatos: plane significare videtur, temporibus ipsius Leonis etiam Synodum perduraſſe, quam quidem ante Agathonis obitum fuisse absolutam, eius Acta significant. Videntur ne ista tibi quæ dissimulari vt leuia queant, vel quæ possint adscribi librarijs dormitantibus? minime gentium puto. Sed reliqua disquiramus. E

DE EPISTOLA AD QVIRICVM. Quæ sequitur ordine epistola Leonis nomine, data legitur ad Quiricum fratrem, Episcopum vtique in Hispania positum. Quod autem post generales litteras ad omnes Hispaniarum Episcopos datas, alias seorsum ad Quiricum scripserit; primarium hunc ipsum Hispaniarum par est existimare. Sed quid hoc est? in generali Hispaniarum Concilio, quod hoc anno Toleti celebratum est quadragintaocto Episcoporum, præter vigintiseptem, qui per vicarios interfuerunt; & in alio itidem Toleti anno sequenti habito, inter Episcopos decem & septem, qui præsentes fuerunt, nullus eius nominis Quiricus reperitur subscriptus alicuius ciuitatis Episcopus. Quis fuit ergo iste Quiricus? Erit plane, lector, vt ex his etiam quam perspicue coarguas impostura. Quod enim sciisset qui eas litteras scripsit, eius nominis Antistitem præfuisse Ecclesiæ Toletanæ, existimauit eumdem adhuc his temporibus fuisse superstitem, ob idq. ad ipsum Quiricum vt Primatem seor-

sum

Universidad de Deusto

A ſum ab alijs honoris cauſa eodem argumento illas priuatim dediſſe litteras; ſed falſa exiſtimatione deceptus: ſiquidem iam ante annos ſeptem (vt vidimus) vita functo Quirico, ſubrogatus illi fuerat Iulianus, qui Concilijs Toletanis, tam præſenti, quam ſequenti anno celebratis, primo loco reperitur eſſe ſubſcriptus, ſicut & ſuperius duodecimo Toletano, Quiricus autem vndecimo Toletano celebrato anno Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimoquinto. Potuiſſet ne præterire Leonem Pontificem, iam longe ante eſſe defunctum Quiricum, & in locum eius fuiſſe ſubrogatum Iulianum? minime quidem, cum Metropolitani recens creati ſuæ profeſſionis ſtatim ſolerent ad Romanum Pontificem litteras dare, palliumq. ab ipſo petere. Vides igitur, lector, quam perſpicue, toto (vt aiunt) cælo, detegi callidas impoſturas, ita veritate exigente, vindice Deo, vt mendacia non queant adeo colorari, quin aliqua ex parte, quæ ſint, poſſint intelligi.

B Ad Simplicium vero Comitem quæ ſequitur Leonis nomine inſcripta habetur epiſtola. Eius nominis nullus certe legitur in ſerie illa numeroſa Comitum, qui hoc anno interfuiſſe tertiodecimo Toletano Concilio in eius Actis leguntur, omnes numero vigintiduo. Sed non adeo ſeueri cenſores ſumus, vt ob id vnum reijciendã eſſe eam putaremus epiſtolam. DE EPIST. AD SIMPLICIVM COMITEM.

Verum audi quæ non ferenda ſint in alia epiſtola, quæ data ab eodem Leone ponitur ad Eruigium Hiſpaniarum Regem, dum in ea iſta leguntur: Per nonam nuper elapſam Indictionem pijſſimus atque Chriſtianiſſimus noſter, immo Dei Eccleſiæ filius Imperator ad Apoſtolicæ memoriæ noſtrum deceſſorem Agathonem Papam atque Pontificem ſcripta Imperialia dirigens, affatim hortatus eſt, vt ab ſancta Apoſtolicæ ſedis Eccleſia de omnibus adiacentibus ei reuerendis Concilijs legatos, tam de Eccleſiarum Præſulibus, quamq. de alijs ordinibus Eccleſiaſticis, cum dogmaticis litteris, venerabiliumq. Patrum libris C ac teſtimonijs inſtructos, in regiam Conſtantinopolitanam vrbem dirigeret, &c.] quæ omnia falſitatis multipliciter arguuntur. DE EPIST. AD ERVIGIVM.

Primum enim omnium in his patens mendaciũ redarguitur, quod eiuſmodi argumenti litteras non ad Agathonẽ Imperator ſcripſit, ſed ad eius prædeceſſorẽ Donum Pontificem, quod & ſuperius oſtendimus ex ipſis litteris Agathonis, & alijs ab Imperatore ad Georgiũ datis, necnon ex ipſis Actis Sextæ Synodi. Quod inſuper eas eſſe ſcriptas tradit ab Imperatore nona Indictione, æque falſiſſimũ deprehenditur, eo quod illæ ad Donũ litteræ Imperatoris datæ reperiãtur Indictione ſexta, prid. Id. Auguſti. Sicq. omni ex parte eædẽ litteræ cõuincuntur fuiſſe mẽdaces, atque plane quæ Leoni adſcribãtur indignæ. At hæc non tam pro defenſione Honorij, quã Leonis, a nobis dicta ſint: ſiquidẽ Honorius his non indiget, qui ijſdem ſuis litteris, quibus videtur condemnatus, abſolnitur; Leo autem condemnan-
D do Honorium (ſi feciſſet) graui ſe crimini obligans, in ſe ipſum potius ſententiam dixiſſet.

Quod rurſum ſpectat ad eaſdem litteras a Leone in Hiſpanias miſſas, haud inficias imus aliquas ſcriptas eſſe de his epiſtolas ab eodem Pontifice in Hiſpanias: id enim Acta Synodalia decimæquartæ Synodi Toletanæ demonſtrant: ſed diuerſas has ab illis fuiſſe, quæ ſunt ſuperius dicta, declarant. Quibus & ad euidentiorem demonſtrationẽ adijcias, quod cum in litteris illis dicantur mitti in Hiſpaniam non ipſa Synodalia Acta, ſed tantum definitio Synodi, edictum Imperatoris, & Synodi ſermo acclamatorius ad eumdem, minima quidem Actorum pars; in Synodi vero Toletanæ decimæquartæ canone ſecundo teſtentur Epiſcopi, ſe accepiſſe cum Leonis Pontificis litteris ipſa integra geſta Synodalia, Per quæ (quod ipſi aiunt) omnis ordo geſtorum, geſtaq. ordinum dilucide, vt acta ſunt, noſtris ſenſibus patuerunt] vtique eas litteras diuerſas eſſe ab illis quas vere Leo Pontifex
E ſcripſit, apparet. Sed iam agamus de ipſo Concilio Toletano. DESIDERANTVR GERMANAE LEONIS LITTERAE.

Hoc igitur anno pridie Nonas Nouembris habita eſt Synodus Toletana, decimatertia ordine poſita, ipſius Eruigij Regis anno quarto inchoato menſe Octobri, quo (vt dictum eſt ſuperius) creari contigit. In ſequenti Synodo Toletana nominatur iſtud Concilium generale, eo quod ex omnibus Hiſpaniæ prouincijs vna ſimul conueniſſent Epiſcopi omnes quadragintaocto, Vicarij vero Epiſcoporum vigintiſeptem. TOLETANVM CONCILIVM DECIMVMTERTIVM.

Interfuit huic Toletano Concilio ipſe Eruigius Rex, prælocutusq. in Synodo, Patres hortatus eſt ad Eccleſiaſticam diſciplinam optime diſponendam; tomumq. offerens legendum, inde e Patrum conſeſſu diſceſſit, liberam illis relinquens de omnibus agendi facultatem. Lectum deinde eſt volumen Regis, quo indulgentia continebatur conceſſa illis qui tempore prædeceſſoris Regis Vuambæ tyrannum fuerant conſectati, inſuper relaxatio tributorum vſque ad regni ſui annum primum debitorum. RES GESTAE IN SYNODO.

His & alijs auditis, ac recitatis quæ ad firmandam Catholicam fidẽ ſpectare viderentur

tur, tredecim a Patribus sanciti sunt canones, tum de his quæ Rex ab eis decerni petierat, A
MODESTIA ANTIQVORVM REGVM HISPAN. tum de alijs causis Ecclesiasticis: in quibus plane eluxit modestia Regis, cum per Episcopos sanciri vellet, quæ Regis videntur esse iuris, nempe de restituendis in pristinos honores & bona, qui sectati tyrannum fuissent, & alia huiusmodi: vt nihil magis cupere viderentur ipsi Reges, quam ciuilia etiam quæque negotia ad Episcopale forum referre. Vnde magis, lector, deplores nostra miserrima tempora, quibus nihil solicitius, vigilantius, ac vehementius Præsides prouinciarum agant, quam vt Ecclesiasticū tribunal solitarium reddentes, causas Ecclesiasticas in sæculare iudicium quibusvis prætextibus trahant.

Multa alia sunt eiusdem Concilij obseruatione digna, quæ breuitatis causa præterimus.
DE IIS QVI VINDICTAM A SANCTIS EXPETERE SOLERENT. Illud sat erit referre, quod habetur in canone septimo verbis istis: Illos dicimus, qui obstinatæ mentis dolositate confusi, cum aliqua eos molestia fraternorum iurgiorum pupugerit, insana illico temeritate abrepti, altaria nudantes, sacratis vestibus exuunt, lumina- B
ria subtrahunt, ac diuinorum sacrificiorum cultum, malitia intercedente, subducunt: & quod in hominibus se vindicare non possunt, iniuriam Deo (quod peius est) inferunt, &c.] Prodijsse sciendum est eiusmodi prauum vsum ex sanctorum exemplis male acceptis: quod enim illi diuini Spiritus impulsu interdum zelo diuino æstuantes feciſſe leguntur, isti amaritudine animi in vindictam fratrum perperam vsurpabant. Dictum est namque superiori tomo ex Gregorio Turonensi de sanctis Episcopis, quod aduersus potentiores bona Ecclesiæ inuadentes eo modo solerent excitare sanctos illos, quorum essent ablata bona, post alia remedia frustra tentata: accidebatq. vt propediem vindicta diuinitus immissa pertingeret delinquentem. Quod vero semel aut iterum sancti viri feciſſent magna ex causa, nec nisi diuino impellente Spiritu, isti passim ad priuatam iniuriam vindicandam impie vsurpabant: quod ne amplius quis tentare aliquando præsumeret, Patres sancito canone ve- C
tuerunt. Sed missis his, reliqua in eodem Concilio constituta tu leges: nos rerum gestarum seriem temporis ordine prosequamur.

Celebrato Concilio, cum iam reuersi essent ad suas Ecclesias qui interfuerant sacer-
ACTA SYNODALIA MISSA AD EPISCOPOS. dotes, allatæ sunt in Hispaniam litteræ Leonis Romani Pontificis, simulq. Sextæ Synodi œcumenicæ Synodalia Acta ab ipso missa; cum vero nec tempus opportunum esset, ingruente sæua hieme, eos iterum conuocandi, visum est in sequentem annum differre eiusmodi rei tractationem. Ne autem istiusmodi mora aliquam inobedientiæ suspicionem posset afferre, consultum fuit, vt interim ea per Ecclesias ad Episcopos mitterentur, vt confirmatio rerum in œcumenico conuentu gestarum fieret, quæ vna cum apologia de dilato negotio ad Romanum Pontificem daretur. Testantur hæc canones decimæquartæ Synodi Toletanæ anno sequenti habitæ, quorum secundus de missis a S. Leone Papa Sy- D
nodalibus Actis hæc primum habet:

Clara omnes notio populos Hispaniæ implet, quod decurrentis euoluti temporis serie
DE ACTIS SYNODALIBVS ROMA MISSIS. per Romani Præsulis baiulum gesta Synodalia societati nostræ aduecta sunt; quibus Constantinopoli, Constantino pio & religioso Principe mediante, magna & sublimi copia aggregata Pontificū, Apollinaris dogma comperimus fuisse destructū. Cum quibus etiā gestis, Leonis quoque antiquæ Romæ Pontificis inuitatoria epistolaris gratiæ consulta suscepimus, per quæ omnis ordo gestorum, gestaq. ordinū dilucide, vt acta sunt, nostris sensibus patuerunt. In cuius etiam gratioso epistolæ tractu ad hoc omnes Præsules Hispaniæ inuitati sunt, vt prædicta Synodalia instituta, quæ miserat, nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta, omnibusq. per nos sub regno Hispaniæ consistentibus patescerent diuulganda.] hæc de missis Synodalibus Actis vna cū litteris Leonis Papæ tunc viuentis. Excu- E
sationem autē, quod nō licuerit eis statim conuenire, simul continent sequentes canones tertius & quartus; quos hic tibi pariter reddere, ratio exigit argumēti. sic enim se habent:

Et hæc siquidem totius allegationis illatio exhibita nobis est, temporis infesti vrgente
DE LEGATIONE MISSA AB HISPANIA AD ROM. PONT. pressura, quo non solum tellus omnis hiemali stricta gelu, glaciali niuium immensitate duruerat; sed & tunc, quando ex generali Concilio nos absolutos iam esse constabat. Quo gemino obsistentis causæ obice præpediti, generaliter iterato tunc non quiuimus aggregari, quos & vicina Concilij absolutio proprijs sedibus reddiderat imminutos, & procellosi temporis aduersitas non sinebat iterum adunari dispersos.] Quodnam autem remedium adhibitum sit, vt absque mora Romano Pontifici satisfacerent Hispaniarum Episcopi, ita ibidem ipsi dicere pergunt: Sed licet in vnum generaliter colligi per idem tempus Hispanorum omnium Præsulum societas nequiuisset, sparsis tamen sedibus atque locis præfatas gestorum regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus,

appro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

A approbantes in his de vtrarumque Iesu Christi Filij Dei differentia naturarum, quo gemina in eo voluntas & operatio prædicatur, recti dogmatis sensum, inculpandæ disputationis edictum, Apostolicæ traditionis stylum. Placuit[a] proinde illo tunc tempore, apologeticæ defensionis nostræ responsis satisfacientes Romano Pontifici, ea ipsa gesta firmare, nostræq. fidei assensum purissima verborum enodatione depromere.] At non ista tantum Hispaniarum Episcopi ad Romanum Pontificem nudo ministerio tabellarij prosecuti sunt, sed honorificam ad eumdem legationem ornauere, de qua hæc ibidem:

[a] *Can. 3. eiusdem Concil. 14. Tolet.*

Et quia illic de hac gemina voluntate & operatione Iesu Christi Filij Dei copiose & dilucide insigniuntur quæ vera sunt, quæ iam vtique Romanis partibus per legatos Hispaniæ destinata sunt: nunc nobis id operis restat, &c.] hæc ab Hispaniarum Episcopis facta sunt, vbi litteræ Leonis & Acta Sextæ Synodi ad anni huius finem in Hispaniam per-
B latæ fuere. Quæ vero præter hæc in his ijdem Episcopi alia sequenti anno præstiterint, suo loco dicturi sumus. de his hæc modo satis.

IESV CHRISTI ANNVS 684. BENEDICTI PAP. II. ANNVS 1. CONSTAN. POGON. IMP. ANNVS 17.

S Excentesimus octogesimustertius Redemptoris annus incipit Indictione duodecima: quo Leo Papa, vbi sedisset menses decem & dies octo, moritur quarto Kalendas Iulij, qua die in Ecclesiasticis tabulis inter sanctos adnumeratus habetur, anniuersario cultu
C celebrandus. De quo præter illa quæ anno superiori dicta sunt, hæc apud Anastasium leguntur: Huius temporibus per currentes diuales iussiones clementissimi Principis restituta est Ecclesia Rauennas sub ordinatione sedis Apostolicæ, vt defuncto Archiepiscopo, qui electus fuerit, iuxta antiquam consuetudinem in ciuitatem Romanam veniat ordinandus. Hic fecit constitutum, quod archiuo Ecclesiæ continetur, vt qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nulla consuetudine pro vsu pallij, aut diuersis officijs Ecclesiæ quicquam quis persoluere debeat. Sed ne Mauri quondam Episcopi, *Rauennatis scilicet*, anniuersitas, aut agenda celebraretur, vetuit.] fuit hic Archiepiscopus Ecclesiæ Rauennatis in schismate vita functus. pergit Anastasius: Hic fecit ecclesiam in vrbe Roma iuxta sanctam Bibianam, vbi & corpora sanctorum Simplicij, Faustini, & Beatricis, atque aliorum martyrum recondidit, & ad nomen beati Pauli Apostoli dedicauit sub die vigesi-
D masecunda mensis Februarij, vbi & dona obtulit.] & paulo post: Hic fecit ordinationem vnam per mensem Maium * die vigesimaseptima, creans presbyteros nouem, diaconos tres, Episcopos per diuersa loca numero vigintitres. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum, sub die quinto Nonas Iulij (*alias & melius*, *quarto Kalendas Iulij.*) & cessauit Episcopatus eius mensem vnum, & dies vigintiduos.] hucusque Anastasius.

LEONIS PAPAE OBITVS.

* Iunium

Sicq. hoc eodem anno die vigesima Augusti Benedictus creatur, de quo ista idē Anastasius: Fuit iste natione Romanus, ex patre Ioanne. Hic ab ineunte ætate sua Ecclesiæ militauit, atque se sic in diuinis Scripturis & cantilena a puerili ætate & in presbyterij dignitate exhibuit, vt decet virum suo nomine dignum, in quo vere supernæ benedictionis gratia redundauit, vt nomine pariter & operibus dignus ad Pontificij regimen perueniret, paupertatis amator, humilis, mansuetus, patientiam habens, atque manu largissimus.] &
E paulo inferius: Hic suscepit diuales iussiones clementissimi Constantini magni Principis ad venerabilem clerum & populum, atque feliciſſimum exercitum Romanæ ciuitatis, per quas concessit, vt persona quæ electa fuerit in sedem Apostolicam, euestigio absque tarditate Pontifex ordinaretur.] hucusque Anastasius.

BENEDICTVS PAPA CREATVR.

Quod enim nuper post Agathonem, & alias sæpe ante longissimi temporis vacationes sedis Apostolicæ contigissent; expetijsse non clerus tantum, sed & Senatus populusq. Romanus ab Imperatore videtur obnixe, vt libere tandem sineretur Romana Ecclesia electum a se Pontificem consecrare, nulla expectata confirmatione Imperatoris, quam (vt vidimus) vsurpatam primum a Gothorum Regibus, illis expulsis, Orientales sibi vendicauerant Imperatores. Meruit itaque Benedictus Pontifex obtinere, quæ nullus sanctissimorum prædecessorum Pontificum consequi potuerat, restituta Romana Ecclesia in pristinam libertatem.

ROMANA ECCLESIA IN LIBERTATEM PRISTINAM RESTITVTA.

Feruntur

DE EPISTOLIS BENEDICTI IN HISPANIAM MISSIS.

Feruntur eiusdem Benedicti nomine adhuc presbyteri electi in Romanum Pontificem, nondum tamen consecrati, duæ epistolæ: quarum altera data habetur ad Petrum Notarium Regionarium, vt susceptum munus a Leone Pontifice proficiscendi in Hispanias, vt Synodalia decreta Sextæ Synodi ab Hispaniarum Episcopis subscribenda deferret, prosequeretur: Altera vero ad Eruigium Regem inscripta, qua significat, se Petrum Notarium Regionarium mittere, qui secum ferret Sextæ Synodi definitionem, simulq. Constantini Imperatoris edictum, atque Synodi ad eumdem libellum acclamatorium. Verum haud has litteras esse germanas, sed nomine Benedicti fuisse suppositas, Acta Synodalia decimiquarti Toletani Concilij, de quo diximus anno superiori, aperta luce testantur, dum se per eum, qui a Leone Pontifice missus est in Hispanias, iam accepisse ipsa ab eo data Synodalia Acta Constantinopolitani Concilij profitentur. Si ergo id Leo Pontifex iam antea præstitisset, illiq. eadem accepissent: quid opus fuit Benedicto iterum mittere? Sed & si casus euenisset, quo eadem rursus mittere opus esset: vtique ijsdem litteris exprimendum fuisset, nempe a Leone prædecessore antea missa Acta Synodalia se iterum mittere, cum econtra se ea primum mittere, litteris ad Eruigium haud obscure significet. Sed & cum ipsæ esse reperiantur eædem, quæ titulo Leonis ipsius ad eumdem Regem habentur inscriptæ; de eiusdem impostura censuram consulas, quæ superius posita habetur. Quæ autem veræ legitimæq. fuerint litteræ Benedicti Pontificis ad Hispaniarum Episcopos, dicturi sumus anno sequenti.

CONCIL. TOLETANVM XIIII.

Hoc eodem anno, qui & quintus Eruigij Hispaniarum Regis numeratur, Era septingentesima vigesimasecunda, celebrata est in Hispania Synodus Toletana, posita numeri ordine decimaquarta, cœpta decimooctauo Kalendas Decembris, atque absoluta duodecimo Kalendas eiusdem, prout in ipsius Actis ponitur, cum de obitu sancti Leonis Papæ nondum nuncium accepisse visi sunt: siquidem de eo, vt adhuc viuente, mentionem faciunt; non sic cum de Benedicto agunt in decimoquinto Concilio Toletano, quem cum scissent esse defunctum, his verbis eius meminerunt: Ante hoc biennium beatæ memoriæ Romanus Papa Benedictus,&c.] secus vero, cum in secundo canone de Leone egerunt Patres in hoc Concilio congregati, vt in dicto canone secundo videre potes anno superiori recitato.

Porro huic Concilio interfuerunt Episcopi decē & septem, atque alij per vicarios decem, sexq. Abbates. Huius autem celebrandæ Synodi (vt dictum est anno superiori) ea causa præcessit, quod cum ad finem anni nuper elapsi missa essent a Leone Romano Pontifice Synodalia Acta Sextæ Synodi, quibus deberent omnes Hispaniarum Episcopi subscribere, missis interea illis ad singulos Episcopos, qui ea cognoscerent: hoc anno dicto mense iussi sunt Episcopi prouinciæ Carthaginensis conuenire Toletum, vbi ea de re Concilium cogeretur. Cum autem conuenissent Patres, illud in primis præfati sunt, quod cum in re tanta iussu Regis, id expetente Romano Pontifice Leone, celebrandum foret generale Concilium, sed minime licuisset propter diuersas in regnum ingruentes turbas; factum illud esset, vt saltem in vnum conuenirent Toleti Episcopi prouinciæ Carthaginensis, & quicquid ibi decretum fuisset, idem reliquarum prouinciarum Synodales conuentus eadem ex causa celebrandi æque probarent.

QVINTA PRO SEXTA SYNODVS NOMINATA.

Post hæc, causa Concilij huius cogendi tribus capitibus patefacta est: additum insuper, vt quæ hactenus ab ipsis facta fuissent, satisfaciendo (prout ferebat opportunitas temporis) Romano Pontifici, per legatos missos & litteras excusatorias, si haud tam cito vt iusserat conuenissent, significarent. Placuit & vt in hoc eodem conuentu rursus ad publicum examen Synodalia Acta reuocarentur, vt rursum eadem comprobarent. Sicq. primum omnium illud fuit in Synodo constitutum, vt post quatuor sacrosancta Concilia œcumenica, nempe Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, hæc quæ Sexta dicitur, quinto loco ordine poneretur, decreto isto appositō[a]:

[a] *Concil. Tolet. 14. c. 7.*

Post Chalcedonense igitur Concilium hæc debito honore, loco, & ordine collocanda sunt: vt cuius glorioso themate fulgent, ei & loci & ordinis coaptentur honore.] Hæc idcirco Patres, non vt abijcerent Quintam Synodum: sed cum in illa nihil de fide (vt sæpe superius dictum est) sed de personis tantummodo actum esset, prætereunda vt non necessaria ad dogmata visa est. nam de fidei definitionibus cū ageretur, illæ dumtaxat visæ sunt suo ordine numerandæ, in quibus quæ ad fidem Catholicam pertinerent, essent penitus definita. His decretis, de proposita de Verbo incarnato doctrina actum est, atque secundum ea quæ defi-

A definita fuissent, de duabus in Christo voluntatibus, & totidem operationibus secundum duarum in ipso naturarum proprietates, confirmata est sententia, atque dogma firmatum. Sicq. his constitutis, duodecimo Kalendas Decembris sacro conuentui finis impositus est.

Hoc pariter anno, qui præcedit obitum Constantini Imperatoris, dum Benedictus Papa sederet, contigisse liquet, quæ Anastasius narrat his verbis: Hic, *Benedictus scilicet*, vna cum clero & exercitu suscepit mallones capillorum dominorum Iustiniani & Heraclij filiorum clementissimi Principis, simul & eius iussionem, per quam significabat eosdē capillos direxisse.] hæc Anastasius, per mallones cirros intelligens capillorum: μαλλὸς enim Græce, idem quod Latine, vellus. Quid autem hoc significaretur symbolo, ex Pauli diaconi loco possumus intelligere, qui hæc ait[a]: Circa hæc tempora Carolus princeps Francorum Pipinum filium suum ad Liudprandum direxit, vt eius (iuxta morem) capillum susciperet. B Qui eius cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisq. cum ditatum regijs muneribus genitori remisit.] hæc ipse: ex quibus eam his temporibus videas consuetudinem viguisse, vt per eiusmodi exhibitionem capillorum quis alicui offerretur in filium, & qui eos acciperet, patris nomen consequeretur. Sic igitur pius Imperator voluit, vt filij sui scirent, se Romanum Pontificem peculiarem habere parentem, cuius monitis impensius parere deberent, eumdemq. vt patrem diligere, ac reuereri.

FILII IMP. DATI IN FILIOS BENEDICTO PAPAE.

[a] *Paul. diacon. lib. 6. c. 45. vet. edit. & nou. 53.*

Hoc eodem anno Theodorus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus moritur, cum sedisset annum & menses decem: ita Nicephorus eiusdem sedis Episcopus. Haud diutius a Deo permissus est viuere omnium fabricator malorum ter impius Theodorus, ad supernum vocatus tribunal reddere de omnibus rationem. In eius locum subrogatus est Paulus ex laico. Quis vero iste fuerit, & quomodo hæc se habuerint, scriptorum inopia latent.

THEODORVS EPISC. CONSTANTINOP. MORITVR.

C Sed iam longe positos inuisamus Hibernos, de quibus hæc Beda[b]: Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimoquarto, Ecgfridus Nordhumbrorum Rex, misso in Hiberniam cum exercitu duce Berto, vastauit misere gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimam, ita vt nec ecclesijs quidem aut monasterijs manus parceret hostilis. At insulani & quantum valuere armis arma repellebant, & inuocantes diuinæ auxilium pietatis, cælitus se vindicari continuis diu imprecationibus postulabant. Et quamuis maledici regnum Dei possidere non possint; creditum tamen est, quod hi qui merito impietatis suæ maledicebantur, ocyus Domino vindice pœnas sui reatus luerent.

[b] *Bed. lib. 4. c. 26.*

HIBERNI AB ANGLIS VASTANTVR.

Siquidem anno post hunc proximo idem Rex cum temere exercitum ad vastandā Pictorum prouinciam duxisset, multum prohibentibus amicis, & maxime beatæ memoriæ Cutberto, qui nuper fuerat ordinatus Episcopus, introductus est (simulantibus fugam hostibus) in angustias inaccessorum montium, & cum maxima parte copiarum, quas secum adduxerat, extinctus, anno ætatis suæ quadragesimo, regni autem quintodecimo, die decimo D tertio Kalend. Iuniarum. Et quidem (vt dixi) prohibuerunt amici, ne hoc bellum iniret: sed quomodo anno præcedente noluerat audire reuerendissimum patrem Ecgbertum, ne Scotiam nil se lædentem impugnaret (*vocat auctor Scotiam Hiberniam*) datum est illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos, qui ipsum ab interitu reuocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore spes cœpit & virtus regni Anglorum fluere, ac retro sublapsa referri. Nam & Picti terram possessionis suæ, quam tenuerunt Angli, & Scoti, qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla, libertatem receperunt, quam & hactenus habent per annos circiter quadraginta sex.] hæc Beda, qui hæc scribens, tempus pariter suæ scriptionis ostendit: reliqua autem sequenti anno.

ANGLI DANT POENAS DE VASTATIS HIBERNIS.

E IESV CHRISTI ANNVS 685. IOANNIS PAP. V. ANNVS 1. IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 1.

ANno Redemptoris sexcentesimo octogesimoquinto, Indictione decimatertia, Constantinus Imperator, vbi imperasset annos decem & septem, moritur, relicto Iustiniano filio Imperij herede, quem Anastasius in Ioanne tradit hoc anno, inchoante decimaquarta Indictione, mense Septembri imperare cœpisse: quando diuino veluti miraculo factum esse cognitum est, vt cum ipse Imperator pene puer esset & leuis, nulliusq. consilij, & iam crederetur Orientale Imperium nullo innixū fundamento penitus collapsurum, Deus sua potentia non solum continuerit barbaros, ne aduersus eum mouerent exercitus, sed sponte ipsi venerint instaurare sancitam cum patre concordiam, aucto quod persol-

CONSTANTIN. IMP. MORITVR. REGNAT IVSTINIANVS.

SARRACENI PACEM PETVNT AB IMP.

uendum esset Imperatori, tributo. de his enim hæc in Annalibus Græcorum [a]: Primo eius anno Abimelechus ad eum nuncios mittit confirmandæ pacis causa, conuenitq. vt Imperator Mardiatarum agmen in Libano, eiusq. impressiones compesceret, eoq. nomine Arabes Romanis penderent in singulos dies nummos mille, equum, & seruum.] & Theophanes: Hoc primo anno, inquit, Iustinianus Imperator misit Leontium Prætorem in Armeniam cum Romano potentatu: & Sarracenis illic existentibus interemptis, subijcit hanc Romanis, similiter & Iberiam, Albaniam, Hircaniam quoque, atque Mediam; & sub tributo regionibus actis, plurimas pecunias Imperatori transmisit.] hæc de rebus prosperis anni huius, cum ipsam testamento relictam pietatem nondum prodegisset Imperator: ea enim postea amissa, vna cum ipsa omnia simul a se bona reiecit.

[a] Cedren. in Iustinian. an. 1.

PROVINCIAE RECVPERATAE IMPERIO ROM.

Idem Princeps aggressus est pariter inuentos in Armenia exagitare Manichæos, de quibus Lucas Siculus vetus historicus inchoatam historiam ita prosequitur: Glisce- B
te igitur inter Iustum & Simeonem Manichæorum duces contentione, proficiscitur Iustus ad Episcopum Coloniæ Armeniæ: atque vt de Apostoli sensu, quod cupiebat, audiret, omnia mox de se socijsque, & quam inter se disciplinam tenerent, liquido exposuit. Re comperta, Episcopus nihil in his sibi cunctandum ratus, de singulis euestigio refert ad Imperatorem Iustinianum Augustum, qui post Heraclium Constantinum Imperij sceptra gubernauit. Qui quidem vt audiuit, omnes statim in vnum cogi Manichæos, seorsumq. interrogari iussit, atque flammis tradi, quotquot essent in errore pertinaces. Itaque extructo ad aceruum ingenti rogo, incensi & cremati omnes fuerunt, præter Paulum quemdam genere Arabem, cui duo filij erant Genesius & Theodorus, quibuscum fuga se proripuit pater, & Epispaurim abijt iamdudum a nobis in prolixiori opere commemoratum, cum de Paulo & Ioanne Samosatenis Callinices filijs ageremus, de C
illo inquam Paulo, a quo Pauliani pro Manichæis, mutato nomine, appellari cœperunt. Producit ergo alter hic Paulus ad impietatis scholam filium Genesium, cui Timothei nomen imposuit. Sed breui secuta est inter vtrumque fratrem Genesium & Theodorum altercatio, cum iste diuinam Spiritus gratiam accepisse se assereret, ille contra de se ipso idem affirmaret.] Quomodo autem inter se dissidentes sic animis odijsq. inuicem exarserunt impietatis incentores, vt ad mortem vsque ipsam perstiterit discordia, idem subijcit auctor abunde satis: sed quod non tempore huius Imperatoris, sed Leonis Isaurici contigisse dicat, nos suo loco de illis acturi sumus.

MANICHAEI IVSSI COMBVRI.

PAVLVS, A QVO PAVLIANI MANICHAEI.

At non his tantum malis hoc tempore laborauit Armenia, sed vt quæ hactenus sub Sarracenis fuerat, Ecclesia posita ibi siluesceret, oppleta fuit multis erroribus: videlicet in primis, quod vino tantum in sacrosancto incruento sacrificio vterentur, nulla admixta D
aqua: quodq. ad sacerdotium nullum admitterent Iudæorum, nisi qui ex sacerdotali genere orti essent: insuper Quadragesimæ tempore diebus sabbati atque Dominicis caseum & oua comederent: sed & quod more Iudaico carnes intra altare assarent, easq. populo comedendas distribuerent. Hæc quidem ita se habuisse, docent canones [b] Sextæ Synodi postea sanciti. At de rebus Orientalibus hactenus.

[b] Can. 32. 33. 46. 100.

ERRORES ARMENORVM.

Hoc eodem anno Benedictus Papa, vbi sedisset menses octo, & dies decem & septem, moritur septima die Maij, qua relatus inter sanctos reperitur in tabulis Ecclesiasticis. Antequam autem ex hac vita migraret, contigit eum scribere ad Hispaniarum Episcopos, monens eos, vt corrigerent nonnulla quæ legisset in scriptis ab ipsis litteris, & Romam missis cum subscriptionibus Episcoporum, quibus quæ decreta essent de fide Catholica in Constantinopolitana Synodo, probarentur. Dicturi de his, primum omnium quæ ad E
temporis rationem spectare noscuntur, elucidemus. Est de his certa testificatio in Actis decimæquintæ Synodi Toletanæ celebratæ Era septingentesima vigesimasexta, anno Domini scilicet sexcentesimo octogesimooctauo, vbi asseruntur ante biennium eæ fuisse a Benedicto Pontifice litteræ scriptæ: habentur enim ibi hæc verba: Post huius igitur piæ confessionis prolatam deuotis vocibus regulam, ad illa nos illico conuertimus contuenda capitula, pro quibus muniendis ante hoc biennium beatæ memoriæ Romanus Papa Benedictus nos litterarum suarum significatione monuerat, &c.] Quæ igitur ante biennium datæ dicuntur Benedicti litteræ, hoc anno ipsas esse scriptas oportuit, nempe post duos expletos, anno inchoato iam tertio, quo Episcopi conuenerunt. hæc de his quæ ad tempus pertinent.

DE SCRIPTIS BENEDICTI PAPAE AD HISPANOS.

Quod vero dicunt Patres in eodem Concilio congregati, a Benedicto Pontifice litteris

A teris commonitos Hiſpaniarum Epiſcopos: apparet rem Chriſtiana charitate eſſe tranſactam, nempe nequaquam ab ipſo Romano Pontifice ſtatim eſſe reprobata atque damnata, quæ inueniſſet in ipſorum ſcriptis: ſed potius quæ ipſi ſubduriuſcula viſa eſſent, admonuiſſe voluit, vt vel corrigerent, vel declararent. Hæc autem dixiſſe voluimus, quod Rodericus inconſulte nimis affirmet, imprudenter id factum a Benedicto de libro a Iuliano Epiſcopo Toletano conſcripto. ſunt hæc Roderici verba: Eius tempore librum de tribus ſubſtantijs, quem dudum Romam miſerat ſanctiſſimus Iulianus, & minus caute tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id quod, Voluntas genuit voluntatem, ſanctus Iulianus veridicis teſtimonijs in hoc Concilio ad exactionem præfati Principis per oracula eorum quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firmauit, & apologeticum fecit, & Romam miſit per ſuos legatos presbyteros, diaconum, & ſubdia-
B conum viros eruditiſſimos.] hæc cum ipſe dicat, ſane quidem ex ijſdem Toletani decimiquinti Concilij Actis correctione dignus oſtenditur.

BENEDICTVS DEFENDITVR A CALVMNIA RODERICI.

Quæ enim Benedicto viſa ſunt corrigenda, vel ſaltem declaranda, non ſunt reperta in nouiſſimis litteris ab Epiſcopis Hiſpaniarum datis, vel in libro Iuliani de tribus ſubſtantijs, ſed in illis quas antea ijdem reſcripſiſſent, dediſſentq. Petro Regionario, qui illuc a prædeceſſore (vt vidimus) miſſus fuerat. Teſtantur enim id ipſum Patres, qui eidem decimoquinto Toletano Concilio interfuerunt. Benedictus igitur quatuor illa notata capitula haud ſuis voluit inſeruiſſe litteris, vtpote quod ſciret cum Catholicis ſe rem agere, qui nihil contentioſe acturi eſſent, vel pertinaciter aſſerturi; ſed (vt ijdem teſtantur Patres) cuidam ipſorum homini credidit, non ſcriptis, ſed verbis ore tenus. ex quibus omnibus manifeſti erroris eumdem redarguas Rodericum.

C At quænam iſta eſſent a Benedicto notata, videamus. Quod igitur Romanus Pontifex cuſtos Catholicæ fidei eſſe ſemper vigilantiſſimus conſueuit: nihil quod vel in verbis vel in ſententijs dubium poſſet mouere, deſpexit, & indiſcuſſum præteriri aliquando permiſit, ſed ambiguitates omnes ſolui, ambages elucidari, dubia in lucem prodi, & detegi velata curauit. Sic ergo ipſe Benedictus legens in Hiſpanorum Epiſcoporum litteris tres in Chriſto affirmari ineſſe ſubſtantias, ſubdiuidendo humanam in corpus & animam; veritus ne ſecundum numerum ſubſtantiarum tres etiam ſtatuerent in Domino voluntates, diuinam, rationalem, & ſenſualem, ne quid noui vel in verbis aſſereretur, cito occurrendum putauit. Rurſum vero quod itidem ipſi in ſuis litteris dixiſſent, Voluntas genuit voluntatem, ſicut & ſapientia ſapientiam: ne eodem modo duæ dici a Catholicis voluntates ab aliquo vel ſuſpicari poſſet, hoc elucidatione indigere ſignificauit. Quod autē pio id ſen-
D ſu aſſeruiſſent Hiſpani ex ſententia Auguſtini, diffuſius in ſcholis iſta inuenies diſputata [a]. Excuſauerunt id quidem poſtea in dicto Concilio poſt biennium celebrato ipſi Hiſpani Epiſcopi, id ſcilicet non a ſe dictum ſecundum relationē, ſed ſecundum ſubſtantiam. Quænam autem duo alia capita fuerint, quæ viderentur eidem Benedicto indigere exactiori elucidatione, neſcimus: ea tamen ex ſententia ſanctorum Patrum Ambroſij atque Fulgentij poſſe defendi, ijdem Patres, qui dicto Concilio interfuere, teſtati ſunt. Hæc de his quæ ad Benedictum & ad litteras in Hiſpaniam hoc anno ab ipſo datas pertinent, ſatis ſunto.

QVAE AMBIGVE DICTA DECLARATIONE INDIGERENT.

[a] *Vide Mag. lib. 1. diſ. 27. S. Tho. 1. p. q. 39. art. 3. 6. & alios.*

Rurſus vero quæ de eodem Benedicto Pontifice habent Acta Nicæni ſecundi Concilij, hic in medium adducamus. Quod enim hoc anno contigiſſet mori Theophanem Antiochenum Epiſcopum, vbi ſediſſet (vt tradit Nicephorus) annos quinque: optauit idem Pontifex Benedictus, vt Macarius olim Antiochenus Epiſcopus in ordinem redactus Ro-
E mæ degens exul, damnata hæreſi, reſtitueretur in Antiochenam Eccleſiam: ſed ceruicoſus homo contempſit. At reddamus hæc ex Synodalibus Actis [b], quæ ſic ſe habent: Petrus ſtudioſiſſimus presbyter & Apoſtolicæ ſedis Hadriani Papæ Vicarius dixit: Et Romæ quoque extorris erat Macarius a ſancta Synodo Sexta damnatus: verū piæ memorationis pater noſter Benedictus deliberandi ſpatium per triginta dies illi conceſſit: & quodam tempore Bonifacium conſiliarium ad eum miſit, quo verbis admonitione plenis ex ſacra Scriptura illum inſtrueret: verum ad meliorem mentem haudquaquam perduci potuit. Id autem pater beatus ob id egit, quo illum rurſus in priſtinum ſtatum reciperet.] hæc Acta.

THEOPHANES EPISC. ANTIOCHEN. MORITVR.

[b] *Concil. Nican. 2. Act. 1.*

De eodem quoque Benedicto, præter hæc omnia, Anaſtaſius iſta habet: Hic eccleſiam beati Petri Apoſtoli, ſed & beati Laurentij martyris, quæ appellatur Lucinæ, reſtaurauit. Itemq. in eccleſia beati Valentini via Flaminia fecit coopertorium ſuper altare cum clauis & faſtellis, & in circuitu palergium chryſoclauum pretioſiſſimum: ſimiliter & in ec-

RELIQVAE RES GESTAE BENEDICTI.

cleſia B. Mariæ ad Martyres aliud coopertorium porphyreticum fecit cum Cruce ex gem- A
mulis, quatuor chryſoclauos, & in circuitu palergium holoſericum pulcherrimum: necnon
& in Titulo ſupraſcripto Lucinæ aliud coopertorium ornatum holoſericum. Fecit autem
calices aureos miniſteriales duos penſantes ſingulos libras ſingulas.] & inferius: Clerum
diuerſis ordinibus in die ſancto Paſchæ honoribus ampliauit.] & paulo poſt: Hic dimiſit
omni clero, monaſterijs, diaconijs, & manſionarijs auri libras triginta. Fecit autem Epi-
ſcopos per diuerſa loca numero duodecim. qui etiam ſepultus eſt ad beatum Petrum Apo-
ſtolum octauo Idus Maij: & ceſſauit Epiſcopatus eius menſes duos & dies quindecim.] hæc
Anaſtaſius, ex cuius ſententia vigeſimaſecunda menſis Iulij ſubrogatus eſt in locum eius
Ioannes huius nominis quintus, de quo iſta habet:

IOANNES PAPA QVINTVS CREATVR.

Ioannes natione Syrus, ex prouincia Antiochia, ex patre Cyriaco, vir fuit valde ſtre- B
nuus, ac ſcientia præditus, & in omnibus modis moderatus. Hic poſt multorum Pontifi-
cum tempora, vel annorum, iuxta priſcam conſuetudinem, a generalitate in eccleſia
Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, electus eſt, atque exinde in Epiſcopium in-
ductus. Hic dum eſſet diaconus, miſſus eſt a ſanctæ memoriæ Agathone Papa in re-
giam vrbem, cum alijs ſacerdotibus repræſentans locum Apoſtolicæ ſedis in ſancta Sexta
Synodo, &c.] paulo poſt vero: Secum, inquit, detulit præter alia etiam diuales iuſſiones,
releuantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ & Calabriæ non pauca, ſed & præce-
ptum frumentum ſimiliter, vel alia diuerſa, quæ Eccleſia Romana annue minime exur-
gebat * perſoluere. Hic conſecratus eſt a tribus Epiſcopis, Oſtienſe, Portuenſe, Velitер-
nenſe, ſicut prædeceſſor eius Leo Papa.] hucuſque Anaſtaſius: reliqua de eodem Ponti-
fice inferius.

* ſufficiebat

CONC. TYRANNICVM GALLICANVM.

Hoc eodem anno Domini ſexcenteſimo octogeſimoquinto Synodus in Gallijs cogi- C
tur a Rege Theodorico opera Ebroini Magiſtri domus, quæ vere tyrannica dicenda fuit:
etenim ad hoc coacta eſt, vt de Epiſcopis tyrannus pœnas ſumeret. Sigebertus enim hoc
ipſo anno Domini ſexcenteſimo octogeſimoquinto hæc de his habet in Chronico [a]:
Theodoricus Rex Ebroinum in gratiam recipit, eius conſilio Synodum Epiſcoporum
cogit, & in hac multos eorum ex ſententia Ebroini Epiſcopatu priuat, aliquos etiam eo-
rum irreuocabili exilio damnat ſub tam procelloſo domeſticæ perſecutionis tumultu. San-
ctus etiam Lambertus a Traiectenſi amotus Epiſcopatu, in cœnobio Stabulenſi monachi-
cæ quietis expetit portum, ibiq. per ſeptem annos habitauit ſecum. Sanctus Leodegarius
diu ab Ebroino tormentatus, poſt famem & carceris ſqualorem, poſt oculorum euulſio-
nem, poſt plantarum conciſionem, poſt linguæ & labiorum exciſionem, tandem conſum-
mauit martyrium per capitis abſciſſionem. Anſegiſus pater Pipini a Gunduino perimitur, D
quem inuentum & nutritum de ſacro fonte ſuſceperat.] hæc Sigebertus.

[a] *Sigebert. in Chron. hoc anno.*

At hæc de ſancti Epiſcopi exilio atque cæde per Ebroinum curata paulo fuſiorem ſer-
monem poſtulant: ſunt enim digna memoratu, non ſolum ob gloriam tanti martyris, ſed
vt Dei iuſtitia ad vlciſcendum vigilans demonſtretur. Extant eius res præclare geſtæ
memoriæ commendatæ [b] quam fideliſſime ab Vrſino iuſſu Archoaldi Epiſcopi Pictauien-
ſis, eiuſdem ſancti Leodegarij æqualis; qui diram Ebroini tyrannidem, & in ſanctum
Leodegarium effuſam ſæuitiam ita deſcribit: Ebroinus a Theodorico Rege in priſtinum
ſtatum reſtitutus, & Maior domus effectus, cogitare cœpit de vlciſcendis inimicis, qui-
eum noluiſſent habere Subregulum (*vt auctor loquitur*) id eſt, Maiorem domus, vel pa-
latij principem. Itaque inſtar leonis rugientis, per Francorum terras rugitus eius inſo-
nuit; cunctique, qui olim aduerſus eum egerant, qui tamen cædem effugere potuere, fu- E
gæ præſidia captarunt.

[b] *Extant apud Sur. die 2. Octob. tom. 5.*

EBROINI TYRANNIS.

PERSECVTIO IN S. LEODEGARIVM.

Porro vir Dei Leodegarius inſtaurandæ plebi ſuæ intra vrbem ſuam Heduam, ſiue Au-
guſtodunum intentus erat. Reminiſcens autem Ebroinus malorum omnium, quæ cum
Childerico Rege illum ſuſpicabatur ſibi intuliſſe, adhibitis in conſilium hominibus ne-
quiſſimis, cum eis tractare cœpit, qua ratione illum Epiſcopum perdere poſſet. Ex ijs
vero duo, Diddo & Guaimerus caput malitiæ effecti, aiunt ſe illum rapere poſſe ex vr-
be eius, in eumq. exercere vindictam, quæ Ebroini malitiam exatiet. Illorum pro-
miſſis exhilaratus Ebroinus, copioſum valde exercitum eis tradidit, cum quo illi feſtini
abiere Heduam, & vrbem circa mœnia vaſtare cœperunt. Id cernens vir Dei Leodega-
rius, zelo magno accenſus erga plebem ſibi commiſſam, & Domini exemplo malens ani-
mam ſuam ponere pro ouibus ſuis, easq. lucrifacere potius, quam vni ſuæ temporariæ ſalu-

ti con-

A ti consulere, collecto totius ciuitatis clero, cum Reliquijs, Crucibus, & psallentium choris, Deiq. laudibus obuiam processit hostibus suis, sponteq. se obtulit ad obeundum martyrium, si voluntas percussori non defuisset. At illi qui eius capiendi causa venerant, nulla erga sacras reliquias moti reuerentia, eum comprehenderunt. Fertur tunc exclamans dixisse: Gratias ago omnipotenti Deo Redemptori meo, quod me hodie dignatus est glorificare. Ductus est autem ab illis extra vrbem, atque illic, vt Ebroinus iusserat, eruti sunt oculi eius. Et humano quidem illum orbarunt lumine extrinsecus, at intus manfit illi diuinum lumen. Cumq. eum custodibus tradidissent, in quoddam cœnobium perduxerunt, vbi biennium fere latuit, & magnum reliquit patientiæ & humilitatis exemplum. S. LEODEGARIVS CAPITVR AB HOSTIBVS.

Eodem tempore Gairinus * frater eius, qui ob metum Ebroini cum alijs ab eo profliga- * Getinus
B tis Francorum proceribus alijs in locis degebat, iussu Regis Theodorici & Principis Ebroini ad palatium reuerti compulsus est. Simul etiam beatus Leodegarius ex monasterio, in quo tenebatur absconditus, in Regis Theodorici præsentiam adduci iussus est. Cumq. ambo fratres in Principum conspectum venissent, multis contumelijs & opprobrijs affecti ab Ebroino, illi sic respondisse feruntur: Nos quidem digne hæc patimur, quia peccauimus Domino: sed maior tamen eius clementia est, qui nos dignatus est ad tantam gloriam vocare. Tu vero miser Ebroine, qui tantam iniuriam irrogas Francorum genti, te ipsum potius vlciscris, dum alijs vitam auferre cupis. Multos quidem decepisti, & a paterno solo exulare compulisti: at tu ipse magis etiam exuleris, quandoquidem & temporalem & æternam gloriam cito perdes: dum enim totius Franciæ homines excellere meditaris, tuam, qua indignus præditus es, gloriam amittis. PRAEDICTIO DE EBROINO.

C Hæc vt audiuit Ebroinus, furore magno correptus, iussit ministris, vt Gairinum a Leodegario separarent, vti separatim punirentur, nec possent coniunctim eiusmodi sermones proferre. Cum ergo abduceretur Gairinus, beatus Leodegarius dixit ei: Aequo feras animo, frater carissime, quod nos istæc pati oporteat. Non enim [a] sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Peccata quidem nostra multa sunt, sed supereminet magna Dei omnipotentis misericordia, qui ad abluenda se laudantium delicta semper paratus est. Et nos ad breue tempus hæc patimur, quia mortis debitores sumus: sed si patienter tulerimus, illa nos expectat vita, vbi sine fine lætabimur in cælesti gloria. Deinde ministri ad palum alligatum Gairinum lapidibus obruere cœperunt. At ille deprecabatur Dominum, ita dicens: Domine Iesu Christe, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, suscipe spiritum serui tui: & qui me
D ea gratia dignatus es, vt instar martyrum lapidibus vitam istam mortalem amitterem, mihi quoque clementissime des veniam scelerum meorum. Hæc dicens, inter verba orationis supremum efflauit spiritum. [a] Rom. 8. GAIRINVS LAPIDATVR.

Et beatus quidem Leodegarius cupiebat cum fratre sanguinem fundere, vt simul mererentur coronari: sed Ebroinus eius obitum differre volens, vt per pœnas diu productas ei æternas quoque conciliaret, & ne corona frueretur martyrij, immo vero etiam præmijs gloriæ sempiternæ priuaretur, iussit eum nudis pedibus per quamdam piscinam traduci, in qua erant petræ instar clauorum acutæ: Deinde euulsis iam oculis, humi eum prosterni, linguamq. ac labia incidi: vt ablatis oculis, pedibus contritis & consciss, lingua & labijs incisis, membrorum vsu erepto, corporis viribus omni ex parte eneruatis, nec oculis posset terram cernere, nec pedibus ingredi, nec linguæ officio laudare Creatorem,
E tandem in blasphemiam rueret, atque ita salute omni priuaretur, quam, laudando Deum, sibi ingentem cælitus obtinuisset. At vero qui sine voce corda audit Deus, magisq. rogatur corde contrito, quam elatione superborum, vocem tacentis propensius audiuit, quam elate loquentis. Ille enim vir sanctus diuinum implorabat auxilium, non sono vocis, sed cordis humilitate: nam cum se omni humano præsidio destitutum cerneret, totis viribus diuinum sibi adesse poposcit. Itaque quantum humana impietas eum a supernis abstrahere moliebatur, tantum pietas diuina erigebat ad cælestia. S. LEODEGARIVS DIRA PATITVR.

Porro Ebroinus Vuaningum quemdam ad se vocans: Tu accipe Leodegarium, inquit, quem aliquando vidisti virum superbum, & tuta eum custodia serua. Aderit enim quandoque tempus, vt ab inimicis suis recipiat quod meretur. Vuaningus vero eum ad suum perduxit monasterium, quod Fiscanum vocant, in quo erat sanctimonialium cœtus, quibus præerat Childomara Christi ancilla. In eo monasterio B. Leodegarius

Universidad de Deusto
Biblioteca

multis diebus manſit, adhibitis ei cuſtodibus. At vero lingua eius præciſa ſuum recepit officium,& magnum doctrinæ ſemen ſparſit in populo. Quando autem ad virgines accedebat, tanta (vt fertur) ab eius ore ſermonis ſuauitas manabat, vt mirarentur quicumque audirent, tanta per illum efficere clementiſſimum Deum; & morum ſuorum prauitate damnata, quamprimum ad pœnitentiæ fructus & remedia aduolarent. Ille enim vir beatus die noctuq. in Dei laudibus peruigil aſtabat, vt vix parumper ab eccleſia ad corporis res neceſſarias interdum recederet, aut quippiam vel cibi, vel ſomni perciperet.] hucuſque auctor de rebus geſtis ante præſentem annum: quæ vero ſubijcit, ad hunc annum pertinent, quo (vt diximus) Synodus Epiſcoporum collecta eſt, de qua iſta habet:

DE SYNODO TYRANNICA.

Ea tempeſtate Theodoricus Rex & Ebroinus Synodum multorum Epiſcoporum ad quamdam villam conuocarunt. Et ecce inter ceteros euocatum Diddonem, qui ſanctum virum Leodegarium cum Guaimero ab eius ſede abſtraxerat, pœnis ſubdiderunt, & condemnatum ac decaluatum expulerunt a ſancta congregatione: deinde actus in exilium, & tandem capite damnatus, pœnas eorum luit, quæ in ſanctum Epiſcopum doloſe perpetrarat. Alij quoque Epiſcopi a Rege per Ebroinum ſimili fere pœna mulctati, in perpetuum exilium deportati ſunt. Porro Guaimerus, qui Diddoni ſocius fuerat ad exequenda in ſanctum virum Ebroini iuſſa, cum ab eodem Ebroino, quod eius tyrannidi aſſenſiſſet, per fraudem eſſet in Epiſcopum promotus, in eius indignationem, Dei (vt putatur) nutu, incurrit, multis flagellis cæſus, turpiſſimeq. (vt decebat iuſti proditorem) condemnatus, laqueo ſuſpenſus eſt, & tranſmiſſus in tartarum. Morabatur eo tempore beatus Leodegarius in virginum ſupradicto monaſterio: iuſſus eſt autem etiam ipſe accerſiri ad Synodum: non tamen (vt aiunt) Concilio interfuit, ſed ſeorſum Rex & Ebroinus cum eo ſermonem contuliſſe feruntur, multaq. ab eo futura illis prædicta fuiſſe, quæ euenisſe manifeſtum eſt.

SVMMA NEQVITIA EBROINI IN S. LEODEGARIVM.

Ebroinus vero in ſua malignitate perſeuerans: Multum te (ait ad virum Dei) grandiloquentia tua ad dicendum extimulat: martyrem te fore ſuſpicaris, idcirco hac temeritate vteris: multum vero te extendis, ſed fruſtra tale præmium expetis: vt enim commeritus es, ita martyrio potieris.] quaſi non eſſet paſſurus vt martyr innocens, ſed vt criminum reus, ſicq. haud promeriturus eſſet martyrij coronam. Sed pergit auctor: Cupiebat Ebroinus ſanctum virum in anima & corpore perdere, & cui iam omnem ſæculi gloriam ereptam cernebat, a ſanctorum quoque meritis excludere. Sed quibus rebus ille ſibi videbatur eum a Chriſto auellere, ijs ipſis id efficiebat, vt Chriſto, quem deſiderabat, magis adhæreret: quantum enim creſcebat eius pœna, tantum etiam præmia augebantur.

Tradidit autem illum cuidam Chrodoberto, iubens, vt eum multa cura cuſtodiret: Veniet enim quandoque (ait) tempus, quo tollatur e medio. Ille acceptum eum duxit ad domum ſuam. Cernens vero eum ex itinere & morbo defeſſum, iuſſit refocillandi eius cauſa potum ei præberi. Sed priuſquam ad eum pincerna veniret, ingens lux inſtar circuli e cælo deſcendens, ſuper caput eius reſplenduit. Tum illi qui aderant: Quid ſibi vult, aiunt, domine, quod ſuper caput tuum ſphærica figura apparet cælitus lapſum lumen ſplendidiſſimum, cuius nos antehac numquam ſimile vidimus? Ille vero in terram proſtratus: Gratias ago tibi, inquit, omnipotens Deus omnium conſolator, qui ſuper me ſeruum tuum tale dignatus es oſtendere miraculum. Porro reliqui omnes, conſpecto eo lumine,tamquam extra ſe in ecſtaſim rapti, tandem collectis viribus ſimul laudauerunt Deum, & ad ſe mutuo conuerſi,dixerunt: Re vera hic homo ſeruus Dei eſt. Simulq. promiſerunt, ſe toto corde velle ad Deum conuerti: atque ita eius ſermonibus pene omnes qui in illa domo erant, paterfamilias, eius coniunx, & familia tota conuerſi ſunt ad Dei cultum. Quotquot autem eius famam percepere in locis adiacentibus, ad eum concurrebant, verba ſalutis audituri. Ille vero non ceſſabat ſua prædicatione docere omnes, quemadmodum ad regna cælorum poſſent peruenire.

SIGNVM SVPER CAPVT S. LEODEGARII.

S. LEODEGARII MARTYRIVM.

Sed non multo euoluto tempore, cum iam præpotens Deus pro tam inſigni patientia decreuiſſet remunerare fidelem ſeruum ſuum: Ebroinus iam obſtinatus, volens ſuam in eum crudelitatem perficere, velociſſimos poſt eum equites miſit, qui eum neci darent. Illi ergo acceptum eum e domo viri illius, cui cuſtodiendus datus erat, abduxerunt per loca ignota. Cumq. ad certum locum ventum eſſet, illic conſtitit, ita dicens: Non opus eſt, filij, vt diutius vos fatigetis. Cuius cauſa huc veniſtis, id ocyus perpetrate, vt ſatisfiat voto veſtro. Ad eius autem cædem quatuor miſſi erant, e quibus tres prouoluti ad pedes

eius

A eius rogabant, vt ipsis veniam daret, & suam benedictionem impertiret; quartus vero superbe erectus, districto gladio paratus erat ad perpetrandam cædem. Postquam autem data benedictione, percussoribus suis bene precatus est vir Dei, & verbum Dei eis ministrauit, in preces incumbens ait:

Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hunc certaminis perducere diem: oro & obsecro te Domine, vt tuæ pietatis misericordiam mihi impertias, & sanctorum tuorum meritis dignum me facias, & eorum participem, vitæq. æternæ consortem. Ignosce illis qui affligunt me: quandoquidem ego, clementissime Pater, per eos credo me in conspectu tuo glorificandum. Dum hæc diceret, percussor sublato gladio amputauit caput eius. Ferunt tum erexisse sese corpus eius, & quasi horæ vnius spatio stetisse. Id conspicatus percussor eius, ORATIO S. LEODEGARII.

B pede eum trusit, vt citius in terram corrueret: sed miser ille non diu post arreptus a dæmonibus & mente captus, diuina in eum vltione animaduertente, in ignem se coniecit, & mortuus est. Iussu autem coniugis viri huius Chrodoberti in villam Sarcingensem magno omnium luctu deportatus a ministris, & cum vestibus in quibus trucidatus fuerat, in exiguo oratorio beatus martyr sepultus est sexto Nonas Octobris, &c.] subdit vero auctor de miraculis ad eius corpus exhibitis, deq. miserando exitu Ebroini, & translatione eiusdem martyris, atque alijs miraculis tunc repetitis. Exarsit pariter odium eiusdem Ebroini aduersus Philibertum Abbatem eius monitorem: sanctus quoque Amatus Episcopus Senonensis ab eodem mittitur in exilium. Hæc & alia a truculenta bestia aduersus Dei seruos perpetrata sunt: sed quas pœnas ipse dederit, suo loco dicturi sumus. S. AMATVS EXVLAT.

IESV CHRISTI ANNVS 686. — CONONIS PAP. ANNVS 1. — IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 2.

SEquitur ordine temporis annus Domini sexcentesimus octogesimussextus, Indictione decimaquarta: quo Ioannes Papa, vbi sedisset annum vnum & dies vndecim (vt Anastasius habet) moritur die secunda Augusti. de quo, præter illa quæ certo sunt tẽpore consignata, hæc scribit Anastasius: Hic post multorum annorum curricula propter transgressionem ordinationis Ecclesiæ Turritanæ in Sardinia, quam sine auctoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Calaritanus, pro eo quod antiquitus ordinatio fuit sedis Apostolicæ, & ad tempus concessa fuerat ipsius ordinatio eidem Ecclesiæ, postmodum pro- IOANNIS PAPAE OBITVS.

D teruia faciente Archiepiscoporum, præcepto Pontificum ab eadem ordinatione suspensi sunt iuxta determinationem sanctæ memoriæ Martini Papæ; & facto Concilio sacerdotum, nouellum Episcopum, qui ab eodem Archiepiscopo ordinatus fuerat, sub ditione sedis Apostolicæ redintegrauit atque firmauit: quorum chirographus archiuo Ecclesiæ retinetur. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus est, vt etiam vix ordinationem sacerdotum explere potuisset. Hic dimisit omni clero, monasterijs, diaconijs *, & mansiona- * diaconibus

rijs solidos mille nongentos. Fecit autem Episcopos per diuersa loca numero tredecim; qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die secunda mensis Augusti. Cessauit Episcopatus eius menses duos, dies decem & octo.] hactenus de Ioanne Anastasius: cuius sententia die vigesima Octobris successor eius Conon creatus est Pontifex, cum schisma conflatum esset inter Theodorum presbyterum atque Petrum Archipresby-

E terum, de quo hæc scribit idem Anastasius:

In Cononis electione, dum ad Episcopatum quæreretur, non minima contentio facta est, eo quod clerus in Petrum Archipresbyterum intenderet, exercitu insequente eius presbyterum Theodorum. Et clerus quidem adunatus ante fores basilicæ Constantinianæ sustinebat, eo quod qui missi fuerant de exercitu ad custodiendas regiæ basilicæ valuas, obseruabant, & neminem ingredi permittebant. Exercitus autem omnes in basilica sancti Stephani protomartyris similiter fuerant adunati: & neque illi clero consentiebant, neque clerus exercitui acquiescebat pro supradictis presbyterorum personis. Sed dum missa ab vtrisque partibus responsa irent diutius & redirent, & nihil proficerent ad concordiam: continuo * electi sacerdotes & clerus vnanimiter ingrediuntur in Episcopium Lateranense, & elegerunt & demonstrauerunt tertiam personam suprafati Pontificis Cononis, in quo vere aspectus Angelicus, veneranda canicies, sermo verus, prouecta ætas, simplex CONON PAPA. * consilio ducti

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONONIS PROBATVR ELECTIO.

simplex animus, quieti mores, religiosa vita, qui numquam se in causis actibusq. sæcularibus immiscuerat. Euestigio autem omnes Iudices vna cum primatibus exercitus pariter ad eius salutationem venientes, in eius laudem simul omnes acclamauere. Videns autem exercitus vnanimitatem cleri populiq. in decreto eius subscribentium, post aliquot dies & ipsi flexi sunt, & consensere in personam prædicti sanctissimi viri, atque in eius decreto deuota mente subscripserunt; & Missos, *nuncios videlicet*, pariter vna cum clericis & ex populo ad excellentissimum Theodorum Exarchum (vt mos est) direxerunt.] hæc Anastasius, qui Cononem fuisse genere Thracem, educatum in Sicilia, inde vero in Ecclesia Romana inter presbyteros meruisse tradit. A

EXARCHI CONSENSVS IN ELECTIONE PONT.

Cum autem se amplius immiscendi in confirmatione electionis Romanorum Pontificum nullam sibi reliquam esse facultatem, illa remissa, & in pristinam libertatem Romana Ecclesia vendicata, Iustinianus Imperator aspiceret, alia eam sibi via vsurpare quæsiuit, nimirum vt non crearetur Pontifex absque Exarchi consensu, dum scilicet per militares copias ipse faceret, vt non alius, quam qui sibi cordi esset, Romanus Pontifex crearetur: ex quo & illud obortum est malum, vt ambientes Pontificatum, per Exarchi ministerium illum consequi conarentur, siue muneribus, siue alijs officijs hominem demerentes. Factumq. est, vt clero Romano in contrarium adnitente, sæpe schismata conflarentur, prout hic contigisse vidimus, & in eius successoris electione, vt proxime dicturi sumus. B

IVSTINIANVS FIDEI CATHOLICAE PRODITOR.

Quod rursus ad Iustinianum Imperatorem spectat, hæc de eo Anastasius: Hic, *Conon Pontifex scilicet*, suscepit diualem iussionem domini Iustiniani Principis, per quam significat reperisse Acta Sextæ Synodi, & apud se habere, quam piæ memoriæ domnus Constantinus pater eius fecerat, & promisit eius pietas illibatam & inconcussam perenniter custodire & conseruare.] hæc cum dicat Anastasius, ex litteris tamen Nicolai Pontificis ad Michaelem Imperatorem constat, haud sanæ fidei extitisse, sed & aduersatum fuisse eumdem Imperatorem ipsi Cononi, cum legatos eius Constantinopolim missos præuaricari coegisset. Sed Nicolai verba accipe, dum inuehitur in improbos Imperatores de Ecclesia Romana male merentes: Tantæ, inquit, salutis oblatæ ministros duplici modo interemistis: quoniam aut participes illos sui erroris effectos spiritualiter occiderunt, sicut tempore reuerendæ memoriæ Cononis contigit, &c.] Arguunt quidem ista diuersæ fidei esse cœpisse Iustinianum a Romano Pontifice; ob idq. constat sensisse numen iratum, omniaq. in deteriora labi cœpisse: siquidem hoc anno ingentem famem vexasse Syros, & ruptam fuisse pacem sancitam cum Bulgaris, Theophanes docet. Quod autem Cedrenus hoc anno tradat, formam a Constantino patre conscriptam, per Iustinianum perturbatam, nihil aliud quam firmatam fidem Catholicam aduersus hæreticos per Iustinianum emotam, intelligere voluisse, eiusdem Imperatoris exitus declarauit. C D

RELAXATA TRIBVTA ECCLESIAE ROMANAE.

In reliquis scimus, eodem Anastasio auctore, ipsum Iustinianum voluisse videri de Ecclesia Romana bene mereri, dum ex parte minuit tributum illud (quod capitatio dicebatur) patrimonij quod Romana Ecclesia apud Brutios possidebat; releuasseq. etiam ea pensitatione tradit alia patrimonia, quæ habebat eadem Romana Ecclesia in Sicilia.

CONSVLENDVS A PONTIFICE CLERVS IN REBVS AGENDIS.

Quod rursum ad Cononis res gestas pertinet, illud perperam factum ab eo Anastasius tradit, quod cum morte Theophanis vacaret Ecclesia Antiochena pastore, quorumdam Ecclesiasticorum persuasione, inconsulto Romanæ Ecclesiæ clero, ordinarit Constantinum diaconum Ecclesiæ Syracusanæ, rectorem tunc patrimonij Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, eiq. pallium ex more concesserit. Sed factum est, vt cum qualis ille esset, detectus fuisset, nempe factiosus homo, & ad conflandas discordias natus; eius rei gratia arcta custodia idem asseruari iussus fuerit ab Imperatoris magistratibus, qui Siciliam administrabant. Hæc quidem notam tunc inusserunt Cononi, quod præter morem (vt ait Anastasius) in his agendis clerum Romanum minime consuluisset. E

DE S. KILIANI APOSTOLATV.

Illustrat vero econtra Cononis nomen apostolatus S. Kiliani martyris, qui ab ipso Episcopus est ordinatus. Accidit enim temporibus istis, vt in Hibernia, vbi vigebat monastica disciplina, cum nonnulli ex monachis exoluissent numeros omnes Ecclesiasticæ institutionis, ad maiora anhelarent, secundum illud Apostoli [a]: Aemulamini charismata meliora, magis autem vt prophetetis] cuperentq. Euangelium annunciare gentibus, quæ illius reperirentur expertes; sed ita vt consulto precibus numine, ad opus assurgerent, diuini Spiritus instinctu. Eminebat inter eos, quem diximus, Kilianus nobilibus paren-

[a] 1. *Cor.* 12.

A parentibus natus, sacris litteris probe imbutus, virtutibusq. pariter exornatus, qui quod mente conceperat propositum, socijs communicans, inuenit omnes non tantum consentientes, sed diuini Spiritus calore succensos, ipsum qui hortabatur ad opus impellentes.

Inito igitur vna consilio, ea fuit vna sententia, vt primum regiones, quibus Christum prædicaturi essent, inuiserent, agrumq. considerarent, in quem verbi semen sparsuri essent, atque inde ad excolendum eum a domino acciperent, eo scilicet quem scirent vice Christi vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ esse præpositum, ipso inquam Romano Pontifice, ne (quod de se dicit Apostolus [a]) in vacuum cucurrissent; nefas esse scientes, tantum ministerium sibi sumere, & non ab eo, cuius esset hoc impertire, suscipere, secundum illud eiusdem Apostoli [b]: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?] Sed quomodo hæc se habuerint, audi qui Kiliani res gestas, sicut breuiter, ita & fideliter prosecutus est [c]: vbi enim

a Galat. 2.

b Rom. 10.

c Apud Sur. die 8. Iul. in 4.

B eius vitæ sanctæ primordia percurrit, ista subijcit: Inde, inquit, profectus est in Germaniæ prouinciam, quæ ab incolis terræ illius, Orientalis Francia vocitatur; ibiq. in oppido, quod lingua illorum Vuirtzburg dicitur, morari constituit, non veritus incredulæ gentis feritatem; quippe qui animo intrepido coronam martyrij appeteret. Interim tamen a verbo prædicationis abstinuit, donec se Romano Pontifici præsentaret, vt apud Romanam sedem & integrum Christianæ religionis dogma, & licentiam acciperet prædicandi. Hibernia siquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæresi, Apostolicaq. censura damnata, quæ nisi Romano iudicio solui non poterat. Itaque vir sanctissimus coram Primate Apostolicæ sedis, eiusdemq. ministris, vt ipsi semina diuini verbi Gentilibus erogare liceret, studio diuini amoris expetiuit.

KILIANVS ROMAM PROFICISCITVR.

Tunc autem præerat Romanæ Ecclesiæ Conon Pontifex, humanis diuinisq. litteris

C pollens, Pontificali officio congruus, in ordinandis Ecclesiasticis rebus discretor idoneus. Is, audita fide iam dicti viri charitatis nexibus alligata, Deo quidem gratias egit, illi vero sese charitatis beneuolentia impertiuit, exultans, semina diuini eloquij ab insularibus & longe positis doctoribus propagari. Erat inquam apud egregium Pontificem non modica exultatio, quod cerneret paulatim euacuari fraudes antiqui hostis, crescentibus ministris diuinæ operationis. Itaque consensu totius Vrbis beatissimum virum in præsulatus officio constituit, quo & chrisma conficere, & ecclesias dedicare, & sacros ordines conferre irreprehensibiliter valeret. Atque his ita peractis, dimisit eum, monens vt cœpto operi insisteret, a Domino parato sibi præmio æternæ retributionis. Beatus igitur Kilianus Vrbe egressus, emenso itinere longissimo cum Colomanno presbytero & Totnano Leuita, ad locum sibi destinatum peruenit.] hæc de ordinatione ipsius. Quomodo autem

CONON PAPA ORDINAT KILIANVM EPISCOPVM.

D Franconiam gentem vna cum Duce ad Christi fidem conuertit, ita idem describit auctor, sic pergens:

Veniens autem ad prædictum oppidum Orientalis Franciæ Vuirtzburg, non eum quem prius in ea prouincia Ducem inuenit, sed alium, Gosbertum nomine. Cœpit ergo venerabilis vir paulatim diuini verbi pabula incredulis populis ministrare. Tantam enim gratiam Dominus ei contulerat, vt breui tempore & gentis idioma perdisceret, & eis ipsorum lingua veritatis semina iactaret. Mirabantur autem omnes non solum doctrinæ nouitatem, sed magnam quoque eloquentiæ vim & copiam. Porro sermonis facundiam virtutis efficacia comitabatur. Impletumq. est in illo, quod Veritas Apostolis promisit: Ego, inquiens [d], dabo vobis os & sapientiam. Et item [e]: Opera quæ ego facio, & vos facietis. Sed cum iam diuini eloquij semina succrescerent, & in plebe sensim minuerentur errores

PRAEDICATIO KILIANI AD FRANCONIOS.

d Luc. 21.

e Ioan. 14.

E gentilitatis, vsque ad principes populi sancti viri fama perlata est: adeo vt ipsum quoque Ducem prouinciæ non lateret, qui sanctum virum sibi præsentari iussit, experiri cupiens, quænam esset hæc doctrina, quam prædicaret, hactenus ipsi incognita. Erat vero is Princeps magno ingenio præditus, licet gentilitatis erroribus fœdatus. Vt autem ad eum peruenit vir beatus, constanter veræ dogma religionis ei cœpit proponere, docens vnum Deum esse in personarum trinitate, visibilium & inuisibilium creatorem & auctorem, per quem rationalis creatura, inuidi hostis fraude decepta, sit misericorditer reparata.

Princeps admirans tanti viri constantiam & sermonum insuperabilem veritatem, quia (vt diximus) naturali pollebat ingenio, veris se sententijs superatum videns, ad tempus eius distulit auditionem, volens crebra apud se tractare inquisitione, vtrum eius quem Kilianus prædicabat, vel Dianæ potius cultus præferendus esset: Diana namque apud illum

CONVERSIO FRANCONIORVM.

illum in ſumma veneratione habebatur. Interim egregius vir iugi inſtantia connitebatur A
Domino lucrari animas, quas diabolus perdere volebat. Ita lucerna ſuper candelabrum
poſita omnibus reſplendebat,& ciuitas in monte conſtituta ab omnibus videbatur. Porro
Dux cernens egregij viri perſeuerantiam, ſecreto venit ad eum, cupiens doctrina eius
inſtitui, vt cognito veritatis tramite, declinare poſſet anfractus erroris. Sic igitur a bea-
tiſſimo viro Catholicæ fidei documentis diligenter inſtructus, proximo Dominicæ reſur-
rectionis die cum multis alijs dato nomine, aqua lotus baptiſmatis, abſolutionem pri-
ſtini promeruit erroris: atque ita factum eſt, vt tota pene Orientalis Franciæ prouincia,
relicto dæmonum cultu, diuinæ religioni operam daret.] hucuſque de conuerſione Gen-
tilium: reliqua vero, quæ ad eius martyrium pertinent, ſuo loco dicenda erunt. Hic au-
KILIANI DVO. tem monendum, diuerſum ab iſto eſſe illum alium Kilianum item Hibernum, qui gloria
confeſſionis illuſtris claruit in territorio Atrebatenſi, cuius natalis in Belgio agitur deci- B
matertia menſis Nouembris, de quo Molanum conſule.

Vexabantur id temporis Hiſpaniarum Eccleſiæ multitudine Iudæorum ibi degentium,
& in Chriſtianos etiam inſultantium: haud enim valuerunt Regum legibus, Synodali-
IVLIANI TO- busq. decretis coerceri, alijsve remedijs ſæpe tentatis in officio contineri, quin ſuam per-
LET. LVCV- fidiam retinerent, quam & tueri non deſiſterent. Inter alia autem exprobrare ſolebant
BRATIONES his temporibus Chriſtianis falſam annorum ſupputationem ab origine mundi, ob idq. eos
ADVERSVS falli, quod ante tempus Meſſiam receperint, cuius aduentus nondum tempus adeſſet.
IVDAEOS. Ad horum petulantiam atque procaciam retundendam, Eruigius Rex Hiſpaniarum ro-
gauit S. Iulianum Epiſcopum, vt ſuis ſcriptis eoſdem redargueret. Præſtitit id ipſe quam
fideliſſime, tres eo argumento aduerſus Iudæos libros edens, qui extant; quos ſe abſol-
a Iulian. aduerſ. Iud. lib. 3. in fin. uiſſe hoc anno, verbis iſtis ſignificat [a]: C

Nunc, inquit, acclamatur Era ſeptingenteſima vigeſimaquarta. Emenſis igitur trigin-
ta & octo annis, ex quo Era inuenta eſt, vſque ad natiuitatem Chriſti, reſidui ſunt ſex-
centi octogintaſex anni.] & paulo inferius: Ab initio mundi vſque ad Chriſtum compu-
tatos diximus quinque mille trecentos vigintiquinque annos: quibus ſi addantur anni
ab incarnatione Domini ſexcenti octogintaſex, vſque ad præſentem diem, id eſt, quando
ſereniſſimus Princeps Eruigius Imperij ſui videtur habere annum ſeptimum, computati
ſunt ſex mille & vndecim anni.] hæc de tempore ipſe, quibus & inuenis chronologiam
per Eram in Hiſpania receptam noſtræ huic ſupputationi in omnibus adſtipulari.

b Notat. in Roman. Martyrolog. die 8. Mar. f. Sed hic obiter refellimus (quod & alias [b] pluribus diſſeruimus) manifeſto errore inſcri-
IVLIANVS EPI bi in commentarijs a Iuliano Epiſcopo Toletano editis, Iulianum Pomerium: ſiquidem
SCOP. TOLET. qui Pomerij nomine recenſetur inter ſcriptores Eccleſiaſticos, ante ducentos ferme an- D
DIVERSVS A nos vixit, tempore videlicet Gelaſij Romani Pontificis, vt auctore Gennadio, qui ſcri-
POMERIO. bit de ipſo, comperies. cum alioqui nihil commune cum Iuliano hoc Pomerius ille ha-
beat: etenim ilie natione Maurus, & presbyter tantum fuit, atque vixit in Gallijs,
necnon fide Catholica haud integer, Tertulliani hæreſi inquinatus: quæ quidem ne-
quaquam de Iuliano, de quo agitur, dici poſſunt. Sed vt ambo hi vnus idemq. crede-
rentur, inde fluxiſſe videtur erroris occaſio, quod vterque eodem titulo commentarios
edidit, nempe Prognoſticon, quos tamen ab inuicem diſcriminent qui in eis citati repe-
riuntur auctores: ſiquidem cum in libris Prognoſticon Iuliani Epiſcopi Toletani citati
legantur auctores qui poſt Pomerij ætatem vixerunt, non illius eſſe poſſe eos commen-
tarios, quiſque cognoſcit.

Sed & quod Iulianus diaconus Eccleſiæ Toletanæ, cuius eſt præfatio illa ſuperius reci- E
IVLIANVS tata in libros S. Ildefonſi de laudibus S. Mariæ, æque cognomine inſcriptus Pomerius
DIACONVS reperitur: ne quis exiſtimet illum eſſe eumdem cum Iuliano Epiſcopo Toletano, de quo
TOLETAN. agitur, quaſi qui ibi diaconus nominatur, idem poſtea fuerit eiuſdem Eccleſiæ creatus
Epiſcopus: etenim cum in ea præfatione meminerit Sisberti Archiepiſcopi Toletani,
qui poſt Iulianum defunctum eamdem Eccleſiam rexit, vtique ſe diuerſum ab iſto omni-
no conſtituit. Nec rurſus eſt quod commentarij Iuliani aduerſus Iudæos Iuliano diacono
cognomento Pomerio adſcribi iure poſſint, cum auctor ſe fuiſſe Epiſcopum illis verbis
manifeſte indicet, quibus ait: Periculoſum eſt paſtori, ſi taceat, &c.] Idem dixerimus de
libris Prognoſticon, dum præfando ad Idalium Epiſcopum Barcinonenſem, fratrem eum
appellat, vtique coepiſcopum. Sed de his hactenus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 687. CONONIS PAP. ANNVS item 1. IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 3.

ANno Redemptoris sexcentesimo octogesimoseptimo, Indictione decimaquinta, Conon sanctissimus Papa moritur decimatertia mensis Octobris, cum sedisset mensses vndecim, & dies vigintitres, vt Anastasius tradit, quem potius sequimur, quam alios, qui Anastasio antiquiorem non habent aliquem, cui inhæreant & sequantur. De eodem ipse testatur, fuisse relictam ab ipso tum clero, tum monasterijs eam auri quantitatem, quam Papa Benedictus reliquerat: idemq. asserit, creatos ab eo Episcopos per diuer- CONONIS PAPAE OBITVS.
B sa loca numero sexdecim, sepultumq. in basilica sancti Petri vigesimasecunda* mensis *XXI.
Octobris, cessasseq. Episcopatum ipsius menses duos & dies tredecim: quo tempore dirum conflatum est schisma inter Theodorum Archipresbyterum & Paschalem Archidiaconum, qui malis artibus sibi ad Pontificatum viam parauit: de eo enim hæc Anastasius in Conone: Huius Archidiaconus videns eumdem Cononem Pontificem infirmitate constrictum, & cupiditate ductus prædicti legati relicti clero & monasterijs ab ipso Pontifice, cum nondum esset persolutum, scripsit Rauennam glorioso nouo Exarcho, atque promisit eius dationem, si ad Pontificatum eligeretur.] hæc de Archidiacono Anastasius in Conone. CONATVS IMPROBI PASCHALIS.

Post cuius obitum quomodo Ecclesia Romana diuisa sit schismate, idem Anastasius in Sergio ita narrat: Post septem vero dies a defuncto beatæ memoriæ Conone Apostolicæ SCHISMA INTER THEODORVM ET PASCHALEM.
C sedis Præsule (vt fieri assolet) Romanus populus in duas partes diuisus est: & vna quidem elegit Theodorum Archipresbyterum, alia vero pars Paschalem Archidiaconum. Et quidem Theodorus Archipresbyter cum populo, qui ei fauebat, præueniens, interiorem partem Patriarchij tenuit: Paschalis vero exteriorem partem ab Oratorio sancti Siluestri & basilica domus Iuliæ, quæ super campum respicit, occupauit. Cumq. vnus alteri locum non cederet, sed vtrique immaniter perdurarent, vt vnus alium superaret: inito consilio primates Iudicum, & exercitus Romanæ militiæ, & cleri plurima pars, & præsertim sacerdotum atque ciuium multitudo ad sacrum Palatium perrexere, & diu pertractantes, quid fieri deberet, qualiterve duorum altercantium electorum sopiretur contentio: Deo annuente, in personam denominati Sergij venerabilis tunc presbyteri concordantes se contu- SERGIVS PAPA CREATVR.
lere, eumq. de medio populi tollentes, in Oraculum beati Cæsarij martyris Christi, quod
D est intra sacrosanctum suprascriptum Palatium, introduxerunt, & exinde in Lateranense Episcopium cum laudum acclamatione deduxerunt.]

Sed antequam vlterius progrediatur oratio, de ipso loco Oratorij S. Cæsarij dicendum est: quod cum intra sacrum Palatium fuisse dicatur, aliud plane a Lateranensi Patriarchio illud fuisse, ex eodem verborum contextu perspicuum redditur, dum illud a schismaticis occupatum fuisse ponitur, altero nempe ipsorum occupante partem exteriorem, interiorem vero altero: vnde liquet sacrũ Palatium diuersum fuisse a Patriarchio, & quod ibi erat (vt ait) Oraculum, siue dixerimus Oratorium, dictum fuisse sanctum Cæsarium intra Palatium, siue in Palatio, de quo mentionem habitam a S. Gregorio, superius vidimus, egimusq. de eo pluribus, cum de imaginibus Augustorum Romam delatis, & in eodem Oratorio a sancto Gregorio collocatis sermonem habuimus. Sed redeamus ad Sergium.

E Quidnam ipse iam faceret, cum etsi electus, cathedræ tamen Pontificiæ expers esset, schismaticis eam occupatam vallantibus armis? Idem diuinus Spiritus, qui ad eius electionem populum clerumq. permouerat, vt olim Samsonem in Philisthæos, eosdem aduersus schismaticos ad eorũ cuneos irrumpendos excitans, fortes reddidit & intrepidos. Proficiscentibus enim ipsis vna simul ad Patriarchium Lateranense, ipso aspectu, qui ipsum foris obsidebant, statim sponte cessere, resistere non valentes: sed & ij qui intus erant, & Patriarchium in munitionem conuerterant, inuiti licet atque nolentes, dedere locum; sicq. vnus ab omnibus, explosis reliquis, acceptus est Pontifex Sergius. Sed quæ habeat Anastasius de Sergio ad Patriarchium accedente, audi: SERGIO CEDVNT SCHISMATICI.

Quamuis fores Palatij intrinsecus essent munitæ & clausæ; tamen pars quæ supradictum venerabilem virum elegerat, quia validior erat, præualuit, & ingressa est. Quo ingresso, vnus e duobus electis, id est, Theodorus Archipresbyter illico quieuit, & humi-

liauit

liauit se; Paschalem vero nullo modo cordis duritia id facere sinebat, donec coactus & confusus, volens, nolens, suum dominum & electum ingressus salutaret. Qui etiam Paschalis clanculo non cessauit Rauennam suos mittere Missos, promissaq. pecunia, vel alijs diuersis donis, Ioannem Patricium & Exarchum cognomento Platyn, cum suis Iudicibus, nemine sciente, Romam venire persuadere. Qui sic abdite venit, vt nec signa, nec banda cum militia Romani exercitus occurrissent ei iuxta consuetudinem in competenti loco, nisi e propinquo Romanæ ciuitatis. Qui dum venisset, & omnes in personam Sergij sanctissimi inuenissent consensisse, illi quidem suffragari non valuit: ecclesiæ tamen beati Petri Apostoli idem Exarchus per eiusdem Paschalis miseriam dispendium & damnum intulit, quod ab eodem Paschale suprascripto Exarcho promissum fuerat, id est, centum auri libras a parte Ecclesiæ expetente, Sergio sanctissimo electo proclamante, quod neque promisisset dare, neque possibilitas suppeteret: & vt ad compunctionem animos videntium commoueret, cantharos & coronas, quæ ante sacrum altare & Confessionem beati Petri Apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit, & pignori tradi: sed nec in hoc flexa est eiusdem Exarchi duritia, donec centum (vt dictum est) auri libras accepit.

DAMNA ILLATA ROM. ECCLESIAE PER EXARCHVM PASCHALIS OPERA.

At licet (vt prædictum est) Ecclesiæ Christi adeo miserrimus Paschalis dispendium & damnum inflixerit: tamen, Christo fauente, Sergius presbyter & electus in sede beati Petri Apostoli Pontifex ordinatus est: prædictus vero Paschalis non post multum tempus ab officio Archidiaconatus pro aliquibus incantationibus, & lucis, quos colebat, vel sortibus, quas cum alijs inspectoribus tractabat, Dei, beatiq. Apostolorum principis Petri interueniente iudicio, priuatus est, & in monasterium retrusus, & post quinquennium præ cordis duritia impœnitens defunctus est.] hucusque Anastasius de ingressu Sergij, atque dissidentium eiectione: quibus plane apparuit, haud leuem esse eam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Apostolicæq. sedis persecutionem, quam a domesticis pati consueuit; vtpote quod qui semel cœpit ipsius Redemptoris adhuc tempore cribrare discipulos Satanas, numquam dimiserit amplius cribrum, quo simul collidens iustos cum improbis, magna agitatione ipsam conquassset Ecclesiam, sed malorum damno, lucro vero iustorum: etenim eiusmodi ministerio, qui probati sunt, manifesti fiunt, reprobis seorsum vt purgamentis eiectis. De persona vero Sergij hæc idem Anastasius habet:

PASCHALIS MISERRIMVS FINIS.

Sergius natione Syrus, Antiochiæ ortus ex patre Tiberio, Panormi in Sicilia vixit: inde veniens Romam, a sanctæ memoriæ Adeodato Pontifice inter clerum Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat & capax in officio cantilenæ piorum cantorum pro doctrina traditus est, & acolythus factus, per ordinē ascendens, a sanctæ memoriæ Leone Pontifice in titulo sanctæ Susannæ, quæ Ad duas domos vocatur, presbyter ordinatus est. Hic tempore presbyteratus sui impigre per cœmeteria diuersa Missarum solemnia celebrabat.] hæc Anastasius de Sergio, quem hoc anno vigesimasexta mensis Decembris creatum esse Romanum Pontificem, eiusdem assertione redditur manifestum.

SERGII PAPAE PRIMORDIA ET VITAE INSTITVTIO.

Quod ad res Francorum pertinet, eodem anno, maximo malo purgantur Galliæ, cum truculentus carnifex, sanctorum sanguine ebrius, Ebroinus occiditur: tertio namque anno a sancti Leodegarij martyrio trucidatur ab Ermenfrido. Sed quomodo & eius animam excepit locus infernus, Adonem Viennensem ista narrantem audi: Erat, inquit, tunc temporis vir oculis cæcatus, vnus de illis quibus Ebroinus effoderat lumina in insula Lugdunensis prouinciæ, quæ Barbara dicitur: qui cum nocturno tempore super ripam Sicannæ fluminis orandi gratia resideret, audiuit nauigantium impetum, & magna vi brachiorum contra impetum fluminis insurgentium. Cumq. interrogaret, quo nauigium illud tenderet, vox in auribus eius percrebuit: Ebroinus est, quem ad Vulcaniam ollam deferimus: ibi enim facti sui pœnas luet. Hoc vir audiuit ad consolationem sui, vt sciret quam pœnam persecutores iustorum sentirent.] secundum illud Dauidicum [a]. Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.] vt dicant omnes [b]: Si vtique est fructus iusto, vtique est Deus iudicans eos in terra.] Ceterum neminem adeo obtusæ mentis esse putamus, vt ignoret animas migrantes e corpore haud egere vectura nautica, vt ad supplicium perducantur; sed hæc esse per visum ostensa secundum mentis humanæ captum eiusmodi formulis & speciebus interdum ad rem cognoscendā egentis. At inuisamus res Ecclesiæ Anglicanæ.

EBROINI INTERITVS.

DE ANIMA EBROINI.

a Psal. 57.
b Ibidem.

Hoc eodem anno, decimotertio Kalendas Aprilis moritur ille sanctitate celebris, Anglorum decus, Cudbertus Episcopus Lindisfarnensis, cuius vita ab infantia ad senectutem virtutibus micans, nec obitu potuit obscurari, illustrata diuinitus eius sanctitate miraculis,

DE OBITV S. CVDBERTI EPISCOPI.

A raculis, quæ Beda [a] recenſet in rebus geſtis Anglorum, copioſius autem, cum eiuſdem vitam proſecutus eſt carmine atque ſoluta oratione. Suffectus eſt ipſi Aedilualdus, tanti prædeceſſoris haud indignus ſucceſſor. Tu de his ipſum conſulas Bedam.

[a] Bed. de geſt. Angl. lib. 4. c. 27. 28. 29. 30. 31.

Contigit eodem tempore mori Eruigium Regem Hiſpaniarum, cum ageret ſui regni annum octauum inchoatum: inq. locum eius ſubrogari Egicam, ſiue Egicanem, cui (vt Tudenſis eſt auctor) filiam ſuam nomine Cixilonem Eruigius in matrimoniũ collocarat. fuiſſe autem hunc conſobrinum Bambæ, idem auctor affirmat. Ceterum ipſum Egicanem conſobrinum Bambæ, Eruigij Regis fuiſſe generum, liquet: eius enim meminit Concilium Toletanum decimumquintum celebratum anno ſequenti, vbi in tomo Synodo ab ipſo oblato, in quo eumdem & patrem appellat pietatis ergo, hæc leguntur: Illud mihi primo dicendum erit, quod diui patris noſtri & ſoceri regale ſortientes faſtigium, &c.] Minus au- B tem iuſte adminiſtraſſe regnum Eruigium, ea quæ eodem tomo leguntur oſtendunt his verbis: Additur ſuper hoc (vt fertur) preſſurarum eius in plerosque acerbitas, quos indebite rebus & honore priuauit, quos de nobili ſtatu in ſeruitutem ſui iuris implicuit, quos tormentis ſubegit, quos etiam violentis iudicijs preſſit, &c.]

ERVIGII REGIS ORTVS, ET EGICANIS SVCCESSIO.

Horum igitur gratia cum tam ipſe Eruigius, quam filij eius odio haberentur, & omnium oculi conijcerentur in Vuambæ conſobrinum, ſiue (vt alij tradunt) filium, quem proditione exutum regno omnes miſererentur, expectareturq. auide vt in eius regnum vocaretur: id probe ſciens ipſe Eruigius, nempe poſt obitum ſuum poſthabendos ſuos filios Egicani, ipſum ſibi iungere voluit fœdere nuptiarum, tradens ei (vt dictum eſt) ſuam filiam Cixilonem in vxorem. At non his tantum ſtuduit eum vinculis obligare, ſed & ſtringere arctius voluit iuramento, quo eum polliceri fecit pro defenſione filiorum ipſius cun- C cta peragere, nihilq. contra eos moliri, vel ab alijs tentari permittere, & alia huiuſmodi, quo ſuis filijs in omnibus eſſet tuto conſultum. His igitur rite peractis, contigit ipſum Eruigium (vt dictum eſt) mori, exaltari vero tum ab Epiſcopis, tum a magiſtratibus in regnum, quem diximus, Egicanem: qui more patrio, antequam regni capeſſeret adminiſtrandas habenas, populo præſtitit iuramentum, iuſtitiam illi ſinceriſſime ſe adminiſtraturum. Hæc omnia expreſſa habentur in dicto Concilio Toletano anno ſequenti habito, de quo mox dicturi ſumus.

ERVIGIVS GENERVM OBLIGAT IVRAMENTO.

IESV CHRISTI ANNVS 688. SERGII PAP. ANNVS 1. IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 4.

D

SEquitur annus Domini ſexcenteſimus octogeſimusoctauus, Indictione prima, quo celebratum eſt in Hiſpania Concilium Toletanum numeratum ordine decimumquintum. conuenerunt Epiſcopi numero ſexaginta & vnus, per vicarios vero quinque, Abbates vndecim, & Comites decem & ſeptem: quod enim Regis cauſa tractanda eſſet, frequens conuentus adfuit. Cum igitur Rex maxime pius & religionis tenaciſſimus cuſtos ante ſuſceptum regnum duplici ſe obligatum intelligeret iuramento, altero dato Eruigio de filiorum atque vxoris eius defenſione, nec in eos quicquam damni inferri ab aliquo ſe paſſurum; altero, quod populo ex debito præſtitiſſet de miniſtranda illi iuſtitia abſque aliqua perſonarum acceptione: cum vtrumque ſimul implere impoſſibile exiſtima- E ret, neque alteri abſque alterius diſpendio ſatisfacere poſſe: conſulendã Synodum ſtatuit, quid eſſet ſibi faciendum. Sic igitur hoc anno, qui & primus eiuſdem Regis numeratur, Era ſeptingenteſima vigeſimaſexta, quinto Idus Maias, cum in vnum dicti conueniſſent Epiſcopi in eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli, ipſe Rex ingreſſus eſt in Synodum, petitionemq. ſuam ſcriptis conceptam legendam tradidit. Sed antequam de ipſa agamus, qualis fuerit religioſiſſimi Regis ingreſſus in locum vbi conſeſſus aderat ſanctorum Patrum, ex eiuſdem Synodi Actis hic deſcribamus in exemplum Orthodoxorum Principum: hæc enim ibi leguntur:

CONCIL. TOLETANVM XV. SVB EGICANE REGE.

Adfuit idẽ ſereniſſimus Egica Princeps placida deuotionis arce ſublimis, & ſtrenua cul minis reclinatione laudabilis; quiq. in medio Pontificum poſitus, humoq. proſtratus, ſacerdotum Dei ſe cõmendat orationibus. Deinde ſurgens, & ſufficienti exhortatione Con-

EXEMPLVM CATHOLICI PRINCIPIS.

cilium allocutus, innexa tomo sui culminis vota Dei sacerdotibus tradidit relegenda.] A erat eius exordium: Ecce beatissimi Patres, &c.] habetur integer ipse tomus Actorum primordijs positus. His acceptis, ex more Patres de ijs quæ ad fidem Catholicam spectant, agere aggressi sunt, præmissaq. ex sacrosanctis œcumenicis Concilijs Catholica confessione, ea quæ ante biennium a Benedicto Romano Pontifice fuerant in suis ipsorum litteris adnotata examinantes, recte pieq. atque ex Patrum sententia esse prolata docuerunt.

IVLIANVS TOLETANVS CORRECTIONE DIGNVS.

Præter illa autem quæ de his sub Benedicto Pontifice de eadem controuersia dicta sunt, hic non omittendum, in ista Synodo ipsum Iulianum Episcopum Toletanum, cui eadem omnia eiusdem Concilij scripta tribuuntur, paulo licentius insultasse in Romanum Pontificem. Sensit hoc atque sugillauit veritatis amator & pietatis optimus cultor, qui erudito stylo postremam manum appossuit rerum Hispanicarum historiæ, Hispanus & ipse, sed B affectu priuato carens, Ioannes Marianæ dignus professor Societatis Iesu, cuius sunt hic mihi reddenda verba, sed prius illa ponenda, quæ in Synodo scripta leguntur, quibus Iulianus ipsorum auctor æstimatus fuerit correctione dignus. sunt hæc ipsa, dum de vltimis capitibus a Benedicto Papa notatis agitur: Tertium sane, quartumq. capitulum contuentes, non solum sensum, sed & ipsa pene verba ex libris beatorum Ambrosij atque Fulgentij nos prælibasse monstrauimus, quibus ea prædictos viros dogmatizasse scimus: quos quia celebres in toto orbe doctores feriata Ecclesiarum Dei vota percensent, non illis est succensendum, sed potius succumbendum: quia omne quod contra illos sapitur, a rectæ fidei regula abhorrere sentitur.] & paulo post: Iam vero si post hæc & ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc prolata sunt, in quocumque dissentiant: non iam est cum illis amplius contendendum; sed maiorum, directo calle, inhærentes vestigijs, erit per diuinum C iudicium amatoribus veritatis responsio nostra sublimis, etiam si ab ignorantibus æmulis censeatur indocilis.] ista quidem ibi, sed vtrum dulcedine charitatis, an amaro zelo, ex gustu ipso facile est iudicium facere: sed & vtrum ex spiritu veritatis, an erroris, prouoco lectorem ad ea quæ sæpe superioribus tomis dicta sunt, nimirum, omnium scriptorum Ecclesiasticorum doctorum arbitrum esse Romanum Antistitem, atque de his singulis esse iudicem Apostolicam sedem.

PROBATVR SENTENTIA IOAN. MAR.

Sed audi modo Ioannis de eiusmodi Iuliani sententia iudicium graui lance perpensum, atque ita prolatum: Nobis, inquit, aliquanto liberior visa est, quam vt Iuliani modestiam erga Romanum Pontificem, summum Ecclesiæ doctorem deceret. Et nimirum de ingenij laude cui quicquam concedat, rarus est, & in ardore disputandi modum tenere difficile. Erat enim Iulianus eruditionis laude ea ætate celebris, vt eius libri te- D stantur, ac præsertim opus quod Prognosticon sæculi venturi nominauit, liberq. de sex ætatibus, qui libri ad nostram ætatem conseruati sunt, alij iniuria temporum desiderantur. fuit ex Iudæorum sanguine propagatus, Eugenij tertij discipulus, &c.] ista quidem ipse. Ex Iudæis (vt vidimus) Iulianus ad Ecclesiam veniens, doctrina fulgens, nomine celebris ad primariæ in Hispania Ecclesiæ Episcopatum ex neophyto euectus est, quod in primitiua Ecclesia nonnisi Apostolica indulgentia licuisset, prohibente Apostolo [a] ordinari neophytum, ne (vt ait) in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Nos reliqua prosequamur historiæ.

a 1. *Tim.* 3.

PROBAT SERGIVS FACTAM DECLARATIONEM.

Cum autem quæ elucidata sunt in hoc Concilio de obiectionibus factis a Benedicto Pontifice innotuissent Sergio Papæ, ab eodem magnis sunt laudibus celebrata. Constat id quidem Roderici Toletani Episcopi testificatione. Sicq. cognitum patefactumq. fuit, E Romanam Ecclesiam haud ferere lites dissensionesq. curare, sed rectam sententiam de fide Catholica ab omnibus exigere, exactamq. recipere, gaudereq. de filiorum in fide integra sanitate. vt illud Ioannis Apostoli [b] in ore habeat, cordeq. retineat: Gauisus sum valde, quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate.] Addit idem Rodericus, misisse post Synodum Iulianum Episcopum Toletanum legatos Romam ad Pontificem. ait enim: Sanctus Iulianus veridicis testimonijs in hoc Concilio *decimoquinto* ad exactionem præfati Principis per oracula eorum, quæ Romam transmiserat, verum esse firmauit, & apologeticum fecit, & Romam misit per suos legatos presbyterum, diaconum, & subdiaconum viros eruditissimos, & in omnibus Dei seruos, & in diuinis scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatorijs, secundum quod & olim transmiserat de laude

b *Ioan.* 2.

Romani

A Romani Imperij. Quod Roma digne & pie recipiens, cunctis legendum indixit; atque Imperator acclamando, Laus tua Deus in fines terræ, lectum sæpius notum fecit.] Hic aduerte, lector, loco Pontificis, in codicem irrepsisse nomen Imperatoris; ne fallaris: alioqui mendacij arguendus ipse Rodericus esset, cum constet Imperatorem non Romæ, sed Constantinopoli habitasse, nec Vrbem vmquam visisse. Pergit vero de ipso Romano Pontifice ista dicere, ad quæ referenda sunt superiora: Qui & rescriptum domino Iuliano per suprafatos legatos cum gratiarum actione & cum honore remisit; & omnia quæcumque scripsit, iusta & pia esse deprompsit.] fuit iste, qui tunc Romanæ Ecclesiæ præerat, Sergius Papa.

His vero pertractatis, de duobus sibi inuicem aduersantibus Regis iuramentis facta est quam exactissima disputatio. Itaque ad exactam rei cognitionem iussa sunt legi verba, quiB bus primum præstitum Eruigio Regi conceptum tunc fuit iuramentum; quæ hic describenda putamus: sic enim se habent: Circa cognatos meos, filios vestros, quos de glorioſa coniuge vestra, domina mea Leubigitone Regina progenitos habere videmini, tam carum me amicum in sincera mentis dilectione sine fraudulenta calliditate exhibere & esse polliceor, & ita cum eis in effectu dulcedinis & charitatis omnibus diebus vitæ meæ viuere spondeo, vt nec ipsos, nec partem eorum pro quibuslibet capitulis, aut ordinibus, vel occasionibus quoquolibet tempore inquietare aut stimulare debeam: nec vllum dolorem, vllamq. malitiam in corde vel animo meo contra eos amodo & deinceps quandoque retinebo, aut excogitabo: neque aliquam occasionem aut argumentum enutribo, per quod aut præfata ancilla vestra, sponsa mea, siue iam nominati filij vestri, qui de totiens dicta clementissima coniuge vestra domina mea Leubigitone Regina progeniti sunt, aut in maC ximum, aut in modicum conturbentur vel stimulentur, excepto propter iustissimas causas, vnde legalis mihi veritas patuerit, quas vt cum charitatis affectu ad eosdem cognatos meos quærere debeam, mihi licentiam reseruo, & tam de promptissima dilectione & charitate eorum numquam recedam. Nam & pro causis eorum, quas aut ipsi contra quaslibet personas habuerint, aut si quicumque contra eos pro quibusdam rebus intenderint, ita vsque quoad vixero, in eorumdem filiorum vestrorum adiutorium cum omni mentis meæ intentione, in quantum valuero & Deus mihi dederit posse, exurgebo * & intendebo *, veluti si pro causa propria mea, vt nec illi damnum aut perditionem quamcumque sustineant, & negotia eorum cum Dei auxilio, me intendente, agente, & prosequente, celerem ad effectum perueniant.] hactenus promissio ab Egicane Eruigio facta, ac iuramento firmata.

IVRAMENTVM EGICANIS ERVIGIO PRAESTITVM.

* exurgam
* intendam

D His auditis, cognita post hæc sunt quæ idem Rex itidem iuramento populo ex more promisit, nempe iustitiam se illi integre redditurum, neque contra iustitiam quemquam esse læsurum. Cum res deducta esset ad Synodale iudicium, iudicatum est ea ex parte promissionem vel iuramentum subsistere, qua filijs eius est pollicitus aduersus omnes protectionem atque defensionem: ea vero ex parte qua consultum fuit iustitiæ, & obstructus aditus iniquitati, suo robore debere consistere, vtpote congrua ijs quæ ipse populo iuramento pariter promisisset. His itaque in hunc modum sententia Synodi definitis, optatus finis impositus est.

Sunt rerum Hispaniæ scriptores, qui eumdem Egicanem Regem odio plus æquo indulsisse tradant, vt qui filiam Eruigij in coniugem acceptam repudiasse dicunt, vindictamq. sumpsisse de nobilibus compluribus, quorum arte fuisset Vuamba Rex priuatus regno.
E Quod autem ad repudium pertinet; si factum est, nonnisi ex causa sacris legibus approbata factum oportuit. Quæ enim vigebat Hispanorum Episcoporum vigilantia in custodia sacrorum canonum, & in Regem præscripta auctoritas id existimare nos cogit: quod vero ad reliqua, etiam testificatio Synodalis eum liberum immunemq. reddit. Accipe rogo, quæ de ipso Patres habent in Concilio Toletano decimosexto [a]:

[a] *Concil. Tolet. 16. c. 8.*

EGICANIS REGIS VIRTVTES.

Glorioſissimus etenim ac sereniſſimus dominus noſter Egica Rex, feruentissimi amoris Christi igne succensus, & sanctæ actionis ope perfunctus, inimicorum Christi perfidiam, illud prophetale vaticinium sequens: Nonne [b] qui oderant te Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? vtpote verus Christicola, obnoxios proterere decernit, Ecclesiæ Dei statum vigilanti instantia roborare disponit, sanctis Dei basilicis se munificum exhibet, tributorum impensiones populis moderamine discreto remittit, maligna contra se obstinatione agentibus animi liberalitate gratissima ac piæ miserationis in-

[b] *Psal. 138.*

ſtantia ignoſcere conſueuit; multos quoque qui confracti ſunt, liberos (ſecundum pro- A
a Iſai. 58. phetam [a]) omne onus diſrumpendo, in ingenuitatis ſtatu reformat, atque in diuerſis ſanctæ Eccleſiæ ſtudijs exercendo præpollet.] hæc Patres, quos abſit credere turpiter adulatos. At de Concilio Toletano decimoquinto hactenus.

OBITVS THEODORICI REGIS.

Quod pertinet ad regnum Francorum: mortuo Theodorico, quem regnaſſe tradunt annos decem & nouem, ſubrogatus eſt eius filius Clodoueus huius nominis tertius, tenuitq. regnum annos quatuor. Reijciunt vero alij obitum Theodorici in annum ſuperiorem: ſed magis huic chronologiæ aſſentiri videtur Angradus [b] monachus, dum annum decimumtertium eiuſdem iungit anno Domini ſexcenteſimo octogeſimoſecundo: qua ratione, cum eum regnaſſe tradant annos (vt dictum eſt) decem & nouem, vltimus hic annus numerabitur Theodorici, poſt quem incipiunt numerari anni quatuor Clodouei eius filij. Porro iam ipſi Francorum Reges, ſiue quod puerili ætate regnum caperent, ſiue ſocordia, vel B
b Angr. in vita S. Ansberti Epiſcopi Rothom. apud Sur. die 9. Febr.

CLODOVEVS TERTIVS REX FRANCORVM.

voluptuoſæ vitæ cupidine, iam imbelles penitus redditi, procul aberant ab adminiſtratione curaq. regni: adeo vt in ducibus exercituum, quos Maiores domus vocare conſueuerunt, totum eſſet regni regimen collocatum. Ita quidem res vſque ad annum Redemptoris ſeptingenteſimum quinquageſimum tranſierunt.

CHriſti annus ſexcenteſimus octogeſimusnonus ſecunda inchoatur Indictione, quo C
& ſecundum ſui Pontificatus annum Papa Sergius inchoauit: cum ſanctus Ceadualla Rex Occidentaliũ Saxonum pietatis ergo peregrinatus Romam ad limina Apoſtolorum, illic exoptatum diem clauſit extremum. Hæc Beda his verbis [c]: Anno autem regni Aldfridi tertio Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſime præeſſet, relicto Imperio propter Dominum regnumq. perpetuum, venit Romam.] ſed ante in itinere in minorem Britanniam nauigio veniens, inuiſit S. Vulmarum Abbatem, a quo de rebus diuinis abunde eruditus eſt: habent enim hæc pluribus eiuſdem ſanctiſſimi viri Acta [d]. Inſuper auctor eſt Paulus [e] diaconus, eumdem Regem Romam venientem in itinere exceptum hoſpitio fuiſſe a Cuniberto Longobardorum Rege, atque honorifice habitum.

c Bed. lib. 5. c. 7.

CEADVALLAE REGIS ANGL. PEREGRINATIO, BAPTISMVS, ET OBITVS.

d Apud Sur. die 20. Iulij.

e Paul. diacon. lib. 6. c. 15.

Pergit vero Beda cœptã narrationem: Venit Romã, hoc ſibi gloriæ ſingularis deſiderans D
adipiſci, vt ad limina beatorum Apoſtolorum fonte baptiſmatis ablueretur, in quo ſolo dicerat generi humano patere vitæ cæleſtis introitum; ſimul etiam ſperans, quia mox baptizatus, carne ſolutus, ad æterna gaudia iam mundus tranſiret: quod vtrumque vt mente diſpoſuerat, Domino adiuuante, completum eſt. Etenim illo perueniens, Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt die ſancto ſabbati Paſchalis, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo octogeſimonono; & in albis adhuc poſitus, languore correptus, duodecimo Kalendarum Maiarum die ſolutus eſt a carne, & beatorum eſt conſortio ſociatus in cælis. Cui etiam tempore baptiſmatis Papa memoratus Petri nomen impoſuerat, vt beatiſſimi Apoſtolorum principis, ad cuius ſacratiſſimum corpus per longa locorum interualla pio ductus amore venerat, etiam ſanctiſſimum nomen referret: qui in eius quoque eccleſia ſepultus eſt. E

Et iubente Pontifice, epitaphium in eius monumento ſcriptum eſt, vt & memoria deuotionis ipſius fixa per ſæcula maneret, & legentes quoque vel audientes exemplum facti ad ſtudium religionis accenderet. Scriptum eſt ergo hoc modo:

EPITAPHIVM SEPVLCHRI CEADVALLAE REGIS.

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quæq. patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe,
Ceadual armipotens liquit amore Dei:
Vt Petrum, ſedemq. Petri Rex cerneret hoſpes,
Cuius fonte meras ſumeret almus aquas,
Splendificumq. iubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo viuificus fulgor vbique fluit.

Perci-

A *Percipiensq. alacer rediuiuæ præmia vitæ,*
Barbaricam rabiem, nomen & inde suum
Conuersus conuertit ouans, Petrumq. vocari
Sergius Antistes iussit vt ipse pater
Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans,
Protinus ablatum vexit in arce poli.*
Mira fides Regis, clementia maxima Christi,
Cuius consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perq. vias,
Vrbem Romuleam vidit, templumq. verendum
B *Aspexit Petri, mystica dona gerens.*
Candidus inter oues Christi sociabilis ibit:
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.] Post versus hæc sequebatur in-

* albatum

scriptio, qua & nota temporis ponebatur his verbis:

HIC DEPOSITVS EST CEADVALLA QVI ET PETRVS REX SAXONVM SVB DIE DVODECIMO KALENDARVM MAIARVM INDICTIONE SECVNDA. QVI VIXIT ANNOS PLVS MINVS TRIGINTA. IMPERANTE DOMINO IVSTINIANO PIISSIMO AVGVSTO, ANNO EIVS CONSVLATVS QVARTO. PONTIFICANTE APOSTOLICO VIRO DOMINO SERGIO C PAPA ANNO SECVNDO.] est enim hic ipse annus, quo Sergius Papa agit in Pontificatu annum secundum.

TEMPVS OBITVS.

Quod vero ad recitatum soluta oratione scriptum epitaphium pertinet, errorem irrepsisse putarunt aliqui; siue quod ita deprauatum illud acceperit Beda; siue quod qui ab eo postea exscripsit, gentilium suorū affectui plus satis indulgens, verba mutauerit, vt quem sciret Regem esse Britannorum, fecerit esse Saxonum, id ipsumq. in textu Bedæ mutarit. Absit enim de adeo venerabili sacerdote id vel leuiter suspicari, vt amore gentis suæ, detraxerit alienæ, arripiens quod suum non erat, suæq. tribuens, quod sciret alterius esse. Sane quidem, quod in epitaphio legitur, REX SAXONVM, legendum esse, REX BRITANNORVM, historici complures, qui res Britannorum sunt prosecuti, testantur. Nouissime vero doctissimus Sanderus, parcens Bedæ, modestiæ causa, in Paulum diaconum D conuersus, ait: Paulus diaconus de gestis Longobardorum: Ceadualdus, inquit, Rex Anglorum Saxonum (melius dixisset, Rex Britonum, vt est apud Gaufridum libro nono de gestis Britannorum) ad Christum conuersus, Romam properauit, vbi a Sergio baptizatus, ad cælum transijt.] hæc ipse, nihil in Bedam. Verum potuit (vt superius dictum est) ob deuictos Saxones homo Britannus dici Rex Saxonum.

QVOD CEADVALLA FVERIT REX BRITANNVS.

Porro a Beda tres eiusdem nominis positi inueniuntur Reges Britanni: primus quidem sub anno Domini sexcentesimo trigesimotertio, quem interfectorem fuisse tradit Eduini Anglorum Regis, eumq. Britonum fuisse Regem affirmat: secundum vero Ceaduallam fuisse illum reperias, de quo idem meminit Beda[a] anno (vt colligitur ex scriptis eius) sexcentesimo septuagesimooctauo, quem dum tradit fuisse ætate iuuenem, plane diuersum a seniore esse demonstrat: sed & cum ipsum successorem habuisse alium Ceadual- E lam tradat, diuersum ab eo qui venit Romam, de quo est sermo, fuisse docet. De primo dum agit, Britonum Regem appellat; & licet Christianum, tamen vehementem fuisse persecutorem Christianorum Anglorum affirmat: nam de eo ista subijcit[b]: Ceadualla quamuis nomen & professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, vt nec sexui quidem muliebri, vel innocuæ paruulorum parceret ætati, quin vniuersos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum prouincias debacchando peruagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus erasurum se esse deliberans: sed nec religioni Christianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris, &c.] in quibus tamen corrupte scias legi Carduella, pro Ceaduallа, siue Ceduallа, prout ex eodem auctore conspicitur, vbi ait inferius sequenti capite[c]; Nec mora, vtrumque, *nempe Ofrichum Regem Deirorum, & Eanfridum Regem Berniciorum*, Rex Britonum Ceduallа impia manu, sed iusta vltione peremit.] quæ cum acta

DE ALIIS CEADVALLIS.

[a] *Bed. lib. 4. c. 15.*

[b] *Bed. lib. 2. c. 20.*

[c] *Bed. lib. 3. c. 1.*

PLVRES CEADVALLAE.

esse testetur anno Domini sexcentesimo sexagesimotertio, nihil est quod dici possit hunc eumdem esse cum Ceadualla, qui Romæ defunctus est, quem ipsa sepulchralis inscriptio fuisse ætate iuuenem docet. Hæc de primo Ceadualla Britannorum Rege; at de secundo hæc libro quarto[a]: Interea superueniens cum exercitu Ceadualla iuuenis strenuissimus de regio genere Geuissorum, &c.] De tertio autem mox ista eodem capite subdit: Sed is qui post Ceaduallam regnauit, simili prouinciam illam afflictione plurimo annorum tempore mancipauit. Quare factum est, vt toto illo tempore Episcopum proprium habere nequiuerit, sed reuocato domum Vuilfrido primo suo Antistite, ipsi Episcopo Geuissorum, id est, Occidentalium Saxonum, qui essent inuenti in ciuitate, subiacerent.] ista quidem ipse Beda de tertio Ceadualla, quem hoc eodem dictum esse nomine, mox ista subijciens, satis docet[b]:

a Bed. lib. 4. cap. 15.

b Bed. lib. 4. cap. 16.

DE TERTIO CEADVALLA QVID BEDA.

Postquam ergò Ceadualla regno potitus est Geuissorum, cepit & insulam Vectam, quæ eatenus erat tota idololatriæ dedita, ac tragica cæde omnes indigenas exterminare, ac suæ prouinciæ homines pro his substituere contendit, voto se obligans, quamuis nondum regeneratus (vt fertur) in Christo: quia si cepisset insulam, quartam partem eius simul & prædæ Domino daret. Quod ita soluit, vt hanc Vuilfrido Episcopo, qui tunc forte de gente sua superueniens aderat, vtendam pro Domino offerret.] hæc Beda, quæ omnia optime conuenire tertio Ceaduallæ, nemo non videt.

CEADVALLA BRITANNVS CVR DICTVS REX SAXONVM.

c Bed. lib. 3. c. 7. & lib. 4. c. 15.

Hæc cum ita se habeant, in inscriptione nihil immutatum vel deprauatum dicere iure possumus: vt cum ibi dicatur Rex Saxonum, non ob id positum hoc sit, quasi Britannus non fuerit, sed ob deuictos Saxones ita potius dici voluerit ob maiorem gloriæ titulum, quod hostes vicerit, a quibus Britanni victi fuissent: Geuissorum enim regni Rex ipse erat; Geuissos autem eosdem dictos esse Saxones Occidentales, idem Beda testatur[c]: qui ea ratione fuerit excusandus, quod quem legerit in epitaphio dictum Saxonum Regem, ipse vere putauerit esse genere Saxonem. Hæc autem ad Bedæ excusationem a nobis dicta sunto, aduersus quem pari consensu, qui post ipsum prosecuti sunt Anglorum & Britannorum historiam, tradunt, ipsum Ceaduallam Regem Britannorum fuisse, eumdemq. eius gentis nouissimum; quorum subijciam nomina. est inter alios Riccardus monachus Cluniacensis Gallus, id affirmans in libro, cuius titulus est, Series Romanorum Pontificum: id ipsum Rodulphus monachus Anglus in libro, cuius est titulus, Polychronicon; id etiam Gaufridus Asaphensis: tradit hoc ipsum Matthæus Vuestmonasterienſis Anglus, insuper & liber scriptus antiquus, cuius est titulus, Summarium Chronicorum Angliæ; qui tamen omnes non Ceaduallam, sed Cedualdradum appellant, filiumq. Ceaduallæ Regis Britannorum, eumdemq. vltimum eius gentis affirmant, aliterq. legunt versum illum inditum sepulturæ:

Ceadual armipotens liquit amore Dei.] vt ita legi debeat:

Rex Cedualdradus liquit amore Dei.] Quod igitur non fuerit Anglus, sed Britannus, illud præterea afferunt, quod a Britannis, non ab Anglis ei semper exhibitum cultum affirmant; insuper & consueuisse Britannos eiusmodi nomen Cedualdradum suis frequentissime imponere filijs: adduntq. eius nomine multas esse ecclesias nuncupatas in ipsius memoriam a Britannis extructas, non ita ab Anglis, penes quos neque eius nomine sacellum reperiri tradunt erectum.

MAGNVM DE MVNDI CONTEMPTV EXEMPLVM.

Magnum plane tunc datum est vniuerso generi humano de contemptu mundi huius exemplum, dum Rex armiger, natura sæuus, hostium victor existens, quem si non aliud, æmulatio saltem ipsa externorum sibi Britanniam vendicantium retinere debuisset in armis, vt eos e patrio solo pelleret: horum nullam rationem ducens, lucrum maximum existimauit, facere de ijs omnibus pro cælesti regno iacturam. Fuisse tantæ rei aggrediendæ ipsi adiumento sanctum Vuilfridum Archiepiscopum Eboracensem, licet Beda expresse non dicat, coniectura quidem vehementi adduci possumus, vt credamus: etenim cum ipso auctore constet, magnâ inter eos necessitudinem interceſſisse, cum Vectam insulam expugnatâ Vuilfrido vtendam Rex ipse tradiderit[d]; ab eo pariter ipsum recepisse spiritualia dona, quis poterit dubitare? Sed & quod eodē auctore Beda liqueat, iam tertio Vuilfridum Romam concessisse; par est credere, ipsum de eadem sæpe illi sermonem habentem, eam adeundi ipsi desiderium iniecisse. Subdit vero de eius successore Beda, eiusdem consectatum esse vestigia; quod scilicet vbi ad annos triginta septē regni gubernacula propagasset, illud ipsum posteris relinquens, ad limina itidem Apostolorum peregrinationē susceperit:

d Bed. lib. 4. cap. 16.

at de

A at de eo dicendum ſuo loco erit. Porro & complures alios idem eſſe imitatos exemplum, idem auctor ita teſtatur: Quod factum ſcilicet his temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobilesque, laici & clerici, viri ac feminæ certatim facere conſueuerunt] nimirum abdicato ſæculo, conuolare ad limina Apoſtolorum, ad vbera matris, a qua ſe ſcirent eſſe progenitos. Sed de his ſatis.

Hoc eodem anno tribus martyribus felix Germania illuſtratur. Qui enim a Sergio Papa acceperant Euangelium ad prædicandum gentibus Borealibus, vix ſparſo verbi ſemine, illud fuſo ſanguine irrigarunt: Kilianus nempe Epiſcopus, Colomannus presbyter, & Totnanus diaconus hoc anno coronam ſunt martyrij conſecuti. Quod autem ad tempus ſpectat, erroris arguitur Sigebertus ex veteri inſcriptione eorum ſepulchro indita, quam poſuit in ſuis Notis ad horum martyrum Acta vir probitate & doctrina notus B Nicolaus Serarius Societatis Ieſu dignus profeſſor: nos eam paulo inferius reddituri ſumus. KILIANI ET SOCIORVM MARTYRIVM.

Quod igitur ad hos martyres pertinet: in Franconiã ipſos diximus profectos eſſe, illicq. ijs qui adhuc Gentiles eſſent, Euangelium prædicaſſe, Ducemq. Gosbertum vna cum alijs ad fidem Chriſtianam conuertiſſe: ibiq. demum pro laboribus exantlatis coronam martyrij conſecuti ſunt eadem ex cauſa, qua præcurſor Domini S. Ioannes Baptiſta ab Herode amputari capite iuſſus eſt. Cum enim eumdem Gosbertum Ducem iam Chriſtianum redditum admoneret ſanctus Epiſcopus, quod non liceret ſibi coniugio frui vxoris fratris ſui, quam ante baptiſmum ſibi coniunxerat, eiuſdem feminæ in ſe odium acerbiſſimum concitauit, cuius & molitione idem cum ſocijs clanculo occiſus eſt. Quomodo autem hæc geſta ſint, & deteſtandum facinus detectum diuinitus fuerit, ex Actis antiquis fideliter C ſcriptis hic enarremus: ſic enim ſe habent[a]: *a Extant apud Sur. die 8. Iulij tom. 4.*

Nefanda mulier, de qua nobis eſt ſermo (*Geila nomen illi erat*) callida meditatione perquirebat, quemadmodum ſine populari ſtrepitu & vulgi cognitione ſanctos viros poſſet tollere e medio. Armabatur enim iræ impatientia, & libidinis furore: & quia diabolus iniqua cupientibus fomenta malitiæ ſubminiſtrat, inuenti ſunt duo adminiſtri crudelitatis eius, qui promitterent ſe ſatisfacturos Geilæ deſiderijs, ſi munera darentur ipſis pro tanti perpetratione ſceleris. Ita factum eſt, vt accepto nefandi operis præmio, voto reſponderint femineæ crudelitatis. Solebat beatiſſimus martyr Kilianus poſt paruam dormitionem neceſſitatis, vigilare ad ſtudium propenſæ orationis. GEILA INSIDIATVR SANCTIS.

Quadam vero nocte, cum leues carperet ſomnos, ita vt nec dormiret integre, nec vigilaret aperte, apparuit ei vir habitu formaq. pulcherrimus, qui diceret: Amice Kiliane, VISIO OSTENSA S. KILIANO.
D ſurge: nolo te diutius laborare: dumtaxat certamine tangeris, & ſic victor iugiter mecum eris. His dictis, abſceſſit. Euigilans autem egregius vir, intelligens diuinam eam eſſe viſitationem, conuocatis fratribus, inquit: Fratres, vigilemus: cito aderit Dominus, & pulſabit ianuam. Cauendum nobis eſt, ne nos ſomno torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus eſt; ne ſi forte defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus inuenire. Illis itaque circa medium noctis orationi vacantibus, carnifices ſtrictis gladijs locum, in quo orabant, penetrarunt. Quos cum ſacer vir intuitus eſſet, ait: SANCTI NECANTVR.
Amici, ad quid veniſtis? Vos implebitis præceptum: nos curſum conſummabimus. His dictis, interfecti ſunt, ibiq. terræ mandati, ne quis rem geſtam ſcire poſſet. Veſtimenta quoque, cum quibus diuina peragebant officia, ſacriq. libri, cum illis defoſſa ſunt, ne quod indicium necis eorum extaret, ſed clam diſceſſiſſe putarentur cauſa ſolitæ pere-
E grinationis.

Erat tamen nobilis quædam matrona, Burgunda nomine, quæ a principio prædicationis eorum ſanctis viris adhæſerat, habens cellulam iuxta oratorium ſanctorum, quo facilius diuinis laudibus intereſſe valeret. Hæc intenta vigilijs, quæ facta fuerant, diligenti ſtudio inueſtigauit, recedentibusq. carnificibus, linteolo mundo fuſum ſanctorum ſanguinem collegit, ac terræ diligenter infodit, vigilijs & orationibus iugiter vacans, vbi ſanctorum corpora obruta nouerat, excolebatq. locum veneratione qua poterat, ſed occulte, ne (ſicut poſtea factum eſt) Geilæ iuſſu remouerentur. Ea enim ſceleratiſſima mu- GEILA FACINVS OCCVLTARE CONATVR.
lier ſtratis plancis ſtabulum equorum in loco, vbi ſancti martyres humati fuerant, fieri iuſſit, ne quo indicio ſacra corpora proderentur. Ferunt autem, ab ijs qui tunc fuere, poſteris relatum, iumenta eo in ſtabulo manentia ſuper ſepulchra martyrum nec ſtercus, nec vrinam reddidiſſe, honorem martyribus exhibentia: vt quod de capite propheta vaticinatus

natus est, id in eius membris quoque cerneretur: Cognouit (inquit Isaias [a]) bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit. Tali ergo modo sanctorum corpora hominibus propemodum ignota mansissent, nisi Burgunda, quam diximus, in extremo vitæ posita, quibusdam fidelibus, vbi condita essent, reuelasset. A

[a] Isai. 1.

SVASV GEILAE SANCTI NON REQVISITI.

Contigit autem, vt Dux a bello reuerteretur ad locum, in quo sanctos viros reliquerat: cumq. eos non inueniret, studiose perquisiuit, quando & qua causa recessissent, quoue profecti essent. Tum vxor eius, veneno malignitatis deprauata, modo rubore perfusa, modo pallore affecta, alias confidentia animata, multos anfractus suæ nequitiæ & fraudi prætexebat, dicens non se eos custodiendos suscepisse, neque ijs custodes adhibuisse: pro sua voluntate illos & venisse & recessisse, vt peregrinationis suæ institutum sequerentur. Sed quem femineæ voces non emolliunt? quem a statu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis suæ coniugis princeps, nonnihil a cœpta inquisitione remisit. B

VLTIO DIVINA IN SACRILEGOS HOMICIDAS.

Sed iuxta Dominicam vocem [b], Nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur. Cum ea quæ facta fuerant, paulatim obliuioni darentur, vnus eorũ, qui sanctos viros gladio peremerat, subito a dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit: Kiliane, acriter me persequeris. Igne enim consumor. Quod feci, celare non possum. Video imminere mihi gladium tuo sanguine respersum. Talia diu vociferans, & proprijs se dentibus lanians, a præsenti migrauit ad pœnas æternas. De talibus quippe scriptum est [c]: Duplici contritione contere eos, Domine.

[b] Matth. 10.

[c] Hierem. 17.

GEILA MISERRIME PERIT.

Alter vero cædis sanctorum conscius, in rabiem versus, gladio se petijt, effusisq. visceribus, per tormenta præsentis temporis ad æterna peruenit. Quisnam, Geila, tibi cernenti talia sensus tunc erat infelix? cruciatibus aucta furebas. Non multo post & ipsa bellua, de qua loquimur, a dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat: Iuste torqueor, C quæ sanctis viris tortores adhibui. Recte crucior, quæ cruciatus illis paraui. Acriter instas, Kiliane: ignem accendis, Colomanne: fomenta ministras, Totnane. Sufficiat vobis vicisse: nimis vestras vlciscimini iniurias. A calice Kiliane diceris: sed valde amara mihi pocula infundis. His dictis, miserabiliter vexabatur, ita vt a multis teneri vix posset. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatus diabolo paratos migrauit. Cernimus impletum, quod Veritas in Euangelio dicit [d]: Dominus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Amen dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.

[d] Luc. 18.

GOSBERTI INTERITVS.

His ita gestis, aiunt Gosbertum a suis seruis interemptum, filiumq. eius principatu dejectum, cognatos affinesq. eorum a contribulibus tanta perpessos, vt vix aliqua eis Reipublicæ dignitas in ea prouincia relicta sit. Quæ autem horum causa fuerit, vtrum quod D fidem rectam colerent, ab ijs, qui ab ea deuiarant, talia passi sint: an quod post eadem sanctorum martyrum a veritatis tramite recesserint, vindictam hanc diuinitus illatam pertulerint: viderit ille, quem nullum latet secretum: modo nos nihil eiusmodi asseramus, quod incompertum habemus.] hucusque auctor veritatis tenacissimus pariter & modestissimus. Porro hos ipsos, quos Romana Ecclesia Apostolico munere decorauit, eosdem corona martyrij insignitos triumphatores excepit, retulitq. in Album purpuratorum martyrum, annua (quousque mundus erit) memoria celebrandos ea qua passi sunt die, octauo Idus Iulij cunctis fidelibus exhibens.

Verum & idem Serarius noster, qui notationes ad Acta horum martyrum (vt diximus) scripsit, eiusmodi antiquitus scriptum recitat epitaphium, rudi licet Minerua, vt ferebat illorum temporum ætas, incisum (vt ait) lapideæ tabulæ positæ in sepulchrali crypta E iuxta puteum ad Occidentem:

EPITAPHIVM DE SS. KILIANO ET SOCIIS.

Annis sexcentis octogenisq. nouenis
Iſtic Kyllenam ſcimus fontis prope venam,
Et Colonatum, necnon Tothnamque beatum
Ob Saluatorem proprium fudiſſe cruorem.
Hinc fuit, eſt, & erit ſalus illi, qui pie quærit,
Eſt cæcus, mutus, claudus, ſurdusq. ſolutus.] Qui autem sequuntur versus, ad ipsorum eleuationem pertinent, factam per Bonifacium successorem, qui & recondidit Burkardum Episcopum Herbipolensem:

Septingenteſimo quinquageſimoq. ſecundo
A Bonifacio, Burkardo conſociato,

Hi

A *Hi sunt sublati, rite quoque canonizati.*
Hos pete deuote, qui sint † oramine pro te.] Qui vero quatuor sequuntur versus, Burkardi epitaphium continent, nomenq. eius qui posuit, ita conscriptum: †

Septingentesimo nonagesimo quoque primo
Burkardus moritur, corpusq. suum sepelitur
Iuxta sanctorum tumulum, ceu scribitur, horum
Per Megengaudum successorem reuerendum.] Quod his subditur hexasticon de ijsdem sanctis martyribus conscriptum, extat in vestibulo capitularis loci, qui Noui monasterij templo cohæret, in ædificiorum parte superiore, ad Septentrionale cryptæ latus, quod excultiorem poeticæ artis præsefert auctorem:

Hi sunt, Herbipolis, qui te docuere, magistri,
B *Qua verum coleres relligione Deum,*
Impia quos tandem iussit Geilana necari,
Celauitq. sub hunc corpora cæsa locum,
Ne turpi sine laude situ defossa iacerent
Corpora, Burkardus sub monumenta locat.] hactenus de sanctis martyribus, eorumdemq. memorijs: quorum precibus factum non dubitamus, vt fides Catholica in eadem Ecclesia adhuc integra perseueret in tanto naufragio fidei Germanarum prouinciarum, bene culta laboribus & bene custodita vigilijs Iulij eius Episcopi, digni sanctorum Præsulum successoris.

IESV CHRISTI ANNVS 690. SERGII PAP. ANNVS 3. IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 6.

C SEquens sexcentesimus nonagesimus Christi annus tertia Indictione inchoatur, quo Deus nouos Apostolos decernit ad Germanorum conuersionem, eosdemq. numero duodecim. Etenim etsi olim in illis Borealibus regionibus aliquando (vt dictum est superius) Euangelium illuxisset, postea tamen barbarorum motibus sæpius agitatæ prouinciæ, atque bellorum assiduis cladibus desolatæ, in solitudinem prope redactæ sunt, cum excoli verbi Dei prædicatione desiuissent: cum & adhuc aliæ essent prouinciæ, quibus tenebræ impietatis ex ignorantia veri Dei in cultu dæmonũ perseuerarent. Sed haud oblitus misereri Deus, qui ex semine illo purissimo in Anglia a S. Gregorio Romano Pon-
D tifice sato pauca grana delegit, quæ mundo præmortua magnum prouentum frugum afferrent. Quomodo autem hæc cœpta sint, & nomina eorum qui missi fuerant, ex Marcellino, qui interfuit, vnusq. ex ijs fuit, describamus; similiter & ea quæ in eamdem sententiam Beda & ipse rerum sui temporis scriptor posteris commendauit, in medium afferamus.

NOVI APOSTOLI DECERNVNTVR AD EVANGELII PRAEDICATIONEM IN GERMANIAM.

Fuit autem tantæ molis præcipuus architectus numquam satis laudatus S. Ecgbertus natione Anglus, qui monasticam disciplinam propensissimo studio excoluit in Hibernia, vbi & sacris litteris est imbutus, de quo ex Beda [a] superius mentionem fieri contigit. optasset & ipse inter eosdem Apostolos numerari, primusq. in Apostolico opere inueniri; verum diuina voluntate alij fuit operi mancipatus. Sed audi quæ de eius instituto tradit Beda [b]: Eo tempore, inquit, *nempe ab incarnatione Domini (vt paulo superius numerat) sexcentesimo nonagesimo anno, sicut & Marcellinus pariter computat*, venerabilis & cum omni ho-
E norificentia nominandus famulus Christi & sacerdos Ecgbertus, quem in Hibernia insula peregrinam ducere vitam pro adipiscenda in cælis patria retulimus, proposuit animo pluribus prodesse, id est, inito opere Apostolico, verbum Dei aliquibus earum, quæ nondum audierant, gentibus euangelizando committere, quarum in Germania plurimas nouerat esse nationes, a quibus Angli, vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxisse noscuntur: vnde hactenus a vicina gente Britonum, corrupte, Germani nuncupantur. sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Hunni, antiqui Saxones, Boruchtuarij: sunt etiam alij perplures ijsdem in partibus populi Paganis adhuc ritibus seruientes, ad quos venire præfatus Christi miles circumnauigata Britannia disposuit, si quos forte ex illis ereptos Satanæ ad Christum transferre valeret: vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda atque adoranda beatorum Apostolorum ac martyrum Christi limina cogitauit.

a *Bed. lib. 5. c. 27.*

b *Bed. lib. 5. c. 10.*

S. ECGBERTVS CVPIT PROFICISCI AD CONVERSIONEM GENTILIVM.

Erat

Erat ipsi in mente, tentare si quod pateret ostium Euangelio, ac Romam inde migrare A
ad accipiendum a sede Apostolica apostolatum, vt postea factum dicemus ab ijs, qui ab
eodem missi sunt: quod si nullus pateret aditus verbo Dei, lucrum saltem id peregri-
natione caperet, vt inuiseret & veneraretur sanctorum sepulchra Apostolorum. Hunc
plane fuisse eius verborum sensum, quæ sunt secuta declarant: sed quibus ipse fuerit re-
tentus nutu diuino impedimentis, Beda ibidem sic pergit dicere: Sed ne aliquid horum
DIVINO MONITV ECGBERTVS IMPEDITVR AB INSTITVTO. perficeret, superna illi oracula, simul & opera restiterunt. Siquidem electis socijs stre-
nuissimis, & ad prædicandum verbum idoneis, vtpote actione simul & eruditione præ-
claris, præparatisq. omnibus quæ nauigantibus esse necessaria videbantur; venit die
quadam mane primo ad eum vnus de fratribus, discipulus quondam in Britannia & mini-
ster Deo dilecti sacerdotis Boisili, cum esset idem Boisil præpositus monasterij Mailro-
sensis sub Abbate Eata, vt supra narrauimus, referens ei visionem quæ sibi eadem no- B
cte apparuisset:

Cum expletis, inquiens, hymnis matutinalibus, in lecto membra deposuissem, ac le-
QVID AGERE DEBEAT ADMONETVR. uis mihi somnus obrepsisset: apparuit magister quondam meus & nutritor amantissimus
Boisil, interrogauitq. me, an eum cognoscere possem. Aio: Etiam: tu es enim Boisil. At
ille: Ad hoc, inquit, veni, vt responsum Domini Saluatoris Ecgberto afferam, quod te
tamen referente oportet ad illum venire. Dic ergo illi, quia non valet iter, quod propo-
suit, implere: Dei enim voluntas est, vt ad Columbæ monasteria magis docenda pergat.
Erat autē Columba primus doctor fidei Christianæ Transmontanis Pictis ad Aquilonem,
primusq. fundator monasterij, quod in Hu insula multis diu Scotorum Pictorumq. po-
pulis venerabile mansit: qui videlicet Columba nunc a nonnullis, composito a cella & Co-
lumba nomine, Columcelli vocatur. Audiens autem verba visionis Ecgbertus, præcepit C
fratri qui retulerat, ne cuiquam hæc alteri referret, ne forte illusoria esset visio: ipse au-
tem tacitus rem considerans, veracem esse timebat, nec tamen a parando itinere, quo ad
gentes docendas iret, cessare volebat. At post paucos dies rursum venit ad eum præfatus
frater, dicens, quia & ea nocte sibi post expletas matutinas Boisil per visum apparuerit,
dicens: Quare tam negligenter ac tepide dixisti Ecgberto, quæ tibi dicenda præcepi? At
nunc vade, & dic illi, quia velit, nolit, debet ad monasteria Columbæ venire: quia ara-
tra eorum non recte incedunt; oportet autem eum ad rectum hæc tramitem reuocare.

Qui hæc audiens, denuo præcepit fratri, ne hæc cuiquam patefaceret. Ipse vero tam-
etsi certus est factus de visione, nihilominus tentauit iter dispositum cum fratribus memo-
MARIS TEMPESTATE REIICITVR ECGBERTVS. ratis incipere. Cumq. iam naui imposuissent, quæ tanti itineris necessitas poscebat, atque
opportunos aliquot diebus ventos expectarent, facta est nocte quadam tam sæua tem- D
pestas, quæ perditis nonnulla ex parte ijs quæ in naui erant rebus, ipsam in latus ia-
centem inter vndas relinqueret. Saluata sunt tamen omnia quæ erant Ecgberti & socio-
rum eius. Tum ille quasi propheticum illud dicens: Quia propter me est tempestas hæc:
subtraxit se illi profectioni, & remanere domi passus est. At vero vnus de socijs eius, vo-
cabulo Vuitbertus, cum esset & ipse contemptu mundi ac doctrinæ scientia insignis (nam
multos annos in Hibernia peregrinus anachoreticam in magna perfectione vitam egerat)
* Frisiam ascendit nauim, & in Fresiam* perueniens, duobus annis continuis genti illi ac Regi illius
* Radbodo Radbedo* verbum salutis prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud barba-
ros inuenit auditores. Tunc reuersus ad dilectæ locum peregrinationis, solito in silentio
Domino vacare cœpit: & quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis amplius
ex virtutum exemplis prodesse curabat.] E

Videre est ex ipso rerum exitu rem mirandam, sanctos viros a tanto opere sæpius re-
uocatos, quousque eorum legitimus efficeretur apostolatus: Etenim quæ a Deo sunt, or-
a Rom. 10. dinata sunt. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? inquit Apostolus [a]. Quousque enim a
Romano Pontifice prædicandi Euangelium apostolatum non accepere, ipsorum labor mi-
nime optatum finem consecutus est, vt scilicet ad fidem Christi barbaros aliquando con-
uerterent. Sed audi ex eodem auctore eorumdem, antequam Romam ad Pontificem se
b Bed. lib. 5. c. 12. conferrent, inanes progressus. pergit enim Beda [b]: Vt autem vidit vir Domini Ecgber-
DVODECIM DELIGVNTVR VERBI PRAEDICATORES. tus, quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permittebatur, retentus ob aliam
sanctæ Ecclesiæ vtilitatem, de qua oraculo fuerat præmonitus, nec Vuitbertus illas de-
ueniens in partes quicquam proficiebat: tentauit adhuc in opus verbi mittere viros san-
ctos & industrios, in quibus eximius Vuilbrordus presbyterij gradu & merito præfulge-
bat,

A bat. Qui cum illo aduenissent (erant autem numero duodecim) diuertentes ad Pipinum Ducem Francorum, gratanter ab illo susceptisunt: & quia nuper citeriorem Fresiam *, expulso inde Radbedo * Rege, ceperat, illo eos ad prædicandum misit, ipse quoque imperiali auctoritate iuuans, ne quis prædicantibus quicquam molestiæ inferret, multisq. eos qui fidem susciperevellent, beneficijs attollens. Vnde factum est, opitulante gratia diuina, vt multos in breui ab idololatria ad fidem conuerterent Christi.] sed hæc postea, vt dicemus. pergit vero de duobus alijs idem institutum sectantibus dicere, de quibus nos suo loco acturi sumus.

* Frisiam
* Radbodo

At quid postea? ne in vacuum (vt dicit Apostolus [a]) currerent, vbi ad verbi prædicationem iam patefactam viam viderent, decernunt mox ad eum quē vice Petri scirent vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ præesse Romanum Pontificem legationem, qua apostolatum accipererent ad gentes, licentiam scilicet atque auctoritatem Euangelij prædicandi. Quisnam autem fuerit qui ad hoc Romam profectus est, idem Beda docet, dum rem gestam describit his verbis [b]: Primis sane temporibus aduentus eorum in Fresiam *, mox vt comperit Vuilbrordus datam sibi a Principe licentiam ibidem prædicandi, accelerauit venire Romam, cuius sedi Apostolicæ tunc Sergius Papa præerat, vt cum eius licentia & benedictione desideratum euangelizandi gentibus opus iniret: simul & reliquias beatorum Apostolorum ac martyrum Christi ab eo se sperans accipere: vt dum in gente cui prædicaret, destructis idolis, ecclesias institueret, haberet in promptu reliquias sanctorum, quas ibi introduceret, quibusq. ibidem depositis, consequenter in eorum honorem, quorum essent illa singula, quæque loca dedicaret. Sed & alia perplura, quæ tanti operis negotium quærebat, vel ibi discere, vel inde accipere cupiebat.] hæc de legatione ad Romanum Pontificem Sergium missa: quæ autem post hæc secuta sunt, suis locis pro ratione temporis dicturi sumus.

[a] *Galat. 2.*

A PONTIFICE ROMANO APOSTOLATVM ACCIPIVNT.

* Frisiam
[b] *Bed. lib. 5. c. 11.*

Quoniam vero de perfecto Apostolicorum virorum numero duodenario trium dumtaxat hactenus ea scriptione nomina innotuerunt, audiamus Marcellinum vnum ex ijs, qui omni fide ipsorum res gestas tradidit posteris scriptas [c]. Breuiter enim ea cuncta de apostolatu ipsorum pertingens scribit, & de S. Ecgberto horum omnium (vt dictum est) bonorum auctore: in quo illud, quod aliunde irrepsit, puto corrigendum, dum nominatur Archiepiscopus Eboracensis: nam nonnisi presbyterum fuisse, apud Bedam & Martyrologia cuncta reperies. Ait igitur Marcellinus: Magnificus Præsul S. Ecgbertus * sitiens & affectans salutem omnium hominum, & præcipue Paganorum Frisonum, & Saxonum, eo quod Angli ab eis & ex eis propagati sunt, non desistens a bonæ voluntatis inchoato propositio, tentauit adhuc in opus verbi Dei mittere illuc sanctos & industrios, & ad prædicandum verbum vitæ strenuos & idoneos viros, vtpote actione & eruditione præclaros. Elegit ergo & congregauit, instar duodecim Apostolorum, duodecim Apostolicos viros in fide constantes ex diuersis monasterijs ad prædicandum Germanis Catholicam fidem. Fuerunt autem hi missi, Vuillebrordus, Suuibertus, Acca, Vuigbertus, Vuillibaldus, Vuinibaldus, Lebuinus, duo Euualdi, Vuerenfridus, & ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc historiam, sicut & sancti Vuillebrordi conscripsi. Omnes præfati presbyteri & sacerdotes fuerunt, ac sanctissimus Adelbertus Leuita filius Regis Deirorum, qui pro Christo dimittens regale patrimonium, cum prædictis sanctis presbyteris electus a sancto Ecgberto, amore Christi, peregrinum non recusauit exilium.

[c] *Marcel. in Suuiberto, apud Sur. to. 2. die 1. Marty.*

* Egbertus

QVI FVERINT DVODECIM ILLI IN GERMANIAM MISSI.

Et quoniam hi sancti doctores propagati fuerunt in Anglia de stirpe Frisonica & Saxonica, ideo conuenienter prædicare potuerunt Euangelium Christi in lingua Germanica. Quorum aliqui postmodū palma martyrij coronati fuerunt, alij prædicationibus continuis inter barbaros vsque ad obitum institerunt, alij vacantibus Episcopijs subrogati fuerūt, vt infra patebit. Igitur præparatis omnibus quæ tantis viris necessaria videbantur, mox præfati duodecim egregij Dominici gregis arietes, salutatis amicis & parentibus, acceptra benedictione tam eximij Archiepiscopi, superna comitante clementia, prospero vento celeriter in Vuiltemburg, siue Traiectum aduehuntur, anno scilicet ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo, pontificante Romæ Apostolico viro sancto Sergio Papa anno suo tertio, imperante pijssimo Imperatore Iustiniano, ac regnante in Anglia glorioso Alfrido Rege Nordhumbrorum, qui Catholicas Ecclesiæ regulas sequi semper & amare desiderabat.] hucusque Marcellinus, qui cum se testetur scripsisse pariter vitam Vuillebrordi, siue Vuilbrordi, non extat illa quidem; sed quæ habetur præ manibus,

DE TEMPORE PRAEDICATIONIS.

Albini

Albini Flacci habet titulum; in qua multa desiderantur, vt inter alia primus accessus A
ipsius in Vrbem ad Romanum Pontificem, de secundo tantum quando factus est Episcopus mentione facta. Ceterum bis ipsum Romam ad Sergium Papam profectum esse, Beda est etiam fidelissimus testis. Quod ad Adelbertum, cuius mentio facta est, pertinet,
a Extant apud Sur. die 25. Iun. scias eius vitæ extare Acta[a], ijs quæ dicta sunt consentientia: sed de his alias inferius.

Hoc quoque anno magnus ille Theodorus Roma missus in Angliam Dorouernensis Archiepiscopus, legatusq. Apostolicæ sedis, sanctitate clarus, doctrina eximius moritur,
b Bed. lib. 5. c. 8. de quo ista Beda[b]: Anno autem post hunc, quo Ceadualla Romæ defunctus est, proximo, id est, sexcentesimo nonagesimo incarnationis Dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ Archiepiscopus senex & plenus dierum, id est, annorum octoginta & octo, defunctus est:
S. THEODORI EPISC. DOROVERNEN. OBITVS.
quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse iamdudum somnij reuelatione edoctus, suis prædicere solebat. Mansit autem in Episcopatu annis viginti duobus, sepultusq. est B
in ecclesia sancti Petri, in qua omnium Episcoporum Dorouernensium sunt corpora deposita. De quo vna cum consortibus eiusdem sui gradus recte & veraciter dici potest, quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuet in generatione & generationes. Vt enim breuiter dicam, tantum profectus spiritales tempore præsulatus illius Anglorum Ecclesiæ, quantum numquam antea potuere, ceperunt. Cuius personam, vitam, ætatem, & obitum, epitaphium quoque monumenti ipsius versibus heroicis triginta & quatuor palam ac lucide cunctis illo venientibus pandit: quorum primi sunt hi:

THEODORI SEPVLCHRALIS EPITAPHII VERSVS.

Hic sacer in tumba pausat cum corpore Præsul,
Quem Theodorum nunc lingua Pelasga vocat.
Princeps Pontificum, felix, summusq. sacerdos, C
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Vltimi autem hi:

Namque diem nonam decimam September habebat,
Cum carnis claustra spiritus egreditur:
Alma nouæ scandens felix consortia vitæ,
Ciuibus Angelicis iunctus in arce poli.] hæc tantum Beda, nec nos aliquid
c Martyrolog. Rom. die 19. Septemb. amplius accepimus. Porro ipsius Theodori in sanctorum numerum relati celebritas[c] anniuersaria die recurrit. Successisse autem in eius locum Berectualdum virum doctissimum,
d Beda lib. 5. c. 9. auctor est idem Beda[d]; quem Romam esse profectum, & accepisse ordinationem a Sergio Papa, Anastasius Bibliothecarius in Sergio testatur.

Sed & Hadrianus Abbas pariter, qui cum eodem Theodoro a Vitaliano Papa missus D
HADRIANI ABBATIS OBITVS. fuerat, diem obijt. ita quidem Beda, dum ait[e], post annum a transitu Vuilfridi ipsum esse defunctum.
e Bed. lib. 5. c. 21.

Moritur item hoc anno, octauo Idus Martij, S. Iulianus Episcopus Toletanus, vbi sedisset annos decem, mensem vnum, ac dies septem: relatusq. inter sanctos, annua memoria in Ecclesia celebratur. Subrogatus est in locum eius Sisibertus, quem alij Sigebertum, Sisbertum vero alij nominant, de quo anno sequenti dicturi sumus.

f Theophan. & Cedren. hoc anno 6. Imp. Quod autem pertinet ad res Orientalis Imperij, Annales[f] hæc referunt, pacem cum Sarracenis pactam leui causa ab Imperatore esse solutam, quod scilicet pecunia ab illis
PAX SOLVITVR AB IMP. tributi loco pendi solita, haud ex more cusa esset ipsius Imperatoris imagine; sicq. nec oblatum in massa aurum accipere voluisse. vnde plane expertus tunc Oriens fuit, quod ha-
g Eccles. 10. bet Ecclesiastes[g]: Væ tibi terra, cuius Rex est puer.] Adiecit aliud malum ad hæc Impe- E
rator: nam cum Cyprios omnes Sarracenorum patentes incursionibus ab insula transmigrare coegerit, horum haud modica pars naufragio perijt & languore perempta est, in Cyprum vero pars reuersa est, reliqua autem pars habitauit in Hellesponto: Ad hos namque
CYPRII MIGRARE COACTI. spectat canon tricesimusnonus Sextæ Synodi conscriptus his verbis: Cum frater & comministerio noster Ioannes insulæ Cypri Præsul vna cum suo populo in Hellespontica prouinciam, & propter barbaricas incursiones, & vt a Gentilium seruitute liberarentur, & Christianissimæ potentiæ sceptris pure subijcerentur, a prædicta insula emigrauerit, clementis Dei prouidentia, & pij Deiq. amantis Imperatoris nostri labore: constituimus, vt citra vllã innouationẽ seruentur, quæ a diuinis Patribus, qui Ephesi conuenerunt, prædicti viri throno priuilegia concessa sunt, vt noua Iustinianopolis (*ita appellata ab ipso Imperatore ciuitas ipsis tradita incolenda*) Constantinopolis ius habeat, & qui in ea constituitur

in pri-

A in primis pius ac religiosissimus Episcopus, præsit omnibus Hellespontiorum prouinciæ Episcopis, & a suis Episcopis eligatur ex antiqua consuetudine. Mores enim, qui sunt in vnaquaque Ecclesia, diuini etiam nostri patres seruandos censuerunt. Cyzicenorum ciuitatis Episcopo prædictæ Iustiniani ciuitatis subiecto existente ad imitationem reliquorum omnium Episcoporum, qui subsunt prædicto Dei amantissimo Præsuli Ioanni; a quo, cum vsus postulauerit, etiam ipsius Cyzicenorum ciuitatis Episcopus ordinabitur.] hæc Sexta Synodus. Canon vero generalis de alijs omnibus Episcopis eadem ex causa transmigrantibus ita sancitus est [a]:

a Sext. Synod. c. 37.

DE EPISCOPIS AB HOSTIBVS FVGATIS.

Quoniam diuersis temporibus barbaricæ incursiones fuere, & ex eo plurimæ ciuitates ab iniquis & exlegibus subiugatæ fuere, vt ideo non possit eius ciuitatis Præsul, postquam ordinatus fuerit, suum thronum apprehendere, & in eo sacerdotali constitutione
B collocari, & sic pro ea quæ inualuit consuetudine ordinationes & omnia quæ ad Episcopum pertinent agere & tractare: Nos honorem ac venerationem sacerdotio seruantes, & gentilem iniuriam nequaquam ad Ecclesiasticorum iurium perniciem posse quicquam agere volentes, eis qui sic ordinati sunt, & propter prædictam causam in suis thronis non sunt constituti, vt absque vllo ex ea re præiudicio conseruentur, decreuimus vt & diuersorum clericorum ordinationes canonice faciant, & Pontificatus auctoritate in proprio termino vtantur, & sit firma ac legitima quæcumque sub eo procedit administratio. Non enim a tempore necessitatis exacta iuris obseruatione circumscripta, dispensationis terminus circumscribetur.] hæc ibi.

Porro quod ad Iustinianum Imperatorem pertinet, quam citissime rupti fœderis damnum sensit: etenim hoc ipso anno expertus est Abimelech (ita pro Habdimelech) Sar-
C racenorum tyrannum infestum, de quo hæc ex Theophane Annales Græcorum habent [b]:

b Relat. in Miscel. hoc anno.

COLVMNAE GETHSEMANIS SERVATAE.

Misit Habdimelech ad ædificandum templum Mucham, & voluit auferre columnas sanctæ Gethsemanis. Et rogauerunt eum Sergius quidam vir Christianissimus, qui erat generalis Mansur Logotheta, & valde familiaris eidem Habdimelech, atque Patricius socius eius, Christianis qui erant in Palæstina præpositus, qui cognominabatur Clausus, postulantes ne hoc fieret, sed per supplicationes suas persuaderet Iustiniano mittendi sibi alias pro eis: quod & factum est.] hæc Annales. Quod spectat ad vocem Mansur, nomen id erat familiæ, & non dignitas, siue magistratus: vt sit verborum sensus, Sergius Mansur generalis Logotheta, &c.] cum autem & sanctus Ioannes Damascenus cognomento dictus fuerit Mansur, teste Suida & alijs antiquioribus, opinari licet fuisse hunc Sergium eiusdem Ioannis parentem: tali namque pio, nobili, ac libero progenitore ipsum natum,
D eius Acta testantur.

IESV CHRISTI ANNVS 691. SERGII PAP. ANNVS 4. IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 7.

ANnus sequitur nonagesimusprimus post sexcentesimum, Indictione quarta inchoatus, quo Kalendis Nouembris celebratum habetur in Hispania Concilium Cæsaraugustanum, Era nimirum septingentesima vndetrigesima, tertium ordine positum, in
E quo canones sanciti dumtaxat quinque reperiuntur. Inter alia autem, quod etiam Toletanum decimumtertium Concilium [c] statuerat de vxoribus Regum, ne post eorum obitum ad secunda vota pertranseant, ne videlicet occasio daretur alicui inuadendæ tyrannidis: additum est præsenti Concilio [d], vt relicta Regis post eius obitum vestem regiam mutet, religiosam induat, atque inter moniales in monasterio vitam transigat. Vt autem in hanc solicitudinem Rex Egica conijceretur, forte accidit ob suspicionem rerum nouandarum per Sisbertum Episcopum Toletanum; qui mox vt se super omnes in sublimem cathedram eleuatum sensit, elatus animo, mente improba de inferenda nece religiosissimo Regi cogitare cœpit: sed quomodo detectus pœnas dederit, post sequentem annum dicturi sumus.

c Concil. Tolet. 13. c. 5.

d Concil. Cæsaraugust. c. 5.

SISBERTI EPISC. TOLETANI SVPERBIA.

Moritur hoc anno Bertharidus Rex Longobardorum, cum regnasset solus annos septem,

a Paul. diacon. lib. 5. c. 33. 34. 35. & 37.

b Paul. lib. 6. c. 17.

BERTHARIDI REGIS LONGOBARD. OBITVS.

decem autem cum filio Cuniperto. hæc ex sententia Pauli diaconi[a]. post quem idem A Cunipertus eius filius vsque ad duodecimum annum regnum tenuit. Porro de Bertharido laude digna hæc habet idem auctor[b]: Erat vir pius, fide Catholicus, iustitiæ tenax, pauperumq. largissimus nutritor.] & paulo post: Vt regni iura suscepit, in loco illo, qui a parte fluminis Ticini est vnde ipse olim fugerat, monasterium, quod Nouum appellatur, Domino & liberatori suo in honorem sanctæ virginis & martyris Agathæ construxit, in quo multas virgines aggregauit, rebusq. diuersis pariterq. ornamentis eumdem locum ditauit. Regina vero eius Rodelinda basilicam sanctæ Dei genitricis extra muros eiusdem ciuitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisq. mirificis decorauit.]

c Paul. diacon. lib. 5. c. 28. 29.

ALACHIM TYRANNVM PATITVR CVNIPERTVS.

Regnum autem Cuniperti[c], vbi solus remansit, haud pacificum fuit, sed ipso eius exordio aduersarium passus est tyrannum Alachim ducem Tridentinum subditum suum, qui B contra patrem Bertharidum iam insurrexisset, hominem sæuum, clericis omnibus perinfensum, contemptorem præcipue sanctorum Episcoporum, contumelioſum in omnes ministros Ecclesiæ: cuius rei gratia in maximum sunt timorem coniecti. Post multa ab eo damna illata, Zeno diaconus Ecclesiæ Ticinensis nouo exemplo haud probato, cum diuino ministerio altaris mancipatus esset, accinxit se gladio aduersus eum, obsequium putans præstare Deo, dum ob salutem aliorum se deuouit. Sed iustissimum licet bellum aggressus fuerit, aduersus nimirum religionis perduellem atque tyrannum: nihilominus exitus declarauit, non placere Deo, vt sacri altaris ministri pugnent armis, sed vt potius agant apud ipsum precibus: etenim absque aliquo emolumento idem pugnans, misere interficitur. narrat hæc pluribus ipse Paulus[d].

d Eod. lib. 5. c. 40.

e Eod. lib. 5. c. 41.

ALACHIS CONTVMELIOSVS TYRANNVS DAT POENAS.

Ceterum nefarius tyrannus eo magis aduersus clericos exasperatus, eiusmodi (quod C idem ait Paulus[e]) votum nefarium nuncupauit: Tale itaque nunc facio votum, quod si mihi Deus iterum victoriam dederit, vnum puteum de testiculis impleam clericorum.] ita barbarus animo ferus, religionis expers, immanitate proteruus. Verum obstitit Deus, qui eum in visione perterruit. nam ait Paulus: Cum prope essent exercitus ipsi inuicem sibi contrarij, & se vtræque acies ad pugnandum contingerent, Cunipertus Rex ad Alachim iterato hæc verba mandauit: Ecce quantus populus ex vtraque parte consistit: quid opus est, vt tanta multitudo pereat? Coniungamus nos, ego & ille singulari certamine: & cui voluerit Dominus de nobis dare victoriam, omnem populum saluum & incolumem possideat. Cumq. Alachim sui hortarentur, vt faceret quod Cunipertus illi mandauit, ipse respondit: Hoc facere ego non possum, quia inter contos suos sancti Archangeli Michaelis, vbi ego illi iuraui, imaginem conspicio. Tunc vnus ex illis: Præ timore, inquit, cernis D quod non est, & tibi iam tarde est modo ista meditari. Conserunt itaque acies, perstrepentibus buccinis; & neutra parte locum dante, maxima populorum facta est strages. Tandem crudelis tyrannus Alachis interijt; & Cunipertus, adiuuante Domino, victoriam cepit.] hæc Paulus diaconus.

Hoc pariter anno, vbi Paulus Constantinopolitanus Episcopus sedisset annis septem, moritur, & in locum eius suffectus est Callinicus, homo nouandarum rerum studiosissimus, de quo sequenti anno & alijs dicturi sumus. fuerat iste presbyter vasorum eiusdem Ecclesiæ custos.

IESV CHRISTI ANNVS 692. SERGII PAP. ANNVS 5. IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 8. E

CONCIL. CONSTANTINOP. APPENDIX AD SEXTVM.

QVi sequens est annus Domini sexcentesimus nonagesimus secundus, Indictione quinta notatur: quo celebratum est Constantinopoli Concilium, seu potius Conciliabulum, in quo nomine Sextæ Synodi centum & tres canones (quod numquam hactenus in aliquo factum Concilio legitur) sanciti leguntur. Antequam autem de eo agamus, primum omnium de tẽpore habenda est discussio, quod sciamus ab alijs errore poni habitum anno Domini sexcentesimo octogesimosexto: verũ non ante præsentem annũ habitum, ex

eiusdem

A eiusdem Synodi canonibus certo affirmare possumus, nempe iam nuper transacta quarta Indictione: id enim ex tertio ipsius canone liquido demonstratur, dum in eo bis posita est Indictio, atque inter alia ista leguntur: Omnes simul decernimus, vt qui duobus quidem matrimonijs implicati fuere, & vsque ad decimumquintum præteriti mensis Ianuarij præteritæ quartæ Indictionis, anni a mundo sex millesimi centesimi nonagesiminoni peccato seruierunt, & non ab eo resipiscere voluerunt, depositioni canonicæ subiacere,&c.] Sic igitur perspicue apparet, non ante quintam Indictionem potuisse eam Synodum celebrari.

DE TEMPORE PSEVDOSYNODI CELEBRATAE.

Hæc autem cum ex ipsis canonibus habeantur qui Sextæ Synodi nomine nuncupantur, plus apud me valent, quam quæ a Tharasio[a] Constantinopolitano Episcopo absque aliqua certa auctoritate narrantur, cum scilicet pro corroboratione eiusmodi cano-

[a] *Apud Septimam Synod. Act. 2.*

B num ista ait: Quæ hic ignorantia, qua plerique laborant circa hos canones? scandalum est enim dubitare, num sint Sextæ Synodi. Cognoscant igitur tales, Sextam Synodum temporibus Constantini fuisse congregatam, nimirum contra eos, qui tantummodo vnam actionem & voluntatem in Christo collocant. Illi igitur hæreticos anathemate verberantes, Orthodoxamq. fidem confirmantes, sub annum decimumquartum Constantini domum redierunt. Post annos igitur quatuor, vel quinque, ijdem illi Patres sub Iustiniano Constantini filio congregati prædictos canones ediderunt: neque de hac re quisquam dubitet.] hæc Tharasius, quem redarguunt ipsimet (vt diximus) canones Sextæ Synodi nuncupati.

THARASII SENTENTIA ERRORIS ARGVITVR.

Redarguit etiam eumdem Tharasium Theophanes: sed redarguendus & ipse, dum non decem exactos, sed vigintiseptem annos enumerat a Sexta Synodo sub Constantino

THEOPHANIS SENTENTIA.

C vsque ad horum canonum sanctionem sub Iustiniano; cuius hæc sunt verba ex Græco Latine reddita a Turriano: Illud oportet non ignorare cassum & nugatorium esse, quod quidam dictitant, eos qui Sexti esse Concilij canones apud ipsos falso feruntur, post quatuor annos editos fuisse. Vt enim in ceteris omnibus falsitatis arguuntur, ita in hac re quoque mentiuntur: sic enim est vera temporis notatio. Habitum est Sextum Concilium maximum contra Monothelitas duodecimo anno Imperij Constantini, qui fuit Heraclij nepos, a mundo condito sexmillesimo centesimo septuagesimosecundo. Imperauit autem postea idem Constantinus alijs quinque annis: eo vero defuncto vita, imperauit eius filius Iustinianus annis decem: quo electo, Leontius tenuit Imperium triennio. Leontio successit Tiberius, qui Absimarus etiam est nominatus, fuitq. is in Imperio annis septem. Deinde Iustinianus is, qui fuerat expulsus, in Imperium reductus est, impera-

D uitq. rursum sex annis: vt iam secundo anno huius posterioris Imperij Iustiniani descriptos fuisse canones, vel ex ipso tertio canone euidens sit, in quo ita cusum est: Decernimus de Concilij sententia, vt qui bis vxorem duxerint, & ante hanc diem, quæ decimaquinta mensis Ianuarij numeratur quartæ Indictionis, anni sexmillesimi centesimi nonagesiminoni, in hac culpa fuerint, atque eam maculam eluere noluerint, vt gradu moueantur.] hucusque Theophanes.

Verum cum Sexta Synodus absoluta habeatur (vt constat ex Actis eius) Indictione decima inchoante, plane vsque ad hunc annum, quo quinta Indictio ponitur inchoata, anni dumtaxat intercedunt decem. Sed & quod nec Theophanis sententia subsistere possit,

NON PROBATVR THEOPHANIS SENTENTIA.

vt quinta Indictio in sequentem periodum Indictionũ referatur, in annum videlicet secundum (vt ait) eiusdem Iustiniani in Imperium restituti: euidens illud quoque est argumen-

E tum, quod Sergius Papa, sub quo isti sanciti canones reperiuntur, nequaquam ad illud peruenit tempus, sed longe ante decessit. Errandi vero occasio data est Theophani ex deprauata supputatione annorum ab origine mundi: sed certior ipsa quæ fit per Indictiones supputatio est. Quod autem eiusmodi conuentus Episcoporum collectus fuerit Sergij Papæ tempore, qui sancita ab ipsis recipere noluit; quæ hoc eodem anno inferius dicturi sumus, manifestissime declarabunt.

Ceterum quod ad pseudosynodum ipsam pertinet, nemo prudens dixerit eam in Spiritu sancto legitime congregatam: tuq. ipse de his, lector, sapiens iudex eris, cum quæ dicenda erunt, æqua lance perpenderis. Primum quidẽ in ea, explosa veneranda antiquitate, cuius præscripto cuncta bene geri in Ecclesia Catholica consueuerunt, omnia sibi improba nouitas arrogauit. Etenim vbi in primis auditũ est, vt post decẽ annos a soluto Concilio œcumenico atque perfecto, dimissisq. omnino Patribus, eiusdem Synodi nomine ab

PSEVDOSYNODVS INTENTATA AVSA EST.

alio coacto conuentu canones ſanciantur? & non dico hoc inueniri poſſe poſt decennium A
præterlapſum, ſed nec poſt menſem, immo nec diem, vbi Synodus dimiſſa fuerit, vt apparet in Concilio Chalcedonenſi. Si vero ſanciendi aliqua occaſione fuerunt canones: quæ neceſſitas exigebat, vt nomine Synodi ante decennium habitæ cenſerentur?

PSEVDOSYNODVS APPENDIX AD DVAS SYNODOS.

Sed maiorem his vide inſolentiam atque fatuitatem, vt non nomine tantum Sextæ, ſed & Quintæ Synodi ijdem reperiantur ſanciti canones. Audi, quæſo, quæ in ea ad Imperatorem Iuſtinianum præfati ſint, qui conuenerunt Epiſcopi. ſunt hæc verba ipſorum: Quoniam autem ſanctæ & vniuerſales duæ Synodi in hac imperante & Dei obſeruatrice ciuitate congregatæ, vna quidem temporibus diuinæ recordationis Iuſtiniani, altera vero ſub piæ memoriæ Imperatore Conſtantino tuæ manſuetudinis patre, ad paternæ declarandum fidei myſterium ſacros canones nequaquam conſcripſerunt, ſicut reliquæ ſanctæ quatuor vniuerſales Synodi, per quos populi quidem a deteriore & abiectiore viuendi B
ratione recedant, ad meliorem autem & altiorem vitam ſe traducant, &c.] ſtulte inſinuantes ſe neceſſitate coactos eſſe veluti appendicem ad dictas Synodos ponere nouos canones.

SYNODVS ERRATICA DICTA.

Scias tu autem, antequã vlterius progrediamur, iuſte recteq. a maioribus eiuſmodi conuenticulum non œcumenicæ Synodi partem eſſe nominatam, ſed erraticam Synodum, omni penitus auctoritate carentem. Si enim ratione res agatur: quæ neceſſitas, vt in œcumenicis Synodis fidei cauſa tantummodo congregatis alia quam de fide inter Patres tractentur? Immo dictum meminimus, accepiſſe in mandatis ab Agathone Pontifice Apoſtolicos legatos ad Sextam Synodum miſſos, vt nihil in ea, præter quam de fidei quæſtionibus, quarum cauſa miſſi fuiſſent, penitus agerent. Non enim alia ratione, quam de cauſis ad fidem ſpectantibus conſueuere Synodi œcumenicæ congregari. Verum etſi appendix iſta ad Synodum Quintam & Sextam facienda erat; nonne eoſdem Epiſcopos eoſ- C
demq. legatos vel alios ab Apoſtolica ſede mittendos vocari oportuiſſet? Quæ ſunt iſta velamenta, & perficiendarum Synodorum vafre quæſiti prætextus?

FRAVS GRAECORVM APERITVR.

Sed aperiamus impoſturam, detegamus commentum. Vetus æmulatio Græcorum aduerſus Latinos fuit huius artifex technæ, atque textrinæ callida concinnatrix. Quod enim aduerſus Latinorum ritus haud eſſet eorum facultatis ſtatuere, nomen vſurpare vtcumque Synodi œcumenicæ ſtatuerunt, cuius auctoritate quæ facerent fulcirentur. Quin & ad corroboranda quæ inaniter ſtatuiſſent, auctoritatem & confirmationem Apoſtolicam ſubripere tentauerunt: quod facile demonſtrabunt, quæ paulo poſt per ſingula dicturi ſumus.

CALLINICVS PERFIDVS ARCHITECTVS.

Fuit autem tam inſolentis conſpirationis anteſignanus, & eiuſmodi confuſionis erectæ turris architectus Callinicus Conſtantinopolitanus Epiſcopus; quem Deus noluit inultum in aliorum exemplum ex hac vita diſceſſiſſe: nam (vt ſuo loco dicetur inferius) ab eo- D
dem Iuſtiniano Imperatore oculis orbatus eſt, atque Romam in exilium miſſus. Sed audiamus Theodorum Balſamonem ſchiſmaticum hominem, atque ſchiſmaticorum patronum ficus folia inſtar præuaricatorum primorum parentum ad tegendam turpitudinem conſuentem, dum in Photij Nomocanonem, in defenſionem horum canonum iſta garrit:

BALSAMONIS DE QVINISEXTA SYNODO COMMENTVM.

Cum, inquit, duæ vniuerſales Synodi, Quinta ſcilicet, quæ fuit regnante magno Iuſtiniano, & Sexta, quæ fuit regnante Conſtantino Pogonato, non fecerint canones ad Eccleſiarum conſtitutionem: hæc facta eſt ad ſupplementum duarum. Propterea enim nec Sexta proprie nominatur, ſed πενθέκτη, id eſt, Quiniſexta: nam quod Quintæ & Sextæ Synodo deerat, repleuit. eſt autem etiam vniuerſalis. Etſi enim Occidentales Epiſcopi, Itali ſcilicet & Latini ab huius Synodi canonibus opportune icti, eam non eſſe E
vniuerſalem inſtiterunt, nec Romani Papæ legatos in ea adfuiſſe, eo quod ſit alia Sexta Synodus, quæ regnante Conſtantino Pogonato facta eſt, vt diximus; hanc autem longo poſt tempore factam fuiſſe iuſſu Iuſtiniani Ριοτμήτε, id eſt, Trunco naſo: ego tamen eos audire non patiens, & huius allocutionis contextum potius reſpiciens, & canones qui ſequuntur, dicentes: Definit hæc ſancta & vniuerſalis Synodus hæc & hæc. Ac recens quidem ſcripta Nomocanona, vt quæ eorum Imperatorum & Patrum qui Synodos expoſuerunt, ſubſcriptiones non haberẽt, prætercurri: antiquius autem Nomocanonum verſaui, & ex ſubſcriptionibus inueni, quod in hac Synodo, quæ in Trullo magni Palatij congregata eſt, aderant Baſilius Gortynæ Cretæ inſulæ Metropolis Epiſcopus, & quidam Rauennæ Epiſcopus, totius Synodi Romanæ Eccleſiæ vicem gerentes.]

Hic, amabo te, ſiſte gradum, lector: attẽde quomodo (quod canit Pſalmus a) in operibus

a Pſal. 9.

manuum

A manuum suarũ comprehensus est peccator. Fatetur in recentiori Nomocanone non inesse subscriptionem Episcoporum qui interfuerunt, in antiquo autem (vt ait) eam se reperisse. Sed cui non appositit post eosdem, quos recenset verbatim singulos & interpretatur, centum tres canones? Vtique in re tanta, cui præsertim ab omnibus Occidentalibus sciret contradici Episcopis, omnino id præstare debuisset. Esto, negligens fuerit, & pertæsus prolixam seriem nominum prætermiserit: cur vel saltem numerum eorum non posuit? Sed & cur Basilium Gortynæ Episcopum nominatim refert, Rauennatem non ita, quem vicem gessisse tradit totius Romani Concilij? Non facile id fuit ipsi, vel fingere nomen, ne a Latinis redargui posset erroris, quod alius ab illo in serie Rauennatum Episcoporum hoc tempore eidem Ecclesiæ reperiri posset Episcopus præfuisse. At non oscitantia factum, sed astutia, vt nomen tanti legati prætermiserit: non enim oscitantia, vel incuria, sed in vatertimo Græco summa id excogitauit nequitia, ne mendacij argui posset.

REFELLVNTVR FALSA THEODORI INVENTA.

B

Sed & redarguitur eius pariter imperitia: Quando nam aliquando accidit, vt cum ab aliquo Romano Pontifice legatio Constantinopolim ad magnam Synodum mitteretur, vnus dumtaxat legatus sit missus, & non semper ex Romano clero plures numero presbyteri atque diaconi, & aliquis ex Italia bene notus Episcopus? numquam sane id reperies factum, quod finxit & mentitus est, a Romano Concilio ad œcumenicam quam dicit Synodum, esse missum vnum, & sine nomine Rauennatem Episcopum absque presbyteris atque diaconis Romanæ Ecclesiæ.

DE LEGATIONE MISSA DETEGITVR IMPOSTVRA.

Rursum vero quod se sciret causa cadere ob legatorum Apostolicorum absentiam, vt dici non possit ea Synodus œcumenica: eos loco legatorum ponit & aggregat Græcos Episcopos, quos Vicarios constituere solebant Romani Pontifices in Oriente, quos ita enume-

DE LEGATIS DIVERSARVM ECCLESIARVM FALSVS PRAETEXTVS.

C rat, dicens: Et non solum ipsis, Cretensi scilicet atque Rauennate Episcopo, sed qui tum erant Papæ legati, *Vicarij scilicet*, Thessalonicensis, Sardanensis, Heracleanus in Thracia, & Corinthius Episcopi. sunt autem legati, qui a facie dicuntur, qui etiam particularem habent iurisdictionem, vt hoc ostenditur ex secundo titulo quinti libri Imperialis. Quod autem Papa Romanus ius ordinationis in nostris regionibus non habet, vt nonnulli hallucinantur, dicẽtes Thessalonicenses & alios ab eo ordinari; sed eos quos habet legatos a facie, qui interesse, quando opus erat, debebant: probatur quidem certe & ex alijs, & quod aliquando quidem vt Papæ legati adessent Athenarum & Corinthi Episcopi, aliquando vero Cretæ, Patrarum, Rauennæ, & ceteri, nonnumquam vero & alij. Vt manifestum sit eos esse Papæ legatos, quos sigillatim elegit, non tamen eum sub se habere tot extra suos fines Episcopos. Vt autem Papa ex nostris etiam regionibus legatos haberet,

D excogitatum est propter viæ longitudinem.] hucusque de his Theodorus.

Vides plane schismaticum hominem hæsitantem in salebris, altera ex parte timere profiteri habere Romanum Pontificem Vicarios in Oriente, quibus ostendi possit ius sibi esse in Orientales Episcopos, sicuti re vera semper fuit. Constituebantur enim Vicarij, qui nomine Apostolicæ sedis audirent, si qui essent qui indigerent Apostolicæ sedis auxilio, vt ex compluribus superius recitatis epistolis demonstratur. Ceterum Theodorus quod eiusmodi vicem gerentibus Apostolicæ sedis egeret, quos vult ponit eidem Synodo interfuisse ex eiusmodi Vicarijs constitui solitis in diuersis locis Orientalis Ecclesiæ. Verum dicat ipse, quando aliquem ex eiusmodi Vicarijs absque alia speciali ad hoc decreta legatione trium saltem Latinorum collegatorum e Romano clero electorum, mitti ad œcumenicam Synodum moris fuit?

REDARGVITVR IMPOSTVRA THEODORI.

E

Sed quid? Etiam si speciale mandatum ijdem Græci Episcopi Romani Pontificis Vicarij ad hoc habuissent: quin insuper, etiam si a latere & ex Romano clero delecti missi fuissent, & Synodo interfuissent, atque etiam subscripsissent: neque sic haberent Græci, quod firmum, validum, probatumq. ostendere possent. Nisi enim quæ in Synodis a legatis sunt gesta, ea confirmentur a Romano Pontifice, subscriptioneq. roborentur, nullius esse roboris conuincuntur. id quidem semper in Ecclesia Dei seruatum custoditumq. esse, innumera ferme superius diuersis locis exempla recitata declarant. Omnia igitur quæ velit, & plus quam velit si Theodoro concedamus de legatis missis, si hoc probare non potest, canones illos probatos a Romano Pontifice (cum potius expressum contrarium euincatur, refragatum scilicet penitus fuisse Sergium Romanum Pontificem) nihil est quod frustra ipse Theodorus laboret de probanda præsentia legatorum.

STROPHAE THEODORI PENITVS VNDIQVE EVANESCVNT.

Vides antiquiores scriptores Græcorum Annalium puduisse eiusmodi Synodi ad Sex-

tam positæ appendicis, eamq. silentio damnare ac penitus sepelire voluisse, nullam penitus de ea mentionem habendo: neque enim Theophanes, neque Cedrenus, vel Zonaras de ea vel verbum quidem, sed neque Constantinus Manasses, item & ipse Græcorum scriptor Annalium, neque denique ipse Glicas, vel alij. Sed quomodo sanctissimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex Sergius constanti animo eiusmodi nefariæ nouitati restiterit, fregeritq. sacerdotali robore conatus omnes Iustiniani Imperatoris confirmationem ascititiorum canonum ab ipso extorquere conantis, dicemus postea, vbi quæ enormia ijsdem contineantur sancitis pro animi sententia regulis, manifesta fecerimus; de quibus aggredimur agere. A

PSEVDOSYNODVS SEPVLTA SILENTIO.

Sed omittimus dicere (quod sæpe superius declaratum est) de damnatione Honorij Pontificis vna cum hæreticis Monothelitis in primo canone decantata, cum satis de his superius: sed & præterimus confirmationem factam in secundo canone octogintaquinque canonum Apostolorum nomine conscriptorum, quod numquam antea Synodus aliqua spatio sexcentorum & amplius annorum facere ausa est, vt probaret eos omnes, quos Apostolicæ sedis auctoritas publico toto orbe decreto inter apocrypha sciens prudensq. conieccerat censura Gelasij: cum econtra mendaciorum consarcinatores non erubuerint eos asserere a sanctis Patribus confirmatos, ista dicentes: Qui a sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti & confirmati sunt sanctorum & glorioforum Apostolorum nomine octogintaquinque canones.] At vbi, & a quibus, quave auctoritate is canonum Apostolorum numerus cognitus atque probatus reperitur? Sed hæc ausi in contemptum Apostolicæ sedis nequissimi operarij, perennis schismatis architecti, sicut & quæ in fine eiusdem canonis istis verbis apposuerunt: B

APOST. CANONVM NVMERVS ET AVCTORITAS INCOGNITA PATRIBVS.

Præterea vero & a Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus & martyr, & Synodo quæ sub eo fuit, emissum canonem, qui in prædictorum Præsulum locis & solum secundum traditam eis consuetudinem seruatus est] confirmatus scilicet. Sed quisnam est vnicus iste canon tum a S. Cypriano, tum a Synodo tunc congregata sancitus? non alius quidem, quam qui totis viribus ab illis defensus de rebaptizandis, qui fuissent ab hæreticis baptizati. Vides monstrum, quomodo in odium Romanæ Ecclesiæ, quæ tunc per Stephanum Papam restitit Cypriano & vniuersis vbique constitutis Episcopis, probare conati sunt isti, quod ab vniuersa Ecclesia Catholica certum est improbatum fuisse? Intelligis, quam egregie etiam mentiti sint, a successoribus Episcopis, quod tunc sancitum fuit, probatum esse secundum consuetudinem; cum & consuetudo pro Stephano Papa esset, & successores omnes etiam Africani Episcopi contra Cyprianum in sententiam Romani Pontificis abierint, vt de his omnibus locupletissimus testis est Augustinus, qui ob id manus sæpe conserit cum aduersarijs Donatistis. Omittimus imperitiam fugillare eorumdem ista decernentium Episcoporum, dum Cyprianum nominant Archiepiscopum, execrabili nempe nomine Africanis Episcopis, qui canone sancito [a] vetuerant, ne quis diceretur in Africa Archiepiscopus. Intelligis puto, lector, quanto periculo ijdem hæc statuentes, damnatam, penitusq. obliuione sepultam hæresim restituerent in Ecclesia rediuiuam. C D

ABOLITAM ANTIQVITVS HAERESIM RESTITVERE NISI SVNT.

a Concil. Carthag. 3. c. 26.

Sed audi quam ad finem eiusdem canonis apponant pro confirmatione, pœnæ appositione, custodiam verbis istis: Nulli licere prius declaratos canones adulterare, vel abolere, vel alios præter prius hic propositos canones admittere, a quibusdam falsa adiecta inscriptione compositos, qui veritatem cauponari conati sunt. Si quis autem, &c.] Considerasti ne, lector, quomodo cum vetant nullos alios admittendos esse canones præter eos qui ibidem sunt recensiti, vno ductu calami deleantur omnes, qui in Ecclesia Occidentali, siue Romæ, siue in alijs Italiæ locis, aut in Gallijs, vel in Hispanijs, vbique locorū in hanc vsque diem sanciti fuere in tot vbique celebratis Concilijs sacri canones? Quinam isti, qui vno ictu falcis, veluti agri fœnum, tot tanta q. celebrata tot sæculis vbique Concilia secando prosternunt, & prætextu falsæ adiectæ inscriptionis, omnes damnant canones, qui nominibus Conciliorum atque sanctorum Patrum ab eis recitatis non continentur? Sed disquiramus alia quæ sequuntur, atque præcipue ea exacte consideranda ob oculos proponamus, quibus isti ter miseri clericorum cælibatum canone sancitum proscribunt. E

VNIVERSALIS ABROGATIO CANONVM.

Cogimur, lector, in his paululum immorari, quod maximi momenti res sint: etenim vbi de cælibatu prostrato inter alia redarguūtur a Latinis Græci, mox ad perizomata [b] ista ficuum folijs ab Episcopis, qui ad hanc erraticam Synodum (sic enim eam Beda nominat) conuenerunt, consuta, suam erubescentes nuditatem, confugiunt. Cum autem prætexant

b Genes. 3.

isti

A isti Apostolorum canonem de vxoribus non abijciendis sancitum, plane coarguuntur ad septingentos ferme annos alto fuisse sopore sepulti omnes sanctissimi prædecessores Episcopi Orientalis Ecclesiæ, qui ad hanc vsque diem continuerunt omnes diaconos atque presbyteros solitarios ac singulares absque coniugibus. CAELIBATVS SACRORVM MINISTRORVM ABROGATIO.

Sed in hos primum intorquenda sunt iacula in Vigilantium olim eiusq. asseclas hæreticos a S. Hieronymo vibrata, dum ait: Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos, nisi prius vxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam, immo ostendentes, quam sancte viuant, qui male de omnibus suspicantur: & nisi prægnantes vxores viderint clericorum, infantesq. de vlnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt.] At si fortasse hæc ad se pertinere negabunt: audiant quæ de vsu Orientalis etiã Ecclesiæ, degens ipse in Orien- CAELIBATVS CLERICORVM ORIENTALIS ECCLESIAE.
B te, idem auctor dictis subijciat: Quid, inquit, facient Orientis Ecclesiæ? quid Aegypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?] hæc ipse de vsu atque traditione totius Catholicæ Ecclesiæ, præsertim vero Orientalis, quam nominat primo loco. At de his pluribus sæpeq. superius actum est.

Quomodo ergo, quod per tot sæcula, & tunc præsertim, cum tot tantisq. Patribus doctrina & sanctitate mirandis Orientalis floreret Ecclesia, in ipsa Ecclesia Catholica fuit seruatum & custoditum, isti nullius nominis, obscuri penitus, nullius sanctitatis, neque doctrinæ, nulla auctoritate fulti Apostolicæ sedis ausi sunt demoliri, aduersus Romanam Ecclesiam huiusmodi canonem statuentes conceptum his verbis?

Quoniam [a] Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognouimus, vt diaconi, vel pre- *a Sex. Synod. c.13.*
C sbyteri, qui digni qui ordinentur existimandi sunt, profiteantur se non amplius suis vxoribus coniungendos: Nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis ordinisq. seruantes, hominum qui sunt in sacris coniugia deinceps ex hoc temporis momento firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem dissoluentes, vel eos mutua, tempore conuenienti, consuetudine priuantes, &c.] PROFANVS CANON.

Ad huius autem confirmationem decreti, præter citatum Apostolicum canonem, Domini sententiam illam adducunt [b]: Quod Deus coniunxit, homo non separet.] & illud Pauli [c]: Alligatus es vxori: noli quærere solutionem.] citantes pariter Concilij Carthaginensis canonem, quo (vt aiunt) asseritur, vt subdiaconi, diaconi, atque presbyteri proprijs terminis ab vxoribus abstineant. Hæc cum statuerint, in eodem ipso canone pugnantia primum inter se coniunxerunt, vbi quasi nouum quid statuentes, istis vsi sunt verbis: Con- *b Matth. 19. Marc. 10.* *c 1. Cor. 17.* SVA SPONTE CORRVIT PROFANVS CANON.
D iugia deinceps ex hoc temporis momento firma & stabilia esse volumus.] & inferius, id iure antiquo firmum & vsu seruatum tradunt, vbi aiunt: Quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa vsque antiquitate seruatum, nos quoque similiter seruemus, &c.] Si inquam veteri iure & consuetudine recepta erant eiusmodi coniugia clericorum: quomodo ex hoc puncto temporis ea firma esse volunt, quæ iam antea ex lege & vsu tradunt fuisse recepta? verum de vsu pristino egregie esse mentiti, ex ijs quæ sunt recitata ex sancto Hieronymo arguuntur.

Sed & pugnant quæ canone isto statuta sunt cum ijs quæ ijdem canone [d] superiori san- *d Sex. Synod. c.12.*
xerunt, vbi iure decernunt, non permittendum, vt Episcopi in coniugio ordinati cum INTER SE PVGNANTIA STATVVNT.
suis vxoribus habitent. Si enim ex præscripto Apostolici canonis id concedendum putant alijs clericis in sacris ordinibus constitutis: cur negant Episcopis, quibus idem Apostoli-
E licus canon concedit? Præterea si ista sanciunt (vt dicunt) ex Domini sententia illa, qua ait: Quos Deus coniunxit, homo non separet] vel ex Pauli doctrina, qua monet: Si alligatus es vxori, noli quærere solutionem.] cur contra Domini & Apostoli assertionem separare volunt coniuges ab Episcopis, quas ante clericatum legitime duxerant? Si Dei lex est & mandatum Apostolicum, vt indiuiduum etiam quo ad mutuam consuetudinem permaneat matrimonium semper: quomodo possunt prohibere Episcopis, ne cum vxoribus habitent?

Sed dum de Episcopis eiusmodi canonem statuunt, vnam hanc differentiæ rationem INANI RATIONE NITVNTVR.
afferũt his verbis: Hoc autem dicimus, non ad abolenda & euertenda quæ Apostolice antea constituta sunt, sed populorum salutis & ad meliora progressionis curam gerentes; ne status Ecclesiasticus vllo probro afficiatur.] Sed quomodo probrum id appellãt, quod sanxisse Apostolos perhibent, immo & Christum statuisse dicunt? Si insuper, ipsorum senten-

tia

GRAECORVM FALSVS PRAETEXTVS ARGVITVR.

tia probrosum iudicatis habitare Episcopos cum coniugibus, cur non æque probrosum presbyteris erit, cum in excellentiori illo ministerio, quo sublimius esse non potest, vbi sacrosanctum incruentum sacrificium offertur, nihil minus habeant presbyteri ab Episcopis? Ad hoc enim potissimum omnis mundities & sanctitas in sacerdote requiruntur, quæ & sacris legibus præcipi consueuerunt, ne scilicet [a] vel per somnium pollutus ingrediatur in sancta. Quem autem citant Apostolicum canonem, cuiusnam fuerit in Ecclesia auctoritatis, & quam germanam interpretationem recipiat, satis superq. suo loco superius dictum est: quæ si consulueris, nequaquam plane censebis eumdem vndique auctoritate nutantem eiusmodi esse, quo possit conuelli tam altis fixa radicibus, tot sæculis stabilita, atque Conciliorum ac sanctorum Patrum assertionibus munita sacrorum continentia ministrorum. A

a Deut. 23.

INGENS IMPOSTVRA GRAECORVM DETEGITVR.

Sed & (quod pudet referre) canonem Carthaginensis Concilij cum citant pro sua ipsorum sententia roboranda, eumdem additamento verborum & diminutione deprauatum recitant verbis istis: Simus autem, sicut & qui Carthagine conuenerunt, & ministrorum grauitatis honestatisq. curam gerentes dixerunt: Vt subdiaconi, qui sacramenta contrectant, & diaconi, & presbyteri proprijs terminis a consortibus abstineant.] hæc ipsi ex canone tertio quinti Concilij Carthaginensis, relato in Concilium Africanum canone trigesimoseptimo, vbi hæc est ipsius germana lectio: Placuit Episcopos, & presbyteros, & diaconos secundum priora statuta etiam ab vxoribus continere.] hæc sunt verba canonis antiquitus Latine conscripti, a quo isti primum demunt nomen Episcopi, ne arguantur erroris, eo quod ipsi non vna lege definiant continentiam Episcoporum & reliquorum sacrorum ministrorum, vt superius dictū est. Addunt vero verba illa, Proprijs terminis.] siue ijdem ita perperam vertunt ex Latino, quod ibi legitur, Secundum priora statuta.] quibus corrumpentes canonem, ad tempus redigunt continentiam clericalem, quæ a sanctis Patribus illis perpetua iussa est canone illo. Vidisti stropham, attendisti callidam impostu-ram, vt canonem, quo suus ipsorum destruitur error, ipsi, quibusdam demptis, additis, & mutatis, in suam ipsorum sententiam torqueant? B C

VETVS CANON AFRICANAE ECCLES. DE CONTINENTIA CLERICORVM.

Quod vero in eodem canone tertio quinti Concilij Carthaginensis seruandam indicunt sancti Patres illi ab vxoribus continentiam, secundum priora (vt aiunt) siue priorum statuta: quænam illa fuerint, vel quando sancita, accipe ex canone secundo secundi Concilij Carthaginensis, vbi hæc leguntur: Aurelius Episcopus dixit: Cum in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes annexi sunt: Episcopos inquam, presbyteros, & diaconos. Ita placuit, vt condecet sacrosanctos Antistites & Dei sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Deo postulant, impetrare: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Omnibus placet.] vel vt alij textus habent, & Græci legunt: Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ prouinciæ Piceni, legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: Placet vt Episcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab vxoribus se abstineant.] hucusque varia lectio. reliqua sic se habent: Ab omnibus dictum est: Placet vt in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altario deseruiunt.] hæc ibi. D

Sed audi perperam factā interpretationem Græcorum, immo destructionem verborum: Quod iubet (inquiunt) canon, vt a proprijs vxoribus abstineant: exigi tempore contrectationis sanctorū mysteriorum] cum ministrant scilicet, reliquo tempore vti licere coniugio. E

b Theod. Balsa. in c. 4. Concil. Carthag.

APERITVR CERTA SENTENTIA PATRVM.

Ita quidem interpretatum hunc canonem a Sexta Synodo, Theodorus Balsamo docet [b]. Quod quam procul sit ab ipso manifesto verborum sensu, ipsaq. germana Patrum sententia cum pateat, nihilominus satis ostenditur ex ijs qui ordine sequuntur tertio & sexto Concilijs Carthaginensibus, dum decernunt [c] quæ feminæ possint habitare cum clericis: cum enim non numerent inter eas vxores, plane segregandas esse significant, quæ primo loco fuerant nominandæ. Sed & cū ijdem Episcopi Africani ita decernunt in tertio Concilio Carthaginensi [d]: Placuit, vt lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.] cum inquam ista decernunt Episcopi, plane absque vlla dubitatione significant, haud se recipere in maioribus ordinibus clericos coniugatos cum coniugibus commorantes: alioqui quæ necessitas, vt cogerent eos profiteri continentiam in minoribus ordinibus constitutos? Vides igitur, quam verbe-

c Concil. Carthag. 3 c. 17 & Concil. 6. Carthag. c. 3.

d Concil. Carthag. 3. c. 19.

rentur

A rentur ijdem boni viri decretis Conciliorum Carthaginenſium, qui deprauato textu canonem cogebant ſuo decreto turpiter adſtipulari, atque fœdæ libidini inſeruire. Intelligis ſatis, puto, qualia ſint, quæ decernantur in Concilijs non legitime in Spiritu ſancto collectis, in omnibus inconſtantia, ſibi ipſis aduerſantia, veteratoria conſtructione nutantia, atque ſponte ruentia.

Adhuc inſuper attende quo præcipites iſti ruant: Vt plane alterum de duobus eſſe neceſſe ſit: vel vt ſi velimus manere integras coniugij ſacras leges ab Apoſtolo in Eccleſia conſtitutas, canon iſte penitus euaneſcat: vel ſi canonem ſaluum cuſtoditumq. volumus, eædem de coniugio leges non ſubſiſtant. Canon ſiquidem iubet vt tempore miniſterij a coniugibus abſtineant ſacri miniſtri; Paulus [a] vero clamat ex aduerſo, id alteri coniugum non licere, niſi alterius accedente conſenſu. Finge tibi, adeſſe tempus, quo miniſtri per B vices ſuas conſtituta hebdomada ſint ſacroſanctum ſacrificium peracturi, & vxorem tunc a viro ſuo debitum poſtulare. Si renuit ille, in Apoſtolum peccat: ſi conſentit, delinquit in canonem, cum contra prohibitionem eius vxori permixtus ſacro miniſtret altari. Adeo enim volunt ab vxoribus abſtinere eos qui miniſtrant, vt etiam facti tantum ſuſpicione laborantes pœnæ eſſe dicant obnoxios: nam Theodorus ait [b]: Quod ſi quis ſacerdos etiam ab vxore continens quotidie ſacrificium peragat impollutus: vt pollutus damnandus ſit, quod præſumatur vxori commixtus ſacrificium celebrare.] Sic igitur alterum de duobus erit: vel vt pollutus coniugali conſortio iſte miniſtrans peccet in canonem ab ipſis ſancitum, vt dictum eſt: vel parens legibus Apoſtolicis, reddens debitum, miniſtrare non poſſit die ad ſacrificium conſtituta. Qua ſi miniſtrare recuſat, tunc fiet vt arbitrio mulierculæ ſacrificium ceſſare debeat, ad quod populus fuerat conuocatus; qui etiam ſi C nolit, ſcire cogatur, quod ſcitu turpe eſt & indecorum, ſuum ipſorum ſcilicet ſacerdotem permixtum ea nocte fuiſſe vxori, vt ſacra agere ipſi non liceat: ſicq. eum inſectentur riſu, deludant ſannis, dicterijs proſcindant, lacerentq. ſcommatibus. Proh pudor! quanto dedecore exuentes cælibatum, affecerunt ignominia, proſtitueruntq. eo canone ſapientes iſti Orientalem Eccleſiam iam ſua canitie venerandam, dum inconſulte nimis aduerſus totius Eccleſiæ Catholicæ receptam antiquitus diſciplinam malis artibus iſta quæ audiuimus ſtatuerunt. Sed iam reliqua proſequamur.

a 1. *Cor.* 7.

CANONEM GRAECORVM REPVGNARE LEGIBVS APOSTOLORVM.

b Theodor. in c. 73. *Concil. Carthag.*

Quomodo ſtabit & quod dicunt canone decimoſexto, diaconos ab Apoſtolis ordinatos nonniſi profanis miniſtraſſe menſis, ſacris neutiquam? Quam grauis hic error, ſuo loco ſupra diſſeruimus, falſamq. ipſorum ſententiam refutauimus: quamq. mendaciter aſſerant, tunc temporis non fuiſſe in Eccleſia Epiſcopos, neque presbyteros, neque diaco- D nos, tu conſulas dicta ſuperius primo Annalium tomo.

DE DIACONIS CANON ERRONEVS.

Quoniam autem contra Latinam Eccleſiam ſtylum in hac pſeudoſynodo conuerſum eſſe Græcorum, ſatis ſuperius demonſtratum eſt: ijdem nec illud a temporibus Apoſtolorum (vt ſuperius vidimus) Romæ ſeruatum, vt die ſabbati ieiunarent fideles, reliquerunt intactum. quamobrem hoc aduerſus vſum Romanæ Eccleſiæ decreuere [c]: Quoniam intelleximus in Romanorum ciuitate in ſanctis Quadrageſimæ ieiunijs in eius ſabbatis ieiunare præter Eccleſiaſticam traditum conſequentiam: Sanctæ Synodo viſum eſt, vt in Romanorum quoque Eccleſia inconcuſſe vires habeat canon, qui dicit: Si quis clericus inuentus fuerit in ſancto Dominico vel ſabbato ieiunans, præter vnum & ſolum, deponatur; ſin autem laicus, ſegregetur.] hæc ipſi ex præſcripto vnius ex canonibus Apoſtolorum. At quomodo iure riteq. ieiunium ſabbati Romana Eccleſia receperit, ſuperius E longa tractatione eſt demonſtratum; vt opus non ſit hic iſta repetere.

DE IEIVNIO SABBATI ABOLENDO CANON GRAECORVM.

c Can. 55.

Ceterum dum ſibi Græci ſapientes videri voluerunt in his corrigendis, oſcitantiæ proculdubio condemnant omnes quinque œcumenicas Synodos, quæ iſta corrigere neglexerunt. Sed redarguuntur ipſi ex priſcis Græcis auctoribus, quorum vna eſt omnium ſententia, vt de his quæ ad fidem bonoſq. mores non pertinent, tolerandæ ſint diuerſitates diuerſarum Eccleſiarum rituum longa conſuetudine receptorum. Porro quo inſolentiorem in his tollendis conſpicio Græcorum licentiam, eo magis certior reddor, neminem Latinorum huic interfuiſſe conuenticulo: haud enim quiſquam, quamuis ignauus, tantam Romanæ Eccleſiæ irrogari iniuriam paſſus eſſet, vt quod a Petri & Pauli temporibus fuiſſet in Eccleſia Romana receptum, adeo temere aboleretur.

SICVT CALLIDI, ITA ET RVDES CONVINCVNTVR.

Sed quid præterea? canonem ſtatuerunt de ſuffocatis non comedendis [d], vel hac ex parte Iudaizantes, dum quod in primitiua illa Eccleſia ad coniungendos ſimul credentes

d Sext. Synod. c. 67.

Gentiles

CANON DE SVFFOCATIS DERIDETVR.

Gentiles cum Iudæis iam Christianis Apostoli præceperunt, isti in perpetuum seruandum esse sanxerunt, non secus ac si quis virum quemlibet semper lacte esse nutriendum ea ratione contenderet, quod eidem infanti sugendum fuerit propinatum. Quod si dicant id ipsum reuerentia Apostolorum seruandum esse: certe vniuersam Catholicam Ecclesiam iam senescentem ijs vinculis modo obligare, quis non censeat esse dementiæ? cum præstet Apostolico [a] spiritu libertatem indictam sequi, vt manducans non manducantem non spernat, & non manducans minime spernere debeat manducantem. Sed & de his satis superq. superius. A

a Rom. 14.

b Sext. Synod. c. 69.

PRAVA NOVITATE VETERA IVRA SVFFOSSA.

Sed audi quid sancire adulatio cogat: Nulli omnium, inquiunt [b], liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra sacrum altare ingredi: ab eo tamen nequaquam prohibita potestate & auctoritate Imperatoris, quando quidē voluerit Creatori dona offerre ex antiquissima traditione.] hæc ipsi. Vides quantum petulans procaxq. nouitas sibi sumat, vt sanctorum facta dictaq. Patrum, eadem omnium ore, tum Græcorum, tum Latinorum laudata, pedibus proterat atque conculcet. An quod factum est in Theodosium Imperatorem a S. Ambrosio, iure factum vniuersa non comprobauit Ecclesia, & Patres tam Latini quam Græci non laudarunt, turpis adulationis sugillantes etiam Græci eos, qui secus siue adulatione, siue timore victi feciſſent? Prouoco lectorem ad ea quæ suo loco superius dicta sunt, cum eiusmodi de Ambrosio atque Theodosio historiam Annalibus intexuimus. B

QVANTVM GRAECI SINT ADVLATI IMPERATORIBVS.

At Theodorus vaniloquus, cum male sancita tuetur, non erubuit cuncta referre, quæ in Oriente sicut Antistites facere solerent Imperatores: sic enim ait: Orthodoxi Imperatores, qui per sanctæ Trinitatis inuocationem Patriarchas prouehunt, & sunt Christi Domini, sine vllo impedimento, quando voluerint, ad sacrum altare accedunt & suffiunt, & cum cera characterem imprimunt, sicut & Antistites: sed etiam populum ad eum instituendum docent, quod solis illius regionis Antistitibus concessum est.] hæc ipse. Rationem vero reddens, addit id iure fieri, eo quod Gentiles Imperatores dicti fuerint Pontifices maximi, atque ait: Quoniam autem Domini quoque Christus est, qui hoc tempore Imperator est, propter chrisma, id est, vnctionem regni: Christus autem & Deus noster cum alijs Pontifex quoque prædicatur: iure & ipse quoque Pontificalibus gratijs exornatur.] Intelligis quo processerit apud Græcos erga Imperatorem adulatio, vt etiam Pontificalia eidem munia credenda putarint? vt non mirum sit si diu stare non potuerit apud eos ipsum Imperium, vel sacerdotium liberum. C

2. Paral. 26.

FATVITAS THEODORI ARGVITVR.

An non vngebantur etiam Reges Iudæi? num vero ob id quæ erant sacerdotum illis concessit Deus? Adsit, qui suo id executus est damno, testis Ozias [c], qui ingressus templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis: statimq. ingressus est post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, restiteruntq. Regi, atque dixerunt: Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusce*modi* ministerium. Egredere de sanctuario: ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusq. Ozias, & tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimq. orta est lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cumq. respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinato expulerunt eum: sed & ipse perterritus accelerauit egredi, &c.] Quis igitur aliud quærat iudicium, cum tantum a Domino præcesserit præiudicium? Si vltus est Deus in Regem, quod sanctuarium ausus sit ingredi, & incensum offerre: quomodo patietur Regem quemlibet vel Imperatorem perfectius sanctuarium temere ingredi, & quæ sunt Pontificum vsurpare? Sententia enim Apostoli, peramplius atque perfectius est sacerdotium Christi; adeo vt laico homini quamuis Imperatori, quæ sacerdotum sunt, minime sint communicanda. At hæc alias quoque tractata videas sæpe superius. Sed ista Græcorum leuissimi, secus vero statuerunt Orientalis Ecclesiæ Patres sanctissimi. D E

Ceterum haud profitemur hic cuncta quæ in eisdem canonibus absurda sunt collegisse, cum & alia pleraque in eisdem reperiri contingat, quæ corrigantur. Hæc satis visa notasse, ad redarguendam dementiam Patriarchæ Callinici ista conantis, & alios Episcopos ad id

d Matth. 15.

inducentis: vt plane secundum illud a Domino dictum euenerit [d]: Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadent.] At vero accidit quasi prodigium, vt iste cæcus mente, occæcaretur & corporis oculis, sæuiente in eum diuina vindicta per ipsum Imperatorem crudeliter

A deliter miniſtrata. at de his ſuo loco dicendum. Iam proſequamur reliqua, quæ ad hiſtoriam pertinent.

His Conſtantinopoli ſancitis canonibus, quod ſcirent Epiſcopi, nullius eos eſſe roboris, niſi a Romano Pontifice probarentur; apud Iuſtinianum Imperatorem egerunt, vt hos confirmandos mitterent Romam ad Sergium Papam. Verum ſanctus Pontifex, quod eos contra veritatem temeraria plura habere comperiſſet, ipſos nequaquam confirmandos, ſed reijciendos eſſe decreuit. At non deſtitit Imperator, vbi eum ſcriptis ſuis perſuadere non poſſe cognoſceret, rem vi agere, mittereq. legatum pollentem armis, qui eumdem Pontificem Sergium Conſtantinopolim vinctum perduceret. ſed adfuit diuinum auxilium, vt Italica militia aduerſus Imperatorem pro Sergio Papa ſtaret, ſicq. a periculo liber eſſet. Hæc quidem huius temporis ſcriptores, tum Paulus diaconus, tum Beda teſtantur: SERGIVS PAPA DAMNAT CANONES ERRATICAE SYNODI.

B ille nempe his verbis, cum de Iuſtiniano Imperatore agit [a]:

Hic Imperator Sergium Pontificem, quia in erroris illius Synodo, quam Conſtantinopoli fecerat, fauere & ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia Protoſpatario ſuo, iuſſit Conſtantinopolim deportari: ſed præuenit militia Rauennæ vrbis, vicinarumq. partium, iuſſa Principis nefanda contemnens, & eumdem Zachariam cum contumelijs ab vrbe Roma & iniurijs pepulit.] hæc Paulus. Sed quod in re graui omnes eius temporis auctores audire deceat, eiuſdem conteſtem veritatis audi Bedam [b] itidem in Iuſtiniano iuniore totidem ferme verbis: Hic beatæ memoriæ Pontificem Romanæ Eccleſiæ Sergium, quia erraticæ ſuæ Synodo, quam Conſtantinopoli fecerat, fauere & ſubſcribere noluiſſet, miſſo & Zacharia Protoſpatario ſuo iuſſit Conſtantinopolim deportari: ſed præuenit militia Rauennatis vrbis, vicinarumq. partium iuſſa Principis nefanda, & eumdem Zachariam con-

C tumelijs & iniurijs ab vrbe Roma repulit.] ita Beda: cui veritati ſubſcripſerunt reliqui, qui poſtea hiſtorias conſcripſere, vt Ado Viennenſis, Marianus Scotus, & alij.

a Paulus diac. de geſt. Longob. lib. 6. c. 11.

SERGIVS LIBERATVR A FVRORE IMPERATORIS.

b Beda de ſex ætatibus in Iuſtiniano minore.

Sed rem geſtam paulo fuſius enarratam ab Anaſtaſio Bibliothecario audiamus, qui hæc ait: *Huius itaque temporibus Iuſtinianus Imperator Concilium in regia vrbe iuſſit fieri, in quo & legati ſedis Apoſtolicæ cõuenerant, & decepti ſubſcripſerant.*] de illis hæc intellige, quos Theodorus recenſet Græcos Epiſcopos Romani Pontificis conſtitutos in Oriente Vicarios. ſed pergit: Compellebatur autem & ipſe Sergius ſubſcribere, ſed nullatenus acquieuit, pro eo quod quædam capitula extra ritum Eccleſiaſticum fuerant in eo adnexa. Quæ & quaſi ſynodaliter definita, & in ſex tomis conſcripta, a tribus Patriarchis, id eſt, Alexandrino, Conſtantinopolitano, & Antiocheno, vel ceteris Conſulibus *, qui eo tempore illic conuenerant, ſubſcripta, manuq. Imperiali firmata, miſſis in lucellum quod

D ſcebrum * chartale vocitatur in hac Romana vrbe ad confirmandum, vel in ſuperiori loco ſubſcribendum Sergio Pontifici, vtpote capiti omnium ſacerdotum, direxit. Qui beatiſſimus Pontifex (vt dictum eſt) penitus eidem Iuſtiniano Auguſto non acquieuit, nec eoſdem tomos ſuſcipere, vel lectione pandere paſſus eſt: porro eos vt inualidos reſpuit atque abiecit, eligens ante mori, quam nouitatum erroribus conſentire.

RESISTIT IMPERATORI SERGIVS PAPA.

* Præſulibus

* *locus depraua-tus.*

Qui Imperator Sergium Magiſtrianum in ſpretum prænominati Pontificis Romam mittens, Ioannem Deo amabilem Portuenſem Epiſcopum, ſiue Bonifacium conſiliarium Apoſtolicæ ſedis in regiam abſtulit vrbem. Deinde Zachariam immanem ſuum Protoſpatarium cum iuſſione direxit, vt prædictum Pontificem ſimiliter in regiam deportaret vrbem. Sed miſericordia Dei præueniente, beatoq. Petro Apoſtolo & Apoſtolorum prin-

A MILITIA RAVENNATE PONTIFEX LIBERATVR.

E cipe ſuffragante, ſuamq. Eccleſiam immutilatam ſeruante, excitatum eſt cor Rauennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani & circumquaque partium, qui non permiſere Pontificem Apoſtolicæ ſedis in regiam aſcendere * vrbem. Cumq. ex omni parte multitudo militiæ conueniret, Zacharias Protoſpatarius perterritus & trepidãs, ne a turba militiæ occideretur, portas quidem ciuitatis claudi, & teneri Pontificem poſtulabat: ipſe vero in cubiculum Pontificis tremebundus refugit, deprecans lacrymabiliter, vt ſui Pontifex miſereretur, nec permitteret quempiam eius animæ infeſtari. Exercitus autem Rauennatis vrbis ingreſſus eſt per portam beati Petri Apoſtoli, & cum armis & turba in Lateranenſe Epiſcopium venit, Pontificem videre æſtuans, quem, fama vulgante, per noctem ſublatum & in nauigium miſſum fuiſſe cognouerat.

* accedere

Dumq. fores Patriarchij tam inferiores quam ſuperiores eſſent clauſæ, has in terram, niſi velocius aperirentur, mittere minabantur. Præ nimia timoris anguſtia & vitæ deſperatione Zacharias Protoſpatarius ſub lectum Pontificis ingreſſus, ſe abſcondit, ita vt mente ex-

SERGIVS LIBERAT PERSECVTOREM SVVM A NECE.

te excideret, & perderet sensum. Quem beatissimus Papa est confortatus, dicens, vt nullo modo timeret. Egressus vero idem beatissimus Pontifex foris basilicam domni Theodori Papæ, apertis ianuis, in sedem, quæ vulgo appellatur, sub Apostolis, generalitatem militiæ & populi, qui pro eo occurrebat, honorifice suscepit: datoq. apto & suaui responso, eorum corda leniuit: quamquam illi zelo ducti pro amore & reuerentia tam Ecclesiæ Dei, quam sanctissimi Pontificis, iam a Patriarchij custodia non recesserunt, quousque denominatum Protospatarium cum iniurijs & contumelijs a ciuitate Romana foras depellerent. Nam & is qui illum miserat, ipso etiam tempore a Domino retribuente regno priuatur. Sicq. Ecclesia Dei imperturbata cum suo Præsule, Christo fauente, seruata est.] hucusque Anastasius; cuius sententia, hæc cœpta hoc anno, propagata esse noscuntur vsque post sequentem annum, eiusdem Imperatoris decimum, quo contigit ipsum ab Imperio exturbari: quomodo autem id acciderit iusto Dei iudicio, suo loco dicturi sumus. A B

Vides, lector, quantum absit vt recepti probatiq. fuerint canones illi a Romano Pontifice, qui ne reciperentur, stetit intrepidus contra Imperatorem ista præcipientem, aduersus quem ipsius quoque milites insurrexerunt. Sed & ita perseuerasse eodem ódio in præsumptum scelus de sancitis canonibus illis reliquos successores Romanos Pontifices, quæ dicturi sumus magis ostendent. Quæ licet alijs postea temporibus acciderint, & suis sint locis collocanda; tamen vt hæc magis explorata modo habeas, accipe quæ de ijsdem canonibus post obitum Papæ Sergij contigerunt. Atque in primis scias, eumdem Iustinianum Imperatorem, vbi expulsus Imperio, sui criminis conscius, probe nouit ob scelus in Romanam Ecclesiam præsumptum se fuisse ab Imperio electum, postquam redijt, liberasq. administrationis est nactus habenas, detestatum esse pristinum facinus, atque erga Romanam Ecclesiam factum æquiorem, non amplius misisse aliquem violentum magistratum ad abstrahendum inde Romanum Pontificem, captiuumq. ducendum Constantinopolim, sed duos legasse Metropolitanos Antistites Romam rogaturos eum qui tunc sedebat, Ioannem eius nominis septimum, eumdemq. secundum post Sergium Romanum Pontificem, vt eosdem canones confirmaret, vel emendaret. Porro ea legatione nihil factum est; eo quod idem qui præsidebat tunc Ioannes Papa, nequaquã eos probare voluit in dispendium Ecclesiasticæ iam olim præscriptæ ab Apostolorum temporibus disciplinæ; neque emendare, vel (vt fecerat Sergius) ausus est improbare, veritus iras Imperatoris. Sicq. re infecta, qui fuerant missi, duo Metropolitani sunt reuersi Constantinopolim.

LEGATIO AB IMP. MISSA AD IOAN. PAP. PRO CONFIRMATIONE CANONVM. C

Sed audi quæ de his habet ipse Anastasius Bibliothecarius in Ioanne Septimo verbis istis, vbi agit de reditu eiusdẽ Iustiniani Imperatoris Constantinopolim: Pro tomis, inquit, quos ante sub domno Sergio Apostolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diuersa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos Metropolitanos Episcopos demandauit, dirigens per eos & Sacram, per quam denominatum Pontificem, *Ioannem scilicet*, obsecrauit & exhortatus est, vt Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæ ei visa essent stabiliret, & quæ aduersa, renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam emendans, per suprafatos Metropolitas direxit ad Principem.] hucusque de his Anastasius.

SVB IOANNE PAPA SEPTIMO FRVSTRA PETITA CANONVM CONFIRMATIO. D

At neque hic finem accepit eiusmodi susceptum semel ab Imperatore negotium. nam Ioanne paulo post defuncto, & eius successore Sisinnio post dies viginti ex hac vita sublato, cum Apostolicum thronum regeret Constantinus, vocatus est ipse ab eodem Iustiniano Constantinopolim; quo cum peruenisset, susceptus est ab eo honorificentissime: nihil enim prætermissum esse venerationis & obsequij erga eum ab Imperatore, idẽ Anastasius pluribus scribit: sed causam cur Constantinopolim vocatus sit, licet minime referat; ex ijs tamen quæ idem scribit in Gregorio Secundo, propter eosdem canones siue capitula esse vocatum, intelligi potest, altercatumq. diu inter Græcos atque Latinos, hosq. tulisse superiores, cum pro Ecclesia Romana Gregorius defensor atque propugnator extiterit, qui eidẽ Constantinõ Papæ successit: ait enim hæc de eo Anastasius in ipso Gregorio: Cũ *viro sancto* Constantino Pontifice in regiam profectus est vrbem, atque a Iustiniano Principe requisitus de quibusdam capitulis, optima responsione vnamquamque soluit quæstionem. Erat enim vir castus, diuinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, & constans animo, Ecclesiasticarum rerum defensor, & contrariorum fortissimos impugnator.] hactenus de his Anastasius. Ex quibus satis possumus intelligere, diu multumq. pugnatum inter Græcos atque Latinos horum canonum causa, illis conantibus eos comprobari a Roma-

SVB CONSTANTINO PAPA PVGNATVM ADVERSVS EOSDEM CANONES. E

no Pon-

A no Pontifice, istis eiusdem auctoritate Pontificis penitus reluctantibus: verum nec Imperatoria quidem vi potuisse vmquam Latinos adigi, vt quæ ab ipsis aduersus traditionem sanctorum Patrum, eorumdemq. doctrinam statuta fuissent, vllatenus firmarentur; præter ea quæ dicta sunt, etiam quæ dicturi sumus, ostendent.

Sed primum obiectioni illi fortissimæ satisfaciendum est, quonam modo scilicet negari possit receptos hos esse canones ab Ecclesia, cum reperiatur canon ille numero positus octogesimustertius citatus ab Ecclesiæ Romanæ Pontificibus, nimirum ab ipso in primis Gregorio Secundo, necnon ab Hadriano, cum aduersus impios Iconoclastas agentes, inter alia in eos inducta, eumdem citarunt canonem, quo asseritur pingendum esse Saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum non in imagine agni, vti ostensus est Patribus in figura, sed in imagine hominis, qua demum omnes sunt adimpletæ fi-

B guræ & expressa prophetarum vaticinia. Si igitur eo vsi sunt Romani Pontifices ex Sexta Synodo accepto canone, argumento est eos non improbatos, vel saltem ex parte receptos: cum præsertim & ipsa œcumenica Septima Synodus ex eodem canone æque testimonium petisse inueniatur. vt plane nemo dixerit, penitus improbatos esse atque reictos canones Sextæ Synodi, ex quibus tum Romani Pontifices, tum etiam sacrosancta œcumenica Nicæna Synodus [a] mutuati sint aduersus hæreticos fidem atque auctoritatem. At ista, quæ adeo fortia foris apparent, inania prorsus esse intelliges, si rerum penetralia cuncta scruteris, & singula quam exactissime disquisieris.

RESPONDETVR OBIECTIONI DE CITATO CANONE LXXXIII.

[a] Concil. Nican. 2. Act. 2. & 3.

In primis igitur quod pertinet ad citatum Sextæ Synodi de sacris imaginibus canonem ab ipsis Romanis Pontificibus, potissimum vero a Gregorio Papa, qui (vt dictum est) aduersus eosdem canones quam fortissime Constantinopoli decertauit: considerare il-

C lud ante omnia debes, rem gestam esse aduersus Græcos & Iconoclastas, qui eo velamento occultabant illud quod propinabant venenum populis, quo se professores atque assertores esse profiterentur sex aliarum præcedentium Synodorum vniuersalium: ita quidem, vt apparet ex eorum fidei definitione, quam ediderunt in suo ipsorum conciliabulo [b], septimo ab ipsis nuncupato.

PRVDENTER ACTVM A LATINIS ADVERSVS GRAECOS.

[b] Extat in Concil. Nicen. 2. Act. 6.

Ex his igitur opportune oblatam ansam arripientes ijdem Romani Pontifices, bene vsi occasione, ex canone ab ipsis lato nomine Sextæ Synodi eorum putarunt esse conuincendum errorem, tamquam suis ipsorum armis eosdem penitus superantes. ex quo alterum de duobus essent consecuturi: vel vt sua ipsorum assertione confutati illi atque conuicti iure cederent, acquiescentes canoni eius Synodi, quam se probare profiterentur: vel si respuerent eiusdem Sextæ Synodi canonem, a Græcis omnibus, qui ipsum cum reliquis

D recipiebant, reijcerentur, omniq. execratione digni a suis contribulibus haberentur, vel æque cũ eo detestarentur omnes canones illos. Sic igitur vt Dauid [c] gladio Goliath ipsius caput abscidit, eodemq. postea [d] est vsus in prœlio; eodem modo sancti Pontifices aduersus Iconoclastas vsi sunt canone illo, quo probaretur Saluatoris in ecclesijs imaginem debere pingi instar hominis factam. Quidni enim ea ex parte vterentur eo canone, cum neque a Gentilium, neque (quod maius est) ab hæreticorum scriptis illis, in quibus veritas asserta inueniretur, Ecclesia Catholica abstinere consueuerit, vt ex Gelasio Papa superius est demonstratum?

QVOMODO LATINI VSI SINT CANONE ILLO.

[c] 1. Reg. 17.
[d] 1. Reg. 21.

Ceterum cum inter Latinos acta res est, nequaquam reperies eum canonem ab Ecclesia Romana esse receptum, immo vsu contrario penitus improbatum, quo prohibetur Christus Redemptor noster instar agni immaculati depingi; cum numquam ipsa destiterit

E agni imagine Christum repræsentare, & id ipsum facere hactenus perseueret, bene conscia licite pingi, quicquid sacris litteris scribitur; eo quod nihil sit aliud (quod sæpe dictum est) pictura, quam scriptura simplicium. Quod igitur non in veteri Testamento tantum, sed & in nouo Christus Redemptor noster per agnum exprimatur, ad insinuandam eius immensam cum humilitate mansuetudinem, eadem ex causa eodem quoque modo etiam ipsum Christum esse pingendum Romana Ecclesia iudicauit, vsum retinens, quem a maioribus accepisset: in antiquis enim cœmeterijs agnum Christum reddentem, siue expressum coloribus, siue sculptum in marmoreis loculis, est frequentius reperire, & in veterrimis ecclesijs musiuo opere pictum: sed & ex sacra cera solitas confici agnorum imagines, in Ordine Romano a Gelasio collecto (vt constantior opinio est) ex antiquo eius Ecclesiæ vsu hæc habentur: In eadem Dominica post Albas, id est, in octauis Paschæ, infra ciuitatem Romanam dantur agni cerei ab Archidiacono in ecclesia post Missam & communionem populo, &c.] hæc quidem antiquitus in Ecclesia Romana seruata, numquam

VETVS VSVS AB ECCLESIA ROMANA RETENTVS DE IMAGINE AGNI.

postea intermissa, hactenus perseuerant. Ex quibus intelligas, quam procul absit, vt A
iuxta canonem Sextæ Synodi nominatæ Romana & vniuersa Occidentalis Ecclesia pingendi agni Redemptoris typum gerentis consuetudinem prætermiserit: vt & plane scias atque intelligas, quæ fuerit Romanorum Pontificum ratio citandi eius canonis aduersus improbos Iconoclastas.

A NVLLA SEDIVM PATRIARCHALIVM RECEPTI CANONES.

Sed quid amplius? testificatione quidem Anastasij Bibliothecarij liquet, tantũ abesse vt Romana Ecclesia eos receperit Sextæ Synodi nomine promulgatos canones, vt nec etiam aliqua trium sedium Patriarchalium Orientaliũ eos vt reciperet, induci potuerit. Etenim earumdem Ecclesiarum Patriarchæ, cum nec se vocatos ad illud conciliabulum scirent, neque per se vel suos legatos eidem interfuerint, procul abfuerunt vt ab eo sancita receperint. Ita quidem vsque ad sua tempora eos in detestatione illorum canonum perseuerasse, idẽ auctor fidem facit: adeo enim ipsos dignos execratione iudicauerũt, vt indignos existimarint qui exscribi deberent, & in suis ipsorum archiuis inter alios canones asseruari. Sed B
expedit hic ipsa verba Anastasij per singula reddere: ipse enim cum e Græco in Latinum Septimam Synodum Nicææ celebratam Latinitati reddidisset, epistolam nuncupatoriam ad Ioannem Octauum Romanum Pontificem scripsit, qua etiam & legentes admonuit, ne putarent, si interdum eorumdem canonum Sextæ Synodi in ipsa Septima Synodo mentio haberetur, eos ab Ecclesia Romana esse receptos aliquando. sunt hæc verba ipsius:

AVERSATI SVNT TRES PATRIARCHAE CANONES SEXTAE SYNODI.

Sane notandum est, quædam in hac Synodo ex Apostolorum & Sextæ vniuersalis Synodi canonibus & sententijs inueniri, quæ penes nos interpretata nec habentur, nec admittuntur.] & inferius: Regulas quas Græci a Sexta Synodo perhibent editas, ita in hac Synodo, *Nicænas scilicet*, principalis sedes admittit, vt nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus, vel decretis sanctorum sedis huius Pontificum, aut C
certe bonis moribus inueniuntur aduersæ. Quamuis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ. Sed nec in ceterarum Patriarchalium sedium (licet Græca vtantur lingua) reperiuntur archiuis: nimirum quia nulla earum, cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inuenta est: quamquam eosdem Patres illas Græci promulgasse perhibeant, qui in Sexta Synodo sunt inuenti; sed hoc nullis probare certis possunt indicijs.] hactenus Anastasius ad Ioannem Romanum Pontificem.

NIHIL RESPVIT ECCLESIA, QVOD CONSENTIENS SIT VERITATI.

Verum idem tradit, tam de his canonibus Sextæ Synodi nominatis, quam de illis qui nomine feruntur Apostolorum, sanctam Romanam Ecclesiam eam consueuisse seruare regulam, vt quos sciret esse secundũ decreta Romanæ Ecclesiæ atque sanctorum Conciliorum sancita, non respueret, sed vt veritati consentientes amplecteretur, non quod ex Sexta D
Synodo haberent aliquid auctoritatis, sed quod veritas vbicumque reperiatur, & a quocumque dicta sit, sui firmitate subsistit, & robore suo permanet. reliquos vero canones his decretis aduersos, vt execrabiles, detestata semper fuit sancta Romana Ecclesia, contrarioq. vsu se procul abesse iugiter est professa, vt sancitis huiusce modi ab illis regulis quoquo modo consenserit: tolerauit tamen in eis ea quæ antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ essent aduersa, vt connubia clericorum, dummodo per viam Orthodoxæ doctrinæ, Catholicæq. fidei graderentur.

EX QVO TEMPORE GRAECI IN DETERIVS LAPSI.

Sed qui tanta procacia inter alia mala confregere iugum a Patribus custoditum Ecclesiastici cælibatus, sunt & in reliquis in deterius æque prolapsi: vt vix breuia sint reperiri interstitia temporum, quibus vel hæresi, vel schismate non fuerint ab Ecclesia Orthodoxa diuisi: adeo vt tandem in vltionem scelerum a Deo vindice post longam tolerantiam me- E
ruerint virga furoris Assur conteri, comminui, atque penitus atteri: quod nonnisi magno animi dolore aspicere possumus, & cum gemitibus illud Threnorum lugubre clamare[a]: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?] cademq.[b] ferrea virga confracta.

a Thren. 4.

b Psal. 2.

Ceterum pia mater Ecclesia Catholica & Apostolica hos ita delinquentes (vt diximus) tolerandos esse putauit, quamdiu esset consultum Catholicæ fidei; nec destitit eosdem iugiter admonitionibus excitare: licet posteriores Græcorum ex mala sua conscientia putauerint ab ipso tempore Sextæ Synodi intermissam esse Catholicam communionem Græcorum Imperatorum cum Romana Ecclesia. Mentitus est id quidem Michael Imperator scribens ad Nicolaum Romanũ Pontificem; sed eum ipse Nicolaus redarguit istis verbis: Dixistis enim, quod nullus antecessorum nostrorum a Sexta Synodo, *ex qua scili-*

cet

A *cet ipſam contigit celebrari*, meruerit a vobis, Imperatoribus ſcilicet Conſtantinopolitanis, quod nos meruiſſe dignoſcimur. Quid autem meruerimus, euidenter nullatenus indicaſtis: niſi fortaſſe litteras prædicatorias hoc dicto velitis intelligi nos a vobis tunc tantum meruiſſe ſuſcipere a Sexta Synodo propter aliquod dogma, vel diſciplinam quamlibet Eccleſiaſticam: & hoc dicitis, quaſi noſtrum fuerit opprobrium, eo quod ſedem Apoſtolicam in nullo quærere anteceſſores veſtri dignati ſint, cum eorum magis ſit dedecus, quia per tot annorum curricula diuerſarum hæreſum morbis languentes medicinale remedium non quæſierint: quin potius medicinam ſponte a nobis ſibi porrectam, quaſi deſperati, vel quaſi cor impœnitens gerentes, ab ipſis faucibus proiecerint, dum tantæ ſalutis oblatos miniſtros duplici morbo interemerint.] ita quidem aberrantes Græcos numquam deſtitiſſe moneri Apoſtolicæ ſedis litteris atque legationibus docet, vt reſipiſcerent.

QVAE MICHAEL IMP. IN ROM. ECCLESIAM.

B At vero ipſos, inſtar malorum operariorum vineæ Dominicæ, aliquando in eos qui a domino vineæ miſſi ſunt, inſiliſſe, pergens docet exemplo, dum ait: Quoniam aut participes illos ſui erroris effectos ſpiritualiter occiderunt, ſicut tempore reuerendæ memoriæ Cononis Papæ contigit, qui poſt Sextam Synodum extitit; aut certe corporaliter illos non conſentientes ſibi necauerunt, ſicuti ſub venerabili Papa Gregorio factum eſt, qui poſt Sextam Synodum fuit; quando pro zelo fidei & ſanctarum imaginum reuerentia religioſi viri ac Dei famuli directi, in exilium miſſi ſunt, & bona confeſſione huiuſmodi finierunt vitam.] ita de illis; pergit vero de reliquis dicere:

QVAE GRAECI SCHISMATICI IN LEGATOS SEDIS APOST.

Denique a Sexta Synodo Imperatores aut fuerunt hæretici, aut (licet perpauci) Catholici fuerunt. Et hæretici quidem ſi mittere ad nos dedignati ſunt, non eſt mirum: nouerunt enim per gratiam Dei, ſe nos numquam penitus ſibi ſociaturos. Fuit autem, quan-

REDARGVITVR MICHAEL A NICOLAO ROM. PONT.

C do nos ſibi ſæpe ſociari tentantes, cũ magno ſunt dedecore & opprobrio repulſi, & digna conſtantia a nobis, & non a Conſtantinopolitana Eccleſia crebro retuſi. Quando vero Catholici fuerunt, & pium dogma & Eccleſiaſticam correctionem defendere voluerunt, noſtrum præſidium quæſierunt, ſicut Synodus ſub Conſtantino & Irene facta indicat, in cuius initio, id eſt, in epiſtola beatæ memoriæ Præſulis Hadriani, quantum idem Pontifex illam præſumptionem, qua ex laicis quidam ſubito tonſurantur, & in Epiſcoporum numerum exacerbate proſiliunt, damnauerit, ſi diligenter inquiſieritis, profecto inuenietis; ſi tamen non falſata, Græcorum more, ſed ſicut a ſede miſſa eſt Apoſtolica, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus perſeuerat: & epiſtolæ diuerſæ ſanctiſſimis Pontificibus, Leoni ſcilicet, & Benedicto, deceſſoribus noſtris miſſæ teſtantur. Ergo cum ita ſint hæc, quæ de multis partim commemorauimus: non iam verum eſt illud quod di-

D citur, a Sexta Synodo nos non meruiſſe ſuſcipere, quæ nunc a vobis ipſi meruimus.] hæc Nicolaus, ſatisq. ad redarguendum mendacij Michaelem, licet in eum multo plura inducenda fuiſſent exempla Orthodoxorum Imperatorum, qui Romanos Pontifices ſummo ſunt proſecuti poſt hæc honore ac reuerentia. Porro quod Michael dixit, A tempore Sextæ Synodi, vtique ad hæc tempora eſt referendum, quibus ſanciti ſunt canones nomine Sextæ Synodi, quorum cauſa adeo diu tumultuatum eſt ac diſputatum inter Latinos & Græcos.

Sed quam pœnam tulit Iuſtinianus Imperator hoc anno, quo iſta moliri cœpit aduerſus Romanum Pontificem? Iuſto Dei iudicio per ſuos duces prodita & expoliata Armenia robore militari, peramplus patefactus eſt aditus barbaris Sarracenis ad inuadendum Romanum Imperium: ſicq. dum proditionem parat Eccleſiæ Imperator, proditio-

PRODITIONEM PATITVR IMP. A SVIS.

E nem a ſuis ipſe perpeſſus eſt. Hæc Theophanes atque Cedrenus in Annalibus habent hoc anno octauo Iuſtiniani Imperatoris.

Quod ad ſtatum rerũ Occidentalium pertinet, vltimus numeratur hic annus Clodouei tertij eius nominis Regis Francorum, qui poſt obitum Theodorici parentis regnauit annos quatuor. Succeſſit in eius locum Childebertus frater ipſius, quem tenuiſſe regnum annos decem & ſeptem, habet auctor apud Aimoinum [a], cui præ ceteris inhærendum putamus, cum res ſui temporis ſcripſiſſe noſcatur: etenim vbi agit de Theodorico filio Dagoberti in Regem aſſumpto, ita de ipſo ait [b]: Qui nunc anno ſexto in regno ſubſiſtit] eo ſe anno illa ſcripſiſſe demonſtrans.

CHILDEBERTVS SVCCEDIT CLODOVEO.

a Aimoin. lib. 4. c. 49.

b Aimoin. lib. 4. c. 52.

CONCIL. TOLETAN. XVI. GENERALE DICTVM.

SExcentesimus nonagesimustertius sequitur annus, Indictione sexta, quo mense Maio habita est Synodus Toletana ordine posita decimasexta: generale id Concilium dictum, vtpote quod in causa graui conuocatũ fuit, interfueruntq. Episcopi quinquaginta nouem, per vicarios vero tres, præter Abbates quinque & viros illustres. Quod enim Archiepiscopus Toletanus Sisbertus e cathedra deponendus & in ordinem redigendus esset, deligendusq. successor, qui in locum ipsius subrogandus foret: oportuit omnes Hispaniarum Episcopos congregari. Defuerunt tamen Episcopi Galliæ Narbonensis illi, qui parebant Hispanis Regibus: idq. ob ingruentem morbum, prout Patres ipsi, qui huic Synodo interfuerunt, canone decimotertio testati sunt.

SISBERTVS ARCHIEPISC. TOLETANVS REVS LAESAE MAIESTATIS.

Accidit autem, vt Sisbertus haud pridem creatus Archiepiscopus Toletanus, oblitus præcipue, quo fungebatur, muneris sacerdotalis, oblitusq. pariter iuramenti, quod dicitur fidelitatis, Regi præstari soliti, nequam spiritus incensus facibus, aduersus Catholicum maximeq. pium ac iustum Regem coniurationem fuerit machinatus homo proteruus, sacrorum contemptor, diuinorum humanorumq. iurium spretor. Sed Dei beneficio detecta perfida aduersus Regem molitione, ipse Rex Egica nonnisi sacris legibus aduersus cum agendum putauit, sacra sacris ministranda relinquens; immo tantæ modestiæ atque religionis specimen dedit, vt duobus oblatis ab ipso Rege libellis Patribus in Synodo confidentibus, nulla in eis aduersus auctorem coniurationis Sisbertum Archiepiscopum fuerit ingesta querela: piaculum enim esse putauit, si etiam facinorosum delinquentem accusaret Episcopum: adeo vt nec per ipsum sciretur Toletanus Archiepiscopus eius fuisse criminis reus, vel quoquo modo suspectus, nisi id sententia eorumdem expressisset Episcoporum, dum nono canone de his agentes, hæc post alia de eodem Sisberto maiestatis reo constituto significarunt his verbis[a]:

[a] *Concil. Tolet. 16. c. 9.*

QVID IN SISBERTVM TOLETANVM ARCHIEPISCOPVM.

Est enim quorumdam sæcularium, & (quod peius est) sacerdotum improbanda satis obstinatio animorum; & fidem suis Principibus sub iuramento promissam obseruare contemnunt, & verborum fuco iuramenti obnubilant promissionem, dum in arcano pectoris retentent infidelitatis peruersitatem.] & post alia aduersus periuros ingesta, ista subijciunt: Vnde Sisbertus Toletanæ sedis Episcopus talibus machinationibus denotatus repertus est, pro eo quod sereniſſimum dominum nostrum Egicanem Regem non tantum regno priuare, sed & morte cum Flogello, Theodomiro, Liubilane, Liubigitone quoque, Tecla, & ceteris interimere definiuit, atque genti eius vel patriæ inferre conturbium & excidium cogitauit: qui etiam per decreti nostri definitionem iam & loco & honore priuatus existit. Ideo nostrum in commune per huius canonicæ sanctionis decernit collegium, vt hoc ipsum vnionis nostræ decretum, quod etiam his Synodicis definitionibus innectendum decreuimus, omni subsistat valore subnixum, atque in perpetuum obtineat inconuulsibile robur.

LATA SENTENTIA DAMNATIONIS IN SISBERTVM.

Ipse vero Sisbertus pro sui iuramenti transgressione, facinorisq. tanti machinatione, secundum antiquorum canonum institutionem, qua præcipitur, vt quisquis inuentus fuerit talia feciſſe, & viuente Principe in alium attendisse pro futura regni spe, a conuentu Catholicorum excommunicationis sententia repellatur, honore simul & loco depulsus, omnibusq. rebus exutus, quibusq. in potestate prædicti Principis redactis, perpetui exilij ergastulo maneat relegatus: ita nempe, vt secundum eorumdem antiquorum canonum decreta, in fine vitæ suæ tantum communionem accipiat, excepto si regia cum pietas ante absoluendum crediderit.] hæc de Sisberto Patres dicto canone nono: duodecimus autem postea de alio in locum ipsius subrogando sancitus est canon, cum & Regis nominatione in Archiepiscopum Toletanum propositus est Felix Episcopus ex Hispalensi sede translatus, vbi primum tamen coram Synodo positus Sisbertus crimen confessus, & in publico conuentu priuatus est: nam ibi hæc leguntur[b]:

[b] *Concil. Tolet. 16. c. 12.*

Idcirco nobis omnibus in vnum collectis, isdem Sisbertus Episcopus nostro cœtui præsentatus, atque infidelitatis suæ machinationem patuli oris est affatu professus. Vnde nos per huius decreti nostri formulam sæpedictum Sisbertum secundum edictum priscum

Synodicæ

A Synodicæ ſanctionis decretum de talibus promulgatæ legis, ab Epiſcopali ordine & honore deijcimus, a perceptione corporis & ſanguinis Chriſti excommunicatum in exilio perpetuo manere cenſemus, &c.] ſubdunt autem poſt hæc de ſubrogatione Felicis. Statutæ ſunt & ab eiſdem Patribus etiam aduerſus laicos aliæ pœnæ, ſi quis eiuſdem criminis reus inueniretur: præterea & aduerſus Iudæos pariter canonem [a] edidere, necnon aduerſus idolorum cultores, priuantes presbyteros atque Epiſcopos ſua dignitate, ſi in his corrigendis inuenti ſint negligentes. [a] *Concil. Tolet. 16. c. 10.*

Præſtiterunt & hoc tunc Patres ſuo Regi laude dignum, vt præceperint octauo canone, pro ipſo Rege eiusq. filijs quotidie Miſſas vbique locorũ Hiſpaniarum a ſacerdotibus celebrari, iſta inter alia ſancientes: Vt tam per omnes ciuitates, vel loca, in quibus ſedes Epiſcoporum eſſe noſcuntur ad regni eius ditionem pertinentes, quam etiam per eorumdem B Epiſcoporum dioeceſes, excepto paſſionis Dominicæ die, quando altaria denudata perſiſtunt, nec cuiquam in eodem die Miſſarum licet ſolemnia celebrare, cunctis alijs diebus, quibus idem dominus noſter in hac vita ſuperſtes extiterit, pro eo, vel pro cunctis eius filijs, vel filiabus, aut pro his qui iam matrimoniali ſunt iure coniuncti, adhucq. ſunt coniungendi, ſeu pro nepotibus vel ſuis omnibus ſacrificiorum Domino libamina dedicentur, &c.] ſunt & alia ibidem ſtatuta, tanta Synodo digna, quæ tu leges: hæc ſatis ad rerum geſtarum hiſtoriam. Sed hic obſerua veterem Eccleſiarum ritum, vt paſſionis Dominicæ die, ipſa ſexta feria hebdomadæ ſanctæ, ſacrificium Miſſæ minime offerretur. PRO REGE EIVSQVE CONIVNCTIS QVOTIDIE MISSA CELEBRETVR.

Hoc eodem anno Iuſtinianus Imperator, qui (vt dictum eſt anno ſuperiori) miſit Romam Zachariam Protoſpatarium, vt vinctum Sergium Papam perduceret Conſtantinopolim, iuſto Dei iudicio offenſam odiumq. incurrit totius populi, vt eumdem imperantem C paterentur inuiti, optarentq. aliquem alium eleuari, quem acclamarent Imperatorem; quod tandem anno ſequenti (vt dicemus) perfectum eſt. Quibus autem ex cauſis ciuium odia in ſe concitarit, apud Græcorũ Annales iſta leguntur: Iuſtinianus ædificijs intentus condidit triclinium ab ipſo denominatum & mœnia Palatij: operi huic præfecit Stephanum Perſam cum plena poteſtate Sacellarium & eunuchorum principem, hominem plus quam ſanguinarium & crudelem, qui abſque vlla miſericordia operarios verberabat atque lapidabat, vſque adeo, vt Imperatore peregre profecto, matrem eius Anaſtaſiam Auguſtam loris flagellarit. Item & Theodotus monachus, pridem in clauſtris vitam degens, tum generalis Logotheta conſtitutus, multos procerum, nulla ipſorum culpa, ſupplicijs affecit, bona eorum publicauit, funibusq. ita ſuſpenſos, vt capita deorſum verterent, palearum fumo vexauit. Sed & vrbis Præfectus plurimos mandato Imperatoris D in carcerem coniecit. Quibus omnibus odia populi aduerſus Imperatorem creuerunt.] & his hæc adduntur: SAEVITIA MINISTRORVM IMP.

Erat vicina Palatio ædes Deiparæ Virginis, Metropolitana dicta: eam demoliri Iuſtinianus, locoq. eius gradus Venetorum & phialam ædificare volebat, vt ibi σαξιμοδίξιμον ageretur. Ideo a Callinico Patriarcha poſtulabat, vt eius ædis deſtruendæ cauſa Deum oraret: quibuſdam enim præmiſſis precibus, iuxta ſacros ritus, id fieri conſueuit. Reſpondit Patriarcha, votum ſibi eſſe quod templi erigendi cauſa faceret, nullum deijciendi gratia receptum eſſe. Sed vi adductus, tandem lacrymabundus ita ait: Gloria Deo, qui omnia perfert nunc & ſemper & in æternum. His auditis, deſtructa eſt ædes, & phiala condita.] hæc apud Cedrenum atque Theophanẽ, Zonaras quoque eadem refert. At hæc impia & alia in Rom. Eccleſiæ Pontificem auſus infelix Auguſtus haud leui dato ſupplicio E luit, ſed Imperij iactura atque narium obtruncatione perſoluit, vt dicemus anno ſequenti. DEIICIT ECCLESIAM DEIPARAE IMP.

Eodem quoque anno [b] duobus ſanctis martyribus eſt aucta Saxonia, quorum agonem atque triumphum Beda, proſecutus hiſtoriam eorum qui ex Hibernia prædicationis cauſa profecti ſunt ad Saxones, ita deſcribit [c]: [b] *Sigebert. in Chron. hoc an.* [c] *Bed. lib. 5. c. 11.*

Horum ſecuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æterna patria exulauerant, venerunt ad prouinciam antiquorum Saxonum, ſi forte aliquos ibidem prædicando Chriſto acquirere poſſent. Erant autem vnius ambo ſicut deuotionis, ſic etiam vocabuli: nam vterque eorum appellabatur Euualdus *, ea tamen diſtinctione, vt pro diuerſa capillorum ſpecie vnus niger, alter albus Euualdus diceretur: quorum vterque pietate religionis imbutus, ſed niger Euualdus magis ſacrarum litterarum erat ſcientia inſtructus. Qui venientes in prouinciam, intrauerunt hoſpitium cuiuſdam villici, petieruntq. ab eo, vt tranſ- DVO EVVALDI MARTYRES IN SAXONIA. * Heuuualdus

mitterentur ad Satrapam qui ſuper eos erat, eo quod haberent aliquid legationis & cauſæ vtilitatis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habent Regem ijdem antiqui Saxones, ſed Satrapas plurimos ſuæ genti præpoſitos; qui, ingruente belli articulo, mittunt æqualiter ſortes, & quemcumque ſors oſtenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur, & huic obtemperant: peracto autem bello, rurſum æqualis potentiæ omnes fiunt Satrapæ. A

DVO EVVALDI MARTYRIVM OBEVNT

Suſcepit ergo eos villicus, & promittens ſe mittere eos ad Satrapam qui ſuper ſe erat, vt petebant, aliquot diebus ſecum retinuit. Qui cum cogniti eſſent a barbaris, quod eſſent alterius religionis (nam hymnis & pſalmis ſemper & orationibus vacabant, & quotidie ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerebant, habentes ſecum vaſcula ſacra, & tabulam altaris vice dedicatam, *quod altare portatile dici conſueuit*) ſuſpecti ſunt habiti, quia ſi peruenirent ad Satrapam, & loquerentur cum illo, auerterent illum a dijs ſuis, & ad nouã Chriſtianæ fidei religionem transferrent, ſicq. paulatim omnis eorum prouincia veterem cogeretur in nouam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos ſubito & interemerunt, album quidem Euualdum veloci occiſione gladij, nigellum autem longo ſuppliciorum cruciatu, & horrenda membrorum omnium diſcerpſione: quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Quod cum Satrapa ille, quem videre volebant, audiſſet, iratus eſt valde, quod ad ſe venire volentes peregrini non permitterentur: & mittens occidit vicanos illos omnes, vicumq. incendio conſumpſit. B

MIRACVLA SS. MARTYRVM.

Paſſi ſunt autem præfati ſacerdotes & famuli Chriſti quinto Nonarum Octobrium die. Nec martyrio eorum cæleſtia defuere miracula: nam cum perempta eorum corpora amni (vt diximus) a Paganis eſſent iniecta, contigit vt hæc contra impetum fluuij decurrentis per quadraginta fere millia paſſuum ad ea vſque loca, vbi illorum eſſent ſocij, transferrentur. Sed & radius lucis permaximus, atque ad cælum vſque altus omni nocte ſupra locum fulgebat illum, vbicumque ea peruenire contingeret, & hoc etiam Paganis, qui eos occiderant, intuentibus. Sed & vnus ex eis in viſione nocturna apparuit cuidam de ſocijs ſuis, cui nomen erat Tilmon, viro illuſtri & ad ſæculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus, indicans quod eò loci corpora eorum poſſet inuenire, vbi lucem de cælo terris radiaſſe conſpiceret. quod ita completum eſt. Inuenta namque eorum corpora iuxta honorem martyribus condignum recondita ſunt: & dies paſſionis, vel inuentionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur.] ſed & honore martyribus debito eoſdem Eccleſia Catholica proſecuta, in Album martyrum retulit annua memoria celebrandos. Denique (pergit auctor) glorioſiſſimus Dux Francorum Pipinus, vbi hæc comperit, adducta ad ſe eorum corpora condidit cum multa gloria in eccleſia Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenum. Fertur autem, quia in loco, in quo occiſi ſunt, fons ebullierit, qui in eodem loco vſque hodie copioſa fluenti ſui dona perfundat.] hucuſque de duobus martyribus ſermo. C D

IESV CHRISTI ANNVS 694. SERGII PAP. ANNVS 7. IVSTINIANI IVN. IMP. ANNVS 10.

IVSTINIANVS IMP. EIICITVR.

NOnageſimusquartus poſt ſexcenteſimum vertitur Domini annus, ſeptima Indictione inchoatus, quo Leontius Præfectus a Græcis Imperium accipiens, Iuſtinianum præcidit naribus, atque ita facie deturpatum Cherſonam in exilium relegat. Hæc autem quomodo ſe habuerint, ſunt pluribus proſequenda. Paſſus eſt Deus in ira ſua regnare Principem quamuis auerſum ſinceris dogmatibus. Ceterum tunc a tanta miſerum videmus excidere felicitate, vbi Callinici Patriarchæ ſuaſu nouorum ſanctione canonum Romanam Eccleſiam inſecutus, Orientalem Eccleſiam ſuo decore nudans, penitus deformauit, cum & eadem turpitudine Romanam Eccleſiam afficere laboraſſet. Sed & cum ad id perficiendum in Chriſtum Domini, ipſum ſummum Pontificem, violentas inijciendas manus ſuo Protoſpatario præcepiſſet, violentas ipſe paſſus eſt manus, quibus eſt ignominioſe truncatus naribus, & in exilium pulſus. E

Horum omnium inſpector vindex, Vigil & Sanctus de cælo deſcendit; & vt olim in Nabuchodonoſor, clamauit fortiter[a]: Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius: fugiant beſtiæ quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis

a Dan. 4.

A mis eius: verumtamen germen radicum eius in terra ſinite.] ita quidem, dum in eum tyrannum excitat, a quo truncatus naribus pellatur Imperio, ſicq. maneat ad decem annorum ſpatia relegatus: ſed haud voluit euelli Deus radicem, quæ iterum germinaret, dum ſcilicet duorum luſtrorum tempore euoluto, in regnum iterum remeare permiſit: vt probe conſcius ipſe vnde ſibi malum tam grande prouenerit, non ceſſaret, quoad viueret, de Romanis Pontificibus bene mereri: vſque adeo, vt corona, qua redimitus erat, in terra dimiſſa, ſummi Pontificis pedes fuerit exoſculatus, regnum ſibi hac via propagaturus, niſi alijs criminibus rurſum in ſe ipſe Deum vindicem concitaſſet.

Sed narrationem ipſam aggrediamur. Græcorum Annales iſta habent: Eodem anno decimo Iuſtiniani Imperatoris, Iuſtinianus Imperio pulſus eſt hoc pacto. Mandauit Stephano Patricio, & Ruſio Duci, vt noctu populum Conſtantinopolitanũ necarent, cædis
B initio a Patriarchis facto. Sub hoc ipſum tempus Leontius Patricius, qui cum Dux Orientalium fuiſſet, re bello præclare geſta, per calumniam delatus, trienniumq. in carcere detentus erat, ſubito euocatus inde fuit, ac Dux Græciæ factus, iuſſusq. ſuis in tres celoces impoſitis, eo ipſo die vrbe auehi. Ea nocte in Sophiæ portu nauigandi tempus præſtolans, cum amicis ſuis negotia ſua componebat. Inter eos qui ipſum vere amabant, ſumma vaticinabantur ipſi, Paulus præſertim monachus clauſtri Calliſtratici, aſtronomiæ peritus, & Gregorius Cappadox clauſtri Floriani princeps. Quibus cum diceret Leontius, captiuo ſibi Imperium ab ipſis promitti, vitæq. dubio, ac mortem ſingulis horis expectanti: ij gnauiter eum rem aggredi iuſſerunt, iam nunc implendam. Ergo Leontius, ſuis armatis ſecum ſumptis, tacitus ad prætorium venit; pulſatisq. foribus, ſimulant eo Imperatorem venire, vt de quibuſdam qui ibi erant ſtatueret. Cum Præfecto id indicatum eſſet, actu-
C tum prodijt: portasq. cum aperuiſſet, eſt a Leontio vinctus. Tum Leontius, carceribus recluſis, milites diu in ijs detentos eduxit atque armauit, cumq. ijs in forum prodijt vociferans: Quicumque Chriſtiani ſunt, in æde ſanctæ Sophiæ præſto ſint. Dimiſit etiam qui idem per omnes regiones proclamarent. Turbata multitudo confeſtim ad lauacrum magnæ eccleſiæ coiuit: præſensq. vna Pontifex ſummus, hunc eſſe diem illum a Domino factum, clamauit, & populus ſublato clamore vociferabatur: Refodiantur oſſa Iuſtiniani. LEONTIVS IMPERAT.

Hoc modo vniuerſus populus in circo diſcurrebat. Prima luce Iuſtinianũ per Fundam in circum producunt, naſoq. truncatum Cherſonam relegant: Theodotum vero monachum, & Stephanum Sacellarium, funibus ad pedes ligatis, per viam publicam ad Bouem pertractos comburunt, atque ita fauſtis acclamationibus Leontium Imperatorem ſalutant, Callinico ſolium Patriarchæ occupante.] hæc totidem verbis Cedrenus, eiſdemq. con-
D ſentientia habentur in Theophane, Zonara, atque alijs Græcis auctoribus. Error tamen eſſe putatur, quod habet Theophanes, ipſum Imperatorem non naribus tantum, ſed & lingua fuiſſe præciſum: id enim non probatur: nã conſtat poſtea ipſum eſſe locutum, vt ſuo loco dicemus. Porro Leontij Imperij anno primo cuncta pacata fuiſſe tradunt. IVSTINIANVS TRVNCATO NASO MITTITVR IN EXILIVM.

Hæc quidem in Oriente. In Occidente autem Hiſpaniæ, motu Iudæorum illic habitantium, exagitatæ ſunt: conſpirauerunt ipſi aduerſus Regem, regnumq. atque vniuerſos Chriſtianos, in ſocietatem adhibentes Iudæos illos qui habitabant in Africa. Cognita vero eorumdem coniuratione, Rex Egica omnium Hiſpaniarum Eccleſiarum Epiſcopos, necnon Hiſpanis ſubditos Galliæ Narbonenſis Antiſtites Toletum ad Concilium conuocauit hoc anno celebrandum, quinto Idus Nouembris, eiuſdem Regis anno ſeptimo, Era ſeptingenteſima trigeſimaſecunda. MOTVS IVDAEORVM IN HISPANIA.

E Cum igitur in vnũ conueniſſent Epiſcopi, aduerſus Iudæos illud in primis ſtatuerunt, vt redigerentur in ſeruitutem, ipſorum bonis omnibus a fiſco vendicatis. Quoniam vero ijdem Chriſtianæ religioni nomen dederant, atque abluti fuerant ſacri vnda baptiſmatis: illud de eorum filijs pariter ſtatuerunt, vt cum ſeptem annorum ætatis eſſent, diuellerentur ab eorum parentibus, & inter Chriſtianos alerentur, atque coniugio veterum Chriſtianorum nuptiarum fœdere iungerentur. Sed audi ex eadem Synodo detecta ipſorum facinora: octauo enim canone poſt exordium iſta habentur[a]: CONCIL. TOLET. XVII.

Et ideo quia plebs Iudæorum nequiſſima ſacrilegij nota reſperſa & effuſione ſanguinis Chriſti cruenta, ac multoties iuriſiurandi profanatione noſcitur maculoſa: vt copioſa ſunt eorum ſcelera, ſic neceſſe eſt vt grauem ſeſe incurriſſe lugeant animaduerſionis iacturam, qui per* alia ſua ſcelera non ſolum ſtatum Eccleſiæ perturbare maluerunt, verum etiam auſu tyrannico inferre conati ſunt ruinam patriæ ac populo vniuerſo: ita nempe, vt ſuum quaſi

[a] *Concil. Tolet. 17. c. 8.*

QVID IN IVDAEOS DECRETVM.

*præter

quasi tempus inuenisse gaudentes, diuersas in Catholicis exercerent strages. Vnde crudelis & stupenda præsumptio crudeliori debet extirpari supplicio: & ita in eis ordinatum debet sæuire iudicium, quatenus vsquequaque puniatur, quod nequiter definitum prænoscitur. Qua de causa, dum in hac sancta Synodo per aliarum causarum semitas dirigeremus cautissime gressus, extemplo eorumdem infidorum conspiratio ad vnionis nostræ peruenit auditus; eo quod non solum contra suam pollicitationem, suorum fittuum obseruatione tunicam fidei, qua eos per vndam sacri baptismatis induit sancta mater Ecclesia, maculauerint, sed & regni fastigium sibi (vt præmissum est) per conspirationem vsurpare maluerint. A

REDIOVNTVR IN SERVITVTEM IVDAEI.

Quod infaustum facinus dum ex ipsorum professionibus noster plenissime nosset conuentus, huius decreti nostri sententia eos decernimus irreuocabili feriri censura: scilicet, vt ex iussione pijssimi & religiosissimi Principis nostri Egicani, qui zelo Domini accensus, B & sanctæ fidei ardore compulsus, non solum iniuriam Crucis Christi vindicare vult, sed & gentis suæ ac patriæ exitium, quod fore illi inferendum sæuius decreuere, acrius extirpare intendit, suis omnibus rebus nudati, & ipsæ resculæ fisci viribus sociatæ, tam eorumdem perfidorum, vel reliquæ posteritatis, a locis proprijs exolutæ, per cunctas Hispaniæ prouincias perpetuæ subiectæ seruituti, his quibus eos iusserit seruituros, largitæ, maneant vsquequaque dispersæ, &c.] in fine vero ita de eorum filijs: Sed & filios eorum vtriusque sexus decernimus, vt a septimo anno eorum nullam cum parentibus suis habitationem aut societatem habentes, ipsi eorũ domini, qui eos acceperint, per fideliſſimos Christianos eos nutriendos contradant: ea scilicet ratione, vt & masculos Christianis feminis in coniugio copulent, & feminas Christianis similiter viris maritali societate adiungant. Et neque parentibus (sicut diximus) neque filijs sit penitus licentia quoquo pacto Iudaicæ superstitionis cærimonias custodire, neque infidelitatis suæ semitas quibuslibet occasionibus iterare.] hucusque in tumultuantes Iudæos contra Christianos Episcopi.

DE FILIIS IVDAEORVM QVID SYNODVS.

C

Succisa est pariter in eodem Concilio abusio illa, quæ in sacrosanctũ Missæ sacrificium irrepsisset cum superstitione coniuncta: dum scilicet aliquis aduersus inimicum suum odio flagrans, vt ille quam citius ex humanis subduceretur, pro ipso offerret vel offerendum curaret sacrificium pro defunctis offerri solitum. Erant enim olim, sicut & hodie, peculiares ritus & preces, quæ pro defunctis in pœnis purgatorij detentis in Missæ sactificio dicerentur. Præcesserat de his, sicut & de Iudæis, querela Regis in libello ab ipso oblato Synodo, quæ aduersus istiusmodi impie factitantes decernit ista [a], vbi est immane facinus detestata: Missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro viuis student celebrare hominibus, non ob aliud, nisi vt is pro quo id ipsum offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interuentu, mortis ac perditionis incurrat periculum; & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc peruerso instinctu quibusdam esse expetunt in interitum. Obinde nostræ elegit vnanimitatis conuentus, vt si quis sacerdorum deinceps talia perpetrasse fuerit detectus, a proprio deponatur gradu; & tam ipse sacerdos, quam etiam ille qui ad talia peragenda incitasse perpenditur, exilij perpetui ergastulo relegati, excepto in supremo vitæ curriculo, cunctis vitæ suæ diebus sacræ communionis eis denegetur perceptio, quam Deo se crediderunt fraudulento delibasse studio.] hæc Patres & alia ad sacros ritus pertinentia prouide statuerunt, quæ tu consulas.

NE MISSAE PRO DEFVNCTIS CELEBRENTVR PRO VIVIS.

a Concil. Tolet. 17. c. 5.

D

IESV CHRISTI ANNVS 695. SERGII PAP. ANNVS 8. LEONTII IMP. ANNVS 2. E

SExcenteſimus nonageſimusquintus Domini annus octaua Indictione notatur, quo Ecclesia Frisiorum feliciter propagatur, sanguine sanctorum martyrum irrigata: nam præter duorum fratrum martyrium superius enarratum, contigit & S. Vuigbertum, vnum ex duodecim illuc missis, martyrio coronari. Hæc omnia narrat Marcellinus in Actis sancti Suuiberti, vbi primum de duodecim sanctissimis monachis illuc ad prædicandũ Euangelium missis sermonem habuit, ista subijciens [b]: Morabatur perfidus Radbodus Rex Frisiæ illo tempore expulsus a Traiecto per illustrem & Christianissimum principem Pipinum de Herstallo, Maiorẽ domus Franciæ, apud insulam Fostelandiæ, quæ a quodam deo

FRISIORVM ECCLESIA EX MARTYRVM SANGVINE PROPAGATVR.

b Apud Sur. to. 2. die 1. Martij c. 7.

suo

A suo, dicto Foste, tunc Fostelandia appellabatur, quæ valde solemnis erat propter superstitiosam sectam idololatriæ. In qua insula sacerdotes Dei, suggestione sancti Vuigberti conuenientes, profana statim delubra Iouis & Fostæ destruxerunt, & constanter prædicando, tres solummodo homines, Satanæ pompis abrenunciantes, Orthodoxæ iunxerunt fidei. Radbodus vero Rex, strenuissimus idololatra, odio habens Christianos, audiens idola sua destructa a Christianis, iratus valde, atque iniuriam deorum suorum vlcisci disponens, S. Vuigbertum, quem dudum nouerat Christianum, vnum ex consocijs sanctorum, diro tormento iugulari iussit, qui continua prece Deum exorare solebat pro consequenda palma martyrij: ceterosq. eliminauit ab insula prædicta. MARTYRIVM S. VVIGBERTI.

Sacerdotes vero perpendentes quoniam Radbodus Rex nequaquam ab idolorum cultura desisteret, & quod in lucrandis animabus parum proficerent propter tyrannidem Re-
B gis, diuerterunt ad præfatum principem Pipinum: a quo gratanter sunt susceptI. Et quia nuper citeriorem Frisiam, expulso Radbodo Rege, ceperat, illo eos denuo ad prædicandum misit, præcipiens Paganis sibi subditis auctoritate regia, ne quis prædicantibus quicquam molestiæ inferret. Vnde factum est, opitulante diuina gratia, vt multos quotidie in breui, prædicatione sua ab idololatria ad fidem conuerterent Christi. Atque conuenientes ad castrum Traiectense, quod pridem Vuiltenburg dicebatur, quod in potestate Orientalium Francorum eo tempore fuit & permansit, vbi dudum imperante Heraclio Cæsare inclytus Dagobertus sanctus Rex Franciæ construi fecit ecclesiam in honore sancti Thomæ Apostoli, quam non multo post prædurę ceruicis Frisones solotenus destruxerunt: In quo loco prope ruinam illius prioris ecclesiæ sancti Thomæ, anno a natiuitate Domini sexcentesimo nonagesimoquinto, superædificauerunt in honore sanctæ
C Crucis oratorium, in quo renatiui fontis consecrarunt baptisterium: vt Christi fideles ob defensionem castellani Traiectensis securum illic haberent accessum ad suscipiendum sacri baptismatis sacramentum.] OPERA PIPINI PRINCIPIS FRISII ACCIPIVNT EVANGELIVM.

Subdit idem Marcellinus, hoc eodem anno S. Suuibertum reuersum in Hiberniam ad eos a quibus fuerat cum socijs missus, fuisse ordinatum Episcopum. Sed quæ ante hæc ipse cum socijs passus fuerit, idem auctor sic tradit[a]: Deinde præfati sacerdotes attendentes messem quidem multam, operarios vero paucos, iuerunt more Apostolorum & discipulorum Christi bini & bini, trini & trini, adiunctis sibi aliquot neophytis, in diuersis Germaniæ prouincijs fidem Christi gentibus denunciaturi. Inter quos S. Suuibertus glorioſus sacerdos Christi, diuini amoris igne feruidus, venit eodē tempore cum Vuerenfrido & mecum in grandem vicum dictum Duerstat: qui vicus refertus fuit cærimonijs, ornatusq. di-
D uersis idolorum templis, duobus distans milliaribus a Traiecto ad Orientem. Vbi dum prædicaret Christum verum Deum, qui vitam æternam in se credentibus daret, admonens vt simulacrorum vanos & inanes contemnerent cultus, eo quod idola quæ pro dijs colebant, repleta essent dæmonijs, & nihil salutis habere, nec suis cultoribus auxilium conferre posse affirmaret: statim a Paganis & idolorum sacerdotibus capitur, & grauiter verberatur, clamantibus & dicentibus: Blasphemator iste nostram profanat legem, deos nostros omnipotentes dæmonia affirmat, populum seducit, Crucifixum solum Deum verum audacter prædicat: & nisi occidatur, aut effugetur, cultus deorum nostrorum euacuabitur, & paternæ traditiones exterminabuntur. [a] Martellinus ibid. c. 8. p. 10. S. SVVIBERTVS PRAEDICAT EVANGELIVM.

His dictis, clamore omnium tenetur, & in carcerem mittitur, vt altera die occulte trucidaretur: non enim palam audebant ipsum occidere, quoniam vicus erat sub ditione Chri-
E stianorum Francorum. Nos vero, Vuerenfridus & ego Marcellinus, dolentes & flentes sequebamur eum vsque ad carcerem: quod cernens S. Suuibertus, læto ore consolando hortabatur nos constanter stare pro fide Christi, nec mortem timere pati pro Christo. Eadem vero nocte circa galli cantum S. Suuiberto orante, nobis autē dolentibus, ecce venit Angelus Domini cum magna claritate in carcerem, dicens ei: Noli timere, serue Dei, quia Dominus tecum est. Et videntibus & stupentibus custodibus carceris, liberauit ipsum, præcipiens, vt constanter Christum Paganis vbique euangelizaret. Quo facto, Angelus Domini æthera petijt: ipse vero ad nos veniens, gaudenter flectens genua, & nos secū gratias deuotissime Deo retulimus de angelica visitatione & consolatione. Pagani vero, & præcipue sacerdotes idolorum altera die audientes liberationem illius, vacillare cœperunt de impotentia idolorum, laudantes virtutem Christi. Ipse vero altera die constantissime prædicans, multos in stuporem vertit, & ad Christum conuertit, & nemo iniecit S. SVVIBERTVS DETRVSVS IN CARCEREM LIBERATVR.

manus

manus in eum. Quo miniſterio peracto, cum Traiectum nobiſcum peruenisſet, omnia per Angelum patrata ſecum in Duerſtat confratribus enarrauit: qui vnanimi voce, flentes præ gaudio, benedixerunt Deum. Seceſſit deinde in diuerſos vicos & villas per Friſiam & Hollandiam ac Teiſterbandiam, cunctis palam conſtanter Chriſtum euangelizans: & quamuis multa contraria inter ipſos Gentiles in diuerſis locis perpeſſus fuiſſet & æquanimiter toleraſſet; tamen diuino ſemper fultus auxilio, ſalutifera ſua exhortatione populum multum ad agnitionem fidei Chriſti perduxit. A

PRAEDICATIONE ET MIRACVLO GENTILES CONVERSI.

Eodem anno demum peruenit nobiſcum, ſcilicet cum Vuerenfrido & me Marcellino, in Orientalem partem principatus Hollandiæ, in qua erat villa diſtans a Traiecto ad Auſtrum per vnum milliare, dicta Hagenſtein. Vbi cum inſigni die quodã ſolemnitatis Gentilium veniſſet, in quo multitudo copioſa Gentilium, deorum ſuorum cærimonias colens, funeſta ſacrificia thurificando idolis immolaret; acceſſit in medio illorum, clamans & dicens: O viri ſapientiſſimi, accedite, & audite: Nuncius enim ſum Dei excelſi, &c.] recenſet concionem idem qui aderat Marcellinus. Porro prædicationem ſubſecutum eſt ſignum, nempe cuiuſdam Giſelberti cæci nati illuminatio, hominis cunctis notiſſimi: poſt quod adeo inſigne miraculum facta eſt Gentilium, qui eum nouerant, optata conuerſio. B

SVVIBERTVS CONSECRATVR EPISCOPVS.

Cuius rei cauſa viſum eſt cunctis fratribus duos ex omnibus deligere, qui ordinari in Epiſcopos deberent, Suuibertum ſcilicet atque Vuillebrordum: quorum primum miſerunt in Angliam ad S. Vuilfridum Merciorum Antiſtitem, a quo eſt Epiſcopus conſecratus hoc ipſo anno (vt teſtatur auctor) qui numeratur ab incarnatione Domini ſexcenteſimus nonageſimusquintus. Quem enim diximus Vuilfridũ interfuiſſe Romano Concilio ſub Agathone, idem accepiſſe pariter ab Apoſtolica ſede plenam auctoritatem Apoſtolicæ ſedis legati putatur, qua niſus eumdem conſecrarit Epiſcopum. Sequenti vero anno (vt ait) Vuillebrordus Romam profectus conſecratur a Sergio Papa, vt ſuo loco dicturi ſumus anno ſequenti. C

SVVIBERTI APOSTOLATVS.

Accidit autem, vt licet Suuibertus hoc anno fuerit in Anglia conſecratus Epiſcopus, Vuillebrordus vero ſequenti, nihilominus iſte Archiepiſcopus creatus ſit, Suuibertus autem appellatus Traiectenſis Epiſcopus, ſiue alicuius alterius loci, ſed coepiſcopus ſancti Vuillebrordi, ſpecialiter tamen nominatus Apoſtolus Teiſterbandiæ, Vueſphaliæ, & Boructuariorum, prout etiam idem docet conſocius in laboribus Marcellinus. Felices populi, terq. felices, quouſque ſecuti ſunt vocem tanti paſtoris, qui Apoſtolo dignis miraculis teſtatam ipſis reliquit fidem Chriſtianam integram atque ſinceram: miſerrimi vero redditi ſunt omnium hominum, vbi relicto antiquo tanti patris ſacroſancto depoſito, ſecuti voces alienorum, per prærupta hæreſum in profunda corruerunt inferni. D

S. ANSBERTI EPISCOPI ROTHOMAG. OBITVS.
a Apud Sur. die 9. Febr. eadem die Martyrol.

Hoc eodem anno ſexcenteſimo nonageſimoquinto, die nona Februarij S. Ansbertus Epiſcopus Rothomagenſis vir ſanctitate clariſſimus ex hac vita in cælum feliciter migrat, eum ante calumniam paſſus, ſolum vertere miſſus in exilium cogeretur iuſſu Pipini ſupremo fungentis magiſtratu, de quo Angradus monachus ita ſcribit [a]: Cum inter principes Francorum ſæua eſſet exorta diſcordia ob multiformem regni diuiſionem, callidus humani generis hoſtis malignorum contra Dei famulum ſæuire fecit inuidiam, qui Pipino principi fraudulenter ſuggererent, præfatum virum ſanctum aduerſus eum contraria tractaſſe conſilia. Decedente enim de ordine principatus Vuarratone illuſtri, & eius filio ac ſupplantatore nefando Giſlemaro, Pipinus præfectoriam adminiſtrationem, Domino largiente, adeptus eſt: quo tempore incuſatus apud ipſum principem præfatus Pontifex ſanctus, iuſſu eiuſdem exilio deportatur in Altummontem monaſterium, quod eſt ſitum in territorio Hannonienſi ſuper Sambre fluuio, cui tempore illo præerat venerabilis Halidulphus Abbas. Nullo extante crimine, humiliter exilij ſubijt æruinnam.] Quomodo autem inde liberatus reuerſus in patriam, reſponſum mortis accipiens, ſacrificio Miſſæ præuio ſe parauit, & ſic feliciter Deo ſpiritum reddidit, ipſe auctor teſtatur, ſimulq. ſubſecuta poſt obitum miracula narrat, & in fine præſentem annum eius migrationis ſignat; quem tum conſulas. E

S. AVDOMARI EPISC. OBITVS.
b Fulchard. & Melanus die 9. September.

Eodem quoque anno ex hac vita migraſſe S. Audomarum Morinorum Epiſcopum, certum eſt [b]. Prædicatur iſte Apoſtolus Taruanenſium, & iure quidem: nam licet diu ante populus ille Euangelij prædicatione imbutus eſſet, tamen negligentia Præſulum in deterius lapſus, iterum idolorum cultum, quem reliquerat, eſt ſectatus; ſed tanti viri prædica-

tione

A tione excultus est, atque perfecte redditus Christianus, operante diuinitus, vna cum prædicatione, miraculorum quoque virtute. Extant res ab eo præclare gestæ, a Fulchardo conscriptæ [a]. Hic vel obiter mentio facienda est de sancta Austrebertha virgine, quæ ab eodem sancto Audomaro Deo consecrata egregia claruit sanctitate; cuius vitæ Acta scriptis mandata habentur [b].

[a] *Apud Sur. die 9. Septembr.*

[b] *Apud Sur. die 20. Febr. tom. 1.*

IESV CHRISTI ANNVS 696. SERGII PAP. ANNVS 9. LEONTII IMP. ANNVS 3.

B SEquitur Christi annus sexcentesimus nonagesimus sextus, Indictione nona, quo vir Apostolicus Vuilbrordus, siue Vuillebrordus, qui ante annos sex Romam veniens auctoritatem prædicandi Euangelium (vt dictum est pluribus) acceperat, cum magnum iam ex prædicatione prouentum in conuersione infidelium collegisset, iterum Romam veniens ad eumdem Sergium Papam, ab eodem Episcopus ordinatur. Opus plane diuinum in his recognoscitur: accidit enim secundum illud mysticum Domini in Iob [c]: Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus?] Non tantum est Apostolicæ sedis mittere tonitrui filios in Euangelij prædicationem ad Gentiles, sed & eosdem portantes manipulos suos recipere reuertentes, nouasq. ipsis erigere sedes Episcopales. Vbi enim Frisij siue Frisones Euangelium accepissent, vt eis daretur Episcopus, laborauit qui C eos bello perdomuit Pipinus princeps. Non deerant in Galliarum proximis regionibus nobilissimarum Ecclesiarum Episcopi: sed quod nouas erigere sedes, sciretur etiam ab exercituum ducibus, solius esse Romani Pontificis; idcirco curæ illi fuit, vt idem Romam missus, vbi acceperat ad prædicandum Euangelium apostolatum, nouus rediret sacris ritibus ordinatus Episcopus. Porro rem gestam perbreuiter Beda sic narrat [d]:

VVILBRORDVS AD SERGIVM PAPAM ITERVM PROFICISCITVR.

[c] *Iob 38.*

[d] *Bed. lib. 5. c. 12.*

Postquam vero (inquit) per annos aliquot in Fresia *, qui aduenerant, docuerunt, misit Pipinus, fauente omnium consensu, virum venerabilem Vuilbrordum Romam, cuius adhuc Pontificatum Sergius habebat, postulans vt eidem Frisonum genti Archiepiscopus ordinaretur: quod ita vt petierat impletum est anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimoseXto. Ordinatus est autem in ecclesia sanctæ martyris Cæciliæ, die natalis eius, impositio sibi a Papa memorato nomine Clementis, ac mox remissus ad sedem D Episcopatus sui, id est, post dies quatuordecim, ex quo in Vrbem venerat. Donauit autem ei Pipinus locum cathedræ Episcopalis in castello suo illustri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Vuiltaburg *, id est, oppidum Vuiltorum, lingua autem Gallica Traiectum vocatur: in quo ædificata ecclesia, reuerendissimus Pontifex longe lateq. verbum fidei prædicans, multosq. ab errore reuocans, plures per illas regiones ecclesias & monasteria nonnulla construxit. Nam non multo post, alios quoque illis in regionibus constituit ipse Antistites ex eorum numero fratrum, qui vel secum, vel post se illo ad prædicandum venerant: ex quibus aliquanti iam dormierunt in Domino: ipse autem Vuilbrordus, cognomento Clemens, adhuc superest, longa iam venerabilis ætate, vtpote trigesimum & sextum in Episcopatu habens annum, & post multiplices militiæ cælestis agones ad præmia remunerationis supernæ tota mente suspirans.] hæc Beda, declarans his pariter tem- E pus quo ista scribebat, anno videlicet Domini septingentesimo trigesimosecundo.

VVILBRORDVS ORDINATVS EPISCOPVS, ET CLEMENS DICTVS.

* Frisia

* Vuiltenburg

Hæc eadem de ordinatione per S. Sergium facta Romæ Vuilbrordi siue Vuillebrordi, & in Clementem mutatione, meminit etiam Marcellinus in rebus gestis sancti Suuiberti, vnius ex eius in Euangelij prædicatione consocij. Eius vero Acta, quæ pluribus prosecutus est Albinus Flaccus, discrepant a Bedæ historia, dum iste tradit fuisse consecratum in ecclesia sanctæ Cæciliæ, ibi autem legitur id factum in basilica sancti Petri: idemq. Albinus tradit, eamdem ordinationem haud sine præcedenti prophetia, diuina inquam manifestatione, fieri contigisse. Audi ergo, quæ ipse referat his verbis [e]: Et sic cum honorifica legatione, & muneribus auctoritati Apostolicæ condignis, Romam directus est. Sed die quarta, priusquam illo veniret, beatissimus Apostolicus Angelica in somnis responsione admonitus est, vt illum cum summo honore susciperet, & quod multarum animarum esset illuminator futurus, a Deoq. electus, & ad hoc venisset, vt summi ab eo

[e] *Extant apud Sur. die 7. Nouembr. to. 6.*

S. SERGIO PAPAE QVID OSTENSVM PER VISVM.

sacerdotij

sacerdotij honorem susciperet; nihilq. ei negandum esse, quicquid petijsset. Qua factus A
Apostolicus admonitione certus, cum magno gaudio & summo cum susscepit honore: &
vt in eo fidei agnouit feruorem, religionis deuotionem, sapientiæ plenitudinem, die com-
petenti populo adueniente, aduocatis venerabilibus ad societatem ministerij sacerdoti-
bus, publice in ecclesia beatissimi Petri principis Apostolorum cum magna dignitate mo-
re Apostolico eum ordinauit Archiepiscopum, ac ordinato nomen imposuit Clemens, ve-
stimentisq. suis sacerdotalibus induit eum, & sancto quasi superhumerali Aaron, pallio
dignitatis & indumenti confirmauit gloria: & quicquid voluit, vel petiuit, aut in patro-
cinijs sanctorum, aut in rebus Ecclesiasticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi; fir-
matumq. benedictione, donis ditatum, cum salutaribus præceptis iterum eum in opus
Euangelij remisit.] Porro reditum eius in Germaniam contigisse anno sequenti, testatur
Marcellinus. Sane quidem quod consecratus fuerit (vt testatur Beda) die natali sanctæ B
Cæciliæ, non potuit nisi anno sequenti in Frisiam redijsse. quæ igitur post hæc contige-
runt, suo loco dicturi sumus.

Sed quid interim memoratu dignum coapostolus Suuibertus (quem anno superiori
ordinatum diximus a sancto Vuilfrido Episcopo) operatus sit, Marcellinus, qui comes pe-
regrinationis ipsius & Actorum scriptor ei adhæsit, vt Lucas Paulo, hæc ait de eius redi-
tu, & in verbi Dei prædicatione profectu[a]: Igitur sanctissimus Suuibertus, Euangelicus
Præsul, pontificali fultus auctoritate & honore, ac corroboratus confirmatione sancti Vuil-
fridi, salutatis parentibus & amicis, cum Christi famulis qui cum eo erant, redijt in opus
Euangelij & verbi Dei, peruenitq. Vuiltenburg, siue Traiectum, per annum & multo am-
plius, antequam sanctus Vuillebrordus Roma rediret Traiectum: ibiq. a fratribus & neo-
phytis honorifice multo cum gaudio susceptus, gradum Episcopatus condignis ornans C
virtutibus, vixit deinceps in maiori humilitatis, mansuetudinis, simplicitatis, & iustitiæ
perfectione; cœptumq. Euangelicum opus constanter explens, oppida, rura, casas, vi-
cos, castella, propter euangelizandum, non equitando, sed Apostolorum more pedibus
incedendo peragrans, etiam longe lateq. Frisiam, Hollandiam, & præcipue comitatum
Teisterbandiæ peruagatus, multum populum ad Christum doctrinis & prædicationibus
reduxit, vbique solerter idololatriam extirpauit: ita quod multitudo Paganorum, maxime
iam profanam sectam refutantes, Catholicæ fidei documentis salutaribus adhæserunt.
Conuertebat vero sua dulciflua prædicatione fere totum comitatum Teisterbandiæ, in
quo construebantur ecclesiæ multis in locis, aut templa idolorum consecrabantur in ec-
clesias Dei & sanctorum, vtpote ecclesiam sancti Vincentij martyris in Zanduuick prope
Tielam: in Arkel, in honorem sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ: in Hoernaer, in ho- D
norem sancti Dionysij Areopagitæ] & alias in alijs locis, quas idem auctor numerat.

Quomodo autem, dum vnam ex illis Deo idem Pontifex dedicaret hoc ipso anno, sub-
mersum in Rheno adolescentem mortuum ad vitam, spectante populo, reuocarit, idem
Marcellinus exacte recenset. Cui tanto spectaculo te quoque nobiscum præsentem lector
cupimus, tanta horum apostolatus signa conspecturi simul. Rem gestam præsens qui in-
terfuit Marcellinus ita describit: Diuina namque prouidente clementia, dum sanctus
Suuibertus anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimosexto, octauo Kalen-
das Octobris dedicaret ecclesiam in Malsen, in comitatu Teisterbandiæ, super amnem
Linghen dictum, contigit vt eodem die quidam generosus adolescens, dictus Splinterus
de Andengyn, filius Primicerij de grandi vico Duerstat, volens curiose experiri myste-
rium fidei Christi, & præcipue actus sancti Suuiberti, de quo mira audierat, licet ipse in- E
credulus & fidei ignarus esset, scapham cum tribus clientibus mane hora fere septima in-
traret, volens videre dedicationem ecclesiæ in Malsen, eo quod villa Malsen distet a
Duerstat ad Austrum paruo milliari. Cumq. in medio fluminis Rheni siue Leccæ esset, &
lasciue ioculando & nauigando sederet super latus nauiculæ, incumbens super mucronem
suum, lapsu pedum suorum ex lubricitate nauiculæ retrorsum cadens, cecidit in aquam:
quem statim vorax vnda absorbuit, & in profundum quasi lapis descendit, & submersus
fuit. Quod cernentes socij & serui in eadem nauicula positi, ipsum iuuare & ei subueni-
re non valentes, dolore maximo consternati, vtraque litora clamoribus & fletibus reple-
uerunt. De cuius casu & submersione non solum parentes & cognati dolebant, sed & lu-
ctus erat omnibus, & mærore incredibili confundebantur vniuersi. Serui vero concito
cursu fugerunt præ timore parentum & amicorum. Tandem eadem die, hora fere duode-
cima,

[a] *Marcellin. vit. Suuibert. c. 11. 12.*

DE APOSTOLATVS SVVIBERTI PROFECTV.

DE MORTVO A S. SVVIBERTO AD VITAM REVOCATO.

A cima, a piſcatoribus in ſagena cum multo dolore inuentus, lamentabiliter portatus fuit in domum parentum; & licet inflexibilis eſſet artubus & membris, tamen conſilio flaminum idolorum, calido impoſitus lecto, defertur ad phanum ſiue templum Martis. Audierant enim, quod Chriſtiani aliquot ſubmerſos, ſiue ſubito defunctos, in eccleſias ipſorum portantes, vitæ priſtinæ, ſacrificijs & precibus Epiſcoporum, reſtituiſſent. Guntherus vero egregius miles & dominus de Andengyn, pater Splinteri ſubmerſi, properans cum familia & amicis ad templum Martis, libauit funeſtum ſacrificium, mactando diuerſa animalia magno deo Marti, vt pietate diuinæ potentiæ ſuæ vnicus filius ſuus reuiuiſcens ſuſcitaretur. Cumq. lugubriter mæſto & tribulato corde vſque in horam fere ſecundam precibus & ſacrificijs incubuiſſent, & nihil ſalutis inueniſſent, deſperauit de vita ipſius, eo quod numquam audiſſet priſcis temporibus deos ipſorum talia peregiſſe.

FRVSTRA LABORANT SACERDOTES IDOLORVM.

B Erant autem eodem die multi Chriſtiani in ea ciuitate; qui vt viderent finem, ſequebantur funus vſque in atrium phani Martis. Qui videntes inenarrabilem dolorem Guntheri & aliorum amicorum, gaudentes de impotentia deorum, vocauerunt Guntherum ſeorſum, vt Chriſtus ibi magnificaretur, ſuadentes & conſulentes ei, vt celeriter pro ſancto Suuiberto Chriſtianorum Epiſcopo exiſtente in Malſen, ad quem filius ſuus equitare propoſuerat, mitteret: ipſe proculdubio precibus ſuis reſuſcitaret eum virtute Domini Ieſu Chriſti, dummodo abrenuncians idolis, toto corde crederet in ipſum. Guntherus vero, his auditis, memor qualiter idem ſanctus Suuibertus in eadem ciuitate captus, liberatus per Angelum fuit, & qualiter in Hagenſtein cæco nato in nomine Ieſu præſtitiſſet viſum: ſtatim animatus & allectus verbis Chriſtianorum, adiunctis ſibi aliquot honeſtis amicis, ſine dilatione Malſen vſque celerrime properauit: videnſq. ſanctum Suuibertum,

INTERPELLAT GVNTHERVS S. SVVIBERTVM.

C mox de equo deſiliens, prouolurus pedibus ſancti, oſculando manus eius, per ægra lacrymarum ſuſpiria aperuit ei triſtiſſimam mortem & ſubmerſionem vnigeniti ſui, deprecans vt ſecum dignaretur proficiſci Duerſtat, & in virtute ſalutiferi nominis Ieſu veri Dei omnipotentis reſuſcitare filium ſuum, pollicens ſe cum omni familia ſua & cognatis crediturum, & ſacrum baptiſma percepturum.

Sanctus vero Suuibertus ipſum humaniter eleuans, & honorifice ſuſcipiens, benigne conſolabatur: & licet condoluit lamentabiljbus vocibus & gemitibus ipſius, tamen Deum tentare ſuper huiuſcemodi facto grandi formidans, ſe pie excuſauit. Miles vero denuo amplectens pedes eius, importune precabatur, vt ſecum pergere dignaretur amore Ieſu Chriſti Dei viui. Sicq. victus ciulatu eius, & præcipue precibus Vuerenfridi, & meis, aliorumq. neophytorum ibidem præſentium, celeriter vectus curru, & nos cum eo, venit

EMOLLITVR SVVIBERTVS LACRYMIS GVNTHERI.

D circa ſextam horam poſt completorium in vicum Duerſtat. Erat autem turba magna congregata ad litus Rheni, ſiue Leccæ, præſtolantes aduentum ſancti Suuiberti, dolentibus prophanis ſacerdotibus phanorum. Igitur tranſmiſſo amne Lecca, cum iret ad defunctum cũ diſcipulis ſuis, ſequenti ipſum grandi turba Paganorũ, occurrit ei domina Melchtildis, mater Splinteri ſubmerſi, vt inſana mulier: prouoluraq. pedibus eius in publica platea, clamauit, dicens: Serue Dei viui, ſuccurre mihi, & reſuſcita filium meum in nomine Dei tui, credamq. cum tota familia mea in eum: quia dij noſtri impotentes ſunt ad reſuſcitandum eum. Quam S. Suuibertus eleuans & conſolans, parum ingemuit.

Erat autem Splinterus ſubmerſus, denuo ex templo Martis portatus in domum patris ſui. Veniensq. ad præſentiam defuncti, petijt vt flamines ſiue ſacerdotes idolorum dignarentur ſibi adeſſe, vt viderent virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei omnipotentis. Inte-

E rim præcepit nobis, deuote orationibus vacare, Deiq. miſericordiam implorare, vt defunctus reſuſcitaretur, & ipſe orauit. Vniuerſa igitur multitudine fiente, cum aliqui phanatici ſacerdotes pauidi, vocati per dominum Guntherum, adueniſſent; S. Suuibertus ſonora voce, flexis genibus, lacrymarum imbre perfuſus, clamauit ad Dominum, dicens: Domine Ieſu Chriſte, qui refugium factus es nobis, inclina aurem tuam ad preces noſtras, vt reueletur hominibus iſtis gloria tua, & prædicetur & glorificetur ab incredulis nomen ſanctum tuum: vt ſciant, quia non eſt vana fides noſtra, nec alius Deus præter te, cuius pietas non habet finem, nec dona menſuram: & reſuſcita ad gloriam & honorẽ nominis tui hunc ſeruum tuum, diabolica fraude deluſum: vt ſciant, quod omnia idola, quæ pro dijs colunt, ſtatuæ ſunt dæmonibus plenæ; & videntes virtutẽ pietatis tuæ, credentes in te, ſaluentur. His dictis, ſurgens ab oratione, fiduciam magnam habens in Chriſtum, dixit: Domine Ieſu Chriſte, mæſtorum conſolator, qui dixiſti [a]: Omnis qui credit in me, opera quæ ego facio,

ORAT SVVIBERTVS PRO RESVSCITATIONE DEFVNCTI.

[a] Ioan. 14.

a Ioan. 11. & ipſe faciet, & maiora horum faciet: Domine pijſſime Deus, qui reſuſcitaſti[a] ad fletum A
ſanctarum ſororum Mariæ Magdalenæ & Marthæ Lazarum quatriduanum mortuum, re-
ſuſcita & hunc in nomine tuo, oſtendendo potentiam diuinitatis tuæ.

SVVIBERTVS RESVSCITAT DEFVNCTVM. Et accipiens dexteram ſubmerſi, dixit: In nomine Domini Ieſu Chriſti crucifixi, Dei omnipotentis, dico tibi, vt ſurgas & viuas, & confitearis Creatorem tuum. Statim vero defunctus aperiens oculos ſuos, & quaſi de graui ſomno ſuſpirans ſurrexit: amplectensq. pedes ſancti, cum magnis ſuſpirijs clamauit: Non eſt alius Deus in cælo & in terra, quam Dominus Ieſus Chriſtus crucifixus, quem prædicat ſanctus ſeruus eius Suuibertus: qui me ſua benigna miſericordia ad preces eius ab inferis & a morte reſuſcitauit. O vita laudabilis, quæ alterius corporis mortem precibus effugauit, tartarum ſpoliauit, ſpem magnam habens in Chriſto: proculdubio mors ibi iura non tenuit, vbi ſanctus Suuibertus vim orationis ingeſſit. Statimq. omnes mirati & ſtupefacti, qui viderant & audierant no- B
uitatem tanti miraculi, diuinam pietatem per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum dignis extulere præconijs, qui ſanctum Suuibertum ſeruum ſuum tam inſigni clarificare miraculo dignabatur. Prouolutiq. pedibus ſancti Epiſcopi cum ſacerdotibus idolorum, credentes in Chriſtum, baptizari petierunt, ſpretis vanis cultibus idolorum.

CREDVNT PAGANI ET BAPTIZANTVR. Denique lætiſſime accurrentes parentes & cognati, infinitas retulerunt Deo & ſancto eius gratias, deuote ipſum amplectentes & oſculantes cum diſcipulis ſuis. Sed & ipſe ſanctus Suuibertus cum ceteris Chriſtianis humiliter in terram proſtratus, benedixit Deum, qui magna fecit in populo ſuo. Tantus vero in platea erat clamor Paganorum, reſuſcitatum videre cupientium, vt S. Suuibertus neceſſitate compulſus, reſuſcitatum veſtibus indutum per manus duceret cum magna deuotione ad honorem Dei, vt a cunctis videretur. Quem viuum & ambulantem cernentes, clamauerunt: Vere magnus eſt Deus Chriſtia- C
norum, qui talia per ſeruum ſuum operatus eſt. Factum eſt ergo gaudium magnum coram omnibus hæc videntibus, & magnificatum eſt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eodem tempore baptizatus eſt Splinterus reſuſcitatus, cum parentibus & cognatis & alijs numero centum vigintiſex, demptis pueris & virginibus.

MIRA EVANGELII PRAEDICATIO. Altera denique die congregata infinita turba hominum Paganorum, S. Suuibertus, præmiſſa oratione ad Spiritum ſanctum cum diſcipulis ſuis, vt Deus aperiret corda illorum ad ſpernendum idola, & ad fidem complectendam, prædicando deduxit & declarauit eis tranſgreſſionem protoparentis noſtri Adæ, incarnationem Verbi Dei, diabolicam idolorum inuentionem, atque infinitam miſericordiam Dei: Inſuper quod æternaliter damnabuntur, qui ſpreto vero Deo, adorant idola & ſculptilia, & gloriantur in ſimulacris ſuis: ita quod fere pars magna ciuitatis credidit in Chriſtum. D

Erat autem ciuitas, licet Pagana, ſub poteſtate Chriſtianorum principum, ſcilicet Regis Franciæ & Pipini Ducis, & tota fere vicinitas & prouincia Chriſtianæ fidei ſubdita, vtpote Brabantia, Flandria, & pars Hollandiæ: ſic quod Pagani de Duerſtat ſæpe cū Chriſtianis conuerſati, pridem multoties multa de Chriſto audierant. Manſit autem multis diebus in eadē ciuitate, vigilanti inſtantia prædicando fiduciaſiter Chriſtum Paganis, confirmando neophytos: ita vt non ſolum Pagani, verum etiam multi idolorum ſacerdotes, videntes cæleſtem gratiam & miraculi magnitudinem in S. Suuiberto, abiecto perfidiæ velamine, baptiſmi gratiā ab ipſo deuote ſuſciperent.] hactenus Marcellinus de rebus geſtis S. Suuiberti hoc anno vſque ad reditum Vuillebrordi, imitatus Euangeliſtam Ioannem, qui reſuſcitationem Lazari adeo exacte deſcripſit, ſignatam poſteris relinquens ita Catholicam fidem Dei digito ſubſcriptam, dum miraculis ſubſequentibus eam adeo firmiter con- E
firmatam oſtendit, vt diriſſimus atque duriſſimus quiſque magis quam malefici Pharaonis inueniatur, qui ſicut ille, dicere non compellatur: Digitus[b] Dei eſt hic.] Vnde magis lugeant infelices illi, qui pro veris Apoſtolis adeo facile receperūt pſeudoapoſtolos longe diuerſam a Suuiberto prædicationē fidei annunciantes, non ſignis aliquibus eam confirmantes, ſed blaſphemijs, ſacrilegijs, & maledictionibus eamdem infamantes. Sed de his ſatis.

SACERDOTES IDOLORVM CREDVNT. b Exod. 8.

DE ALIO DEFVNCTO AD VITAM REVOCATO. Non prætermittimus dicere, ijſdem quoque temporibus, quibus peregrinatio accidit Vuillebrordi in Vrbem, contigiſſe in Anglia in prouincia Nordanhumbrorum aliam reſuſcitationem diuinitus factam Drithelmi viri nobiliſſimi, ad hoc, vt quæ vidiſſet in purgatorio vel in inferno cruciamenta peccatorum, ad ſupera reuerſus referret, quæve de beatorum gaudijs conſpexiſſet, pariter hominibus in vita degentibus ſignificaret: quæ cuncta narrauit Alfrido Regi & alijs, qui ex eis accepturi eſſent ad emendationem morum

A rum emolumentum. Quod vero haud fuerit inanis visio, vel impostura, fidem fecit ipse, cum sæculo primum se abdicans, arctissimum humanis viribus penitus impar vitæ institutum arripuit. Describit sui temporis historiam satis fideliter Beda [a], ad quem lectorem, ne nimia eum retineamus prolixitate, reijcimus. Ista quidem non semel Deus, sed cunctis pene sæculis voluit reddi mortalibus manifesta; quo mens ignaua, obuoluta terrenis, voluptatum nexibus arctissime vincta, excitata resipisceret, & suum Creatorem culpa libera sanctis operibus sequeretur. Subdit [b] & alia, quæ ibidem his temporibus contigere his similia de futuro iudicio, cui moriens vnusquisque est obnoxius, idem auctor exempla, quæ tu leges.

[a] *Bed. lib. 5. c. 13.*

DE FVTVRO IVDICIO PLVRA EXEMPLA MONSTRATA.

[b] *Idem lib. 5. c. 14. 15.*

Iam vero conuertamus orationem ad res Orientalis Imperij. Fuit plane status eius admodū perturbatus: etenim ejicitur Leontius Imperator, & Absimarus inuadit Imperium.

B Sed tanta hæc breuiter in Græcorum Annalibus notata potius quam descripta reperimus istis verbis [c]: Tertio anno Leontij, Arabes expeditione facta, Africam ceperunt. Eo Leontius Ioannem Patricium virum strenuum mittit cum vniuersa Romanorum classe: qui fusis pulsisq. hostibus, omnia Africæ castra cepit; relictoq. suo ibi legato, de re gesta Imperatorem certiorem fecit, atque in Africa ipse hiemauit. At Arabum Princeps, qui Protosymbolus, quasi Consul, vel consilij particeps ab ijs vsurpatur, re cognita, multo maiore, quam fuerat prior, & validiore classe missa, Ioannē inde profligat, castraq. fossa munita locat. Cum Romanus exercitus mota seditione Absimarum * Imperatorem creat, Drungarium Cibioretorum *(de magistratu plura Curopalata)* statimq. Tiberium nominat. At in vrbe Constantinopolitana lues bubonum grassata quatuor mensium spatio magnam vim hominum sustulit. Absimarus interim cum sua classe ad Sycus seu Ficus appellit, & in vr-

[c] *Cedren. in Annal. hoc an.*

LEONTIVS EJICITVR. ABSIMARVS IMPERAT.

*al. Apsimarum

C bem per proditionem admissus, Leontium, præciso naso, in Dalmatiæ monasterio asseruari iubet; amicosq. eius, publicatis eorum bonis, relegat. Tum germanum suum fratrem *Heraclium* omnibus pedestribus & equestribus copijs præfecit solum, vt rei gerendæ maxime idoneum: mittitq. vt partes Cappadociæ & clausura percurrat, ac quid hostis moliatur obseruet.] hæc Annales. Causa autem conflatæ inter milites discordiæ a Theophane ea refertur [d], quod ob deperditam rursus Africam erubescerent atque timerent redire Constantinopolim cum Ioanne.

[d] *Theophan. hoc anno.*

Quod ad Africam pertinet: tentatam sæpius, deprædatamq. antea vidimus superius a Sarracenis, Romanis iterum in eos pugnantibus, atque inde ipsos abijcientibus: at vero ab hoc tempore Sarraceni absque obice eamdem possederunt. Quomodo autem se haberet his temporibus Ecclesia Africana quod ad fidem Catholicam, vt tanta mala pati

AFRICA PENITVS A SARRACENIS POSSESSA.

D meruerit: hic in memoriam reuocandum, quod ait S. Gregorius [e] in epistola ad Ioannem Episcopum Squillacinum: Afros passim, vel incognitos peregrinos ad Ecclesiasticos ordines tendentes, nulla ratione suscipias: quia Afri quidem aliqui Manichæi, aliqui rebaptizati, *nempe Donatistæ sunt.*] sed & quod habeat eadem de ipsis Gregorius Papa Secundus in epistola ad Thuringios, apparet eos neque tot fuisse flagellis emendatos, & sic tantam iure meruisse subire vindictam.

[e] *Gregor. lib. 2. epist. 25.*

Quod vero ad eorumdem Africanorum mores spectat: ex canone haud pridem sancito in Sexta [f] Synodo, admodum labefactatam Ecclesiasticam disciplinam, corruptamq. moribus fuisse, satis potest intelligi: leguntur enim hæc ibi: Porro hoc quoque ad nostram cognitionem peruenit, quod in Africa, & Libya, & alijs locis, quidam ex ijs qui illic sunt religiosissimi Præsules, cum proprijs vxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio,

[f] *Sext. Synod. c. 12.*

QVALES MORES AFRICANORVM.

E vna habitare non recusant, ex eo potissimum offendiculum & scandalum afferentes, &c.] Si hæc ipsi populorum duces Episcopi perpetrarent, quid cæcus cæcos populos sequens? Ex his inquam reliqua, quæ ista sequuntur, facile possumus meditari; quorum causa (quemadmodum olim eisdem ex causis, vt vidimus ex Saluiano, Deus ad eos puniendos immisit Vuandalos) modo eosdem penitus perdendos tradidit immanibus Sarracenis.

IESV CHRISTI ANNVS 697.	SERGII PAP. ANNVS 10.	TIBERII ABSIMARI IMP. ANNVS 1.

REdemptoris annus sequitur sexcentesimus nonagesimusseptimus, Indictione decima, quo Germania a nouo Apostolo Roma a Sergio Pontifice misso summa industria excolitur, atque ad fructum vberrimum restituitur: ita enim dixerimus, restituitur, quod

GERMANIA EVANGELIVM RECIPIT.

quod diu ante ab ipso ferme Ecclesiæ nascentis exordio (vt suis locis superius dictum est) Germania iam cœpit suscipere Euangelium, illudq. diutius summa religione possedit: verum exundantibus prœlijs, iam spiritualibus destituta cultoribus, conuersa erat (vt dicam cum propheta [a]) terra fructifera in salsuginem. Sed eius tandem misertus Deus, e longe cultores misit, qui nouale nouarent:

[a] *Psal.* 106.

[b] *1. Cor.* 14. [c] *Rom.* 13. [d] *Galat.* 1.

A ROMANA SEDE APOSTOLATVS ACCIPITVR.

Verum hi diuino afflati Spiritu, scientes spiritum prophetarum [b] subiectum esse debere prophetis, & quod quæ [c] a Deo sunt, ordinata sunt: primum omnium, vt dictum est (sicut Paulus [d] ad Petrum Hierosolymam, vt conferret Euangelium, venit) Romam se contulerunt ad summum Pontificem, quem Ecclesiæ vniuersæ præesse Hierarcham scirent: a quo accipientes apostolatum, conuersi ad gentes, eas vndique Euangelio imbuerunt, magnaq. operantes, nobis suppeditauere argumentum, vt nostros Annales ex frugibus Borealium regionum locupletaremus, qui iam magna priscorum monumentorum inopia sterilitate deficerent.

[e] *Isai.* 35.

FOECVNDA REDDITVR GERMANORVM ECCLESIA.

Ex eiusmodi namque Apostolicorum virorum cultura, superueniente copiosa Domini benedictione, illam sunt benedictionem consecutæ regiones illæ desertæ propheticam, qua dicitur [e]: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.] eo quod acciderit ipsis, quod subditur de prædicatione sanctorum: Quia sciissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine; & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.]

GERMANORVM ECCLESIA FLORENS.

Ita quidem Germaniæ multæ prouinciæ, deficiente Euangelij cultura, factæ siluosæ, verbi Dei iterum vomere cœptæ excoli, sunt redditæ his temporibus quasi Domini paradisus: vt nihil minus habuerint ab alijs Ecclesijs, accipientes Apostolos, eosdemq. legitime missos, a Petri sede profectos, itidemq. martyres, signis, innumerisq. miraculis, alijsq. dotibus affluentes, quibus Ecclesia Catholica insignitur. Diximus de nonnullis ex ijs, dicturi & de reliquis inferius pro temporis ratione. Hoc vero anno quod dicamus, dat abunde copiam is quem Sergius Papa Romæ consecrans Episcopum, mutans nomen barbarum in Latinum, ex Vuillebrordo nominauit Clementem, quem & pallio exornauit in signum collatæ plenitudinis potestatis; de quo ista Marcellinus coapostolus fideliter tradit in Suuiberto [f]:

[f] *Extant apud Sur. die 1. Martij c. 13. tom. 2.*

VVILLEBRORDI ET SVVIBERTI LABORES.

Itaque anno a natiuitate Domini sexcentesimo nonagesimoseptimo sanctus Vuillebrordus, adepta iam Apostolicæ benedictionis auctoritate, consecratusq. Archiepiscopus a sancto Sergio Papa, redijt ad Germaniam. Cui occurrens sanctus Suuibertus cum clericis & discipulis & multis Christianis vsque Embricam, recepit eum cum magna honorificentia, & gauisi sunt in Domino. Audiensq. sanctum Suuibertum Episcopum consecratum, & comitatum Teisterbandiæ cum tota fere Batua, ac magnam partem inferioris Frisiæ prædicatione ipsius conuersam, & Ecclesiam Traiectensem numero fidelium valde multiplicatam, immensas deuote Deo retulit laudes. Deinde pariter Traiectum pergentes, statim in fundo basilicæ sancti Thomæ Apostoli prope castrum Traiectense, canonicorum cœnobitarum construxerunt ecclesiam in honorem sancti Martini Episcopi Turonensis: in qua sanctus Villebrordus Archiepiscopus Frisonum cathedralem ecclesiam sibi stabiliri iussit; quam per primitiuam benedictionem SS. Vuillebrordus & Suuibertus Episcopi cum ceteris confratribus proprijs manibus benedicendo consecrauerunt.

HOLLANDIA ET FRISIA REDDITAE CHRISTIANAE.

Deinde mortuo Radbodo Rege Frisonum (*quod multo post accidit*) Christiani libere permissi sunt vbique per Frisiam publice Euangelium Christi prædicare. Quapropter præfati sancti Episcopi cum sacerdotibus & clericis Hollandiam & Frisiam vbique peruagantes, rudem populum documentis Euangelicis informauerunt, docentes profanum idololatriæ cultum abolendo relinquere: catechumenos baptizauerunt, neophytos confirmauerunt, sacros ordines celebrauerunt, ac in pagis singulis Euangelium pacis constanter & deuote prædicauerunt, & per loca singula presbyteros & diaconos ordinauerunt, qui eos in verbo fidei & ministerio baptizandi adiuuarent, maxime in magno vico Duerstat: in quo per biennium prædicantes, totum populum ad fidem perduxerunt Christi, ac phana idolorum commutantes in ecclesias Christi, quinquagintaduas dedicauerunt ecclesias parochiales in eo, adiutorio Guntheri militis, & aliorum amicorum.

* Danam

Et non solum per Frisiam prædicauerunt & Lotharingiã, sed & vsque in Daciam * prædicando,

A dicando, populum multum purgatum a barbarica Gentilitatis idololatria, Orthodoxæ iunxerunt fidei. Cumq. sic per aliquot annos feruenter Euangelici Pontifices & verbi Dei præcones pariter & continue in diuersis prouincijs Christum annunciassent, redierunt & venerunt cū exultatione Traiectum ad confratres & cooperatores verbi Dei, enarrantes illis, quanta Dominus per illos fecisset. Et licet sanctus Suuibertus egregius Pontifex præcesserit sanctum Vuillebrordum tempore, tamen sanctus Vuillebrordus præcedit sanctum Suuibertum dignitate, & primus Archiepiscopus Traiectensis reputatur, eo quod a sancto Sergio Papa Archiepiscopus Frisonum specialiter consecratus, & a sede Apostolica ad eumdem populum missus fuerit.] hæc Marcellinus.

His consentientia tradit Albinus Flaccus, qui & de prædicatione eiusdem Clementis ad Danos ista habet[a]: Cum ergo apud eum, *Radbodum scilicet, cum adhuc viueret,*

[a] *Extant apud Sur. die 7. Nouembr. tom. 6.*

B vir Dei fructificare se non posse sentiret, ad ferociſſimos Danorum populos iter euangelizandi conuertit. Ibi tum (vt fertur) regnabat Ongendus, homo omni fera crudelior, & omni lapide durior; qui tamen, iubente Deo, veritatis præconem honorifice tractabat. Quem dum obduratum moribus, & idololatriæ deditum, & nullam melioris vitæ spem habentem offendit: acceptis tunc triginta eiusdem patriæ pueris, ad electos a Deo populos regni Francorum reuerti festinauit: sed in eo ipso itinere catechizatos eosdem pueros vitæ fonte abluit, ne aliquod propter pericula longissimi nauigij, vel ex insidijs ferociſſimorum terræ illius habitatorum, damnum pateretur in illis, volens antiqui hostis præuenire astutias, & Domini sacramentis animas munire acquisitas.] His enarratis, quid eidem sancto contigerit, cum viuente adhuc Radbodo perfido Rege, rediens e Dania, Fostelandiæ populis prædicauit, ita refert:

REX DANORVM CLEMENTEM HONORIFICE TRACTAT.

C Dum pius verbi Dei prædicator iter agebat, peruenit in confinio Frisonum & Danorum ad quamdam insulā, quæ a quodam deo suo Fosite, ab accolis terræ Fositesland* dicebatur, quia in ea eius dei fana fuere constructa. Qui locus a Paganis tanta veneratione habebatur, vt nihil in eā, vel animalium ibi pascentium, vel aliarum quarumlibet rerū quisquam Gentilium tangere auderet, nec etiam a fonte, qui ibi ebulliebat, aquam haurire nisi tacens præsumeret. Quo cum vir Dei tempestate iactatus esset, mansit ibi aliquot dies, quousque sepositis tempestatibus, opportunum nauigandi tempus aduenire. Sed paruipendens stultam loci illius religionem, vel ferociſſimum Regis animum, qui violatores sacrorum illius atrociſſima morte damnare solebat, tres homines in eo fonte cum inuocatione sanctæ Trinitatis baptizauit, sed & animalia in ea terra pascentia in cibaria suis mactare præcepit. Quod Pagani intuentes, arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci mor-

* Fostelandia

D te perire. Quos cum nihil mali cernebant pati, furore perciti Regi tunc Radbodo, quod viderant factum, retulerunt. Qui nimio furore succensus, in sacerdotem Dei viui suorum iniurias deorum vlcisci cogitabat; & per dies semper tribus vicibus, suo more, mittebat sortes, & numquam damnatorum sors, Deo vero defendente suos, super seruum Dei vel aliquem ex suis cadere potuit, nec nisi vnus tantum ex socijs sorte monstratus, & martyrio coronatus est.] Quod dicit de sorte auctor, scias in more fuisse apud eos, neminem neci tradere, nisi prius eum sors indicasset, vt quæ dicturi sumus ostendent. Hæc de rebus gestis in ea insula: vbi cognita Regis Radbodi duritia animi, inde in eum (secundum illud Euangelij) excusso e pede puluere recedens, ad Pipinum (vt idem testatur auctor) reuersus est. reliqua autem quæ de eodem sancto viro narrantur, post Pipini obitum contigerunt.

RADBODVS REX QVID IN CLEMENTEM.

E Post reditum Clementis collectam fuisse Synodum Traiectensem, & ex ea alios in diuersas regiones missos Euangelij prædicatores, Marcellinus testatur, qui simul relegens in vnum omnes qui antea & postea missi sunt, ista habet memoria digna[b]: Deinde animaduertentes præfati sancti Pontifices *Vuillebrordus & Suuibertus*, & egregij prædicatores, qui cum eis ex Anglia venerunt Traiectum, quod multus populus, Deo prosperante, ab infidelitatis errore ad Christum conuersus esset, conuocata Synodo in nouella Ecclesia Traiectensi, decreuerunt more Apostolorum & discipulorum Christi in diuersas circūiacentes barbaricas nationes præstantiores prædicatores dimittere ad prædicandum ipsis fidem Christi.] qui vero eidem Synodo interfuerint, ita idem auctor narrat: Erant autem eo tempore in eadem primitiua Ecclesia Traiectensi Apostolici Pontifices & canonici egregij prædicatores, qui sanctum Suuibertum Episcopum cum sanctis Euualdis sequentes, constanter Christum gentibus prædicauerunt: vtpote S. Vuinfridus sacerdos,

SYNODVS TRAIECTENSIS.

[b] *Marcellin. in Suuibert. c. 14.*

qui postquam tredecim annos in Ecclesia Traiectensi vt canonicus degisset, Archiepi- A
scopus Moguntinensis consecratur, & Bonifacius appellatur: qui post obitum sancti Vuillebrordi Traiectensis Episcopi rediens, secundus Archiepiscopus Traiectensis ordinatur. Qui postquam decem & sex annis per Frisiam prædicasset, martyrio in Frisia coronatur cum suis, similiter sanctus Vuiro Episcopus Deirorum, sanctus Plechelmus Episcopus de Massa candida, vel secundum Bedam, Candida casa, sanctus Othgerus Leuita cum pleriſque alijs glorioſis ſacerdotibus & prædicatoribus.

Cui ſanctæ Synodo præfuerunt ſancti Vuillebrordus & Suuibertus Antiſtites conſtantiores. In qua concluſum & definitum fuit, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent verbum Dei.] Quem vero omnes, qui ex Anglia profecti olim & modo ex Synodo miſſi ſunt, fuerint finem conſecuti, idem auctor ſummatim perſtringens ſic

VIRI APOSTOLICI QVEM FINEM CONSECVTI. narrat: Igitur ſanctus Acca (vt eſt ante dictum) cum ſancto Suuiberto in Angliam re- B
diens, a ſancto Vuilfrido Epiſcopo Auguſtaldenſis Eccleſiæ Epiſcopus conſecratus, poſt ſanctiſſimam vitam ibidem in Domino quieuit. Sanctus Vuigbertus in Foſtelant martyrio coronatus fuit, vt prædictum eſt. Sanctus Vuillibaldus Orientalem Franciam adiens, Aureatenſis ſiue Eiſtatenſis Epiſcopus effectus eſt. Sanctus Vuinibaldus, frater eius, Heyndelamenſis Abbas eſt ordinatus: Quorum germana fuit Vualburgis virgo. Lebuinus, *ſiue Leuinus*, Pontificatum adeptus, martyrio prope Gandauum coronatur. Duo quidem ſancti Euualdi Nabiam introeuntes, Chriſtum prædicando confeſſi ſunt: qui abinde aſcendentes in Saxoniam, glorioſo martyrio coronati ſunt. Sanctus Vuerenfridus presbyter & egregius prædicator, verſus Batuam miſſus, nouellum Chriſti populum in Elſt, & Vueſteruuoirt, & in finibus illis feliciter rexit: & infinitis clarificatus miraculis tam in vita, quam in morte, Idibus Septembris apud Vueſteruuoirt ſpiritum Creatori red- C
dens, miraculoſe in Elſt tumulatur. Sanctus Adelbertus Leuita, filius Edilbaldi Regis Deirorum, filij ſancti Oſuualdi Regis & martyris, in Egmonda in Hollandia oratorium conſtruens, poſt multorum Paganorum conuerſionem, & laudabilem ſanctæ vitæ ſuæ conſummationem, multis miraculis clarus, ſeptimo Kalend. Iulij felici fine requieuit in Chriſto, ſepultus in Egmonda, vbi vſque in hodiernum diem claret infinitis miraculis. Is eximius confeſſor, primus Archidiaconus Eccleſiæ Traiectenſis fuit.] hæc de his auctor, qui de ſe ipſo ſubdit:

MARCELLINI APOSTOLATVS. Et ego Marcellinus presbyter inutilis, a præfatis Pontificibus miſſus ad partes Tranſi-
ſelanas, locum Aldenſeel, Trentam, & Tuuentam, & Couordiam, ac Dauentriam rego, & Dei prouidentia totum ferme populum Chriſto prædicando lucratus ſum, & purgaui a cultu idololatriæ. Permanſitq. ſanctus Vuillebrordus in dioeceſi ſua Traiectenſi, feruenter D
prædicando Euangelium Chriſti cunctis gentibus: ceteri vero hac illacq. diſperſi propter verbum Dei, poſt conuerſionem multorum Paganorum, ſalubri fine in Chriſto quieuerunt.] hucuſque Marcellinus, in vnum breuiter iungens ſanctos illos omnes, qui velut ex alueari vno in diuerſas prouincias profecti, multiplices Eccleſias fundauere: ſed de aliquibus ex his inferius ſuis locis fuſius dicendum erit.

IESV CHRISTI ANNVS 698. SERGII PAP. ANNVS 11. TIBERII ABSIMARI IMP. ANNVS 2.

SExcenteſimus ac nonageſimusoctauus Redemptoris annus adeſt vndecima Indictione E
notatus, idemq. illuſtratus martyrio viri ſanctiſſimi Lamberti Tungrenſis Epiſcopi, Taxandriæ Apoſtoli nuncupati [a], cum in Epiſcopatu annum ageret quadrageſimum. Extant eius Acta a Stephano Epiſcopo Leodienſi ſcripta ad Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem; in quibus tamen multa deſiderantur, vt (quæ in primis ponenda erat) quæ præceſſit ab eo facta obiurgatio Pipino de Herſtallo ob pellicem introductam; quod abſque controuerſia omnes tum veteres, tum recentiores hiſtorici affirmarunt: ex quibus melius eiuſdem ſancti vita atque martyrium ſimul in vnum collecta ſcribantur. Tantum potuit adulatio, vt ne tanta Pipinus ignominia notaretur, qui egregijs factis adeo celebris haberetur, fuerit prætermiſſa Lamberti cauſa martyrij. Non ſic nos docuit ſancta diuinitus inſpirata Scriptura, quæ nec ſanctorum peccata tacuit, cum eorum virtutes egregie prædicarit: vt inter alia in libris Regum de Dauide factum legimus, cuius non ſolum

[a] *Sigeb. in Chro. hoc an. Molan. in Natal. SS. Belg. die 17. Septembr.*

S. LAMBERTI MARTYRIVM.

virtu-

A virtutes, sed & adulterium & homicidium satis exacte descripta leguntur.

Quod in primis ad titulum Apostolatus spectat, Taxandriæ idem Lambertus Apostolus nominatur, eo quod populum illum ad idola colenda conuersum vir sanctissimus sua prædicatione post plurimos labores & angustias ad Christianam religionem suscipiendam tandem perduxit: ex quo euenit vt Taxandriæ populi vsque ad nouos erectos Episcopatus fuerint subiecti Ecclesiæ Leodiensi. His igitur de Apostolatus titulo præmissis, de eius martyrio, quod hoc anno accidit, modo dicendum ex antiquioribus monumentis, quibus ista narrantur [a]: Pipinus princeps, cetera egregius, vno malo tam multa bona corrumpebat, contempta legitima vxore, Alpaidi pellici nimium addictus. De eo sane hic auctor testatur, cum nihil ad gloriam, nihil ad potentiam vel felicitatem ei deesset, numquam eius industria fortunam fuisse superiorem. Et tamen cum multis es-
B set auctus victorijs, se ipsum vincere non potuit, molli libidinis telo prostratus. Id vero ceteris fere Episcopis dissimulantibus, Lambertus præ zelo domus Dei ferre non sustinens, opportune & importune arguebat principem: qui si vt in ceteris, ita & in hoc libenter audisset recta monentem Episcopum, rectius consuluisset sibi.

LAMBERTVS TAXANDRIAE APOSTOLVS.

a *Extant apud Sur. velut Appendix ad vitam a Stephano scriptam die 17. Septembr.*

At illa maligna mulier, molestе ferens Pipinum a sui amore reuocari, Dodonem fratrem suum Pipino familiarem, genere & opibus præstantem, hortatur, vti ne sinat Lambertum tantum posse apud Pipinum, vt cogatur ipsa ab eo recedere in dedecus natalium suorum. Ille vero agit cum suis, datq. operam, vt Episcopi conatus impediat. Sed videns eum perstare in sententia, nec contra iustitiam cuiusquam faciem vereri, amicis quibusdam sororis vltionem permittit. Ex ijs Gallus & Rioldus cum omnibus suis valde cœperunt vexare Episcopi familiam, nullum calumniæ aut molestiæ genus prætermittentes, vt vel sic Epi-
C scopus suorum causa cessaret molestus esse Pipino propter Alpaidem. Sed vir iustus, vt leo confidens, iustitiæ patrocinium nulla ratione deseruit. Tandem improbi illi ab Episcopi cognatis cæsi sunt, molestissime id ferente Dodone, & causam cædis in sanctum conferente.

QVID MOLITVR PELLEX IN S. LAMBERTVM.

Per id tempus Pipinus princeps in Iopiliam villam aduenit. Venit etiam eo vir sanctus, ab eo tamquam pro regni tractandis negotijs euocatus. Ibi tum & Pipinus & pellex animos iratos vultu sereno tegunt, alij iram dissimulant, alij lætitiam simulant, plerique pro suo quisque arbitratu in varias se formas transmutant. Valde autem pellex in id incumbebat, vt per aliquem posset Episcopi animum sibi conciliare, vt vel in præsentiarum abstineret a principis reprehensione. Apparatur conuiuium, Episcopus inuitatur, lætantur
LAMBERTVS PRAE CETERIS HONORATVR.
aulici omnes. Princeps oblatum sibi a pincerna poculum innuit Episcopo offerendum, benedictionis loco habiturus, si a consecrata manu ipse poculum acciperet, quod Maxi-
D mum Imperatorem olim nouerat expectasse a beatissimo Martino Episcopo. Et Episcopus illud quidem Pipino tradidit. Cuius principis reliqui proceres secuti exemplum, optabant a sancta Episcopi manu sibi poculum porrigi.

Cunctis igitur certatim id expetentibus, & confuse sese ingerentibus, vt alij alios anteuertant, ipsa quoque pellex clam suam inserit manum, vt vel sic possit ex sancti viri manu poculum accipere. Sed ille feminæ insidias deuitans, & ad principem conuersus, de mulieris temeritate conqueritur, quod calliditate quadam conetur notam ipsi inurere inuisæ Deo communionis. Surgensq. a mensa, ab aula vult recedere, & omnis illa conuiuij iucunditas perturbatur. Nec sic tamen quieuit versutia mulieris: sed vesperi volenti recedere Episcopo mandat princeps, illa suggerente, ne insalutata sua coniuge recedat. At Episcopus magna animi constantia: Ego vero, inquit, o princeps, testor Iesum spem vitæ
E meæ, me numquam adulteræ communicaturum, prohibente Apostolo [b], ne commisceamur fornicarijs. Te vero illi communicare valde doleo, te nolle resipiscere molestе fero, & timeo sane impendere tibi iram Dei.

EXECRATVR PELLICEM PIPINI LAMBERTVS.

b *1. Cor. 5.*

Cernens ergo pellex, si diutius viuat Lambertus, timendum sibi esse, ne a Pipino separetur, omnia Dodoni significat, & oleum camino addens, obtestatur eum, vt ocyus eum tollat e medio. Ita ergo & cognatorum cædem & sororis discrimen vlturus Dodo, totum se accingit ad perdendum sanctum Episcopum, qui iam præsciebat necem suam. Deinde perpetratum est illud immane parricidium, quemadmodum superior historia continet] nimirum quod asciti sibi Dodo viris scelestissimis & audacissimis, in villa Legia adortus est sanctissimum virum orantem, & per modum crucis manibus in cælum expansis ante sacrosanctum altare beatorum martyrum Cosmæ & Damiani manentem; quem impie atque crudeliter lancea perforantes interemerunt, atque cum ipso simul cognatos eius

S. LAMBERTVS CVM SVIS OCCIDITVR.

Petrum

Petrum & Adoletium: quod fieri contigit hoc anno, decimaseptima die mensis Septembris. Sed quæ præterea sit secuta vltio diuina Dodonem ac socios nefandi sceleris, accipe[a]: A

[a] *In Appendic. apud Surium 27. Septembr.*

VLTIO DIVINA IN SACRILEGOS.

Apparuit Lambertus nocte Amalgisilo thesaurario, & blande eum compellans: Romam, inquit, iuimus: Roma redimus, visitaturi Dodonem & complices eius. Sanguis enim innocentum, qui mecum pro Christo effusus est, a Deo vindictam expetit. His dictis, euanuit. Veram autem fuisse visionem, res ipsa declarauit: Dodonis enim viscera omnia statim computruere, eaq. mire fœtentia per os reiecit: ac tandem propter nimiam fœtoris intolerantiam corpus eius in Mosam proiectum est, vermibus & tabe corruptum. Qui autem sanctum Episcopum interfecerat telo suo, cum fratre suo congressus, illum occidit, & pariter ab illo peremptus est. Denique intra anni spatium vix quisquam euasit ex ijs, qui eius cædis participes fuerant: si qui vero superfuere, illi adeo aut sensibus, aut censu & rebus destituti sunt, vt illos felices ducerent, qui celeri morte absumpti fuerant.] B sequenti anno contigisse Dodonis & sociorum vindictam, Sigebertus affirmat. Addit his Molanus: Sacrilegus vero Dodo æternæ damnationis incurrit interitum, tum etiam posteritati suæ tanti facinoris iugem pœnam & indeficiens opprobrium vsque hodie reliquit. Vnde Vuandalbertus scribit:

Factio quem cæsum semper tremebunda paueſcit.]

QVAE PATIANTVR PELLICES OMNES A S. LAMBERTO.

Quæ autem vindicta secuta sit impiam Alpaidem, haud scriptis proditum est: sed non illæsam præterisse, vel ex eo æstimare licet, quod etiam ea de causa in pellices omnes ostensa sit martyris accensa vindicta: nã vbi supra hæc leguntur: Interim mirum quiddam cernere licebat (quemadmodum a maioribus accepimus) cunctis sine repulsa ad osculandũ martyris corpus admissis, si qua pellex accederet, quasi turbine quodam exagitatam retrocedere compelli. Apparebat inde, quam inuisa Deo & sancto martyri esset illa pellex detestabilis.] hæc ibi. Quæ autem sint ad sepulchrum eius facta miracula, ijdẽ qui supra enarrant. Quod vero ad Pipinum pertinet, vehementi fuit exagitatus ob viri sanctissimi necem dolore, nec eo liber vsque ad obitum, vt Marcellinus est auctor[b], quo etiam auctore constat miserum cum pellice ad obitum vsque perseuerasse: genuerat enim illa Carolum Martellum, quem & successorem reliquit heredem. sed de his suo loco dicendum. C

[b] *Marcellin. in Sunilberto c.25.*

S. BEGGAE ET S. BERTINI TRANSITVS.

Hoc eodem anno Beggam matrem Pipini sanctitate claram ad Dominum transisse, auctor est Sigebertus in Chronico: sequenti vero anno eodem auctore liquet ipsum Pipinum orbatum fuisse filio Drogone Duce Campanienſium. Sanctum quoque Bertinum Abbatem hoc pariter anno constat ex hac vita migrasse: extant præclaræ eius res gestæ a Folchardo conscriptæ[c], de quo etiam plura leguntur in vita S. Audomari Episcopi. Sed inuisamus tandem res Italiæ. D

[c] *Apud Sur. die 5. Septembr.*

[d] *Sigeb. hoc anno, & Bed. de sex ætat. hoc tempore.*

[e] *Paul. diacon. lib. 5 c. 14.*

SYNODVS AQVILEIENSIS.

Eodem anno[d] celebrata reperitur Synodus Aquileiensis, de qua Paulus diaconus[e]: Hoc tempore, inquit, Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei Quintum vniuersale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati Sergij Papæ monitis instructa & ipsa cum ceteris Christi Ecclesijs annuere consensit.] hæc Paulus. Ceterum longe ante hoc tempus resipuisse liquet Ecclesiam Aquileiensem ab antiquo schismate causa Quintæ Synodi orto ob Tria illa capitula: etenim eiusdem Aquileiensis Ecclesiæ Episcopus, Agatho nomine, interfuisse & subscripsisse reperitur Synodo Romæ factæ ab Agathone Romano Pontifice, vt eiusdem Synodi Acta testantur. Quamobrem eamdem Ecclesiam iterum in errorem lapsam, dicere opus est, perfecte vero a Sergio Romano Pontifice esse curatam. Longus morbus olim sancti Gregorij Papæ medicina impertita curatus, iterum erupit in vlcus ipso viuente; sed rursum sanatus languor, rursus inualuit, donec diuina E gratia per sanctissimum Pontificem Sergium penitus est curatus.

INGENS SARRACENORVM CAEDES.

Quod spectat ad res Orientalis Imperij, Græcorum id habent Annales[f]: Anno secundo Imperij Absimari, Romani Syriam peragrantes, & venientes vsque Samosatam, & deprædantes circumquaque regionem, multa occiderunt millia barbarorum: tradunt nonnulli, ducenta millia cæsa esse: onustiq. spolijs, magno relicto hostibus timore, ad propria sunt reuersi.] Mirum auditu, quantum gens Sarracenorum fuerit his temporibus numerosa, vtpote quæ Armeniam, Persidem, Palæstinam, Aegyptum impleret, & Libyam, Africamq. vniuersam penitus occuparet, insulasq. complures, atque iam iam in Europam sese infundere præpararet. Sic quidem quantumlibet eorumdem multiplices cædes fierent, nullam visi sunt diminutionem sensisse, nec contineri potuisse quin illaberentur in exteras regiones.

[f] *Theophan. & Cedren. hoc an.*

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

A IESV CHRISTI ANNVS 693. SERGII PAP. ANNVS 12. TIBERII ABSIMARI IMP. ANNVS 3.

QVi sequitur annus sexcentesimus nonagesimusnonus, Indictione vndecima numeratur: quo Sergius Papa, diuina præuia admonitione [a], consecrauit sanctum Hubertum Leodiensem Episcopum, dignum sancti Lamberti martyris successorem: fuit ipse quidem nobilis genere, vtpote filius Bertrandi Aquitaniæ Ducis, qui propter Ebroini tyrannidem confugerat ad Pipinum. Hic igitur inter alia monumenta, quibus suam Ecclesiam illustrauit, illud quidem edidit haud mediocris gloriæ & vtilitatis, quo posteris
B omnibus bene voluit esse consultum, ne fidem Catholicam, quam purissimo e latice haustam bibissent, aliquando, nouatoribus suadentibus, permutarent. Quo igitur sibi subditos in Catholicæ fidei obseruantia, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia, a qua sanctum Euangelium accepissent, cultu perpetuo firmiter contineret, & posteros eodem vinculo obligaret, tradidit publicum sigillum vrbi sancti Lamberti martyris imagine sculptum, atque huiusmodi inscriptione notatum: SANCTA LEGIA ROMANAE ECCLESIAE FILIA.] ita ex Placentio Molanus reddit. Extant sancti huius vitæ Acta, quibus insignes ipsius virtutes & in edendis miraculis immensa gratia prædicantur. Contulit ipse his quoque temporibus in aream Dominicam de prædicatione ad gentes manipulos vberes, ex Brabantiæ populo tunc infideli collectos.

[a] *Molan. in Indic. SS. Belg. & in Natal. eorundem die 3. Nouembr.*

SERGIVS PAPA CONSECRAT HVBERTVM EPISC.

Quibus etiam temporibus contigit ex frequenti commercio venientium ex Anglia Ro-
C mam ad limina Apostolorum, innotuisse sancto Sergio Papæ sanctum Althelmum * Schireburgensem, quem eius virtutibus captus in Vrbem vocauerit: de quo legitur, liberasse diuina virtute ipsum Sergium Papam magna calumnia circumuentum: verum quod nusquā alibi de re tanta mentio habeatur, haud satis tuta est fides auctoris. Tu, lector, audies, & pro animi sententia ea accipe. Quomodo autem id acciderit, breuiter in eius vitæ Actis ita describitur [b]: Interim creuit fama eius multis præconijs illustrata, vltraq. mare se transferens, & ipsas etiam Alpes excedens, Romam vsque perlata est. Ea vero incitatus Sergius Romanus Pontifex, scriptis eum ad se acciuit, venientemq. honorifice suscepit.] & paulo inferius: Per idem tempus puer quidam ex incestu genitus, Romani Pontificis famam nonnihil contaminauit, quod vulgus (vt fieri solet) sparso rumore vano, male persuasus, eum Pontificem habere patrem existimaret. Anxius igitur Althelmus, mul-
D tumq. dolens Pontificem, haud vulgari amicitia sibi deuinctum, eiusmodi infamia fœdari, puerum nonnisi nouem habentem dies exhiberi iubet, eiq. in virtute & nomine Iesu Christi imperat, vt edicat, num Sergius Pontifex eo se scelere obstrinxerit. Respondit infans absolutissimo sermone, Pontificem nequaquam illi crimini affinem esse, nihil illum cum femineo sexu commercij habere. Atque ita Althelmus & ab amico Pontifice depulit infamiam, & sibi gratiam cumulauit.] Porro recedentem ab Vrbe donatum eum dimissum esse a sancto Sergio Papa, & inter alia altari portatili, idem auctor affirmat, atque de eodem altari hæc narrat:

* Aldhelmum

[b] *Apud Surium 25. Maij.*

SERGIVS PAPA, CALVMNIAM PASSVS DIVINITVS LIBERATVR.

Iam ad Alpes peruenerat, & iumentum illud ferens altare ob itineris prærupta loca cecidit, contritumq. est iumentum, & altare in duas sciissum partes. Id vt vidit vir sanctus, ad Deum preces fudit, & cum benedictionem impertijsset, salus iumento reddita est, &
E marmor non directa linea, sed flexuoso anfractu diruptum, redintegratum est: sed ita tamen, vt in miraculi memoriam, etiamnum rupturæ eius vestigia appareant curiosius inspicienti.] hæc auctor. Porro de eodem sancto constantiora sunt quæ Beda [c] de ipso habet, qui cum præclaram de eo mentionem faciat, eiusq. Episcopatum referat anno Domini septingentesimo quinto contigisse, plane significatur, non Episcopum, sed presbyterum, siue diaconum eum Romam ad Sergium se conferre potuisse. Quomodo autem idem claruerit inter scriptores Ecclesiasticos egregia sui ingenij relinquens posteris monumenta, idem Beda sic ait:

ALTARIS TABVLA FRACTA INTEGRA REDDITA.

[c] *Beda de gest. Angl. lib. 5. c. 19.*

Denique Althelmus * cum esset adhuc presbyter & Abbas monasterij, quod Maildui vrbem nominant, scripsit iubente Synodo suæ gentis librum egregium aduersus errorem Britonum, quo vel Pascha non suo tempore celebrant, vel alia perplura Ecclesiasticæ castitati & paci contraria gerunt: multosq. eorum, qui Occidentalibus Saxonibus subditi

* Aldhelmus

ALTHELMI SCRIPTORVM MONVMENTA.

erant

erant Britones, ad Catholicam Dominici Paschæ celebrationem huius lectione perduxit. A
Scripsit & de virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulij geminato opere & versibus hexametris & prosa composuit. Scripsit & alia nonnulla, vtpote vir vndecumque doctissimus: nam & sermone nitidus, & scripturarum (vt dixi) tam liberalium quam Ecclesiasticarum erat eruditione mirandus.] hucusque Beda.

PRO CANONICO PASCHATE RESTITVENDO LABORATVM. *a Bedæ lib. 5. c. 16.*

Extat eiusdem auctoris de virginitate soluta oratione tractatio. Quod vero ad librum spectat de Paschate scriptum aduersus Britonum errorem, tempus hoc id postulabat, vt qui in ijs regionibus pollerêt ingenio, illud exercerent in euellendis pro cultura agri Dominici vepribus inolitæ in eo errore consuetudinis. Cuius rei causa, eo tempore (inquit Beda [a]) plurima pars Scotorum in Hibernia, & nonnulla etiam de Britonibus in Britannia, rationabile & Ecclesiasticum Paschalis obseruantiæ tempus, Domino donante, suscepit. Siquidem Adamnanus presbyter & Abbas monachorũ qui erant in insula Hij, cum lega- B
tionis gratia missus à sua gente venisset ad Alfridum Regem Anglorum, & aliquandiu in ea prouincia moratus videret ritus Ecclesiæ canonicos, & a pluribus qui erant eruditiores, esset solerter admonitus, ne contra vniuersalem Ecclesiæ morem, vel in obseruantia Paschali, vel in alijs quibusque decretis cum suis pauciſſimis & in extremo mundi angulo positis viuere præsumeret, mutatus mente est: ita vt ea quæ viderat & audierat in Ecclesijs Anglorum, suæ suorumq. consuetudini libentissime præferret. Erat enim vir bonus & sapiens, & scientia scripturarum nobilissime instructus. Qui cum domum redijsset, curauit suos qui erant in Hij, quive eidem erant subditi monasterio, ad eum quem cognouerat, quemq. ipse ex toto corde susceperat, veritatis callem perducere, nec valuit. Nauigauit itaque in Hiberniam, & prædicans eis ac modesta exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum, & pene omnes qui ab Hijentium erant dominio C
liberi, ab errore correctos, ad vnitatem reduxit Catholicam, ac legitimum Paschæ tempus obseruare perdocuit.] Verum Hijensium conuersionem ad obseruationem legitimi Paschatis factam esse per sanctum Ecgbertum post annos decem ac septem, nempe septingentesimo decimosexto, idem auctor est Beda [b], nosq. de ea suo loco dicemus.

b Bed. lib. 5. c. 23.

Porro hoc & sequenti anno Pictos populos eodem errore detentos, per Ceolfridum Abbatem eo esse liberatos, idem affirmat Beda, qui rem gestam memoria dignam ita describit [c]: Eo tempore Naitanus Rex Pictorum, qui Septentrionales Britanniæ plagas inhabitant, admonitus Ecclesiasticarum frequenti meditatione scripturarum, abrenunciauit errori, quo eatenus in obseruatione Paschæ cum sua gente tenebatur: & se suosq. omnes ad Catholicam obseruantiam Dominicæ resurrectionis tempus celebrandi perduxit. Quod vt facilius & maiori auctoritate perficeret, quæsiuit auxilium de gente Anglorum, D
quos iamdudum ad exemplum sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ suam religionem instituisse cognouit. Siquidem misit legatarios * ad virum venerabilem Ceolfridum Abbatem monasterij beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad ostium Vuyri amnis, & iuxta amnem Tinam, in loco qui vocatur Ingriuum, cui ipse post Benedictum (de quo supra diximus) glorioſissime præfuit, postulans vt exhortatorias sibi litteras mitteret, quibus potentius confutare posset eos, qui Pascha non suo tempore obseruare præsumerent: simul & de tonsuræ modo, vel ratione, qua clericos insigniri deceret: excepto quod etiam ipse in his non parua ex parte esset imbutus.

c Bed. lib. 5. c. 22.

NAITANVS REX PICTORVM CORRIGIT ERROREM DE PASCHATE ATQVE TONSVRA.

* legatos

ROMANO MORE REX CVPIT CVNCTA PERAGI.

Et architectos sibi mitti petijt, qui iuxta morem Romanorum ecclesiam de lapide in gente ipsius facerent, promittens hanc in honorem beati Apostolorum Principis dedicandam: se quoque ipsum cum suis omnibus morem sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ E
semper imitaturum, in quantum dumtaxat tam longe a Romanorum loquela & natione segregati hunc edisscere possent. Cuius religiosis votis ac precibus fauens reuerendissimus Abbas Ceolfridus, misit architectos quos petebat, & litteras scriptas in hunc modum:

CEOLFRIDI ABB. EPISTOLA.

Domino excellentissimo & glorioſissimo Regi Naitano, Ceolfridus Abbas in Domino salutem. Catholicam sancti Paschæ obseruantiam, &c.] prolixa satis epistola est, de his omnibus quæ cum Rex interrogauerat exactam doctrinam habens, in fine vero huiusmodi admonitionem continens: Sed & nunc tuam prudentiam, Rex, admoneo, vt ea quæ vnitati Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ concinunt, vna cum gente, cui te Rex Regum & Dominus dominorum præfecit, in omnibus seruare contendas. Sic enim fit, vt post acceptam temporalis regni potentiam ipse beatissimus Apostolorum Princeps cælestis quoque regni tibi tuisq. cum ceteris electis libens pandat introitum. Gratia te Regis

æterni

A æterni longiori tempore regnantem ad noſtram omniumq. pacem cuſtodiat incolumem, dilectiſſime in Chriſto fili.]

Quæ autem poſt hæc, ipſa accepta epiſtola, ſecuta ſint, idem Beda narrat his verbis: Hæc epiſtola cum præſente Rege Naitano, multisq. viris doctioribus eſſet lecta, ac diligenter ab his qui intelligere poterant, in linguam eius propriam interpretata, multum de eius exhortatione gauiſus eſſe perhibetur: ita vt ſurgens de medio optimatum ſuorum conſeſſu, genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quod tale munuſculum de terra Anglorum mereretur accipere. Et quidem & antea noui, inquit, quia hæc erat vera Paſchæ celebratio, ſed in tantum modo rationem huius temporis obſeruandam cognoſco, vt parum mihi omnino videar de his antea intellexiſſe. Vnde palam profiteor, vobisq. qui aſſidetis præſentibus proteſtor, quia hoc obſeruare tempus Paſchæ cũ vniuerſa mea gente
B perpetuo volo; & hanc accipere debere tonſuram, quam plenam eſſe rationis audiuimus, omnes qui in meo regno ſunt, clericos, decerno. Nec mora, quæ dixerat, regia auctoritate perfecit. Statim namque iuſſu publico mittebantur ad tranſcribendum, diſcendum, obſeruandum per vniuerſas Pictorum prouincias circuli Paſchæ decemnouennales, obliteratis per omnia erroneis octoginta & quatuor annorum circulis. Attondebantur omnes in coronam miniſtri altaris ac monachi: & quaſi nouo ſe diſcipulatui beatiſſimi Apoſtolorum principis Petri ſubditam, eiusq. tutandam patrocinio, gens correcta gaudebat.] hactenus de his Beda.

REX BENE CORRIGIT PRAVOS VSVS EX PRAESCRIPTO APOSTOLICAE SEDIS.

Sed reuertamur ad Adamnanum, quem diximus plurimum laboraſſe, vt ſuos ad Paſcha Catholicum celebrandum adduceret. Accidit opportuna oblata occaſione, vt ipſe de locis ſanctis, qui coluntur in Palæſtina, proficuum valde ſcripſerit commentarium, de quo
C iſta Beda[a]: Scripſit idem vir de locis ſanctis librum legentibus multum vtiliſſimum, cuius auctor erat docendo ac dictando Galliarum Epiſcopus Arcuulfus, qui locorum gratia ſanctorum venerat Hieroſolymam; & luſtrata omni terra repromiſſionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolim, Alexandriam, multasq. maris inſulas adierat, in patriamq. nauigio reuertens, vi tempeſtatis in Occidentalia Britanniæ litora delatus eſt: ac poſt multa ad memoratum Chriſti famulum Adamnanum perueniens, vbi doctus in ſcripturis, ſanctorumq. locorum gnarus eſſe compertus eſt, libentiſſime eſt ab illo ſuſceptus, libentius auditus: adeo vt quæque ille ſe in locis ſanctis memoratu digna vidiſſe teſtabatur, cuncta mox ille litteris mandare curauerit.

[a] *Bed. lib. 5. c. 16.*

ARCVVLFI EPISC. PEREGRINATIO AD LOCA SANCTA.

Fecitq. opus (vt dixi) multis vtile, & maxime illis qui longius ab eis locis, in quibus Patriarchæ & Apoſtoli erant, ſecreti, ea tantum de his quæ lectione didicerint, norunt.
D Porrexit autem librum hunc Adamnanus Alfrido Regi, ac per eius eſt largitionem etiam minoribus ad legendum contraditus. Scriptor quoque ipſe multis ab eo muneribus donatus, in patriam remiſſus eſt.] hæc Beda, qui eumdem commentarium in compendium redactum viginti diſtinctum capitibus poſtea edidit, extatq. hodie: id enim ipſe perorando teſtatur, & in hiſtoria Anglorum, vbi iſta habet[b]: Plura voluminis illius, ſi quem ſcire delectat, vel in ipſo illo volumine, *vel in eo*, quod de illo dudum ſtrictim excerpſimus, epitomate requirat.] Accidit namque Dei beneficio, vt Eccleſia Anglicana, ſicut rerum, ita & locorum ſanctorum ſcientia pariter imbueretur.

COMMENTARIVS DE LOCIS SANCTIS.

[b] *Beda lib. 5. c. 15.*

Sed & in his omnibus fidelium cognoſce vehementem ardorem in peregrinando ad loca ſancta: non enim timore Sarracenorum eamdem incolentium terram deterreri potuerunt, quin adeo periculoſam peregrinationem animo læto ſuſciperent, eaq. ſuſcepta, ſin-
E gula veluti ſumma pace loca quæſita luſtrarent. Sed & admirare nihil negotij accolis factum a Sarracenis, quamuis loca illa omni ipſis debita pietate colerent, multiplicitate luminum, ſacrificijs, atque reliquo omni cultu, quo antea ſummo otio maiores ea proſequi conſueuerant. Sed de his ſatis.

FREQVENS ET FERVENS PEREGRINATIO AD LOCA SANCTA.

IESV CHRISTI SERGII PAP. TIBERII ABSIMARI IMP.
ANNVS ANNVS ANNVS
700. 13. 4.

SEptingenteſimus a Domini natali adeſt annus, decimatertia Indictione inchoatus, exordium noui ſæculi, cuius antequam oſtium patens ingrediaris, ad emenſi itineris decurſi hoc tomo ſæculi conuerte oculos: attende animo, ac luſtra memoria, ſi quid inue-

neris

OMNI TEMPORE VNA EADEMQ. PERSEVERAVIT ECCLESIA.

A

deris in Ecclesia Catholica diminutum eorum; quæ in reliquis omnibus superioribus videris sæculis: positos namque ob oculos habeas singulos annos veluti totidem in pagina versus, alios alijs cohærentes, in quibus inspicias non alias, sed plane easdem quas in superioribus sæculis Ecclesiæ dotes & sacramenta, eamdem super vniuersam Ecclesiam Romani Pontificis potestatem, ijsdemq. in omnibus affluentem Ecclesiam charismatibus, quibus primum, secundum, tertium, & sic deinceps reliqua vsque in præsens visa sunt sæcula abundasse. Res ipsa id testatur, facta clamant, & mira consensione scripta sanctorum omnium prædicant, a regia numquam deflexisse sanctam Dei Catholicam Ecclesiam via, quæ sanctorum omnium martyrum & confessorum fuit attrita vestigijs; satisq. edocēt errasse, qui ab ea recedentes, in deuia declinarunt. Hæc autem dixisse voluimus, quod ter miseri Nouatores iactent, desciuisse hoc sæculo Romanam Ecclesiam a pristino instituto maiorum, licet alij id in alia reijciant tempora, pro mentis arbitrio

B

blaterantes: cum in his quæ ad fidem spectant, vnam eamdemq. sit in omnibus semper intueri Ecclesiam a Christi tempore vsque in præsentem diem, prout non solum connexi simul annis anni singuli docent, sed & dies ipsi, secundum propheticum illud [a]: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.] Sed ad anni præsentis res gestas veniamus.

a Psal. 18.

Qui posteris tradidit vitam sanctissimi viri Vulfranni Archiepiscopi Senonensis, Ionas monachus huius sæculi scriptor, quiq. a Frisiæ monacho fide digno eam accepit, de eiusdem sancti ad Frisios pariter conuertendos apostolatus tempore ista habet [b]: Venerabilis autem Præsul Vulfrannus, cum tenuisset Pontificatum Senonensis vrbis, cum licentia Regis Childeberti & Pipini principis ad prædicandum præfatæ Frisonum genti (sicuti diuinitus sibi fuerat reuelatum) animum conuertit, qui erat annus Dominicæ incarnationis

b Extant apud Sur. die 20. Martij tom. 2.

DES. VVLFRANNI AD FRISIOS APOSTOLATV.

C

septingentesimus, Pipini quoque principis annus decimustertius.] hæc de tempore. Sed quod de licentia Regis ac principis habet, id sic accipias secundum ea quæ haud pridem dicta sunt, opus fuisse huiusceemodi litteris ad barbaros, quibus inuitis Euangelium prædicabat, compescendos & in officio continendos. Quod vero ad eius pertinet apostolatum: cum ex Hibernia & Anglia (quos narrauimus) ad eiusdem gentis Frisiæ conuersionem properassent complures Apostolici viri, non leui videbantur affici probro Episcopi Gallicani, quod proximæ gentis neglexissent habere solicitudinem, quo abiecta idololatriæ impietate, veræ religionis particeps fieret. Ceterum etsi alios Galliarum Episcopos eiusmodi de Frisiorum conuersione cura non tetigit, nec stimulus excitauit: Senonensem tamen Episcopum Vulfrannum magnopere exagitauit, qui ex Fontanellæ claro cœnobio assumptis ad munus Apostolicum socijs, in Frisiam profectus est. de quibus iter arripien-

D

tibus ista Ionas:

Nec, inquit, silentio est prætereundum, quod diuina pietas per eumdem sanctum Pontificem operari dignata est. Plurima enim virtutum miracula in itinere, dum ad eam iret, & in eadem gente per eumdem fiebant: ex quibus vnum memoriæ tradere & posteris intimare, commodum duximus. *Denique fratres, qui eum familiariter nouerunt, & coram* quibus patratum est, dicere solent, & maxime vir reuerendissimus Vuando, tunc temporis diaconus & cooperator in verbo Dei eiusdem Præsulis, postea autem presbyter, & succedenti tempore eiusdem monasterij Fontanellensis Abbas, in quo educatus fuerat. Dum enim nauigaremus, inquit, in Frisiam, positis nobis in medio mari, quod adiacet regioni Morinorum, affuit hora, in qua sacrificium Deo victimæ salutaris immolandum erat. Tunc

IN NAVI MISSAE SACRIFICIVM CELEBRATVM.

positis anchoris, nauis immobilis permanebat. Et celebrante eodem sancto Pontifice Mis-

E

sarum solemnia, ventum est ad locum, vbi minister patenam Præsuli porrigere debuit: extensaq. manu, expectabat horam, qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mare cecidit: prostratusq. pedibus sancti Pontificis, humiliter veniam precabatur, dicens, quia dum eam abluere voluisset suis manibus, in maris elapsa profunda, ima petisset. Moxq. idem vir Dei flectens genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, precabatur eius clementiam, vt qui quondam coram patribus in mari rubro fecerat mirabilia, propitius suis adesset precibus. Finita vero oratione, imperat diacono, vt in eum in quem patena ceciderat locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo maris eadem patena diuinitus reuecta, eiusdem ministri manui inhæsit. Quod videntes nautæ, ceterig. nauis comites, Dominum cunctipotentem totis viscerum præcordijs collaudauerunt, qui per seruum suum tale dignatus est operari miraculum. Sicq. commixtionem corporis &

sangui-

A sanguinis idem sanctus Præsul faciens, nomenq. Saluatoris glorificans, sacrosancta Missarum solemnia compleuit.] hæc Vuando Abbas ad Ionam de his quæ ipse vidisset. ex quibus, præter insignis miraculi virtutem, intelligis, lector, non destitisse sanctos viros in mari etiam, cum tranquillitas esset, religata anchoris naui, celebrare ibi sacrosanctum sacrificium Missæ Deo maxime gratum, quod ipse tanti editione miraculi patefecit. Sed quæ his memoria perenni digna idem subijciat Ionas, audiamus:

Aliud quoque eiusdem patris memorabile miraculum, sicut ab eis didicimus, coram quibus factum est, ob ædificationem posterorum narrare cur pigeat? Prædicante enim illo & docente prædictum populum Frisonum, contigit quadam die puerum quemdam ex ipsa gente Frisonum ortum, dijs immolandum duci ad laqueum. Orabat autem sanctus Pontifex incredulum Ducem, vt huius pueri sibi vitam donaret, nec hominem ad imagi- B nem Dei factum, sacrificium execrabile dæmonibus immolaret. Vocabatur autem idem puer Ouo. Respondebat autem Dux patrio sermone, decretum esse lege perenni olim a prædecessoribus suis, omniq. Frisonum gente, vt quemcumque sors elegisset, in eorum solemnijs dijs offerendum sine mora. At vero sanctus Præsul dum persisteret in precibus, & præfatus populi princeps eius dignæ petitioni satisfacere vellet, animosi Gentiles, zelo vani erroris deuicti, sicut scriptum est: Zelus apprehendit populum ineruditum: vnanimes frustrabant eius precem, dicentes: Si tuus Christus de tormento mortis eum eripuerit, sit tuus, eiusq. æuo perenni seruus. Ad hæc sanctus Pontifex: Non hominum, inquit, in hoc facto, sed Domini Christi fiat voluntas. Appenditur denique puer in patibulo, aspicientibus Christianorum simulq. Gentilium turmis, per duarum fere spatium horarum. Extemploq. sacerdos Domini pro salute & vita non solum illius, qui in tormento C erat mortis constitutus, verum etiam pro obcæcato populo, qui Satanæ vinculis irretitus erat, flectens genua, hanc ad Dominum fudit orationem: Deus inuisibilis, immortalis & æterne, exorabilis tuis esto supplicibus: & sicut quondam Danielem liberasti de lacu leonum, ita hunc puerum de faucibus eripe illius sæui leonis, qui circumiens quærit quem deuoret: vt de illius duplici saluatione populus hic incredulus, deposita sorde idolatriæ, ad veritatis conuertatur agnitionem, & per cunctas generationes nomen tuum benedicatur in sæcula.

DE PVERO DIVINITVS LIBERATO.

Hac completa oratione, illico disrupa sunt vincula, quibus semiuiui pueri guttur illigatum fuerat: sicq. illæsus in terram ruit. Videbatur autem illi (vt post ipse narrabat) quasi sopore graui teneretur oppressus, sanctiq. Pontificis zona pectore circumligatus, subleuaretur omnis eius corporis status. Apprehensaq. eius manu, Pontifex sanctus ait: D In nomine Domini Iesu Christi exurge concite sanus. Quo dicto, illico incolumis surrexit, nullum illatæ sibi pœnæ sentiens dolorem: atque ex hoc facto plurima Frisonum multitudo conuersa est ad Dominum: credebantq. & baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Prædictus autem Ouo, lauacri salutaris vnda perfusus, atque a præfato Pontifice Fontanellam perductus, litterisq. sacris eruditus, postea diaconus consecratus, deinde sequenti tempore a venerando Pontifice Reginaldo vrbis Rothomagensis presbyter ordinatur. Et quia erat in arte scriptoria eruditus, plurimos codices in prædicto scripsit monasterio, sed & testamenta & largitiones fidelium plurimas, quas ipsi loco felici munere conferebant. Ibiq. magno confectus senio, sub Ostrulphi Abbatis tempore vitam Deo digna conuersatione terminauit, magistri & domini sui Vulfranni sacerdotis eximij imitando vestigia.] hæc Ionas, qui in præfatione eius lucubrationis, ab eodem Ouo, E quæ scribit, se etiam accepisse testatur: qui & subijcit de alijs miseris æque sorte delectis, & dæmonum sacrificio condemnatis, a sancto Pontifice pariter virtute signorum ereptis, & redditis Christianis. tu ea leges apud eumdem (si libet) auctorem.

FRISONVM PLVRIMORVM CONVERSIO.

His & alijs admirandis, Apostolisq. dignis miraculis adeo veritas Christianæ religionis innotuit, vt libere prædicandi, & qui vellent esse, Christianos fieri licentiam Dux ille Radbodus impenderit: adeo vt & filius eius id petens fuerit a sancto Pontifice consecutus: ipse vero Dux quomodo cum ad limen fuerit, ac pene ingressus Ecclesiam daturus Christo nomen resilijt, misereq. diem clausit extremum, suo loco dicturi sumus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IESV CHRISTI ANNVS 701. | SERGII PAP. ANNVS 14. | TIBERII ABSIMARI IMP. ANNVS 5. A

SERGII PAPAE OBITVS.

SEquitur annus Redemptoris septingentesimus primus, Indictione decimaquarta: quo (vt Romanum habet Martyrologium) quinto Idus Septembris, inchoata iam eodem mense Indictione decimaquinta, sanctus Sergius Papa moritur, cum sedisset annos tredecim, menses octo, & dies quatuordecim. hæc ex Anastasio & Romano Martyrologio. De cuius rebus gestis, præter illa quæ dicta sunt, his adijciamus ea, quæ cum ad eumdem Sergium spectent, tamen quod nulla temporis nota signata reperiantur, certo eiusdem Pontificis anno minime consignare licuit: quamobrem hic in fine vitæ eius, ex more, ponamus. B
Extat eiusdem Pontificis epistola ad Ceolfridum seu Celfridum Abbatem in Anglia eius monasterij, in quo a teneris annis Beda coaluerat, creueratq. in virum perfectum sanctitate & doctrina insignem: qua idem Pontifex ipsum Bedam ad se mitti postulat. epistola autem ipsa sic se habet:

SERGII PAPAE EPISTOLA AD CEOLFRIDVM.

Sergius Episcopus seruus seruorum Dei Ceolfrido religioso Abbati salutem.
Quibus verbis ac modis clementiam Dei nostri atque inenarrabilem prouidentiam possumus affari, vt dignas gratiarum actiones pro immensis circa nos eius beneficijs persoluere, qui in tenebris & vmbra mortis positos ad lumen scientiæ perducit. *& infra*: Benedictionis interea gratiam, quam nobis per præsentem portitorem tua misit deuota religio, libenti & hilari animo, sicut ab ea directa est, nos suscepisse, cognosce. Opportunis ergo ac diuinis amplectendæ solicitudinis tuæ petitionibus arctissima deuotione fauentes, hortamur Deo dilectam religiositatis tuæ bonitatem, vt quia exortis quibusdam Ecclesiasticarum causarum capitulis non sui examinatione longius innotescendis, opus nobis sunt ad conferendum arte litteraturæ imbuti: sicut decet deuotum auxiliatorem sanctæ matris vniuersalis Ecclesiæ, obedientem deuotionem huic nostræ exhortationi non desistas accommodare: sed absque aliqua immoratione religiosum Dei famulum Bedam venerabilis monasterij tui presbyterum ad limina Apostolorum principum dominorum meorum Petri & Pauli, amorum tuorum ac protectorum, ad nostræ mediocritatis conspectum non moreris dirigere: quem, fauente Domino sanctis tuis precibus, non diffidas prospere ad te redire, peracta præmissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata solemnitate. Erit enim (vt confidimus) etiam cunctis tibi creditis profuturum, quicquid Ecclesiæ generali claruerit per eius præstantiam impertitum.] hucusque ex epistola Sergij auctor, qui post Bedam prosecutus est res gestas Anglorum. C D

BEDAE COMMENDATVR MODESTIA.

In quo quidem habes quod commendes ipsius Bedæ modestiam, qui cum sæpe eiusdem Sergij Papæ meminerit, numquam se ab eo vocatum litteris tradit, silentio pressa relinquens, quæ ad laudē suam spectare posse viderentur. *Missus ne fuerit Romam Beda*, vt Sergius Papa petijt, & hoc ignoratur: sed potius non iuisse putamus: nam ea quæ ad historiam Anglicanam texendā ipsi opus erant ex *Ecclesiæ* Romanæ archiuis petere, non a se inde allata, sed opera Nothelmi, qui sub Gregorio Papa Secundo Romam venit, se accepisse testatur in epistola nuncupatoria ad Ceolulphum Regem, posita in fronte eiusdem a se conscriptæ historiæ.

LITANIAE IN FESTA DIE PVRIFICATIONIS.

Pertinet ad res gestas eiusdē Sergij Papæ, quod Albinus Flaccus habet his verbis, cum agit de Purificatione S. Mariæ [a]: De hac festiuitate & festiuitatibus sanctæ Mariæ in gestis Pontificalibus legitur, quod Sergius Papa præceperit litanias fieri in die Præsentationis Domini in templo: ita enim scriptum est: Vt in die Annunciationis Domini, Dormitionis, ac Natiuitatis sanctæ Dei genitricis Mariæ, & S. Simeonis, quæ ὑπάντη dicitur Græce, cum litanijs exeant a S. Hadriano, & ad sanctam Mariam populus occurrat, &c.] E

a Albin. Flac. de diuin. offic.

MONIMENTA PLVRIMA PAPAE SERGII.

Rursum vero quod ad eiusdem Sergij res gestas attinet, ex Anastasio ista depromimus: Hic beatissimus vir in sacrario beati Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo iacentem, & ex nigredine transactæ annositatis nec si argentea esset apparentem, Deo ei reuelante, reperit. Oratione itaque facta, sigillum expressum abstulit, locellum aperuit: in quo interius plumacium ex holoserico superpositum (quod stauracis dicitur) inuenit; eoq. ablato, inferius Crucem diuersis ac pretiosis lapidibus perornatam inspexit: de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis & inef-

A & ineffabilis pulchritudinis, portionem salutiferi ligni Dominicæ Crucis inuenit: quæ etiam ex illo die pro salute humani generis ab omni populo Christiano die exaltationis sanctæ Crucis in basilica Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculatur & adoratur.] hæc de inuentione Crucis Anastasius, qui mox subdit: Hic fecit imaginem beati Petri Apostoli, quæ est in parte mulierum.] cesserat porticus dextera vsui mulierum, cum seorsum a viris illæ olim orare consueuere, vt & alias superius nos dixisse meminimus. Pergit vero idem auctor:

Hic fecit thymiamaterium aureum maius cum columnis & cooperculo, quod suspendit ante imagines tres aureas beati Petri Apostoli, in quo incensum & odor suauitatis festis diebus, dum Missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. Hic posuit in apsidem basilicæ suprascriptæ super sedem apollream* argenteam pensantem li- *
B bras centum viginti. Hic fecit in basilica suprascripta pharos argenteos sex pensantes singulos libras triginta, quæ sunt super trabes ad ingressum Confessionis. Hic fecit in circuitu altaris basilicæ suprascriptæ tetrauila octo, quatuor ex albis, & quatuor ex coccino. Hic tectum, & cubicula quæ circumquaque eiusdem basilicæ sunt, quæ per longa tempora stillicidijs & ruderibus fuerant dirupta, studiosius innouauit & reparauit. Hic musiuum, quod ex parte in fronte atrij eiusdem basilicæ fuerat dirutum, innouauit: similiter & specula eiusdem ecclesiæ, quæ super sedem ac regios arcus maiores sunt, renouauit. Hic corpus beati Leonis probatissimi patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris secretarij prædictæ basilicæ positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata basilica, publico loco (vt sibi fuerat reuelatū) reposuit, ac locum ipsum ornauit. Hic fecit patenam auream maiorem habentem gemmas ex albis & in medio ex hyacintho & smaragdo Crucem pen-
C santem libras viginti.] hæc de his quæ spectant ad S. Petri basilicam. pergit modo dicere de ijs quæ pertinent ab basilicam S. Pauli his verbis:

Hic tectum & cubicula vniuersa in circuitu basilicæ beati Pauli Apostoli, quæ longa per tempora vetustate confecta fuerant, studiosius innouauit ac reparauit: similiter & trabes fecit de Calabria adduci, & quas in eadem basilica vetustissimas inuenit, renouauit. Hic imaginem Apostolorum vetustissimam, quæ erat super fores eiusdem basilicæ, mutauit. Hic fecit ambonem & ciborium in basilica sanctorum Cosmæ & Damiani, vbi & multa dona obtulit: Trullum vero eiusdem ecclesiæ fusis chartis plumbeis cooperuit atque muniuit. Hic ciborium basilicæ sanctæ Susannæ, quod ante ligneum fuerat, ex marmore fecit, diuersaq. cymilia, *hoc est, vtensilia*, aurea & argentea, vel immobilia loca illi condonauit. Hic basilicam sanctæ Euphemiæ, quæ per multa tempora fuerat detecta,
D cooperuit ac renouauit. Hic basilicam sanctæ Aureæ in Ostijs *Tiberinis*, quæ similiter fuerat detecta vel dirupta, cooperuit, suoq. studio renouauit. Hic oratorium sancti Andreæ Apostoli, quod est positum in Lauicana, a solo refecit.

Hic statuit, vt tempore confractionis Dominici corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere *nobis*, a clero & populo decantaretur. Constituit etiam, vt diebus Annunciationis, Domini Natiuitatis, & dormitionis sanctæ Dei genitricis semperq. virginis Mariæ, ac sancti Simeonis, quam *Hypapantem* Græci appellant, litania exeat a sancto Hadriano, & ad sanctam Mariam occurrat populus. Hic fecit in basilica sancti Laurentij martyris, quæ appellatur Titulus Lucinæ, arcus argenteos quatuor.] & inferius: Hic fecit coopertoria & vasa aurea & argentea plura per diuersas ecclesias ad vsum & ornatum ecclesiarum Christi. Hic ordinauit Damianum Archiepiscopum sanctæ
E Ecclesiæ Rauennatis, atque Clementem Frisonum. Hic ordinauit Berectualdum Dorouernensem Britanniæ Archiepiscopum *S. Theodori successorem*. Hic ordinauit per diuersas prouincias Episcopos nonagintaseptem. Fecit autem ordinationes duas per mensem Martium, ordinauitq. presbyteros decem & octo, diaconos quatuor. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum quinto Idus Septembris, Indictione decimaquinta, Tiberio Augusto. Et cessauit Episcopatus eius mensem vnum & dies viginti.] hucusque Anastasius.

Præter hæc autem in antiquis monumentis diaconiæ sanctæ Mariæ in Via lata me legisse memini, ab eodem Pontifice eam ecclesiam fuisse dedicatam, locum sane insignem, quem tradunt fuisse olim hospitium Apostoli Pauli & aliorum sanctorum. Porro Sergij memoriam posteris annis singulis rediuiuam, celebrans eius natalem dicta die nona Septembris, sancta Ecclesia Catholica in Ecclesiasticis tabulis religiose conseruat.

[a] *Theodoricus Abb. lib. 2. c. 7. in fine. apud Sur. die 23. Nouembr.*

Antequam autem ad Sergij succeſſorem veniamus, non omittamus (quod habet Theodoricus Abbas [a]) obitum ſanctiſſimi viri Trudonis contigiſſe ſedente Romæ Sergio Papa. Porro eius Acta, & poſt obitum ingentia patrata miracula, ab eodem auctore fideliter ſcripta leges. Quod vero Hasbanijs concionatus eſt Euangelium Chriſti, Hasbaniorum meruit Apoſtolus appellari: cuius dies natalis tabulis ſacris adſcriptus repetitur annis ſingulis in Eccleſia memoria conſueta die vigeſimatertia menſis Nouembris. Hactenus de rebus & temporibus Sergij.

IOANNES VI. PAPA.

Cum ergo vacaſſet ſedes eiuſdem Sergij menſem vnum, & dies (vt dictum eſt) viginti, hoc eodem anno die vigeſimanona Octobris creatur Ioannes eius nominis ſextus: fuit iſte natione Græcus. Quo ipſo anno (vt Anaſtaſius auctor eſt) Tiberius Imperator, vbi accepit poſt Sergium defunctum ſubrogatum eſſe in Apoſtolicam ſedem Ioannem Pontificem, miſit Theophylactum cubicularium Patricium & Exarchum Romã, aliquid moliturum aduerſus Romanum Pontificem: quænam vero cauſæ nouæ interceſſerint, ignoramus. Sed quid tunc actum? veluti a Deo miraculum accidit (ſicut in prædeceſſore ipſius Sergio factum fuit) vt vniuerſa Italiæ militia ad tuendum Pontificem Romam vna conuenerit. Quomodo autem id acciderit, audi ipſum Bibliothecarium: Huius, inquit, aduentum cognoſcens militia totius Italiæ, tumultuoſe conuenit ad hanc Romanam ciuitatem, volens præfatum Exarchum tribulari: pro cuius Pontifex, ne affligeretur, perſona, ſeſe medium dedit, portas ciuitatis clauſit: ſacerdotes apud Foſſatum, *id eſt*, *caſtra militum*, in quo in vnum conuenerant, miſit; & monitis ſalutaribus tumultuoſam eorum ſeditionem ſedauit. Dum vero infames quædam perſonæ capitulare aduerſus quoſdam Romanæ vrbis habitatores feciſſent, & prænominato Exarcho, vt proprijs ſubſtantijs denudarentur, tribuiſſent: hi iuſta ſui operis pœna mulctati ſunt.] hucuſque Anaſtaſius.

EXARCHVS MISSVS IN IOANNEM PONT. REPRIMITVR A MILITIBVS.

CVR RES IMP. IN ITALIA IMMINVTAE.

Ex his omnibus planc conſpicitur, conſilio Dei factum, vt cum inſurgerent in Romanos Pontifices Imperatores, Italiæ milites in eos rebellarent, malentes pro ſalute Pontificũ in diſcrimen adduci, quam Græcorum manibus ipſos relinquere indefenſos. Ex hoc tempore Exarchorum vires admodum tenues reddi cœpere; contra vero Romanis Pontificibus, pro quibus milites ſtarent, auctæ ſunt: & (quod in libris Regum [b] eſt) tunc accidit, vt poſt longam concertationem decreſceret in dies domus Saul, cum Dauid magis proficeret: adeo vt poſt hæc ſupplices, non inſultantes in Italiam mittere Imperatores ſolerent Exarchos. Porro his fauoribus militumq. præſidijs nequaquam ſeſe Pontifices extulere, arripientes (quod facile factu erat) tyrannidem, ſed ſemper (vt vidiſti tum in Sergio, tum in Ioanne) pro Exarchis ipſis apud milites interceſſere. Verum quas pœnas dederit Imperator, cum in Romanum Pontificem impie iſta tentauit, dicemus anno ſequenti.

[b] 2. *Reg.* 3.

CVR SIT COLLAPSVM HISPANIARVM REGNVM.

Hoc eodem anno defuncto Hiſpaniarum Rege Egica, ſiue Egicane, filius eius Vuitiza, qui cũ patre annos quinque hactenus regnauit, ſolus regni habenas moderandas ſuſcepit: qui penitus hoſtis iuſtitiæ, ſeruus factus peccati, omnibus ſcatens vitijs, maxime vero impietate, ſe ipſum vna cum ſuis præcipitem dedit, ianuamq. late pandidit, qua poſt eius obitum Sarraceni infeſto numeroſoq. agmine, torrentis inſtar, influerent in Hiſpanias. Veluti enim ingentis erectæ molis ædificium, quodlibet ſe habet regnum: cuius cum aperiri murorum compages videris, & proxime ruiturum intelligis; eius vtique defeciſſe fundamentum, baſesq. ceſſiſſe, locumq. patenti ruinæ dediſſe, prudenter affirmes. Id quidem in regnis ſæpius accidiſſe, innumeris exemplis ex ijs quæ ſingulis ſunt enarrata ſæculis, eſt ſuperius demonſtratum: nimirum vbi ab vnione Catholica, ab ipſa petra fidei, Apoſtolica inquam Eccleſiæ communione, primarijq. Antiſtitis obedientia populi deſciuere, eoſdẽ barbaris eſſe datos gentibus puniendos. Accidit hoc quidem (proh dolor!) florentiſſimo Hiſpaniarum regno, cum impius nefandusq. Vuitiza eo vſque eſt prolapſus erroris, vt non veritus ſit publico edicto cauere, appoſita vltimi pœna ſupplicij, ne quis obediret Romano Pontifici. Sed quod nec adeo delirantem furioſum Regem cohibere conati ſint ex more ſurgentes ex aduerſo Hiſpaniarum Epiſcopi, ſimul congregato Concilio, neque priuatim eum, inſtar Ioannis redarguentis Herodem, obiurgarint: factum eſt, vt defecerit regnum, ac ipſi ducti ſimul fuerint in captiuitatem Epiſcopi, eccleſiæ dirutæ, monaſteria deſolata, atque omnia denique peſſumdata, paſſiq. id multis ſæculis fuerint. Aperuimus tantorum cauſam malorum: iam vero ex ijs qui antiquius res Hiſpaniæ ſunt proſecuti, præcipue vero ex Luca Tudenſi, eiuſdem impij Regis, ſiue potius dixerimus monſtri,

VVITIZAE REG. APOSTASIA AB ECCL. ROMANA.

A monſtri, deformitates ſpectandas cunctis in medium afferamus: ſunt hæc eius verba, ne quid putes a nobis amplificatione exaggeratum:

Iſte quidem, inquit, probroſus & flagitioſus fuit, & multa nefanda & horribilia flagitia per Hiſpanias ſeminauit: & ad voluptates carnis ſoluto impudicitiæ freno, ſe fornicationibus multis dedidit*, & gentem Gothorum ad laſciuiam, luxuriam & ſuperbiam inclinauit. Nec tantum poſtpoſita omni religione diuina, ſpretisq. animarum medicamentis, cupiditas, aliena ars inuadendi, rapiendi, & luxuriandi exercitum Gothorum inuaſit; ſed & Epiſcopi & Eccleſiæ miniſtri aſpernabantur Eccleſiarum officia, deſpicabantur Eccleſiaſtica ſacramenta. Deſpiciuntur ſancti patris Iſidori inſtituta, deſpiciuntur Concilia, ſacri canones diſſoluuntur; & quicquid honeſtatis eſt, extirpatur. Et ne aduerſus eum inſurgeret ſancta Eccleſia, Epiſcopis, presbyteris, diaconis, & ceteris Eccleſiæ Chriſti miB niſtris carnales vxores habere præcepit, & ne obedirent Romano Pontifici, ſub mortis interminatione prohibuit. Iſtud quidem pereundi cauſa Hiſpaniæ fuit: ſicut ſcriptum eſt[a]: Abundauit iniquitas, refrigeſcit charitas multorum.

FLAGITIA VVITIZAE REGIS.

* contulit

[a] *Matth.* 24.

Habuit præterea nefandus Vuitiza ſimul plures vxores & concubinas, atque Ducibus ſuis vt ſimiliter agerent imperauit. Tota Gothorum vnitas in conuiuijs, libidinibus, & vitijs verſa, Dominum ad iracundiam prouocauit: ita vt in illis impleretur, quod dicitur: Impius[b] cum venerit in profundum malorum, contemnit. Et quia Reges & ſacerdotes Dominum dereliquerunt, cuncta agmina Hiſpaniarum derelicta a Domino perierunt. Itaque Vuitiza datus in reprobum eſt ſenſum, & muros cunctarum vrbium ſui regni ſubuertit, ne poſſent ſibi reſiſtere ciues, cum eos ob ſua ſcelera facilius irritaret*: muri tamen Toletanæ vrbis & Legionenſis & Aſturicenſis integri remanſerunt propter earum reuerentiam C ciuitatum. Succenſus etiam malitiæ zelo Theofridum* Cordubenſem Ducem dolo cepit, priuatumq. vtroque frontis lumine, miſerabiliter palpitare fecit.

LEGVM OMNIVM SVBVERSIO.

[b] *Prou.* 18.

* incitaret

*Theodefridum

Fuit etiam Theofridus ex Gothorum regali ſtirpe progenitus, ſcilicet filius Cindaſuuinthi Regis, quem pater in ætate reliquerat puerili: cumq. ad ætatem veniſſet virilem, videns eum Vuitiza elegantem, & recogitans ne cum Gothis inſurgeret contra ipſum, expulit eum e regno; & veniens Cordubam, ſortitus eſt vxorem ex regali genere, nomine Rocilonem, & ex ea natus eſt ei filius nomine Rodericus, qui cum ad ætatem perfectam peruenit, vir bellator extitit, & Cordubæ palatium fortiſſimum fecit. Ne igitur Theofridus Vuitizæ poſſet reſiſtere, eum (vt dictum eſt) orbauit oculis. Occidit & Fauilam Ducem Cantabriæ eius germanum, vt eius potiretur vxore. Præterea Pelagium filium ſupradicti Ducis Fauilæ Vuitiza capere voluit, & ſimiliter ipſum occidere: ſed Pelagius fuD git, quia voluit Deus Hiſpaniæ ſubuenire per ipſum. Exulato etiam Iuliano Toletano Epiſcopo, erexit filium ſuum Oppam, vt eſſet Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſimiliter & Toletanus contra ſacrorum canonum inſtituta.] At quod ad Iulianum ſpectat, Rodericus & alij recentiores non Iulianum, qui tertius eius nominis eſſet dicendus Toletanus Epiſcopus, ſed Gundericum ſub Vuitiza ponunt: ſed antiquiorum potior fides. Pergit vero Tudenſis: Addidit etiam Vuitiza iniquitatem ſuper iniquitatem, vt Iudæos ad Hiſpaniam euocaret; atque fractis Eccleſiæ priuilegijs, Iudæis immunitatum priuilegia dedit.] hucuſque Tudenſis.

TYRANNICA FACTA VVITIZAE.

Hæc autem omnia totius decennij ſui regni tempore ſunt ab eodem Vuitiza nefarie perpetrata, qui ipſius exordio, vt ſpecimen optimi Principis præſeferret, tum pium parentem, tum reliquos prædeceſſores optimos Principes imitatus, ad optimum regimen inſtiE tuendum, ex omnibus Hiſpaniarum Epiſcopis Concilium generale collegit, quod habitum eſt in ſuburbijs Toleti in eccleſia ſancti Petri: quod quidem cur nequaquam, vt cetera, poſteris ſcriptis traditum reperiatur, ea fere omnium ſententia eſt, quod cum in eo complura ſancita fuerint piæ inſtitutioni & Eccleſiaſticæ diſciplinæ contraria, placuerit æterno ſepeliri ſilentio. Verum ſi (quod omnes tradunt) initia Vuitizæ fuere optima, præbentis ſe ipſum dignum ſucceſſorem parentis, immo & patre in eo clementiorem, quod ab ipſo mulctatos exilio atque bonis priuatos reſtituit; vtique in eo Concilio nonniſi pia ſanctaq. oportuit fuiſſe ſtatuta, præſertim ſi habitum eſt ſub Gunderico (ſicut volunt) Epiſcopo Toletano, qui (teſte Roderico) inſignis fuit vir probitatis. Quamobrem in eam potius ſententiam pedibus imus, vt quæ fuerunt bene in Concilio geſta, poſtea eodem ipſo Rege, a quo cuncta oportuit fuiſſe probata, in tyrannum erumpente, & aduerſus omnem ſancitam legibus diſciplinam vitam probroſam inſtituente, ſuisq. eadem flagitia

DE CONCILIO TOLET. XVIII.

communicante, ab eodem, quæ tunc erant pie ſanćteq. ſancita, penitus fuerint abrogata, A ipſaq. Concilij Acta conſciſſa.

DE CAVSA DEFECTIONIS AB ECCLESIA ROMANA.

Sed cauſam apoſtaſiæ tam inſolentis & monſtruoſæ defectionis ab Eccleſia Romana cum nemo (quod nouerimus) vel antiquorum vel recentiorum hiſtoricorum enarret; nos quænam ipſa fuerit, ex certis antiquitatis monumentis, fidelibusq. teſtificationibus in medium adducemus. Extat in Vaticana bibliotheca liber epiſtolarum Gregorij eius nominis Septimi Romani Pontificis, antiquitus ſcriptus eiuſdem Pontificis tempore, idemq. haud pridem cuſus, in quo epiſtola eiuſdem hac inſcriptione notata legitur:

Gregorius in Romanum Pontificem electus omnibus Principibus in terram Hiſpaniæ proficiſci volentibus perpetuam ſalutem in Domino Ieſu Chriſto.] Data vero eadem habetur epiſtola pridie Kal. Maij, Indićtione vndecima, anno Domini milleſimo ſeptuageſimotertio, poſt electionem ipſius die ſexto, antequam Pontifex conſecraretur. qua qui- B dem ſignificat, Hiſpaniarum regnum, antequam inuaderetur a Sarracenis, fuiſſe Romanæ Eccleſiæ traditum a poſſidentibus ipſum Gothorum Regibus maxime pijs; non ita quidem, vt illo ipſi caruiſſe voluerint, ſed vt illud, aliquo annuo perſoluto tributo, Eccleſiæ Romanæ nomine poſſiderent. Horum vero indigniſſimus ſucceſſor impius Vuitiza, eiuſmodi donationem irritam penitus reddere conatus, illud de non parendo Romano Pontifici viſus eſt ſanxiſſe decretum. Hæc autem licet a nemine Hiſpaniarum rerum hiſtoriam proſequente memoriæ prodita ſciam, ex litteris tamen ipſius Gregorij Septimi affirmare neceſſe videtur: quæ vt facilius aſſequaris, ipſas iam cum alijs cuſas hic tibi reddendas curauimus: ſic enim ſe habent [a] poſt ipſarum titulum ſuperius recitatum:

a Gregor. VII. lib. 1. epiſt. 7. Extant tom. 3. epiſt. Rom. Pont. & in Vatic. m.ſ.

GREGORII PAPAE SEPTIMI EPISTOLA.

Non latere vos credimus, regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprij iuris ſancti Petri fuiſſe, & adhuc (licet diu a Paganis ſit occupatum) lege tamen iuſtitiæ non euacuata, nulli C mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ ſedi ex æquo pertinere. Quod enim auctore Deo ſemel in proprietates Eccleſiarum iuſte peruenerit, manente * eo ab vſu quidem, ſed ab earum iure, occaſione tranſeuntis temporis, ſine legitima conceſſione diuelli non poterit. Itaque Comes Euulus de Roccio, cuius famam apud vos haud obſcuram eſſe putamus, terram illam ad honorem ſancti Petri ingredi, & a Paganorum manibus eripere cupiens, hanc conceſſionem ab Apoſtolica ſede obtinuit, vt partem illam, vnde Paganos ſuo ſtudio & adiuncto ſibi aliorum auxilio, expellere poſſet, ſub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte ſancti Petri poſſideret,

Qua in re & labore quicumque veſtrum ſibi adhærere voluerit, omni charitatis affectu commonitus, erga honorem ſancti Petri talem animum gerat, vt ab eo & munitionis auxilia in periculis, & merita fidelitatis præmia ſecurus accipiat. Si autem aliqui ex vobis D ſeorſum ab illo proprijs copijs eamdem terram aliqua in parte intrare parauerint: decet vt militiæ cauſam ex animi deuotione quam iuſtiſſimam ſibi proponant, iam nunc omni voto concipientes, & ex corde ſtatuentes, ne capta terra, eaſdem quas illi qui nunc Deum ignorantes eam occupant, iniurias ſancto Petro faciant. Hoc enim neminem veſtrum ignorare volumus; quoniam niſi æqua pactione perſoluendi iuris ſancti Petri in regnum illud animaduertere ſtatueritis, potius vobis Apoſtolica auctoritate, ne illuc tendatis, interdicendo, contra feremur, quam ſancta & vniuerſalis mater Eccleſia, idem a filijs ſuis quod ab hoſtibus patiendo, non iam proprietatis ſuæ, ſed filiorum detrimento ſaucietur. Quamobrem hunc dilectum filium Hugonem & Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyterum in partes illas miſimus, in cuius ore noſtra ad vos conſilia & decreta plenius apertiusq. differenda ac vice noſtra diſponenda poſuimus. Data Romæ ſecun- E do Kalendas Maij, Indićtione vndecima.] hæc Gregorius (vt dictum eſt) ſui Pontificatus exordio.

Rurſum vero poſt annos quatuor, nempe Indićtione decimaquinta, ad Reges & Principes in Hiſpanijs regnantes ſcribens, de ijſdem meminit: re enim bene geſta, & vindicata magna ex parte Hiſpania a Sarracenis, iura Petri ſedis exigit ab ijſdem Principibus. Porro dicta epiſtola notatur eiuſmodi titulo [b]:

b Gregor. VII. lib. 4. epiſt. vlt. vo. 3. epiſt. Rom. Pontif.

EIVSDEM GREGORII ALIA EPISTOLA.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Regibus, Comitibus, ceterisq. Principibus Hiſpaniæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non ignorare credimus.] & poſt multa ſalutaria monita impertita, hæc de regimine populorum ipſis ſubiectorum: Arma veſtra, opes, potentiam non ad ſæcularem pompam tantum, ſed ad honorem & ſeruitium æterni Regis vertite: commiſſa vobis regni gubernacula ita gerite, ſic adminiſtrate, vt

veſtræ

A vestræ virtutis & rectitudinis studium omnipotenti Deo gratum iustitiæ possit esse sacrificium: quatenus & vos in ipso sperare possitis, qui dat salutem Regibus, & potens est eripere de manu mortis, vt superinduat vos eminentiori claritate & gaudijs vitæ perennis, & de caducis honoribus, quos nunc habetis, transferat vos in regnum gloriæ suæ æternæ, vbi nec beatitudo finem, nec gloria corruptionem, nec dignitas habet comparationem.

Præterea notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem tacere non est liberum, vobis autem non solum ad futuram, sed etiam ad præsentem gloriam valde necessarium, videlicet, regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ in ius & proprietatem esse traditum. Quod nimirum hactenus & præteritorum temporum incommoda, & aliqua antecessorum nostrorum occultauit negligentia. Nam postquam regnum illud a Sarracenis & Paganis peruasum est, & seruitium quod beato Pe-
B tro inde solebat fieri, propter infidelitatem eorum & tyrannidem detentum, ab vsu nostrorum tot annis interceptum est, pariter etiam rerum & proprietatis memoria dilabi cœpit. Verum quia diuina clementia concessa vobis in hostes illos semperq. concedenda victoria terras in manus vestras tradidit, vlterius vos causam hanc ignorare nolumus: ne quod supernus arbiter & legum ac iustitiæ conditor de recuperanda & restituenda iustitia & honore sancti Petri, eiusq. sanctæ & Apostolicæ sedis, vestræ gloriæ ad benemerendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in negligentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia (quod absit) ad detrimentum propositæ & diuinitus oblatæ retributionis obueniat.

Confidimus enim in misericordia Dei, qui virtutem vobis dedit & victoriam, vt hanc etiam voluntatem vobis tribuat, qua cognita veritate, potius statuta Christianorum Principum & exempla sequamini, quam eorum impietatem, qui Christianum nomen ma-
C gis cupiunt persequi, quam venerari. Misimus autem ad vos confratrem nostrum Amatum venerabilem Ellorensem * Episcopum, cui & vicem nostrã ad partes illas dedimus, adiungentes sibi hunc Abbatem sancti Pontij, virum venerabilem, fide & morum honestate probatum; vt quod nos de insinuatione huius causæ vestræ celsitudini succincte scripsimus, ipsi vobis (si necesse sit) latius apertiusq. manifestent, & quantum ratio postulauerit, notitiam veritatis præsenti denunciatione & certa assertione demonstrent, &c.] plura enim alia addit ad hoc suadendum. Data vero habetur epistola Carpinetæ quarto Kalendas Iulij, Indictione decimaquinta.

* Elborensem

Vidisti, lector, duabus epistolis diuersis temporibus ab eodem Pontifice datis (Pontifice inquam sanctitate celebri, ac tenacissimo veritatis) eadem de donatis Apostolicæ sedi ante Sarracenorum incursus Hispanijs? Vidisti, vt in re seria & magni momenti, de-
D cretas ab eodem eadem ex causa duas a latere legationes? Quibus omnibus causam ipsam perspicias, cur Rex perfidus publico per vniuersas Hispanias promulgato decreto sanciuit, ne quis obediret Romano Pontifici. Cum ergo ista a Rege, qui Catholicus habebatur, intelligis promulgata; vtique non fidei, sed temporariæ vtilitatis causa id ab eo factum agnosce. Ex quibus perspicue intelligas, quam male consulant regno Principes, qui Ecclesiæ iura penitus tollere vel minuere conantur. Etenim vltor exurgens Deus [a] in virga ferrea tamquam vas figuli confringit eos, qui astiterunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipsorum.] vt merito ad omnes Principes illud quod in psalmo sequitur, sit inclamandum: Et nunc Reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram.] Paruisse quidem in omnibus Hispaniæ Reges ipsi Gregorio Romano Pontifici, plures litteræ eiusdem Pontificis tum ad
E Sancium tum ad Alphonsum tunc in Hispania regnantes satis ostendunt, cum de ipsorum erga Romanam Ecclesiam obedientia & obseruantia gratulatur: vt plane fuerit luce apertissima declaratum, sicut inobedientia Principum & defectione ab Apostolica sede iactura totius facta est regni, ita ipsum obedientia & cultu erga eamdem fuisse a barbaris vindicatum & stabilitum. Videant cæcutientes ministri Regum, Præsides prouinciarum, quam male consulant Regum regnorumq. saluti, dum nihil magis satagunt, quam iura Ecclesiastica impugnare, nescientes se aduersus Deum habere certamen, qui contra huiusmodi sacrilegia vindex exurgens (secundum illud propheticum [b]) adducit consiliarios in stultum finem, & Iudices in stuporem; baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.]

[a] *Psal. 2.*

[b] *Iob 12.*

IESV

SEptingentesimus secundus sequitur annus decimaquinta Indictione, quo Tiberius Imperator, qui anno superiori miserat Theophylactum Exarchum ad deturbandum Ioannem Romanum Pontificem, passus est ipse diuino iudicio dirum aduersarium, a quo postea pelleretur Imperio. Sicut enim perpessum vidisti Iustinianum obtruncationem narium & Imperij iacturam, cum in Sergium Papam violentus insurrexit; ita grauiori hunc pœna intelliges esse mulctatum, cum item in Romanum Pontificem insurrexisset. Siquidem (vt habent Græcorum Annales [a]) hoc ipso anno Iustinianus, qui exul degebat (vt vidimus) in Chersona, magnis sumptis spiritibus, amissum inuadit Imperium, nomenq. reassumens Imperatoris,& Chacanum* Lazorum Regem adiens,sumpta ipsius sorore coniuge, eius ope ad reditū arma parat, tali incensus furore, vt cum maris tempestate esset in summo vitæ discrimine constitutus, dixissetq. ei vnus ex caris eius: Ecce morimur, domine: Voue Deo pro salute tua, vt si Deus Imperium tuum tibi reddiderit, in nullum tuorum vlciscaris inimicum: ille furore repletus respondens, dixerit: Si pepercero cuiquam eorum, in hoc loco me Deus demergat.] sicq. Dei iudicio, qui in perfidos vltionē ita parabat, euadens, legationemq. mittens ad Trebellium Bulgarorum Regem, vt eius auxilio posset restitui in Imperium, eo libenter annuente factum est, vt anno sequenti per Bulgaros Imperium recuperarit: quomodo autem id acciderit, suo loco dicturi sumus.

IVSTINIANVS VIRIBVS EXTERNORVM MVNITVR AD IMPERIVM RECIPIENDVM.

[a] *Theophan. Cedren. Zonar. & alij.*

* Gaianum

Perturbatur & in Occidente Romanum Imperium eodem ferme tempore: siquidem dum ista geruntur in Oriente, Dux Beneuentanus Gisulphus Romanorum ditionem prædabundus incursat, multamq. inde prædam colligens,domum reuertitur. Anastasius enim hæc de his habet in Ioanne Pontifice: Gisulphus Dux gentis Longobardorum Beneuenti, cum in omni sua virtute in Campaniam veniret, incendia & deprædationes multas exercet: cumq. captiuos non paucos cepisset, & vsque ad locum qui Horrea dicitur, fossatum fecisset, *nempe castra posuisset*, nullusq. extitisset qui ei potuisset resistere: denominatus Pontifex, missis sacerdotibus cum Apostolicis donarijs, vniuersos captiuos de eorum manibus redemit, & illum cum suo stolo, *hoc est, exercitu*, ad propria repedare fecit.] hæc Anastasius: eadem habet Paulus diaconus, cuius tamen deprauatus corrigendus est textus, qui sic habet [b]:

GISVLPHI DVCIS GRASSATIO IN CAMPANIA.

IOANNES PAPA CAPTIVOS REDEMIT.

[b] *Paul. diacon. lib.6. c.27. nou. edit.*

Hac denique ætate Gisulphus Beneuentanorum ductor Suram Romanorum ciuitatem, Hirpinos, atque Arcon pari modo oppida cepit.] Tu vero restitue, pro Suram Soram, pro Hirpinos Arpinum, loco Arcon Arcanum. sunt hæc quidem loca parum inter se distantia, in quæ potissimum grassatum Ducem Beneuentanum, alij quoque tradunt historici, redemptosq. populos captiuos largitate Ioannis Romani Pontificis, *optimi pastoris in* omnibus specimen edentis.

Ad præsens tempus referri posse videtur (licet annus haud satis exploratus haberi possit) martyriū Heimerammi * Episcopi Ratisponensis sub Theodone Bauariæ Principe hoc tempore illis populis dominante, qui & quintus *huius* nominis numeratur. Extant eius Acta [c] scripta a Cyrino Episcopo item Ratisponensi, qui eodem ferme tempore vixit. Causa autem ea martyrij interceßit, quæ & ipsum Redemptorem humani generis impulit Crucis subire supplicium, dum videlicet aliena innocens super se peccata suscepit libens volēsque,quousque liberaret a morte qui scelus admisit; licet postea suæ extiterit innocentiæ defensor. Etenim dum Theodonis Principis filia Ota virgo Sigibaldo cuidam commixta ex stupro concipiens, fœtu grauida cognita, in vitæ discrimen vna cum iuuene adduceretur, ipse vt eos a nece eriperet, sibi passus est crimen adscribi, cuius causa crudelissime a fratre eiusdem feminæ cæsus est. Sed audi eiusdem martyrij Acta:

* *al.* Emmerami

S. HEIMERAMMI EPISCOPI MARTYRIVM.

[c] *Extant apud Sur. die 22. Septembr. tom. 5.*

Vt autem comperit Lantbertus Ducis Theodonis filius,adesse illic venerabilem Episcopum, desilijt ab equo. Erat enim in medio vestibulo petra posita, in quā (vt solent equum ascendentes,& ab eo descendentes) sese transferens,virgæ innixus, Episcopum ad *se iubet* adduci, adductumq. sæculari fastu elatus, ex oblatæ rei occasione ita cōpellat: Salue Episcope, affinis noster. At sanctus Episcopus Deum testem adhibens, ait se ex carnali commercio nullum nosse affinem. Sed Princeps eius verba contemnens, *multis* eum affecit iniurijs, multaq. conuicia in conspectu astantium illi in faciem dixit, creberrimeq. illi exprobra-

LANTBERTVS IN HEIMERAMMVM INSVRGIT.

A probrauit, quod tam honorifice tam longo tempore in Ducis ditione habitus, tanta contumelia eum afficisset, & tanti viri summiq. principis filiam pessimo ad alios exemplo constupraſſet.

Contra autem sanctissimus vir Dei, hilari vultu, modestis & sedatis sermonibus excusabat sese, dicebatque: Romam me iturū promisi, vt supplex inuisam Petri Apostolorum principis limina, cuius Ecclesia Euangelica auctoritate fundata esse dignoscitur; cuius sub mundi thalamo censorem adesse, dubium non est, qui, Deo auctore, Petri successit in honorem Apostolicus vir, & sanctissimus tenet primatum in sacris constitutus ordinibus. Mitte ergo quem vis prudentem aliquem virum, vt mecum præsentetur in conspectu tanti Pontificis hac de re me accusaturus, vt illic canonicam excipiam sententiam, ne huius criminis reus existimer. Quod equidem charitate permotus tibi consulo, tametsi non B ignoro te mihi non obtemperaturum: non quod timeam cruciatus tuos, sed quod doleat mihi tui condemnatio; cum certum sit, te animæ tuæ magnam perniciem & detrimentum afferre. At contumax tyrannus, veritatis verbis colla supponere detrectans, mentis lumine orbatus, clausis oculis cordis, arreptum baculum, cui incumbebat, nihil reformidans, in tanti Pontificis pectus adegit, moxq. suis præcepit, vt in eum manus injicerent. Id eius clerici conspicati, immenso correpti timore, in ædium latebras sese abdiderunt: vt in eos etiam quadraret illud, quod de Christo iam olim propheta prædixerat *: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Milites vero non pauci acriter in sanctum Episcopum manus injcientes, vt furentis domini animum mitigarent, eius iussu spoliatum chlamyde & stola, in hospitis horreum, vbi condebantur frumenta, abduxerunt, ibiq. ad scalam funibus alligarunt.

APPELLAT RÓMANAE ECCLESIAE IVDICIVM S. EPISCOPVS.

a Zach. 13. Matth. 26.

C Tum ille attentissime Dominum orans: Domine Iesu Christe, inquit, qui manus ad crucem extendisti, & tuo me sanguine redemisti, tibi ingentes gratias ago, quod me ex tot regionibus ad hunc locum deducere dignatus es, & ab hoc crimine alienum, pro tui amore me vis sanguinem profundere. Eo sic orante, quinque electi sunt, qui eius membra amputarent. E quibus duo tremefacti, pallida facie, ab imo pectore istæc verba proferebant: Domine Iesu Christe, de nostris manibus huius sanguinem non requiras: tu enim scis, non sponte, sed imperio coactos nos facere id, quod facturi sumus. Audiens hoc vir sanctissimus, ait ad Dominum: Domine, da tu illis secundum corda illorum. At reliqui tres carnifices pectoris sui impietatem apertis indicijs declarabant, ita dicentes: Quidni crudeliter eum attrectemus, qui impudenter libidinem suam in tanti principis filia expleuit, ita vt ille omnibus exemplum statuatur, ex eoq. discant omnes, si quis præ- D ter fas in feminam manus injciat, illi manus amputari debere? His dictis, digitos eius articulatim præciderunt. Deinde furentis principis vrgente imperio, oculos radicitus euulserunt, nares amputarunt & aures. In ijs vero cruciamentis sanctus Dei martyr instar fontis perspicui manans, non intermisit cursum suum, hymnos & psalmos offerens Deo: factus est enim in tam immani agone ex superna virtute robustus, vt ne gemitus quidem vllus ab eo ad astantium aures perferretur, sed hilari vultu sinceraq. mente Deo (vt diximus) indesinenter preces funderet. Necdum vero tot pœnis exatiati carnifices, pedes vtrosque cum palmis, quarum iam digitos absciderant, detruncarunt, atque ipsa etiam verenda impudenter abstraxerunt.

DIRVM MARTYRIVM S. HERMAMMI.

Interim pergebat sanctus martyr, licet exili iam voce, in laudibus Dei & psalmis Dauidicis. Cernentes vero carnifices eum pœnis afflictum & membris iam destitutum, ipsius E linguæ ministerio inuidentes, eam ferro in os iniecto præciderunt; atque ita corporis trunco relicto, abierunt. Remansit autem in certaminis campo, sanguine suo inuolutus, victor triumphalis exultans. Postquam autem hostes abiere, e suis latibulis ad venerabilem Christi martyrem clerici cum vicinis mulieribus aduolarunt, a quibus vir sanctus pro sui refrigerio aquam petebat. Dixit autem ad eum Vitalis presbyter & interpres eius, vir pius & religiosus, cuius antea meminimus: dixit vero non sine lacrymis, quas ab eius oculis exprimebant tanti sui magistri cruciatus: Quid vis refocillari, cum sis membris corporis destitutus? Meo quidem iudicio rectius tibi mortem optaris, quam tot affectus iniurijs vitam producere velis.

VITALIS NEGAT POTVM SANCTO MARTYRI.

Cernens autem Dei martyr presbyteri sui animum secus affectum, quam expediret, collecto spiritu, abscissa lingua verba, vt potuit, explicans, ita ait ad eum: Non tibi in mentem venit, sæpe me dixisse, neminem ad mortem festinare debere, sed potius optare vt

re vt differatur, vt possit pijs intercessionibus faciem Domini præoccupare, vt detur spatium infirmis ad agendam pœnitentiam propter ea quæ humana infirmitas perpetrauit? An vero pigritiæ tuæ molestum videtur, cruentum refrigerare pectus?] pergens vero, non tam imprecatus est ei malum, quam quod ob peccatum esset passurus, Deo vindice, ita prædixit: Quoties, inquit, potum ori tuo applieueris, mentis inops fias, nec tamen cuiquam noceas, sed inobedientiæ exemplum de te præbeas. Dixit hoc vir sanctissimus, & vt dixit, ita factum est.] hæc & alia, præsertim vero miracula quæ ad eius sacras reliquias operatus est Deus, idem auctor pluribus narrat, qui & terribilem Dei vltionem in facinorosos illos delinquentes describit, & de ecclesia in eius memoriam condita meminit. Porro natalem eius, quo martyrij corona redimitus triumphans ascendit in cælum, decimo Kalendas Octobris in sacras martyrum relatum tabulas anniuersaria die Catholica Ecclesia pie sancteq. celebrat eiusmodi elogio tanto viro digno: Ratisponæ in Bauaria sancti Emmerami* Episcopi & martyris, qui vt alios liberaret, mortem sæuissimam Christi causa patienter subijt.] Illustrauit plane prouinciam illam tanti martyris fulgor, quo nesciuit impiæ hæresis densam caliginem, fide lucens sub Principibus Orthodoxis Catholicæ fidei vere cultoribus.

QVAE VLTIO SECVTA EST VITALEM.

* Heimerammi

IESV CHRISTI ANNVS 703. IOANNIS PAP. VI. ANNVS 2. TIBERII ABSIMARI IMP. ANNVS 7.

ANnus sequitur septingentesimus tertius Indictione prima, quo pulso Tiberio Absimaro Imperatore, Iustinianus in Imperium restituitur per Trebellium Bulgarorum Regem, clanculo per aquæductum ingressus Constantinopolim. Cum Tiberius fuga sibi consuluit, necnon eius frater Heraclius, & alij primores ciuitatis: sed eos Iustinianus vinctos in potestatem accipiens & nobiles omnes illos Senatores atque Patricios in muro ciuitatis supplicio affecit: Absimarum vero, atque Leontium, qui primus occuparat Imperium, vinctos per vrbem in pompa duxit, ludisq. circensibus repræsentauit: cumq. ipse Iustinianus eorum cernices calcans, vsque ad solutionem primi brauij eos sub pedibus haberet, vniuersus populus illud Dauidicum acclamauit [a]: Super aspidem & basiliscum ambulasti, & conculcasti leonem & draconem. Inde eos in Cynegium missos, capite truncari iussit. Innumerabilem quoque multitudinem, tam ex ciuibus, quam ex foris positis militibus perdidit, pluresq. in saccos missos in mare necari fecit: alios autem, cum ad prandium vel ad cœnam accubitarent, mox vt surgebant, ceruicum incisione perdebat, adeo vt vehementer omnes timor inuaserit. hæc ex Græcorum Annalibus, Theophane, & alijs.

TIBERIVS PRIVATVR IMPERIO ATQVE VITA.

a Psal. 90.

Sed quid præterea? Iusto Dei iudicio factum est, vt ille Callinicus Patriarcha, qui pollens numero Episcoporum Orientalem fœdauit Ecclesiam, & in Romanam insurrexit, ab eodem Iustiniano Imperatore vinctus, oculis orbatus fuerit, & Romam *in exilium* missus: vt qui adeo superbe in Romanum Pontificem caput extulerat, ab eodem vitæ stipem humiliatus acciperet. Habent hæc omnia idem *Theophanes* atque Græcorum Annales [b]. Hæc digne perpessus, qui primus ausus est absque consensu Romani Pontificis vniuersale congregare Concilium, centurias edere canonum, soluere Ecclesiasticam disciplinam, traditiones acceptas a maioribus proculcare. Ista quidem quo magis considero, eo magis admirari non desino, quam iusta vindicta sit diuinitus factum, vt qui aduersus Romanam Ecclesiam adeo ardenti animo pellexerat Iustinianum Augustum, & excitarat eumdem aduersus Romanum Pontificem, ab eodem talia tantaq. passus sit, qualia nemo ante Constantinopolitanorum Antistitum a Christiano perpessus reperiatur Imperatore.

CALLINICVS EPISC. CONST. DIGNAS POENAS ACCEPIT.

b Theophan. hoc an. & Cedren.

Sublato igitur e medio nouatore Callinico Patriarcha, in locum ipsius subrogandum Iustinianus curauit Cyrum quemdam in Amastride insula monachum, eo quod ipsi recuperationem Imperij prædixisset. His peractis, rebusq. penitus stabilitis, idem Imperator Trebellium Bulgarorum Regem, per quem fuerat restitutus, muneribus digne donatum dimisit ad propria. Tunc & filium suum Tiberium, Theodoramq. coniugem Imperiali corona pariter insigniuit. At hæc cœpta hoc anno, in sequentem propagata noscuntur. Sicq. absque obice, deletis penitus aduersarijs, possedit pacifice Imperium.

CYRVS II. EPISCOPVS CONSTANTINOP.

IVSTINIANVS ITERVM IMPERAT VNA CVM FILIO.

Eodem anno Cunipertus Rex Longobardorum, vbi annos duodecim regnasset, solus post patris obitum, ex hac vita migrauit: de quo Paulus [c]: Hic, inquit, in Campo Coronæ, vbi

c Paul. diacon. lib. 6. c. 12.

Universidad de Deusto

A vbi bellum contra Alachin gessit, in honorem beati Georgij martyris monasterium construxit. Fuit autem vir elegans, & omni bonitate conspicuus, audaxq. bellator. Hic multis Longobardorum lacrymis iuxta basilicam Domini Saluatoris, quam quondam auus eiusdem Aripertus construxerat, sepultus est; regnumq. Longobardorum Luithberto filio adhuc puerilis ætatis reliquit, cui tutorem Asprandum virum sapientem & illustrem contribuit.] hæc Paulus, qui subdit, infra octo menses, superato Asprando, regnum delatum ad Ragenbertum Ducem Taurinorum, sed eodem anno ipso extincto, delatum esse regnum Asprandi filio; quod contigit anno sequenti, quo & de ipso plura alia dicturi sumus.

Eodem anno [a] defunctus est sanctus Benedictus Abbas in Anglia, miræ sanctitatis vir, cuius diem natalem pridie Idus Ianuarij consecratum Ecclesia Catholica anniuersaria
B memoria celebrandum suscepit. Fuit hic Romanæ alumnus Ecclesiæ, ibiq. monachismum amplexus, ex Biscopo vocatus est Benedictus. Extat Bedæ [b] homilia in eiusdem die natali dicta, in qua inter alia hæc historice habet: Derelictis enim omnibus, secutus est Christum, quando spretis eis quæ in ministerio regali acquisierat, vel acquirere valebat, cum esset nobilis natu, ad beatorum Apostolorum limina peregrinaturus aduolauit: vt quia rudis adhuc in gente Anglorum fides & Ecclesiarum institutio florebat, ibi potius perfectam viuendi formam sumeret, vbi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximium. Ibi ergo eruditus in Christo, illis in partibus attonsus, ibi est monasterialibus imbutus institutis: ibidem totum vitæ tempus erat exacturus, si non Apostolica domini Papæ prohibiberet auctoritas, qui eum propter ducendum in Britanniam sanctæ recordationis Archiepiscopum Theodorum in patriam redire præcepit.]

[a] *Sigeb. hoc an.* DE SANCTO BENEDICTO ABBATE IN ANGLIA.
[b] *Beda hom. de sanct. tom. 7.*

C Sed quomodo postquam extruxit monasterium sicuti Romæ viderat, Romam iterum eius disciplinæ causa redijt, atque rursus in Angliam reuersus est, idem paulo inferius narrat, atque hæc ait: Adeo vt ipse Papa Apostolicus ad profectum monasterij huius, quod illum nuper fundasse gaudebat, Ioannem illi Abbatem atque Archicantorem Romanæ Ecclesiæ (sicut charitas vestra bene meminit) in Britanniam Roma deducendum præstaret, per quē idem monasterium morem canendi ac ministrandi canonicum iuxta ritum sanctæ Romanæ atque Apostolicæ Ecclesiæ perciperet.] erat viro sancto abire e Britannia Romam, Romaq. illuc remeare instar auis facile admodū. vnde inferius de eodem ista Beda:

ITERVM ROMAM BENEDICTVS REDIIT.

Quamdiu sospes erat corpore, pro gloria sanctæ Dei Ecclesiæ, & maxime pro huius monasterij pace, honore, & quiete semper laborare perstabat. Toties mare transijt: numquam (vt est consuetudinis quibusdam) vacuus & inutilis redijt: sed nunc librorum copiā sancto-
D rum, nunc reliquiarum beatorum martyrum Christi munus venerabile detulit: nunc architectos ecclesiæ fabricandæ, nunc vitrifactores ad fenestras eius decorandas ac muniendas, nunc cantandi & in ecclesia per totum annum ministrandi secum magistros adduxit: nunc epistolam priuilegij a domino Papa missam, qua nostra libertas ab omni extrinseca incursione tutaretur, apportauit: nunc picturas sanctarum historiarum, quæ non ad ornatum solummodo ecclesiæ, verum etiam ad instructionem intuentium proponerentur, aduexit: videlicet, vt qui litterarum lectione non possent scire opera Domini & Saluatoris nostri, per ipsarum contuitum discerent imaginum, &c.] habet plura in eiusdem laudatione viro sanctissimo digna. Porro eiusmodi fundatore propagatus est in Anglia mirifice monachismus: vt plane insula illa, ita diuini Spiritus imbribus irrigata, Dei esset paradisus effecta; apud quam dum monastica viguit integra in nullo læsa aliquando
E disciplina, nulla ad eam hæresis accessum habere potuit: illa vero laxata atque soluta, redacta est terra [c] fructifera in salsuginem a malitia inhabitantium in ea.

FREQVENS PEREGRINATIO ROMAM.
[c] *Psal. 106.*

ANnus Saluatoris septingentesimus quartus Indictione secunda incipit, quo exagitata est Italia bellis Longobardorum inter se ipsos dimicantium. Conflictabant enim inter se Longobardorum Duces hoc anno pro regno, donec Aripertus victor, e medio

LONGOBARDI INTER SE DIMICANT.

dio ſublatis Rotharit Duce Bergomenſi, & Luithberto filio Cuniperti, ſolus pacifice regnauit; de quo iſta ſumma laude digna Paulus diaconus habet: Hoc tempore Aripertus Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quæ quondam ad ius pertinuerant Apoſtolicæ ſedis, ſed a Longobardis multo tempore fuerant ablata, reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxit.] hæc Paulus diaconus: quæ quidem ſub hoc ipſo Ioanne Sexto facta eſſe, Anaſtaſius Bibliothecarius docet, eamdemq. prouinciam primum a Romana Eccleſia eſſe poſſeſſam affirmat. tradit & hoc ipſum Ado Epiſcopus Viennenſis in Chronico, Beda, & alij denique omnes in eiuſdem ſcriptionis genere verſati. Quod vero ſpectat ad victoriam de hoſtibus obtentam, cuius gratia conſecutus eſt regnum: ſancti Boniti Aruernenſis id precibus impetratum, auctor, qui eiuſdem ſancti æqualis res ab eo geſtas ſcripſit, expetentibus id ab eo Adolpho & Eucherio eiuſdem temporis Epiſcopis, tradit. Quomodo autem id acciderit, idem auctor pluribus narrat, atque in primis, quomodo ſe abdicans Epiſcopatu, idoneo nacto ſucceſſore, peregrinationem Romam ad limina Apoſtolorum inſtituit: vbi cum plurima ab eo in itinere edita refert miracula, hæc, cum apud eum hoſpitatus eſt, habet:

DONATIO FACTA ROM. ECCLESIAE A REGE LONGOBARD.

Denique in Italiam ingreſſus, a Rege Longobardorũ & deuote & amanter acceptus eſt: qui cum viri Dei colloquijs frueretur, audiuit ad ſe referri, vrbem ab exercitu obſideri. At ille mox exiliens, iubet ſuos arma capeſſere, ſecumq. contra hoſtes dimicaturos, eſſe paratos ad pugnam. Conuerſus autem humiliter ad virum Dei: Quæſo te, pater, inquit, vt pro me Domino preces offeras. Nam mihi res eſt cum hoſtibus meis. Liceat mihi tua interceſſione ex illis palmam referre. Mox inde vrbem egreſſus, prœlium cum hoſtibus inijt. Adeo vero partibus Ariperti (ita enim ille Rex Longobardorum vocabatur) fauit victoria, vt multis cæſis atque proſtratis, Rege quoque in inguine vulnerato & capto, cum magno tripudio ad virum Dei redierit, eiq. pro precum illius ſuffragijs gratias agens, denuo ſe eius orationibus commendarit multa cum humilitate, & in regno ſuo res neceſſarias illi præberi curauerit.] hæc de victoria: quæ præterierunt Paulum, qui de eiuſdem Regis rebus geſtis annis quibus regnauit (vt ait) duodecim, vix pauciſſima attigit: vt non mireris, ſi non eadem apud eum inuenies eſſe narrata. Sed proſequamur ſanctum ad Apoſtolorum limina nauigantem. pergit auctor, hæc dicens:

S. BONITI PEREGRINATIO.

Inde autem profectus vir Dei, vbi ad maris litora acceſſit, nauim conſcendit. Feruescente autem mari, cum fluctus tumeſcentes quibuſdam comitibus mortis terrorem incuterent, maxime quod aliæ naues iam diſiectæ eſſent, ita vt vix pauci mortales litus poſſint attingere: blande ſuos conſolari cœpit. At illi nihilominus partim mortis metu in naui ſe pronos proſternebant; partim res quas intulerant, pro exoneranda naui, in mare iactabant. Sed oppoſuit ſe vir Dei: Nolite, inquiens, iſtuc facere: præſtat has res vel vobis egentibus, vel pauperibus conſeruare. Simul autem ad cælum attollens oculos, & tacitus imbrem lacrymarum effundens, pro ſalute omnium Dominum obſecrauit. Eodem autem temporis puncto, vndarum impulſu nauis a litore longius protracta eſt. Ita ergo Romam tandem perueniens, & ſanctorum Apoſtolorum martyrumq. loca circumquaque perluſtrans, eorum ſibi patrocinium atque ſuffragium ſupplici & inæſtimabili deuotione popoſcit. Ad extremum non paucos captiuos redimens, ſecum reduxit.] hæc de his auctor, qui & plures alias res præclare geſtas, diuinitusq. edita ſigna de eodem viro ſanctiſſimo narrat. Sed hæc ſatis.

SEDAT TEMPESTATEM MARIS.

Hoc eodem anno ſeptingenteſimo quarto Edilredus, poſtquam triginta & vnum annos genti Merciorum præfuit, monachus factus, Coenredo regnum dedit.] hæc in epitome Beda. Ita plane primitiuæ illius Eccleſiæ Anglicanæ fuit erga ſacram religionem vigens feruensq. cultus, vt ob frequentiam Deo philoſophantium monachorum fuerit inſula referta vndique monaſterijs, in quibus & Reges ipſi, qui fuerant leones in prœlio, mox in ſacris ſeptis, cæleſtibus caulis incluſi redderentur agni mitiſſimi. Fauebat plane Dominus coaleſcenti tunc Eccleſiæ Anglicanæ, vt omnibus eam chariſmatibus reddiderit affluentem, in virtutum & ſignorum præſertim oſtenſione, quibus quiſque licet inuitus trahi poſſe videretur ad mundi contemptum. Nam quid acciderit his ferme diebus, cum in locum Edilredi ſucceſſit Coenredus, audi Bedam rem geſtam ſui temporis ita accurate deſcribentem[a]:

EDILREDVS REX MONACHVS FACTVS.

[a] *Bed. lib. 5. c. 24.*

Fuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

A Fuit autem, inquit, quidam temporibus Coenredi, qui post Edilredum regnauit, vir in laico habitu atque officio militari positus, sed quantum pro industria exteriori Regi placens, tantum pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulo, vt confiteretur & emendaret ac relinqueret scelera sua, priusquam subito mortis superuentu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet. Verum ille, licet frequenter admonitus, spernebat verba salutis, seseq. tempore sequenti pœnitentiam acturum esse promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingressus Rex (diligebat enim eum) multum hortabatur, vt vel tunc, antequam moreretur, pœnitentiam ageret commissorum. At ille respondebat, non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cum ab infirmitate resurgeret; ne forte exprobrarent sibi sodales, quod timore mortis faceret ea quæ sospes facere noluerat: fortiter quiB dem (vt sibi videbatur) locutus, sed miserabiliter, vt postea patuit, dæmoniaca fraude seductus est.

PECCATOR DESPICIENS POENITENTIAM.

Cumq. morbo ingraueſcente, denuo ad eum visitandum ac docendum Rex intraret, clamauit statim miserabili voce: Quid vis modo? Quid huc venisti? non enim mihi aliquid vtilitatis aut salutis potes vltra conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui: vide vt sanum sapias. Non, inquit, insanio, sed pessimam mihi conscientiam certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulo ante, inquit, intrauerunt domum hanc duo pulcherrimi iuuenes, & resederunt circa me, vnus ad caput, & vnus ad pedes: protulitq. vnus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit, in quo omnia quæ vmquam bona fecerim intuens scripta reperi, & hæc erant nimium pauca & modica. Receperunt codicem, neque aliquid mihi dicebant. Tunc subito superuenit C exercitus malignorum & horrendorum vultu spirituum, domumq. hanc & exterius obsedit, & intus maxima ex parte residens impleuit. Tunc ille qui & obscuritate tenebrosæ faciei, & primatu sedis maior esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & ponderis pene importabilis, iussit vni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri. Quem cum legissem, inueni omnia scelera, non solum quæ opere, vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccaui, manifestissime in eo tetris esse descripta litteris. Dicebatq. ad illos, qui mihi assederant, viros albatos & præclaros: Quid hic sedetis, scientes certissime, quia noster est iste? Responderunt: Verum dicis: accipite, & in cumulum damnationis vestræ ducite. Quo dicto, statim disparuerunt.

HORRIBILIS VISIO IMPORNITENTIS.

Surgentesq. duo nequissimi spiritus, habentes in manibus furcas, percusserunt me, D vnus in capite, alius in pede. qui videlicet modo cum magno tormento irrepunt mea viscera in interiora corporis mei; moxq. vt ad inuicem perueniant, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans, & non multo post defunctus, pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit.] hæc de horribili visu Beda, singula interpretatione declarans, & in testimonium sancti Gregorij Papæ auctoritatem adducit, atque ad finem hæc habet: Hanc historiam sicut a venerabili Antistite Pechtelmo didici, simpliciter ad salutem legentium, siue audientium, narrandam esse putaui.] hæc ipse, tantam rem tanti viri plane sanctissimi, de quo superius diximus, testimonio firmatam relinquens.

MISERANDVS INTERITVS IMPOENITENTIS.

Sed quid habet, quod fidem excedat, vel sit incongruum veritati? Nonne hæc omnia E antea in diuinis litteris sunt prædicta? nempe [a]: Opera illorum sequuntur illos] vel [b]: Quæ fecerit homo, hæc recipiet.] Nonne & prædixit Dominus [c], quod in die illa de omni verbo otioso rationem homines reddituri sint? Nonne & peccata scripta stylo ferreo in vngue adamantino propheta [d] testatus est? Nonne codices esse scriptos siue bonis, siue malis operibus, æque Deus [e] Ioanni olim ostendit? Nonne tradi tortoribus sontes pariter Dominus [f] dixit in Euangelio? Nonne hæc omnia euentura esse die obitus de aduersarijs spiritibus exactoribus sanctus Cyrillus Alexandrinus in tractatione illa de egressu animæ totidem fere verbis testatum reliquit? Audiant, qui sibi nimis prudentes, male sibi conscij ista derident, Dominum comminantem [g]: Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.] Profecit idem Rex eadem visione plurimum; quippe qui etsi vita innocens ac moribus sincerus extiterit, pro consequenda nihilominus

OMNIA CONGRVA VERITATI.

a Apocal. 14.
b Ephes. 6.
c Matth. 12.
d Hierem. 17.
e Apoc. 20.
f Matth. 18.
g Prouerb. 1.

delictorum suorum pleniori indulgentia, exemplo piorum Regum, Romam (vt idem Beda in epitome tradit) anno sui regni sexto, abdicans se, peregrinatus est ad sancta limina Apostolorum. A

Sed vbi auditam a sanctissimo viro idem Beda retulit visionem, aliam quam ipse se nouisse testatur, mox subijcit istis verbis [a]: Noui autem ipse fratrem, quem vtinam non nossem, cuius etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter viuentem. Corripiebatur quidem sedulo a fratribus ac maioribus loci, atque ad castigatiorem vitam conuerti admonebatur. Et quamuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob necessitatem operum ipsius exteriorum: erat enim fabrili arte singularis. Seruiebat autem multum ebrietati, & ceteris vitæ remissioris illecebris: magisq. in officina sua die noctuq. residere, quam ad psallendum atque orandum in ecclesia, audiendumq. cum fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Vnde accidit illi (quod solent dicere quidam) quia qui non vult ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in ianuam inferni non sponte damnatus introduci.

a Bed. lib. 5. c. 13.

DE MONACHO IMPOENITENTE.

B

Percussus enim languore, atque ad extrema perductus, vocauit fratres, & multum mærens ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos, & Satanam immersum in profundum tartari: Caipham quoque, cum ceteris qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus contraditum: in quorum vicinia, inquit, heu, misero mihi locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter exhortari, vt vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipse viderim iudicium meum iam esse completum. Talia dicens, sine viatico salutis obijt, & corpus eius in vltimis est monasterij locis humatum: neque aliquis pro eo vel Missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat.] hactenus rei gestæ series, de qua iure subdit idem Beda:

TERRIBILIS VISIO OSTENSA MONACHO.

C

O quam grandi distantia diuisit Dominus lucē & tenebras. Beatus protomartyr Stephanus [b] passurus mortem pro veritate, vidit cælos apertos, & vidit gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris Dei; & vbi erat futurus ipse post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, misit. At contra faber ille tenebrosæ mentis & actionis, imminente morte, vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli & sequacium eius: vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quo miserabilius ipse desperata salute periret, sed viuentibus, qui hæc cognouissent, causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc nuper in prouincia Berniciorum, ac longe lateq. diffamatum, multosq. ad agendam & non differendam scelerum suorum pœnitudinem prouocauit. Quod vtinam ex hinc etiam nostrarum fiat lectione litterarum.] hucusque Beda, quæ plane consentientia esse noscuntur ijs quæ a sancto Gregorio in dialogis scripta reperiuntur.

b Act. 6.

ANTITHESIS DE S. STEPHANO, ET PERDITO MONACHO.

D

IESV CHRISTI ANNVS 705. IOANNIS PAP. VII. ANNVS 1. IVSTIN. RHINOT. ITERVM IMP. ANNVS 2.

IOANNES PAPA SEXTVS MORITVR.

E

SEptingentesimus quintus Indictione tertia adest annus, quo Ioannes Sextus Romanus Pontifex, vbi sedisset annos tres, menses duos, atque dies duodecim, moritur die decima Ianuarij. De quo, præter alia suis certis temporibus consignata, hæc Anastasius habet: Hic fecit in basilica beati Andreæ Apostoli, quæ ponitur infra ecclesiam beati Petri principis Apostolorum, ambonem nouiter. Hic super altare ecclesiæ sancti Marci coopertorium fecit, & in basilica beati Pauli Apostoli inter columnas altaris dextra læuaq. vela alba. Hic fecit ordinationem presbyterorum & diaconorum vnam, id est, presbyteros nouem, diaconos duos: fecit autem per diuersa loca Episcopos quindecim. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum. Et cessauit Episcopatus mensem vnum, dies decem & octo.] hucusque Anastasius. Ex cuius sententia pariter liquet, eius successorem creatum esse hoc eodem anno die prima Martij. Fuit iste Ioannes, eius nominis septimus numeratus, natione Græcus, ex patre Platone genitus.

IOANNES PAPA SEPTIMVS CREATVS.

Incre-

Universidad de Deusto Biblioteca

A Ineredibiles perſpicias fuiſſe Græcorum artes, quibus niſi ſunt ſibi ſubijcere (ſi licuiſſet) Romanam Eccleſiam. Quod enim confirmationi Romani Pontificis ſibi tyrannice vſurpatæ tandem renunciaſſent Imperatores, ſtuduerunt alia via eidem Romanæ Eccleſiæ dominari, agentes nimirum, vt in collegium S. Rom. Eccl. Cardinalium allegerentur Orientales, qui etiam, opera Exarchorum adnitente, crearentur Romani Pontifices. Hinc videas, poſt Benedictum Pontificem, Ioannem Quintum Syrum natione creatum ſucceſſorem, deinde Cononem Thracem, poſtea Sergium Syrum, Ioannem deinde Græcum pariter ordine Sextum dictum, inde hunc de quo agimus, Ioannem Septimum itidem Græcum, poſtea Sifinnium Syrum, & poſt eum Conſtantinum pariter Syrum, itidemq. Gregorium Tertium Syrum etiam, necnon poſt eum Zachariam Græcum: vt appareat inter hos omnes vix vnum Gregorium Secundum intercalatum Romanum natio-
B ne Pontificem.

ARTES GRAECORVM ADVERSVS ROM. ECCLES.

Sed quid accidit? vtique tamquam miraculum a Deo, vt in collegium ijdem cooptati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & creati Pontifices Apoſtolicæ ſedis, ſpiritum pariter hereditarint Apoſtolicum, ſteterintq. aduerſus omnes conatus Imperatorum & Orientalium Epiſcoporum, reſtiterintq. ac ne minimum quidem ceſſerint. Videas pariter hac de cauſa, ad eludendum eumdem conatum Imperatorum, fuiſſe ordinationes Cardinalium Romanæ Eccleſiæ infrequentes, quo neceſſitatem vitarent ijdem Romani Pontifices Imperatorum obſequendi voluntati. Sic igitur ſemper ipſi eluſi remanſerunt Imperatores, cum ſuos Græcos, ſiue alios Orientales creatos Romanos Pontifices, ſuis ipſorum petitionibus acerrimos aduerſarios reperirent, quos putabant in omnibus gentilibus ſuis fore concordes; vt de ipſo (de quo eſt ſermo) Ioanne Septimo acci-
C diſſe probatur.

VNVS SPIRITVS OMNIVM ROM. PONTIFICVM.

Vbi enim Iuſtinianus Imperator accepit Ioannem Græcum natione creatum eſſe Romanum Epiſcopum, honorificentiſſimam ad eum ornauit legationem, mittens nimirum ad ipſum duos Metropolitanos Epiſcopos, ad componendam diu agitatam de nouis canonibus editis nomine Sextæ Synodi controuerſiam. Cuius rei cauſa idem Pontifex hoc anno collegit Epiſcoporum Romæ Concilium, ex quo eoſdem auditos legatos re infecta dimiſit. Sed quid de his primum Anaſtaſius habeat, videamus. ait enim: Idem Iuſtinianus Imperator pro tomis, quos ante ſub domno Sergio Apoſtolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diuerſa capitula Romanæ Eccleſiæ contraria ſcripta inerant, duos Metropolitanos Epiſcopos demandauit, dirigens per eos & Sacram, per quam denominatum Pontificem coniurauit & adhortatus eſt, vt Apoſtolicæ Eccleſiæ
D Concilium congregaret, & quæcumque ei viſa eſſent, ſtabiliret, & quæ aduerſa, renuendo excluderet.] hæc Anaſtaſius.

LEGATIO MISSA AD IOANNEM PAP.

Videntur namque eius argumenti litteræ & legatio fuiſſe Imperatoris, vt ſancitos Conſtantinopoli in Synodo canones Ioannes Papa congregato Concilio examinaret, & quos conſentientes reperiſſet Catholicæ diſciplinæ probaret, confirmaretque, ceteros vero pro arbitrio refutaret. Verum etſi iuſta hæc eſſe petitio videretur: tamen quod non deceret maieſtatem Apoſtolicæ ſedis, *vel quid minimum* comprobare, quod non in legitima Synodo ſancitum eſſet, eos Ioannes nec ex parte voluit comprobaſſe: ceterum (quod ab eo fieri expectabatur) neque voluit condemnaſſe, ne commoueret animum Imperatoris. Hinc eſt enim quod idem Anaſtaſius ſubdit: Sed Ioannes humana fragilitate timidus, hos nequaquam emendans, per ſuprafatos Metropolitanos direxit ad Principem.] hæc ipſe. Verum
E eos non recepiſſe, videri poterat condemnaſſe. Non fuiſſe illos quidem receptos, ſed vti ſcripti erant (vt Anaſtaſius ait) remiſſos ad Imperatorem, alia ſunt quæ demonſtrant: etenim ſi recepti fuiſſent, haud opus fuiſſet Iuſtiniano Imperatori vocare ob eam cauſam Conſtantinopolim (vt dicemus) Conſtantinum Pontificem.

IOANNES PP. AVERSATVS EST CANONES SEXTAE SYNODI.

Quod inſuper ad hanc Synodum ſpectat, interfuit ipſi mirificus ille ſanctus Vuilfridus Archiepiſcopus Eboracenſis, de quo ſæpe ſuperius: interfuit inquam, ſed reus: iterum namque accuſatus, iterum Romanum Pontificem appellans, Romam ſe contulit ad ſuam proſequendam cauſam. Quem enim antea ſub Agathone Papa eadem ex cauſa Romam oportuerat ſe conferre, cum abſolutus eſt & innocens declaratus: iterum paſſus calumnias, iterum idem iter ſuſcipere coactus eſt. At quod Beda non dicat, quinã trium eiuſdem nominis Pontificum Ioannes fuerit, qui in Synodo S. Vuilfridi cauſam cognouit: etenim ab eo tempore Agathonis, tres eiuſdem nominis interceſſere Pontifices Ioannes dicti,

S. VVILFRIDVS RVRSVS ROMAM VENIT.

Quintus, Sextus, & Septimus: vt nonnisi sub hoc Septimo id contigisse dicamus, certum inde deducimus argumentum, quod cum testetur Beda eumdem sanctum post hanc Synodum quadriennio dumtaxat vixisse, constetq. eodem auctore ipsum obijsse diem anno Redemptoris septingentesimo nono, nihil est quod de his dubitari possit. Cum insuper in eius epitaphio idem Beda testetur [a] vixisse Episcopum annos quadragintaquinque, idemq. affirmet [b] sedere cœpisse anno Domini sexcentesimo sexagesimoquarto, plane ad dictum tempus ipsum oportuit peruenisse. Sed & inde etiam idem eius obitus tempus colliges: cum enim eumdem mortuum esse dicat Beda anno quarto, exacto scilicet, Osredi, quem anno superiori cœpisse regnare tradidimus; plane ad dictum nonum annum post septingentesimum reperies peruenisse. Cum igitur (vt dictum est) annis quatuor ante obitum ipsum Romæ in Concilio sub Ioanne Pontifice absolutum iterum fuisse testetur Beda; iam plane constat, non ad Quintum vel Sextum Ioannem, sed ad Septimum referri debere. Sed de ipso in Synodo reo constituto & absoluto audiamus Bedam [c]:

TEMPORIS RATIO ADVENTVS S. VVILFRIDI.

a Bed. lib. 5. c. 20.
b Beda lib. 5. c. 20.
c Bed. lib. 5. c. 20.

A
B
C
D
E

CAVSA VVILFRIDI EPISC. EBORACENSIS TRACTATVR IN SYNODO.

Post quinque annos, inquit, denuo accusatus ab eodem ipso Rege, *Aldfrido scilicet*, & plurimis Episcopis, Præsulatu pulsus est: veniensq. Romam, cũ præsentibus accusatoribus acciperet locum se defendendi, considentibus Episcopis pluribus cum Apostolico Papa Ioanne, omnium iudicio probatum est, accusatores eius nonnulla in parte falsas contra eum esse machinatos calumnias. Scriptumq. est a præfato Papa Regibus Anglorum Edilredo & Aldfrido, vt eum in Episcopatum suum (eo quod iniuste fuerit condemnatus) facerent recipi. Iuuit autem causam absolutionis eius lectio Synodi beatæ memoriæ Papæ Agathonis, quæ quondam ipso præsente in Vrbe atque in eodem Concilio inter Episcopos residente (vt prædiximus) acta est. Cum ergo, causa exigente, Synodus eadem coram nobilibus & frequentia populi, iubente Apostolico Papa, diebus aliquot legeretur, ventum est ad locum, vbi scriptum erat: Vuilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis ciuitatis, Apostolicam sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertisq. rebus absolutus, &c. quæ supra posuimus. Quod vbi lectum est, stupor apprehendit audientes: & silente lectore, cœperunt alterutrum requirere, quis esset ille Vuilfridus Episcopus. Tum Bonifacius consiliarius Apostolici Papæ, & alij perplures, qui eum temporibus Agathonis Papæ ibi viderunt, dicebant ipsum esse Episcopum, qui nuper Romam accusatus a suis, atque ab Apostolica sede iudicandus, aduenerat.

ABSOLVITVR VVILFRIDVS.

Qui iamdudum, inquiunt, æque accusatus huc adueniens, mox audita ac adijudicata causa & controuersia vtriusque partis, a beatæ memoriæ Papa Agathone probatus est, contra fas a suo Episcopatu repulsus: & tanto apud eum habitus est honore, vt ipsum in Concilio quod congregarat Episcoporum, quasi virum incorruptæ fidei & animi probi, residere præciperet. Quibus auditis, dicebant omnes vna cum ipso Pontifice, virum tantæ auctoritatis, qui per quadraginta prope annos Episcopatu fungebatur, nequaquam damnari debere, sed ad integrum culpis accusationum absolutum in patriam cum honore reuerti.] hæc de Synodo: vbi cum integram Romanam sub Agathone Synodum recitatam fuisse audisti, plane conijci potest (quod eiusdem esset argumenti) causam ibi canonum ad Sextam Synodum additorum esse tractatam, & proculdubio esse reiecta omnia, quæ in Sextæ Synodi Actis minime reperta fuissent, sed a Græcis addita: erat enim intextum sub Actis Sextæ Synodi dictum sub Agathone Romanum Concilium.

VVILFRIDVS AEGROTAT AD MORTEM, SED LIBERATVR.

Verum remeantem absolutum S. Vuilfridum ad propria prosequamur: de ipso enim hæc ibidem Beda: Cum in Britanniam remeans, in Galliarum partes deuenisset, tactus est infirmitate repentina, & ea crescente adeo pressus, vt neque equo vehi posset, sed manibus ministrorum portaretur in grabato. Sic delatus in ciuitatem Meldum Galliæ, quatuor diebus ac noctibus quasi mortuus iacebat, halitu tantum pertenui quia viueret demonstrans. Cumq. ita sine cibo & potu, sine voce & auditu quatriduo perseueraret, quinta demum illucescente die, quasi de graui experrectus somno, exurgens resedit, apertisq. oculis, vidit circa se choros psallentium simul & flentium fratrum: ac modicum suspirans, interrogauit vbi esset Acca presbyter: qui statim vocatus intrauit, & videns eum melius habentem ac loqui iam valentem, flexis genibus gratias egit Deo cum omnibus qui aderant fratribus. Et cum parum consedissent, ac de supernis iudicijs trepidi aliquantum fabulari cœpissent, iussit Pontifex ceteros ad horam egredi, & ad Accam presbyterum ita loqui exorsus est: Visio mihi modo tremenda apparuit, quam te

audire

A audire ac silentio tegere volo, donec sciam, quid de me fieri velit Deus. Astitit mihi quidam candido præclarus habitu, dicens se Michaelem esse Archangelum: Et ob hoc, inquit, missus sum, vt te a morte reuocem. Donauit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lacrymas discipulorum & fratrum tuorum, & per interces sionem suæ beatæ genitricis semperq. virginis Mariæ. Quapropter dico tibi, quia modo quidem ab infirmitate hac seruaberis: sed paratus esto, quia post quadriennium reuertens visitabo te. In patriam vero perueniens, maximam possessionum tuarum, quæ tibi ablatæ sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis.

Conualuit igitur Episcopus, cunctis gaudentibus, & Deo gratias agentibus: ceptoq. itinere in Britanniam venit. Lectis autem epistolis, quas ab Apostolico Papa aduexerat, Bertuualdus Archiepiscopus, & Edilredus quondam Rex, tunc autem Abbas, libentissi-
B me fauerunt: Qui videlicet Edilredus accitum ad se Conredum, quem pro se Regem fecerat, amicum Episcopo fieri petijt, & impetrauit: sed Aldfridus Nordanhumbrorum Rex eum susci pere contempsit, nec longo tempore superfuit.] hoc namque anno eum idem Beda defunctum esse testatur [a]: Vnde, inquit [b], factum est, vt regnante Osredo filio eius, mox Synodo facta iuxta fluuium Nidd, post aliquantum vtriusque partis conflictum, tandem cunctis fauentibus, in præsulatum sit suæ receptus Ecclesiæ. Sicq. quatuor annis, id est, vsque ad diem obitus sui vitam duxit in pace.] hactenus Beda.

SYNODVS IN ANGLIA INSTITVTIONE S. VVILFRIDI.

a Bed. epit. hoc anno, & lib. 5. c. 19.

b Bed. lib. 5. c. 20.

Sed ne recedamus a fertili sanctorum agro Britannia Anglorum laboribus bene culta: hoc eodem anno, ipso exordio regni Osredi, vita sanctissimus Heddi Episcopus Occidentalium Saxonum moritur, de quo ista habet idem auctor Beda [c]: Huius Osredi regni principio Antistes Occidentalium Saxonum Heddi cælestem migrauit ad vitam. Bonus quippe
C erat vir ac iustus, & Episcopalem vitam siue doctrinam magis insito sibi virtutum amore, quã lectionibus institutus, exercebat. Denique reuerendissimus Antistes Pecthelmus (de quo in sequentibus suo loco dicendum est, qui cum successore eius Aldhelmo multo tempore adhuc diaconus siue monachus fuit) referre est solitus, quod in loco in quo defunctus est, ob meritum sanctitatis eius, multa sanitatum sint patrata miracula: hominesq. prouinciæ illius solitos ablatum inde puluerem propter languentes in aquã mittere, atque huius gustum siue aspersionem multis sanitatem ægrotis & hominibus & pecoribus conferre: propter quod, frequenti ablatione pulueris sacri, fossa sit ibidem facta non minima.] hæc de sanctitate Episcopi Beda. Vnde merito inter sanctos in Martyrologium relatum ipsum sancta Ecclesia æque colit, annuaq. die, nempe Nonis Iulij, eius vna cum alijs eiusdem diei sanctis commemorationem pie agere consueuit.

c Bed. lib. 5. c. 19.

HEDDI EPISC. OBITVS.

D Ex Anglia vero in Germaniam migrantes, manipulos ex apostolatu sanctissimi viri Suuiberti Episcopi colligemus, qui post prædicationem Brunscoichensibus & alijs finitimis populis ministratam, quos Euangelio imbuens & virtute miraculorum confirmans reddidit Christianos, ad Boructuariorum iterum se culturam conuertit; de quibus Marcellinus hæc habet [d]: Cumq. ad Boructuarios veniffet, scilicet anno ab incarnatione Domini septingentesimo quinto, statim salutifera verbi diuini præcepta stolidis ipsorum cordibus euangelizando tradidit; ferasq. eorum mentes, tetris ignorantiæ caliginibus cæcatas, Euangelicæ prædicationis lumine perlustrauit, glorioſus apparens in verbis, & sanctus in operibus suis: ita vt a prophanis idolorum superstitionibus ad fidem Christi multos conuertendo, in radice veræ fidei miraculorum prodigijs solidando confirmarit. Sed cum vbique prædicatione sanctissimi Suuiberti multi conuersi baptizatiq. Christo ser-
E uirent, & quotidie plures ad Orthodoxam fidem conuolarent; nefandissimus hortator scelerum, animarum prædo, gaudens in peius abire omne genus hominum, & non posse cælos adire, fategit per suæ malignitatis fautores ipsum aut interimere, aut expellere. Cum ergo quadam die prædicaret coram multis Gentilibus, sacrilegi sacerdotes Paganorum, calice Babylonis inebriati, insurrexerunt aduersus eum: qui ipsum verberatum pugnis, retortis baculis & lapidibus, a finibus ipsorum eliminare & expellere conabantur: sed ereptus industria quorumdam fortium Christianorum, aliquot diebus secrete latuit (non enim palam ipsum trucidare audebant timore Satrapæ ipsorum) non tamen cessauit a prædicatione: quin sparsit semina vitæ per agros multorum cordium, ita vt in dies multos, despectis idolis, publice Christum confitentes baptizaret.] Quomodo autem Deo cogente, ad prædicationem publice ineundam ipse etiam hostis humanæ na-

SVVIBERTI EPISC. PRAEDICATIO AD BORVCTVARIOS.

d Marcellin. in vita S. Suuiber. c. 19.

turæ diabolus licet inuitus & nolens viam ei amplam aperuerit, idem Marcellinus ita A
describit[a]:

[a] *Marcellinus in vita S. Suuiberti c. 20. 21.*

OCCASIONE DAEMONIACI GENTILES CONVERSI AD FIDEM.

Erat, inquit, eodem tempore in quadam Boructuariorum villa, Velsenberch nomine, vir quidam diues & potens, Ethelhere dictus, obsessus a dæmonio, ferro & catenis adstrictus, eo quod omnes morsu arriperet, & vestes proprias laceraret. Erat autem idem Ethelhere incitator aliorum, & primus qui sanctum Suuibertum baculo impetere non formidabat. Qui cum quotidie dire vexaretur, & a multis visitaretur, tandem quadam die, præsentibus nonnullis idolorum sacerdotibus & alijs Paganis ipsi condolentibus, dæmon clamare cœpit: Nisi huc veniat seruus Dei viui Suuibertus Christianorum Episcopus, hinc non egrediar. Cumq. magis ac magis hæc iterando clamaret, confusi abscesserunt idololatræ & amici dæmoniaci, perplexi & dubij, quidnam facerent. Demum communi omnium deliberatione ab ipsis sanctus Suuibertus quæritur, & inuentus obnixe ro- B
gatur & inuitatur ad visitandum dæmoniacum præfatum. Igitur sanctus Suuibertus, fraterno tactus dolore, dæmoniaco compatiens, cum iret cum suis presbyteris & clericis, essetq. in via ad visitandum eum, mox cœpit dæmoniacus spumare, dentibusq. dire stridere, & horribiliter vociferando clamare plus solito: de quo præsentes valde gementes mirabantur. Sed sancto Suuiberto appropinquante domui, cessauit dæmoniacus iacens in lecto, ac si somno dulciter pressus esset.

Quem sanctus cernens, præcepit suis, vt omnes orationibus deuote vacarent: & ipse orationi incumbens, Deum deuotissime precabatur, vt ad laudem & gloriam sanctissimi nominis sui, & ad conuersionem incredulorum, dæmoniacum expulso dæmone liberaret. Surgensq. cum suis ab oratione, signauit dæmoniacum signo salutiferæ Crucis, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi immunde spiritus, vt exeas ab hac Dei C
creatura, vt agnoscat suum verum Creatorem & Saluatorem. Statim cum fœtore spiritus malignus exiens, clamare cœpit: Non diu in ista permanebis prouincia, serue magni Dei: nam sicut me ab hac mea habitatione expulisti, ita expelli te faciam ex ista terra & prouincia. Ethelhere vero a dæmonio liberatus, surgens palam, inhærens pedibus sancti Suuiberti, veniam petens de commissis in eum, baptizari in nomine Iesu Christi instantissime popposcit, in cuius nomine liberatus fuit. Similiter multi Pagani cum duobus idolorum sacerdotibus, qui præsentes fuerunt, pedibus sancti Episcopi prouoluti, mysterium fidei Christianæ discere & scire expetierunt. Quos sanctus eleuans, docebat diuinam Sapientiam descendisse de cælo ad terram, vt hominem, qui mortuus fuerat peccato, suo sanguine & benedicta morte in ara Crucis viuificaret. Itaque per tres continuas hebdomadas eos docens & in fide confirmans, baptizauit ex eis solummodo quadragintaduos, D
exceptis paruulis vtriusque sexus & mulieribus.

PROPAGATIO FIDEI IN BORVCTVARIIS.

Et licet Boructuarij essent gens barbara, sæua, & inculta, & plures deos adorarent, prophanis & sacrilegis sacrificijs responsa a dæmonibus exquirentes, augurijs & diuinationibus seruientes: tamen sanctus Suuibertus, condolens ipsorum miseriæ, sedula prædicatione, crebris deuotionibus, & mirabili sanctitate, Deo auxiliante, eos ad agnitionem veri perduxit luminis: ita vt relictis idolorum *sordibus*, in Christum credentes, phana, in quibus idola antea adorare consueuerant, proprijs manibus destruentes, ecclesias construerent, in quibus presbyteros & diaconos sibi in adiutorium per diuersa ecclesiarum loca ordinauit. Qui postquam præfatum errorem in magna parte, diuina præcedente gratia, miraculis & sermonibus extirpasset, frequentabatur a populis circumquaque po- E
sitis, cateruatim ad eum confluentibus: qui eximiæ conuersationis & miraculi præfati fama excitati, videre & audire eum sitiebant. Quibus libera voce documenta insinuans Euangelica, multos ex eis conuertit, quos sacro baptismatis fonte abluit & purgauit: sicq. per biennium inter eos moratus, vitæ meritis & virtutum clarens exemplis, omnibus amabilis & venerabilis factus est. Fraterno denique amore plenus, cunctis ad salutem prodesse satagebat. Ipse vero, vt omnibus omnia fieret, cunctos egenos in *necessitatibus* & infirmitatibus ipsorum visitauit, non solum Christianos, quos in fide visitando & exhortando confirmauit, sed & feroces Paganos errore idololatriæ irretitos, vt eos a vano cultu dæmonum ereptos, ad fidem perduceret Christi.] hæc ibi de ijs quæ præsenti & sequenti anno sunt facta: adijcit auctor alia miracula hoc eodem tempore ab eodem Christi Apostolo diuinitus edita, ex quibus maior facta fuit ad fidem accessio. Sed quas

BORVCTVARII AD FIDEM CONVERSI.

idem

A idem sanctus (vt comminatus fuerat dæmon) passus sit postea insidias, suo loco dicturi sumus.

De Orientalibus rebus illud hoc anno secundo Iustiniani Annales produnt, Sarracenos Damasci abstulisse a Christianis primariam ecclesiam, excitatos æmulatione ob eminentem pulchritudinem templi. hæc ex Theophane. Putamus hanc illam fuisse sancti Ioannis Baptistæ ecclesiam, cuius meminit Beda, vbi in epitome de locis sanctis de Damasco agit.

IESV CHRISTI ANNVS 706. IOANNIS PAP. VII. ANNVS 2. IVSTIN. RHINOT. ITERVM IMP. ANNVS 3.

B SEquitur Christi annus septingentesimus sextus Indictione quarta, quo nihil præterea Annales reddunt, nisi (quod ad res spectat Orientales) non sine magna ingratitudinis nota Iustinianum Imperatorem, qui armis Bulgaricis fuerat in Imperium restitutus, pactam pacem cum Trebellio ipsorum Rege frangentem, aduersus eum duxisse exercitum, sed dignas tulisse pœnas, vtpote qui posteriores in bello ferens, fuga elapsus, vix Constantinopolim cum paucis redire valuit. Habent ista latius enarrata Græcorum Annales [a].

a Ex Theophi. & Cedren.

Hoc eodem anno septingentesimo sexto consignantur res gestæ sancti Guthlaci anachoretæ in Anglia ab ijs qui eius vitam scriptis sunt prosecuti. Vixit hic in horrida insula
C solitarius, multisq. virtutibus illustratus, prophetiæ dono imbutus, & miraculorum gratia insignis extitit. Habentur ex parte res præclare ab eo gestæ [b], quas tu consulas.

b Apud Sur. die 11. April. to. 2.

IESV CHRISTI ANNVS 707. IOANNIS PAP. VII. ANNVS 3. IVSTIN. RHINOT. ITERVM IMP. ANNVS 4.

SEptingentesimus septimus Redemptoris annus Indictione quinta inchoatur, quo decimoquinto Kalendas Nouembris Ioannes Papa, vbi sedisset annos duos, menses septem, dies decem & septem, moritur. de quo ista Anastasius: Hic fecit oratorium sanctæ Dei genitricis intra ecclesiam beati Petri Apostoli, cuius parietes musiuo depinxit:
D illicq. auri & argenti quantitatem multam expendit, & venerabilium Patrum dextra læuaq. vultus erexit. Hic restaurauit basilicam sanctæ Eugeniæ, quæ longo tempore detecta atque diruta fuerat. Laborauit autem & in cœmeterijs beatorum martyrum Marcelliani & Marci, Damasiq. sancti Pontificis. fecit vero & imagines per diuersas ecclesias, quas quicunque nosse desiderat, in eis vultum ipsius depictum reperiet.

IOANNIS VII. PAP. OBITVS.

Basilicam itaque sanctæ Dei genitricis, quæ antiqua vocatur, pictura decorauit, illicq. ambonem nouiter fecit; & super eamdem ecclesiam, quantum ad se, Episcopium constituere maluit, illicq. Pontificatus sui tempus expleuit.] Puto basilicam hanc Dei genitricis, quæ vocabatur antiqua, fuisse ecclesiam sanctæ Mariæ trans Tiberim positã, a Calixto Papa erectam, qua antiquior nulla; illicq. sibi Ioannem habitationem delegisse. Sed pergit Anastasius: Hic fecit aureum calicem præcipuum pensantem libras viginti, quem & gem-
E mis pretiosis decorauit.] & in fine: Hic fecit Episcopos per diuersa loca numero decem & octo. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum ante altare oratorij sanctæ Dei genitricis, quod ipse construxit, sub die decimoquinto Kalend. Nouembris, Indictione sexta, Iustiniano Romanorum Rempublicam gubernante. Et cessauit Episcopatus eius mensibus tribus.] Sicq. decimoquinto Kalendas Februarij creatus est Sisinnius, de quo mox dicturi sumus anno sequenti.

BASILICA ANTIQVA DEI GENITRICIS.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXordio anni Redemptoris ſeptingenteſimi octaui, ſexta Indictione, decimoquinto Kalend. Februarij (vt diximus) creatur Papa Siſinnius natione Syrus, qui (inquit Anaſtaſius) podagrico humore ita tenebatur conſtrictus, vt ſibi cibum proprijs manibus exhibere non valeret: erat tamen conſtans animo, & curam gerens pro habitatoribus ciuitatis: qui & calcarias pro reſtauratione murorum iuſſit decoquere, vixitq. in Pontificatu dies dumtaxat viginti, ſicq. ſeptima die Februarij moritur, morte repentina: qui fecit in inſula Corſica Epiſcopum vnum, ſepultusq. eſt ad beatum Petrum dicta die & Indictione ſexta: ceſſauitq. Epiſcopatus eius menſem vnum, ſeu dies vigintinouem.] Poſtea vero die B

SISINNII PAP. CREATIO ET OBITVS.

ſeptima Martij creatur Pontifex Conſtantinus natione Syrus, vir (inquit idem Anaſtaſius) valde mitiſſimus.

CONSTANTINVS PAPA.

Huius Pontificatus exordio contigit creari Rauennatem Archiepiſcopum Felicem, Romamq. ſe conferre ex more, vt conſecrationem acciperet ab ipſo Pontifice, profeſſione fidei edita & obedientiæ ſponſione, licet inuitus, cogentibus magiſtratibus. ſed rediens Rauennam, pœnitens facti, reſilijt, Rauennatum inſtigatione permotus, ſeq. ſchiſmate ab Apoſtolica ſede diuiſit: cuius rei cauſa animum etiam Iuſtiniani Imperatoris maxime in ſe concitauit, vt ab eo vinctus iuberetur perduci Conſtantinopolim, & exilio atque etiam oculorum priuatione damnari; vixq. tandem ſuis preſſuris excoctus ad meliores conuerſus ſit ſenſus, didiceritq. ſupremæ ſedi Pontificiæ obedire. Hæc autem adeo luctuoſa a nobis ſummatim perſtricta ſunt; Anaſtaſius vero plura addit his verbis: C

Hic, inquit, ordinauit Felicem Archiepiſcopum Rauennatem, qui ſecundū vſum priorum ſuorum ſolitas in ſcrinio noluit facere cautiones, ſed per potentiam Iudicum expoſuit, vt maluit *. Cuius cautio a Pontifice in ſacratiſſima Confeſſione beati Petri Apoſtoli poſita, poſt multos dies, tetra & quaſi igne combuſta reperta eſt.] quod quidem haud accidit caſu, ſed ad ſignificandum veluti certis notis, haud Deo & Apoſtolo Petro eſſe gratam eam confeſſionem atque profeſſionem, quæ non prodit ex animo, ſed ex timore. Quid autem Rauennates ſint paſſi, cum Felicem ſuum ipſorum Epiſcopum a promiſſione recedere ſuaſerunt, & Iudicibus ac magiſtratibus Imperatoris contradixerunt, atque ob id etiam rebelles maieſtati fuerunt, & ab Imperio deſciuerunt, ita pergit dicere Anaſtaſius:

FELICIS RAVENNATIS ORDINATIO ET SCHISMA.
* valuit

Rauennates ciues elati ſuperbia, digna vltionis pœna mulctati ſunt. Mittens quippe Iuſtinianus Imperator Theodorum Patricium & primum exercitus inſulæ Siciliæ cum claſſe nauium, Rauennam ciuitatem cepit; & omnes rebelles, quos ibi reperit, compedibus ſtrinxit, diuitias eorum abſtulit, & Conſtantinopolim miſit. Dei autem iudicio & Apoſtolorum principis Petri ſententia, qui inobedientes fuere Apoſtolicæ ſedi, amara morte perempti ſunt, & idem Archiepiſcopus lumine priuatus, dignam *factis recipiens* pœnam, exul in Ponticam tranſmiſſus eſt regionem.] hucuſque de pœna rebellium Anaſtaſius. Sed quomodo demum exilio liberatus Felix *permiſſus* eſt redire Rauennam, inferius ſuo loco dicturi ſumus. D

FELIX ET RAVENNATES PVNITI.

Ita plane iuſta lance appenſo diuino iudicio oportuit puniri magna ſeueritate homines refractarios, qui toties contra Eccleſiam Romanam cornua erexere, ſæpe delinquentes, ſæpe veniam obtinentes ab ipſo Romano Pontifice: vt per Imperatorem ira æſtuantem acerbiſſime punirentur. Sic igitur tamquam in conflatorio Eccleſia illa purgata, & vexationibus excocta, didicit ex ijs quæ paſſa eſt obedientiam: vt factum ſit illi a Domino ſecundum illud vaticinium Iſaiæ [b]: Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & reſtituam Iudices tuos vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus: poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.] ita plane: ex hoc enim tempore quieuerunt factioſæ illæ in Romanam Eccleſiam contentiones, eidem in omnibus (vt par erat) ſemper Epiſcopis Rauennatibus obedientibus. Meruerunt ab Imperatore Orientis ita Rauennates affligi, qui Exarchatus confiſi potentia aduerſus matrem adeo fuere proterui. At quo tempore Felix ita oculorum vſu Conſtantinopoli ignominioſe priuatus eſt, & miſeri Rauennates occiſi, eodem plane Romanus Pontifex ad maiorem ipſorum inuidiam ab eodem Imperatore itidem Conſtantinopoli ſummis eſt affectus honoribus, de quibus inferius dicturi ſumus. E

ECCLESIA RAVENNATVM IN MELIOREM STATVM REDVCTA.
b Iſai. 1.

Hoc

A Hoc eodem anno Eccleſia Boructuariorum in Germania, ipſo ſui ortu, inuidia diaboli diſſipatur, Chriſtianis qui in ea erant alio migrare coactis. Duobus enim elapſis iam annis, ex quo ad Euangelium prædicandum reſerata ianua fuerat Apoſtolo illarum gentium Suuiberto, inter eos & vicinos Saxones immane conflatum eſt bellum, id plane Satana moliente, quod iam ante ſanctiſſimo viro fuerat comminatus. Rei geſtæ narrationem idem ſibi præſentium rerum ſcriptor ſic aggreditur Marcellinus[a]: Quamuis autem diabolus ſit mendax & pater mendacij, verum tamen ſancto prædixit Suuiberto, cum per eum expulſus eſſet ab obſeſſo, *nimirum operaturum, vt ex ea prouincia eum pelleret.* Nam poſt biennium veniens illuſtris Bruno magnus Satrapa Saxonum cum nobili comitatu in prouinciam Boructuariorum, pernoctansq. in vico Ratingen, ex nimia ebrietate orta diſſenſione magna inter ipſum & Primicerium eiuſdem vici de Ratingen, ex inſtigatione & B ſuggeſtione diabolica ipſum occidit cum duobus famulis: quibus per vicum dolenter patefactis, amici & affines occiſorum ad arma conuolantes, eumdem nobilem Satrapam fere cum omnibus ſuis in vindictam trucidauerunt.

CONATVS DIABOLI ADVERSVS S. SVVIBERTVM.

[a] *Marcell. in Suuibert. c. 22.*

Fama vero per Saxoniam increbreſcente veridica, Saxones irati nimis, intrantes potenter Boructuariorum fines, multos in ore gladij occidentes, maxima damna ipſis intulerunt, vicumq. Ratingen funditus liuore pertinaci deſtruxerunt. Econtra Boructuarij, & præcipue amici occiſorum, aggregata magna potentia armigerorum, multas villas & munitiones Saxonum igne & ferro demoliti ſunt. Sicq. viciſſim dum diu committerent magnæ depopulationis excidium, Boructuarij & præcipue Chriſtiani, qui a ſancto Suuiberto verbum Dei receperunt, perpendentes quod Saxonum potentiæ & inſolentiæ reſiſtere non poſſent, vale dicto ſancto Suuiberto, & accepta ab eo benedictione, coacti mi- C grauerunt in exteras prouincias, vt liberius ibidem Chriſto ſeruirent. Interea attendens ſanctus Suuibertus glorioſus Pontifex gregem ſuum hac illacq. diſperſum, & quod nullum fructum nullasq. inducias inter vtraſque partes cum ſuis propter ſaxea Saxonum corda facere poſſet, exorauit aſſidue Dominum, vt ei iam ſeni locum oſtenderet, vbi habitare deberet. Tandem angelica reuelatione admonitus, præcipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, qui ei aptum locum permanendi cum ſuis condonarent.] Quomodo autem Coloniam perueniens, exceptus a Plectrude coniuge Pipini complura Apoſtolo digna operatus eſt, & a Pipino vicum Vuerdam in inſula Rheni impetrans, nobile illic condidit monaſterium, idem Marcellinus pluribus narrat. Fuit ea erectio fortis munitio ad expugnandam perfidiam Saxonum: ſicq. accidit, vt vbicumque vir Apoſtolicus fuerit, ſemper profuerit, illaq. Chriſtianorum diſperſio conuerſa D fuerit ad maiorem fidei profectum: ſicut contigit ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, cū Hieroſolymis[b] oborta perſecutione, facta eſt proficua diſcipulorum circumquaque diſperſio.

SAXONES INSVRGVNT ADVERSVS BORVCTVARIOS.

[b] *Act. 8.*

IESV CHRISTI ANNVS 709. CONSTAN. PAP. ANNVS 2. IVSTIN. RHINOT. ITERVM IMP. ANNVS 6.

SEquitur Redemptoris annus ſeptingenteſimus nonus, Indictione ſeptima: quo, menſe Octobri, iam inchoata a menſe Septembri Indictione octaua, Iuſtinianus Imperator pœnitentiam agens (vt ait Marianus Scotus huius temporis auctor) accerſit ab Vrbe Conſtantinopolim Conſtantinum Papam; quod hoc anno Indictione octaua inchoata E factum eſſe, Anaſtaſius tradit, licet Scotus nona Indictione id accidiſſe ſcribat. Verum Anaſtaſio potius aſſentimur, cui reliqua bene conſentiunt, vt quæ dicentur oſtendent. Iuſtinianus igitur, non minis, ſed precibus adhibitis, omniq. ſecuritate præſtita, ſcriptis litteris Conſtantinum accerſit Conſtantinopolim, vt finis aliquis controuerſiæ ob canones ad Quintam & Sextam Synodum ſuperadditos poneretur: quod ex ijs quæ Anaſtaſius in Gregorio Secundo Conſtantini ſucceſſore narrat, intelligere ſatis poſſumus. Cum autem ſoluiſſet a Romano Portu dicto menſe Octobri, hiemandum ſibi fuit Hydrunti. Sed audiamus quæ de his Anaſtaſius dicat:

IVSTINIANVS IMP. ACCERSIT CONSTAN. PAPAM.

His, inquit, temporibus, *quibus ſcilicet hæc agerentur cum Rauennatibus*, miſit præfatus Imperator ad Conſtantinum Pontificem Sacram, per quam iuſſit eum ad regiam aſcendere vrbem. Qui ſanctiſſimus vir iuſſis Imperialibus obtemperans, illico nauigia fecit parari, quatenus iter aggrederetur marinum.] Quod autem audiſti Imperatorem

iuſſiſſe

iussisse, & Pontificem obtemperasse: quo sensu hæc accipienda sint verba, ex rerum gestarum progressu intelliges, cum videris quibus humillimis obsequijs idem Imperator ipsum Pontificem susceperit: cognosces enim plane, eum non fastu Imperatorio præcepisse, sed precibus exorasse. Pergit vero Anastasius: Et egressus est a Portu Romano die quinta mensis Octobris, Indictione octaua: & secuti sunt eum Nicetas Episcopus Siluæcandidæ, Georgius Episcopus Portuensis, Michaelius, Paulus, Georgius presbyteri, Gregorius diaconus, Georgius Secundicerius, Ioannes primus Defensor, Cosmas Sacellarius, Sisinnius Nomenclator, Sergius Scriniarius, Dorotheus & Iulianus subdiaconi, & de reliquis gradibus Ecclesiæ non pauci clerici.] Ceterum cum præsentia Pontificis Vrbs destituta videretur, Ioannes Exarchus, qui ad Rauennates missus erat, Romam petens, clerum afflixit, illa nimirum absentiæ Pontificis occasione arrepta, prout idem auctor sic pergit dicere:

CONSTANTINVS PAP. PROFICISCITVR CONST.

A

B

Veniens igitur Neapolim Constantinus Papa, illic eum reperit Ioannes Patricius & Exarchus, cognomento Rizocopus: qui veniens Romam, iugulauit Paulum diaconum & Vicedominum, Petrum Arcarium, Sergium Abbatem presbyterum, & Sergium ordinatorem: pergensq. Rauennam, pro suis nefandissimis factis iudicio Dei illic turpissima morte occubuit. Georgius vero presbyter Neapoli relictus est, & Pontifex cum suis in Siciliam perrexit: vbi Theodorus Patricius extraticus * languore detentus, occurrens Pontifici, magna eum veneratione salutans atque susciplens, medelam adeptus est celerem. Atque inde egrediens per Rhegiū & Cortonam, transfretauit Gallipolim, vbi mortuus est Nicetas Episcopus. Dum vero Hydrunti moras faceret, eo quod hiems erat, illic suscepit sigillum Imperiale per Theophanium Regionarium, continens ita, vt vbi denominatum contingeret adesse Pontificem, omnes Iudices ita eum honorifice susciperent, quasi ipsum præsentialiter Imperatorem viderent.] hucusque res gestæ Constantini Papæ anni huius, reliqua anno sequenti.

IOAN. EXARCHI SCELERA.

C

Vt vero iam res Anglicanæ Ecclesiæ attingamus, hoc item anno, vt diuinitus ab Angelo prædictum ipsi fuerat, ex hac vita recedit S. Vuilfridus Archiepiscopus Eboracensis (quem sub Agathone & sub Ioanne Septimo Romanis Pontificibus ad Romanam sedem appellantem confugisse diximus, & semper ab eadem absolutū) vbi sedisset annos quadragintaquinque, creatus (vt ex Beda [a] diximus) anno Domini sexcentesimo sexagesimoquarto. Idem vero Beda, vbi de eius transitu egit, vitam ipsius pariter scribit [b], atque in fine eiusmodi habet ad sepulchrum eius appositum epitaphium his versibus:

S. VVILFRIDI OBITVS.

a Bed. lib. 3. c. 26.
b Bed. lib. 5. c. 20.

EPITAPHIVM S. VVILFRIDI EPISCOPI.

D

Vuilfridus hic magnus requiescit corpore Præsul,
Hanc Domino qui aulam ductus pietatis amore
Fecit, & eximio sacrauit nomine Petri,
Cui claues cæli Christus dedit arbiter orbis:
Atque auro ac Tyrio deuotus vestijt ostro.
Quin etiam sublime Crucis radiante metallo
Hic posuit trophæum, necnon & quatuor auro
Scribi Euangelij præcepit in ordine libros:
Ac thecam e rutilo his condignam condidit auro.
Paschalis qui etiam solemnia tempora cursus
Catholici ad iustum correxit dogma canonis,
Quem statuere Patres, dubioq. errore remoto
Certa suæ genti ostendit moderamina ritus:
Inq. locis istis monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis, cauit quæ regula Patrum,
Sedulus instituit, multisq. domiq. forisq.
Iactatus nimium per tempora longa periclis:
Quindecies ternos postquam egit Episcopus annos,
Transijt, & gaudens cælestia regna petiuit.
Dona Iesu, vt grex pastoris calle sequatur.

E

] Porro quo die cælum scandit, quarto Idus Octobris, eodem colitur ab Ecclesia anniuersario cultu, inter sanctos confessores relatus in tabulis Ecclesiasticis.

Eodem quoque anno moritur sanctus Althelmus Episcopus Schireburgensis in Anglia, de quo superius, vt eius vitæ Acta [c] declarant. His lucidissimis astris hoc anno Ecclesia

c Habet Sur. die 20. Maij. to. 3.

A clesia Anglicana cælum ornauit, vbique sancta, in monachis, Episcopis, atque Regibus.

Hoc namque anno Coenredus Rex Merciorum, vbi sex annorum regni periodum absoluit, Romam venit, vt Beda in epitome scribit. Immo de duobus Regibus Anastasius testatur in Constantino, cuius hæc sunt verba: Huius temporibus duo Reges Saxonum ad orationes Apostolorum cum alijs pluribus venientes, velociter (vt optabant) vitam suam finiuerunt.] hoc enim erat illis in votis, vt Romam pergerent ad limina Apostolorum, ibiq. peccatis expiatis, spiritum Deo redderent. Eadem de his scribens Paulus diaconus, post multa hæc addit: His temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & feminæ, diuini amoris instinctu, Romam venire consueuerunt.] Sic igitur qui [a] erant longe, facti sunt prope in sanguine Christi; & qui in diuisa (vt aiebant) a toto orbe Britannia habitabant Angli, ijdem communione fidei proximi & charitate coniuncti facti fuerunt,

B matris vberibus iugiter inhærentes.

FREQVENS PEREGRINATIO ANGLORVM AD LIMINA APOST.

[a] *Ephes.* 2.

Eodem anno Childebertus, tertius eius nominis Rex Francorum, vbi regnasset annis decem & septem, moritur iuxta initam superius rationem annorum ex huius temporis petitam scriptoribus: inq. locum eius subrogatur Dagobertus secundus, qui regnum tenuit annis quinque. Porro hoc eodem anno factam diuinitus apparitionem Autberto Episcopo de erigenda basilica in honorem sancti Michaelis Archangeli, habet Sigebertus in Chronico. Eius generis apparitiones plures tum in Oriente, tum in Occidente, Græcorum atque Latinorum scriptores produnt: porro ex miraculorum frequentia haud rem fuisse inanem, ijdem auctores ostendunt. Fuit item Autbertus Cameracensis Episcopus, idemq. sanctitate insignis, cuius res gestas scripsit Fulbertus clarissimus sui temporis scriptor.

DAGOBERTVS II. REX FRANCORVM.

C

IESV CHRISTI ANNVS 710. CONSTAN. PAP. ANNVS 3. IVSTIN. RHINOT. ITERVM IMP. ANNVS 7.

SEptingentesimus decimus sequitur annus, Indictione octaua, qua soluens Hydrunto Constantinus Papa, peruenit Constantinopolim: sed quo præuio honore, quibus occursibus & obsequijs, cum id ipsum complures scribant, verba hic in primis reddamus Anastasij Bibliothecarij, qui sic ait: Egressi, *e portu scilicet Hydruntino*, partes Græciæ contingentes, in insula quæ dicitur Cœa, occurrit Theophilus Patricius & Strategus, *id est, Dux*, curauisianorum, & cum summo honore eum susceptt, & amplectens vt iussio con-

D tinebat, iter absoluit peragere cœptum. A quo loco nauigantes, venerunt a septimo milliario Constantinopolim. Vbi egressus Tiberius Imperator filius Iustiniani Augusti cum Patricijs & omni Syncleto, *nempe Senatu*, & Cyrus Patriarcha cum clero & populi multitudine, omnes lætantes & diem festum agentes. Pontifex autem & eius primates cum sellaribus Imperialibus, sellis & frenis inauratis, simul & mappulis, ingressi sunt ciuitatem. Apostolicus Pontifex cum caumelauco, vt est solitus Romæ procedere, a palatio *Septimi* egressus in Placidias vsque, vbi hospitaturus * erat, properauit.

CONSTANTINVS PAPA VENIT CONSTANTINOP.

* placitus

Dominus autem Iustinianus Imperator audiens eius aduentum, magno repletus gaudio, a Nicæa Bithyniæ misit Sacram gratiarum actione plenam, & vt debuisset Pontifex occurrere Nicomediam, & ipse veniret a Nicæa: quod & factum est. In die autem qua se inuicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostrauit, pe-

E des osculans Pontificis: deinde in amplexum mutuum corruerunt. Et facta est lætitia magna in populo, omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni Principis. Die vero Dominico Missas Imperatori fecit, & communicans Princeps ab eius manibus, proq. suis delictis vt deprecaretur, Pontificem postulans, omnia priuilegia Ecclesiæ renouauit, atque sanctissimum Papam ad propria reuerti absoluit.] hucusque de his Anastasius: pergit vero dicere de eius in Vrbem reditu, quem contigisse ait mense Octobri, Indictione decima: adeo vt eum ibi commoratum esse oportuerit vsque ad annum sequentem, quo mense Septembri decima Indictio inchoatur. Porro de eodem occursu Imperatoris meminit Anselmus Lucensis, vbi agit de potestate & primatu Romani Pontificis, ac longe ante eum Beda & Marianus Scotus summatim eadem perstringentes, & alij.

IVSTINIANVS IMP. PROSTRATVS PEDES OSCVLATVR PAPAE CONSTANTINI.

Quid vero Constantinopoli per Constantinum Pontificem actum sit, scriptorum inopia latet quidem: tantummodo autem veluti per transennam ex ijs quæ idem Anastasius

scribit

scribit in Gregorio Secundo (vt dictũ est) Constantini successore, licet aspicere, cum videlicet ait, ipsum Gregorium hoc tempore Apostolicæ sedis diaconum optima responsione vniuersis de propositis capitulis quæstionibus, cum Constantinopoli esset vna cum Constantino Papa, plenissime satisfeciſſe. Quod enim his temporibus nulla alia verteretur quæstio inter Orientales & Occidentales, nisi de capitibus additis ad Quintam & Sextam Synodum: satis intelligere possumus, de his Constantinopoli cum eodem Romano Pontifice esse tractatum, de his conuentus habitos, atque inter vtramque partem diutius altercatum, sed primas retulisse Pontificem, Gregorio diacono constitutionum antiquorum Patrum acerrimo defensore: quod & ex ijs quæ superius dicta sunt ex eodem Anastasio Bibliothecario, satis euidenter apparet. A

Quod autem ad Iustinianum Imperatorem pertinet, liquet ipsum hoc anno varijs esse concussum motibus, rebellantibus populis Chersonesi: qui de ijsdem crudelissimam B vindictam exercuit. Hæc vero quomodo se habuerint, ex ipsis Græcorum petamus Annalibus, qui sic se habent[a]: Memoria recolens Imperator insidias sibi a Chersonensibus, Bosphorianis, alijsq. paratas, aduersus eos naues suas a minima ad maximam omnes misit, mandato, vt quicumque ea loca habitarent, vniuersi gladio trucidarentur, neque vitæ cuiusquam parceretur. Missi ergo hoc perfecerunt, nemine ipsis resistente: solis ab infantibus cædem abstinuerunt, quippe in seruitutem mancipandis. Principes Chersonensium viri numero quadraginta duo, addita custodia, ad Imperatorem missi sunt. alios septem ligneis sublicis in altum suspensos igni assarunt, alios in mare abiecerunt. His cognitis Iustinianus etiam in obseruatos infantes insanijt. Cum in reditu classis iam Byzantio appropinquaret, periclitata est: mortuorum numerus initus, repertusq. millium septuagintatrium. Id gaudium Iustiniano auxit.] naufragium autem contigisse hoc anno mense C Octobri, nona iam Indictione inchoata, Theophanes docet.

a Theophan. & Cedren. in Iustiniano Rhinot.

DIRA VLTIO IN CHERSONENSES.

Eodem anno defuncto Vuitiza nefario Hispaniarum Rege, postquam annos nouem regnasset, successit in locum eius Rudericus, siue Rodericus, filius Theofredi. ita quidem ex Tudensi, qui ait, Rudericum regnare cœpisse Era septingentesima quadragesimaoctaua; additq. ipsum consilio magnatorum Gothicæ gentis regnum suscepisse, virum belli- ● gerum, durum, & ad omne negotium expeditum, sed vita & moribus Vuitizæ non absimilem, facem luemq. totius Hispaniæ, vt quæ de eo dicturi sumus ostendent.

RVDERICVS REX HISPAN.

IESV CHRISTI ANNVS 711. CONSTANTINI PAP. ANNVS 4. IVSTIN. RHINOT. ITERVM IMP. ANNVS 8. D

SEptingentesimus vndecimus Domini adest annus Indictione nona; quo, mense Octobri, iam inchoata decima Indictione, Constantinus Papa Romam ex Oriente redijt. de quo ista Anastasius breuiter: Egressus igitur a Nicomedia ciuitate, crebris valetudinibus Pontifex attritus, tandem *sospitatem Domino* tribuente, incolumis ad portum Caietæ peruenit, vbi sacerdotes & maximam populi Romani reperit multitudinem: ac vigesimaquarta die mensis Octobris, Indictione decima, Romam ingressus est, & omnis populus exultauit atque lætatus est. Fecit autem ordinationes Episcoporum in eundo & redeundo per diuersa loca Episcopos duodecim.] etenim vbicumque contigit præsentem esse Pontificem, illum omnes intelligebant primarium propriumq. esse pastorem, Episco- E pis omnibus suæ iurisdictionis subijcientibus fasces summo vniuersalis Ecclesiæ sacerdoti. Pergit vero Anastasius: Post menses autem tres lugubre nuncium personuit, quod Iustinianus Christianissimus & Orthodoxus Imperator trucidatus est, & Philippicus hæreticus in Imperiali promotus est arce.] sed de his suo loco dicendum: iam vero prosequamur & absoluamus quæ sunt anni huius res Occidentalis Ecclesiæ.

CONSTANTINVS PAPA ROMAM REDIT.

Hoc enim anno Ecclesiæ Saxonum iaci cœperunt fundamenta per sanctissimum virum Apostolicum Suuibertum venientem ad eos in abundantia benedictionis, in signis & virtutibus, excitando etiam defunctum a morte, potentem in omnibus opere & sermone. Audi ergo quæ de his Marcellinus litteris prodidit[b]: Anno, inquit, Dominicæ incarnationis septingentesimo vndecimo, cũ sanctus Suuibertus feruenter prædicans non solum in Vuerda, sed & in pagis & villis vicinis enunciaret prophanis Saxonibus Euange-

lium

ECCLESIA SAXONVM ERIGI COEPTA.

b Marcellin. in Suuibert. c. 24.

A lium Christi: contigit quadam die Martis, vt ipse extra Vuerdam diuina celebraturus, iret cum venerabili presbytero suo Vuilleico in villam vicinam,& quidam diues Gentilis, Hungerus nomine, postea conuersus & baptizatus in festo Apostolorum Petri & Pauli, & a sancto Suuiberto appellatus Petrus, ex feruore fidei & nimia humilitate & deuotione curru aduehi curaret arenã & lapides,reliquaq. tali ædificio congrua & opportuna ad monasterium S. Suuiberti. Procurante autem omnium bonorum æmulo diabolo,idem Petrus corruens sub carruca onusta lapidibus, efferebatur mortuus, quia pene suffocatus, & per diuersa vulnera capitis extinctus fuit. De quo omnes cum non immerito dolerent, magnusq. concursus populorum ad illud miserandum spectaculum fieret gementium & dolentium propter inopinatam illius mortem, cumq. exequiæ præpararentur, vt corpus Ecclesiasticæ mandaretur sepulturæ: superuenit pius pater sanctus Suuibertus cum deuoto
B Vuilleico suo capellano. Qui cum didicisset ex gemitu, audissetq. a circumstantibus mortem illius Petri: ipse habens fiduciam magnam in Christum, præcepit vt emortuum corpus, antequam sepeliretur, ad cellam suam deportaretur.

PETRVS REVOCATVR AD VITAM.

Quod cum factũ fuisset, ipse astante magna turba populorũ, rei exitum præstolante, largiter cum multis suspirijs lacrymas fundẽs, flexis genibus deuotissime orauit ad Dominum pro resuscitatione Petri famuli monasterij. Cumq. diu preces precibus continuasset, surgens tangendo, cum oscularetur funus, statim mortuus non solũ reuixit & surrexit, verum etiam nullæ cicatrices vulnerum, nulla conglomeratio sanguinis per totum corpus apparuerunt: de quo omnes laudabant benignitatem Christi Saluatoris. Fama huius miraculi per totam prouinciam promulgata, neophyti in fide solidati confirmantur,multi vero infideles ad Christum conuersi, fonte baptismatis Christo regenerati sunt. Vixit autem postea
C idẽ Petrus sanus & incolumis vsque ad consummationẽ Ecclesiæ Vuerdensis, etiã post migrationẽ sanctissimi patris Suuiberti.] hucusque Marcellinus de mortuo ad vitã reuocato.

NOVA CONVERSIO GENTILIVM AD FIDEM.

At licet verbum Dei in terram illam minime vacuum absque fructu ceciderit: haud tamen sterilis terra illum reddidit, quem par erat, ex tanta cultura fructum: nam id inferius idem auctor de eodem Suuiberto [a]: Licet gentibus in vicino habitantibus prædicando, primo parum vel nihil profecit in conuersione earum, eo quod essent homines duræ ceruicis & barbaræ mentis, non tamen propter hoc destitit, quin indesinenter cum feruore prædicans, multos nobilium & ignobilium conuerteret ex eis: qui repudiatis sordibus idolorum, fidei sunt fonte abluti. Quibus,vt bonus pastor in populo, dispensauit tamquam fidelis & prudens negotiator, mensuram Dominici tritici: Ipse enim spreuit mundi pompas & vanitates spe supernorum præmiorum. & ideo maximis virtutum donis cælitus
D ditatus, Deo in omnibus gratus, vt gemma fulsit in clero: nam positus inter Gentiles, illic præclarum opus inter gentes operatus est, Domino cooperante, & sermonem eius confirmante, sequentibus miraculorum diuersorum signis.] hæc Marcellinus:

[a] *Marcellinus cap. 23.*

SAXONVM PLVRES CREDVNT CHRISTO.

Ex his quidem nostri temporis Saxones infelices compellare liceat verbis Apostoli [b]: Sic stulti estis, vt cũ spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Quis ergo tribuit vobis spiritum,& operatus est virtutes in vobis? nonne vir Apostolicus Suuibertus? Quis in tanta signorum & benedictionis abundantia superuenit ad vos, vt posthabeatis vestrum primum Apostolum Suuibertum? In vos igitur conuertantur indesinentes lacrymæ Hieremiæ [c]: vos concutiat tonitrus ille, cum ex præcordijs intimis lugubre illud exclamat: Obstupescite cæli super hoc,& portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissi-
E patas, quæ continere non valent aquas.] Sed spero fore aliquando, vt excitentur voce Domini eadem interpellatione,qua Angelum monuit Ecclesiæ Ephesi dicens [d]: Memor esto itaque,vnde excideris, &age pœnitentiam, & prima opera fac, &c.] Sed iam (quod polliciti sumus) ad res Orientales conuertamus orationem.

[b] *Gal. 3.*

IN SAXONES AVCTORIS APOSTROPHE.

[c] *Hierem. 2.*

[d] *Apoc. 2.*

Cum igitur Anastasius tradat, post tres menses a reditu Constantini Pontificis in Vrbem, qui contigit (vt ait) vigesimaquarta mensis Octobris, allatum ad ipsum nuncium de nece Iustiniani Imperatoris, vtique circa anni huius finem, eam accidisse possumus intelligere. Quomodo autem id factum sit, ex Græcorum Annalibus est promendum. Vbi enim Theophanes dira illa superius memorata, quæ aduersus Chersonenses iussu eiusdem Imperatoris sunt perpetrata, narrauit: haud Imperatorem quieuisse tradit, sed maiore excandescentem ira ad interitum omnium hoc anno denuo parasse classem affirmat, quo solo æquaret omnia, solumq. aratro proscinderet. Hoc autem cum illi intelle-

IVSTINIANVS IMMITTIT CLASSEM IN CHERSONENSES.

xissent, se munierunt, parati Imperatori resistere, petentes auxilium a Chaiano Principe Gazarorum. Ne autem miseri pati cogerentur quæ ira æstuans Imperator præceperat, obstitit Deus, excitans aduersus eum nobiles viros Eliam Spatharium atque Bardanem Philippicum ex insula Cephalenia, vbi relegati fuerant, reuocatos, qui eidem essent classi præficiendi. Hos autem cum Imperator comperisset apud Cherſonam esse tumultuatos, alios loco ipsorum duces misit: qui dolose admissi intra Cherſonam, a ciuibus trucidati sunt, apertam aduersus Iustinianum defectionem iam conclamantibus, & acclamantibus Bardanem Philippicum Imperatorem. A

ACCLAMATVR PHILIPPICVS IMPERATOR.

His cognitis Iustinianus, in Eliam veluti facti auctorem commotus, quod non posset in ipsum, in eius domesticos furorem conuertens, filium eius in matris sinu peremit: ipsam vero eius coniugem coquo natione Indo ignominiæ causa collocauit in matrimonium. Misitq. aliam classem aduersus rebelles: Sed cum qui missi erant, ob nimias difficultates haud præstare possent, quod Imperator faciendum præcepisset, metuentes, re infecta redire ad eum vindicare paratum, & ipsi Philippicum Imperatorem acclamare cœperunt absentem, petentes a Gaiano, ad quem confugerat, ipsum reddi. Quod cum factum esset, omnes simul cum nouo sunt reuersi Imperatore. Qui appropinquans Constantinopoli, aduersus Iustinianum immittit Eliam, & contra Tiberium eius filium Maurum Patricium & Ioannem Spatharium proficisci iubet. B

Quid vero isti fecerint, audi terribilem dignam commiserationem tragœdiam: Vbi autem (inquit Theophanes) Maurus cum Ioanne ad Blachernas peruenisset (templum illic erat Dei genitricis Mariæ) inuenit Tiberium altera tenentem manu columellam sanctæ mensæ Dei & Dei genitricis altaris, & altera pretiosa ligna, & in collo philacteria (erant hæ sacrosanctæ reliquiæ) extra tribunal* autem residentem Anastasiam patris eius matrem: quæ Mauri prouoluta pedibus, flagitabat ne suus occideretur nepos Tiberius, vtpote qui nihil gessisset prauum. Cumq. ille pedes huius teneret, & cum lacrymis supplicaret, ingressus est Strutus (id erat cognomentum Ioanni Spathario) & vi arripuit illum, & pretiosa quidem ligna ab eo sublata supra mensam posuit, philacteria vero in collo suo suspendit. Puero autem foras educto, & spoliato, supra limen expanso, guttur eius instar ouis secarunt, & hunc in templo sanctorum Anargirorum, *Cosmæ scilicet & Damiani*, quod Paulinæ vocatur, sepeliri mandarunt. Comprehensus præterea & Barisbacurius primus Patricius & Comes obsequij, & interemptus est. C

* sacrarium

TIBERII CAES. CAEDES.

Porro Elias vna cum eo qui secum erat descendente in Damassim, & ad sermones cum eo qui illic erat exercitu veniente, verbumq. impunitatis populo qui erat cum Iustiniano præbente; sequestrati sunt vniuersi, & discesserunt a Iustiniano, solum hunc deserentes, & ad partes Philippici confluentes. Tunc prædictus Elias furore repletus, currens, collo eius comprehenso, pugione quo erat accinctus, caput eius amputauit, & per Romanum Spatharium ad Philippicum misit. At vero Philippicus per eumdem Spatharium hoc ad Occidentales partes vsque Romam transmisit.] hucusque de nece Iustiniani & Tiberij eius filij Theophanes. Qui igitur tamquam fera bestia humanum sanguinem sitiens, adeo in sibi subditos populos fuerat debacchatus, suo suorumq. sanguine supplicium luit, posteris reliquens exemplum, in seipsos suosq. sæuam a Deo expectare debere vindictam, cum in populum sibi creditum immanes Principes sæuiunt. Factumq. secundum verbum Domini ad Hieremiam[a]: Adducam inimicos tuos de terra quam nescis: quia ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit.] dum exulem Philippicum & postea latentem inter barbaros accinxit vindice gladio, hominem alioqui Deo multipliciter inimicum, nimirum ob deprauatos vitæ mores, & (quod deterius est) hæresi labefactatum Monotheliturum hæreticorū, quos eo vehementius factus iam Imperator aggressus est propugnare simul & eorum hæresim, eoq. ardentius propagare, quod vni ipsorum acceptum ferebat Imperium, qui fore ipsum Imperatorem prædixisset, cum & eidem præmij loco pollicitus esset Sextæ Synodi abolitionem. Porro rem gestam Theophanes ita narrat: D E

IVSTINIANVS IMP. OCCIDITVR.

[a] *Hierem.* 15.

Priusquam imperaret, erat quidam Inclusus in monasterio Calliſtrati præuisor (qui scilicet astronomicis inspectionibus futura prædicere consueuerat hæreticus Monothelita) Qui ad se venienti Philippico dixit: Imperium tibi est repositum. At ille turbatus est. Et ait Inclusus: Si iubet Deus, tu quamobrem contradicis? Hoc autem dico, quia Sexta Synodus male facta est: Si ergo imperaueris, hanc proijce, & Imperium fiet tibi forte atque longæuum. Qui cū iuramento spondet ei, se hoc facturum. Cum autem Leontius Iu-

PSEVDOMONACHVS SEXTAM SYNODVM ABROGANDAM PETIT.

A stiniano succeſſiſſet, aſcendit Philippicus ad Incluſum. Qui dicit ei: Ne feſtines. fiet tibi. Cumq. Abſimarus imperaſſet, rurſus aſcendit ad eum. Cui iterum ille ait: Ne acceleres: illud enim te præſtolatur.

Porro cum Philippicus hoc quibuſdam amicis ſuis fuiſſet confeſſus confidenter, ab eis Abſimaro nunciatum eſt. Qui cæſum, & tonſum, atque ferreis vinculis alligatum hunc in Cephaleniam exulem miſit. Cum autem Iuſtinianus Imperium ſuſcepiſſet, reuocauit eum. Et cum regnaret, fecit pſeudoſynodum Epiſcoporum iuxta pſeudomonachi & Incluſi ſermonem, & abiecit ſanctam & vniuerſalem Sextam Synodum.] ſed de Synodo ſequenti anno agendum erit. Pergit vero Theophanes: Eodem anno ille vanus oculorum cæcitatem incurrit.] ſubdit Cedrenus: Cyro quoque Patriarcha exturbato, Ioannem ſuæ impietatis ſocium ei ſolio præfecit. Fuit hic Philippicus cognomento Bardanes, in colloquio facundus, atque prudens habitus, ſed in actionibus ſuis abſque grauitate & induſtria vlla verſans, turpiterq. viuens, extremam ſibi infamiam parauit.] Ita quidem, vbi grauiter deliquerunt Orientales, pſeudoſynodum colligentes, aduerſus veterem Eccleſiaſticam diſciplinam, ipſamq. Romanam Eccleſiam tot tantosq. ſunt coacti pati tyrannos, non dicam Imperatores, ſed monſtra, Leontium, Abſimarum, Iuſtinianum in furorem actum, Philippicum, Leonem Iſauricum, & alios nefandiſſimos.

SVARVM CVL PARVM POENAS DANT ORIENTALES.

Sed de Philippico modo agendum, qui vbi eſt creatus Imperator, dum ex more profeſſionem Catholicæ fidei mittere deberet ad Romanum Pontificem, miſit hæreticam execratione dignam: quam ipſe Conſtantinus Pontifex reſpuit. Nam de his hæc Anaſtaſius Bibliothecarius: Eius & Sacram cum praui dogmatis exaratione Conſtantinus ſuſcepit, ſed cum Apoſtolicæ ſedis conſilio reſpuit. Huius rei cauſa zelo fidei accenſus omnis cœtus Romanæ vrbis, imaginem quam Græci votaream* vocant, ſex continentem ſanctas ac vniuerſales Synodos, in eccleſia beati Petri erexere.] Etenim inter alia nefanda idem Philippicus Imperator ſanctas ſex Synodos œcumenicas pictura effigiatas e pariete abradi præcepit: contra quod Imperatoris facinus Pontifex nitens, quas ille deſtruxit, ipſe eo modo quo erant ante, reſtituit. Sed paulo inferius hæc idem Anaſtaſius:

CONSTANTINVS PAPA RESPVIT HAERETICAM PROFESSIONEM IMPERATORIS.

* pancaream

Iiſdem temporibus, cum ſtatuiſſet populus Romanus nequaquam hæretici Imperatoris nomen, aut chartam, vel figuram ſolidi ſuſcipere, vnde nec eius effigies in eccleſiam introducta eſt, nec eius nomen ad Miſſarum ſolemnia proferebatur: contigit vt Petrus quidam pro ducatu Romanæ vrbis Rauennam dirigeret præceptum, & pro eiuſmodi cauſa acciperet. Dumq. innotuiſſet, quod nomine hæretici ſua promotione idem Petrus fuiſſet potitus: zelo fidei accenſa magna pars populi Romani ſtatuerunt nullo modo hunc Ducem ſuſcipere. Et factum eſt, vt dum Chriſtophorus, qui erat Dux, ob hanc cauſam cum Agathone & ſuis hominibus concertarent, bellum ciuile exortum ſit, ita vt in via Sacra ante Palatium ſeſe committerent, & ex vtriſque partibus amplius quã vigintiquinque viri plagarentur atque interirent, donec Pontifex mitteret ſacerdotes cum Euangelijs & Crucibus Domini, ſicq. partes ſedarent: nam pars Petri ita anguſtiata, vt nulla illi eſſet ſpes viuendi. Verum ad Pontificis iuſſum pars alia (quæ & Chriſtiana vocabatur) receſſit, ſicq. defenſoris hæretici pars valuit Petri, ac ſi illa attrita recederet.] hæc Anaſtaſius. Eadem de nomine hæretici Imperatoris exoſo & execrabili facto tradunt Beda, Paulus diaconus[a], atque Ado Viennenſis[b]. Habes ex ijſdem, Romanam Rempublicam gubernari his temporibus ſolitam eſſe per Duces, qui mitterentur ab Imperatore. hinc & Romæ Ducatus dici conſueuit, de quo dicendum erit inferius. Porro has altercationes Romæ vſque ad obitum Philippici perduraſſe, quæ poſt hæc ſubijcit Anaſtaſius docent.

CONFLICTATIONES IN VRBE INTER DVCES.

[a] *Paul. diacon. lib. 6. c. 33.*
[b] *Ado in Chron.*

Eodem quoque anno accidit, vt qui Iuſtiniani voluntate teneretur relegatus in Ponto Felix Archiepiſcopus Rauennas cæcus redditus, idem ea occaſione fuerit exilio liberatus: nam & de hoc ipſo idem Anaſtaſius hæc habet: Eodem tempore Felix Archiepiſcopus Rauennæ ab exilio reductus, pœnitentia motus, licet oculorum lumine priuatus, ad propriam tamen redijt ſedem, & ſolita, quæ ab vniuerſis in ſcrinio Epiſcoporum fiunt indicula & fidei expoſitiones, & hic confeſſus eſt, ſicq. reconciliationis promeruit abſolutionem.] hæc Anaſtaſius, quibus indicatur, ad meliorem mentem ex diuturna vexatione redditum eſſe Felicem & ex præſcripto conſtitutionum ſuperiorum Romanorum Pontificum

FELIX EPISCOPVS RAVENNAS RESTITVITVR.

ficum cuncta pleniſſime præſtitiſſe, quæ præſtanda erant; ob idq. Catholicæ communionis ab eodem Pontifice Conſtantino participem factum eſſe. A

FELIX CLARVIT SANCTITATE.

Qui vero copioſe proſecutus eſt res Rauennates, Hieronymus Rubeus, hunc tradit egregia claruiſſe ſanctitate, coruſcaſſe etiam miraculis, redeuntemq. ab Oriente ſecum ſacras reliquias ſanctorum plurium detuliſſe: refertq. eiuſmodi inſcriptionem eius venerando ſepulchro inditam:

HIC TVMVLVS CLAVSVM SERVAT CORPVS DOMINI FELICIS SANCTISSIMI AC TER BEATISSIMI ARCHIEPISCOPI.]

a *Pſal.* 118. Profuit quidem Felici iſta vexatio, vt illud Dauidicum [a] lætus occineret: Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.]

BENEDICTVS MEDIOL. EPISCOPVS ROMAM VENIT.

Conſtat eiuſdem Anaſtaſij teſtificatione, veniſſe hoc tempore Romam Benedictum Archiepiſcopum Mediolanenſem, cauſam proſecuturum aduerſus Epiſcopum Ticinenſem, B cum eum ſibi vendicare conatus eſt ſub ſua iuriſdictione Epiſcopum ſuffraganeum. hæc enim de eo Anaſtaſius: Venit autē & Benedictus Archiepiſcopus Mediolanenſis Romam orationis voto, & ſuo ſe Pontifici præſentare: altercatus vero eſt pro Eccleſia Ticinenſi, ſed victus eſt, eo quod a priſcis temporibus ſedi Apoſtolicæ eiuſdem Ticinenſis Eccleſiæ Antiſtes ad conſecrandum pertinebat atque pertinet.] hæc ipſe. Habet eadem Paulus diaconus, qui & his ſubdit: Fuit autem idem venerabilis Benedictus Archiepiſcopus vir egregiæ ſanctitatis, de quo per vniuerſam Italiam bonæ opinionis fama fragrauit.] hæc Paulus. Relatus quidem reperitur Benedictus hic inter ſanctos, eiusq. memoria adſcripta ſacris tabulis die vndecima Martij, annis ſingulis in Eccleſia iteratur. Ceterū fuit eadem controuerſia iterum atque iterum diuerſis temporibus excitata, multaq. hinc inde allata. ſed de his modo hactenus ad inſtitutum: iam ad anni ſequentis res geſtas tranſeamus. C

IESV CHRISTI ANNVS 712. CONSTANTINI PAP. ANNVS 5. PHILIPPICI IMP. ANNVS 2.

PHILIPPICVS COGITAT DE ABOLITIONE SEXTAE SYNODI.

SEptingenteſimus duodecimus annus agitur Redemptoris decima Indictione, quo Philippicus Imperator, vbi ſtabiliſſe ſibi Imperium viſus eſt, occiſis omnibus qui Iuſtiniano fauiſſent, mox, quod diu federat in animo, perficere eſt aggreſſus, cum præſertim ad id præſtandum ſua promiſſione teneretur, nimirum vt Sextam Synodum condemnaret, in qua hæreſis Monothelitarum hæreticorum damnata fuerat, faceretq. vt proſcripta hæreſis rediens poſtliminio ab omnibus reciperetur. Ad quod implendum eo maiori ſtudio mouebatur, quod qui ipſi Imperium prædixiſſet, hoc etiam veluti diuinum oraculum adieciſſet, fore & ipſi Imperium diuturnum, ad annos plurimos propagandum, ſi quod Deo placitum eſſe ſciret, abſque mora impleret, nempe ſi eamdem (vt aiebat) Deo inuiſam Sextam Synodum e medio penitus tolleret. Qui igitur nihil magis optabat, quam potiri longa ætate Imperio, nihil impenſius ſibi agendum putauit, quam vt eamdem ſanctam Synodum aduerſaria Synodo per Epiſcopos aboleret. D

CONCLAMATVR DAMNATIO SEXTAE SYNODI.

At currentem licet, ad id agendum pſeudoprophetæ ſui calcaria addita perurgebant, & aliorum Monothelitarum ſtimuli excitabant. Qui enim ſub Orthodoxis Principibus, fulgente Catholica fide, veluti veſpertiliones latebant in antris, iam ad occaſum declinante die, denſo agmine emergentes, vna cum fauſtis acclamationibus Imperatoris, damnationem Sextæ Synodi conclamabant: ſequebatur hos inſanum vulgus, & alij, qui omnia Imperatoris gratiæ poſthabebant. E

DEPONITVR CYRVS, ELEVATVR IOANNES.

Imperator igitur, vt quod conabatur, faciliorem conſequi poſſet effectum, primum omnium Cyrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum e ſede dimouet, & in exilium mittit: ad quod agendum dignus ille prætextus, cauſaq. ea quam iuſtiſſima videbatur, quod in thronum alterius nefarie conſcendiſſet pro arbitrio crudeliſſimi Imperatoris, qui Callinicum Patriarcham in ordinem redegiſſet, oculisq. orbatum in exilium eieciſſet, ipſum vero Cyrum in eam cathedram contra omnia iura Eccleſiaſtica ſubleuaſſet: Iam vero adeſſe tempus, vt perperam facta irrita redderentur, vireſcerent conciſa iura, & extincta iuſtitia reuiuiſceret. Sic igitur gradu depoſito Cyro, in locum eius (quem vidimus) delectus eſt Monothelitarum anteſignanus Ioannes. Qui

enim

A enim in eam sedem prouehendus erat monachus ille qui Imperium Pilippico prædixisset, eodem supplicio quo Elimas [a] magus, a Deo percussus est cæcitate, magus & ipse: vt eadem pœna teneret, quem eadem culpa damnaret. *a Act. 17.*

Euecto igitur in solium Patriarcha Monothelita, cum ipso & in ipso tamquam in cardine vniuersa Orientalis mouetur Ecclesia: nam inprimis quæ tunc sunt repertæ Ecclesiæ carere pastoribus, ad eas nonnisi impietate bene noti hæretici Monothelitæ promouebantur Episcopi; sed & horum immensus cito auctus est numerus ex eis, qui, licet Catholici, tamen iacturam cathedræ, quam passus fuit Cyrus Patriarcha, sibi timentes, eamdem perfidiam, quam Imperator, eueſtigio aggressi sunt profiteri; ita stabiliri sibi sedem Episcopalem putantes, si quam fidem assererent Imperator & Patriarcha, æque & ipsi profiterentur, nutare vero sedem eorum, qui Sextæ Synodi agerent defensores, vel resistere, aut dissentiB re reperirentur Imperatori, & contradicere Patriarchæ. Ita plane succisi omnes nerui erant Orientalis Ecclesiæ, vt non sit inuentus aliquis, qui surgeret [b] ex aduerso, & staret pro muro domus Israel, sed dispersi essent tanta ruina lapides sanctuarij [c], nimirum quod non fundamento solidæ petræ firmiter inhæsissent, super quam ædificati erant [d] in templum sanctum in Domino, sed voluntaria sæpe auersione resilientes, resoluto glutino, quo iuncti arctissime tenebantur, facti essent mobiles, leues, & inconstantes.

MAGNA CLADES ORIENTALIS ECCLESIAE.

b Ezech. 13.
c Thren. 4.
d Ephes. 2.

Indicitur Synodus, statuitur certa dies, accersuntur Orientis Episcopi: quot vero numero fuerint, & num inter eos vna cũ Patriarcha Constantinopolitano reliqui resederint Patriarchæ, nescitur: eius enim Acta, veluti quippiam execrandum, cum quot versus, tot in Deum blasphemias continerent, vna cum ipso Imperatore fuerunt sepulta, perpetuo tradita anathemati. Ceterum opinari licet, numerosissimam ab Imperatore fuisse SynoC dum comparatam, quam ad euertendam Synodum œcumenicam opus esse conspiceret, vt numero saltem polleret Episcoporum, quæ reliquis destitueretur auxilijs; cum eam non fulciri viderent legatione Apostolicæ sedis, non roborari assertionibus sanctorum Patrum, de quibus iam suo ipsorum damno sæpe periculum factum esset, non denique alijs posse sustentari subsidijs, sed pluribus cuerti contrarijs intelligerent. Quo igitur quæ in Synodo statuerentur, firmiora consisterent, nihil prætermissum esse studij atque laboris, par est existimare.

NVMEROSA PSEVDOSYNODVS HAERETICORVM.

Conuenit Synodus, non in Spiritu sancto legitime congregata, sed Satanæ instigatione collecta, quæ ob id dici meruerit Synagoga Satanæ potius & Conciliũ malignantium, quam Synodus sancta, cui conueniret illud elogium Domini [e]: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.] cuncta recte disponens, sed steterit DoD minus non probans, sed obiurgans, secundum illud Dauidicum [f]: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?] Ita collectis Episcopis, præfuit eis Ioannes nuper electus Constantinopolitanus Antistes insidens cathedræ pestilentiæ, loco primario se caput ostentans, quod reliqui Episcopi veluti annexa membra sequantur. Non hic defuisse putes, quæ in alijs conciliabulis ab alijs Imperatoribus hæreticis congregatis præsto fuere, nimirum astans apparitura, parata vincula, scriptæ antequam ferrentur in eos qui putarentur resilire sententiæ, iactatæ insuper haud incerta fide de carceribus atque exilijs irrogãdis ore omnium minæ, successores ostentati contradicentium Episcoporum iam Imperatoris nutu decreti: hoc eos famelicos expectare, hoc auide cupere, vt aliqui inuenirentur, qui mandato Imperatoris de Sexta Synodo condemnanda resisterent, quo ipsi eorum Ecclesijs potirentur.

e Matth. 18.
f Psal. 81.

CONCILIABVLVM COLLECTVM AD PERDITIONEM SEXTAE SYN.

E Quid plura? Ad nutum Imperatoris, ad libitum Patriarchæ Monothelitæ sancta Sexta Synodus condemnatur, deletur sancita de duabus in Christo voluntatibus & duplici operatione sententia. Scribitur de vnica voluntate & operatione decretum, acclamatur damnatio veritatis, conclamatur hæresis confirmatio, cui & subscribitur ab omnibus illis Episcopis, ex Catholicis vno momẽto conflaris in Monothelitas: ita nãque probati in conflatorio, qui videbantur esse aurum vel argentum, conuersi inuenti sunt omnes in scoriam reiectaneam: adeo vt nec vel vnus legatur, qui restiterit, qui renuerit, atque ea de re exciderit ab Episcopatu, & carcerem, vincula, vel exilium passus sit. Non præterijssent scriptores, qui & exilium Cyri & alia eiusdem perperam facta scripserunt, narrare pariter, si accidissent, exilia confessorum Episcoporum illis dumtaxat saluis a tantæ fornacis incendio, quos abesse contigit.

SEXTA SYNODVS IMPIE DAMNATA.

Siccine prodita est (proh pudor) Catholica fides & ab illis, qui se acerrimos defenso-

QVID IVSTE AVCTOR IN GRAECOS EPISCOPOS.

res Sextæ Synodi esse iactabant, qui ad illam (vt dicebant) implendam addiderant centurias canonum subuertentium Ecclesiasticam disciplinam, pro quibus & confirmandis validandisq. adeo prolixum aduersus Romanum Pontificem bellum gessissent? Si non stat Synodus quam damnatis, infirmior & adiectitia pars illius quomodo stabit? Sic miseri suo ipsorum calculo, vno ferme momento destruunt, quod male absque temperamento ædificare conati sunt. Ita quidem ipsi in pace leones, in prœlio cerui, quibus illud Dauidicum apposite aptari possit [a]: Filij Ephræm intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die belli] manus dantes Assyrijs. Verum sic prodita atque damnata fide Catholica in Oriente, integra, illæsa penitus & intacta conseruata est in Occidente, resistente impio Imperatori Romano Pontifice, populoq. Romano, vt quæ anno superiori ex Anastasio dicta sunt, docent. Gloria hæc est Romanorum, quod adeo sint execrati hæreticum Imperatorem, vt non solum eum recipere, sed nec ipsius imaginẽ intueri voluerint, non modo coloribus pictam, sed nec cusam in nummis. At iã quæ sunt reliqua anni huius prosequamur.

a *Psal. 77.*

A

B

Hoc eodem anno esse defunctum Aripertum Regem Longobardorum, habet Francorum Chronicon ad leges Salicas antiquitus scriptas additum: ex quo dicendum est, non annos duodecim regnasse (vt Paulus diaconus tradit) sed tantum octo; porro idẽ hæc de ipso ait [b]: Fuit Aripertus quoque vir pius, eleemosynis deditus, ac iustitiæ amator.] & paulo inferius: Post Ariperti funus Ansprandus Longobardorum regno potitus, tres menses solũmodo regnauit, vir per omnia egregius, & cuius sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes Longobardi huius interitum, Luithprandum eius filiũ, in regali constituunt solio.] quod factum tradit adhuc in humanis superstite parente, qui vbi id accepit, defunctus est.

b *Paul. diacon. lib. 6. c. 55.*

OBITVS ARIPERTI REG. LONGOB.

Post Aripertum igitur, & defunctum eodem (vt dictum est) anno Ansprandum, cum regnasset tantum tres menses, eius filius Luithprandus regnare cœpit, tenuitq. regnum annos (vt idem testatur auctor) triginta vnum & septem menses. ita Paulus: qui autem eius regno tantum annos tribuunt vigintiquinque, post annos quinque eius collocant regnum, sed erroris arguuntur: Error autem inde manasse conspicitur, quod Ariperto tribuunt duodecim annos, quem tantum octo regnasse diximus: Cum enim conueniant omnes eum propagasse regnum vsque ad annum Domini septingentesimum quadragesimumtertium Indictione vndecima, plane dicendum erit ipsum auspicatum esse regnum hoc anno, defuncto patre Idibus Iunij. Ad redarguendum enim errorem eorum, qui post annos quinque ponunt ingressum Luithprandi, satis superq. erit ex eiusdem Regis edicto de legibus Longobardorum lato anno sequenti, vndecima Indictione, id asserere: hæc enim in fine ibi leguntur: Ob hoc ego in Dei omnipotentis nomine Luithprandus excellentissimus, Christianus & Catholicus Deo dilectæ gentis Longobardorum Rex, anno (Deo propitio) primo, pridie Kalendas Martias, Indictione vndecima, vna cum omnibus Iudicibus, &c.] hæc ibi: satisq. ad certam temporis rationem elucidandam, qua si caret historia, necesse sit multiplicibus erroribus abundare, & difficultatibus præpediri. Vnde & corrigas quod habet Oldradus in epistola ad Carolum Magnum, inchoasse regnum Luitprandi anno septingentesimo decimo: nam & in eam numeri notam errorem oportuit irrepsisse.

LVITHPRANDVS LONGOB. REX.

DE TEMPORE REGNI LVIT. ARGVVNTVR ALIORVM ERRORES.

C

D

Constat etiam ipsum hoc primo regni sui anno confirmasse donationem Alpium Cottiarum ab Ariperto factam Ecclesiæ Romanæ, habet idem Oldradus Episcopus Mediolanensis in epistola ad Carolum Magnum Imperatorem his verbis: Primo regni sui anno donationem, quam beato Petro Aripertus Rex donauerat, confirmauit, scilicet Alpes Cottias, in quibus Ianua est, & quicquid ab ea Alpes vsque ad Galliarum fines continebant.] hæc ipse.

CONFIRMATA DONATIO FACTA ROMANAE ECCL.

E

Mortuo igitur (vt dictum est) Ariperto hoc anno, qui trusus in exilium fuerat Petrus Regis consanguineus, qui postea creatus fuit Episcopus Ticinensis, postliminio redijt: de quo ista Paulus subdit [c]: Eo quoque tẽpore floruit vita vel actibus Ticinensis Ecclesiæ Episcopus Petrus, qui quia Regis erat consanguineus, ab Ariperto quondam Rege apud Spoletum exilio fuerat retrusus. Huic beati martyris Sabini ecclesiam frequentanti, isdem venerabilis martyr prænunciauit, quod Episcopus apud Ticinum futurus esset. Qui postea, cum id fuisset factum, basilicam eidem martyri Sabino, in solo proprio apud eamdem ciuitatem constituit. Hic inter reliquas optimæ vitæ quas habuit virtutes, etiã virginitatis flore decoratus enituit: cuius nos aliquod miraculum, quod posteriori tempore gestum est, in loco proprio ponemus.] hæc Paulus de Petro.

PETRVS EPISCOPVS TICINENSIS PRAENVNCIATVR A MARTYRE.

c *Paul. diacon. lib. 6. c. vlt.*

IESV

A IESV CHRISTI ANNVS 713. CONSTANTINI PAP. ANNVS 6. ANASTASII IMP. ANNVS 1.

SEquitur annus Domini septingentesimus decimustertius, Indictione vndecima, quo Philippicus Imperator, vbi annum & sex menses in Imperio habuisset, tentus & excæcatus eijcitur in exilium. Hæc quidem de tempore Imperatoris Philippici, nempe quod vno tantū anno & mensibus sex regnarit, testatur Paulus [a] diaconus, res sui temporis scribens: ex quo corrigas eos, qui ipsum annos duos & menses aliquot exegisse in Imperio tradiderunt, vt inter alios Theophanes atque Zonaras. Porro quod habet Paulus, confirmant B Acta publica, quæ paulo post recitaturi sumus. Quod autem ad rerum gestarum seriem pertinet: quomodo hæc se habuerint, ex Græcorum Annalibus referemus. Qui enim factus Imperator in diuina ausus est manus inijcere, sibiq. etiam Ecclesiæ imperium arrogauit, vt pro animi arbitrio fidei Orthodoxæ decreta mutaret, ex insperato sensit in se immissam desuper vltionem. Quando enim, abrogata penitus Sexta Synodo, longæuæ ab impostore promissæ in Imperio vitæ securum se esse possessorem existimauit, ab Imperio miser continuo se excidisse cognouit, ipso Imperio luceq. priuatus. Sed quomodo id acciderit, ex Theophane hic reddamus.

PHILIPPICVS IMP. EIICITVR.

[a] *Paul. diacon. hist. Longob. lib. 6. c. 11. & non. edit. c. 34.*

Biennio, inquit, Imperij Philippici transacto, circoq. natalitio cum Prasini vicissent, visum est Imperatori, sabbato Pentecostes equitem cum susceptione ac organis ingredi & lauari in publico balneo Zeuxippi, & cum ciuibus prosapiæ antiquæ prandere. Cum C autem meridie requiesceret, repente ad Auream portam introiuit Rufus primus stratorum obsequij, cognomento Buramphi, & Theodorus Patricius Myancij cum taxatis, quos habebat in Thracia thematis sui; & festinans in Palatium, inuenit Philippicum meridie quiescentem, & comprehensum eum duxit sursum in oratorium Prasinorum, & illic eius oculos eruit, nullo sciente. In crastinum autem, id est, Pentecoste, coaceruato in magna ecclesia populo, coronatus est Artemius a secretis, dictus, mutato nomine, Anastasius. Sabbato vero post Pentecosten oculis priuatus est Theodorus Myancij, & secundo sabbato id ipsum pertulit Gregorius Buramphus, & in exilium missi sunt apud Thessalonicem.] hucusque Theophanes, & alij tum Græci, tum Latini eidem consentientes.

ANASTASIVS IMPERAT.

Sublato igitur hæretico Imperatore, qui Orthodoxæ fidei cultor in locum eius subrogatus est, nihil antiquius habuit, quam se fidei Catholicæ professorem esse, publicis scri- D ptis editis declarare, deq. his reddere certiorem Romanum Pontificem, ad quem suæ professionis fidei litteras scripsit, mittens eas per Scholasticum cubicularium Patricium, quem in Italiam misit Exarchum. De his enim habet ista Anastasius in Constantino his verbis: Non post multos autem dies scripta venere a Sicilienſi insula, quæ nunciauerunt, quod Philippicus hæreticus a principali vertice depulsus esset, & Anastasius Orthodoxus Augustus sceptra regalia gubernanda susceperet. Tunc Orthodoxis exultatio magna, tenebrarum autem dies cunctis hæreticis superfusa est. Post aliquod vero tempus Scholasticus cubicularius Patricius & Exarchus Italiæ veniens Romam, detulit secum Sacram Anastasij Principis, per quam vere se Orthodoxæ fidei prædicatorem & sancti Sexti Concilij confessorem esse omnibus declarauit; quam & Pontifici obtulit, & ita perrexit Rauennam. Dum autem hæc agerentur, obtinuit Petrus supradictus ducatum Vrbis, pro- E mittens quod nequaquam vltra Romanis aduersari niteretur.] hucusque Anastasius.

ANASTASIVS IMP. SCRIBIT AD ROM. PONTIFICEM.

Inter hæc autem Constantinus Papa cum audisset Catholicum in Oriente regnare Imperatorem, a quo & Orthodoxam professionem fidei per Exarchum missam accepisset: eumdem in Catholicam communicationem acceptum, in Album Orthodoxorum Imperatorum, quo pro eo vniuersa Ecclesia exoraret, referri voluit: ad quem etiam ex more misit pro responsis Ecclesiasticis Michaelem presbyterum Cardinalem Apocrisarium. Constant hæc omnia ex Theophane. Perneceſſaria eiusmodi esse videbatur legatio, vt Constantinopoli esset, qui auctoritate Apostolicæ sedis lapsos Episcopos pœnitentes Catholicæ conciliaret Ecclesiæ; quorum maximum fuisse numerum, quæ anno superiori sunt dicta, significant. Quod enim ferme omnes nonnisi timore concussi consenserant in Sextæ Synodi damnationem, perfacilis fuit eorum resipiscentia, gaudentibus cunctis sublatum esse tyrannum, qui ipsos coegisset turpiter adeo a Catholica fide desciscere. His

APOCRISARIVS MITTITVR CONSTANTINOPOLIM.

omnibus naufragis per ſuum Apocriſarium manum porrigens Conſtantinus, quam citius A
ſubuenire curauit.

ACTA PVBLICA DE MIRACVLIS CONFICI SOLITA.

Iam autem (quod polliciti ſumus) intexenda ſunt hic Acta publica per Eccleſiæ notarium conſcripta de curatione virginis arreptitiæ Romæ in eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ ad Aquas Saluias: ex quibus cum multa alia, tum illud potiſſimum conſequaris, vt certum tempus diſcas, quo Philippicus excidit ab Imperio; & in locum eius ſubrogatus eſt Artemius, qui & Anaſtaſius. Contigerunt autem iſta de virgine arreptitia hoc anno, menſe Octobri, inchoata iam a menſe Septembri duodecima Indictione. Eſt ſane mentio in Actione quarta Nicænæ poſterioris Synodi (vt ſuperius dictum eſt) de capite & imagine S. Anaſtaſij martyris Romam delatis & ad Aquas Saluias collocatis, teſtante pariter ibi Ioanne Epiſcopo Tauromeniæ in Sicilia, ex ea inſula mitti ſolitos Romam arreptos a dæmone ad eius martyris venerandas reliquias, vt curarentur. Magnam enim a Deo recens B
martyr virtutem acceperat aduerſus dæmones, adeo vt eius nomen non in Oriente ſolum, ſed & in Occidente celeberrimum eſſet. Quod itaque in more eſſet, vt publicæ curationes a ſanctis in eccleſia fieri ſolitæ ab Eccleſiæ notarijs ſcriberentur, conficerenturq. libelli, qui publice in eccleſia legerentur (prout ſæpe ſuperius ex ſancto Auguſtino & alijs contigit demonſtrari) ijdemq. inter alia Acta publica in earumdem eccleſiarum archiuis aſſeruarentur: quem ex ijs vnum hactenus conſeruatum inuenimus in bibliotheca Vallicellana, poſitum velut appendicem ad vitam eiuſdem ſancti martyris Anaſtaſij, hic tibi putauimus deſcribendum, ea potiſſimum (vt diximus) ratione, vt temporis Philippici Imperatoris certa ratio habeatur, ad redarguendum illos, qui non duos tantum annos, ſed & aliquot etiam menſes poſt duos annos eum vixiſſe in Imperio tradiderunt; cum ex ijſdem Actis, ſecundum quod Paulus diaconus habet, reperiatur, non exceſſiſſe annum vnum & C
menſes ſex. Acta autem ipſa ita ſe habent:

DE THEOPENTO EPISCOPO.

Imperante domino noſtro pijſſimo perpetuo Auguſto Anaſtaſio Magno Imperatore anno primo, & poſt Conſulatum eiuſdem ſerenitatis anno primo, temporibus ſanctiſſimi & beatiſſimi & Apoſtolici ſummiq. Pontificis Conſtantini Papæ vrbis Romæ, Epiſcopus Theopentus nomine, natione Syrus, de ciuitate quæ appellatur Conſtantia, ante hos modicos annos veniens in hanc ciuitatem Romanam, filiam vnicam, quam ſecum duxit, miſit in monaſterio ad diſcendas ſacras litteras. Quæ cum erudita eſſet in canticis & hymnis & lectionibus, vultu decora a multis in matrimonium petebatur: erat enim & diues valde. Quod conſiderans venerabilis Epiſcopus pater eius, eam Deo offerens, conſecrauit in monaſterio ſancti Caſſiani inter ancillas Dei, & reliquam ſubſtantiam eius erogauit pauperibus in diuerſa loca pia. D

DE VIRGINE SACRA ARREPTITIA.

Accidit autem, vt poſtquam impleſſet puella in monaſterio menſes decem & octo, ille inuidus hoſtis antiquus humani generis immiſerit ſe in puellam, & cœperit eam vexare & ſtimulare. Et cum multi opus ſuum offerrent vt facerent filacteria ad eijciendū dæmonem, ipſe nullo pacto acquieuit; ſed precibus & lacrymis ad Deum conuerſus, in ipſo habebat fiduciam, & ab ipſo petebat auxilium, dicens: Surgam, & ibo ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ad ſanctum martyrem eius Anaſtaſium, qui poteſt curare meam filiam a dæmonis vexatione. Accipiens itaque filiam ſuam habentem ſpiritum immundum, venit in manſionem ſanctæ Dei genitricis ſemperq. virginis Mariæ, vbi ſanctus ac beatus Paulus decollatus fuit, in loco, qui appellatur, Ad aquas Saluias, vbi requieſcunt venerabiles reliquiæ martyris Anaſtaſij. Et quia in ipſum monaſterium mulier non ingreditur, intrauit Epiſcopus in aliam eccleſiam iuxta monaſterium, dictam baſilicam beati Ioan- E
nis Baptiſtæ præcurſoris, & vna cum eo presbyter & diaconus, poſtulans ab Abbate eius monaſterij, vt reliquiæ ſancti martyris Anaſtaſij adducerentur in baſilicam ſancti Ioannis, & vt omnis congregatio pro ipſa puella genua flecteret, & peteret a Domino noſtro Ieſu Chriſto & a beato martyre Anaſtaſio virginis liberationem.

ADHIBITAE SACRAE RELIQVIAE AD EIICIENDVM DAEMONEM.

Et dum hæc fierent die Kalendarum Octobris iſtius duodecimæ Indictionis, tunc ſunt reliquiæ venerabilis martyris Anaſtaſij (id eſt caput eius) poſitæ ſuper altare. Petijt inſuper Epiſcopus ab ipſo Abbate, vt ex eo aliquam modicam portiunculam acciperet, & appenderet ad ceruicem filiæ ſuæ. Fecit Abbas, & vnum dentem acceptum appendit ad collum eius. Ad conſpectum autem & poſitionem dictarum ſacrarum reliquiarum cœpit dæmon eam vehementius conturbare, iactareq. blaſphemias in Chriſti martyrem & ſeruos Dei, dicens: Quid me adduxiſtis ad Anaſtaſium cynophagum iſtum? monachus enim

erat

A erat, sed dedit corpus suum ad cruciandum pro Nazareno. Non potestis me eijcere: quia Imperator sum, habens phalangas atque patricios. Non est qui me possit eijcere de corpore isto. Non me eijciet Nazarenus: quia illius est cælum, meus autem est mundus.

Interrogantibus autem inter alia, quomodo ausus esset ingredi in vas Deo consecratum, vbi & corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi introiuit? Respondit: Quidam me coniurauit vt ingrederer in istud corpus, & introiui. Inter hæc elicientes caput beati martyris de paropside argentea, imposuerunt super caput puellæ. Tunc clamabat dæmon: Non potest me eijcere cynophagus iste, quia monachus erat, & ego coniurationem accepi per coronam meam, non egressurum de hoc corpore. Cum autem thymiama adoleretur, exufflabat fumum dæmon, eo quod sibi male oleret: cumq. ab vno ex astantibus lutus eius naribus odorandus offerretur, sibi odorem illum placere dicebat.

DIABOLO MALE OLENT SACRA THYMIAMATA.

B Cum autem interrogaretur, quis eum coniurasset, vt in puellam ingrederetur; dicere noluit nomen eius, sed quomodo id accidisset, id professus est, dicens: Ille adolescens, qui eam in matrimonium postulauit, abijt in Siciliam ad quemdam locum, qui dicitur Marathonius, & ibi fecit coniurationem in nomine meo, & ligauit in folia ficus, & tulit secum: & dum ambularet ista ad balneum, iactauit eam ante ipsam viam, vt eam calcaret ligaturam. Illa hora ingressus sum in eam; sed die illa non eam læsi, neque volutaui. fuit id die secunda mensis Augusti, Indictione vndecima. Die autem secunda Septembris cœpi cum ea ludere, atque exagitare & stimulare.]

QVOMODO INGRESSVS DIABOLVS IN PVELLAM.

Sic namque ad publica balnea feminæ accedebant, vt tamen seorsum lauarentur a viris. Verum neque id probatur a sanctis in virginibus, eo quod vt puritas & candor virginalis aliquo modo inficeretur, magnum periculum immineret: nam sanctus Hieronymus C in epistola ad Lætam [a]: Mihi omnino in adulta virgine lauacra displicent, quæ se ipsam debet erubescere, & nudam videre non posse.] & ad Rusticum [b]: Balnearum fomenta non quærat, qui calorem corporis ieiuniorũ frigore cupit extinguere.] laudat hinc ipse Paulam [c], quod cum alijs monialibus degens, balneis numquam sit vsa, nisi periclitans, ac necessitate coacta. Sicut enim theatra (quod ait Tertullianus de Spectaculis) loca esse solerent, vbi prauus dæmon insideret, ita & balnea. Vnde hic meminisse oportet, quæ de alia virgine itidem in balneis arrepta a dæmone narrat sanctus Prosper Aquitanus, de qua suo loco superius. Hæc idcirco voluimus obiter in memoriam reuocasse, vt non mireris, si in sacram virginem adeuntem balnea permissus est dæmon ingredi.

VSVS BALNEORVM HAVD PROBATVS IN VIRGINIBVS SACRIS.

a Hier. epist. 7.
b Hier. epist. 4.
c Hier. epist. 27.

Pergunt Acta plura dicere de diabolo exorcistas irridente, & martyrem Anastasium blasphemante, quod esset impotens ipsum eijcere, & de opprobrijs & contumelijs iacta-

D tis ab eo in monachos, Episcopos, atque presbyteros, aliosq. sacros Dei ministros: ex quibus potest intelligi, quo sint afflati spiritu homines, qui eadem in easdem personas conijciunt probra: vt dici illis iure possit: Vos ex patre diabolo estis, qui eius opera & facitis & dicitis. His subijciuntur, quæ exultans & insultans dæmon diceret de malis quæ operatus esset ijs diebus: nam inter alia mala ista se feciſſe iactabat: Modo, inquit, venio de Hispania, & feci ibi homicidia multa, & multam effusionem sanguinis.] hæc quidem vera fuisse, quæ paulo post dicturi sumus, significabunt. Subduntur hæc istis:

HAERETICI SICVT DIABOLVS BLASPHEMI.

Dicentibus nobis: Ecce Apostoli Domini nostri Iesu Christi Petrus & Paulus, ipsi te eijcient de isto corpore. Dæmon respondit: O iste senex malus Petrus quid est operatus? Ego feceram vt regnaret Philippicus, quia amicus noster erat: & iste abijt in die Pentecostes, & ordinauit ibi alium. Sed de isto corpore eijcere non me potest.] Audisti, lector,

E quisnam sit promotor Principum hæreticorum, quis vero Orthodoxorum? Cum autem tunc propter blasphemiam in Apostolum vnus ex fratribus impegisset alapam puellæ, quasi in ipsa dæmonem verberaret: Cædite (inquit dæmon) quid ad me de corpore isto?

PROMOTOR PRINCIPVM HAERETICORVM DIABOLVS, CATHOLICORVM PETRVS.

Tandem vero cum complessent in exorcismis in basilica sancti Ioannis dies viginti-quinque, ipsa vltima nocte, hora quasi secunda venit nequissimus, & per os puellæ hæc exclamare cœpit, dicens: Ecce dico vobis: quia Maria & Paulus & Andreas obtulerunt istius mali senis Episcopi & monachorum lacrymas ante Nazarenum: qui dedit potestatem Anastasio, vt veniat & eijciat me de corpore isto in Kalendis Nouembris. Ipse enim Episcopus vna cum monachis die noctuq. non cessabant preces cum lacrymis ad Deum fundere: qui simul & tertio Kalendas Nouembris celebrarunt ea de causa vigilias. Post preces vero exhibitas, candela, quæ ante ipsas venerabiles reliquias assidue ardens erat die noctuque, ab eodem maligno dæmone extincta est (erat hora diei tertia.) Quod videns

INTERCESSIONES SANCTORVM PROFICVAE.

vir

vir venerabilis Episcopus, contristatus est nimis, & præcepit puero monasterij, vt afferret A
lumen. Sed ecce, absque alio lumine e monasterio allato, candela sponte a se ipsa absque
alicuius ibi existentium ministerio accendi visa est, magno splendore elucens. Hoc fa-
ctum est tertio Kalendas Nouembris.

VERA SIGNA ARREPTAE A DAEMONE PVELLAE.

Tertia vero deinde die, ipsis scilicet Kalendis Nouembris, ducta est puella vt prius ante altare, & venit omnis congregatio monachorum: & dum omnes flecterent genua, & dicerent, Kyrie eleison, & cum tunc cœpisset sæuius dæmon agitare puellam, confessus est se vehementissime torqueri ab Anastasio, qui præsens esset: adeoq. fuit violentus motus pessimi dæmonis in puellam, vt eam in aera eleuaret, suspensamq. teneret pedibus sursum, capite deorsum verso. Ex quo violento motu & naturæ humanæ impossibili potuit ab vnoquoque licet incredulo certo sciri, a dæmone vere arreptam esse virginem illam, ne fingere putaretur.] Hic memoria repetas velim, quæ superius quarto tomo dicta sunt ex S. Hie- B
ronymo [a] de spiritibus nequam obsidentibus feminas, & ita sublimes in aere suspendentibus, vt defluerent in faciem vestes, & quod retulimus de ijsdem arreptitijs ex S. Hilario [b], S. Paulino [c], atque Seuero [d], aliquando accidisse, vt licet sublimes, pedibus sursum, capite deorsum versis, suspensæ feminæ essent, tamen Deus non permiserit ludibrio exponi pudorem, sed maiori miraculo fecerit vestes inhærere pedibus, non secus ac si ijsdem essent funiculo colligatæ.

a Hier. epist. 27.
b Hilar. lib. de Synodis.
c Paulin. in Natal. S. Fel. c. 7.
d Seuer. dialog. lib. 3.

DE ADVENTV S. ANASTASII AD CVRANDAM PVELLAM.

Pergit libellus Actorũ: Et nobis dicentibus illi: Exi & recede maledicte de creatura Dei & sponsa Christi. Tunc dæmon dixit: Ligatum me habet Anastasius, quia vsque in vesperum in me pœnas exercere vult. Acciderat autem, vt dens ille e capite S. Anastasij euulsus, ad collum suspensus arreptitiæ, amplius inueniri non posset. Nobis autem dicentibus ei: Quid factum est de dente illo? Dæmon respondit: Quando venit Anastasius, tunc ipse C
eduxit eum de collo, & posuit in loco suo, vbi ante manebat. Et nos diximus ei: Et quando venit sanctus Anastasius? Dæmon dixit: Quando accensa est candela a semetipsa, tunc ingressus est Anastasius, & reuocauit dentem in locum suum. Quærite in arca, vbi sunt reliquiæ eius, & cognoscetis. Tunc igitur accedentes nos ad arcam reliquiarum eiusdem sancti, aperta ea, inuenimus dentem inter eas, vt prius fuerat, collocatum. Tunc rememorati sumus, quod fidelis Dominus in verbis suis, quæ locutus fuerat per propheram suum [e]: Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex ijs non conteretur. Et quod Dominus ait in Euangelio [f]: Non peribit capillus de capite vestro.

e Psal. 33.
f Luc. 21.

COGITVR DIABOLVS LAVDARE SANCTVM ANASTASIVM.

Factum est post hæc silentium, dum esset puella ante altare. Tunc abeuntibus monachis ad refectionem, remanserunt Episcopus pater, & cum eo presbyter, & diaconus, atque tres monachi: sicq. manserunt vsque ad horam vndecimam. Cum iam appropinquaret D
hora egrediendi, tunc cœpit dæmon clamare: Quid me crucias, Anastasi? Scio quia sanctus es.] ista extorsit ab inuito Deus, vt idem pessimus dæmon, qui multa iactasset in opprobrium martyris eum deridens atque subsannans, ab ipso cruciatibus affectus fateri cogeretur id quod esset sanctus Deo acceptus: nam & clamabat rursum cum eiulatu: Væ, væ mihi, sancte Anastasi, quid in te peccaui? Crucia illum, per quem ingressus sum in istud corpus.

SVAM IMBECILLITATEM COGITVR DIABOLVS CONFITERI.

Tunc iterũ flectebat se puella læua atque dextera, vt solent qui flagellantur propter immensum dolorem facere: atque clamat, vt parceret, eo quod exire se velle promitteret. & rursum post modicum interuallum clamans: Exeo, & iuro per eum quẽ tu veneraris & adoras, quod non periuro. Et rursus interposita mora, cum eiulatu clamans dicebat: Per quod portas iuro, quod exeo, & numquam in hoc corpus reuertar: Heu me, heu me, quia veni E
in derisionem coram hominibus. Et iterum clamans dicebat: Sancte Anastasi, exeo, & numquam in presbyteros tuos & diaconos tuos & monachos tuos iniuriam facio. Et ecce dico atque confiteor, quod nihil sum, spiritus nequam & immundus sum, ventus sum: Vbi inuenero verum Christianum, effugio ab ipso, nec aliquid illi mali facere possum.

LIBERATVR PVELLA A MALO DAEMONE PER S. ANASTASIVM.

Et flentibus nobis, dæmon dicebat: Nolite flere: quia cum videt sanctus Anastasius vos flentes, maiora in me tormenta exercet. Sed ecce sicut intraui, egredior, & numquam reuertar amplius in hoc corpus. Dicentibus quibusdam de fratribus: Ne facias quippiam mali, cum egrederis. Ille respondit: Sic mihi præcepit sanctus Anastasius, vt sine aliqua læsione relinquam corpus istud. Sic cruciatus est dæmon ab ipso sancto Anastasio vsque ad horam tertiam noctis, confitente dæmone ad suum cruciatum non permissum antea exire. Tunc puella inclinans se ante altare, sic stetit per spatiũ dimidiæ horæ; & eleuans

se sa-

A se, sanæ mentis & libera stans ante ipsum altare, suscepit corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. & sic salua puella cum patre reuersa est, dantes omnes laudes Deo.] hucusque libellus de energumenæ virginis liberatione. Quo quidem infelicissimi coarguantur hæretici negantes martyrum cultum, quem inuiti licet inuisibilibus flagris compelluntur etiam dæmones profiteri; ob idq. duplo quã illi afficiendi ipsi tormentis. In quos miseros ista negantes opportune hic S. Hieronymi in Vigilantium repetimus interpellationem illam, qua ait: Respondе, quomodo in viliſſimo puluere, & fauilla nescio qua, tanta sit signorum & virtutum præsentia? Sentio, sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas: Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc viliſſimo tortus est puluere, immo hodieq. torquetur; & qui in te plagas dissimulat, in ceteris confitetur. Nisi forte in morem Gentilium, impiorumq. Porphyrij & Eunomij, has præstigias dæmonum

IN IMPIOS HAERETICOS DETESTANTES MARTYRVM CVLTVM

B esse confingas, & non vere clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Do consilium: ingredere in basilicas martyrum, & aliquando purgaberis: inuenies ibi multos socios tuos; & nequaquam cereis martyrum, qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus combureris: & tunc fateberis quod nunc negas; & tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, libere proclamabis, &c.] ita plane S. Hieronymus, significans hæreticos esse pariter arreptitios. sed de his modo hactenus.

Iam vero lugubrem aggrediamur tragœdiam enarrare multis sæculis deploratam, vniuerso orbi suæ calamitatis immensitate notissimam, ingressum inquam Sarracenorum in Hispaniam diabolicis machinamentis effectum, vt ipse scelestissimus dæmon Romæ in arreptitia (vt audisti) est gloriatus, vtpote de scelere, quo immanius nequicquam aliud excogitari potuerit, administris illis vsus, quos sciret suos esse omnium fidelissimos, perfidis

DE SARRACENIS INVADENTIBVS HISPANIAS.

C Sarracenis. Gloriabatur plane dæmon, eo quod aduenisse tempus videret, vt quod diu cupiuisset, impleret. Ante tot sæcula de ipso hæc ad Iob Dominus locutus erat [a]: Absorbebit fluuium, & non mirabitur, fiduciam habens vt influat in os eius Iordanis.] Etenim siue per Iordanem ipsam accipias Palæstinam, quam alluit idem flumen, ea iam potiti fuerant Sarraceni, ipsamq. sanctam Hierosolymam ciuitatem tyrannice possidebant: Siue per Iordanem, interpretatione Gregorij, ipsum populum intelligas Christianum baptismatis aqua perfusum; iam ijdem ipsum populum Christianum habitantẽ Asiam magna ex parte suæ subegerant potestati, sed & omnes qui incolunt Africam suæ ditioni subiugarant: cum & vt Europam pariter debellarent, & omnes qui sunt in ea fideles suæ subijcerent potestati, proditione fidelium facilem aditum idem fabricator malorum omnium dæmon in Hispania præparauit, aperiens ostium, per quod immittat in reliquam Christia-

[a] Iob 40.

D ni orbis partem turmas Sarracenorum. vt plane libere dici possit, numquã maiori nec diuturniori vexatam esse Ecclesiam persecutione, quam cum imperscrutabili Dei iudicio permissa est concuti a perfidis Sarracenis. Sed iam ipsam prosequamur historiam.

Quod ad ipsum ingressum eorumdem Sarracenorum in Hispaniam pertinet, primum omnium quæ sunt temporis disquiramus. Est Roderici Toletani Episcopi atque recentiorum rerum Hispanicarum scriptorum constans assertio, id factum hoc ipso anno: cui veritati recitata nuper Acta adstipulari videntur. vnus Tudensis eorumdem in Hispaniam aduentum in sequentem reijcit annum, quem numerat Era septingentesima quinquagesimasecunda: collocat vero hoc anno ipsas proditorum patriæ & gentis suæ molitiones. sed potuit apud ipsum in notam Eræ error facile irrepsisse.

DE TEMPORE INGRESSVS SARRAC. IN HISPAN.

Haud igitur inanem fuisse diaboli illam superbam iactationẽ, qua se Hispaniam cædibus

E cruentasse professus est, declararunt euenta. Sed quæ hæc omnia eiusdem malorum omnium architecti arte præcesserint, suo ordine enarremus: petamus autem ipsam rerum gestarum seriem a Tudensi vt antiquiore, ipsiusq. verbis, quæ contigisse asserit, describamus. Cum tamen plura his quæ ab alijs recentioribus scripta reperiuntur, haud reijcienda dixerimus. Non enim sic prodimus vetera, vt noua reijcienda putemus, in quibus veritas non esse læsa noscatur: tunc enim neque antiquioribus assentimur. Sed ipsum modo audiamus Tudensem, qui hæc ait:

Hoc anno regni sui tertio Rudericus iniuriam patris sui vlcisci festinans, duos filios Vuitizæ Furmalum & Erpulionem de Hispania cum summo dedecore expulit. Qui ad Tingitanam prouinciam transfretantes (tenebatur enim illa pars a Gothis) Iuliano Comiti illius regionis adhæserunt, quem Vuitiza Rex inter suos secretarios familiarem habuerat cariſſimum. Qui condolens de expulsione eorum & dedecore, consilium inijt cum eis,

PRODITIO IN REGNVM HISPANIARVM ORDITVR.

qua-

quatenus Sarracenos euocarent, & cum eis illatas sibi iniurias vindicarent. Ad hoc fa- A
cinus peragendum incitat Iulianum, quod Rudericus Rex filiam ipsius Cauam nomine,
non pro vxore, sed potius vtebatur pro concubina, quam tamen pro vxore a patre pe-
tierat & acceperat.

PRODITIONE IVLIANI ARMIS NVDATA HISPANIA.

Erat hic Iulianus vir sagax & astutus, qui & callide excitauit Francos, vt expugnarent Hispaniam citeriorem. Fingens tamen esse se amicum Regi Ruderico, callide consuluit, vt equos & arma ad Gallias mitteret & in Africam; quia in interiori Hispania ipse regna-
bat securus, & non erat necesse vt haberent arma Hispani in patria, quibus se mutuo inter-
ficerent.] prætextus præterea poterat esse ille, ne populus pro filijs Vuitizæ arma sume-
ret, & in ipsum insurgeret, vt illos restitueret, & in regnum proueheret. Pergit vero
Tudensis: Tale tunc ad hunc Rudericus dedit edictum, vt vbicumque arma inuenirentur, vel equi fortissimi, violenter a dominis auferrentur. Faucbat huic proditioni * Oppinus B

* al. Oppa

Hispalensis & Toletanus Archiepiscopus, quem pater eius Vuitiza duabus regalibus præ-
fecerat ciuitatibus, vt per eum posset Catholicæ fidei statum euincere.] hæc de conati-
bus Ruderici aduersus filios Vuitizæ, quibus illis profuit, & sibi ruinam parauit.

Ita plane mentem primum Deus auferre solet eorum, in quos parat vlcisci, vt suis
ipsorum feriantur armis, secundum illud Dauidicum [a]: Gladius eorum intret in corda
ipsorum, & arcus eorum confringatur.] & iuxta illud [b]: In operibus manuum suarum
comprehensus est peccator.] dum putans obesse alijs, in se ipsum mala conuertit, in-
star fatui contra propria commoda proprijs studijs laborantis. Vt plane ipsi secundum il-
lud acciderit vaticinium [c], quo dicitur: Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt
principes Mempheos, deceperunt Aegyptum angulum populorum eius: Dominus mi-
scuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, C
sicut errat ebrius.]

a Psal. 36.
b Psal. 9.

SIBI IPSIS MALA PARIVNT IMPII.

c Isai. 19.

Sed antequam reliqua prosequamur, rursum hic, amabo te, mecū considera lector, quod-
nam tam grande potuit præcessisse peccatum, vt magna ira Dei traderetur Hispania Sarra-
cenis, & regiæ insulæ ex Gothorum gente omnino defecerint. Scimus ab omnibus ostenta-
ri tamquam omnium malorum causam Ruderici incontinentiam, cum ausus sit inijcere
manus in filiam Iuliani, quam sub titulo coniugis a patre accepisset, & in pellicem con-
uertisset. sed decipi penitus istos puto: haud enim tunc primum accidit, vt istiusmodi
commiserint scelus principes incontinentes. Verum altius est petenda horum omnium

QVAE CAVSA VT HISPANIAE SINT TRADITAE SARRACENIS.

causa malorum, qua nulla maior ac verior mea sententia afferri potest, quam quod defci-
uisset voluntaria auersione ab Ecclesia Romana regnum Hispaniæ sub Vuitiza huius præ-
decessore, vt suo loco superius ex Hispanicarum rerum scriptoribus dictum est. Vt acciderit D
illis quidem secundum illud quod comminatus est Dominus [d], cum Hieremias, eo quod Iu-
dæi confregissent catenas ligneas, iussus est facere eas ferreas, quæ frangi non possent: cum
videlicet qui iugum Christi respuerant, cogerentur subire iugum ferreum Pharaonis: qui
inquam ab obedientia se subduxere Apostolicæ sedis, iusta Dei sententia factum sit, vt sub-
derentur impijs Sarracenis. Pluribus sane veritas hæc demonstrata est exemplis etiam sæ-
culo isto, nullum posse diu subsistere regnum, quod non innititur super petram. Hinc vi-
des eodem ferme tempore magno fragore maxima ex parte esse collapsum Imperiū Orien-
tis, dum Heraclius defciuit ob hæresim a communicatione Apostolicæ sedis. Id ipsum ea-
dem ex causa Africam esse passam, itidem superius est demonstratum. Vnde veluti ab al-
ta specula illud Dauidicum sit crebrius repetendum [e]: Et nunc Reges intelligite, & eru-
dimini qui iudicatis terram.] Sed iam cœptam semel historiam prosequamur ex eodem E
auctore Tudensi, qui vbi proditorum molitiones recensuit, ista subiungit:

d Hierem. 28.

e Psal. 2.

CLADES HISPANIARVM PER SARRACENOS ILLATAE.

Igitur Era septingentesima quinquagesimasecunda, Vlit fortissimus Rex barbarorum
totius Africæ, ducatu Iuliani & filiorum Vuitizæ fretus auxilio, vt cognouit quod arma
& equi non erant in Hispania, & ciuitates essent absque muris, Tariffum Strabonem
vnum ex ducibus exercitus sui cum viginti & quinque millibus fortium pugnatorum ad
Hispaniam præmisit, vt cognita Iuliani dubia fide, bellum cum Hispaniæ Rege inciperet:
terrebant namque barbarorum Regem laquei dolosi Taleptensis Comitis, si forte ades-
sent, quippe qui ipsum habuerat semper infestum, ac fortem viribus & consilio sapientem
expertus. Ceperunt tunc Sarraceni Hispaniam & circumiacentes vrbes, quia eas absque
murorum ambitu inuenerant. Rex autem Rudericus dum vidit dolos Iuliani Comitis Tin-
gitani, & labores sensit, collecto Gothorum exercitu, armatus vt potuit, acer & fortis

primo

A primo subijt pugnam: adeo vt per quinquaginta continuos dies infatigabiliter dimicans, sexdecim millia hostium exercitus interficeret. Iulianus & duo filij Vuitizæ Regem Rudericum in prima acie certantem cum cernunt, Christianos milites pro mortuis Sarracenis & saucijs alios commutando, barbaros viribus roborant. Sed postquam Iuliani fides per totam Africam declaratur, Muza exercitus Africani Regis Princeps cum infinita multitudine equitum peditumq. ad Hispaniam dirigitur. Deinde renouato bello turmas vnas post alias ad prœlium adducere cœpit. Porro Rex Rudericus, more solito, prœlio incensus cœpit acrius instare, ac propensius in hostes præire. Tandem vero instantibus barbaris, Hispaniam milites capiunt difficiliter; atque per longitudinẽ belli defatigati quique nostrorum locum dant, & terribiliter Gothi qui erant a parte Comitis Iuliani irruebant. HISPANIA POTITI SARRACENI.

Rudericus autem vbi se a suis destitui vidit, per aliquot dies terga præbens paulatim, pugnando (vt credimus) occubuit, sed non cuiuis certus interitus eius. Regnauit annis tribus. Index tamen postea in ciuitate Lusitaniæ Viseo inuenta est lapidea sepultura, in qua epitaphium desuper est scriptum, scilicet: HIC REQVIESCIT RODERICVS REX GOTHORVM.] alia quæ plura his leguntur apud Rodericum Toletanum, ab ipso addita esse noscuntur. Verum post annos plurimos eam esse positam inscriptionem oportuit, cum regni Gothorum nulla penitus reliqua esset spes successionis, quod minime accidit superstitibus Pelagio, Iulianoq. ipso Gothorum adhuc viribus pollente, & alijs qui ad loca tutiora confugerant. Pergit vero Tudensis: OBITVS ET SEPVLCRVM RVDERICI REGIS.

Recesserat manus Domini ab Hispania ob inueteratam Regum malitiam, ne in tempore huius ruinæ eam protegeret. Omnes deinceps Gothorum milites fusi, fugatiq. fuere, & vsque ad interemptionem gladio & inedia perierunt, & non solum contra se communibus & barbarorum, sed etiam Francorum armis ex parte Galliarum consumpti sunt.] hactenus Tudensis de clade illata Hispanijs temporibus Ruderici. Prosecuti sunt tantam cladem lacrymis atque suspirijs posteri omnes scriptores haud ignobiles in præsentem ferme diem. Etenim etsi vulnus sanatum, haud tamen tutum, ne male obducta cicatrix (vt sæpe accidit) iterum recrudescat. Sed quos modo auersio ab Ecclesia Romana (vt vidimus) Hispanos tradidit Sarracenis, postea obedientia & obseruantia erga eamdem ipsos ab hostibus conseruauit immunes, adeo vt etiam in exteras gentes eis dominium propagarit. HISPANIARVM EXTREMA CLADES.

Ceterum quod ad res Ecclesiæ Toletanæ spectat, Rodericus hæc habet[a]: Syndere-dum Episcopum Toletanum aduentum Arabum expauescentem, Vuitizæ insuper insolentijs fatigatum solum vertisse, Romamq. profectum esse, inuadentem vero sedem intrusum fuisse Oppam, de quo superius: Sed viri, inquit, longæui Vrbanum virum sanctimoniæ in Episcopum elegerunt, intrusione Oppæ, qui iam nihil poterat, non obstante.] SYNDEREDVS OPPA, ET VRBANVS EPISCOPI TOLETANI.

[a] *Roderic. de reb. Hisp. lib. 3. c. 18.*

IESV CHRISTI ANNVS 714. CONSTANTINI PAP. ANNVS 7. ANASTASII IMP. ANNVS 2.

ANnus incipit Redemptoris septingentesimus decimusquartus Indictione duodecima, quo die nona mensis Aprilis Constantinus Papa, vbi sedisset annos sex, mensem vnum & diem, ex hac vita discessit, magna ex Pontificatu bene perfuncto sibi gloria comparata: quippe qui cum throno ceteris eminens esset (vt Anastasius ait) omnium humillimus spiritu erat atque mitissimus, cunctis sibi subditis charitate pater amantissimus, quippe qui penuriæ tempore nihil prætermisit officij in pauperibus subleuandis. De ipso autem, præter illa quæ dicta sunt superius, idem Anastasius hæc habet in fine: Fecit ordinationem vnam, in qua creauit presbyteros decem, diaconos duos, Episcopos per diuersa loca numero sexagintaquatuor. Qui etiã sepultus est ad beatum Petrum Apostolum quinto Idus Aprilis Indictione duodecima *. cessauit Episcopatus eius dies quadraginta.] In cuius locum postea subrogatus est Gregorius Secundus, de quo dicturi sumus sequenti tomo. Quod vero ad rationem temporis spectat, non potuit ad sequentem annum idem Constantinus peruenisse, cum eo tempore reperiatur sedisse eius successor Gregorius, vt quæ dicenda erunt, significabunt. CONSTANTINI PAPAE OBITVS, EIVSQ. VIRTVTES. *XIII.

Sub hoc anno recentiores chronographi recensent Synodum Londinensem de imaginibus habitam: sed alij in annum vndecimum vel duodecimũ, alij in decimum supra septingente-

gentesimum referunt: cum tamen antiquiores scriptores, qui & res ipsas Anglorum sunt A
DE SYNODO LONDINENSI FALSA ASSERTIO. prosecuti, de huiusmodi Synodo nec verbum quidem. Sane haud crediderim hæc præterire potuisse Bedam, si re vera fieri contigissent. Sed nec ipsum argumentum subsistit, vel causa probatur tanta fuisse, quæ debuisset in controuersiam deduci, vt & de his consuleretur summus Pontifex Constantinus. Dicunt enim, Eguuinum monachum designatum Episcopum Vuiceijs, diuinitus admonitum vt Dei genitricis imaginem in sua ecclesia collocaret: rem autem in controuersiam deductam, fuisse delatam ad Apostolicam sedem: iussumq. Eguuinum sisti coram Pontifice, & iuratum de visione, quam viderat, & alijs testatum esse. Tunc vero Constantinum legatum misisse Bonifacium in Britanniam, qui Londini Synodum celebraret. Celebrataq. Synodo, fuisse in ea probatas visiones Eguuini, & de cultu sacrarum imaginum promulgatum esse decretum. Hæc quidem cum careant testificatione maiorum, & aduersentur ijs quæ sunt a Beda conscripta, facile inducimur vt commentum esse putemus. B

Quid enim oportuit vt de re iam diu ante recepta visio ostenderetur, vt induceretur
CVLTVS SACRARVM IMAGINVM IN ANGLIA A PRINCIPIO VIGVIT. in vsum fideli populo? Nonne auctoritate Bedæ (quod suo loco superius dictum est) liquet vna cum sancto Euangelio suscepisse Anglos vsum sacrarum imaginum, Augustino ex antiquo Ecclesiæ Catholicæ vsu illuc Saluatoris imagine introducente? Sed sunt hic iterum eiusdem Bedæ verba repetenda, cum de Augustino in Angliam veniente agens hæc ait[a]: At illi, *Augustinus videlicet & socij*, non dæmoniaca, sed diuina virtute præditi veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, litaniasq. canentes, pro sua simul, & eorum propter quos & ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant.] & inferius: Fertur autem, quod appropinquantes ciuitati, more suo, cū Cruce sancta & imagine magni Regis Domini nostri Iesu Christi, C
hanc litaniam consona voce modularentur: Deprecamur te Domine in omni misericordia tua, vt auferatur furor tuus & ira tua a ciuitate ista, & de domo sancta tua, quoniam peccauimus, Alleluia.] hæc ibi. At quisnā est qui docere possit vel minimum quidem hoc sæculo recessisse Anglos ab his quæ docuerat Augustinus? Sed & quis iste quem dicunt, Bonifacius legatus in Angliam missus a Constantino Pontifice? Puto voluisse auctores significare Bonifacium illum magnum Anglum, Germanorum Apostolum a Gregorio Secundo Romano Pontifice designatum: verum ille nonnisi sub eodem Gregorio Secundo Romam venisse reperitur. Abeat igitur de Synodo Londinense commentum.

a Bed. hist. Anglic. lib. 1. c. 25.

Hoc eodem anno magnus ille Pipinus regni Francorum administrator moritur, relicto sibi in magistratu successore filio ex pellice Carolo cognomento Martello. Hæc autē quomodo se habuerint, a nullo fidelius, quam a Marcellino, qui hæc præ oculis habuit, sumenda putamus. ait enim in Suuiberto[b]: Contigit anno ab incarnatione Domini septingentesimo decimoquarto Pipinum de Herstallo strenuum Principem & Maiorem domus Francorum, dolentem super innocente morte sanctissimi Lamberti Tungrensis Episcopi, ad mortem ægrotare.] licet enim ante annos sexdecim S. Lambertus martyrio occubuisset, iamq. facinus obliuione sepultum videri potuisset: tamen semel inflictum Pipini conscientiæ vulnus numquam curatum est, immo magis recruduit ex translatione eiusdem martyris ante annos quatuor renouata memoria. Translatum est enim corpus eius in Legiam, quæ ex vico creuit in nobilem ciuitatem ex eiusdem martyris gloria atque miraculis ibidem iugiter edi solitis. Pergit vero Marcellinus: D

b Marcellin. in Suuiber. c. 25. apud Sur. die 1. Martij.

PIPINI DE HERSTALLO OBITVS.

Accersitusq. sanctus Suuibertus egregius Pontifex ad visitandum eum per nobiles viros, perrexit prius cum Vuilleico & Theodorico discipulis suis Coloniam ad Plectrudem E
SVVIBERTI CVM PIPINO CONGRESSVS. illustrem Ducissam Lotharingiæ, siue Austrasiorum, consiliū ab ea expetens, quidnam facere deberet. Quæ eum religiose suscipiens & tractans, tandem retento Coloniæ pio Vuilleico presbytero sancti Suuiberti apud se causa deuotionis & consolationis (erat enim felix Vuilleicus Euangelicus sacerdos) misit sanctum Suuibertum & Agilolphum Colonienſem Archiepiscopum cum plerisque alijs prælatis ad Pipinum Principem coniugem eius, ad informandum eum, si obiret, ne illustres legitimos suos filios, Drogonem Ducem Campaniæ, Grimoaldum Maiorem domus Childeberti Regis Franciæ exheredaret, heredem scribendo Carolum Martellum illegitimum ex Alpaide pellice genitum in detrimentum & damnationem animæ suæ, & in confusionem sui & totius Ecclesiæ, atque in scandalum suorum primatum & subditorum. Et quia sanctus Lambertus Episcopus eumdem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpauerat, martyrium subijt.

Venien-

A Venientes igitur præfati Pontifices Ioppiliam ad ægrotantem Principem Pipinum, benigne ab eo ſuſcepti ſunt. Qui ipſum conſolantes, & ad tolerantiam aduerſitatum temporalium & infirmitatum corporalium confortantes, aiebant, quod Deus electis ſuis iter aſperum facit, ne dum delectarentur in via, obliuiſcerentur eorum quæ ſunt in patria. Tandem nacto opportuno tempore & congruo, inter cetera pro ſalute & remedio animæ ſuæ cauſam, pro qua venerant, ei deuote & ſalubriter Pontifices exponentes, & de illicito matrimonio increpantes, ſtatim cũ indignatione repulſam patiebantur. Alpais vero legationem ſanctorum Pontificum ſciſcitans & comperiens, irata valde, Pontifices abire celeriter præcepit; & ipſa interpellans importune pro Carolo Martello filio ſuo apud Pipinum, impetrauit cuncta pro eodem filio ſuo, quæ petierat. Pipinus vero eodem anno moriens, eumdem Carolum Martellum ſuorum principatuum reliquit heredem. Quod cer-

CAROLVS MARTELLVS PRINCEPS.

B nentes præfati Pontifices, inglorij & triſtes Coloniam redierunt, enarrantes præclaræ Plectrudi omnia quæ geſta erant in Ioppilia a Pipino, conſolantes eam, & ad tolerantiam patientiæ animantes.] hactenus de his Marcellinus.

Sic igitur cum præfecturam illam primariam annis vigintiſeptem adminiſtraſſet, hoc anno mortuus eſt. Ita etiam colliges ex Iona [a] monacho eius temporis ſcriptore, dum anno Domini ſeptingenteſimo numerat Pipini magiſtratus decimumtertium, conſentientia his quæ apud Amonem leguntur, præfuiſſe nimirum rebus Francorum annos vigintiſeptem. Fuiſſet Pipinus inter Principes maxime pios adumerandus, niſi iſta de pellice eum valde denigraſſent. Conſtat quidem ipſum Pipinum multa eccleſijs contuliſſe, monaſteria erexiſſe, ſanctos viros coluiſſe, hæc & alia id genus crebrius opera factitaſſe. Regna-

PIPINI OBITVS.

[a] *Ion. in vita S. Vulfranni Epiſc. Senonen. apud Sur. die 20. Martij.*

bat hoc tempore in Gaſſijs Dagobertus ſecundus, qui ſequenti anno, vbi tenuiſſet regnum

C annos quinque, moritur, inq. locũ eius Franci eleuant Danielem clericũ in regnum, quem nominant Chilpericum eius nominis ſecundum. Reliqua ſequenti tomo dicenda erunt, vbi & Gregorij eius nominis ſecundi Romani Pontificis res inſigniter geſtas aggrediemur.



D

PERORATIO CVM GRATIARVM ACTIONE.

SIſtendum hic modo, ſtatuto termino, a Gregorio ad Gregorium. Etenim a primo egreſſi, veluti hoſpitali accepta teſſera, apud ſecundum ad quem peruenimus hoſpitalitatis iure quieſcimus, & quidẽ itinere fatigati; cum interdum per vaſtam, rerum geſtarum ignorantia, ſolitudinẽ, fuerit in inuio via laborioſe quærenda; aliquando veluti per ardua montium, inſtar Ionathæ [c], fuerit manibus pedibusq. reptandum, vt oppoſitas immenſas vbique difficultates ſuperare poſſemus: cum inter hæc omnia quam ſæpiſſime denſarum ſpinarum obicibus præpediti, a multiplicibus ſcilicet diuerſisq. ingruentibus vndique negotijs violenter abrepti ab itinere inſtituto, ad aliena curanda oportuerit ad paſſus ferme ſingulos diuertiſſe. Hæc autem omnia ſuperaſſe, & ad optatum viæ exitum peruenisse, opus fuit eius, quam in ipſo exordio itineris quæſiuimus ducẽ Dei genitricem MARIAM,

[c] *1. Reg. 14.*

E necnon eorum quos expetiuimus in via comites ſanctos Martyres. Quibus omnibus quantum pro acceptis beneficijs debeamus, Tobiæ nos ſententia docet [d], cũ iudicauit dimidium bonorum, quæ filius vexerat, fideli comiti tribuendum, quem hominem eſſe putauit; ſed ſi cognouiſſet eſſe Angelum, omnia ſua, ſuosq. ſeq. ipſum libenter exhibuiſſet. Iure ergo nos ijſdem, quos nacti ſumus ducem & comites, omnia iſta pro gratiarum actione rependimus, impendimusq. nos ipſos ſimul. Ipſi vero offerant quod accipiunt Deo bonorũ omnium largitori, a quo nobis impetrent ſolutionem iſtorum compedum aureorum, ſimulq. veniam peccatorum, felicemq. ex hac vita migrationem ad Deum ipſum: cui ſit honor & gloria in ſæcula. Amen.

[d] *Tob. 12.*

ANNALIVM TOMI OCTAVI

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

APPENDIX.
AVCTOR
PIO LECTORI.

Quod hoc octauo tomo Annalium inter scribendum res præclare gestas S. Maximi martyris aduersus Pyrrhum Constantinopolitanum Episcopum Monothelitam, omisimus dedita opera, prolixam illam disputationem eiusdem cum eodem Pyrrho in Africa publice habitam, ne nimia eius prolixitate lectorem fastidio afficeremus, pollicitiq. sumus hic eam apponere per Appendicem, quo rerum antiquarum studiosi eadem nondum edita frui possint: promissi memores, hic tibi eam tum Græce, tum Latine reddimus ex interpretatione Francisci Turriani Societatis IESV Theologi. Sed quoniam is vnico duntaxat, quamuis antiquo, exemplari vsus esse videbatur, in bibliotheca autem Vaticana plures erant eiusdem Disputationis Codices manu scripti, omnes inter se diligenter conferendos, variasq. lectiones ijsdem quibus Vaticani Codices recensentur numeris, habito earum delectu, partim ad marginem, partim ad libri calcem annotandas curauimus. Vtere, lector, & boni consule.

ΠΑΡΑΣΗΜΕΙΩΣΙΣ ΤΗΣ ἡγουμένης ζητήσεως χάριν τῶν κεκινημένων περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν δογμάτων, παρουσίᾳ Γρηγορίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ τῶν συνῳκισμένων αὐτῷ ὁσιωτάτων ἐπισκόπων, καὶ λοιπῶν θεοφιλῶν, καὶ εὐδόξων ἀνδρῶν, πρὸς Πύρρον, τὸν ἡγούμενον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Μάξιμον τὸν ἁγιώτατον μοναχὸν, μηνὶ Ἰουλίῳ, Ἰνδικτιῶνος γ'. Πύρρου μὲν συμμαχοῦντος τῇ παρεισαχθείσῃ παρ' αὐτοῦ τε, καὶ τοῦ πρὸ αὐτοῦ, ἐπὶ τῆς Βυζαντίου καινοτομίᾳ· τουτέστι, τῆς ἑνὸς θελήματος, Μαξίμου δὲ συμμαχοῦντος τῇ ἄνωθεν εἰς ἡμᾶς ἐθισθείσῃ πατρικῇ τε, καὶ ἀποστολικῇ διδασκαλίᾳ· διὰ τὸ ῥηθέντος ὑπὸ φυὴς ἀνδρὸς, φημὶ δὲ Γρηγορίου τοῦ ὑπάρχου πάλαι, τοῦ λεχθέντος ἀνδρῶν· τουτέστι, Πύρρου καὶ Μαξίμου, ἀλλήλοις προσομιλησάντων. προεκαθέζατο δὲ τοῦ πρὸς Μάξιμον διαλέξεως ὁ Πύρρος, ὥστε εἰπεῖν.

QVAESTIO ECCLESIASTICI dogmatis, disputata coram Gregorio patricio pijssimo in conuentu, & consessu sanctissimorum Episcoporum, & reliquorum nobilium virorum, a Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano, & a Maximo Reuerendissimo monacho, mense Iulio, Indictione III. Pyrrho quidem nouum dogma de vna Christi voluntate a se, & a suo antecessore Sergio praue introductum, defendente, Maximo autem doctrinam Apostolorum & Patrum a principio nobis traditam.

FRANCISCO TVRRIANO
Societatis IESV Theologo
interprete.

ΠΥΡΡΟΣ. Τί σοι κακὸν ἐποιήσαμεν, κύριε ἀββᾶ Μάξιμε, ἐγώ τε, καὶ ὁ πρὸ ἐμοῦ, ὅτι οὕτω πανταχοῦ διασύρεις ἡμᾶς, αἱρετικοὺς ὑπόληψιν φέρειν πᾶσι διδοὺς ἡμῖν; τίς δὲ οὕτω ποτὲ, καίτοι τὴν καθ' ὑπόνοιαν ἀγνοούμενον θέᾳ, ἐτίμησεν, ἢ ἐσεβάσθη σε, ὡς ἡμᾶς; ΜΑΞ. Ἐπειδὴ ὁ θεὸς ἀκροᾶται, εὐδοκεῖ τε ὅτι, ἵνα ταῖς σαῖς χρήσωμαι λέξεσιν, ἐτίμησεν, ἢ ἐσεβάσθη με, ὡς ὑμᾶς· ἀλλ' ἀθετησάντων ὑμῶν νῦν τὸ Χριστιανῶν δόγμα, φοβεροὺς ἡγησάμην τῆς ἀληθείας τοῖς πρὸς ἐμὲ πεπιστευκόσι χάριν. ΠΥΡ. Τί γὰρ δοξά-

PYRRHVS: Qua in re domine Abba Maxime, ego & is cui successi, tibi nocuimus, qui vbique nobis detrahis, & nos omnibus in suspicionem de hæresi venire facis? Quis vnquam te, ne de facie quidem notum, sic honoranit & coluit, vt nos? MAX. Quandoquidem audit Deus, nemo vt verbis tuis vtar, sic me honorauit & coluit vt vos: sed cum vos aspernati sitis nunc dogma Christianorum, existimaui pertimescendum mihi esse, si gratiam vestram veritati anteponerem. PYRRH. Qua opinione aspernati

Universidad de Deusto
Biblioteca

aspernati sumus quod Christiani sentiunt? MAX. Opinione de vna voluntate diuinitatis Christi & humanitatis eius. & non solum opinione, sed etiam proposita eius noua expositione ad pernicie totius corporis sanctæ Ecclesiæ. PYR. Quid igitur, qui vnã Christi voluntatem esse sentit, videtur tibi a Christiana doctrina traduci? MAX. Maxime. Quid enim magis impium, quam dicere, eumdem vna & eadem voluntate, ante incarnationem quidem omnia ex nihilo fecisse, continere & procurare ac salubriter dirigere; post incarnationem vero, cibum & potionem appetere, loca locis mutare, & omnia alia facere, quæ omni culpa & reprehensione vacabant; quibus etiam dispensationem liberam ab omni fictione esse demonstranit? PYRRH. Est ne vnus Christus, an non? MAX. Vnus sane. PYRRH. Si igitur vnus Christus, tamquam vnus omnino etiam volebat. quod si tamquam vnus volebat, vna prorsus est & eius voluntas, non duæ. MAX. Dicere quippiam, & non distinguere prius significata in eo quod dicitur, nihil aliud est, quam omnia confundere, & ea studio relinquere operta, de quibus quæritur: quod est alienum a viro disserendi perito. Dic igitur mihi hoc: Christus cum sit vnus, est ne Deus solum, an etiam solum homo, an vtrumque, Deus simul, & homo? PYRRH. Plane, Deus simul & homo. MAX. Deus igitur natura & homo cum esset Christus, volebat tamquam Deus & idem homo, an vt Christus tantum? ac siquidem principaliter vt Deus, & homo volebat Christus, liquet, quod dupliciter, & non vno modo, vnus cum idem esset, volebat. Etenim si nihil aliud est Christus præter naturas suas, ex quibus, & in quibus est, perspicuum est, quod conuenienter naturis suis Christus, id est, vt vnaquæque apta nata erat, vnus existens & idem, & volebat, & operabatur: siquidem neutra earum voluntatis, aut operationis expers est. Quod si conuenienter naturis suis Christus, id est, vnaquæque apta nata erat, volebat & operabatur; erant autem duæ naturæ eius: duæ igitur voluntates eius naturales, & quæ cum ipsis numero totidem sunt, substantiarum operationes. Sicut enim numerus naturarum vnius & eiusdem Christi, si pie intelligatur & dicatur, non diuidit Christum, sed differentiam naturarum etiam in vnione custodiri demonstrat: sic numerus voluntatum & operationum, quæ secundum substantiam in eius naturis insunt (ambabus enim naturis suis, vt dictum est, idem salutem nostram & volebat & operabatur) non diuisionem inducit, absit; sed earum etiam in vnione custodiam tantum & incolumitatem declarat. PYRRH. Non potest fieri, quin voluntates secum inferant ipsos volentes. MAX. Hoc quidem absurdum, in vestris etiam litteris, non ratione, sed licentia protulistis, nacti Heraclium vc-

A δοξάσαντες, τὸ Χειστιανῶν ἤθετήσαμεν φρόνημα; ΜΑΞ. Εν θέλημα τῆς θεότητος τῶ Χειστῶ καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτῶ δοξάσαντες, καὶ μὴ μόνον δοξάσαντες, ἀλλὰ καὶ ὅλη λύμη τ παντὸς τῆς ἁγίας ἐκκλησίας σώματος, δόξῃ καινῆς ἐκθέσεως τὸ πρᾶγμα θέμενοι. ΠΥΡ. Τί οὖν, ὁ ἓν θέλημα τῶ Χειστοῦ δοξάζων, δοκῶ σοι ἐξηλλαγκέναι τῆς Χειστιανικῆς διδασκαλίας; ΜΑΞ. Πάνυ μὲν οὖν. τί γὰρ ἀνοσιώτερον τῶ λέγειν, τὸν αὐτὸν ἐν, καὶ τῶ αὐτῶ θελήματι, πρὸ μὲν τῆς σαρκώσεως τὰ πάντα ἐκ μὴ ὄντων συστήσασθαι, συνέχειν τε, καὶ
B προνοεῖν, καὶ σωτικῶς διέξαγειν, μετὰ δὲ τῶν ἀνθρωπίνων τροφῆς ἐφιέσθαι καὶ ποτῶ, τόπους τε ἀλλάττειν † τόπων ἀμείβειν, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ποιεῖν, τὸ διαβολῆς ἀπαίσης, καὶ μομφῆς ἐκτὸς τυγχάνοντα· δι' ὧν καὶ πᾶσιν καθαρὸν ἐδήλωσε τῶ οἰκονομίαν φαντασίας; ΠΥΡ. Εἷς ὁ Χειστὸς, ἢ δύο; ΜΑΞ. Καὶ, εἷς προδήλως. ΠΥΡ. Εἰ οὖν εἷς ὁ Χειστὸς, ὡς εἷς πάντως καὶ ἤθελεν· εἰ δὲ, ὡς εἷς, ἤθελεν, ἓν πάντως αὐτὸ καὶ τὸ θέλημα, καὶ οὐ δύο. ΜΑΞ. Τὸ λέγειν τι, καὶ μὴ προδιαστέλλειν τὸ λεγόμενον τὰ σημαινόμενα, ἃ δὴν ἕτερόν ἐστιν, εἰ μὴ πάντα συγ-
C χεῖν, καὶ ἀσαφῆ ἀποδόμενον ἐᾶν τὰ, περὶ ὧν ἡ ζήτησις· ὅπερ ἀλλότριον αἰδοῦς † λογικῆς καθέστηκε. τοῦτο οὖν εἰπέ μοι. ὁ Χειστὸς ἓις ὢν, θεὸς μόνον ἐστὶν, ἢ καὶ ἄνθρωπος μόνον, ἢ τὸ συναμφότερον; θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος; ΠΥΡ. Προδήλως θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος. ΜΑΞ. Θεὸς οὖν φύσει καὶ ἄνθρωπος ὑπάρχων ὁ Χειστὸς, ὡς θεὸς καὶ ἄνθρωπος † ὁ αὐτὸς ἤθελεν, ἢ ὡς Χειστὸς μόνον; ἀλλ' εἰ μὲν προσημαινόμενος, ὡς θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἤθελεν ὁ Χειστὸς, δηλονότι δυϊκῶς, καὶ οὐ μοναδικῶς, εἷς ὢν ὁ αὐτὸς, ἤθελεν. εἰ γὰρ οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ὁ Χειστὸς
D πρὸς τὰς αὐτὰ φύσεις, ἐξ ὧν, καὶ ἐν αἷς ὑπάρχει, προδήλως, ὡς καταλλήλως ταῖς ἑαυτῶ φύσεσιν, ἤρουν, ὡς ἑκάστη πέφυκεν, εἷς ὢν καὶ ὁ αὐτὸς, ἤθελέτε, καὶ ἐνήργει· εἰ περ οὐδετέρα αὐτῶν ἀθελήτος ἐστὶν, ἢ ἀνενέργητος. εἰ δὲ καταλλήλως ταῖς ἑαυτῶ φύσεσιν ὁ Χειστὸς, ἤρουν, ὡς ἑκάστη πέφυκεν, ἤθελέτε, καὶ ἐνήργει, δύο δὲ αὐτὰ αἱ φύσεις, δύο αὐτὰ πάντως καὶ τὰ φυσικὰ θελήματα, καὶ αἱ τούτων ἰσάριθμοι, καὶ ἀσυγχύτως ἐνέργειαι. ὥς περ γὰρ ὁ τῶν τῆ αὐτὰ καὶ ἑνὸς Χειστοῦ φύσεων ἀριθμὸς, ἀσεβῶς νοούμενός τε, καὶ λεγόμενος, οὐ διαιρεῖ τὸν Χειστὸν,
E ἀλλὰ συζομιλεῖ καὶ τῆ ἑνώσει, παείσπει τ φύσεων τῶ διαφορὰν, ἥτε καὶ ὁ ἀριθμὸς τῶν ἀσυγχύτως προσόντων ταῖς αὐτὰ φύσεσι θελημάτων, καὶ ἐνεργειῶν· κατ' ἄμφω γὰρ, ὡς εἴρηται, τὰς αὐτὰ φύσεις θρητικὸς ἐστὶν ὁ αὐτὸς, καὶ ἐνεργητικὸς τῆς ἡμῶν σωτηρίας, ἀδιαίρετον ἐσάγει· μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τ αὐτὸν δηλοῖ καὶ μόνον καὶ τῆ ἑνώσει φυλακτικὸν, καὶ σωτηρίας. ΠΥΡ. Ασύνατον, τοῖς θελήμασι μὴ συνεφέπεσθαι τοὺς θέλοντας. ΜΑΞ. Τοῦτο μὲν καὶ ἐν τοῖς ὑμετέροις γράμμασι τὸ ἄδηλον, ἀ λόγῳ, ἀλλ' ἐξουσίᾳ κινούμενοι, ἀπεφήνασθε, † συναγόρευμα ὑμῖν ἐκ τοῦτο λαβόντες τὸν Ηράκλειον,

† τόπων 270.336.

† λογίου 602.270.

† αὐτὸς 270.336.

† συναγόρευμα 602.

δόξῃ

Universidad de Deusto
Biblioteca

δῆλα τὸ καὶ ὑμᾶς συνελθεῖν τῇ αὐτοῦ ἀθεμίτῳ, καὶ
ἀθεμίτῳ μίξει, καὶ ταύτῃ δὴ εὐλογίας κυρῶ-
σαι. εἰ γὰρ δοθῇ, τοῖς θελήμασι συναισθάνεσθαι
τοὺς θέλοντας, πάντως καὶ τοῖς θέλουσι τὰ θελή-
ματα καὶ τὸν εἰκότως συναισθήσε-
σθαι· καὶ διαθήσεσθαι καθ' ὑμᾶς, τῆς ὑπερουσίου, καὶ
ὑπερθέου, καὶ μακαρίας θεότητος, δυὰς μὲν τὸ ἓν
αὐτῆς θέλημα, μία καὶ ἡ ὑπόστασις, καθ' Σαβέλ-
λιον, δυὰς δὲ τὰ ἴδια πρόσωπα, ἴδια καὶ τὰ θελή-
ματα, καὶ δυὰς τοῦτο ἴδιας φύσεις, καθ' τὸν Ἄρειον·
εἴπερ καὶ τοὺς πατρικοὺς ὅρους, καὶ κανόνας, ἡ διαφο-
ρὰ τῶν θελημάτων καὶ φύσεων εἰσάγει διαφοράν.
ΠΥΡ. Ἀδυνάτον ὄζιν, ἐν ἑνὶ προσώπῳ δύο ἀλ-
λήλοις συνυπάρξαι θελήματα, ἄνευ ἐναντιώσεως.
ΜΑΞ. Εἰ ἄνευ ἐναντιώσεως δύο θελήματα ἐν ἑνὶ,
καὶ τῷ αὐτῷ προσώπῳ εἶναι, δυνατὸν, ἆρα μὴ
ἐναντιώσεως, κατά σε δυνατόν· εἰ δὲ τοῦτο,
† τὰ δύο εἶναι ὡμολόγησας, καὶ πρὸς τὸν
ἀριθμὸν οὐ † διαφέρῃ, ἀλλ' ἢ μόνον πρὸς τὴν
ἐναντιότητα. ὑπολείπεται, ζητεῖν τὴν ποιη-
τικὴν τῆς μάχης αἰτίαν. ποίαν οὖν ταύτην † φὴς
ἆρα; τὴν καὶ φύσιν θέλησιν, ἢ τὴν ἁμαρτίαν;
ἀλλ' εἰ μὲν τὴν καὶ φύσιν ἅπαντες θέλησιν, τού-
των δὲ οὐκ ἄλλον, ἢ τὸν θεὸν, γινώσκομεν ἅπαν-
τες κατά σε τῆς μάχης δημιουργὸν ὁ θεός· εἰ
δὲ τὴν ἁμαρτίαν, ἁμαρτίαν δὲ οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ
τὴν οἱανοῦν ἐναντίωσιν ἐν τοῖς καὶ φύσιν αὐτοῦ ὁ
σαρκωθεὶς θεὸς ἔσχε θελήματι· τοῦ αἰτίου γὰρ μὴ κ
ὄντος, οὐδὲ τὸ αἰτιατὸν προσηλώσεται. ΠΥΡ.
Φύσεως οὖν τὸ θέλειν; ΜΑΞ. Ναὶ, τὸ ἁπλῶς θέ-
λειν φύσεως. ΠΥΡ. Εἰ φύσεως τὸ θέλειν· οἱ ἐμ-
φανίσαντες δὲ τῶν πατέρων ἓν θέλημα τοῦ θεοῦ
καὶ τῶν ἁγίων εἶπον, καὶ μία φύσις ἔσται ὅτε γε τῶν
ἁγίων, καὶ τοῦ θεοῦ. ΜΑΞ. Καὶ εἰρήθη·
ὅτι δεῖ, τὸν περὶ ἀληθείας λόγον ποιούμενον, διαι-
στέλλειν τῶν λεγομένων τὰ σημαινόμενα, διὰ
τὴν ἐκ τῆς ὁμωνυμίας πλάνην. ἀντερήσομαι γάρ
σε καὶ αὐτός· ὅτι οἱ ἓν θέλημα τοῦ θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων
εἰπόντες ἅγιοι, πρὸς τὸ ἀσπαστὸν τοῦ θεοῦ, καὶ † δη-
μιουργικὸν θέλημα ἀποβλέποντες, τοῦτο εἶπον, ἢ
πρὸς τὸ θελητόν; ἐ ταυτὸν γὰρ τὸ τοῦ θέλοντος θέ-
λημα, καὶ τὸ θελητόν· ὡς περ οὐ δὲ τὸ τοῦ ὁρῶντος
ὁπτικὸν, καὶ τὸ ὁρατόν· τὸ μὲν γὰρ οὐσιωδῶς ἐντὸς
πρόσεστι, τὸ δὲ ἐκτὸς τυγχάνει. ἀλλ' εἰ μὲν πρὸς
τὸ ἀσπαστὸν ἀποβλέποντες, εἶπον, ἃ μόνον ὁμοφυεῖς,
καὶ συνδημιουργοὺς εἰσάγοντες εὑρεθήσονται τῷ
θεῷ τοὺς ἁγίους, ἀλλὰ καὶ ἑαυτοῖς ἐναντιουμένους, φή-
σαντες, μὴ δύνασθαι τὰ ἑτερούσια κοινὸν ἔχειν θέ-
λημα· εἰ δὲ πρὸς τὸ θελητὸν, ἆρα ἀπολογικῶς,
ἢ, ὡς ποτὲ φίλον λέγειν, καταχρηστικῶς τὸ θελητὸν,
θέλημα προσηγόρευσαν οἱ πατέρες· καὶ οὐδὲν ἔφε-
ται ἄτοπον † τῶν φύσεως εἶναι τὸ ἁπλῶς θέλειν
ὁμολογουμένων. ΠΥΡ. Εἰ τοῖς θελήμασι πρὸς τὰ
ἑαυτοὺς, καὶ ἀλλήλοις διαφέρομεν, νῦν μὴ
τοῦτο θέλοντες, † νῦν δὲ τὸ αὐτὸ οὐ θέλοντες,
φύσεως δὲ τοῦτο, καὶ † τῆς αὐτῆς † χαρακτηριστικὸν

A vestrum ad hoc adiutorem, quia vos eius nefariæ & sceleratæ mixtioni assensi estis, & benedictione † eam confirmastis. Si enim concedatur inferri cum voluntatibus volentes, omnino consectanea reciprocatione cum volentibus inferentur voluntates: reperieturq. etiam vobis auctoribus in supereſſentiali, plusquam bona & beata Deitate, vna quidem hypostasis, sicut sensit Sabellius, quia vna est in ea voluntas; tres vero voluntates, quia sunt tres personæ, ac proinde tres naturæ, ex opinione Arij; si quidem secundum definitiones, & regulas B Patrum, differentia voluntatum differentiam etiam naturarum secum infert. PYR. Impossibile est, in vna persona duas simul esse non contrarias voluntates. MAX. Si non est possibile esse simul in vna & eadem persona duas non contrarias voluntates; igitur, opinione tua, possibile est esse, si contrariæ sint. si sic est; confessus es hactenus duas esse, & non dissides a numero, sed tantum a pugna: restat igitur vt quæramus causam huius pugnæ effectricem. quam igitur esse hanc ais? voluntatemne naturalem, an peccatum? si naturalem dicis, huius autem auctorem non alium esse scimus, C nisi Deum; igitur, vt tua est opinio, Deus est auctor pugnæ. Si peccatum dicas; peccatum autem non fecit; neque Deus incarnatus vllam quampiam pugnam in voluntatibus naturalibus habuit. cum enim causa non est, plane nec effectus causæ erit. PYRRH. Naturæ igitur est velle? MAX. Sane quidem simpliciter velle naturæ est. PYRRH. Si naturæ est velle, illustriores autem patres dixerunt vnam esse Dei & sanctorum voluntatem; ita fiet vt sanctorum & Dei vna sit natura. MAX. Superius dictum est, cum D qui de veritate disserit, debere distinguere quæ vocibus significantur, propter errorem qui ex homonymia proficiscitur. Rursus enim percunctabor te: cum sancti vnam Dei & sanctorum voluntatem esse dixerunt, dixeruntne hoc intuentes in voluntatē substantialem Dei, & effectricem, an in id quod volunt? non enim idem est voluntas volentis, & id, quod vult; sicut non est idem videntis vis cernendi, & quod cernitur. illa enim inest ei substantialiter; hoc autē extra est. Quod si ad substantialem respicientes dixerunt, E reperientur non solum eiusdem naturæ cum Deo sanctos inducere & cum eo effectores, sed etiam sibi ipsis repugnantes: qui dixerunt non posse diuersas substantias cōmunem habere voluntatē. Sin vero ad id, quod volunt, respexerunt; igitur secundum causam, siue vt quibusdam loqui placet, per abusionem voluntatem appellauerunt Patres eam rem, quam quis vult; nihilq. absurdum sequetur ex eo, quod definierunt naturæ esse simpliciter velle. PYRRH. Si voluntatibus a nobis ipsis, & alij ab alijs dissidemus, qui nunc quidem hoc volumus, nunc vero idem nolumus; naturæ autem est hoc, & rationem eius

† for. commendatione

† τὸ δύο 602. 270. † διαφέρῃ 602.

† φῂς; ἆρα τὴν al.

† δημιουργὸν 270.

† τῆς φύσιως 270. † ποτὲ δὲ al. † τὸ αὐτῆς al. præter 602. 339. † χαρακτηριστικὸν 602

Universidad de Deusto
Biblioteca

signat atque exprimit: non solum reperiemur natura inter nos dissidere, sed infinities mutare naturam. MAXIMVS: Non est idem velle, & aliquo modo velle; sicut non est idem videre, & aliquo modo videre. nam velle, sicut & videre naturæ est, & omnibus, qui eiusdem naturæ sunt, inest: at vero aliquo modo velle, sicut & aliquo modo videre, id est, velle deambulare, & nolle deambulare; videre ad dexteram, vel ad lævam; vel supra, vel infra, vel ad libidinem, vel ad perspicientiam rationum, quæ in rebus insunt, modi sunt vtendi voluntate, & aspectu. & hic modus inest vtenti tantum, & ab alijs eum distinguit secundum differentiam communiter dictam. Si autem ipsam naturam habemus hoc testantem, igitur velle comedere & nolle comedere, non tollit illud velle quod naturæ est, sed velle aliquo modo, id est, eorum quæ volumus est ortus, & interitus. nec enim, si ponamus quæ a Deo facta sunt, quæ sunt ea quæ ipse voluit, interire, cum his etiam voluntas, quæ ante ea cogitatur, & est eorum effectrix secundum substantiam, simul interibit. PYR. Si naturalem voluntatē dicis, quod autem naturale est, omnino etiam coactum est, quomodo non est necesse, si naturales in Christo voluntates dicimus, non tollere in eo omnem voluntarium motum? MAX. Non solum diuina & non creata natura nihil habet naturale coactum, sed neque natura intelligens & creata. Quod enim est natura particeps rationis, vim habet naturalem appetitus rationalis, qui etiam vocatur θέλησις, id est, appetitio animæ intelligentis; qua appetitione volentes ratiocinamur, & ratiocinati appetentes volumus, & appetentes quærimus, & consideramus, ac consultamus, & iudicamus, & afficimur, & eligimus, & aggredimur & vtimur. Cum igitur (vt diximus) natura nobis insit secundum rationem appetere, id est, velle, & ratiocinari, consultare, & quærere, ac considerare, velle, & iudicare, ac affici, & eligere, aggredi, & vti: non sunt igitur coacta, quæ natura insunt intelligentibus. Quo modo etiam hoc concesso, non erit omni absurdo absurdior huiusmodi enunciatio? Etenim si vera est, & omne id quod naturale est, idē omnino coactum est: Deus autem est natura Deus, natura bonus, natura creator; necessario Deus erit Deus, & bonus, & creator. quod quidem cogitare, ne dum efferre, extremæ blasphemiæ est. Quis enim est qui necessitatem imponit? considera autem & sic, si placet, amice, huius enunciationis blasphemiam. Si enim qui voluntatem naturalem in Christo dicit, omnem in eo voluntarium motum opinione tua tollit, necesse est, quæ quidem volunt naturaliter, motum habere non voluntarium; quæ vero naturaliter non volunt, voluntarium. igitur non solum Deus, qui est super omnia, sed omnia quæ vim intelligendi & ratiocinandi habent, cum

λόγου, οὐ μόνον τῇ φύσῃ ἀλλήλων διαφέροντες εὑρεθησόμεθα, ἀλλὰ καὶ ἀπείρακις ταύτης μεταβάλλοντες. ΜΑΞ. Οὐ ταυτὸν τὸ θέλειν, καὶ τὸ πως θέλειν, ὡς περ οὐδὲ τὸ ὁρᾶν, καὶ τὸ πως ὁρᾶν· τὸ μὲν γὰρ θέλειν, ὡς περ καὶ τὸ ὁρᾶν, φύσεως, καὶ πᾶσι τοῖς ὁμοφυέσι, καὶ ὁμογνώμοσι, ἕπεσθαι· τὸ δέ πως θέλειν, ὡς περ καὶ τὸ πως ὁρᾶν, τουτέστι, θέλειν περιπατῆσαι, καὶ μὴ θέλειν περιπατῆσαι· καὶ δεξιὰ ὁρᾶν, ἢ ἀριστερὰ, ἢ ἄνω, ἢ κάτω, ἢ πρὸς ἐπιθυμίαν, ἢ κατανόησιν τῶν ἐν τοῖς οὖσι λόγων, ἔχόμενος ὄντι τῆς τοῦ θέλειν, καὶ ὁρᾶν χρήσεως, μόνῳ τῷ παρεμπίπτῳ † πρόσθεν, καὶ τῶν ἄλλων αὖτον † χρείζον, κῇ τῷ κοινῶς λεγομένῳ διαφέρει. εἰ δὲ τοῦτο μαρτυροῦσαν τῷ φύσιν ἔχομεν, ἆρα τὸ θέλειν φαγεῖν, † ἢ μὴ θέλειν φαγεῖν, ἢ τὸ θέλειν περιπατῆσαι, † ἢ μὴ θέλειν, οὐ τοῦ πεφυκέναι θέλειν ὄντι † ἀναίρεσις, ἀλλὰ τοῦ πως θέλειν· τουτέστι, τῶν θελητῶν ὄντι γνῶσις, καὶ ἀπογνῶσις. οὕτω γὰρ, εἰ ὑποθείμεθα, τὰ ὄντα τοῦ θεοῦ γνωόμενα, θελητὰ αὐτῷ ὄντα, ἀπογνώεσθαι, τούτοις καὶ τὸ περιπνούμενον αὐτῶν, οὐσιωδες † αὐτῶν, καὶ ποιητικὸν θέλημα συναπογνώσεται. ΠΥΡ. Εἰ φυσικὸν λέγεις τὸ θέλημα, τὸ δὲ φυσικὸν πάντως καὶ ἀναγκασμένον, πῶς οὐκ ἀνάγκη, φυσικὰ λέγοντας ἐπὶ Χριστοῦ τὰ θελήματα, πᾶσαν ἐπ' † αὐτῷ ἑκούσιον ἀναιρεῖν κίνησιν; ΜΑΞ. Οὐ μόνον ἡ θεία, καὶ ἄκτιστος φύσις ἐστὶν ἀναγκασμένον ἔχει φύσικὸν, ἀλλ' οὐδὲ ἡ νοερὰ, καὶ κτιστή· τὸ γὰρ φύσει λογικὴν δύναμιν ἔχει φυσικῷ τῷ λογικῷ ὄρεξιν, ἥτις καὶ θέλησις καλεῖται τῆς νοερᾶς ψυχῆς· καθ' ὃ θέλοντες λογιζόμεθα, καὶ † λογισάμενοι, θέλοντες † βουλόμεθα, καὶ θέλοντες ζητοῦμεν, σκεπτόμεθά τι, καὶ † βουλευόμεθα, καὶ κείνομεν, καὶ διατιθέμεθα, καὶ περαιούμεθα, καὶ ὁρμῶμεν, καὶ κεχρήμεθα. καὶ φύσιν δὲ ἡμῖν, ὡς εἴρηται, περαίνοντες τὸ λογικὸς ὀρέγεσθαι, ἤτοι τὸ θέλειν, καὶ λογίζεσθαι, βουλεύεσθαί τι, καὶ ζητεῖν, καὶ σκέπτεσθαι, καὶ † βάλλεσθαι, καὶ κείνειν, καὶ διατίθεσθαι, καὶ αἱρεῖσθαι, καὶ ὁρμᾶν, καὶ κεχρῆσθαι, οὐκ ἄρα λελογισμένα τὰ τῶν νοερῶν φυσικά. πῶς δὲ καὶ τούτῳ δοθέντος οὐ πάσης ἀτοπίας ἀτοπωτέρα ἡ τοιαύτη διήγησεται περάτωσις; εἰ γὰρ κατ' αὐτὸ τὸ φυσικὸν πάντως καὶ λελογισμένον, φύσει δὲ θεὸς ὁ θεὸς, φύσει ἀγαθὸς, φύσει δημιουργός, ἀνάγκη ἔσαι ὁ θεὸς θεὸς, καὶ ἀγαθὸς, καὶ δημιουργός· ὅπερ καὶ ἐννοεῖν, μή τι † λέγειν, ἐσχάτης ὄντι βλασφημίας. τίς γὰρ ὁ τῷ ἀνάγκῳ ἐπάγων; σκόπει δὴ, εἰ δοκεῖ, ὦ φιλότης, καὶ ὅυτω τῆς τοιαύτης περατώσεως τὸ βλάσφημον. ἢ γὰρ ὁ φυσικὰ θεὸν Χριστὸν λέγων τὰ θελήματα, πᾶσαν κατάσει ἑκούσιον † ἐπ' αὐτῷ ἀναιρεῖ κίνησιν, ἀνάγκῃ, τὰ μὲν φυσικῶς θέλοντα, ἀκούσιον ἔχειν κίνησιν, τὰ δὲ φυσικῶς μὴ θέλοντα, ἑκούσιον. ἀκουῶ δὲ μόνον θεὸν, ὁ ὑπὲρ τὰ ὄντα, ἀλλὰ καὶ νοερὰ πάντα, καὶ λογι-

† πρόσθεν al. praiet 601. 270.
† χρείζον al. praiet 270.
† ἢ 270.
† ἢ 270.
† ἄρνων al. praiet 270. 336.
† αὐτῶν 601. 339.
† αὐτῷ 601.
† λογιζόμενοι 601. 270.
† βουλεύμεθα 336.
† βουλόμενοι 601. 270.
† βουλεύεσθαι 601. 270.
† γελλίων al.
† ἐπ' 601. 270.

Universidad de Deusto

λογικὰ, φύσιν ὄντα θελητικὰ, ἀκούσιον ἔξει κί- A
νησιν· ἄψυχα δὲ ἃ θελητικὰ, ἑκούσιον ἕξει κίνησιν. πλεῖον ὅτι ὁ μακάριος Κύριλλος ἐν τῷ τρίτῳ κεφαλαίῳ πρὸς τὰς τοῦ Θεοδωρήτου μέμψεις ἀπήλλαξεν ἡμᾶς περιττῶν πραγμάτων, διαῤῥήδην ἀποφηνάμενος, μηδὲν φυσικὸν εἶναι ἐν τῇ νοερᾷ φύσει ἀκούσιον. καὶ τοῦτο ἔξεστι τῷ βουλομένῳ μαθεῖν, μὴ χεῖρας λαβόντι τὸ τοιοῦτον κεφάλαιον. ΠΥΡ. Ἐπειδὴ χρὴ, τὰ ἐκ τῆς ἐξετάσεως ἀναφαινόμενα ἀληθῆ, ἀγνωμόνως ἀποδέχεσθαι, μὴ πολλῆς † δικρινείας ἔδειξε ὁ λόγος, φυσικὰ εἶναι τὰ ὅτι Χριστοῦ θε- B
† πολυκρίτου 270. 602.
λήματα. δυνατὸν δὲ, ὡς περ ἐκ τῶν δύο φύσεων ἕν τι συνθετὸν λέγομεν, οὕτω καὶ ἐκ τῶν δύο φυσικῶν θελημάτων ἕν τι συνθετὸν λέγειν· ἵνα καὶ οἱ δύο λέγοντες θελήματα, διὰ τὴν φυσικὴν τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων διαφορὰν, καὶ οἱ ἓν λέγοντες, διὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν, μηκέτι ψιλῶν λέξεων ἕνεκεν πρὸς ἀλλήλους διαφέρωνται· εἰ περ οὐκ ἐν ὀνόμασιν ἡμῖν, † φησὶν ὁ μέγας ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριος, ἡ ἀλήθεια, ἀλλ' ἐν πράγμασιν. ΜΑΞ. Ὁρᾷς, ὅπ ἐκ
† φησὶν 602. 270.
τούτου πλανᾶσθε, ἐκ τοῦ πάντη ἀγνοῆσαι, ὅπ αἱ C
συνθέσεις τῶν ἐν ὑποστάσει ὄντων, καὶ οὐ τῶν ἐν
† ἐν ἑτέρῳ λόγῳ διωρ. 602. 270.
ἑτέρῳ † θεωρουμένων εἰσί· καὶ τοῦτο κοινὸν φρόνημα πάντων, καὶ τῶν ἔξω φιλοσόφων, καὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας θεοσόφων μυσταγωγῶν. εἰ δὲ τῶν θελημάτων συνθέσιν λέγετε, καὶ τῶν ἄλλων φυσικῶν τῷ συνθέσιν λέγειν ἐκβιασθήσεσθε· ἃ περ ἀσυμφορώτατον τὸν τοῦ οἰκείου δόγματος λόγον δεῖξαι βούλεσθε· τουτέστι, τοῦ κτίστου, καὶ τοῦ ἀκτίστου· τοῦ ἀπείρου, καὶ τοῦ πεπερασμένου· τοῦ ἀορίστου, καὶ τοῦ ὡρισμένου· τοῦ θνητοῦ, καὶ τοῦ ἀθανάτου· τοῦ φθαρτοῦ, καὶ τοῦ ἀφθάρτου· καὶ ὡς D
ἀτόπως ἐξενεχθήσεσθε ὑπολήψεις. πῶς δὲ τὸ ἐκ τῶν θελημάτων, θέλημα προσαγορευθήσεται; εἰ γὰρ δυνατὸν, τὸ συνθετὸν τῇ τῶν συνθετῶν ὀνομάζεσθαι προσηγορίᾳ· ἢ ἄτοπον καὶ τὸ ἐκ τῶν φύσεων, φύσις, καὶ τοὺς πάλαι αἱρετικοὺς, προσαγορευθήσεται. προσεπιτούτοις δὲ καὶ πάλιν αὐτὸν θελήματι τὸ παθὸς † χωρίζετε, συνθέτῳ θελήματι συνθετον καὶ μόνῳ
† χωρίσετε 602.
χαρακτηρίσαντες φύσιν. ΠΥΡ. Οὐδὲν οὖν, καθάπερ αἱ φύσεις, καὶ τὸ αὐτὸν φυσικὰ † ἔχει κινόν; ΜΑΞ. Οὐδὲν, ἢ μόνῳ τῷ † τῶν αὐτῶν E
† ἔχη 602. 270.
† τῆς φύσεως ὑπόστασιν 602.
φύσεων ὑποστάσει· ὡς περ γὰρ ὑποστασις ἦν ὁ αὐτὸς † ἀσύγχυτος τῶν αὐτοῦ φύσεων, οὕτω καὶ ἕνωσις ἦν ἀδιαίρετος τῶν † αὐτοῦ φυσικῶν. ΠΥΡ. Τί οὖν οἱ πατέρες, ὧν οἱ λόγοι νόμος, καὶ κανὼν ἐκκλησίας καθέστηκε, καὶ τὸ δόξαν, καὶ τὸ ὕβρεν εἰς ἓν εἶπον κοινῶς; ἕτερον † γὰρ, φησὶν, ἐκεῖνο, ἐξ οὗ τὸ τῆς δόξης κοινὸν καθέστηκε, καὶ ἕτερον, ἐξ οὗ τὸ τῆς ὕβρεως. ΜΑΞ. Τῷ τῆς ἀντιδόσεως τρόπῳ τοῦτο εἰς ἁγίους ἄρτιαι παῤῥησίαι. προσέτι δὲ, ὡς ἡ ἀντίδοσις ἑνὸς ἐκ ἦσαν, ἀλλὰ δύο, καὶ ἀνίσων, κατ' ἐπαλ-
† ἀυτοῦ al.
† γὰρ ἐκεῖνο 602.

cum sint natutali vi volendi prædita, contra voluntatem motum habebunt; inanimata autem, quæ non sunt huiusmodi vi volendi prædita, habebunt voluntarium. Accedit huc, quod beatus Cyrillus in tertio capite contra reprehensiones Theodoreti liberauit nos negotio superuacaneo: qui clare pronunciauit, nihil naturale esse in natura intelligente inuitum. & perspicere hoc potest, si quis hoc caput in manus sumat. PYR. Quandoquidem oportet ea quæ inuestigatione vera esse patuerunt, grato animo amplecti, valde distincte demonstratum est, esse in Christo naturales voluntates; fieri autem potest, vt sicut ex duabus naturis vnum aliquid compositum dicimus, sic ex duabus voluntatibus naturalibus vnam aliquam compositam dicamus. Vt qui duas voluntates dicunt propter naturalem in Christo naturarum differentiam, & qui vnam dicunt propter summam vnionem, non amplius propter nudas, seu solas voces inter se pugnent: siquidem nobis non in nominibus, ait magnus in Theologia Gregorius, sed in rebus est veritas. MAXIMVS. Vides quemadmodum ex eo erratis, quod penitus ignoratis, compositiones eorum esse quæ sunt in hypostasi, non eorum quæ in alio spectantur? Atque hæc quidem est omnium, tum philosophorum gentilium, tum sapientium doctorum Ecclesiæ communis sententia. Quod si voluntatum compositionem dicitis, cogemini etiam aliorum naturalium compositionem dicere, si modo vultis consentanee de vestro dogmate differere. aliorum inquam, id est, creati & non creati, infiniti & finiti, non definiti & definiti, immortalis & mortalis, eius quod corrumpi potest, & eius quod corrumpi non potest; atque ita in absurdas opiniones deferemini. Quo modo autem ex voluntatibus compositum voluntas appellabitur? non enim quod compositum est, appellatione compositorum appellari potest: aut certe eo modo ex naturis quod constat, natura appellabitur secundum veteres hæreticos. Præterea voluntate a patre eum separatis, cum compositam & solam naturam voluntate composita signatis. PYR. Nihil igitur habent commune, sicut naturæ, sic & quæ in eis natura insunt? MAX. Nihil, nisi solam hypostasim earumdem naturarum. sicut enim idem erat hypostasis non confusa suarum naturarum; sic etiam erat vnio non diuisa eorum, quæ erant ipsi naturalia. PYR. Quid igitur Patres, quorum sermones lex & norma Ecclesiæ sunt, etiam gloriam & contumeliam non dixerunt communem? aliud enim, inquit, est illud ex quo extitit communitas gloriæ, & aliud ex quo cõmunitas contumeliæ. MAX. Hoc sancti Patres dixerunt fieri modo & ratione communicationis mutuæ. Liquet autem communicationem mutuam non esse vnius, sed duorũ & inæqualium; cum ea quæ

† τῶν 270. † προσόντων 270. † διαφόρων al. † μέρει παρομοίων 270 602. † ἀποτραπήσαι σοι 270.

λαχεῖ † τὰ φυσικῶς ἑκατέρῳ μέρει τοῦ Χριστοῦ † προσόντα, καὶ τῷ ἀῤῥήτῳ ἑνώσει, † διαφόρων † παρομοιμάτων, χωρὶς τῆς διαφόρου μέρους πρὸς τὸ ἕτερον καὶ τὸν φυσικὸν λόγον μεταβολῆς, καὶ συμφύρσεως. εἰ δὲ τῷ τῆς αἰτιάσεως τρόπῳ κοινὸν λέγῃς τὸ θέλημα, οὐχ ἕν, ἀλλὰ δύο λέγεις τὰ θελήματα· καὶ † ἀπεξέπεσε σοι πάλιν τὸ σοφὸν εἰς ἐκεῖνο, οὗ ἐφυγεῖν ἐσπούδασας. ΠΥΡ. Τί οὖν, τῷ νεύματι τοῦ ἐνωθέντος αὐτῷ λόγου ἡ σὰρξ ἐκινεῖτο; ΜΑΞ. Διαιρεῖς τὸν Χριστὸν, οὕτω λέγων· νεύματι γὰρ αὐτοῦ ἐκινοῦντο, καὶ Μωυσῆς, καὶ Δαυὶδ, καὶ ὅσοι τῆς θείας ἐνεργείας χωρητικοὶ τῇ λύσει τῶν † ἀνθρωπίνων, καὶ σαρκικῶν, ἰδιωμάτων γεγόνασιν. ἡμεῖς δὲ τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ὡς ἐν ἅπασι, καὶ τούτῳ ἑπόμενοι, φαμὲν, ὅπερ αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων θεὸς, ἀτρέπτως γενόμενος ἄνθρωπος, οὐ μόνον, ὡς θεὸς, ὁ αὐτὸς καταλλήλως τῇ αὐτοῦ θεότητι ἦν θέλων, ἀλλὰ καὶ, ὡς ἄνθρωπος, ὁ αὐτὸς καταλλήλως τῇ αὐτοῦ ἀνθρωπότητι. εἰ γὰρ ἐξ ὄντων τὰ ὄντα γενόμενα, καὶ τὸ ὄντος, οὐ τὸ μὴ ὄντος, ἔχουσι τὴν * δύναμιν, τοιαύτης δὲ καὶ φύσιν ἴδιον ἡ πρὸς † τὰ συσταλτικὰ ὁρμὴ, καὶ πρὸς τὰ φθαρτικὰ ἀφορμή· ἆρα καὶ ὁ ὑπερούσιος λόγος, ἀνθρωπικῶς οὐσιωθεὶς, ἔσχε καὶ τὸ ὄντος τῆς αὐτοῦ ἀνθρωπότητος τὴν ἀνθεκτικὴν δύναμιν· ἧς τὴν ὁρμὴν, καὶ ἀφορμὴν, θέλων, δι' ἐνεργείας ἔδειξε· τὴν μὲν ὁρμὴν ἐπὶ τῶν τοῖς φυσικοῖς, καὶ ἀδιαβλήτοις τοσοῦτον χρήσασθαι, ὡς καὶ μὴ θεὸν τοῖς ἀπίστοις νομίζεσθαι· τὴν δὲ ἀφορμὴν ἐπὶ τοῦ καιροῦ τῶν πάθους ἑκουσίως τὴν πρὸς τὸν θάνατον συστολὴν ποιήσασθαι. τί οὖν ἦν ἀτόπων ἡ τοῦ θεοῦ πέπραχεν ἐκκλησία, μετὰ τῆς ἀνθρωπίνης αὐτοῦ, καὶ κτίστης φύσεως, καὶ τοὺς δημιουργικῶς αὐτῇ παρ' αὐτοῦ ἐντεθέντας, ἐν αὐτῷ ἀπελλιπῶς ὁμολογοῦσα λόγους, ὧν καὶ αὐτὸν εἶναι τῇ φύσιν ἀδύνατον; ΠΥΡ. Εἰ φυσικῶς ἡμῖν πρόσεστιν ἡ δειλία, τῶν διαβεβλημένων δὲ αὕτη, ἆρα καθ' ὑμᾶς φυσικῶς ἡμῖν ἐγκειται τὰ διαβεβλημένα· ἤγουν ἡ ἁμαρτία. ΜΑΞ. Πάλιν ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἑαυτὸν, οὐ τὴν ἀλήθειαν, συλλογίζῃ· ἔστι γὰρ καὶ κατὰ φύσιν, καὶ παρὰ φύσιν δειλία. καὶ κατὰ φύσιν μὲν δειλία ὅτι δύναμις καὶ συστολὴ τοῦ ὄντος ἀνθεκτική· παρὰ φύσιν δὲ παράλογος συστολή. τὴν οὖν παρὰ φύσιν ὁ κύριος, ἅτε δὴ ἐκ προαιρέσεως οὖσαν λογισμῷ, ὅλως οὐ προσήκατο· τὴν δὲ κατὰ φύσιν, ὡς τῆς ὑπαρχούσης τῇ φύσει ἀνεπιποιήτου τοῦ εἶναι δυνάμεως ἐνδεικτικὴν, θέλων δι' ἡμᾶς, ὡς ἀγαθὸς, ἐδέξατο. οὐ γὰρ προσηγάγετο ἐκ τοῦ κυρίου, καθάπερ ἐν ἡμῖν, τῆς θελήσεως τὰ φυσικά· ἀλλ' ὥσπερ πεινάσας ἀληθῶς, καὶ διψήσας, † οὐ τρόπῳ τοῦ καθ' ἡμᾶς ἐπείνασεν· † ἀλλὰ τοῦ ὑπὲρ ἡμᾶς· ἑκουσίως γὰρ. οὕτω καὶ δειλιάσας ἀληθῶς, οὐ καθ' ἡμᾶς, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμᾶς ἐδείλιασε. καὶ καθόλου φαίην, πᾶν φυσικὸν ὅσον Χριστοῦ σωπεμφθὲν ἔχει τοῦ κατ'

* ἴσως λείπει, ἀνθεκτικὴν † τὰ συστατικὰ 602. 339. 270. 336.

† τοῦ κατ' 270 † ἀλλ' ὑπὲρ 270.

naturaliter insunt vtrique parti Christi, secundum vnionem ineffabilem alterius vicissim fiunt, sine alterius partis in alteram secundum rationem naturalem mutatione, & confusione. Quod si ratione ac modo communicationis mutuæ cõmunem voluntatem dicis, non vnam, sed duas voluntates dices. atque ita illuc sapientia tua recidit, vnde effugere & euadere studuisti. PYR. Quid igitur, non ne nutu Verbi cum ipso copulati caro mouebatur? MAX. Diuidis Christum, cum sic loqueris. nutu enim eius mouebantur Moyses & Dauid, & qui. cumque fuerunt apti & idonei ad capiendam diuinam operationem, depositis humanis & carnalibus proprietatibus. nos vero qui sanctos patres, sicut in omnibus, sic etiã in hoc sequimur, dicimus, quod ipse Deus vniuersorum factus homo sine mutatione, non solum idem, tamquam Deus, conuenienter diuinitati suæ voluit, sed tamquam idem homo, vt humanitati suæ conueniebat, item voluit. Si enim quæ facta sunt cum non essent, eius quod est, & non eius quod non est (tuendi) habent insitam vim, huius autem proprium est secundum naturam, ea prosequi, quæ tuentur, & ab eis fugere, quæ ad interitum eius spectant: igitur supereſſentiale Verbum homo factum, habuit vim insitam ad tuendum humanitatem, cuius conatum ad prosequendũ & refugiendum volens ostendebat per operationem. conatum quidem prosequendi ostendebat in naturalibus & a reprehensione alienis vsque eo vtendis, vt infideles Deum eum esse non crederent: conatum vero fugæ ostendit, cum tempore passionis voluntarie se metu mortis contraxit. Quid igitur absoni fecit Ecclesia Dei, si cum humanitate eius, & natura creata, ea etiam quæ ab ipso in creatione eidem humanitati indita sunt, sine quibus natura esse non potest, plene confitetur? PYR. Si naturaliter nobis ineſt timor, & hic est ex ijs quæ reprehenduntur; igitur vt vos sentitis, natura insunt nobis, quæ reprehensionem habent, id est, peccatum. MAX. Rursus te ipse, non veritatem ex homonymia, id est, multiplici voce, fallis. Est enim timor ex natura & præter naturam. ex natura quidem timor est vis ipsius naturæ ad tuendum se per contractionem. præter naturam vero timor est contractio præter rationem. Timorem igitur præter naturam Dominus, vtpote ex proditione cogitationum profectum, penitus non admisit: timorem vero ex natura, vtpote indicem facultatis insitæ naturæ ad tuendum se, volens propter nos, tam quam bonus, admisit. non enim in Domino, sicut in nobis, ea quæ naturæ insunt, voluntati antecedunt. sed sicut, cum vere esuriebat & sitiebat, non esuriebat sicut nos, sed supra nos; voluntate enim esuriebat & sitiebat: sic cum timuit vere, non sicut nos, sed supra nos timuit. & vt in vniuersum dicam, omne in Christo naturale habebat

con-

Universidad de Deusto

21 † αὐτὸ κατ' † αὐτὸν λόγω καὶ τὸν ὑπὲρ φύσιν τρόπον ἵνα καὶ ἡ φύσις δι' τοῦ λόγου πιστωθῇ, καὶ ἡ οἰκονομία διὰ τὸ βούλημα. ΠΥΡ. Οὐκοῦν, ἵνα τὸ λεπτὸν ταῦτο καὶ δυσλημπτον τοῖς πολλοῖς δύσληπτον τεχνολογίαν ἐκφύγωμεν, θεὸν τέλειον τὸν αὐτὸν, καὶ ἄνθρωπον τέλειον ὁμολογήσωμεν, τὰ λοιπὰ πάντα ἐκκλίνοντες· ὡς τὸ τελεῖν τὰ φυσικὰ † παρ' ἑαυτοῦ συνεμφαίνοντος. ΜΑΞ. Εἰ τὸ λέγειν τὰς φύσεις, ἄνευ τῆς ἑκάστῃ περιουσίου ἰδιότητος, ἢ θεὸν τέλειον, ἢ ἄνθρωπον τέλειον τὸν Χριστὸν, ἄνευ τῆς τῆς τελειότητος γνωρισμάτων, ἀπηρτισμένης κατὰ τὸ εὐσεβείας ὄξιν, ἀναθεματιζέτωσαν οἱ συνοδοι, καὶ πρὸ τούτων οἱ πατέρες, οὐ μόνον τὰς φύσεις, ἀλλὰ καὶ τὴν ἑκάστης φύσεως ἰδιότητα, ὁμολογεῖν ἡμῖν νομοθετήσαντες· καὶ οὐ μόνον θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον τὸν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ τῆς τελειότητος τὰ γνωρίσματα· τουτέστιν, ὁρατὸν, καὶ ἀόρατον τὸν αὐτὸν, καὶ ἕνα λέγοντες· θνητὸν, καὶ ἀθάνατον· φθαρτὸν, καὶ ἄφθαρτον· ἁπτὸν, καὶ ἀνάφη· κλιτὸν, καὶ ἄκλιτον. καὶ κατ' αὐτὴν τὴν δύσεβῆ ἔννοιαν, καὶ δύο δυσεβῶς θελήματα τὸ αὐτό, καὶ ἑνὸς ἐδολομάτησαν, οὐ μόνον διὰ τοῦ ὡρισμένου ἀριθμοῦ τῶν δύο, ἀλλὰ καὶ δι' ἀντωνυμίας τοῦ, ἄλλο καὶ ἄλλο, καὶ δι' ἀναλογίας τοῦ, θεῖον εἰπεῖν, καὶ ἀνθρώπινον. οὐ γὰρ ἐνὶ τρόπῳ ἡ τοῦ ἀριθμοῦ περιορίζεται φύσις. ΠΥΡ. Εἰ δὲ δυνατόν ὄξι, τὰς φωνὰς ταύτας λέγειν διὰ τὴν τῶν αἱρετιζόντων ἐπήρειαν, ἀρκεσθῶμεν κἂν μόνοις τοῖς συνοδικοῖς ὁρισμοῖς· καὶ μήτε ἕν, μήτε δύο, εἴπωμεν τὰ θελήματα. ΜΑΞ. Εἰ τὰ συνοδικὰς † μόνον ὁρισμοῖς χρὴ ὁμολογεῖν, οὔτε τὴν μίαν τοῦ θεοῦ λόγου φύσιν σεσαρκωμένην, προσεκτέον πάσης τῆς τοῦ μυστηρίου ἕνσαρκου οἰκονομίας, χρὴ λέγειν, συνοδικῶς οὐκ ἐκπεφωνημένην. πάλιν ὅτι καὶ οὔτε ταῖς φύσεσι, καὶ τοῖς αὐτῶν ἰδιώμασι, καὶ τὰ θελήματα συνομολογεῖν βιαθήσεσθε. εἰ γὰρ τὰ φυσικὰς προσόντα ταῖς φύσεσι τοῦ Χριστοῦ, ἰδιώματα αὐτὴν εἶναι λέγετε, φυσικὰς δὲ † ἑκατέρα αὐτῶν φύσει τὸ θέλειν ἐμπέφυκεν, ἆρα μὴ τῶν ἄλλων φυσικῶν ἰδιωμάτων, καὶ τὰ θελήματα ταῖς φύσεσιν συνομολογεῖν ἀναγκαθήσεσθε. ἄλλως τε δὲ, εἰ μὴ συνόδοι ἐπὶ τῇ τοῦ ἑνὸς θελήματος φωνῇ καὶ Απολιναρίου, καὶ Αρείου ἀνεθεμάτισαν, ἑκατέρου αὐτῶν ταύτῃ πρὸς σύστασιν τῆς ἰδίας αἱρέσεως ἀποχρησαμένου· τοῦ μὲν ὁμοούσιον τῷ λόγῳ διὰ τούτου τὸν σάρκα βεβλημένου δεῖξαι, τοῦ δὲ ἑτερούσιον τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα εἰσαγαγεῖν ἀγωνιζομένου· πῶς δύσεβῆν ἡμᾶς δυνατὸν, τὰς ἐναντίας τοῖς αἱρετικοῖς φωνὰς οὐχ ὁμολογοῦντας; ἡ δὲ πέμπτη σύνοδος, ἵνα πάντα παραλίπω, θεσπίσασα αὐτολεξεὶ πάντα τὰ τῶν ἁγίων Αθανασίου, καὶ Βασιλείου, καὶ † Γρηγορίου, καὶ ἄλλων τινῶν προσδιωρισμένως † ἐκκειτων διδασκάλων συντάγματα, ἐν οἷς καὶ τὰ δύο ἐγκεινται θελήματα, δίχα δὲ, καὶ δύο αὐθαιρέτους θυήματα. ΠΥΡ. Καὶ οὐ δοκεῖ σοι

A coniunctum cum ratione sua modum, qui supra naturam est; vt & natura per rationem comprobaretur, & dispensatio (verbi Dei) per modum. PYRRH. Igitur vt hanc subtilem & vulgo difficilem differendi artem fugiamus, perfectum Deum & eumdem perfectum hominem confitebimur, declinantes reliqua omnia; cum perfecti nomen naturalia in se ipso consignificet. MAXIMVS. Si dicere naturas sine proprietate, quæ in vnaquaque inest, vel Deum perfectum, vel hominem perfectum Christum, sine notionibus perfectionis, perfectæ
B pietatis est, vt tu sentis; afficiantur anathemate Synodi, & ante eas Patres; qui non solum naturas, sed etiam vniuscuiusque naturæ proprietatem nobis, vt confiteremur, sanxerunt: & non solum Deum perfectum eumdem, & hominem perfectum, sed & perfectionis notiones, id est, eumdem & vnum dicentes aspectabilem & inaspectabilem, mortalem & immortalem, potuisse corrumpi & non potuisse, tangi & non tangi, creatum, & non creatum; & ad eamdem normam piæ sententiæ, duas etiam voluntates vnius & eiusdem esse pie tradiderunt;
C non solum per determinatum numerũ duarum, sed etiam per pronomen aliam & aliam; & per proportionem, dicendo diuinam, & humanam. non enim vno modo naturam numeri metimur. PYRRH. Si non possunt dici hæ voces propter calumniam hæreticorum, satis sint nobis ea sola, quæ a Synodis dicta sunt, & ne dicamus vnam, neque duas voluntates. MAX. Si ea tantum confiteri oportet quæ a Synodis dicta sunt, nec vnam Dei Verbi naturam incarnatam, quæ totam pietatem mysterij (incarnationis) complectitur, dicere oportet;
D quia non est dicta Synodice. quin immo sic etiam cum naturis, & cum earum proprietatibus cogemini voluntates quoque simul confiteri. si enim quæ naturaliter naturis Christi insunt, earum proprietates esse dicitis, naturaliter autem vtrique naturæ Christi insitum est velle: igitur necesse vobis erit, cum alijs proprietatibus naturalibus, voluntates etiam cum naturis confiteri. Præterea si Synodi propter vocem vnius voluntatis Apolinarium & Arium anathematizauerunt: (quia vterque
E eorum hac voce ad probandum suam hæresim abutebatur: Apolinarius quidem, vt carnem eiusdem substantiæ cum Verbo ostenderet; Arius vero, vt filium diuersæ substantiæ a patre introduceret) quomodo possumus nos pij esse, si voces hæreticis contrarias non confitemur? Quinta vero Synodus, vt omnia prætermittam, cum decreuit ipsis verbis: Vt amplecteremur omnia scripta sanctorum Athanasij, & Basilij, & Gregorij, & aliorum, cum adiunctione egregiorum doctorum, in quorum scriptis sunt duæ voluntates; & duas voluntates tradiderunt. PYRRH. Non videtur tibi aures

offen-

21 † αὐτὸ: 236. 270.
† ὁ 270. 602.
† καὶ μόνον 236. 270.
† ἐκάτερα 270. 602.
† Γρηγορίου al. Vat. praeter 336.
† ἔσως, ἐκκρίτων

† ἐκπλήττει 339. 270.

σαι τὰς τῶν πολλῶν † πλήττειν ἀκοὰς τὸ φυσικὸν θέλημα λεγόμενον; ΜΑΞ. Τὴν ὑπερφυοῦς τῆς θείας, πόσα εἶδη ζωῆς ἐν τοῖς οὖσιν εἶναι λέγεις; ΠΥΡ. Λυπεῖς κἀμέ. ΜΑΞ. Τρία εἴδη ζωῆς εἰσιν. ΠΥΡ. Ποῖα ταῦτα; ΜΑΞ. Ἡ φυτικὴ, ἡ αἰσθητικὴ, ἡ νοερά. ΠΥΡ. Οὕτως ἴσμεν.

† ἑκάστη 602. 339.

ΜΑΞ. Ἐπεὶδὴ δὲ † ἕκαστον λόγῳ τινὶ δημιουργίας τῶν ἄλλων διακέκριται, τίς ὁ δηλωτικὸς, καὶ ἰδιάζων ἑκάστου εἴδους λόγος; ΠΥΡ. Καὶ τοῦτο εἰπεῖν σε, δέομαι. ΜΑΞ. Τῆς μὲν φυτικῆς ἴδιον ἡ θρεπτικὴ, καὶ αὐξητικὴ, καὶ γόνιμος κίνησις, τῆς δὲ αἰσθητικῆς ἡ καθ' ὁρμὴν κίνησις, τῆς δὲ νοερᾶς ἡ αὐτεξούσιος. ΠΥΡ. Πάνυ δικαίως, καὶ ἀσύγχυτον, τὸ τῆς ἑκάστου εἴδους ζωῆς παρίστησας ἰδιότητα. ΜΑΞ. Εἰ δικαίως, καὶ ἀσύγχυτος ἡ ἑκάστου † εἰδικὴ ἰδιότης, πάλιν ζητῶ· εἰ κατὰ φύσιν πέφυκε τῇ φυτικῇ ἡ θρεπτικὴ, καὶ αὐξητικὴ, καὶ γόνιμος κίνησις, καὶ τῇ αἰσθητικῇ ἡ καθ' ὁρμήν; ΠΥΡ. Κατὰ φύσιν ἀναμφιβόλως. ΜΑΞ. Οὐκοῦν καὶ τῇ νοερᾷ ἀκολούθως ἡ αὐτεξούσιος κίνησις. ΠΥΡ. Καὶ τοῦτο πάντως † δεῖ, ὁ ἀκόλουθα τοῖς εἰκείοις ἀρχαῖς δογματίζων. ΜΑΞ. Εἰ οὖν κατὰ φύσιν πέφυκε τοῖς νοεροῖς ἡ αὐτεξούσιος κίνησις, ἆρα πᾶν νοερὸν καὶ φύσει θελητικόν· θέλησιν γὰρ τὸ αὐτεξούσιον ὁ μακάριος Διάδοχος ὁ Φωτικῆς ὑπέλαβε εἶναι, εἰ δὲ πᾶν νοερὸν καὶ φύσει θελητικόν, γέγονε δὲ ὁ θεῖος λόγος σὰρξ, ἀληθῶς λογικῶς τε, καὶ νοερῶς ἐψυχωμένη, ἆρα καὶ καθ' ὁ ἄνθρωπος, οὐσιωδῶς ὁ αὐτὸς ἦν θελητικός· εἰ δὲ τοῦτο, οὐκ ἄρα ταῖς τῶν Ὁσίων ἀκοαῖς πλήττει λεγόμενον τὸ φυσικὸν θέλημα, ἀλλὰ ταῖς τῶν αἱρετιζόντων. ΠΥΡ. Ἐγὼ μὲν ἤδη ἐν τοῖς φθάσασιν ἐπείσθην, φυσικὰ εἶναι τὰ τοῦ Χριστοῦ θελήματα· καὶ περὶ τούτου ἕτερον οὐκ ἐπιζητῶ ἀποδείξειν. οὐχ ἧττον γὰρ τῶν θεοπρεπῶς ἐκπεφασμένων, αὐτὴν τῶν ὄντων τὴν φύσιν ὁ λόγος μαρτυρεῖσθαι ἐδήλωσεν· ὡς καταλλήλως ἑαυτῇ φύσιν † ὁ αὐτὸς ἤθελεν, διδασκόντων μὲν, ὡς θεὸς, ὑπακούων δὲ, ὡς ἄνθρωπος· καὶ ὅτι καταλλήλα πάντως τὰ φυσικὰ θελήματα ταῖς φύσεσιν· ἄναρχον μὲν τῆς ἀνάρχου, καὶ τῆς ἠρεμούσης ἠρεμοῦν· καὶ ὅπου οὐ δυνατὸν, † ποιεῖς ἓν θέλημα πρὸς † συμπάσαις † ἀλλήλοις· κἂν ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ εἶσιν, ὧν πέφυκε καὶ αἱ φύσεις· τὸ ἄναρχον, καὶ τὸ ἠρεμοῦν· τὸ ἄκτιστον, καὶ τὸ κτιστόν· τὸ ποιῆσαι, καὶ τὸ ποιηθέν· τὸ ἄπειρον, καὶ τὸ πεπερασμένον· τὸ θεῶσαι, καὶ τὸ θεωθέν. οἱ δὲ ἐν τῷ Βυζαντίῳ, ἵνα φεύγωσι τὰ φυσικὰ θελήματα ἀνηκαπιῶντες, κατ' εἰκαίωσίν φασιν εἰρηκέναι τινὲς πατέρας ἔχειν τὸν κύριον τὸ ἀνθρώπινον θέλημα. ΜΑΞ. Ἐπεὶδὴ αὐτὸς τῆς τοιαύτης αὐτῶν θαυμαστῆς, καὶ λαμπρᾶς καθηγήσω παιδεύσεως, καὶ πόθεν οἰκείωσιν τοῦτο φασιν; ἆρα τῷ οὐσιῶδη, καθ' ὃ τὰ φυσικὰς περιέχοντα ἕκαστος ἔχειν, ἢ τῷ φύσιν οἰκεῖσθαι, ἢ τῷ

† ἐκπλήττει 339. 270.

† ἑκάστη 602. 339.

† εἴδους εἰδικὴ 270.

† δεῖ, ἀκόλ. al. præter 270 602.

† ᾗ αὐτὸς θέλων ἦν, 602. 270.

† εἰς 602. 270.

† ἐμπεσεῖν 270.

† ἄλληλα 602.

offendere quæ dicitur naturalis voluntas? MAX. Excepta diuina vita, quot species vitæ in rebus esse dicis? PYR. Die ipse. MAX. Tres species vitæ sunt. PYR. Quæ illæ? MAX. vita plantæ, sentiens, intelligens. PYR. Sic est. MAX. Quandoquidem vnaquæq. ratione quadam creationis ab alijs distincta est, quæ ratio vniuscuiusque speciei propria est & eam ab alijs distinguens? PYR. Et hoc vt dicas, rogo. MAX. Vitæ quidem plantæ proprius est motus alendi, augendi, & gignendi: vitæ vero sentientis, motus appetitionis: intelligentis autem, motus liberæ voluntatis. PYR. Valde distincte & articulate cuiusque speciei vitæ proprietatem explicasti. MAX. Si ostensa est valde distincte & articulate cuiusque proprietas, rursus quæro: an inest vitæ plantæ secundum naturam motus alendi, crescendi, & generandi, & vitæ sentienti motus appetitionis? PYRR. Haud dubiè secundum naturam. MAX. Igitur vitæ intelligenti, vt consentaneum est, secundum naturam inest motus liberæ potestatis. PYR. Et hoc etiam dabit omnino, qui proprijs principijs consentanea tradit. MAX. Si igitur natura inest intelligentibus motus liberæ potestatis; sequitur omne intelligens natura habere vt possit velle. liberam enim potestatem definiuit beatus Diadochus Episcopus Photices, esse voluntatem. Si autem omne intelligens natura habet vim volendi, factum est autem Verbum Dei vere caro animata anima ratiocinante & intelligente; igitur etiam quatenus homo erat, secundum substantiam idem erat facultate volendi præditus. quod si sic est, igitur non offendit aures piorum naturalis voluntas quæ dicitur, sed aures hæreticorum. PYR. Equidem iam superius persuasum est mihi, voluntates in Christo esse naturales; & de hoc aliam probationem non requiro. non minus enim quam quæ sunt diuinitus patefacta, ipsam naturam rerum testari docuisti, quòd conuenienter suis naturis idem volebat, approbans quidem tamquam Deus, obediens autem tamquam homo; & quod omnino voluntates naturales naturis conueniebant; voluntas quidem sine principio, naturæ sine principio; voluntas cœpta & orta, naturæ item cœptæ & ortæ. quodq. fieri non potest, vt in vnam voluntatem vnquam inter se recidant, quamuis vnius & eiusdem sint, sicut & naturæ: quod principio caret & quod cœptum est, non creatum & creatum, quod fecit & quod factum est; infinitum & terminatum; quod deificauit & quod deificatum est. Qui autem Constantinopoli adhuc contrà voluntates naturales pugnant, aiunt dixisse patres, secundum attributionem habere Christũ voluntatem humanam. MAX. Quandoquidem ipse huiusmodi admirabilis & splendidæ istorum disciplinæ dux fuisti, per quam attributionem aiunt? an illam ex substantia, qua illa quæ natura insunt,

vnus-

Universidad de Deusto Biblioteca

τῷ χεπκῷ, καθ' ὧ φιλικῶς τὰ ἀλλήλων οἰκειούμεθα, καὶ στεργομεν, μηδὲν τούτων αὐτοὶ πάσχοντες, ἢ ἐνεργοῦντες; ΠΥΡ. Τῷ χεπκῷ δηλονότι. ΜΑΞ. Οὐκοῦν πρὶν τοῦτο δεῖξαι τὸ ἄτοπον, δικαιότερον ἂν εἴη, † ἀκριβέστερον ἐξετάσαι, εἴ τε φύσει θελητικός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, εἴ τε καὶ μή· τοῦτο γὰρ δεικνυμένου, σαφέστερον γνώσεται τῆς τοιαύτης αἱρέσεως τὸ βλάσφημον. ΠΥΡ. Εἰ δοκεῖ, τοῦτο ἐξετάσωμεν. ΜΑΞ. Ἀδίδακτα εἶναι τὰ φυσικὰ, οὐ μόνον οἱ λόγῳ τῷ φύσιν διασκεψάμενοι, καὶ τῶν πολλῶν διαφέροντες ἔφασαν, ἄλλα καὶ ἡ τῶν χρωμένων συνήθεια· εἰ δὲ τὰ φυσικὰ ἀδίδακτα, ἀδίδακτον δὲ ἔχομεν τὸ θέλειν· οὐδεὶς γάρ ποτε θέλειν διδάσκεται· ἄρα φύσει θελητικὸς ὁ ἄνθρωπος. καὶ πάλιν· εἰ φύσει λογικὸς ὁ ἄνθρωπος, τὸ δὲ φύσει λογικὸν καὶ φύσει αὐτεξούσιον, τὸ δὲ αὐτεξούσιον, καὶ τὸν πατέρας, † θέλημά ἐστιν· ἄρα φύσει θελητικὸς ὁ ἄνθρωπος. Καὶ πάλιν· εἰ ἐν τοῖς ἀλόγοις ἄγει μὲν ἡ φύσις, ἄγεται δὲ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἐξουσιαστικῶς καὶ θέλησιν κινεμένῳ, ἄρα φύσει θελητικὸς ὁ ἄνθρωπος. Καὶ πάλιν· εἰ κατ' εἰκόνα τῆς μακαρίας, καὶ ὑπερουσίου θεότητος ὁ ἄνθρωπος γεγένηται, αὐτεξούσιος δὲ φύσις ἡ θεία φύσις, ἄρα καὶ ὁ ἄνθρωπος, ὡς † ὄντως εἰκὼν, αὐτεξούσιος τυγχάνει φύσει· εἰ δὲ αὐτεξούσιος φύσει, θελητικὸς ἄρα φύσει ὁ ἄνθρωπος· εἴρηται γὰρ ἤδη, ὡς τὸ αὐτεξούσιον θέλησιν ἀείσαντες οἱ πατέρες. Επι τε· εἰ πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει τὸ θέλειν, καὶ οὐ τοῖς μὲν ἐνυπάρχει, τοῖς δὲ οὐκ ἐνυπάρχει, τὸ δὲ κοινῶς πᾶσιν ἐνθεωρούμενον, φύσιν χαρακτηρίζει ἐν τοῖς ὑπ' αὐτὸ ἀτόμοις, ἄρα φύσει θελητικὸς ὁ ἄνθρωπος. ΠΥΡ. Δίδεκται δεῖξαι πλόνων φύσει θελητικὸς ὢν ὁ ἄνθρωπος. ΜΑΞ. Τοῦτο οὖν σαφεστέρως δεχθέντος, διασκεψώμεθα, ὡς ἀνωτέρω ὑπεθέμεθα, καὶ τῆς αἱρέσεως ἐξετάσεως τὸ ἄτοπον. ΠΥΡ. Διασκεψώμεθα. ΜΑΞ. Εἰ φύσει θελητικὸς ὁ ἄνθρωπος, ὡς δέδεκται, κατ' αὐτοὺς δὲ κατὰ τὴν ἐν ψιλῇ χρίσει οἰκείωσιν τὸ ἀνθρώπινον εἶχε θέλημα ὁ † κύριος, ἀνάγκη, αὐτὸς, εἴπερ ταῖς οἰκείαις ἀρχαῖς στοιχοῦσι, καὶ τὰ ἄλλα ἡμῶν φυσικὰ μετ' αὐτοῦ, φημὶ δὴ, τοῦ κατὰ φύσιν θελήματος, κατ' οἰκείωσιν ψιλὴν λέγειν· καὶ ὀρεθίσεται αὐτοῖς ἡ τῆς ὅλης οἰκονομίας θεωρία, καὶ μύησις, κατὰ φαντασίαν λαμβανομένη. ἔπεσε· εἰ ἡ ψῆφος Σεργίου οὐ τοὺς πως, ἀλλὰ πάνυ ἀπλῶς δύο θελήματα εἰπόντας, ἀνεθεμάτισε· λέγουσι δὲ ὅτι δύο, κἂν εἰ ἐσφαλμένως, δεῖ τῇ οἰκείωσιν, ἄρα † τούτῳ περιστέμενοι, πρὶ κατ' αὐτῶν συνηγορεῖσιν ἀναθέματι. Καὶ πάλιν· εἰ κ) τῷ ὑπ' αὐτῶν διεκδικεμένῳ σχέσιν, τοῖς θελήμασι σχέσωπα συνιστάντας, ἄρα δύο θελήματα λέγοντες, κ) εἰ ἐσφαλ-

† ἀκριβῶς al. præter 602. 270.

† θέλημα al. διάνοιαν 602. 270.

† αὐτῆς 602. 270.

† χριστὸς 602. 270.

† οἱ πάντες al.

A vnuſquiſque cum habet, propter naturã ſibi vindicat & attribuit; an illam ex habitudine attributionem, qua amice quæ aliorum ſunt viciſſim nobis attribuimus & amplectimur, nihil eorum ipſi aut patientes aut agentes? PYR. Illam videlicet, quæ eſt ex habitudine. MAX. Igitur priuſquã hoc abſurdũ demonſtretur, præſtiterit diligentius excutere: ſit ne natura homo facultate volendi præditus an non. hoc enim demonſtrato, manifeſtior erit huius hæreſis blaſphemia. PYR. Si videtur excutiamus hoc. MAX. Naturalia non doceri, non ſolũ qui naturã ratione pertractarunt, & vulgo antecelluerunt, dixere, ſed etiam conſuetudo vulgariũ. Quod ſi quæ naturalia ſunt non docentur; vt autẽ velimus, nulla doctrina comparatum eſt; nullus enim vnquam velle docetur: natura igitur homo volendi facultatem habet. Rurſus; ſi natura homo eſt rationis particeps; quod autem eſt natura rationis particeps, natura etiam liberæ poteſtatis eſt; libera autem poteſtas, vt patres ſentiunt, voluntas eſt: eſt igitur homo natura voluntate præditus. Præterea ſi in ratione carentibus ducit quidem natura, ducitur vero in homine, qui libera poteſtate ſecundum voluntatem mouetur: eſt igitur naturæ hominis inſitum velle. Item. ſi homo factus eſt ad imaginẽ beatæ & ſuperſubſtantialis Deitatis; eſt autem diuina natura liberæ poteſtatis, homo ergo & ipſe, vt vere eius imago, natura eſt liberæ poteſtatis. ſi autem natura liberæ poteſtatis eſt; ergo natura compos voluntatis. Iam enim dictũ eſt, definiuiſſe patres τὸ αὐτεξούσιον, id eſt, liberã poteſtatem, voluntatem. Deinde; ſi omnibus hominibus ineſt velle, & non his ineſt, illis non ineſt; quod autem communiter in omnibus ſpectatur, naturã ſignat in indiuiduis, quæ ſub ipſo ſunt: ergo homo natura voluntatem habet. PYRRH. Demonſtratum eſt pluribus habere hominem naturã voluntatem. MAX. Hoc igitur perſpicue demonſtrato, age, conſideremus, vt ſuperius propoſitum fuit, abſurdũ propoſitionis ipſorum. PYR. Conſideremus. MAX. Si homo, vt demonſtratum eſt, naturaliter habet voluntatem; vt vero ipſi ſentiunt, ſecundum attributionem in ſola habitudine humanam habebat Dominus voluntatem: neceſſe eſt ipſos, modo velint principia ſua ſequi, alia etiam noſtra naturalia cum ipſa illa voluntate naturali ſecundum ſolam attributionem dicere, ita fiet vt contemplationem & doctrinam de tota diſpenſatione fictam eſſe reperiant. Præterea, ſi ſententia Sergij non eos qui aliquo modo, ſed qui ſimpliciter duas voluntates dixerunt, anathemate affecit; dicunt autẽ hi duas voluntates, quamuis falſo, propter attributionem; igitur qui hanc attributionem defendunt, anathemati contra ſe patrocinantur. Rurſus, ſi ſecundum propoſitionem quam defendunt, voluntates ſecũ inferunt perſonas; igitur qui duas voluntates dicunt, quamuis errantes, propter

ter attributionem, sicut dictum est, personas item, quas secum duæ voluntates inserunt, secundum hanc propositionem dicturi sunt. & quis ferat sectionem vnius in duas personas? PYR. Quid igitur Patres, an non dixerunt nostram esse voluntatem, quam in se Christus formauit & expressit? MAX. Sane quidem nostram. PYR. Igitur non illam, quæ ipsi natura inerat, expressit per humanam, sed quam suscepit secundum attributionem. MAX. Quandoquidem similiter dixerunt, eum suscepisse naturam nostram; igitur, opinione ipsorum, reperietur Christus habere etiam ipsam naturam sola attributione. si enim illud verum est (de voluntate) & hoc verum erit (de natura:) rursus si hoc falsum, & illud. PYRRH. Quid igitur, cum dixerunt eam, quæ nostra erat, in se formasse & expressisse, illam † ipsam, quæ natura inerat, significauerunt? MAX. Maxime. PYR. Quomodo hoc ais? MAX. Quia idem erat totus Deus cum humanitate; & idem totus homo cum diuinitate. ipse, vt homo, in se & per se, humanam subiecit Deo & patri, formam nobis eprimam, & exemplar ad imitationem se ipsum exhibens: vt nos in eum, tamquam in ducem & principem salutis nostræ, intuētes, † eā quæ nostra est, sponte ad Deum accommodemus, ita vt nihil velimus præter quam quod ipse vult. PYR. Illi non prauo proposito neque malitia quapiam hoc dixerunt; sed quod vellent sic vnionem summam declarare. MAX. Si hoc Seuerianis concedatur, an non iuste & verisimiliter deinceps, quod ad datam sumptionem pertinet, dicturi sunt, se non malo proposito, neque malitiose, vnā naturam dicere, sed quod velint, sicut & vos, ex vna voluntate, summam vnionem per eam demonstrare? armis enim ipsorum contra ipsos illos, sicut Dauid contra Goliath, vtentur. Ecce quemadmodum qui dicunt vnam voluntatem in easdem voces, & sententias cum illis incidunt. Sed quid hanc vnam voluntatē appellent? æquum est enim huius appellationem eos assignare. PYR. Aiunt esse gnomicam voluntatem: (dicamus nos sententialem.) MAX. Si sententialis, ergo deriuatur a sententia: & si deriuatur, erit sententia, tamquā prototypum, substantia. PYR. Sententia non est substantia. MAX. Si non est substantia, est qualitas; atque ita qualitas erit ex qualitate, quod fieri non potest. quid igitur aiunt esse gnomen (id est, sententiam?) PYR. Gnome, (id est, sententia) nihil aliud est, quam quod eā beatus Cyrillus esse definiuit, videlicet modus vitæ. MAX. Modus vitæ, verbi gratia, vitæ ex virtute, aut vitæ ex vitio, est ne ex electione an non? PYR. Ex electione omnino. MAX. Volentes igitur & consultantes eligimus, an nolentes, & sine consilio? PYR. Procul dubio, volentes, & consilium capientes. MAX. Igitur gnome nihil aliud est, quam voluntas alicuius modi, quæ secundum habitudinem adhæ-

† quæ ipsi natura ex al.

† for. quod nostrum est.

φαλμῴως, ἀλλὰ τῷ οἰκείωσιν, ὡς ἔφημεν, καὶ τὰ σωτηριώδη ἄθλια αὐτοῖς, καὶ τῷ τοιούτῳ σοφίσματι, λέξαι σοφώτατα. καὶ τίς οἶσε τῷ ἐκ δύο προσώπων τὸ ἑνὸς καταλῦσαι; ΠΥΡ. Τί οὖν εἰ πατέρες †, οὐχ ἡμέτερον εἶπον εἶναι, ὅπερ ὁ Χριστὸς ἐν ἑαυτῷ ἐτύπωσε θέλημα; ΜΑΞ. Ναί, ἡμέτερον. ΠΥΡ. Οὐκοῦν οὐ τὸ σοφὸν αὐτοῦ φύσει, ἀλλὰ τὸ ἀνθρώπινον ἐσήμαναν, ἀλλ' ὅπερ κατ' οἰκείωσιν ἀνεδέξατο. ΜΑΞ. Ἐπειδὴ καὶ τῷ ἡμετέραν φύσιν ὡσαύτως αὐθεντέναι αὐτὸν ἔφασαν, ἆρα κατ' αὐτοὺς καὶ αὐτῷ τῷ φύσιν κατ' οἰκείωσιν φιλῷ ἔχων ἀρεδώσεται· εἰ γὰρ ἐκεῖνο ἀληθὲς, καὶ τοῦτο· εἰ δὲ τοῦτο ψεῦδες, κἀκεῖνο. ΠΥΡ. Τί οὖν, τὸ ἡμέτερον ἐν ἑαυτῷ τυπώσαι εἰπόντες, τὸ † αὐτὸ φύσει σοφὸν † ἐσήμαναν; ΜΑΞ. Ναί. ΠΥΡ. Πῶς τοῦτο φής; ΜΑΞ. Ἐπειδὴ ὁ αὐτὸς ὅλος ὢν θεὸς μὲν τῆς ἀνθρωπότητος, καὶ ὅλος ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος μετὰ τῆς θεότητος, αὐτὸς, ὡς ἄνθρωπος, ἐν ἑαυτῷ, καὶ δι' ἑαυτοῦ, τὸ ἀνθρώπινον ὑπέταξε τῷ θεῷ, καὶ παρέσχε, τύπον ἡμῖν ἑαυτὸν ἄγιον, καὶ ὑπογραμμὸν δι' οὗ πρὸς μίμησιν· ἵνα καὶ ἡμεῖς πρὸς αὐτὸν ὡς ἀρχηγὸν τῆς ἡμῖν ἀφορῶντες σωτηρίας, τὸ ἡμέτερον ἑκουσίως προσχωρήσωμεν τῷ θεῷ, ὡς τῷ μηκέτι θέλειν παρ' ὃ αὐτὸς θέλει. ΠΥΡ. Ἐκεῖνοι οὐ πρὸς θεὸν κακῇ, καὶ πανουργίᾳ τινὶ, τοῦτο εἶπον, ἀλλὰ βουλόμενοι τῷ ἄκραν ἕνωσιν δηλῶσαι. ΜΑΞ. Εἰ τοῦτο τοῖς ἀπὸ Σεβήρου δοθῇ, οὐκ εἰλόγως λοιπὸν, ὅσον πρὸς τὸ δοθὲν λῆμμα, κἀκεῖνοι λέξουσιν· ὅτι οὐ κακῇ προθέσει, ἢ πανουργίᾳ τινὶ, μίαν λέγομεν φύσιν, ἀλλὰ βουλόμενοι, καθάπερ καὶ ὑμεῖς διὰ τοῦ θελήματος, τῷ ἄκραν ἕνωσιν δι' αὐτῆς δεῖξαι; Τίς γὰρ αὐτῶν κατ' αὐτῶν, ὃν τρόπον καὶ Δαυὶδ καὶ τοῦ † Γολιάθ, χρήσονται ὅπλοις. Ἰδὲ ἓν θέλημα λέγοντες, † ταῖς αὐταῖς † ἐκείνοις καὶ ἐννοίαις, καὶ φωναῖς συμπίπτουσι. πλὴν τοῦτο τὸ ἓν θέλημα τί βούλονται ὀνομάζειν; † δίκαιοι γάρ εἰσι, τούτῳ τῷ προσηγορίαν δοῦναι. ΠΥΡ. Γνωμικὸν αὐτό φασιν. ΜΑΞ. Οὐκοῦν, εἰ γνωμικὸν, καὶ αὐθαίρετον· εἰ δὲ αὐθαίρετον, ἡ γνώμη, ὡς προτότυπον, οὐσία ἔσαι. ΠΥΡ. Οὐκ ἔστιν ἡ γνώμη οὐσία. ΜΑΞ. Εἰ οὐσία οὐκ ἔστι, ποιότης ἔσται· καὶ γένοιτ' ἂν ποιότης ἐκ ποιότητος· ὃ πρὸ ἀδυνάτου. τί οὖν φασι τῷ γνώμῃ; ΠΥΡ. Ἡ γνώμη οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ὅπερ ὁ μακάριος αὐτῷ ὡρίσατο Κύριλλος· ὅτι τρόπος ζωῆς. ΜΑΞ. Ὁ τρόπος τῆς κατ' ἀρετὴν, φέρε εἰπεῖν, ἢ κακίας ζωῆς, ἆρα ἐξ ἐπιλογῆς ἡμῖν προσίσιν, ἢ οὔ; ΠΥΡ. Ἐξ ἐπιλογῆς πάντως. ΜΑΞ. Θέλοντες οὖν, καὶ βουλευόμενοι ἐπιλεγόμεθα, ἢ ἀθελήτως, καὶ †ἀβουλήτως; ΠΥΡ. Ὁμολογουμένως θέλοντες, καὶ βουλευόμενοι. ΜΑΞ. Οὐκοῦν ἡ γνώμη οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ποιὰ θέλησις, σχετικῶς τινός, ἢ

† ἡμῶν ἡμέτερον ἔσαι al.

† ἀυτὸ al. ἐσήμαναν

† Γολιὰδ 602.
† αὐτῶν 602.
† ἐκείναις 270.
† δίκαιοι γάρ εἰσι 270.

ὄντος

ὄντες, ἢ νομιζομένῳ ἀγαθοῦ, ἀντιχομένη. ΠΥΡ. A
Ὀρθῶς τῷ τὸ πατρικοῦ ὅρου ἐποιήσω ἐξήγησιν. ΜΑΞ. Εἰ ὀρθῶς ἡ τοῦ πατρικοῦ ὅρου ἐξήγησις γεγένηται, πρῶτον μὲν οὐ δυνατὸν, γνωμικὸν λέγειν θέλημα· πῶς γὰρ ἐκ θελήματος θέλημα προελθεῖν ἐνδέχεται; ἔπειτα δὲ καὶ γνώμῃ λέγοντες ὅτι Χριστοῦ, ὡς ἡ
†αὐτὴν 602. 270. πρὶν† αὐτῆς ἔδειξε ζήτησις, ψιλὸν αὐτὸν δογματίζουσιν ἄνθρωπον, βουλευτικῆς δεομένῳ συμβουλίας καθ' ἡμᾶς, ἀγνοοῦντά τε, καὶ ἀμφιβάλλοντα, καὶ ἀντικείμενα ἔχοντα· ἅπερ τις περὶ τῶν ἀμφιβαλλομένων, καὶ οὐ περὶ τὸ ἀναμφιβόλως B
† πρότου 602. 270. βουλεύεται. ἡμῖν μὲν γὰρ τοῦ μὲν † ἁπλῶς φύσει καλοῦ φυσικῆς ἔχομεν τὴν ὄρεξιν, τοῦ δέ
† καὶ 720. † φυσεφόμεθα 602. 270. πως καλοῦ τὴν περαν † διὰ ζητήσεως, καὶ βουλῆς· καὶ διὰ τοῦτο ἐφ' ἡμῖν ἡ γνώμη † προσφυῶς λέγεται, τρόπος ὅσπερ ζητήσεως, οὐ † λόγος φύσεως· ἐπεὶ καὶ ἀπειράκις † μετέβαλλεν
† λόγῳ 270. † μετεβαίνῃ 270. μετεβαλεν 602. 339. 330. ἡ φύσις. ὅτι δὲ τὸ ἀνθρώπινον † κυρίως ὁ φιλῶς καθ' ἡμᾶς ὑπεστάντος, ἀλλὰ θεϊκῶς· θεὸς γὰρ C
ὢν ὁ δι' ἡμᾶς καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν σαρκὶ πεφηνώς, γνώμῃ λέγειν οὐ δύναται· αὐτὸ γὰρ τὸ εἶναι, ἤγουν, τὸ θεϊκῶς ὑποστῆναι, φυσικῶς καὶ τῷ πρὸς τὸ καλὸν εἶχεν οἰκείωσιν, καὶ τῷ πρὸς τὸ κακὸν ἀλλοτρίωσιν, καθὼς καὶ ὁ μέγας τῆς ἐκκλησίας ὀφθαλμὸς Βασίλειος ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ τοῦ μδ'. ψαλμοῦ διδάσκων, ἔφη· κα-
» τὰ τοῦτο δὲ ἐκλήθη καὶ τὸ Ησαΐᾳ πρὸ αὐτοῦ εἰρημένον· ὅτι πρὶν, ἢ γνῶναι τὸ παιδίον, ἢ προελέσθαι πονηρὸν, ἐκλέξεται τὸ ἀγαθόν· διότι πρὶν, ἢ γνῶναι τὸ παιδίον ἀγαθὸν, ἢ κακὸν, ἀπρόθετος πονηρία, τοῦ ἐκλέξασθαι τὸ ἀγαθόν. τὸ γὰρ πρὶν ἢ, δηλοῖ· ὅτι οὐ καθ' ἡμᾶς ζητήσας, καὶ βουλευσάμενος, ἀλλὰ θεϊκῶς ὑποστὰς, D
ἀυτῷ τὸ εἶναι τὸ ἐκ φύσεως ἔχειν ἀγαθόν. ΠΥΡ. Τί οὖν, φυσικαί εἰσιν αἱ ἀρεταί; ΜΑΞ. Ναὶ, φυσικαί. ΠΥΡ. Καὶ εἰ φυσικαὶ, διὰ τί μὴ
† πᾶς ὁμοφυίσι 602. 270. ὁπῆσις πᾶσιν ἐνυπάρχουσι†; ΜΑΞ. Πᾶσι τοῖς ὁμοφυέσιν ὁπῆσις ἐνυπάρχουσιν. ΠΥΡ. Καὶ πόθεν ἐν ἡμῖν ἡ τοσαύτη ἀνισότης; ΜΑΞ. Ἐκ τοῦ μὴ ὁπῆσις ἐνεργεῖν τὰ τῆς φύσεως· ὡς ἅπερ πάντες ἴσως, ἐφ' ᾧ καὶ γεγόναμεν, ἐνεργοῦμεν τὰ φυσικὰ, μία ἂρα ἐδείκνυτο ἐν πᾶσιν, ὡς περ φύσις, ἅτε καὶ ἀρετὴ, τὸ μᾶλλον, καὶ ἧττον οὐκ ὑποδεχομένη. ΠΥΡ. Εἰ οὐκ ἐξ ἀσκήσεως ἡμῖν E
τὰ φυσικὰ προέρχεται, ἀλλ' ἐκ δημιουργίας, ἡ δὲ ἀρετὴ φυσικὴ, πῶς πόνῳ, καὶ ἀσκήσει, τὰς ἀρετὰς, φυσικὰς οὔσας, κτώμεθα; ΜΑΞ. Ἡ ἄσκησις, καὶ οἱ ταύτῃ ἐπόμενοι πόνοι, πρὸς τὸ μόνον ἀφανεῖσαι τῷ ἐμφυρῆσαν δι' ἀβουλήτου ἀπάτῃ τῇ ψυχῇ, ἐπενοήθησαν τοῖς φιλαρέτοις, οὐ
† ἐνδείκνυται 336. 270. πρὸς τὸ ἔξωθεν προσφάτως ἐπεισαγωγῆν τὰς ἀρετάς. ἔγκειται γὰρ ἡμῖν ἐκ δημιουργίας, ὡς εἴρηται, ὅθεν καὶ ἅμα τελείως ἀφανισθῇ ἡ ἀπάτη,
† ὁ γὰρ μὴ al. praeter 602. 270. ἅμα καὶ τῆς καθ' φύσιν ἀρετῆς τῷ λαμπρύνεσθαι † ἐκδείκνυται ἡ ψυχή. † εἰ γὰρ ὁ μὴ ἄφρων, φρόνιμος·

adhæret alicui vere bono, aut existimato bono. PYR. Recte definitionem patris (Cyrilli) explicasti. MAX. Si recte facta est explanatio definitionis, primum quidem non potest dici sententialis voluntas. quomodo enim potest ex voluntate voluntas prodire & manare? Deinde vero qui sententiam in Christo dicunt, vt de ea quæstio facta demonstrauit, hominem merum eum esse tradunt, consultantem more nostro, ignorantem, & dubitantem, & contraria habentem; si quidem de ijs in quæ cadit dubitatio, & non de eo, in quod non cadit, quispiam consultat. nos enim, quod simpliciter natura bonum est, naturaliter appetimus: id autem, quod aliquo modo bonum est, quærendo & consultando experimur. idcirco penes nos esse & gnome, id est, sententia apte dicitur, quæ est modus vtendi (voluntate) non ratio naturæ. alioqui infinities mutaretur natura. in humanitate autem Christi, quæ non mere more nostro, per se existebat, sed diuine, Deus enim erat, qui propter nos, & sicut nos, & ex nobis in carne apparuit, non potest dici sententia. ipsum enim esse, id est, id ipsum diuine subsistere, habebat naturaliter cognationem cum virtute, & a vitio alienationem, sicut magnus Ecclesiæ oculus Basilius ait in interpretatione Psal. 44. In eamdem, dicens, sententiam accipies, quod de eo apud Isaiam dictum est: Priusquam cognoscat puer, aut eligat praua, eliget bonum; quoniam prius quam cognoscat puer bonum vel malum, repugnat malitiæ vt eligat bonum. Illud enim, prius quam, declarat quod non sicut nos quærendo & consultando, sed diuine subsistens per ipsum suum esse habebat ex natura bonum. PYRRH. Quid igitur, sunt ne virtutes naturales? MAX. Sane quidem naturales. PYRRH. Si naturales, quare non ex æquo omnibus insunt? MAX. Aeque omnibus insunt qui eiusdem naturæ sunt. PYRRH. Et vnde tanta in nobis inæqualitas? MAXIMVS: Ex eo quod quæ naturæ sunt, non æqualiter excolimus & elaboramus. Nam si omnes pari studio, ad quod & nati sumus, quæ ex natura sunt operaremur, vna vtique in omnibus, vti natura, sic & virtus, conspiceretur, neque plus, neque minus susceipiens. PYRRH. Si naturalia nobis non ex exercitatione, sed ex creatione proueniunt, virtusq. naturalis est, quomodo exercitatione & labore virtutes, alioqui naturales, comparamus? MAX. Exercitatio, & qui eam sequuntur labores, ad depellendam dumtaxat fallaciam, quæ per sensus est animæ admixta, ab ijs, qui studio virtutis tenentur, excogitati sunt, non autem ad inducendas extrinsecus recenter virtutes. insunt enim nobis ex creatione, vt diximus, vnde simul atque perfecte dirimitur fallacia, continuo virtutis, quæ ex natura est, splendorem anima profert. Si enim qui non est imprudens, prudens est;

& qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

& qui non timidus, vel audax, fortis est: & qui non est impudicus, pudicus est: & qui non facit iniuriam, iustus: secundum autem naturam ratio, prudentia est: & (secundum naturam) iudicandi facultas iustitia est: & ira item (secundum naturam) fortitudo; similiter cupiditas (secundum naturam) temperantia; igitur vsu venit, vt ablatis, quæ præter naturam sunt, quæ secundum naturam sunt, vel sola apparcant. sicuti rubigine abrasa & extrita, ferri fulgor, & splendor, qui natura inerat, apparet. PYR. Maxima hinc apparet blasphemia eorum, qui in Christo gnomen dicunt. MAX. Oportet nec hoc sine animaduersione præterire, esse apud scripturam & sanctos Patres variũ, ac multiplicis significationis, gnomes nomen, vt ijs notum est, qui accurate legunt. aliquando enim pro admonitione & consilio, ipsum proferunt, vt cũ ait Apostolus: De virginibus autem præceptũ Domini non habeo, γνώμην autem (id est, consilium) do. aliquando vero pro cõsultatione, vt cũ ait Dauid: Super populum tuum malignauerunt γνώμην, id est, consultationem: quod alius interpres explanans, sic dixit: Super populum tuum malignauerunt βουλήν: (id est, consilium.) quandoq. pro sententia, vt cum ait de quopiã magnus propheta Daniel: Exiuit sententia impudens ex persona regis. alias pro opinione, vel fide, vel sensu, vt cum ait Gregorius, cognomento
» Theologus, in prima oratione de Filio: Quia
» verò non est res magna reprehendere, facil-
» limum enim est, & omnium, qui volunt; viri
» autem pij est & cordati, dicere quid sentiat.
Denique, ne si omnia singulatim percurram, turbam aggregem sermoni, viginti octo significationes in hoc gnomę nomine apud scripturam, & sanctos Patres obseruaui. Nec enim aliquid commune, aut particulare signat, sed ex ijs, quæ prius dicta sunt, aut ex ijs, quæ sequuntur, sententia eius, qui loquitur, normam & regulam accipit. Quamobrem non potest fieri, vt huiusmodi nomen vni tantum rei significandæ adhibeatur. PYR. Quomodo enim potest quod multipliciter dicitur, vnum aliquid ad significandum sortiri? MAX. Vt igitur turpitudo huius hæresis magis patefiat, aliter etiam enunciationem talem consideremus. PYR. Si placet, consideremus. MAX. Qui vnam voluntatem dicunt, siue voluntatem electionis, siue gnomæ, siue liberæ potestatis; vel si aliter eam vocare eis libet (non enim de hoc contendimus) aut diuinam, aut angelicam, aut humanam hanc dicere cogentur: & in primis, quodcumque horum dixerint, naturalem dicent, siquidem vnumquodque eorum naturam significat: atque ita, quod visi sunt methodo diuisionis effugere, hoc per methodum resolutionis probasse conuincuntur. Consequenter vero, si dicent diuinam voluntatem esse, Deum tantum natura esse Christum agnouerunt; si vero angelicam, neque Deum, neque hominem,

sed

A νιμος· καὶ ὁ μὲν δειλὸς, ἢ θρασὺς, ἀνδρεῖος· καὶ ὁ μὴ ἀκόλαστος, σώφρων· καὶ ὁ μὴ † ἀδικῶν, δί- † ἄδικα 270.
καιος· καὶ φύσιν δὲ ὁ λόγος σοφὸν ὅτι· καὶ τὸ κριτικὸν δικαιοσύνη· καὶ ὁ θυμὸς ἀνδρεία· καὶ ἡ ἐπιθυμία σωφροσύνη· ἅρα τῇ αἱρετῇ τῷ λόγῳ φύσιν, τὰ κατὰ φύσιν, καὶ μόνα διαφαίνεσθαι ἔοικεν· οἷς περ καὶ τῇ τοῦ ἁλὸς ἐπιβολῇ, ἢ τῷ σιδήρου κατὰ φύσιν αὐγὴ, καὶ λαμπρότης. ΠΥΡ. Μεγίστη † ἐντεῦθεν ἀναδείκνυται βλασφημία τῶν γνώμην λεγόντων ἐπὶ Χριστοῦ. ΜΑΞ. Χρὴ, μὴ δὲ τοῦτο παρελθεῖν ἀπαρατήρητον· ὅτι πολύσημον, καὶ πολύσημον ὄνομά τε τῇ ἁγίᾳ γραφῇ, καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσιν ὀφθὲν τὸ τῆς γνώμης ὄνομα· † ὡς τοῖς ὀπωμελῶς ἀναγινώσκουσι δῆλον † ὃ ἐστι 270.
ὑπάρχει. ποτὲ μὲν γὰρ ὅτι παραινέσεως, καὶ διαθήκης αὐτὸ φέρουσιν· ὡς ὅταν λέγῃ ὁ ἀπόστολος· περὶ δὲ τῶν παρθένων ἐπιταγὴν κυρίου οὐκ ἔχω· γνώμην δὲ δίδωμι· ποτὲ δὲ ὅτι βουλῆς· ὅταν ὁ μακάριος λέγῃ Δαυίδ· ὅτι τὸν λαόν σου κατεπανουργεύσαντο γνώμην· ὅπερ ἄλλος ἑρμήνευτης σαφηνίζων, ὅτι τὸν λαόν σου, ἔφη, κατεπανουργεύσαντο βουλήν· ποτὲ δὲ ὅτι τῆς ψήφου· ὁπηνίκα Δανιὴλ, ὁ τῶν προφήτων μέγας, λέγει περὶ
C τινος· ἐξῆλθεν ἡ γνώμη ἡ ἀναιδὴς ἐκ προσώπου τοῦ βασιλέως· ποτὲ δὲ ὅτι δόξης, ἢ πίστεως, ἢ φρονήματος· ὅταν Γρηγόριος ὁ τῆς θεολογίας ἐπώνυμος ἐν πρώτῳ περὶ υἱοῦ λόγῳ διέξεισιν· ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν ὀπτασιῶν οὐ μέγα· ῥᾴδιον » γὰρ, καὶ τοῦ βουλομένου παντὸς, τὸ δὲ ἀντιδοξάζειν » τῷ ἑαυτοῦ γνώμῃ, ἀνδρὸς ἔξιν εὐσεβοῦς, καὶ » νοῦν ἔχοντος· καὶ ἁπλῶς, ἵνα μὴ καθ' ἓν τὸ » πάντα διεξερχόμενος, ὄχλον ὀπωσοῦν τῷ λόγῳ, καὶ εἰκοσιοκτὼ σημαινόμενα ὄντα τῇ
D ἁγίᾳ γραφῇ, καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἐπιπερισσεύοντα, τὸ τῆς γνώμης εὗρον ὄνομα. οὐ δὲ γὰρ κοινῶς τινος, ἢ ἰδικῶς, ἐμφαίνει χαρακτῆρα, ἀλλ' ἢ ἐκ τοῦ πρὸ αὐτοῦ λεγομένου, ἢ τῶν ἑπομένων, ἢ τοῦ λέγοντος κανονίζεται ἔμφασιν. διὸ καὶ ἀδύνατον, ἑνὶ, καὶ μόνῳ σημαινομένῳ, τὸ τοιοῦτον ἀφορίσαι ὄνομα. ΠΥΡ. Πῶς γὰρ ἐνδέχεται τὸ πολλαχῶς λεγόμενον, ἑνός τινος εἶναι ἀποκληρωτικόν; ΜΑΞ. Ἵνα οὖν τὸ † αἴρεσις τῆς τοιαύ- † ἔστιν
της αἱρέσεως φανερώτερον γένηται, καὶ ἑτέρως τῷ τοιαύτῳ ἐξασκεψώμεθα πρόπαιν. ΠΥΡ. 602. 270.
E Εἰ σοι φίλον, ἐξασκεψώμεθα. ΜΑΞ. Εν θέλημα λέγοντες, εἴ τε προαιρετικὸν, εἴ τε γνωμικὸν, εἴ τε † ἐξουσιαστικὸν, ἢ ᾧ ἕτερος πως αὐτὸ † αὐτεξου-
καλεῖν βούλοιντο· ἐὰν γὰρ ἐξαφιερώμεθα περὶ τούτου, ἢ σιαστικὸν
θεῖον, ἢ ἀγγελικὸν, ἢ ἀνθρώπινον, τοῦτο λέγειν 270.
βιαθήσονται· καὶ προηγουμένως μὲν, ὁπότερον τούτων αὐτὸ εἴπωσι, φυσικὸν λέξουσιν· εἰ γὰρ ἑκάτερον αὐτῶν φύσεως ὑπάρχει δηλωτικόν· ᾧ ὅπερ ἐξ ἀναλυτικῆς μεθόδου φεύγειν † ἔδοξαν, τοῦτο ἐξ ἀναλυτικῆς συνιστῶντες ἐβεβήκασιν. † ἔδοξεν, 602. 270.
ἑπομένως δὲ, εἰ μὲν θεῖον αὐτὸ λέγοιεν, θεὸν, ᾧ μόνον φύσει ὄντα τὸν Χριστὸν ἐγνώκεισαν· εἰ δὲ ἀγγελικὸν,

λικὸν,

Universidad de Deusto
Biblioteca

λικὸν, οὔτε θεὸν, † οὔτε ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀΐδιόν τινα φύσιν· εἰ δὲ ἀνθρώπινον, φιλόν ἄνθρωπον καὶ † ὑπήκοον αὐτὸν ἔδειξαν. ΠΥΡ. Ἐπὶ ταύταις δυσκόποις ταῖς ἀτοπίαις, οὔτε φυσικὸν, οὔτε γνωμικὸν λέγουσι τὸ θέλημα· ἀλλ' ὅπως ἔφην περιεσῶσάν ἡμῖν φασιν. ΜΑΞ. ἡ ἕξις ἄρα ἐστὶν αὕτη καὶ φύσιν ἡμῖν περίεστιν, ἢ οὐ καὶ φύσιν; ΠΥΡ. Κατὰ φύσιν. ΜΑΞ. οὐκοῦν πάλιν καὶ ἀνάλυσιν, † φυσικὸν λέξουσι τὸ θέλημα· καὶ οὐδὲν ἐκ τῆς περιόδου ταύτης † ἀπώναντο· καὶ ἐπεὶ ἡ ἕξις ἐκ μαθήσεως περιῆται τῷ ἔχειν, καὶ τῷ † προχέιρισιν, ἦτοι μαθήσεως ἦρα; καὶ προεκόπτεν ἔχων ὁ Χριστὸς κατ' αὐτὸς τὸ ἔχειν τοῦ θελήματος, καὶ † προχείρισιν· καὶ προέκοπτεν, ἀγνοῶν πρὸ τῆς μαθήσεως τὰ μαθήματα. τίνος οὖν χάριν τὸν Νεστόριον λοιδορέφονται, τῶν ἐκείνου θερμῶς ἀντιχόμενοι λόγων, καὶ ἐννοιῶν; ὅτι δὲ ἓν θέλημα λέγοντες, τὰ ἐκείνου διεκδικοῦσι, καὶ ἡ παρ' αὐτῶν συνηγορουμένη ἔκθεσις μαρτυρεῖ, ἓν θέλημα ἀποφηναμένη τὸν Νεστόριον προσβάλλειν δεῖ τῶν πλατυρθρίων αὐτὸ δύο προσώπων. ἔπειτα τὸ φυσικὸν εἶναι θέλημα διωθούμενοι, ἢ ὑποστατικὸν αὐτὸ, ἢ παρὰ φύσιν λέξουσιν· ἀλλ' εἰ μὲν ὑποστατικὸν αὐτὸ φήσουσιν, ἑτερόβουλος οὕτω γε ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς· μόνης γὰρ ὑποστάσεως χαρακτηριστικὸν τὸ ὑποστατικόν· εἰ δὲ παρὰ φύσιν, τῶν ἐκβάσεων τῶν αὐτὰ διορισαμένων οὐσιῶν· ἅ περ φθαρτικὰ τῶν κατὰ φύσιν τὰ παρὰ φύσιν. ἡδέως δ' ἂν αὐτοὺς καὶ τοῦτο ἐρωτήσαιμι· ὅτι ὁ τῶν ὅλων θεὸς, καὶ πατὴρ, καθὸ πατὴρ, θέλοι, ἢ καθὸ θεός; ἀλλ' εἰ μὲν καθὸ πατὴρ, ἄλλο αὐτοῦ ἔσται παρὰ τὸ τοῦ υἱοῦ θέλημα· οὐ γὰρ πατὴρ ὁ υἱός· εἰ δὲ καθὸ θεός, θεὸς δὲ ὁ υἱὸς, θεὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἅπερ φύσεως εἶναι τὸ θέλημα δείκνυσιν, ἤγουν φυσικόν. ἔτι· εἰ καὶ τοὺς πατέρας, ὧν τὸ θέλημα ἓν, τοῦτον καὶ ἡ οὐσία μία δοξάζει· κατ' αὐτοὺς δὲ, ἓν τὸ θέλημα τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, ἅπερ μίας, καὶ τῷ αὐτῷ τοῦτον λέγουσι τῷ οὐσίαν. καὶ πῶς ἅπτεσθαι δοκοῦσιν, φασὶν, ὅπερ τοῖς πατράσιν ἔπονται; καὶ πάλιν· εἰ κατὰ τοὺς αὐτοὺς πατέρας, ἡ τῆς φύσεως † διαφορὰ οὐ τὸ ἑνὶ θελήματι καὶ διαφαίνεται, ἀνάγκη αὐτοὺς, ἢ ἓν θέλημα λέγοντας, φυσικῶς ἓν Χριστῷ μὴ λέγειν διαφοράν, ἢ φυσικῶς λέγοντας διαφορὰν, ἓν θέλημα μὴ λέγειν· εἰ περ τοῖς πατρικοῖς κανόσιν ἑαυτοὺς ἀπευθύνουσι. καὶ πάλιν· εἰ κατὰ τοὺς αὐτοὺς διδασκάλους, οὐκ ἔστι κοινὸν ἀμφοτέρων δηλωτὴ τῶν οὐσιῶν τὸ θέλημα, ἀνάγκη αὐτοὺς, ἢ ἄμφω τὰς φύσεις τοῦ αὐτοῦ μὴ λέγειν κοινῶς ἔχειν ἓν θέλημα, ἢ τοῦτο λέγοντας, φανερῶς τοῖς πατρικοῖς ἀπομάχεσθαι νόμοις τε, καὶ διατάγμασι. ΠΤΡ. Λίαν σαφῶς, καὶ συντόμως ἔδειξεν ὁ λόγος τῷ συμπεπλεγμένῳ πάσῃ βλασφημίᾳ τῶν δι' ἐναντίας ἀσέβειαν ἢ † δι' ὁμοιότητα, ὅτι καὶ ἐκ τῶν παρόντων

sed naturam quamdam angelicam, si autem humanam, hominem tantum, & subiectum alterius potestati ostendent. PYR. Cum in hæc absurda incidunt, neque gnomicã, neque naturalem voluntatem dicunt, sed aiunt inesse nobis eam habilitate. MAX. Hæc habilitas inest nobis ex natura, an non ex natura? PYR. Ex natura. MAX. Rursus igitur ex arte resolutionis naturalem voluntatem dicent, & nihil eis profuit circuitus iste. & quia habilitas ex disciplina habitum efficit & promptitudinem; igitur ex disciplina & profectu habuit Christus, vt isti sentiunt, habitum voluntatis, & promptitudinem: & progressum faciebat, ignorans disciplinas, antequam disceret. Cur igitur aspernantur Nestorium, cuius vocibus & sententijs ardenter adhærent? Quod autem, cum vnam voluntatem dicunt, illa, quæ Nestorius tenet, defendunt, testatur etiã expositio, quam ipsi defendunt; quæ declarat, Nestorium profiteri vnam voluntatem in duabus personis ab ipso fictis. Ad hæc, cum recusent isti fateri esse voluntatem naturalem, dicturi sunt, esse hypostaticam, aut præter naturam: si enim hypostaticam esse dixerint, erit igitur sic quidem filius alia voluntate quam pater, hypostaticum enim solam hypostasim signat. si præter naturam; occasum, interitumq. substantiarum eius docebunt: siquidem quæ sunt secundum naturam, ab ijs intereunt, quæ sunt præter naturam. Hoc autem libenter ipsos interrogarem: Deus vniuersorum & pater, vult quatenus pater, an quatenus Deus? si quatenus pater, alia erit eius voluntas præter voluntatem filij; non enim pater est filius. Si vero quatenus est Deus; Deus autem est filius, Deus item Spiritus sanctus; igitur concedent voluntatem esse naturæ, id est naturalem. Rursus; si secundum Patres, quorum est vna voluntas, vna etiam substantia est; opinione vero ipsorum, vna est voluntas diuinitatis Christi & humanitatis eius: igitur vnam & eamdem aiunt esse harum substantiam. Quo modo ergo, qui tam impij sunt, aiunt se Patres sequi? Ac rursus, si secundum ipsos illos Patres, differentia naturæ vna voluntate non dignoscitur, neque discernitur; necesse est ipsos, vel vnam voluntatem si dicunt, naturalem in Christo differentiam non dicere, vel si dicunt naturalem differentiam, vnam voluntatem non dicere; siquidem se ipsos ad normas & regulas Patrum dirigunt. Ac rursus, si, vt sentiunt ijdem magistri & doctores, non est communis voluntas, ambarum scilicet substantiarum, necesse est ipsos aut dicere, ambas naturas ipsius non habere communiter vnam voluntatem; aut si hoc dicunt, plane cum legibus & decretis Patrum pugnare. PYR. Valde clare & concise ratio demonstrauit, implicatam esse impietatem cum omni cogitatione aduersariorum. Sed quid dicemus, siquidem hoc etiam auctoritate

φύσει, οὔτε ἀνθρώπινον 602. 270.
† ἐνεργεῖν 270.
† χειρισμὸν 602. 270.
† ἀπώναντο 602.
† προχείρισιν 602. 270.
† διαφορὰ τῆς τοῦ ἑνὸς θελήματος 602. 270.
† τῶν λέξειν 602. 270.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Patrum demonstrare conantur? MAX. Si volunt patres eos qui diuidunt & confundunt diuinam œconomiam (id est, dispensationem) damus eis: omnes enim vnam voluntatem opinati sunt; cum tamen maxime inter se in impietate discrepent. si vero patres Ecclesiæ vocant, nequaquam eis hoc concedemus: nam vnum tantum ex illustribus, & notis apud omnes, producant, vt & nos in die illa, cum nostra diiudicabuntur, & Christus nos increpauerit, cur vocem probauerimus, quæ totum mysterium incarnationis dissoluit, excusare possimus nos, in omnibus patris opinionem reueritos fuisse. PYR. Quid igitur est quod ait Gregorius
» Theologus: Velle enim illius in nulla re erat
» Deo contrarium, totum deificatum. non est hoc contrarium duabus voluntatibus? MAX. Nequaquam, immo contra, magis hoc, quam cætera alia, duas voluntates ostendit. PYR. Quo modo hoc ais? MAX. sicut inflammatio inflammatum & inflammantem secum infert; & refrigeratio refrigeratum & refrigerantem; ambulatio ambulantem & ambulatum; aspectus aspicientem & quod aspicitur; intelligentia intelligentem & rem intellectam; non enim potest habitudo sine habentibus habitudinem intelligi, aut dici: sic consequenter deificans, & deificatum. Præterea, si voluntatis deificatio est contraria duabus voluntatibus, sicut isti sentiunt, deificatio etiam naturæ erit contraria duabus naturis. vtrobique enim posuit Gregorius idem verbum deificationis. PYR. Demonstratum est, dictum patris Gregorij magnopere conuenire cum duabus voluntatibus: sed oportet demonstrare concordare cum hoc alterum Gregorium qui Ecclesiam Nyssensium claram & illustrem reddidit: producunt enim eum pro vna voluntate sentien-
» tem, eo quod de Domino dixerit: Anima
» vult, corpus tangitur, vtrisque fugit passionem. aiunt enim, dixisse patrem Gregorium, velle animam Domini voluntate diuina diuinitatis, cum ipsa anima secundum hypostasim vnitæ. MAX. Igitur eadem consequentia dixit, corpus diuina tactione tangi, eritq. eorum opinione diuinitas tactilis. quæ enim ipsi de anima Domini dicunt, cum alius ad corpus traducit, pari ratione orationis prolatæ in summum errorem eos detrudit. PYR. Magna perspicacia, & breuitate blasphemiam huiusmodi interpretationis probasti. Quid vero dicemus de ijs auctoritatibus, quas ex magno Athanasio producũt? ex quibus vna est hæc: Mens Domini nondum Do-
» minus, sed vel appetitio, vel voluntas, vel
» energia ad aliquid. MAX. Et hanc quoque auctoritatem contra se proferunt. Quamobrẽ vera ratio in omnibus quæstionibus vtitur argumentis ipsorũ ad eos ipsos cõfutandos. Nec enim sic vnquã veritas inops erit, vt proprijs armis indigeat aduersus aduersarios. Si enim, vt hic pater ait; mẽs Domini nondũ Dominus, aliud omnino præter Dominum

A τὸ † δηλικὸν ἐπιζητοῦσιν; ΜΑΞ. Εἰ μὲν † ἰστέον.
τοὺς διαιροῦντας, καὶ τὰς συγχεούσας τὴν ἁγίαν 670.
θεοδόκον οἰκονομίαν, πατέρας καλεῖν βούλονται, συγχωροῦμεν αὐτοῖς· πάντες γὰρ † τὸ θέλημα ἐδόξασαν, καὶ † μέλλον ἡ-
τοι ἐκ διαφόρου μέσης ἀρχόμενοι διεσπάσατο τὸ ἀσέβημα· 670. 270.
εἰ δὲ τοὺς τῆς ἐκκλησίας, οὐδαμοῦ τοῦτο συγχωροῦμεν αὐτοῖς. † ἀπαιτήσεις γὰρ ἕνα μόνον τῶν ἐμ- † ἐπιδείξεις
θανόντων, καὶ πᾶσι † γνώριμον ὅπως καὶ ἡμεῖς ἐν μέρει ἐσμὲν ἐν τῇ μετέρᾳ ὁμολογήσεως, εἰ καλύμεθα τοῦ θεοῦ λόγου· τὸ δὲ † γνησίως
χρεὼν τὸ θεῖον ὅπου τίνος χάριν ἐδόξασε φωνῆσαι, ὅλην λύσαι τῆς ἡμῶν συνηκότητος τὸ μυστήριον;
B ἐχωρεῖν ὁμολογήσαι· ὅπερ ἴδιον ἐν πᾶσιν αἱρετίζουσι τὸ παρεῖσθαι ἀπόλυτον. ΠΥΡ. Τί οὖν τὸ εἰρημένον † δὲ ἀλ.
παρὰ θεολόγῳ Γρηγορίῳ τὸ γὰρ οὐκ ἐναντίον θελήσει † οὐδὲν »
ὑπεναντίον τῷ θεῷ, † θεωθὲν ὅλον, οὐκ ἐναντίον τ » »
δύο θελημάτων ἐστίν; ΜΑΞ. Οὐδαμῶς· πολ- »
λαπλάσιον, τῶν δύο θελημάτων μᾶλλον οὐδὲ, καὶ τῶν ἄλ- † ἀλλὰ
λων πάντων ἐμφανεστέρων τῶν δύο τυγχάνει θελημάτων. ΠΥΡ. Πῶς τοῦτο φῄς; ΜΑΞ. ὡς περ ἡ πύρωσις τὸ πυρωθὲν, καὶ τὸ πυρῶσαν ἑαυτῇ σωματοῦται· καὶ ἡ ψύξις τὸ ψυχθὲν, καὶ τὸ ψύξαν· καὶ ἡ βάδισις τὸ βαδίζον, καὶ βαδιζόμενον·
C καὶ ἡ θέασις τὸ ὁρῶν, καὶ ὁρώμενον· καὶ ἡ νόησις τὸ νοῦν, καὶ νοούμενον· ἃ δὴ σημαίνων, τὴν ἀχώριστον † σχέσιν τῶν νοεῖν, ἢ λέγειν ἅπαν καὶ τὸ ἀκόλουθον, καὶ † σχεσιν
τὸ θεωθὲν, καὶ τὸ θεῶσαν. ἄλλως τε δὲ, εἰ ἡ † θε- 670. 270.
λήματος θέωσις ἐναντία ἔσται τῶν δύο θελημάτων κατ' αὐτὸν, καὶ ἡ τῆς φύσεως θέωσις ἐναντία ἔσται τῶν δύο φύσεων· ἐπ' ἀμφοτέρων γὰρ τὸν αὐτὸν τῆς θεώσεως τέθεικεν ὁ πατὴρ λόγον. ΠΥΡ. Πάνυ συμβαίνουσα ἐδείχθη ἡ χρῆσις τ παρὰ τοῖς δύο θελήμασιν· ἀλλὰ χρὴ, τούτῳ σύμφωνον δεῖξαι καὶ Γρηγόριον, τὸν τὴν Νυσσαέων φιλοδοξοῦσαν ἐκκλησίαν· ἐν γὰρ αὐτὸν φερομεῖν τε ἀξιοῦσι
D † θέλημα, ὡς τ εἰπεῖν τὸν πατέρα ὡς τ κυρίως † τὸ θέλ.
ἡ ψυχὴ θέλει, τὸ σῶμα ἀπτεται· δι' ἀμφοτέρων 270.
φεύγει τὸ πάθος. φασὶ γὰρ, ὅτι τῷ θείῳ θελήματι »
τῆς ἐνωμένης αὐτῇ καθ' ὑπόστασιν θεότητος ἔφη ὁ »
πατὴρ τὴν ψυχὴν τὸ κυρίου θέλειν. ΜΑΞ. Οὐκοῦν κατὰ τὸν αὐτὸν εἰρμὸν καὶ τὸ σῶμα τῇ θείᾳ ἁφῇ ἔφη ἅπτεσθαι· καὶ ἔσται κατ' αὐτοὺς καὶ ἁπτὴ ἡ θεότης. ἃ γὰρ αὐτοὶ περὶ τῆς ψυχῆς τὸ κυρίου λέγουσιν, ἕτερος ἐκ τῆς ἴσης ἐκφωνήσεως μεταλαβὼν περὶ τὸ σῶμα, εἰς ἐσχάτην αὐτοὺς ἀπάγει
E πλάνην. ΠΥΡ. Πάνυ σωφρονικῶς τὸ βλάσφημον τῆς τοιαύτης ἐκδοχῆς παρέστησας. τί δὲ φαμὲν καὶ περὶ τῶν παρεγγεγραμμένων αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου χρήσεων; ὧν μία ὅδε ἐστὶν αὕτη· νοῦς κυ- »
ρίου οὔπω κύριος, ἀλλ' ἡ θέλησις, ἡ βούλησις, ἡ »
ἐνέργεια περὶ τι. ΜΑΞ. Καθ' ἑαυτῶν καὶ ταύτην »
περιβάλλονται. διὸ καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος τοῖς αὐτῶν περὶς ἀναίρεσιν τῶν αὐτῶν ἐν πᾶσι κέχρηται περιβλήμασι. μὴ δὲ γὰρ ἔστω ποτὲ πλουτοῦσα ἡ ἀλήθεια, ὡς τὰ τ ἴδιον καὶ τ ἀντιπάλων δηλοῦσα ὅπλων. εἰ γὰρ καὶ τ πατέρα νοῦς κυρίου ἔπω κύριος, ἄλλο πάντως παρὰ τὸν κύριον ἴσως ὁ νοῦς αὐτοῦ τυγχά-

Universidad de Deusto

τητέσιν, ὁ φύσῃ κύριος· ἤγουν θεὸς, ὁ νοῦς τοῦ A
†αὐτῆ 270 κυρίου· καθ' ὑπόστασιν γὰρ † αὐτῷ γεγωνέναι πι-
στεύεται· ἢ ἵνα τι ἄλλο ἐκ τοῦ ἐπαγαγεῖν· ἢ θέλη-
† αὐτὸν al. σιν, ἢ βούλησιν, ἢ ἐνέργειαν θεός τι † αὐτὸ εἶναι,
†αὐτῷ κανόνι χρώμενος θεὸς τοῦτο, τῷ ὅτι φιλοσόφῳ
270. τῶν φιλοσόφων Κλήμεντι ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν στρωμα-
τέων λόγῳ, τὸ μὲν θέλησιν νοερὸν εἶναι ὄρεκτικὸν
ὁρεσσαμένου, τὸ δὲ βούλησιν εὔλογον ὄρεξιν, ἢ τὸ
θεῖόν τινος θέλησιν· θεός τι δὲ ἐνέργειαν ὁ θεῖος
ἔτος ἵφη διδάσκαλος· διότι πρὸς πάντα τὰ ἀνθρωπίνως παρ' αὐτοῦ γεγενόμενα, τῇ καθ' ὑπόστασιν ἐνω
θείσῃ αὐτῷ νοερᾷ, καὶ λογικῇ ἐχρήσατο ψυχῇ. B
† ἐπιχει- ΠΥΡ. Τῷ ὄντι δ' ὧν †ἀνεπισκεπτότερός τις δοκεῖ τῇ
ρηματίσει 602. 270. δυσσεβείᾳ, δι' αὐτῶν τὸν ἔλεγχον ὑπομένοντες
κινοῦσιν. χρὴ δὲ καὶ τοῦτο ἕτερον, ἵνα ἐκ τοῦ παρ'
ὧν φέρουσιν, ἐπεξεργάσασθαι χρῆσιν, πρὸς τὸ μη-
δεμίαν αὐτοῖς ὑπολιπεῖν πρόφασιν καὶ τῆς ἀλη
† φησὶν al. θείας. ΜΑΞ. Τίς αὕτη; ἀγνοῶ γάρ. ΠΥΡ. †ἦ
„ φησιν ὁ θαυμασὸς ἐκεῖνος ἀνήρ· ἐγεννήθη ἐκ γυ-
„ ναικὸς, ἐκ τῆς πρώτης πλάσεως τοῦ ἀνθρώπου
† σαρκὸς „ μορφὴν ἑαυτῷ ἀνασησάμενος, ἐν ὁπτασίᾳ †σαρ-
270. „ κὸς, δείξας δὲ σαρκικῶν θελημάτων, καὶ λογισ-
„ μῶν ἀνθρωπίνων, ἐν εἰκόνι καμώτητος· ἡ γὰρ θέ- C
„ λησις θεότητος μόνης. ΜΑΞ. Αὐθεμήνευτος ἔ-
σται, οὐ δεῖται ὅλως τῆς ἐκ λογισμῶν βοηθείας.
† ἀμφίβολος ΠΥΡ. Καὶ πῶς τούτοις †ἀμφίβολος τυγχάνει;
602. † ἴσται 270 ΜΑΞ. Ἐκ πολλῆς ἀμαθίας· ἐπεὶ τίνι οὐκ †ἔστι κα-
ταφανὲς, εἰ μὴ πάντη τὸ τῆς ψυχῆς πεπήρωται
ὀπτικόν· ὅτι οὐ κατὰ τὸν φυσικοῦ λόγου, ἀλλὰ κατὰ τὸν
τρόπον τῆς κατὰ σάρκα αὐτοῦ ὑπάρξεως, ταῦτα ὁ
πατὴρ διεξῆλθε, δεῖξαι βουλόμενος τὸ σάρκωσιν
ἔργον εἶναι τῆς θείας, καὶ μόνης θελήσεως, οὐ δοκοῦν-
τος μὲν τοῦ παρόντος, ἀντεργοῦντος δὲ τοῦ υἱοῦ, καὶ
συνεργοῦντος τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἀλλ' οὐ σαρκι- D
κῆς κινήσεως, καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, ἅτινα
γαμικῆς ἀκολουθίας· οὐ γὰρ τὸν τῆς φύσεως λόγον
ἐκαινοτόμησε γεγενόμενος ἄνθρωπος τῶν ὅλων ὁ
θεός· ἐπεὶ οὐδὲ ἄνθρωπος ἦν ἐν τῷ, ἀνελλιπῆ, καὶ
ἀναλλοίωτον, τὸν ἐν πᾶσι τῆς φύσεως οὐκ ἔχων λό-
γον· ἀλλὰ τὸν τρόπον, ἤγουν, τὸν ἐξ ἀποφάσεως σύλ-
ληψιν, καὶ τὸ ἐξ ἀφθορίας γένεσιν. οἶκοθεν τοὺς φυ-
σικοὺς τῶν ἐνανθρωπησάντων λόγους οὐδαμῶς ἠρνήσαντο
οἱ θεόφρονες τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλοι· ἀλλὰ
συμφώνως τοῖς εὐαγγελισταῖς, καὶ ἀποστόλοις, καὶ
προφήταις, τὸν κύριον ἡμῶν, καὶ θεὸν, Ἰησοῦν Χριστὸν, E
κατ' ἄμφω τὰς αὐτοῦ φύσεις θελητικὸν, καὶ ἐνεργη-
τικὸν τῆς ἡμῶν ἔφασαν σωτηρίας. ΠΤΡ. Καὶ δυ-
νατὸν, τοῦτο καὶ ἐκ τῶν τῆς παλαιᾶς, καὶ νέας δεῖξαι
† γραμμάτων; ΜΑΞ. Καὶ μάλιστα· καὶ γὰρ †οἱ πα-
γρὸς 602 270. τέρες οὐκ οἴκοθεν κινούμενοι, ἀλλ' ἐξ αὐτῶν μα-
θόντες, τοῦτο φιλανθρώπως καὶ ἡμᾶς ἐδίδαξαν·
οὐ γὰρ αὐτοὶ ἦσαν οἱ λαλοῦντες ἀλλ' ἡ δι' ὅλης
† εἰς αὐτοὺς 270. θεοχορήσασα † αὐτοῖς χάρις τοῦ πνεύματος.
ΠΤΡ. Ἐπειδὴ μιμήσει θείας ἀγαθότητος ὠφελῆ-
† ἐδίδαξας 602. σαι προῃρεῖτο, ἧς τούτου τῆς ζητήσεως ἑαυτὸν
τοὺς πόνους † ἐκδέδωκας, ἄσκοπον ἐστὶ τοῦτο δι-

num erit mens eius; hoc est non natura Dominus, siue Deus, mens Domini est, quia secundum hypostasim facta esse eius creditur. idq. ex eo perspicitur, quod subiunxit: eam esse vel appetitionē, vel voluntatem, vel energiam ad aliquid; pro regula vsus ad hoc vero philosopho philosophorū Clemente in sexto libro Stromatum, qui θέλησιν, id est, appetitionē, definiuit esse mentem appetentē, at vero βούλησιν, id est, voluntatem, appetitum rationi consentaneum, aut appetitionem de re quapiam. energiam vero ad aliquid dixit hic diuinus doctor (Athanasius) quia ad omnia, quæ ab eo fiebant, vt Deū decebat, anima intelligente, & ratiocinante, secundū hypostasim ipsi vnita vsus est. PYR. Reuera quibus argumentis videntur pietatem oppugnare, ijs ipsis nescientes redarguuntur. oportet autem & aliam auctoritatem, quam ex eodem patre afferunt, examinare, ne vlla eis occasio aduersus veritatem relinquatur. MAX. Quæ ista auctoritas? ignoro enim. PYR. In qua ait admirandus ille vir: Natus est ex muliere, qui ex prima formatione sibi formam hominis erexit & excitauit in ostensione carnis, sed sine voluntatibus carnalibus, & sine humanis cogitationibus, in imagine nouitatis; voluntas enim erat solius diuinitatis. MAX. Se ipsam interpretatur hæc auctoritas; idcirco nullo penitus subsidio ratiocinationis indiget. PYRRH. Quo modo igitur venit istis in dubium? MAX. Ex multa insciti a. Cui enim non est perspicuum, nisi omnino oculis animi captus sit, quod non de ratione naturali, sed de modo, quo secundum carnē extitit, hæc ille pater (Athanasius) recensuit, cum vellet demonstrare, fuisse incarnationem opus diuinæ, & solius voluntatis, complacente Deo Patre, ac per se operante Filio, ac cooperante Spiritu sancto: non autem opus motus carnalis, & cogitationum humanarum, id est, ordinis & consecutionis nuptialis. non enim rationem naturæ nouauit factus homo, qui erat Deus vniuersorum; quoniam nec fuisset homo, qui non habuisset perfectam & immutabilem in omnibus rationem naturæ; sed modum, id est, conceptum e semine, & ortum per corruptionem. Rationes igitur naturales vnitorum non negauerunt diuini Ecclesiæ doctores: quin potius consentientes cum Euangelistis, & Apostolis, atque Prophetis, Dominum nostrum, & Deum Iesum Christum ambabus naturis suis salutem nostram voluisse, & operatum esse dixerunt. PYR. Potes hoc ex litteris veteris & noui Testamenti demonstrare? MAX. Maxime. Patres enim non suapte sponte, & a se ipsis excitati, sed ex ipsis litteris sacris, quod didicerunt, hoc nos amanter docuerunt: non enim erant ipsi qui loquebantur, sed gratia Spiritus, quæ copiose in ipsis versabatur. PYR. Quandoquidem ad imitationem diuinæ bonitatis, cum propositum tibi esset iuuare, in hos labores inquirendi te coniecisti, ne pigeat dicere

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere nos hoc. MAX. In sanctis Euangelijs dictũ est de Domino: quod & postera die voluit Iesus intrare in Galilæam, perspicuum est, quod quatenus non aderat illic, voluit intrare: non autem aderat humanitate; diuinitate enim nusquam abest. igitur quatenus homo, & non quatenus Deus, voluit intrare, poteratq. quatenus homo velle. Et in alio loco rursus: Volo, inquit, vt vbi ego sum, & ipsi sint. Si Christus quatenus Deus, est supra vbi, non enim quatenus Deus, est in loco; supra locum vero non potest esse natura creata: igitur quatenus homo, vult, vt vbi est, sint etiam ipsi. atque ita idem, quatenus homo, potestate voluntatis præditus erat. Et alias: Et cum venisset ad locum, dixit: sitio; & dederunt ei vinum cum felle mixtum, & cũ gustasset noluit bibere. qua parte dicitis sitiuisse eum? si quidẽ diuinitate, erit diuinitas eius passionibus obnoxia, quæ potionem præter naturam expetiuit: si autem humanitate, igitur qua parte sitiuit, illa parte noluit, quod naturæ suæ non conueniebat; & poterat velle quatenus homo. Et alibi inquit: Et ambulabat Iesus in Galilæa, non enim volebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eũ Iudæi, vt occiderẽt. si ambulatio natura erat carnis, & non diuinitatis secundũ hypostasim ei vnitæ: igitur quatenus homo, ambulans in Galilæa nolebat ambulare in Iudæa; & idem poterat velle, quatenus homo. Rursus in alio loco: Et illinc egressi transibãt per Galilæã; & non volebat, vt aliquis sciret. Omnibus certum est, itionem natura esse humanitatis Domini, vt dictum est, non diuinitatis eius. quod si itio, quatenus homo erat, & non quatenus Deus, natura ei inerat: igitur etiã quatenus homo, transiens cũ discipulis suis, non voluit, vt aliquis sciret, & poterat idẽ, etiam quatenus homo, velle. Item alias: Et surgens inde, abijt in fines Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminẽ voluit scire, & nõ potuit latere. Si Christus, quatenus Deus, erat virtus per se subsistẽs, quatenus vero homo, infirmitas: Et si enim, inquit diuinus Apostolus, crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei; igitur quatenus homo, & non quatenus Deus, ingressus in domum, non voluit, vt aliquis sciret, & nõ potuit latere. habuitq. quatenus homo potestatem volendi. Et alibi inquit: Circa quartam vigiliã noctis venit ad eos, ambulãs supra mare, & voluit præterire eos. Si quis hoc de eo, quatenus Deus erat, dictum esse exponat, cogetur is dicere, interceptam esse diuinitatẽ terminis corporeis, supra, inquam, & infra, ante & post, dextro, & sinistro. sin vero dicta hæc esse de eo, quatenus, homo erat, dixerit; igitur poterat idem ipse velle, etiam quatenus homo. Et in alio loco: & accesserunt ad eum discipuli eius dicẽtes; Vbi vis, vt eũtes paremus tibi comedere Pas-

A ξον. ΜΑΞ. Ἐν τοῖς ἁγίοις Εὐαγγελίοις εἴρηται περὶ τοῦ κυρίου· ὅτι καὶ τῇ ἐπαύριον † ἠθέλησεν ὁ Ἰησοῦς † εἰσελθεῖν εἰς τὴν Γαλιλαίαν· φανερὸν † δέ, ὅτι κατὰ ὃ οὐκ ἦν ἐκεῖ, † ἠθέλησεν εἰσελθεῖν· οὐκ ἦν δὲ ἀνθρωπότητι· θεότητι γὰρ πάντων † ἄπεστιν ἄρα οὖν κατὰ ὃ ἄνθρωπος, καὶ ἐκατὸ ὁ θεὸς, ἠθέλησεν † εἰσελθεῖν· καὶ θελητικὸς ἦν κατὰ ὃ ἄν-
B θρωπος. καὶ ἑτέρωθι πάλιν· θέλω, ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσιν· εἰ καὶ θεὸς, ὁ Χριστὸς ἀλλ' † τὸ κατ' ὄψιν· ἐν γὰρ τόπῳ, καθὸ θεός· ἀλλ' οὐ τὸ κατ' ἀθανάτου τῇ κτιστῇ φύσιν ὑπάρχειν· ἄρα, καθὸ ἄνθρωπος, θέλει· ἵνα ὅπου ὄψει, καὶ αὐτοὶ ὦσι· καὶ θελητικὸς ἦν ὁ αὐτὸς, καθὸ ἄνθρωπος. καὶ ἀλλαχοῦ πάλιν· καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν τόπον, εἶπε· δίψῶ· καὶ ἐδώκαν αὐτῷ ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον· καὶ γευσάμενος, οὐκ ἤθελε πιεῖν. καὶ ποῖον αὐτοῦ μέρος διψῆσαν αὐτὸν λέγετε; εἰ μὲν κατὰ τὴν θεότητα, ἐμπαθὴς ἔσται ἡ θεότης αὐτοῦ, πόσεως ἔξω φύσιν ἐφιεμένη· εἰ δὲ κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ἄρα κα-
C θὸ ἐδίψησε, κατ' ἐκεῖνο καὶ τὸ ἀκατάλληλον τῇ φύσει οὐκ ἠθέλησε πιεῖν· καὶ θελητικὸς ἦν ὁ αὐτὸς, καὶ καθὸ ἄνθρωπος. καὶ ἀλλαχοῦ φησι· καὶ περιπατῶν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ· οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν, ὅτι ἐζήτουν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι. εἰ τῆς σαρκὸς φύσει ὁ περίπατος, ἀλλ' οὐ τῆς καθ' ὑπόστασιν ἡνωμένης αὐτῇ θεότητος, ἄρα καθ' ὃ ἄνθρωπος, ὁ αὐτὸς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ περιπατῶν, οὐκ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν· καὶ θελητικὸς ὁ αὐτὸς, καὶ καθὸ ἄνθρωπος. καὶ ἑτέρωθι πάλιν· καὶ ἐκεῖθεν ἀναστάντες, παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας· καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τις γνῷ. † μέλοντα δὲ πάντων ἡ πορεύσις φύσει τῆς ἀν-
D θρωπότητος, ὡς εἴρηται, εἶναι τοῦ κυρίου, ἀλλ' οὐ τῆς αὐτοῦ θεότητος· εἰ δὲ καθὸ ἄνθρωπος, ἀλλ' οὐ καθὸ θεὸς, φύσει περιῆν αὐτῷ ἡ πόρωσις, ἄρα καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος, παρεπορεύοντο μετὰ τῶν μαθητῶν, οὐκ ἤθελεν, ἵνα τις γνῷ· καὶ θελητικὸς ἦν ὁ αὐτὸς, καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος. καὶ ἑτέρωθι πάλιν· κἀκεῖθεν ἀναστὰς, ἀπῆλθεν εἰς τὰ ὅρια Τύρου, καὶ Σιδῶνος· καὶ εἰσελθὼν εἰς οἰκίαν, οὐδένα ἤθελε γνῶναι· καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν. εἰ καθ' ὃ θεὸς, ὁ Χριστὸς δύναμις ἦν αὐθυπόστατος, καθὸ δὲ ἄνθρωπος, ἀσθενής· εἰ γὰρ καὶ ἐσταυρώθη, φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως θεοῦ· ἄρα, κα-
E θὸ ἄνθρωπος, καὶ ὁ καθὸ θεὸς, εἰσελθὼν εἰς οἰκίαν, οὐκ ἤθελεν, ἵνα τις γνῷ· καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν· καὶ θελητικὸς ἦν ὁ αὐτὸς, καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος. καὶ ἀλλαχοῦ φησι· καθεὶς τετράδιον φυλακὴν τῆς νυκτὸς ἔρχεται πρὸς αὐτοὺς, περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης· καὶ ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς. εἰ μὲν κατὰ ὃ θεὸς, τοῦτό τις περὶ αὐτοῦ εἰρήσθω σκιάβοι, πέρασι σωματικοῖς, † τῷ ἄνω, φημὶ, καὶ τῷ κάτω· τῷ ἐμπρόσθεν, καὶ τῷ ὀπίσω· τῷ † δεξιᾷ, καὶ τῷ ἀριστερᾷ· διῃλῆφθαι ὁ τοιοῦτος τῇ θεότητα λέγειν ἀναγκαθήσεται. εἰ δὲ καθὸ ἄνθρωπος, ταῦτα εἰρήσθω περὶ αὐτοῦ λέγῃ, ἄρα θελητικὸς ἦν ὁ αὐτὸς, καὶ καθὸ ἄνθρωπος. καὶ ἀλλαχοῦ φησι· καὶ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ αὐτῷ, λέγοντες αὐτῷ· ποῦ θέλῃς, ἀπελθόντες, ἑτοιμάσωμέν σοι τὸ πάσχα

† ἤθελεν 601. 270.
† ἐξελθεῖν 601. 270.
† ὡς in 270.
† ἤθελεν 601. 270.
† ἄπιστι 601.
† ἐξελθεῖν 601. 270.
† πάντων 601.
† μέλονται 270.
† τὸ ἀόριστον, καὶ τὸ ἀπαθὲς, καὶ τὸ ἄπειρον, καὶ τὸ δεξιὰ, καὶ τὸ ἀριστερὰ 601. 270. † δεξιῶ, καὶ τῷ ἀριστερῷ al.

Universidad de Deusto
Biblioteca

πάσχα φαγεῖν; εἰ ἡ βρῶσις τὸ πάσχα τῶν ὑπὸ νόμον ὄντι, γέγονε δὲ ὁ κύριος, καθὸ ἄνθρωπος, καὶ οὐ καθὸ θεός, ὑπὸ νόμον· ἄρα καθὸ ἄνθρωπος θέλων, ἔφαγε τὸ πάσχα, καὶ θελητικὸς ὢν ὁ αὐτὸς, καὶ καθὸ ἄνθρωπος. καὶ ὁ θεῖος δὲ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς ἑβραίους ἐπιστολῇ φησὶν αὐτὸ· ὑπήκοος γενόμενος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ· θέλων οὖν ἄρα ὑπήκουσεν, ἢ μὴ θέλων; ἀλλ' εἰ μὲν μὴ θέλων, τυραννὶς ἂν εἰκότως, καὶ οὐχ ὑπακοὴ λεχθείη· εἰ δὲ θέλων, ὑπήκοος δέ, οὐ καθὸ θεὸς, ἀλλὰ καθὸ ἄνθρωπος, γέγονε· καθ' ὃ γὰρ θεὸς, οὔτε ὑπήκοος, καὶ τοὺς πατέρας, ἔστε ἀνήκοός ἐστι· τὸ γὰρ δεύτερον, καὶ τῶν ὑπὸ χεῖρα ταῦτα, φησὶν ὁ θεῖος Γρηγόριος· ἄρα, καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος, θελητικὸς ὢν. καὶ ὁ μακάριος δὲ Δαυὶδ ἐν τῷ ϙ΄ψαλμῷ· θυσίαν, καὶ προσφορὰν, φησὶν, οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι· ὁλοκαυτώματα, καὶ περὶ ἁμαρτίας, οὐκ ἐξεζήτησας· τότε εἶπον· ἰδοὺ ἥκω· ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπταί περὶ ἐμοῦ, τοῦ ποιῆσαί τὸ θέλημά σου, ὁ θεός μου, ἠβουλήθην. ὅπου μὲν καθ' ὃ ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς, καὶ οὐ καθ' ὃ θεὸς, θεὸς αὐτοῦ λέγεται ὁ πατὴρ, ὡς περ καὶ πατὴρ, καθὸ θεὸς, καὶ οὐ καθὸ ἄνθρωπος, οὐ δὲ τοὺς δι' ἐναντίας εἶμαι διαμφιβάλλω. εἰ δὲ καθ' ὃ ἄνθρωπος, καὶ οὐ καθὸ θεὸς, θεὸς αὐτοῦ ἐστιν ὁ πατὴρ, ἄρα καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος, καὶ οὐ καθ' ὃ θεὸς, ἠβουλήθη τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, καὶ † αὐτοῦ ποιῆσαι· αὐτοῦ γὰρ ἐστι καὶ τὸ τοῦ πατρὸς θέλημα, καὶ θεοῦ κατ' οὐσίαν αὐτοῦ ὄντος· εἰ δὲ τοῦτο, οὐ μόνον καθ' ὃ θεὸς, καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, ἀλλὰ καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος, καὶ ἡμῖν ὁμοούσιος. χρὴ δὲ ἀδέναι· ὡς τὰ νῦν †ἐκφωνούμενα τοῦ ψαλμοῦ ῥήματα, ὁ θεῖος ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς ἑβραίους ἐπιστολῇ εἰς τὸν κύριον εἰσήνεγκεν· ὁ μέγας δὲ Μωυσῆς ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου γενέσει τὸν θεὸν εἰσάγει, λέγοντα· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ †ὁμοίωσιν· εἰ οὖν εἰκὼν ὁ ἄνθρωπος τῆς θείας φύσεως, αὐτεξούσιος δὲ †φύσις ἡ θεία, ἄρα καὶ ἡ εἰκών· εἴ περ πρὸς τὸ ἀρχέτυπον σώζει ὁμοίωσιν, αὐτεξούσιος φύσει τυγχάνει· εἰ δὲ τοῦτο, γέγονε δὲ τὸ φύσει ἀρχέτυπον καὶ εἰκὼν φύσει, ἄρα κατ' ἄμφω τὰς αὐτοῦ φύσεις θελητικὸς φύσει ὑπῆρχεν ὁ αὐτός. πρόδηλον δὲ ἐκ τῶν πατέρων, τὸ θέλημα εἶναι τῶν καὶ φύσιν αὐτεξουσιότητα. δεῖ δὲ εἰδέναι, ὡς ἡ αὐτεξουσιότης ὁμωνύμως λέγεται μοι, ὡς περ καὶ ἡ φύσις, ἄλλως δὲ ὅπι θεοῦ λαμβάνεται, καὶ ἄλλως ὅπι ἀγγέλων, καὶ ἄλλως ὅπι ἀνθρώπων· ὅπι μὲν θεοῦ ὑπερουσίως· ὅπι δὲ ἀγγέλων, ὡς συνεχόντως τῇ ἕξει τῆς προσδρήσεως, †καὶ παρεμπίπτοντος ἄλλως χρόνου μὴ προσδεχομένης· ὅπι δὲ ἀνθρώπων, ὡς χρονικῶς τῆς ἕξεως προεπινοουμένης τῆς †ὑποδρήσεως. εἰ γὰρ θέλων ὁ Ἀδὰμ ὑπήκουσε, καὶ θέλων ἐθεώρησε, καὶ θελήσας ἔφαγε, ἄρα προεπαθὴς ἐν ἡμῖν ἡ θέλησις· εἰ δὲ προεπαθὴς ἐν ἡμῖν ἡ θέλησις, ταύτῳ

† ἑαυτοῦ 270.

† ἐκφωνεῖν τὰ τοῦ ψαλμοῦ ῥήματα, 602.336.

† καθ' ὁμοίωσιν al.

† ἡ θεία φύσις al.

† ὡς δὲ καὶ 270.

† προσμίξεως al. præter 602. 270.

re Pascha? Si esus paschæ est eorum, qui sunt sub lege, fuit autem Dominus, quatenus homo, non quatenus Deus, sub lege: igitur quatenus homo volens comedit pascha; poteratq. velle idem etiam quatenus homo. Et diuinus Apostolus, in epist. ad Hebr. de eo ait: Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Volens igitur obediuit, an non volens? siquidem non volens, tyrannis merito, & non obedientia dicetur: sin vero volens, obediens autem, non quatenus Deus, sed quatenus homo, fuit, quatenus enim Deus, nec obediens, vt patres sentiunt, nec inobediens: hæc enim ad secundos pertinent, & eorum sunt, qui sunt sub manu & potestate alterius, vt ait diuinus Gregorius: igitur quatenus homo etiam poterat velle. Et beatus Dauid Psal. 39. Sacrificium inquit, & oblationem noluisti; corpus autem perfeciſti mihi: holocausta, & pro peccato non postulasti. tunc dixi: ecce venio. in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui. Quod autem Pater dicitur Deus Christi, quatenus Christus homo est, & non quatenus Deus; sicut & Pater dicitur eius, quatenus Deus, & non quatenus homo, nec aduersarios arbitror dubitare. Si igitur quatenus homo est & non quatenus Deus, Deus eius est Pater; igitur etiã quatenus homo, & non quatenus Deus, voluit voluntatem Patris & suam facere. Voluntas enim Patris etiam ipsius est, cum & ipse substantialiter sit Deus. quod si hoc ita est, non solum quatenus Deus & eiusdem cum Patre substantiæ, poterat velle, sed etiam quatenus homo, & eiusdem nobiscum substantiæ. Scire autem oportet, quod hæc verba Psalmi, quæ nunc proposita sunt, diuinus Apostolus in epistola ad Hebræos, de Domino accepit & interpretatus est. Magnus vero Moyses Deum introducit dicentem in creatione hominis: Faciamus hominem ad imaginem nostram & ad similitudinem. Si igitur homo est imago diuinæ naturæ; natura autem diuina liberæ potestatis est: igitur & imago, siquidem similitudinem archetypi seruat, natura est liberæ potestatis. quod si ita est; factum est autem, quod erat natura archetypum, etiã natura imago: igitur idẽ secundum ambas suas naturas poterat natura velle. Demonstratũ enim prius est auctoritate Patrum, voluntatem esse, potestatem natura liberam. Est autem sciendum dici liberam potestatem æquiuoce, sicut & naturam: aliter enim accipitur in Deo, & aliter in Angelis, & aliter in hominibus. In Deo quidem supersubstantialiter, in angelis vero tamquam concurrente aggressione cum habitu, & omnino interpositionem temporis non admittente; in hominibus autem, tamquam habitu prius tempore ipsa aggressione cogitato. Si enim Adam volens obediuit, & volens spectauit, & cum voluisset comedit, igitur voluntas est in nobis, quæ primum afficitur. Quod si voluntas in

nobis primum patitur, hanc autem Verbum, cum caro factum est, vt isti sentiunt, non assumpsit, non ergo positus sum ego extra peccatum: quod si extra peccatum non sum positus, non sum consecutus salutem: siquidem quod non est assumptum, non est curatum. Deinde si opus & fabricatio eius est libera potestas naturæ, hanc autem potestatem Verbum caro factum, opinione istorum, cum natura secundum vnionem inexplicabilem non assumpsit; aut quia improbauit fabricam suam, tamquam non bonam, eam a se reiecit, & amandauit: aut quia nobis inuidit curationem eius, nos quidem perfecta salute priuans, se vero sub passione esse demonstrans, aut non volendo, aut non valendo perfecte saluare. Hæc hactenus de eo, quod Verbum Dei incarnatum, natura, etiam quatenus homo, velle poterat. quod autem idem etiam, quatenus Deus, natura habeat voluntatem, hinc sciemus; ait enim ipse Dominus noster & Deus, sola veritas, de se ipso in Euangelijs sic: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluistis. nunc autem relinquetur vobis domus vestra deserta. Perspicuum enim est, quod non quatenus homo, hoc dixit, siquidem recenter fuerat factus homo, sed quatenus Deus, qui varios modos sapientis prouidentiæ suæ circa hominem demonstrauit, quibus voluit naturam ab errore externorum abducere, & sibi aggregare: ipsa autem noluit. Rursus ait: sicut pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. sicut, aduerbium est comparationis, comparationes autem sunt in his, quæ sunt eiusdem substantiæ. non potest igitur dici hoc in Christo secundum humanitatem. Igitur docuit nos Saluator, quod sicut Pater, Deus existens, voluntate mortuis tribuit vitam, sic etiam ipse, quippe cum eiusdem substantiæ sit & eiusdem voluntatis, quibus vult vitam præbet. Hæc sunt Euangelistarum, & Apostolorum, atque Prophetarum dogmata. Quæ igitur maior demonstratio esse potest, quam sint hæc, posse eumdem naturaliter velle, quatenus Deus est & quatenus homo? PYR. Nihil his apertius ad demonstrandum naturales esse voluntates. Quo modo igitur Vigilius tunc Pontifex Romanus libellum a Mena Episcopo huius vrbis regiæ oblatum, qui vnam voluntatem continebat, accepit; idq. cum esset ei ostensus in secreto regio Imperatoris, qui tunc erat, & in Senatu? MAXIMVS: Admiror, quomodo Patriarchæ cum sitis, audetis mentiri. Qui tibi antecessit in suis ad Honorium literis scripsit, commonefactum quidem fuisse de eo libello, non autem oblatum, nec ostensum. ipse vero in tua ad Ioannem Papam epistola dixisti, oblatum esse, & osten-

A τλω δὲ μὴ τῆς φύσεως, κατ' αὐτὰς, ἡ προσέληφεν ὁ λόγος ἐνανθρωπήσας· ἐκ ἄρα ἐγὼ χωρὶς ἁμαρτίας γέγονα· εἰ δὲ ἐγὼ χωρὶς ἁμαρτίας οὐ γέγονα, οὐκ ἄρα ἐσώθλω· ἅ περ τὸ ἀπερίληπτον ἀθεράπευτον. ἔπ' ἄλλα δὲ, εἰ ἔργον † αὐτοῦ, καὶ ποίημα, ἢ † αὐτεξούσιος τῆς φύσεως ὑπάρχει δυνάμεως, ταύτλω δὲ ὁ λόγος σαρκωθεὶς κατ' αὐτὰς μὴ τῆς φύσεως καθ' ἕνωσιν ἄῤῥητον ἐ προσέληφεν, ἢ καταγνὰς τῆς οἰκείας δημιουργίας, ὡς οὐ καλῆς, ταύτλω ἑαυτῷ ἀπεπέμψατο, ἢ φθονήσας ἡμῖν τῆς κατ' αὐτλὼ θεραπείας, ἡμᾶς μὲν τῆς † ἐντελοῦς ὑποστερῶν † σωτηρίας. καὶ ἑαυτὸν ὑπὸ πάθος ὄντα δῆλον, τὸ μὲν θέλειν, ἢ τὸ μὲν δύνασθαι τελείως σώζειν. ταῦτα μὲν οὖν τὰ θελητικὸν εἶναι φύσῃ τὸν σαρκωθέντα θεὸν λόγον, καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος· ὅθεν δὲ τὸ θελητικὸν εἶναι φύσῃ τὸν αὐτὸν, καὶ καθ' ὃ θεὸς, ἔνθεν εἰσόμεθα. φησὶ γὰρ αὐτὸς ὁ κύριος ἡμῶν, καὶ θεὸς, ἢ μόνη ἀλήθεια, περὶ ἑαυτοῦ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις οὕτως· Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλὴμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτλὼ, ποσάκις ἠθέλησα, ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σοῦ, ὡς περ ὄρνις ἐπισυνάγλ τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας· καὶ οὐκ ἠθελήσατε· νεῦ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. δῆλον γὰρ, ὅτι ἡ καθ' ὃ ἄνθρωπος, τοῦτο εἴρηκεν· ἅπερ προσφάτως ἐγεγόνῃ ἄνθρωπος· ἀλλὰ καθ' ὃ θεὸς, δείξας τοῖς ποικίλοις τῆς σοφῆς αὐτοῦ περὶ τὸν ἄνθρωπον προνοίας τρόπους· δι' ὧν θελήσας ὑπὸ τῆς τῶν ἐκτὸς πλάνης τλὼ φύσιν πρὸς ἑαυτὸν ἐπισυνάξαι, † αὐτὴ οὐκ ἠθέλησε. καὶ πάλιν φησίν· ὡς περ ὁ πατὴρ ἐγείρῃ τοὺς νεκροὺς, καὶ ζωοποιεῖ, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς, οὓς θέλλ, ζωοποιεῖ. εἰ τὸ ὡς ἐπίῤῥημα συγκριτικόν ἐστιν, αἱ δὲ συγκρίσεις † τῶν ὁμοουσίων, οὐκ ἄρα τοῦτο δυνατὸν κῆ τὸ ἀνθρώπινον ὅτι Χριστοῦ λέγομεν. ἀκουε ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ σωτὴρ, ὅτι ὡς περ ὁ πατὴρ, θεὸς ὤν, θελήματι τοὺς νεκροὺς ζωοποιεῖ, οὕτω κὴ αὐτὸς, ὁμοούσιος ὢν τῷ πατρὶ, καὶ ὁμοθελὴς, οὓς θέλλ, ζωοποιεῖ. ταῦτα τῶν εὐαγγελιστῶν, κὴ ἀποστόλων, κὴ προφητῶν τὰ δόγματα. τίς οὖν ὑπὲρ ταῦτα μείζων ἀπόδειξις θεὶ τὸ φύσῃ εἶναι θελητικὸν τὸν αὐτὸν κὴ καθ' ὃ θεός ἐστι, καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος; ΠΥΡ. Οὐδὲν τούτων πρὸς ἀπόδειξιν τὸ φυσικὰ εἶναι τὰ θελήματα σαφέστερον. πῶς οὖν ὁ βιβλίδιον λίβελλον ὑπὸ Μηνᾶ, τὸ χθὲς ἐπισκόπου † τῆς βασιλίδος, ἐν θέλημα ἔχοντα, ἐδέξατο Βιγίλιος, ὁ δὲ Ρωμαίων τλωικαῦτα πρόεδρος· κὴ ταῦτα, ἐμφανισθέντος † αὐτῷ ἐν τῷ βασιλικῷ σεκρέτῳ τῷ τλωικαῦτα τῶν Ρωμαίων βασιλεύοντος, κὴ † τῆς συγκλήτου. ΜΑΞ. Θαυμάζω, πῶς πατριάρχαι ὄντες καταλαμβάνεσθε † ψεύδεσι. ὁ προσηνεγκάμην σε πρὸς † Ονώριον γράφων, ἔφην· ὅτι ὑπηχθρεύθη μὲν, οὐκ ἐπεδόθη δὲ, ἔτι ἐνεφανίσθη. αὐτὸς δὲ ἐν τοῖς πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις Ἰωάννην τὸν Πάπαν ἔφης· ὅτι ἐπι-

† αὐτὸ 270.

† αὐτεξούσιος 602. 270.

† ταυτολοῦ 602. 270.

† ἐπιτελοῦς 602. 270.

† σωτηρίας 602. 270.

† τοῦτο 602. 339.

† τῶν, αὐτῷ † τῇ συγκλήτῳ al.

† τὸν ἐν ἁγίοις Ὀνώριον 602. 270.

† ἐπεδόθη, καὶ ἀνεφανίσθη, ἀναγνωσθεὶς ὑπὸ Κωνσταντίνου κοιαίστορος. τίνι οὖν † πιστεύομεν; σοὶ, ἢ τῷ πρὸ σοῦ; οὐ γὰρ ἀμφοτέρους ἀληθεύειν. ΠΥΡ. Καὶ οὕτω γέγραπται τῷ πρὸ ἐμοῦ; ΜΑΞ. Οὕτω γέγραπται. ΠΥΡ. Ἔστω δὴ Βιγιλίῳ ταῦτα. τί ἔχεις δὴ Ονωρίῳ εἰπεῖν, φανερῶς πρὸς τὸν πρὸ ἐμοῦ ἐν δόγματι σαφὲς θέλημα † τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ; ΜΑΞ. Τίς ἀξιόπιστος ἐξηγητὴς τῶν τοιούτων καθίσταται ἐπιστολῶν, ὁ ταύτῳ σὺν προσώπῳ † Ονωρίῳ συντάξας, ἔτι † περιών, καὶ μὴ τῶν ἄλλων ἅμα καλῶν, καὶ τοῖς τῆς εὐσεβείας δόγμασι πᾶσαν τὴν δύσιν † καταφωτίσας, ἢ οἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει τὰ ἀπὸ καρδίας λαλοῦντες; ΠΥΡ. Ὁ ταύτῳ συντάξας. ΜΑΞ. Ὁ αὐτὸς οὖν πρὸς τὸν ἅγιον Κωνσταντῖνον, τὸν γενόμενον βασιλέα, ἐν προσώπῳ πάλιν Ιωάννου τοῦ ἐν ἁγίοις πάπα πρὸς αὐτῶν γράφων, ἔφη· ὅτι ἓν θέλημα ἔφημεν ὅτι τοῦ κυρίου, οὐ τῆς θεότητος ἅμα καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, ἀλλὰ μόνης τῆς ἀνθρωπότητος. Σεργίου γὰρ γράψαντος· ὡς τινες δύο θελήματα λέγουσιν ὅτι Χριστοῦ ἐναντία, ἀντεγράψαμεν, ὅτι ὁ Χριστὸς δύο θελήματα ἐναντία οὐκ εἶχε, σαρκὸς φημὶ, καὶ πνεύματος, ὡς ἡμεῖς ἔχομεν μετὰ τὴν παράβασιν, ἀλλ' ἓν μόνον, τὸ φυσικῶς χαρακτηρίζον τὴν ἅμα ἀνθρωπότητα. καὶ τούτου ἀπόδειξις ἐναργὴς τὸ καὶ μελῶν, καὶ σαρκὸς μνησθῆναι· ἅπερ καὶ ἐπὶ τῆς θεότητος ἅμα ἐκεῖνα ληφθῆναι ἀσυγχώρητα. εἶτα καὶ προκατάληψιν ἀνυποφόρως ποιούμενος, φησί· εἰ δέ τις λέγοι· καὶ τίνος χάριν περὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ διαλαβόντες, περὶ τῆς θεότητος ἅμα μνήμην οὐκ ἐποιήσασθε; φαμὲν, ὅτι πρῶτον μὲν πρὸς τὴν ἐρώτησιν ἡ ἀπόκρισις γέγονεν· ἔπειτα δὲ καὶ τῇ τῆς γραφῆς ἔθει, ὡς ἐπὶ πᾶσι, καὶ ἐν τούτῳ ἐπόμενοι, ποτὲ μὲν ἀπὸ τῆς θεότητος ἅμα διαλεγομένης, ὡς ὅταν λέγῃ ὁ ἀπόστολος· Χριστὸς θεοῦ δύναμις, καὶ θεοῦ σοφία· ποτὲ δὲ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπότητος ἅμα, καὶ μόνον· ὡς ὅταν ὁ αὐτὸς λέγῃ· τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ· καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ θεοῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστίν. ΠΥΡ. Ἁπλούστερον ὁ πρὸ ἐμοῦ, τῇ λέξει προσεσχηκὼς, τοῦτο ἐδέξατο. ΜΑΞ. Ἀληθῆ λέγω· οὐδὲν οὕτω † ἀπεδιέθηκέ με πρὸς τὸν πρὸ σοῦ, ὡς τὸ παλίμβολον αὐτοῦ· ἤγουν, τὸ ἄλλοτε εἰς ἄλλας αὐτὸν μεταπίπτειν ἐννοίας, καὶ ἐν μηδενὶ βεβαιοῦσθαι φρονήματι. ποτὲ μὲν γὰρ τοῖς τοῦτο τὸ ἓν θέλημα θεῖον προσαγορεύουσι † δεχόμενος, τὸ θεῖον μόνον εἶναι τὸν σαρκωθέντα † εἰσῆγε· ποτὲ δὲ τοῖς βουλητικὸν αὐτὸ λέγουσι, ἄνθρωπον αὐτὸν εἶναι φιλεῖν εἰσῆγε, βουλητικὸς καθ' ἡμᾶς † διαπλεκόμενον, καὶ μηδὲν διαφέροντα Πύρρου καὶ Μαξίμου· ποτὲ δὲ ὑποστατικὸν αὐτὸ λέγων, τῇ διαφορᾷ τῶν ὑποστάσεων συνῆγε καὶ τὸ διάφορον τῶν θελημάτων ὅτι τῶν ὁμοουσίων· ποτὲ δὲ καὶ τοὺς ἐξουσιαστικὸν αὐτὸ λέγοντας ἀπὸ δεχόμενος, χρηστικὸν εἰσῆγε τῇ ἕνωσιν· ἐξουσία γὰρ, καὶ ἀνθεντία

† ἐπεδόθη 270.
† πιστεύομεν 270.
† τοῦ 270.
† τοῦ ἐν ἁγίοις 602 270.
† καὶ περιὼν 602.
† καταφωτίσας 602. 270.
† ἀπεδιέθηκέ με 336. 602. 339.
† δεχόμενος 602.
† λέγων εἰσῆγε. 270.
† διακοίμενον 602. 270.

& ostensum, lectum etiam per Constantinum quæstorem. Vtri igitur credemus? tibi, an ei, cui successisti? vterque enim non potest verum dixisse. PYR. Et sic scripsit, qui mihi antecessit? MAX. Sic Scriptum est. PYR. Sit ita de Vigilio. Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi esse tradidit? MAX. Quis fuerit fide & auctoritate dignus epistolæ huius interpres, qui eam ex persona Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustrauit; an ij, qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur? PYRRH. Qui hanc composuit. MAXIMVS: Is igitur ipse cum ad diuum Constantinum Imperatorem ex persona rursus sancti Papæ Ioannis de hac epistola » scriberet, dixit: Vnam voluntatem diximus » in Domino, non diuinitatis eius & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim » Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed vnam » tantum, quæ naturaliter humanitatem eius » signabat. Hoc autem ita esse, argumentum euidens est, meminisse membrorum & carnis, quæ quidem de diuinitate illa accipi non permittunt. Deinde occurrit per anticipationem obiectioni: Si quis vero, inquit, di- » cat: quare de humanitate Christi agentes, » de diuinitate eius non meministis? respon- » demus; primum quidem, responsum fuisse » ad quæstionem; deinde, vt in omnibus, sic » etiam hic consuetudinem scripturæ nos se- » cutos fuisse, quæ aliquando ex diuinitate » eius differit, vt cum ait Apostolus: Christus » Dei virtus & Dei sapientia. aliquando ex » humanitate, & solum, vt cum idem ait: » quod stultum est Dei, sapientius est homi- » nibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. PYRRH. Simplicius antecessor meus accepit hoc, in vocem intentus. MAX. Rem ipsam loquor. nihil me tam a tuo antecessore abalienauit, quam mutabilitas eius & inconstantia, id est, in alias alio tempore transire sententias, & in nullo sensu permanere. aliquando enim eos, qui hanc vnam voluntatem diuinam appellabant, approbans, incarnatum introducebat tantum Deum esse: aliquando vero eis assentiens, qui dicebant esse consultatricem voluntatem, hominem solum introducebat, more nostro consultantem, nihil a Pyrrho & Maximo differentem: quandoque vero vocans hanc voluntatem hypostaticam, cum differentia personarum simul inducebat differentiam voluntatum in personis (diuinis) eiusdem substantiæ: alias eos amplectens, qui eam voluntatem suæ potestatis dicebant, vnionem introducebat secundum habitudinem. potestas enim & auctori-

τά

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctoritas & alia huiusmodi, manifeste γνώμης, id est, sententiæ, non naturæ, motus sunt. aliquando, cum eos, qui voluntatem vocabant electricem & sententialem, sibi adiungebat, & dominos suos faciebat, non solum Christum faciebat hominem merum, sed mutabilem & peccatorem. siquidem sententia oppositorum est dijudicatrix, & eorum quæ ignorantur indagatrix; & in ijs quæ non sunt manifesta, consultatrix. interdum eos sequens, qui œconomicam voluntatem in Christo dicebant, faciebat cum anteœconomiam (id est, dispensationem) non habuisse voluntatem; & si quid aliud absurdum ex hoc sequitur: & in alias infinitas absonas opiniones detrusus est, qui non est nixus in veritate, tamquam in fundamento; quas si mandare litteris vellem subtiliter, & diligenter, neque futurum tempus satis esset. Quid autem necesse fuerit proponere chartas, & Ecclesiam Dei sanctam scindere? neque, quod omnibus est communissimum, assequi potuit. aut enim, vt vobis cedamus, habent istæ (chartæ) dogmata Synodorum, vt vos falso dixistis, & sic non opus est nobis vestris chartis, qui Synodos & ante & nunc accipimus, & amplectimur; aut non habent dogmata Synodorum, & sic multo magis eas auersari & fugere iustum est. Propositio igitur earumdem chartarum cum ex vtraque parte iniusta sit, & scelerata, ipsarum chartarum conscissio propter vtrumque iusta, & canonica fuit. PYRRH. Sophronius, qui paulo ante fuit Patriarcha Hierosolymitanus, fecit, vt hoc vel præter propositum faceremus, cum tempore inopportuno sermonem de operationibus excitauit. MAX. Ego ex omni parte nescio, quam excusationem prolaturos vos expectatis, qui eum qui extra culpam est, tam grauiter criminamini. Die enim mihi per veritatem ipsam oro, cum Sergius ad Theodorum Pharanitanum scripsit, misso etiam libello, quem esse dicit Menæ, per Sergium Macaronam Episcopum Arsinoes, hortans eum, vt quid sentiret de vna in eo libello operatione, & vna voluntate, aperiret, & rescripsit approbans eas, vbi tunc erat Sophronius? aut cum Theodosiopoli ad Paulum monoculum, & Seueri sectatorem scripsit, misso etiam ad eum libello Menæ, & Theodori Pharanitani, cum sua approbatione? aut (vbi erat) quando ad Georgium cognomento Arsam Paulianistam scripsit, rogans, vt mitteret sibi auctoritates de vna ipsorum operatione, inseruitq. epistolæ, facere etiam se his (auctoritatibus) vnionem Ecclesiæ cum eis? hanc autem epistolam beatus Ioannes papa Alexandrinus manu ab Arsa abstulit. vnde cum vellet etiam eum ob ipsam deponere, impeditus fuit ab incursu tunc a Persis in Aegyptum facto. aut quando ad Cyrum Episcopum Phasidis rescripsit de vna operatione & duabus, ab eo roga-

A τία, καὶ τὰ πιθανὰ, γνώμης σφετέρας, ἀλλ' ἐκ φύσεως ὑπάρχα κινήματα· ποτὲ δὲ τοὺς θεσμικὸν, καὶ γνωμικὸν αὐτὸ λέγοντας, προσλαμβανόμενος, καὶ κυρίους ἑαυτοῦ καθιστῶν, οὐ μόνον ἀλλοῖον ἀνθρωπον εἰσῆγε τὸν κύριον, ἀλλὰ καὶ ἔτι πλέον, καὶ ἁμαρτωλόν· εἴ περ ἡ γνώμη τῶν ἀντικειμένων ὀρθὴ κριτικὴ, καὶ τῶν ἀγνοουμένων ζητητικὴ, καὶ τῶν ἀδήλων βουλευτική· ποτὲ δὲ τοὺς οἰκονομικὸν αὐτὸ λέγοντας, τὸ μὴ τῆς οἰκονομίας ἀθέλητον αὐτὸν εἶναι, καὶ εἴ τι ἕτερον ἕπεται τῷ λόγῳ ἄτοπον, εἰσῆγε· καὶ εἰς ἄλλας μυρίας ἀτοπίας B ἐξενέχθη ὑπολήψεις, † τῷ ἀληθῆ αὐτὸν βάσιν οὐκ ἐσχηκέναι· ἃς δι' ἀκριβείας εἰ βουληθείη τις ἐφοδεῦσαι μὴ τῶν αὐτῶν ἀτόπων, ἐ δι' ὀλίγων μάλλον ἀρκέσει χρόνος. τίς δὲ ἡ ἀνάγκη, χάρτας προθεῖναι, καὶ σχίσαι τὴν ἁγίαν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν; ἃ δὲ τὸ πᾶσι κοινότατον συμβαῖνον ἠδυνήθη· † ἢ γὰρ, ἵνα σοὶ χαρισώμεθα ὑμῖν, † τὰς τῶν συνόδων ἔχουσι δόγματα, ὡς ὑμεῖς οὐκ ἀληθεύοντες ἔφητε, καὶ οὐ δεόμεθα τῶν ὑμετέρων χαρτῶν, ταύτας καὶ πρὸ ἡμῶν δεχόμενοι, καὶ ἀσπαζόμενοι, καὶ ἀσπαζόμενοι· ἢ οὐ τὰ τῶν συνόδων ἔχουσι, καὶ πολλῷ C πλέον τούτους ἀποφεύγειν, καὶ φεύγειν, δίκαιον. τῆς οὖν τῶν αὐτῶν χαρτῶν προθέσεως, † καθ' ἑκάτερον ἄδικος, καὶ ἀνόμου, οὔσης, καὶ ἡ αὐτῶν κατάλυσις † δι' ἑκάτερον δικαία, καὶ κανονικὴ καθέστηκεν. ΠΥΡ. Σωφρόνιος, ὁ μικρὸν ἔμπροσθεν πατριάρχης γενόμενος Ἱεροσολύμων, τοῦτο ἡμᾶς καὶ ἄλλο προθέσεσιν ἀσχολῆσαι πεποίηκε, τὸν ἀκαίρως ἐνεργειῶν λόγον οὐκ ἐν δέοντι καιρῷ κινήσας. ΜΑΞ. Ἐγὼ πάντοθεν ἀπορῶ, ποίαν ἐκδέχεσθε δεῖσθαι ἀπολογίαν, τὸν ἀναίτιον ὄντα πικρῶς αἰτιᾶσθαι. ἀπὸ γάρ μοι, πρὸς τῆς ἀληD θείας αὐτῆς· ὅτε Σέργιος ἔγραφε πρὸς τὸν τῆς Φαρὰν Θεόδωρον, πέμψας καὶ † τὸν φησὶ λίβελλον Μίνᾶ ἄλλα τῆς μεσιτείας Σεργίου τοῦ † Μακεδονᾶ, τοῦ Ἀρσινόης ἐπισκόπου, προτρέπομος αὐτὸν περὶ τῆς ἐν τῷ † λιβέλλῳ μιᾶς ἐνεργείας, καὶ ἑνὸς θελήματος τὰ δοκοῦντα εἰπεῖν, καὶ ἀντέγραψεν, † ἀποδεξάμενος αὐτά, πῶς λῶ τότε Σωφρόνιος; ἢ ἡνίκα ἐν Θεοδοσιουπόλει πρὸς Παῦλον, τὸν μονόφθαλμον, καὶ ἀπὸ Σεβηρειτῶν, ἔγραψε, πέμψας καὶ αὐτῷ τὸν λίβελλον Μινᾶ, καὶ τοῦ Φαρανίτου, καὶ ἑαυτοῦ συγκατάE θεσιν; ἢ ὅτε πρὸς Γεώργιον, τὸν ἐπίκλην † Ἀρσᾶν, Παυλιανιστὴν ὄντα, ἔγραψε, χρήσας αὐτῷ πεμφθῆναι περὶ μιᾶς ἐνεργείας αἰτῶν, ἐνθέμενος καὶ τόμον τῇ ἐπιστολῇ· ὅπ ἐν ταύταις καὶ τοῖς πρὸς αὐτοὺς τῆς ἐκκλησίας ποιεῖ ἕνωσιν; ταύτῃ δὲ τῇ ἐπιστολῇ ὁ μακάριος Ἰωάννης ὁ πάπας Ἀλεξανδρείας ἀφεῖλεν χεῖρα ἀπὸ τοῦ † Ἀρσᾶ· ὅθεν καὶ βουληθεὶς δι' αὐτῆς ποιῆσαι τῷ καθαίρεσιν αὐτοῦ, ἐκωλύθη ἐκ τῆς ἐν Αἰγύπτῳ τηνικαῦτα γενομένης τῶν Περσῶν ἐπιδρομῆς. ἢ ὅτε πρὸς Κύρον τὸν Φάσιδος ἀντέγραψε περὶ μιᾶς ἐνεργείας, καὶ δύο, ἐροντῶντος παρ' αὐτοῦ, πέμ-

† ἢ τὸν 270.
† ἢ γὰρ 270.
† ἃς τὰ 270.
† καθ' ἑκάτερον 270.
† δι' ἑκατέρου 270.
† ἂν 270.
† ὡς φησι 602.
† Μακεδονᾶ 602.
† Μακεδονᾶ al.
† αὐτῷ lib. 270. 602.
† ἀποδεξάμενος 270.
† Παρσᾶ 335. 602.
† Βαρσᾶ 335. 602.

Universidad de Deusto
Biblioteca

πέμψας κ) αὐτῷ τὸν ῥηθέντα λίβελλον Μίωα; τί οὖν; ἐπειδὴ, Σεργίῳ πολυτρόπως τὴν οἰκείαν νόσον εἰς τὸ κοινὸν προθέντος, κ) τὸ πλεῖστον τῆς ἁγίας ἐκκλησίας λυμηναμένῳ, ὁ μακάριος Σωφρόνιος ὑπέμνησεν αὐτὸν μὲ τῆς πρεπούσης τῷ χήματι αὐτοῦ ταπεινοφροσύνης, τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ † προσκαλινδούμενος, κ) ἀντὶ πάσης ἱκετηρίας αὐτὰ προσφέρων αὐτῷ τὰ ζωοποιὰ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ παθήματα· ὥς τε μὴ φωνὴν αἱρετικῶν, πάλαι καλῶς ὑπὸ τῶν προπατόρων τὸν βίον ἁγίων πατέρων σβεσθεῖσαν, ἀνανεώσασθαι, αὐτὸς αἴτιος τοῦ τοιούτου γέγονε σκανδάλου; ΠΥΡ. Πάντων τῶν προτεθέντων τοῦ ἀναζοπλοῦ δέοντος ὁ λόγος ἐποιήσατο· κ) † οὐδὲν ὅλως ἐλλείπει ἡ περὶ θελημάτων ζήτησις. ΜΑΞ. Ἐπειδὴ ἡ περὶ θελημάτων ζήτησις πέρας εἴληφε, βούλει κ) τοῦ περὶ ἐνεργειῶν ποιησώμεθα; ΠΥΡ. Τὸν περὶ † φυσικὰ εἰ τὰ θελήματα λόγον ἀγνοήσας, κ) † τοῦτον κ) τὸν περὶ ἐνεργειῶν παρεισδέξαμαι. κ) εἴτε ἐγγράφως, ἢ ἀγράφως ἐρρέθη μοι, πρὸς † τὸν τοῦ σκοποῦ. νυνὶ δὲ τὸ πφυκέναι θέλειν κ) τὸ πφυκέναι ἐνεργεῖν σωεκδοχικῶς ὁμολογουμένων, πάντα, τὰ περὶ τούτου προτεθέντα, † συναθροίσαντα, ἠκούρωσα· κ) περὶ τοῦ ἡγοῦμαι, λοιπόν τινα ὅλως περὶ τούτου κινῆσαι λόγον. ΜΑΞ. Τί οὖν; ἐπειδὴ ὁ θεὸς, διὰ τὸ προγνωσθῆναι αὐτῷ πρόθεσιν ὑμῶν, ἐκάλεσε πρὸς τὴν ἀληθείας αὐτοῦ ἐπίγνωσιν, ἃ δεῖ τὰ περὶ τούτου ἐγγράφως, ἢ ἀγράφως πρός τινας εἰρημένα, βασανίσαι, διὰ τοὺς, ὡς εἰκὸς, ἀφυλάκτως αὐτοῖς περιτυχόντας, ἢ κ) περιτυγχάνοντας δυσχερεστέρως; ΠΥΡ. Εἴ τι πρὸς τοῦτο ὁρᾷ ἡ βάσανος, ἀναγκαῖόν ἐστι· τὸ γὰρ φεύγειν τὴν τῶν ἀκεραιοτέρων ἀσφάλειαν, μίμησίς ἐστι θείας φιλανθρωπίας. ΜΑΞ. Εἰ οὖν θείας φιλανθρωπίας ἐστὶ τὸ μίμησις, ἀρξώμεθα † ἐνταῦθα τοῦ περὶ τούτου ζητήσεως. ΠΥΡ. Ἀρξώμεθα. ΜΑΞ. Ἐν τοῖς σοῖς εὕρον συγγράμμασι, μίαν σε Χριστοῦ, ὡς ὅλου, ἐνέργειαν δογματίσαντα. εἰ οὖν μία, ὡς ὅλου, ἐστὶν ἐνέργεια, τὸ δὲ ὅλον ἡ αὐτοῦ ἐστιν ὑπόστασις, ἆρα ἡ μία αὐτοῦ ἐνέργεια ὑποστατικὴ ἔσται, κ) ἑτέρας ἐνεργείας, ὡς περ κ) ὑποστάσεως, οὐκ ἀποδεκτέον πατρός τε, κ) μητρός· ἑκάτερος γὰρ οὐδ' ἕτερος αὐτῶν ὑπάρχει Χριστός. ΠΥΡ. Εἰ διά τὴν διαφορὰν τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων δύο λέγετε ἐνεργείας κ) οὐ διὰ τὸ μοναδικὸν τοῦ προσώπου μίαν, δύο θεωρήσονται κ) τοῦ ἀνθρώπου ἐνέργειαι, διὰ τὸ κατ' οὐσίαν διάφορον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ κ) τοῦ σώματος· εἰ δὲ τοῦτο, τρεῖς ἔσονται τοῦ Χριστοῦ ἐνέργειαι, κ) οὐ δύο. ΜΑΞ. Ἅπερ ὑμεῖς ἐπ' ἀναιρέσει τῶν φυσικῶν προσήνεγκε, ταῦτα κ) κ) τῶν φύσεων οἱ πρὸς ἡμᾶς μαχόμενοι † προτείνουσι· τοῦτο γὰρ ὑμῶν κ) μόνον, τὸ χαίρειν, τὸ ἐκείνοις ἐν πᾶσι συμπεριφέρεσθαι. ὅθεν κ) ἡμεῖς τοὺς διδασκάλους πατέρων ἐκείνοις ἐπενεχθέντας ἐλέγχους, καὶ ὑμῖν, ὡς τὰ αὐτὰ αὐτοῖς νοσοῦσι, προσφέρομεν· ὅπως, εἰ διά τι διάφορον τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων, δύο φύσεις κ) αὐτὸν μὴ ἡμῖν λέγετε, κ) ἐν διὰ τὸ μοναδικὸν τοῦ προ-

A rogatus, missō etiam ad eum libello Menæ, quem diximus? Quid igitur? postquam Sergius multis modis morbum suum in commune proposuit, & maximam partem Ecclesiæ corrupit, ac vastauit, si beatus Sophronius admonuit eum humilitate, quæ eius habitum decebat, ad vestigia eius prouolutus, Christi Dei passionibus viuificis, quæ omnem supplicationem continebant, commemoratis, & obtestans ne vocem hæreticorum, probe olim à sanctis patribus superioribus extinctam, renouaret, fuit ne ipse auctor huius scandali? PYR. Cōpetenter omnia quæ proposita sunt, sermo habitus hactenus cuertit; nihilq. prorsus deest in quæstione de voluntatibus. MAX. Quandoquidē quæstio de voluntatibus concluſa est, vis, vt de operationibus disseramus? PYR. Sicut ignoraueram naturales esse voluntates, sic de operationibus acceperam; & si quid, siue scripto, siue sine scripto dixi, ad hoc propositi spectat. nunc autem cum certum sit naturæ esse velle, & in eo contentum per synecdochen, naturæ quoque esse operari, omnia quæ a me antea de hac re defensa sunt, facta sunt irrita, & superuacaneum esse arbitror, vllum deinceps de hoc sermonem habere. MAX. Quid igitur? quandoquidem Deus, quia præcognouit propositum vestrum, ad agnitionem veritatis eius vocauit, non ne oportet, quæ scripto, aut sine scripto de hoc apud aliquos dicta sunt, ea diligenter examinare, propter eos, qui incaute, vt probabile est, in ea inciderunt, aut incidunt, faciles, vt decipiantur? PYR. Si inquisitio hoc propositi habet, necessaria est. curare enim, vt tuti sint simpliciores, imitari est charitatem Dei erga homines. MAX. Si igitur hæc est imitatio charitatis Dei erga homines, incipiamus hic ea de re inquisitionem. PYR. Incipiamus. MAX. In libris tuis reperi, docuisse te, vnam esse operationem Christi, tamquam totius. Si igitur vna est, tamquam totius, operatio; totum autem est eius persona: igitur vna hæc operatio personalis erit, & demonstrabitur diuersæ operationis esse, sicut & personæ, a patre, & matre; siquidem neuter eorum est Christus. PYR. Si propter differentiam naturarum in Christo, duas dicitis operationes, & non propter vnam personam vnam operationem; duæ reperientur in homine operationes, propter differentiā substantiæ animæ & corporis ipsius. quod si hoc ita est, tres erunt operationes Christi, non duæ. MAX. Quæ vos ad tollenda ea, quæ sunt naturalia, obijcitis, hæc ipsa contra naturas ij obijciunt, qui cōtra eas pugnant. in eo enim vel solo belli estis, quod in omnibus cum illis circumuersamini. Vnde quibus argumentis illos sancti Patres redarguerunt, eisdem vos, qui eodem morbo laboratis, ipsi redarguimus, quoniam si propter differentiā naturarum in Christo, duas naturas ipsi nobiscum dicitis, & non propter vnam personam

vnam

† ἀσκυλινδούμενος

† ἀδιαίρετος ὅλως 270.

† τῶν 602. 270.

† ἐρῶ 270.

† συναθρόισα 602. 270.

† ἐνεῦθεν 602. 270. 336.

† προτείνουσι 270.

προ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnam naturam, sic quidem duæ reperientur naturæ hominis, propter differentiã substantialẽ animæ ipsius & corporis. & hoc cõcesso, tres erunt naturæ Christi, non duæ. Sin vero propter differentiã naturarũ, duas nobiscum naturas confitentes, non dicitis tres in Christo naturas, quo modo, quia nos, propter differentiam naturarum, duas operationes dicimus, tres operationes inferentur? Quæ enim vos nobiscũ aduersus illos, qui contra naturas disputant, dicitis, hæc etiam nobis de operationibus aduersus vos sufficient. Verum sic quidẽ a pari ratione repulsi estis, demonstratumq. est, quæstionem vestram carere omni probabilitate. a maiori vero dicimus, non esse idem secundum speciem hominis vnum, & secundum substantiã animæ & corporis vnum. Vnum enim secundũ speciem hominis, significat nullam differentiam esse in omnibus individuis eiusdem naturæ. Vnde non hoc dicimus sine adiunctione, sed adiungentes, hominis (cum dicimus vnum secundum speciem hominis.) vnum vero secundum substantiam animæ & corporis significat ipsam essentiam eorum: quæ essentia * corrumpitur, cum desinit esse homo. Quod si non est idem vnum secundum speciem hominis, & vnum secundum essentiam animæ & corporis, non igitur necesse est nobis, cum dicimus vnam operationem secundum speciem, vel hanc operationem personalẽ dicere, vel tres operationes, quia operatio spectat ad naturam. PYR. At cũ operationibus, vt sentit Nestorius, inferuntur personæ; & necesse est eos, qui duas dicunt operationes, illius impura dogmata defendere. MAX. Atqui Nestorius, duas personas cum dicit, vnam operationem tradit. Si autem, vt vestra est opinio, cum operationibus inferuntur personæ; etiam cum personis, vt consequens est, inferẽtur operationes. & coacti eritis vestras regulas secuti, aut propter vnam operationem sanctæ Deitatis, vnam eius personam dicere, vel propter tres eius personas, tres quoque operationes, vel dicere, sicut Nestorius, vnionẽ esse ex habitudine. Huius enim est vna operatio vnio, vt ipse Nestorius, & qui sunt societatis eius, in litteris suis docuerunt. & in nobis, quia vna est operatio secundum speciem, multæ autem personæ, necesse erit, vel propter vnam secundũ speciem operationem, etiam vnam omnium personam dicere; vel propter multas personas, multas quoque operationes. ita fiet, vt frustratum sit, quod Patres dixerunt: quæ sunt eiusdem substantiæ, eiusdem etiam operationis esse. Præterea, si cum operatione, opinione ipsorum, infertur persona, multas autem operationes dederunt ex vno & eodem verbo Dei incarnato prodiuisse; dabunt etiã inferri personas cũ operationibus prodeuntibus, si sibi constare decreuerunt; & reperientur infinitæ personæ & operationes eiusdẽ. Et rursus: si infertur persona cum operatione, vt isti sentiunt, etiã sublata operatione

A πρόσωπα μίαν, δύο δὲ ῥηθήσονται; οὕτω γὲ κὴ τὴ ἀνθρώπε φύσης, δίχα τὸ κατ' οὐσίαν διάφορον τῆς ψυχῆς αὐτῆ, κὴ τῆ σώματος· κὴ εἰ τᾶτο, ξεῖς ἔσονται τῆ Χριστοῦ, κὴ οὐ δύο φύσης. εἰ δὲ δίχα τὸ διάφορον τῶν φύσεων, δύο μὴ ἡμῖν λέγοντες φύσης, ξεῖς οὐ λέγετε ἔπὶ Χριστοῦ φύσης, πῶς ἡμῖν δίχα τὸ διάφορον τῶν φύσεων δύο λέγουσιν ἐνεργείας, αἱ ξεῖς σωταχθήσονται ἐνέργειαι; τὸ ὑμᾶς μὴ ἡμῖν πρὸς τοὺς ἐκεῖνα κὴ τῶν φύσεων προστάντας λέγετε, ταῦτα κὴ ἡμῖν περὶ τῶν ἐνεργειῶν πρὸς ὑμᾶς ἀρκέσει. ἀλλ' οὕτω μὲν ὑμᾶς ἐκ τ' ἴσου ὁ λόγος ἀπήρκεσε, δείξας τῆς ἀποριας τὸ εὐδιάλυτον. ἐκ δὲ τῦ ὑπαρχέντος φαμὲν· ὅτι οὐ ταυτὸν τὸ κατ' εἶδος τῆ ἀνθρώπε ἓν, κὴ τὸ κατ' οὐσίαν ψυχῆς κὴ σώματος ἓν. τὸ μὲν γὲ κατ' εἶδος τῆ ἀνθρώπε ἓν, τῶ ἐν πᾶσι τοῖς ὑπὸ τῶ φύσιν ἀτόμοις ἀπαραλλαξίαν ἐνδείκνυται. ὅθεν οὐδὲ ἀπροδιορίστως αὐτὸ φαμὲν, ἀλλὰ προστιθέντες, τῆ ἀνθρώπε· τὸ δὲ κατ' οὐσίαν ψυχῆς κὴ σώματος ἓν, † αὐτὸ τὸ εἶναι αὐτῶν λυμαίνεται, ὡς ἀνυπαρξίαν αὐτὸ παντελῆ ὠθοῦν. εἰ δὲ οὐ ταυτὸν τὸ κατ' εἶδος τῆ ἀνθρώπε ἓν, κὴ τὸ κατ' οὐσίαν ψυχῆς κὴ σώματος ἓν, οὐκ ἄρα ἀνάγκη ἡμῖν, τὸ κατ' εἶδος μίαν † λέγοντας ἐνέργειαν, ἢ ὑποστατικῶ ταύτῃ λέγειν, ἢ ξεῖς ἐνεργείας, δίχα τὸ πρὸς φύσιν ὁρᾶν τῶ ἐνέργειαν. ΠΥΡ. Ἀλλὰ ταῖς ἐνεργείαις τὰ πρόσωπα κὴ Νεστόριον συμφύρεται· κὴ ἀνάγκη, τοὺς δύο λέγοντας ἐνεργείας, τὰ ἐκείνε μιαρὰ δογμάτια δέγμαζα. ΜΑΞ. Καὶ μὴν Νεστόριος, δύο πρόσωπα λέγων, μίαν δογματίζει ἐνέργειαν. ἀ δὲ ταῖς ἐνεργείαις πρόσωπα καθ' ὑμᾶς συμφύρεται, κὴ τοῖς προσώποις ἀκολούθως αἱ ἐνέργειαι συμφυρήσονται· κὴ βιαθήσεται, τοῖς ἰδίοις ἐπόμενοι κανόσι, ἢ δίχα τῆ μίαν ἐνέργειαν τῆς ἁγίας θεότητος, κὴ ἓν λέγειν αὐτῆς πρόσωπον, ἢ δίχα τὰς ξεῖς αὐτῆς ὑποστάσης, ξεῖς κὴ ἐνεργείας· ἢ χεπικῶ, ὡς Νεστόριος λέγει, ἕνωσιν· ταύτης γὲ ἡ μία ἐνέργεια, † ἡ ἕνωσις, ὡς αὐτὸς Νεστόριος, κὴ οἱ τῆς αὐτῦ φαξίας, ἐν τοῖς αὐτῶν ἀποδέξαι γράμμασι· κὴ ἐφ' ἡμῶν δὲ, ἐπειδὴ μία μὲν ἡ κὴ τὸ εἶδος ἐνέργεια, πολλαὶ δὲ αἱ ὑποστάσης, ἢ δίχα τῆ μίαν κατ' εἶδος ἐνέργειαν, κὴ ἓν τῶν πάντων λέγειν πρόσωπον, ἢ δίχα τὰ πολλὰ πρόσωπα, πολλὰς, κὴ ἐνεργείας κὴ διαπέπωκε τοῖς πατράσιν οὕτω γε ὁ φάσκων λόγος· τὰ τῆς αὐτῆς ὄντα οὐσίας, κὴ τῆς αὐτῆς εἶναι ἐνεργείας. ἔπη· εἰ τῆ ἐνεργείᾳ † πρόσωπον συμφύρεται κατ' αὐτοὺς, πολλὰς δὲ δεδώκασιν ἐνεργείας ἐξ ἑνὸς, κὴ τῦ αὐτῦ σεσαρκωμένε θεῦ λόγυ προηχθαι, κὴ τὰ συμφυρόμενα ταῖς προηχθείσαις ἐνεργείαις πρόσωπα δώσουσιν· ὅπερ ἑαυτοῖς σφόδρα διίγνωσαν· κὴ διῃρήσονται ἄπαφα, κὴ τὰ πρόσωπα, κὴ αἱ ἐνέργειαι τῦ αὐτῦ. κὴ αὖθις· εἰ συμφύρεται πρόσωπον κὴ τῶ αὐτῶν προθέσει τῆ ἐνεργείᾳ, κὴ ἀναμεμιγμένη ταύτῃ συνα-

† ἐν αὐτῶ τῶ βολ.

† λείπει τὸ βολ.

† ὡς al.

† πρόσωπα βολ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

συναιρεῖται πάντως· εἰ δὲ τοῦτο ἀληθὲς, ἆρα A
†ἐπιχείας 602. 270. τῇ ἀναιρέσει τῶν δύο, καὶ τῆς μιᾶς †ἐνεργείας, συναιρεῖται καὶ τὰ δύο, καὶ τὸ ἓν πρόσωπον· καὶ ἐχώρησεν, ὅσον τὸ ἐπ' αὐτῷ, ὁ Χριστὸς, ὢν †ὄντος, καὶ ὑπερόντος, εἰς τὸ μὴ ὄν· ἃ τίς γένοιτο ἂν ἀσεβέστερον; εἰ δὲ καὶ ἔστι †καθ' ἕκαστον ἡμῶν τοῦτο πρᾶξαι ἐκ πολλῆς εὐπορίας γυμνάζειν βουληθείη, εὑρήσει, καὶ ἡμᾶς καθ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ λογιζομένους, καὶ περιπατοῦντας, ἢ καὶ ἕτερα μὲν διανοουμένους, ἕτερα δὲ τοῖς προσφωνοῦσι διαλεγομένους· ὅπερ καὶ Μωϋσῆς ποιήσας †ἱκετεύει, καὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ τοῦ θεοῦ ἐντυγχάνων † ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ B
†ἱκέτευεν 602. † περὶ 602. 270. † τὸ 602. λαοῦ διαλεγόμενος, καὶ πρὸς ἕρπειν παρορμῶν ὑπήκοος· καὶ ὅτε †τοῦ πρόσφυοῦς ταῖς αὐτοῦ φύσεσι δυϊκὰς ἐνεργεῖν, δύο ὁ καθεὶς ὅρος ἐστὶν, ὅτε τοῦ ἕνα εἶναι τὸν δυϊκῶς ἐνεργοῦντα, τὰς οἰκείως πρεσούσας ταῖς αὐτοῦ φύσεσι κινήσεις συνέχει· καὶ ὅτε τὸ καὶ φερόμενον δὲ λόγῳ ὡσαύτως καὶ τῷ ἐγκειμένῳ τοῦ λόγου ὁρισμῷ ἐννοίαν, καὶ τὸν ὑποκείμενον τῇ ἐννοίᾳ λόγον, καὶ τῷ αὐτῶν δι' ὅλων ἀλλήλαις περιχώρησιν· καὶ ὅτε τῇ διαφορᾷ αὐτῶν τὸ διάφορον τῶν πρεσόντων σωφρονήσεται, ὅτε τῇ ἄκρᾳ ἑνώσει τὸ συγκεχυμένον. τί δ' ἄν τις C
†πεπυρακτωμένης μαχαίρας 602. 270. εἴποι καὶ περὶ τῆς πεπυρακτωμένης μαχαίρας, ὡς ἓν εἶδος τῶν φύσεων· τυτθεῖ, τῷ πυρὶ, καὶ τῷ σιδήρῳ, καὶ τὰς αὐτῶν φυσικὰς ἐνεργείας, τῷ καῦσαι φημὶ, καὶ τῷ τομῷ σωζούσης, καὶ διὰ πάντων ἅμα, καὶ ἐν ταυτῷ, ταύτας ἐνδεικνυμένης; ὅτε γὰρ ἡ καῦσις αὐτῆς τῆς τομῆς ἄφεστός ὅτι μὴ τῷ ἕνωσιν, ὅτε ἡ τομὴ τῆς καύσεως· καὶ ὅτε διὰ τὸ δίτιον τῆς φυσικῆς ἐνεργείας, δύο αἰσθῇ †τὰς μαχαί- D
†πεπυρακτωμένας μαχαίρας. 602. 270. ρας· ὅτε διὰ τὸ μοναδικὸν τῆς πεπυρακτωμένης μαχαίρας, τῆς αὐτῆν οὐσιώδους διαφορᾶς φύρσιν, ἢ σύγχυσιν ποιεῖται. ΠΥΡ. Οὐχ εἷς ὧδε ὁ ἐνεργῶν; ΜΑΞ. Ναὶ, εἷς. ΠΥΡ. Εἰ οὖν εἷς ὁ ἐνεργῶν, καὶ μία, ὡς ἑνὸς, ἡ ἐνέργεια. ΜΑΞ. Ὁ αὐτὸς οὗτος Χριστός· πάλιν γὰρ τὰ αὐτὰ τοῖς ἀνωτέρω εἰς τὰ αὐτὰ ὑμᾶς ὑποστρέφοντας ἐρήσομαι· ἓν τῇ ὑποστάσει, ἢ τῇ φύσει ὄντα; ΠΥΡ. Τῇ ὑποστάσει· τῇ γὰρ φύσει διπλοῦς τυγχάνει. ΜΑΞ. δυϊκῶς οὖν διὰ τὸ διπλοῦν τῆς φύσεως ὁ αὐτὸς ἐνήργει, ἢ ἑνικῶς, διὰ τὸ μοναδικὸν τῆς ὑποστάσεως; ἀλλ' εἰ μὲν δυϊκῶς, εἷς ὢν ὁ αὐτὸς, ἐνήργει, οὐκ ἄρα τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἐνεργειῶν ὁ τῶν πρεσώπων σωφρονήσεται ἀριθμός· εἰ δὲ ἑνικῶς, διὰ τὸ μοναδικὸν τὸ πρε- E
σώπου, τοὺς αὐτοὺς ὅπῃ τοῖς αὐτοῖς ἀτοπίας ὁ περὶ τούτου δίζεται λόγος· εἰ γὰρ ὑποστατικὴ ἡ ἐνέργεια, τοῦ πλήθους τῶν ὑποστάσεων καὶ ἡ τῶν ἐνεργειῶν διαφορὰ συνθεωρηθήσεται. ΠΥΡ. Οὐ πάντως, ἐπειδὴ δυϊκῶς ἐνήργει, δύο ἦσαν αὐτῷ αἱ ἐνέργειαι· ἀλλ' ἐπειδὴ εἷς ὧδε ὁ ἐνεργῶν, μία. ΜΑΞ. Τοῦτο καὶ περὶ τῶν φύσεων ἕτερός σε· ὅτι οὐκ ἐπειδὴ δυαδικὴ αὐτῶν ἡ φύσις, ἤδη καὶ δύο †ἦσαν, καὶ †διῃρέθησαν αἱ φύσεις· ἀλλ' ἐπειδὴ μία ὧδε αὐτῶν ἡ †ἐτέθησαν 602. 270. †διῃρέθησαν 602. 270. ὑπόστασις, μία ὄζει αὐτῶν ἡ φύσις, καὶ λέγεται. πάλιν, ἵνα πάντα παρελίπω, ὅσα περὶ τούτου ῥη-

θῆναι

ne simul erit omnino sublata persona, quod si hoc verum est; igitur sublatis duabus, & vna operatione, simul tolluntur dux & vna persona. & ita fit, vt quantū in ipsis est, Christus, qui est, & plusquam est, desinat esse, quo quid potest magis impium esse? Si quis vero in vnoquoque nostrum voluerit hoc tractare, vt abunde satisfiat, reperiet, etiam nos vno & eodem tempore ratiocinantes, & deambulantes, vel etiam alia cogitantes, & alia præsentibus differentes. quod quidem Moyses fecisse narratur, cum eodem tempore pro populo Deum precabatur, & cum populo loquebatur, & eum ad bonas spes incitabat; neque tamen, quia dupliciter operabatur, conuenienter naturis suis, duo erat vnus, neque, quia vnus erat, qui dupliciter operabatur, idcirco motus, qui secundum substantiam naturis eius inerant, confundebat. Et cum profertur ore verbum, similiter videmus notionem impositam verbo, & verbum subiectum notioni, & ipsorum in se vicissim commeationem per totum. & neque eum differentia ipsorum, differentia personarum inducitur, neque cum summa vnione, confusio. Quid dicemus de gladio ignito, nihilo minus naturis, ignis scilicet, & ferri, & eorum naturales operationes, vstionem dico, & sectionem seruante, ac simul & in eodem ipso & per omnia illas operationes ostendente? nec enim vstio soluta est a sectione post vnionem, neque sectio ab vstione. neque propter duplicem operationem naturalem duos gladios inducit; neque, quia vnus gladius est ignitus, mixtio, aut confusio fit differentiæ naturarum eorum secundum substantiam. PYRRH. Non ne vnus est, qui operatur? MAX. Vnus sane. PYR. Si igitur vnus erat, qui operabatur, & vna item, tamquam vnius, operatio. MAX. Hic vnus Christus (rursus enim, quæ ad eadem reuertimini, eadem quæ superius percunctabor) est ne vnus persona, an natura? PYRRH. Persona: natura enim duplex est. MAX. Dupliciter igitur, propter duplicem naturam, operabatur idem, an singulariter, propter vnam personam? at si dupliciter operabatur, cum vnus idem esset, non igitur cum numero operationum numerus personarum inducitur. si vero singulariter operabatur, propter vnitatem personæ, eadem in eisdem absurda incurret disputatio de hoc. Si enim est operatio hypostatica (id est personalis) cum multitudine etiam personarum differentia operationum simul spectabitur. PYRRH. Non, quia dupliciter operabatur, omnino erant duæ eius operationes, sed quia vnus erat, qui operabatur, vna operatio. MAXIMVS: Hoc etiam alius contra te de naturis dicet; quod, non, quia natura eius est δυαδικὴ (id est duplex) iam duæ naturæ sint, & dicantur, sed potius, quia vna erat eius persona, vna item est, & dicitur eius natura. sed vt omnia prætream, quæ de hoc dici potu-

rant

Universidad de Deusto
Biblioteca

rant: cum vnam operationem dicitis, quam-
nam istam vnam dicere placet? diuinam, an
humanam, an neutram? Atqui sane si diui-
nam dicitis, Deum merum dicitis Christum:
si humanam, nequaquam Deum, sed homi-
nem merum solum facitis; si neutram ha-
rum; neque Deum, neque hominem, sed
potius Christum traditis non existere. PYR.
Cum dicimus vnam operationem diuinita-
tis Christi, & eius humanitatis, non dici-
mus, hanc in eo inesse ratione naturæ, sed
modo vnionis. MAX. Si, vt vos loquimi-
ni, ex vnione accessit ei operatio, ante
vnionem igitur vacabat operatione, & per
vim fabricatus est mundum, vt vestra est opi-
nio. Ac rursus: si ex vnione accessit opera-
tio, pater autem & Spiritus sanctus non
sunt vniti secundum hypostasim cum car-
ne, igitur non sunt operatores: si non ope-
ratores, ergo neque fabricatores, vt non
dicam, omnino non esse. Præterea: quando-
quidem vnio habitudo est, & non res: habi-
tudo igitur, & non res, est operatio Christi.
Deinde necesse est vobis, vt creatam aut non
creatam esse dicatis; si quidem nulla peni-
tus intermedia est inter creatam & non
creatam. Si creatam dicetis, solam natu-
ram creatam indicabit (operatio creata) si
non creatam, solam naturam non creatam
signabit: oportet enim omnino naturalia
naturis conuenire. At quomodo fieri po-
test, vt naturæ creatæ & quæ cœpit esse, ope-
ratio sit non creata, & sine principio, atque
infinita, & creatrix, & conseruatrix? vel na-
turæ non creatæ & principio carentis, ope-
ratio sit creata, & cœpta, atque terminata,
& quæ ab alia natura, ne dissolui queat,
conseruetur? PYR. Neque eos, qui effectum
operum Christi dicunt vnam operationem
esse, approbas, & consentis? MAX. Alius ex
alia actione effectus est, nō vnus, sicut in gla-
dio igneo demonstratum est. etsi enim copu-
latæ sunt inter se operatio ignis & operatio
gladij, videmus tamen effectū ignis vstionē,
& ferri effectum sectionem, quamuis non sint
seiunctæ inter se in sectione vsta, aut in vsti-
one secta. sicut alius est effectus cœli, alius ter-
ræ, alius Solis. non potest igitur dici vnus
effectus, nisi sit vna & sola actio. Quare si in-
tuentes in effectum operum Christi, vnā ope-
rationem tradidistis, vel vnam etiam actio-
nem tradite; vel propter infinitas actiones,
infinitas quoque operationes. Ceterum non
est nobis quæstio de operibus, nec enim lo-
quimur de ijs, quæ sunt extra Christum; sed
de ijs quæ sunt in Christo ipso, id est, de ra-
tione naturali substantiarum Christi, an im-
perfecta ex vnione remanserit, an perfecta;
& si imperfecta, an fieri possit, vt sit existen-
tia naturæ imperfectæ. si vero non imperfe-
cta remansit, an in ipsa ratione substantiam
constituente spectatur operatio, an est ex
ijs quæ sunt extra. sed quod non sit operatio
natu-

A θέναι δυάμεως, μίαν ἐνέργειαν λέγοντες, ὁποίαν
ταύτην λέγειν αἱρεῖσθε; θείαν, ἢ ἀνθρωπίνην, ἢ
οὐδ' ἑτέραν; ἀλλ' εἰ μὲν θείαν, θεὸν μόνον τὸν Χρι-
στὸν λέγετε· εἰ δὲ ἀνθρωπίνην, οὐ θεὸν ὅλως τὸν,
ἀλλ' ἄνθρωπον μόνον ψιλόν· εἰ δὲ οὐδ' ἑτέραν τού-
των, οὐδὲ θεὸν, οὐδὲ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνύπαρκτον
δογματίζετε τὸν Χριστόν. ΠΥΡ. Μίαν λέγοντες
ἐνέργειαν τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς καὶ
τὸν ἀνθρωπότητος, ἐκ λόγου φύσεως ταύτην συμβαί-
νειν αὐτοῖς φαμὲν, ἀλλ' ἑνώσεως τρόπῳ. ΜΑΞ.
εἰ ἐκ τῆς ἑνώσεως ἄρα, καὶ τὸν ὑμέτερον λόγον,
προσγέγονεν ἡ ἐνέργεια, μετὰ τὴν ἕνωσιν ἄρα
B ἀνενέργητος ἦν· καὶ πεπτώκατε, κατ' ὑμᾶς, δη-
μιουργήσας. καὶ αὖθις· εἰ ἐκ τῆς ἑνώσεως αὐτοῖς
προσγέγονε τὸ ἐνεργεῖν, ὁ πατὴρ δὲ, καὶ τὸ ἅγιον
πνεῦμα, οὐκ ἐνώθησαν κατ' ὑπόστασιν σαρκὶ διὰ
τοῦτο ἐνεργητικοί· εἰ δὲ μὴ ἐνεργητικοὶ, οὐδὲ δη-
μιουργοί· ἵνα μὴ λέγω· ὅτι οὐδὲ ὅλως εἰσὶ, καὶ πάλι-
ντροπὴ ἡ ἔννοια χρέος ἔσται, καὶ οὐ προσλημ-
μα, χρέος ἄρα, καὶ οὐ προσλημμα, ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐνέρ-
γεια. ἔτι τε· ἡ κτίσις ὦ, ἢ ἄκτιστον λέγειν ταύτην
οὐκ εἰκὸς καθέστηκεν· ἐπειδὴ μέσον κτίσεως, καὶ ἀκτί-
C σεως, οὐδὲν ὑπάρχει τὸ παράλογον· καὶ εἰ μὲν κτίσιν αὐ-
τὴν φήσετε, κτίσει, καὶ μόνῃ † δηλοῦσι φύσιν· εἰ δὲ ἄκτιστον, ἄκτιστον, καὶ μόνῃ † χαρακτηρίζει
φύσιν· δεῖ δὲ πάντως καταλλήλως τοῖς φύσεσι τὸ
φυσικὰ εἶναι· καὶ πῶς ἂν δυναίμεθα, τῆς κτίσεως φύ-
σεως, καὶ πραγμάτος, ἄκτιστον εἶναι τὸ ἐνέργημα,
ἄναρχόν τε καὶ ἄπειρον, καὶ δημιουργὸν, καὶ συνεκτι-
κὸν; ἢ τῆς ἀκτίστου, καὶ ἀναρχικῆς, κτίσει, καὶ πεπε-
ρασμένῃ, καὶ ὑφ' ἑτέρας πρὸς τὸ
ἀδιάλυτον εἶναι συνεχομένῃ; ΠΥΡ. Οὐδὲ τὸ
ἀποτέλεσμα τῶν ὑπὸ Χριστοῦ † γενομένων ἔργων † γρ. πε-
λέγοντας μίαν ἐνέργειαν, ἀποδέχῃ, καὶ ὁμολογεῖς; ρὶ τοῦ
ΜΑΞ. Ἄλλης ἄλλο παραίτιον ἀποτέλεσμα, καὶ
οὐχ ἓν· ὡς ὅτι τῆς πεπυρακτωμένης ἐδείχθη μα-
χαίρας· εἰ γὰρ καὶ ἡνωνται ἀλλήλαις ἥ τε τοῦ πυ-
ρὸς καὶ ἡ τοῦ ξίφους ἐνέργεια, ἀλλ' ὁρῶμεν τὸ ἀπο-
τέλεσμα τοῦ πυρὸς τὸ καῦσιν ὄν, καὶ τοῦ σιδήρου τὸ
ἀποτέλεσμα τὸ τομὴν· εἰ καὶ μὴ διήρηται ἀλ-
λήλων ἐν τῇ κεκαυμένῃ τομῇ, ἢ ἐν τῇ τετμημένῃ
καύσει· † ὡς πρὸ καὶ ἐμοῦ ἄλλο, καὶ τοῦ ἄλλο, † ὁ τοῦ
καὶ οὐ λίαν ἄλλο. οὐ δυνατὸν οὖν ἓν λέγειν ἀποτέ- ἁγιωτάτου
λεσμα· εἰ μὴ δ' ἂν μία εἴη, καὶ μόνον ἡ πρόσξις. πατρὸς
εἰ οὖν πρὸς τὸ ἀποτέλεσμα τῶν ὑπὸ Χριστοῦ γε- πρὸ τοῦ
E νομένων ἔργων ἀποδόντες μίαν ἐνέργειαν δολοῦτε, ἢ καὶ μίαν πρόσξιν δολοῦτε, ἢ δῆλα τὰς
ἀπείρους προσήξεις, ἀναίρεις καὶ τὰς ἐνεργείας. πλὴν
οὐ περὶ τῶν ἔργων ἡμῖν ἐστι τὸ ζητούμενον· οὐ γὰρ
περὶ τῶν ἐκτὸς Χριστοῦ ἐστιν ὁ λόγος ἡμῖν, ἀλλὰ
περὶ τῶν ἐν αὐτῷ † Χριστῷ· τυγχάνει, περὶ τῆς φυ- † πρὸ Χριστ
σικοῦ τῶν οὐσιῶν τῆς Χριστοῦ λόγου, εἴ τε ἐλλιπὴς al.
ἐκ τῆς ἑνώσεως, εἴ τε ἀνελλιπὴς μεμένηκε· καὶ
εἰ ἐλλιπὴς, εἰ δυνατὸν, ἐλλιποῦς φύσεως ὑπάρ-
ξιν εἶναι· εἰ δὲ ἀνελλιπὴς, εἰ ἐν αὐτῷ, φημὶ δὴ, † γρ. πρὸς τὸ
καὶ 602.
πρὸ † συναπτῇ τῆς οὐσίας λόγῳ, ἢ ἐνέργεια θεωρεῖται, ἢ τῶν ἐκτὸς τυγχάνῃ, ἀλλ', ὅτι μὲν οὐ 270.

τῶν

Universidad de Deusto
Biblioteca

τῶν ἐκτὸς τυγχάνῃ ἢ κὴ φύσιν ἐνέργεια, δῆλον ἐκ τοῦ ἄνευ μὲν τῶν ἔργων δύνασθαι τὸ φύσιν εἶναι, ἄνευ δὲ τῆς κὴ φύσιν ἐνεργείας, οὔτε εἶναι τὸ φύσιν, οὔτε γινώσκεσθαι δύνατον· οἷς γὰρ ἕκαστον φυσικῶς ἐνεργεῖ, πίστοῦται ὅπερ ἐστί, μὴ μετεπόμενον· ὁπόταν οὐδὲ πρὸς τὸ ἔργον ἀποβλέποντες, τὴν ἀναπλασθεῖσαν ὑμῖν βαυλαφῶν δίκην μίαν ἐνέργειαν ἐδογματίσατε, ἀλλὰ πρὸς τὸν φυσικὸν τῶν ἑνωθεισῶν οὐσιῶν λόγον· καὶ τοῦτο πίστις ἀψευδὴς τὰ ὑπὸ Κύρου μὲν δογματοθέντα κεφάλαια, ὑφ' ὑμῶν δὲ προθύμως, κὴ λίαν ἀσπασίως δεχθέντα· ἐν οἷς κὴ μίαν δογματίσας, τῇ αὐτῇ ἔφη ἐνεργεῖ- σαι τά τε θεῖα, κὴ τὰ ἀνθρώπινα, οὐ μόνον τῇ ἁγίᾳ γραφῇ, κὴ τοῖς ἁγίοις πατράσι μαχόμενος, ἀλλὰ κὴ αὐτῇ τῇ τῶν γεγονότων φύσει· οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐν τοῖς κὴ φύσιν μόνον, τὰ ἐναντία πεποίηκεν πέφυκεν· οὐ γὰρ θερμαίνει τὸ πῦρ, κὴ ψύχει· οὔτε ψύχει ὁ κρύσταλλος, κὴ θερμαίνει· οὔτε ξηραίνει ἡ γῆ, κὴ ὑγραίνει· οὔτε ὑγραίνει τὸ ὕδωρ, κὴ ξηραίνει. εἰ οὖν ἐπ' οὐδενὸς τῶν πάντων τοῦτο θεωρεῖται, πῶς τὸν σαρκωθέντα λόγον, κὴ οὐσιωδῶς γεγονόμενον ἄνθρωπον, μιᾷ ἐνεργείᾳ τά τε θαύματα, κὴ τὰ πάθη, λόγῳ φύσεως ἀλλήλων διαφερόντως, ἐπιτελέσαι λέγοντες, οὐ δεδοίκατε; ΠΥΡ. Τί οὖν ἐναντία τῆς νῦν ἐκ τῆς ζητήσεως ἀναφαινείσης δυσεβοῦς ἐννοίας ὁ τῆς † ἐκκλησίας φωστὴρ Κύριλλος ἐδογμάτισε, μίαν συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδεδειγμένον ἐνέργειαν, τὸν Χριστὸν δηλαδή, φήσας; ΜΑΞ. Οὐ μάχεται ὅλως ἡ παροῦσα χρῆσις ταῖς δύο ἐνεργείαις· τοὐναντίον δὲ κὴ συνίστησιν· οὐ γὰρ μίαν φυσικὴν ἐνέργειαν τῆς θεότητος τὸ Χριστοῦ ἔφη κὴ τῆς αὐτοῦ ἀνθρωπότητος· ἐπεὶ οὐκ ἂν ἀλλαχοῦ ἔλεγεν· ὅτι ποιητοῦ κὴ ποιήματος μίαν ἐνέργειαν, οὐκ ἄν τις δίοι σωφρονῶν· ἀλλὰ δεῖξαι βουλόμενος μίαν τῆς θεότητος οὖσαν τὴν ἐνέργειαν κὴ ἄνευ σαρκὸς, κὴ μετὰ σαρκός· ὡς εἴ τις μίαν τοῦ πυρὸς ἐνέργειαν κὴ μετὰ ὕλης, κὴ ἄνευ τῆς ὕλης, δεῖξαι θέλων, φήσειεν· ὅτι τὸ πῦρ καὶ ἄνευ ὕλης, κὴ μετὰ ὕλης καίει· οὕτω κὴ ὁ πατὴρ οὐ μίαν τῶν δύο φύσεων εἶπεν ἐνέργειαν, ἀλλὰ μίαν τοῦ ἐνέργειαν εἶπεν τοῦ θείαν, κὴ τοῦ παρῳκημὸ, οὐσιωδῶς ἐνυπάρχουσαν τῷ σαρκωθέντι θεῷ λόγῳ· καθ' ὃ οὐ παντουργοῦ † μόνον προστάγματι τὰς θεοσημείας ἀστομάτους † ἐτέλει· καθὼς αὐτὸς φησιν· εἴπερ κὴ μὴ σάρκωσιν ὁμοιεργὸς ἔστι τοῦ οἰκείου χρωνήτου, ἀσωμάτως ἐνεργοῦντι, ἀλλὰ κὴ τῇ τῆς οἰκείας σαρκὸς ἁφῇ ταύτας ἐδείκνυ σωματικῶς· τοῦτο γὰρ † αὐτὸ βούλεται τὸ, δι' ἀμφοῖν· ὡς συγχρωῶς ἔχειν κατὰ τοῦ φύσιν ἑκάτερα, κὴ παντουργοῦ προστάγματος γινομένου τοῦ ζώωσιν τῆς παιδὸς, ἢ τοῦ ἀναβλέψιν τὸ τυφλοῦ, ἢ τοῦ εὐλογίαν τῶν ἄρτων, ἢ τοῦ κάθαρσιν τοῦ λεπροῦ, προσὸ τοῦ ἑκατέρας ἁφῆς σωματικῆς τελεμένου· ἵνα ἀποδείξῃ κὴ τοῦ σάρκα ζωοποιὸν, ὡς αὐτὸ κυρίως, κὴ οὐκ ἄλλου ὑπάρχουσαν, τῇ πρὸς αὐτὸν ἀκραιφνεῖ ἑνώσει· δι' ἀμφοτέρων

naturalis ex ijs, quæ sunt extra, ex eo constat, quod sine operibus potest natura esse, sine operatione autem naturali non potest esse, neque cognosci natura. ex ijs enim quæ vnum quodque naturaliter operatur, probatur esse quod est, & non mutatum. Quod vero non respicientes ad opus, vnam operationem, a vobis instar hircocerui fictam, docuistis, sed ad rationem naturalem substantiarum vnitarum, fidem certam facit, quod capita a Cyro tradita benevole & libentissime a vobis suscepta sunt. in quibus vnam (operationem) cum traderet, eadem operatione dixit operatum esse diuina & humana; non solum cum scriptura & sanctis patribus pugnans, sed cum natura ipsa eorum, quæ facta sunt. nulla enim res, dum in in naturalibus suis manet, apta nata est contraria facere. non enim ignis calefacit & refrigerat; neque gelu refrigerat & calefacit; neque siccat terra & humectat; neque humectat aqua & siccat. Si igitur in nulla re hoc cernitur, quo modo non horruistis dicere, verbum incarnatum, & secundum substantiam factum hominem, miracula, & passiones, quæ ratione naturæ inter se differunt, vna operatione consummasse? PYR. Quid igitur Cyrillus Ecclesiæ lumen contraria piæ sententiæ, quæ nunc ex quæstione demonstrata est, docuit, cum dixit, Christum scilicet, vnam cognatam operationem per ambas ostendisse? MAX. Non pugnat vllo modo hæc auctoritas cum duabus operationibus, sed contra potius eas defendit: non enim dixit vnam naturalem operationem diuinitatis Christi & humanitatis eius; alioqui non dixisset alibi: Auctoris & operis eandem esse operationem, numquam aliquis sanæ mentis concesserit. sed potius (illud dixit) cum vellet demonstrare, vnam esse diuinitatis sine carne, & cum carne operationem, sicut si quispiam, vnam esse ignis operationem cum materia, & sine materia ostendere volens, diceret, ignem cũ materia, & sine materia vrere. sic pater Cyrillus non dixit vnã operationem duarum naturarum, sed vnam operationem dixit diuinam, & paternam, quæ essentialiter in Verbo Deo incarnato inerat; qua non solum iussu suo, omnium rerum effectore, miracula incorporaliter faciebat, sicut ipse ait, siquidem etiam post incarnationem habebat eamdem operationem communem cum Patre incorporee operante: sed tactu etiam propriæ carnis hæc ipsa miracula corporaliter ostendebat. Hoc enim significat quod ait, per ambas; vt vita reddita puellæ per verbum, & iussum omnia operantem, vel aspectus cæco restitutus, vel mundatio leprosi, vel benedictio panum, cognationem haberet secundum naturam cum operatione per tactum corporee consummata, vt demonstraret carnem quoque esse viuificam, quia eius proprie erat, & non alterius propter summam cum ea vnionem. per vtraque enim,

† ἰνσιβίας 336.

† μόνῳ 602 170.

† πλεῖ 602 170.

† αὐτῷ al. prat. 602.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc; per iussum inquam, & tactum, diuina operatio in ipsis rebus apparebat, nequaquam naturalem operationem carnis naturæ nostræ humanæ, & patientem, lædens, sed contra potius eam conseruans ad propriam manifestationem. sicut & anima tamquam per instrumentum proprij corporis & per naturalem operationem eius, ea quæ sibi propria sunt, & suam operationem naturalē profert. extensio enim manus, & tactus, & comprehensio, & mixtio luti manu facta, ac fractio panis, & denique id omne, quod manu, vel alio membro, vel parte corporis fiebat, naturalis operationis humanitatis Christi erat, qua tamquam homo ipse natura Deus operator erat, & diuina naturaliter operabatur, vt per vtraque (diuina scilicet & humana) vtraque secundum naturam probaret, perfectum Deum, & perfectum hominem, absque solo peccato, se vere esse ostendens. Non igitur ignorauit pater Cyrillus proprietatem præcipuam vniuscuiusque naturæ, & eam, quæ alias naturales proprietates comprehendit; operationem dico creatricem, & viuificatricem ex anima corpori eius impartitam, quas Verbum incarnatum seruans in se ipso, sinceras, & non confusas demonstrauit, operationem creatricem in creanda substantia, & qualitate, ac quantitate, ex quibus & in quibus, & quæ rerum essentia est & spectatur. & si enim philosophi Gentiles in decem rationes res omnes distribuunt, his tamen tribus vniuersum continetur, & concluditur. Substantiam quidem creauit, restituendis oculis cæci, qui deerant; qualitatem vero, mutata aqua in vinum; at quantitatem, auctis panibus; operationem vero viuificatricem ostendit respirando, loquendo, videndo, audiendo, tangendo, olfaciendo, comedendo, bibendo, manus mouendo, ambulando, dormiendo, & reliqua, quæcumque in indiuiduis eiusdem naturæ operationem naturalem sine vlla variatione demonstrant. PYR. Pie & non violenter sententiam Patris non repugnare monstrasti, sed potius per omnia cum duabus operationibus conuenire. Quid præterea dicemus de S. Dionysio, qui in epistola ad Caium cultorem de Christo dixit, exercuisse nouam quandam operationem theandricam (id est, Deiuirilem)? MAX. Nouitas ista est ne qualitas, an quantitas? PYR. Quantitas. MAX. Igitur etiam naturam simul secum talē inducet. siquidem ratio operationis suæ substantialis est definitio omnis naturæ. Et non solum hoc, sed cum ait Apostolus: Ecce facta sunt omnia noua, nihil aliud dicit, quam: Ecce omnia facta sunt vnum; natura ne, an operatione dicere velitis, vestræ hoc potestatis sit. Si vero nouitas qualitas est, non vnam operationem declarat, sed nouum & arcanum modum demonstrationis operationum naturalium Christi, conuenienter modo arcano mutuæ circummeationis naturarum Chri-

A ἐφ' ἑνὸς γὰρ τούτων, τοῦ στόματος φημὶ, καὶ ἀφῆς, ἡ θεία ἐνέργεια δι' αὐτοῦ ἐγνωρίζετο τῶν θαυμάτων, μηδόλως τῷ καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνῳ, καὶ πάσχουσαν, φυσικῷ τῆς σαρκὸς ἐνεργείᾳ συμβαλλόμενα· τοὐναντίον δὲ σωτηρίως αὐτῷ εἰς οἰκείαν ἔκφασιν· ὡς περ οὖν ἡ ψυχὴ, ὡς δι' ὀργάνου τοῦ οἰκείου σώματος, καὶ τῆς αὐτοῦ φυσικῆς ἐνεργείας τὰ οἰκεῖα, καὶ τῷ ἑαυτῆς προφέρῃ κατὰ φύσιν ἐνέργεια· ἥπτε γὰρ ἔκτασις τῆς χειρὸς, καὶ ἡ ἁφὴ, καὶ ἡ κρᾶσις, καὶ ἡ κατ' αὐτῷ τοῦ πηλοῦ μίξις, ἢ ἡ τοῦ ἄρτου κλάσις,
B καὶ ἁπλῶς, πᾶν, ὃ δι' αὐτῆς τῆς χειρὸς, ἢ ἑτέρου μέλους, ἢ μέρους τοῦ σώματος ἐτελεῖτο, τῆς φυσικῆς ἐνεργείας τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ ὑπῆρχε· καθ' ἣν, ὡς ἄνθρωπος, ἐνεργὴς ἦν αὐτὸς, ὁ φύσει θεὸς, καὶ τὰ θεῖα φυσικῶς ἐνεργῶν· ὡς ἂν δι' ἑκατέρων ἑκάτερα τῇ φύσιν πιστώσηται, θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον, δείκνυσι μόνης τῆς ἁμαρτίας, ἑαυτὸν ὄντα καὶ ἀληθείας δείκνυς. οὐκ ἠγνόησεν οὖν ὁ πατὴρ τὴν ἑκάστης φύσεως κατ' ἐξαίρετον ἰδιότητα, καὶ τῶν ἄλλων φυσικῶν ἰδιωμάτων θεμελιωτικὴν, τήν τε δημιουργικὴν φημὶ, καὶ τὴν ἐκ τῆς
C ψυχῆς εἰσδιδομένην τῷ σώματι αὐτῷ ζωτικὴν ἐνέργειαν· ἃς σώζων ἐν ἑαυτῷ ὁ σαρκωθεὶς θεὸς λόγος, ἀκραιφνεῖς, καὶ ἀσυγχύτους ἔδειξε· τὴν μὲν δημιουργικὴν ἐν τῇ οὐσίαν, καὶ ποιότητα, καὶ ποσότητα δημιουργήσας· οὐκ ὢν, καὶ ἐν οἷς, καὶ ἄπερ, ἡ τῶν ὄντων ὕπαρξίς ἐστι, καὶ θεωρεῖται· εἰ γὰρ καὶ οἱ παρ' Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες εἰς δέκα κατατείνουσι λόγους τὰ ὄντα, ἀλλ' οὐ τούτοις τὸ πᾶν συνέχεται, καὶ θεμελιοῦται· οὐσίαν μὲν, τοὺς λέποντας τῷ πηλοῦ ὀφθαλμοὺς ἀναπληρώσας· ποιότητα δὲ, τὸ ὕδωρ εἰς οἶνον μεταβαλών· πο-
D σότητα δὲ, τοὺς ἄρτους αὐξήσας· τὴν δὲ ζωτικὴν ἐνέργειαν ἐδείξεν ἐν τῷ ἀναπνεῖν, λαλεῖν, ὁρᾶν, ἀκούειν, ἅπτεσθαι, ὀσφραίνεσθαι, ἐσθίειν, καὶ πίνειν, χεῖρας κινεῖν, βαδίζειν, ὑπνοῦν, καὶ τὰ λοιπὰ, ὅσα ἐν πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὸν φύσιν τὴν ἀπαραλλαξίαν τῆς καὶ φύσιν ἐνδείκνυται ἐνεργείας. ΠΥΡ. Εὐσεβῶς, καὶ ἀβιάστως, τῷ τὸ παρὸς παρίστασθαι ἔννοιαν, οὐ μαχόμεθα, ἀλλὰ συμβαίνειν ὁρῶ πάντων τοῖς δύο ἐνεργείαις. τί δὲ περὶ τῆς ἁγίας Διονυσίου φαμὲν, ἐν τῇ πρὸς Γάϊον, τὸν θεανδρικὸν τῷ ὑπολῇ †φήσαντα, καινήν τινα τὸν θεανδρικὴν
E κὴν ἐνέργειαν, περὶ τὸ Χριστοῦ, †περιλιτόμενον; ΜΑΞ. Ἡ καινότης ποιότης ἐστὶν, ἢ ποσότης; ΠΥΡ. Ποσότης. ΜΑΞ. Οὐκοῦν καὶ φύσιν †ἑαυτῆς σωφρονίζῃ τοιαύτην· ἅπερ πάσης φύσεως ὅρος ὁ τῆς οἰκείας αὐτῆς ἐνεργείας καθίστηκε λόγος. ἐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ὅταν λέγῃ ὁ Ἀπόστολος· ἰδοὺ γέγονε τὰ πάντα καινὰ, οὐδὲν ἕτερον λέγει, ἢ ὅτι, ἰδοὺ, γέγονε τὰ πάντα ἕν· εἴτε δὲ φύσις, εἴτε ἐνέργεια, εἴτε καλεῖν βούλει, εἴτε τῆς ὑμῶν ἔστω αἱρέσεως. εἰ δὲ ποιότης ἐστὶν ἡ καινότης, οὐ μίαν δηλοῖ ἐνέργειαν, ἀλλὰ τὸ καινὸν, καὶ ἀπόῤῥητον τρόπον τῆς τῶ φυσικῶν τῷ Χριστοῦ ἐνεργειῶν ἐκφάνσεως, τῷ ἀπορρήτῳ τρόπῳ τῷ εἰς ἀλλήλας

† φήσαντα al.
† ἐν καινῷ περιλιτ. 170.601.
† ἑαυτῇ al.

τῶν

Universidad de Deusto
Biblioteca

τῶν Χριστῦ φύσεων ἀδιαχωρήτως ἀσυγχύτως, καὶ A
τὸν κατὰ ἄνθρωπον αὐτοῦ πολιτείαν, ξένην οὖσαν,
καὶ παράδοξον, καὶ τῇ φύσει τῶν ὄντων ἄγνωστον,
καὶ τὸν τρόπον τῆς κατὰ τὸν ἀπόῤῥητον ἕνωσιν ἀν-
πδόσεως. ΠΥΡ. Οὔτε ἡ θεανδρικὴ μίαν δηλοῖ; ΜΑΞ. Οὐχί· Τὐναντίον γὰρ ἀδιαφανῶς ἡ φωνὴ δι' τῶν ἀσυνθέτων φύσεων τὰς
αὐτῶν ἐνεργείας παραδίδωκεν· ἅπερ ἀποφάσει τῶν ἄκρων οὐδέν ἐστι μέσον ἐπὶ Χριστοῦ. εἰ
δὲ μίαν δηλοῖ, ἄλλην παρὰ τὴν τοῦ πατρὸς, B
ὡς θεὸς, ὁ Χριστὸς ἕξει τὴν ἐνέργειαν. ἄλλης οὖν
παρὰ τὸν πατέρα ἐνεργείας ἔσται ὁ υἱὸς· εἴπερ
† τῆ, 602. 270. ἡ τοῦ πατρὸς οὐκ ἔστι θεανδρικὴ, μὴ † τὸ γὰρ θεανδρικὸν χαρακτηρίζειν φύσιν, καὶ σωίζειν· ἡ
† συσατικὴ 602. 270. γὰρ ἐνέργεια, φυσικὴ οὖσα, φύσεως ὑπάρχει † συσατικὸς, καὶ ἑκατέρου χαρακτήρ. καὶ οἱ τὰ περὶ
† σκέμματα 602. 270. τούτων δὲ † σκέμματα διαλαβόντες, ἕτερον γένος εἶναι τῆς ποσότητος, καὶ ἕτερον τῆς ποιότητος εἶπον. ΠΥΡ. Οὔτε ποσότης, οὔτε ποιότης ἐστὶν ἡ καινότης· ἀλλ' οὐσία. ΜΑΞ. Θαυμάζω, πῶς τοῦτο εἰπεῖν ἐθάῤῥησας· τῇ οὐσίᾳ τί ἀντιδιατέλλεται; ΠΥΡ. Τὸ μὴ ὄν. ΜΑΞ. C
Τί δὲ τῇ καινότητι; ΠΥΡ. Ἡ παλαιότης. ΜΑΞ.
Ὡς τε οὐδὲ ἐκ οὐσία ἡ καινότης, ἀλλὰ ποιότης.
πῶς δὲ, εἰ περὶ μιᾶς ἐνέργειαν ἐκλαμβάνοιτο τῷ φωνῷ, οὐχ ἑαυτῷ ἅπαν γε, καὶ τοῖς λοιποῖς πατράσιν, ἐναντιούμενον εἰσάγομεν τὸν θεοφάντορα τοῦτον διδάσκαλον; πάντες γὰρ διαῤῥήδην κοινῇ καὶ εἶπον, καὶ ἐδίδαξαν, τὰ τῆς αὐτῆς ὄντα οὐσίας, καὶ τῆς αὐτῆς εἶναι ἐνεργείας· καὶ τὰ τῆς αὐτῆς ὄντα ἐνεργείας, τῆς αὐτῆς εἶναι οὐσίας· καὶ ὅτι τὰ τῇ οὐσίᾳ διαφέροντα, καὶ τῇ ἐνεργείᾳ διαφέρει· καὶ τὰ τῇ ἐνεργείᾳ διαφέροντα, καὶ τῇ οὐσίᾳ διαφέρει. ΠΥΡ. Τοῦτο ἐπὶ τῆς θεολογίας τοῖς πατράσιν, οὐ μὴν δὲ καὶ ἐπὶ τῆς οἰκονομίας εἴρηται. ὅθεν οὐδὲ φιλαλήθης διανοίας καθέστηκε, τὰ ἐπὶ τῆς θεολογίας αὐτοῖς εἰρημένα, μεταλαμβάνειν ἐπὶ τῆς οἰκονομίας, καὶ τῷ τοιούτῳ † συνεισάγειν ἀτοπίαν. ΜΑΞ. Εἰ ἐπὶ τῆς θεολο- † εἰσαγαγεῖν 270. γίας μόνον εἴρηται τοῖς πατράσιν, οὐκ ἄρα μετὰ † εἰσάγειν τὴν σάρκωσιν καθ' ὑμᾶς συνθεολογεῖται ὁ υἱὸς τῷ πατρί· εἰ δὲ οὐ συνθεολογεῖται, οὐ δὲ συναριθμεῖται κατὰ τὴν ἔπίκλησιν τοῦ βαπτίσματος· καὶ διαρθήσεται κενὴ ἡ πίστις, καὶ τὸ κήρυγμα. καὶ πάλιν· εἰ οὐ συνθεολογεῖται E
μετὰ τὴν σάρκωσιν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, οὔτε τῆς αὐτῆς ἔσται οὐσίας· τὰ γὰρ τῷ λόγῳ διαφέροντα, καὶ τῇ φύσει διοίσει πάντως. καὶ πάλιν· εἰ οὐ συνθεολογεῖται ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν, τίνι ἐπονείμωμεν τὸ, ὁ πατήρ μου ἕως † πῦτα καὶ 270. ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι; καί· ἃ ἂν βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα, † καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ; καί· εἰ ἐμοὶ οὐ πιστεύετε, τοῖς ἔργοις μου πιστεύσατε; καί· τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ; καί· ὡς περ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς, καὶ ζωοποιεῖ, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς, οὓς

Christi inter se ipsas, & nouam, atque admirabilem, ac naturæ rerum ignotam conuersationem eius secundum humanitatem, ac modum reciprocæ communicationis secundum vnionem inexplicabilem & arcanam. PYR. Nec Deiuirilis operatio vnam operationem declarat? MAX. Minime. Immo contra vox ipsa quadam circuitione per numeratas naturas earum operationes tradidit. negatis enim extremis nihil est medium in Christo. Si autem vnam operationem declarat, aliam operationem præter operationem Patris habebit Christus, vt Deus; alius inquam operationis erit filius, quam pater. siquidem operatio Patris non est theandrica (id est, Deiuirilis) quæ nimirum naturam deiuirilem signat & constituit, operatio enim quæ naturalis est, naturam testatur, & character naturalis eius est. Et qui hæc differunt & commentantur, aliud genus esse qualitatis, aliud quantitatis dixerunt. PYR. Neque quantitas, neque qualitas est nouitas, sed essentia. MAX. Miror, quomodo ausus es hoc dicere. quid distinguendo essentiæ opponitur? PYR. Quod non est. MAX. Quid vero nouitati? PYR. Vetustas. MAX. Igitur non est substantia nouitas, sed qualitas. Quomodo autem si de vna operatione vocem accipiamus, non hunc diuinarum rerum doctorem hac ratione sibi & reliquis patribus repugnantem introducimus? Omnes enim communiter plane & dixerunt & docuerunt; quæ sunt eiusdem substantiæ, eiusdem esse operationis; & quæ sunt eiusdem operationis, eiusdem substantiæ esse & quæ substantia differunt, differre etiam operatione, & rursus quæ differunt operatione, substantia quoque differre. PYR. Hoc in theologia dictum est a patribus, non autem in œconomia. Vnde non fuit mentis veracis ea, quæ in theologia dicta erant ab ipsis, ad œconomiam transferre, & huiusmodi absurdum inducere. MAXIMVS: Si in theologia tantum dicta sunt ista a patribus, igitur opinione vestra post incarnationem non est coniuncta theologia de Filio cum paterna. quod si non est coniuncta theologia ipsius, neque connumeratur Filius cum Patre in inuocatione baptismi, & reperietur fides vana, & prædicatio. Et rursus: Si non est coniuncta theologia de Filio cum Patre, nec erit eiusdem substantiæ. quæ enim ratione differunt, natura etiam omnino different. Ac rursus: Si post incarnationem non simul de Filio cum Patre prædicatur diuinitas, cui tribuemus illud: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor? item illud: Quæ viderit Patrem facientem, hæc Filius similiter facit? & illud: Et: Si mihi non creditis, operibus meis credite? Et: Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me? Et: Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic Filius, quos vult, viuificat?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc enim omnia non solum esse eiusdem
A substantiæ cum Patre etiam post incarnationem demonstrant, sed etiam eiusdem operationis. Et rursus. Si prouidentia ac procuratio eorum, quæ sunt, operatio Dei est, hæc autem prouidentia non solum est Patris & Spiritus sancti, sed & Filij, etiam post incarnationem, est igitur eiusdem operationis cum Patre etiam post incarnationem. Et rursus. Si miracula sunt operatio Dei; ex miraculis autem cognouimus eiusdem substantiæ esse cum Patre; igitur ex eadem operatione demonstratus est esse eiusdem cum
B Patre substantiæ: estq. Theologia (Filij) iuncta cum Patre etiam post incarnationem. Præterea. Si inest in Deo secundum substantiam operatio creatrix, quæ autem secundum substantiam insunt, tolli non possunt: necesse est, vel si non dicunt eiusdem operationis esse cum Patre post incarnationem, neque dicere eiusdem substantiæ esse (vbi enim non est (eadem) operatio, quæ est secundum naturam, nec erit vnquam (eadem) natura) vel si dicunt eiusdem substantiæ cum ipso cum esse, dicere etiam eiusdem operationis esse; & iungere Theologiam Filij cum Patre etiam post incarnationem. vbi enim natura, illic & communis secundum naturam operatio omnino erit. PYR. Non dicimus vnam operationem ad tollendum humanam operationem, sed quia cum distinguendo opponitur diuinæ operationi, passio hac ratione dicitur, MAX. Hac ratione etiam, qui dicunt vnam naturam, non dicunt ad tollendum humanam naturam, sed quia, cum distinguendo opponitur natura diuinæ, passibilis dicitur hac ratione. PYR. Quid igitur? non ne Patres, vt distinguerent a diuina operatione, passionem appellauerunt motum humanum? MAXIMVS: Absit. nullius enim rei essentia, vt vniuersè dicam, ex collatione, aut comparatione cognoscitur, aut definitur. alioqui reperientur res esse inter se sibi vicissim causæ. Si enim, quia operatio est diuinus motus, humanus motus passio est, omnino etiam, quia bona est diuina natura, praua erit humana. & similiter secundum tuam reciprocationem oppositionis, quia humanus motus passio dicitur, diuinus motus operatio dicetur; & quia prauus est humanus motus, bonus erit diuinus. verum apage, multæ enim fatuitatis sunt ista. PYRRH. Quid ergo? an non humanum motum passionem appellauerunt Patres? MAX. Multis modis motum humanum appellauerunt, conuenienter subiectis notionibus. PYRRH. Quomodo hoc dicis? MAX. Appellauerunt eum potestatem, operationem, differentiam, motum, proprietatem, qualitatem, ac passionem, non secundum distinctionem ex oppositione diuini motus, sed tamquam continentem & conseruantem, atque immutabilem nominarunt δύναμιν (id est, vim, siue potestatem

A θέλῃ, ζωοποιῆ· ταῦτα γὰρ πάντα οὐ μόνον τῆς αὐτῆς ὄντα οὐσίας καὶ μὴ σάρκωσιν τῷ πατρὶ δείκνυσιν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας. καὶ πάλιν· εἰ ἡ περὶ τὰ ὄντα προνοια ἐνέργεια θεοῦ τυγχάνει, αὕτη δὲ οὐ μόνον πατρὸς, καὶ πνεύματος, ἀλλὰ καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ μετὰ σάρκωσίν ὅστιν, ἔστι καὶ τῆς αὐτῆς ὅστιν ἐνεργείας τῷ πατρὶ καὶ μετὰ σάρκωσιν. καὶ πάλιν· εἰ τὰ θαύματα ἐνέργεια θεοῦ τυγχάνει, ἐκ δὲ τῶν θαυμάτων τῆς αὐτῆς ὄντα οὐσίας τῷ πατρὶ ἐγνωμεν, ἔστι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας τῆς αὐ-
B τῆς ὢν τῷ πατρὶ ἐδείχθη οὐσίας· καὶ συνθεολογεῖται αὐτῷ καὶ μετὰ σάρκωσιν. καὶ πάλιν· εἰ ὑσιωδῶς προσεστι τῷ θεῷ ἡ δημιουργικὴ ἐνέργεια, τὰ δὲ ὑσιωδῶς προσόντα, καὶ ἀναφαίρετα, ἀνάγκη, αὐτοὺς, ἢ τῆς αὐτῆς τῷ πατρὶ καὶ μετὰ σάρκωσιν ἐνεργείας αὐτὸν ὑ λεγοντας, μὴ δὲ τῆς αὐτῆς αὐτῷ λέγειν οὐσίας εἶναι· ἔνθα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν ἐνέργεια οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἡ φύσις ἔσται ποτ' ἄν, ἢ τῆς αὐτῆς αὐτῷ λέγοντας αὐτὸν οὐσίας, καὶ τῆς αὐτῆς λέγειν ἐνεργείας, καὶ συνθεολογεῖν τῷ παθεῖ καὶ μὴ σάρ-
C κωσιν· ἔνθα γὰρ ἡ φύσις, ἐκεῖ καὶ ἡ κοινὴ κατ' αὐτὸν ἀπαραλείπτως ἔσται ἐνέργεια. ΠΥΡ. Οὐκ ἐπ' ἀναιρέσει τῆς ἀνθρωπίνης ἐνεργείας τὸν μίαν λέγομεν ἐνέργειαν· ἀλλ' ἐπειδὴ ἀντιδιαστελλομένη τῇ θείᾳ ἐνεργείᾳ, πάθος λέγεται, κατὰ τοῦτο. ΜΑΞ. Κατὰ τοῦτον τὸν λόγον, καὶ οἱ μίαν φύσιν λέγοντες, οὐκ ἐπ' ἀναιρέσει τῆς ἀνθρωπίνης ταύτην λέγουσιν· ἀλλ' ἐπειδὴ † παθητικὴ ἀντιδιαστελλομένη ἡ φύσις τῇ θείᾳ, † παθητικὴ λέγεται, κατὰ τοῦτο. ΠΥΡ. Τί οὖν; οὕτῃ προς τὸν θείαν ἐνέργειαν διαιρεῖ οἱ πατέρες πά-
D θος τὴν ἀνθρωπίνην προσηγόρευσαν κίνησιν; ΜΑΞ. Μὴ γένοιτο· οὐδενὸς γὰρ, καθόλου φάναι, ὑπαρξις ἐκ προδιαστάσεως, ἢ ἐκ συγκρίσεως, γνώσεται, ἢ ὁρίζεται· ἢ οὕτω δ' ἂν ἀλληλαίτια ὑρεθήσονται ὄντα τὰ πράγματα. εἰ γὰρ διὰ τὸ ἐνέργειαν εἶναι τὴν θείαν κίνησιν, ἢ ἀνθρωπίνη πάθος ὄξι, πάντως καὶ διὰ τὸ ἀγαθὴν εἶναι τὴν θείαν φύσιν, πονηρὰ ἔσαι ἡ † συνεπ-
ἀνθρωπίνη. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν † συνάν- δύσει ἀντι-
θεσιν ἀντιδιαστολὴν, διὰ τὸ πάθος λέγειν τὴν 602. 270.
ἀνθρωπίνην κίνησιν, ἢ θεία κίνησις ἐνέργεια λέ-
E γεται· καὶ διὰ τὸ πονηρὸν εἶναι τὴν ἀνθρωπίνην, ἀγαθὴ ἔσαι ἡ θεία. ἀλλ' ἄπαγε· πολλῆς γὰρ ὄντας ἀβελτηρίας ὄξι ταῦτα. ΠΥΡ. Τί οὖν; οὐκ ἀνόμασαν πάθος τὴν ἀνθρωπίνην κίνησιν οἱ πατέρες; ΜΑΞ. Πολυτρόπως αὐτὴν, πρὸς τὰς ὑποκειμένας διηνεκῶς ἐννοίας, ἀνόμασαν. ΠΥΡ. Πῶς τοῦτο λέγεις; ΜΑΞ. Προσηγόρευσαν αὐτὴν καὶ δύναμιν, καὶ ἐνέργειαν, καὶ διαφορὰν, καὶ κίνησιν, καὶ ἰδιότητα, καὶ ποιότητα, καὶ πάθος, οὐ κατὰ ἀντιδιαστολὴν τῆς θείας, ἀλλ' ὡς μὲν συνεκτικὴν, καὶ ἀναλλοίωτον, δύναμιν, ὡς δὲ χαρακτηριστι-
κὴν

κλῶ, καὶ τῷ ἐν πᾶσι τοῖς ὁμοειδέσιν ἀπαραλλαξίαν ἐκφάνσαν, ἐνέργειαν, ὡς δὲ ἀφορίσαντι, διαφοράν, ὡς δὲ ἐνδεικνυμένῳ, κίνησιν, ὡς δὲ συναπτικῷ, καὶ μόνῃ αὐτῇ, καὶ οὐκ ἄλλῃ, ποιότητα, ὡς δὲ εἰδοποιόν, ποιότητα, ὡς δὲ κινουμένῳ, πάθος· πάντα γὰρ τὰ ἐκ θεοῦ, καὶ μετὰ θεὸν, παρχὴ τὸ κινεῖσθαι, ὡς μὴ ὄντα αὐτοκίνησις, ἢ αὐτοδυναμις· ἡ κατὰ ἀνθρωπολογίαν οὖν, ὡς εἴρηται, ἀλλὰ διὰ τὴν δημιουργικὴν αὐτοῖς ἐντεῦθεν διαφορὰν τῆς τὸ πᾶν συνεπαμφίης αἰτίας λόγον. ὅθεν καὶ μετὰ τῆς θείας συνεκφωνοῦντες αὐτῷ, ἐνέργειαν προσηγόρευσαν· ὁ γὰρ εἰπών· ἐνεργεῖ γὰρ ἑκατέρα μορφὴ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας, τί ἕτερον πεποίηκεν, ἢ ὁ εἰπών· καὶ γὰρ τεσσαράκοντα ἡμέρας ὑπόστασις †διαμένας, ὕστερον ἐπείνασεν· ἔδωκε γὰρ τῇ φύσει, ὅτε ἠθέλησε, τὰ ἴδια ἐνεργῆσαι; ἢ οἱ διαφορὰν †αὐτοῦ φήσαντες ἐνέργειαν; ἢ οἱ διπλοῦν; ἢ οἱ ἄλλῳ, καὶ ἄλλῳ; ΠΥΡ. Εἰ ἀληθείας καὶ ἡ περὶ τῶν ἐνεργειῶν ζήτησις ἄτοπον ἔδειξε τῷ μίαν ἐνέργειαν, καθ' ὁιονδήποτε τρόπον δεῖ Χριστοῦ λεγομένῳ. ἀλλὰ συγχώρησόν μοι αὐτὸν ἐν ὑμῖν ἐμαυτὸν, καὶ τῶν προλαβόντων· ἐξ ἀγνοίας γὰρ εἰς τὰς ἀτόπους ταύτας ἐξολισθήκαμεν ἐννοίας, καὶ ἐπιζητήσεις· καὶ παρακαλῶ, δεῖξαι τρόπον· ἵνα καὶ ἡ ἐπεισακτος αὕτη ἀτοπία καταργηθῇ, καὶ ἡ μνήμη τῶν προλαβόντων φυλαχθῇ. ΜΑΞ. Ἄλλος οὐκ ἔστι τρόπος, ἢ παρασιωπηθῆναι μὲν τὰ πρόσωπα, ἀναθεματισθῆναι δὲ τὰ τοιαῦτα δόγματα. ΠΥΡ. Ἀλλ' εἰ τοῦτο γένηται, διώκοντας τούτοις συνεκβαλλόμενοι, Σέργιός τε, καὶ ἡ δὴ ἐμὲ γενομένη συνοδος. ΜΑΞ. Θαυμάζειν ὑπεστί μοι, πῶς συνοδον προκαλεῖς, τὴν μὴ κατὰ νόμους, καὶ κανόνας συνοδικοὺς, ἢ θεσμοὺς γενομένην ἐκκλησιαστικούς· ὅτε † γὰρ ἡ ἐπιστολὴ ἐγκύκλιος κατὰ συναίνεσιν τῶν πατριαρχῶν γέγονεν, οὔτε τόπος, ἢ ἡμέρα ὑπαντήσεως ὥρίσθη· οὐκ εἰσαγώγιμός τις, ἢ κατήγορος ἦν· συναπτικοὶ οἱ συνελθόντες οὐκ εἶχον, οὔτε οἱ ἐπίσκοποι ἀπὸ τῶν μητροπολιτῶν, οὔτε οἱ μητροπολῖται ἀπὸ τῶν πατριαρχῶν· οὐκ ἐπιστολαὶ, ἢ ἀποστρηται, ἀπὸ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν ἐπέμφθησαν. τίς οὖν λόγῳ † μεμοιραμένος, συνοδον καλεῖν ἀνάσχοιτο, τὴν σκανδάλων, καὶ διχονοίας ἅπασαν πληρώσασαν τὴν οἰκουμένην; ΠΥΡ. Εἰ οὐκ ἔστιν ἕτερος τρόπος, ἢ οὗτος, πάντων τὴν ἐμαυτῷ περιμένῳ σωτηρίαν, εἰλίμως ἔχω, μετὰ πάσης τοῦτο ποιῆσαι πληροφορίας, ἓν, καὶ μόνον, παρακαλῶ· ὡς τε ἀξιωθῆναί με, προηγουμένως μὲν τῆς τῶν ἀποστολικῶν σηκῶν, μᾶλλον δὲ αὐτῶν τῶν κορυφαίων ἀποστόλων προσκυνήσεως· λοιπὸν δὲ καὶ τῆς κατὰ πρόσωπον τῦ ἁγιωτάτου πάπα θέας, καὶ αὐτῷ ἐπιδοῦναι τῶν αὐτόθεν γεγραμμένων λίβελλον

† μένας 602. 336. 270.
† αὐτῷ 602. 270.
† γὰρ ἐπιστολὴ al.
† μεμοιραμένος 602. † μεμοιρηκὼς 270.

A

B

C

D

E

station) tamquam designantem, & ostendentem in omnibus eiusdem speciei ἀπαραλλαξίαν (id est, inuariationem) vocauerunt energiam (id est, operationem) tamquam separantem, & distinguentem, vocauerunt differentiam, tamquam indicantem, dixerunt motum; tamquam constituentem, & ipsi soli & non alij inhærentem, nuncupauerunt proprietatem; tamquam formæ efficientem, vocauerunt qualitatem; tamquam motum factum vocauerunt passionem. omnia enim, quæ ex Deo, & post Deum sunt, subeunt motum, vtpote quæ non sunt ipse per se motus, aut ipsa per se potestas. Non igitur sic vocauerunt propter distinctionem ex oppositione, vt dictum est, sed propter rationem ipsis inditam ex creatione a causa omnium rerum effectrice. Vnde cum diuino motu motũ humanum proferentes, ipsum appellauerunt energiam (id est, operationẽ). Qui enim dixit: operatur vtraque forma cum communione alterius, quid aliud fecit, quam quod is, qui dixit: Etenim, cum quadraginta dies ieiunus fuisset, postea esuriuit: concessit enim naturæ, quando voluit, vt quæ propria erant, operaretur? aut quam quod ij, qui dixerunt, differentem esse eius operationem? aut qui duplicem? aut qui aliam & aliam? PYRRH. Demonstratum etiam profecto est in quæstione de operationibus absurdum esse, vnam operationem in Christo dicere, quomodocumque dicatur. Sed veniam postulo tum mihi ipsi, tum ijs, qui antecesserunt. ex ignorantia enim in absurdas has sententias & argumentationes prolapsi sumus: & obsecro, vt inueniatur modus delendi hanc introductam absonam sententiam, & parcendi memoriæ antecessorum. MAX. Non est alius modus, quam taceri personas, & anathemate affici talia dogmata. PYR. At si hoc fiat, reperientur cum his simul eiecti Sergius & Synodus me Patriarcha habita. MAX. Subit me admiratio, quomodo Synodum voeas, quæ non est habita, vt leges & canones Synodici & iura Ecclesiastica iubent. nec enim epistola encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque locus, neque dies conueniendi decretus. non fuit aliquis actor, aut accusator. qui conuenerunt, epistolas commendatitias non habuerunt, nec Episcopi a Metropolitanis, neque Metropolitani a Patriarchis. non epistolæ, neque Vicarij ab alijs Patriarchis missi sunt. Quis igitur particeps rationis Synodũ sustineat appellare, quæ scandalis & discordia cunctum Orbem impleuit? PYR. Si non est alius modus præter hunc, pluris faciens salutem meam, quam cetera omnia, præsto sum ad faciendum hoc cum omni satisfactione: hoc solum rogo, vt diguus habear in primis templorum Apostolorum, ac potius ipsorum principum Apostolorum adoratione, deinde, vt videam faciem sanctissimi Papæ, eique tradam libellum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum eorum, quæ absurde facta sunt. Maximus & Gregorius patricius dixerunt: Quandoquidem tua propositio bona est, & Ecclesiæ vtilis, sic fiat.

In hac ergo celeberrima Vrbe Roma cum adesset nobiscum, promissum præstitit, damnauitq. dogmata impiæ expositionis; seq. per rectam professionem cum sancta Catholica & Apostolica Ecclesia coniunxit, gratia & cooperatione magni Dei, & Saluatoris nostri, Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

A βελλον. † Μάξιμος καὶ Γρηγόριος ὁ πατρίκιος εἶπαν· Επειδὴ ἡ † προθεσίς σου ἀγαθὴ τυγχάνει, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ συμβαλλομένη, ἔστω καὶ γένηται.

† πρόθεσις τῶ ἑρμηνεύ τῳ, Μαξ. 270.

Ἐν ταύτῃ οὖν τῇ μεγαλωνύμῳ σοὶ ἡμῶν πόλει Ρωμαίων πόλῃ, τῷ ὑποχεσον ἐπλήρωσε, κατακείνας μὲν τὰ τῆς ἀσεβοῦς ἐκθέσεως δόγματα, ἑνώσας δὲ ἑαυτὸν διὰ τῆς ὀρθοδόξου ὁμολογίας τῇ ἁγίᾳ, καθολικῇ, καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, χάριτι, καὶ συνεργείᾳ τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Αμήν.

† πρόθεσις σου 270.

ΤΕΛΟΣ.



Universidad de Deusto
Biblioteca

VARIETAS LECTIONVM.

Pag. 677. ſupra A 602. habet hanc inſcriptionem, Η γλυμμὴ ἐν Αφεικῇ ἐξήλεξις τῶ ὁσίω Μαξίμω πρὸς Πύῤῥον.

678. A linea 5 προσπθικότις, 336. habet προσπθικότης.
10 συσήσαθαι, 602. 270. ὑποσήσαθζ.
B 2 ἀμείβειν 336. ὑπαμείβζν.
4 μομφῆς 336. μέμψεως.

679. C 1 γινώσκομεν, alia præter 270. 336. γινώσκζν.
E 9 ἀλλήλως, 270. ἄλλως.

680. B θέλειν, καὶ ὁρᾶν χρήσεως, μόνῳ 602. 270. θέλοντος ὁρᾶν χρήσεως, ὡς μόνῳ. in columna Lat. & eſt eorum effectrix ſecundum ſubſtantiam, ſimul,&c. poteſt e Græca lectione marginali ſic verti, eſſentialis ipſius, & effectrix,ſimul.
B 10 προσπινούμενον, 602. 339. προσπινούμενον.

681. B 9 θεολογία, al. θεολογίας.

682. A 6 κοινὸν λέγζς, 270. κοινὸν ἔχζν λέγζς. 602. pro ἔχζν, ἔχζ habet.
B 4 ὅπερ, 270. 602. ὡς
6 ἤθελεν, 602. 270. ἠθέλησεν.
8 γλυόμενα, 270. γινόμενα.

683. E 2 ἐπερούσιον, al. τὸ ἐπερούσιον.

684. B 3 602. non habet τῆς, nec paulo poſt ζωῆς.

685. C 10 ἀυτὸ, 602. 270. ἀυτὰ.
E 8 ἀυτῶν 602. 270. ἀυτὸ.
E 11 καὶ εἰ, 602. κἂν εἰ.

686. A 5 Ναὶ, ἡμίτερον, 602. Οὕτως ἔχζ.

688. A 5 μόνα, al. μόνον.
B 6 ὅπὶ βυλῆς, al. ὅπβυλῆς.

689. E 5 τᾶ, 270. τὰς.

691. D 6 τὸν, al. præter 270. non habent.
E 6 καὶ, 270. non habet.

692. A 9 τὸ πᾶ, 602. 270. τόπον, al. τὸ πᾶν.
E 5 Θεὸς, τᾶτ. 602. 270. Θεὸς ἦν τᾶτ.

693. B 4 ἐννάτῳ ψαλμῶ, 602. 270. 339. ἐννάτῳ ᾄδζ ψαλμῷ, nec habent paulo poſt φησὶ.

694. B 1 τᾶ μὴ, 336. τὸ μὴ.
C 6 ᾧδὶ 602. 270. ᾧδὸς.
8 ἐν τοῖς, 270. 602. non habent.

696. B 7 ἔχυσι δόγματα, 339. ἔχυσιν, οἱ χάρται δηλονότι, δόγματα.
E 8 ἀυτᾶν, 339. ἀυτά.

697. A 8 αἱρετικῶν, 339. αἱρετικῶ.
B γένονε, 270. γεγένηται.
C 8 Εἴ τι ᾧδὸς 270. 602. Εἰ ᾧδὸς.

698. D 4 Νεσόειος λέγζ, ἕνωσιν. al. Νεσόειος, λέγζν ἕνωσιν.
D 5 ἡ ἕνωσις, 270. 602. non habent.
Νεσόειος, al. non habent.
E 3 τι, 339. δὴ.

699. A 3 τὸ, al. non habent.
D 3 ἡμᾶς, 270. non habet

700. D 2 ἐδιέχθη, al. ἀπεδιέχθη.
10 μόνον, 339. 270. μονὰ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pag. 702. B 7 ἠγνόησεν ἂν, 602. 270. ἠγνόησε δέ.
E 8 τοῦτο, 270. 602. non habent.
703. A 9 ἄλλην ἐν ᾧδῇ τὸν πατέρα, &c. omissis his, quæ hac linea, & fere tota sequenti habentur. 270. 602. habent ἄλλης ᾠδῆ, &c. vt infra.
10 θεὸς, al. θεῷ.
704. A 8 ἐνέργια, al. præter 270. 602. ἐνεργείας.
C κοινὴ. 602. 270. non habent.
705. B 3 καὶ γάρ, 602. non habet.
D 8 ὁλοσολεῖ, al. præter 602. ὁλοσολὴ.
E 2 πάντων, al. præter 336. 339. πάντας.
9 ἀγιωτάτῳ, al. præter 270. 602. μακαριωτάτῳ.
706. A ἅπαν, al. ἅπαν.



Universidad de Deusto
Biblioteca

A

FRAGMENTA DIVERSA SVIS LOCIS REDDENDA.

QVOD his diebus acceperimus librum cusum Parisijs, apud Ambrosium Drouart, Anno Domini M. D. XCVIII. *hoc titulo prænotatum*, B. HILARII PICTAVIENSIS *Prouinciæ Aquitaniæ Episcopi, ex opere Historico Fragmenta numquam antea edita.*] *Opportuna occasio a nobis exigit importune, & extorquet etiam, vt nouam hic affigamus appendicem, qua tum nonnullas epistolas ibi positas diu desideratas, ad ampliorem elucidationem historicæ veritatis, suis singulis reddendas locis aptemus; tum etiam vt (quod maioris momenti est) quædam fragmenta, non suis auctoribus adscripta,*
B *quibus, ingenti veritatis præiudicio, Liberius Papa maximam calumniam patitur, in lucem apertissimam vendicemus. Porro hac etiam bene vsi occasione adiecimus alia, tum ad Tertium, tum ad Quartum tomum spectantia, satius existimantes hic non suo loco edere, quam non edita deperire. Curet Typographus, vt hic saltim cusa, lector, hæc habeat, quousque in recentiori editione, ipse suis singula locis in textu restituat.*

Tom. 3. Annal. Rom. edit. posterioris pag. 566. B *vers.* 3. *vel Plantiniana nouissima ead. pag. & ver. ibi* reliqua desunt in exemplari. *quibus hæc addas*: accidit vero tandem his diebus, vt eam diu expectatam numquam acceptam, cusam viderimus in nuper edito Parisijs libello, sub titulo Hilarij Fragmentorum, depromptam ex bibliotheca Petri Pithoei, editamq. studio Nicolai Fabri viri ornatissimi ac disertissimi, quæ sic se habet[a]: *a Hilar. frag. lib. c. pag. 15. 16. 17.*

Incipit exemplum epistulæ factæ ad Iulium Vrbis Romæ Episcopum: Iulio Episcopo a
C Synodo directa.

Quod semper credidimus, etiam nunc sentimus: experientia enim probat & confirmat quæ quisque auditione audiuit. Verum est enim quod beatissimus magister Gentium Paulus Apostolus de se locutus est: quamquam vtique quia in ipso Dominus Christus habitauit, dubitari non possit Spiritum sanctum per animam eius locutum & organum corporis personasse. Et tu itaque, dilectissime frater, corpore separatus, mente concordi ac voluntate adfuisti. & honesta fuit & necessaria excusatio absentiæ, ne aut lupi schismatici furtum facerent & raperent per insidias, aut canes hæretici rabido furore exciti infani oblatrarent, aut certe serpens diabolus blasphemiorum venenum effunderet. Hoc enim optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibuscumque prouincijs Domini referant sacerdotes.

D Quoniam ergo vniuersa quæ gesta sunt, quæ acta, quæ constituta, & chartæ continent, & viuæ voces charissimorum fratrum & compresbyterorum nostrorum Arcydami & Filoxeni, & charissimi filij nostri Leonis diaconi verissime & fideliter exponere potuerunt, pene superuacuum videatur eadem his inserere litteris. Patuit apud omnes qui conuenerunt ex partibus Orientis, qui se appellant Episcopos (quamquam sint ex his certi auctores quorum sacrilegas mentes Ariana hæresis pestifero tinxit veneno) diu tergiuersatos propter diffidentiam ad Iudicium venire noluisse, tuamq. & nostram reprehendere communionem, quæ nullam habebat culpam, quia non solum octoginta Episcopis testantibus de innocentia Athanasij pariter credidimus, sed & conuenti per presbyteros tuos & per epistulam a Synodo quæ futura erat in vrbe Roma, venire noluerunt: & satis erat iniquum, illis contemnentibus, tot sacerdotibus testimonium perhibentibus, Mar-
E cello & Athanasio denegare societatem.

Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam & ipsi religiosissimi Imperatores permiserunt, vt de integro vniuersa discussa disputarentur, & ante omnia de sancta fide & de integritate veritatis quam violauerunt. Secunda de personis, quos dicebant esse deiectos de iniquo iudicio, vt si potuissent probare iusta fieret confirmatio. Tertia vero quæstio, quæ vere quæstio appellanda est, quod graues & acerbas iniurias, intolerabiles etiam & nepharias contumelias Ecclesijs fecissent, cum raperent Episcopos, presbyteros, diacones & omnes clericos in exilium mitterent, ad deserta loca traducerent, fame, siti, nuditate, & omni egestate necarent: alios clausos carcere, & squalore & putore conficerent: nonnullos ferreis vinculis ita, vt ceruices eis arctissimis circulis strangullarentur: denique ex ipsis quidam vincti in eadem iniusta defecerunt pœna: quorum ambigi non potest martyrio glorioſam mortem extitisse. adhuc quoque audent quosdam retinere: nec vlli causa fuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

criminis, nisi quod repugnarent & clamarent quod execrarentur Arianam & Eusebij A
hæresim, & nollent habere cum talibus communionem, qui autem sæculo seruire noluerunt, *prodesse, & qui ante fuerant deiecti non solum recepti sunt, sed etiam ad clericam dignitatem promoti, & receperunt præmium falsitatis.

Quid autem de impijs & de imperitis adolescentibus Vrsacio & Valente statutum sit, accipe, beatissime frater: Quia manifestum erat hos non cessare adulterinæ doctrinæ lethalia semina spargere, & quod Valens relicta Ecclesia aliam inuadere voluisset eo tempore quo seditionem commouit, vnus ex fratribus nostris, qui fugere non potuit Viator obrutus & conculcatus in eadem Aquileiensium ciuitate die tertia defecit. Causa vtique mortis Valens qui perturbauit, qui sollicitauit. Sed ea quæ beatissimis Augustis significauimus, cum legeritis, facile peruidebitis nihil nos prætermisisse, quantum ratio patiebatur: & ne molesta esset longa narratio, qui fecissent & commisissent, insinuauimus. B

Tua autem excellens prudentia disponere debet vt per tua scripta qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita cognoscant, & ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, id est, epistolia, quos iusta sententia redarguit. Perseuerent autem Marcellus, Athanasius & Asclepius nostra communione, quia obesse eis non poterat iniquum iudicium, & fuga, & tergiuersatio eorum, qui ad Iudicium omnium Episcoporum qui conuenimus, venire noluerunt. Cetera, sicuti superius commemorauimus, plena relatio fratrum quos sincera charitas tua misit, vnanimitatem tuam perdocebit. Eorum autem nomina qui pro facinoribus deiecti sunt, subijcere curauimus, vt sciret eximia grauitas tua qui essent communione priuati, vti ante prælocuti sumus. Omnes fratres & Coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne epistolia, id est, litteras communicatorias eorum accipiant. C

NOMINA HAERETICORVM.

Vrsacius a Singiduno
Valens a Mursa
Narcissus ab Ieropoli
Stephanus ab Antiochia
Acacius a Cæsarea
Menofantus ab Efeso
Georgius a Laodicia.

Sequitur in libro edito series Episcoporum Orthodoxorum, in qua vndesexaginta tantum recensiti numerantur, cum tamen longe numerosiorem fuisse eum Conuentum, superius haud dubijs assertionibus sit demonstratum. D

Addiderunt his Patres-

Tom. 3. Annal. edit. Rom. secundæ, pag. 581. A 2 *ibi* adsciscere satagebant *his hæc adde*: Sed opportune accidit, vt ex antiquitatum promptuario Petri Pithoei reperta sit ipsa integra epistola Pseudosynodi Sardicensis, cuius sæpe meminit (vt vidisti) S. Augustinus: inest posteriori libro, velut appendix ad scriptum a S. Hilario librum de Synodo Ariminensi, quem fidelissimus eius contubernalis Nicolaus Faber, nuper edidit. Quod igitur eius epistolæ, quam vt ab hæreticis factam S. Augustinus damnat, Ecclesiasticæ antiquitatis studiosis plenius cognoscendæ semper fuerit desiderium: hic tibi eam describendam curauimus. At licet vel ex translatione facta ab inerudito homine Latinarum litterarum, vel a describentibus eam librarijs dormitantibus, atque etiam ex nimia vetustate ipsa mendis obsita videatur: erit plane vt ex ipsa vel eam capias vtilitatem, vt consuetum morem cognoscas hæreticorum, qui quo minus veritate pollent, eo amplius calumnijs E
atque mendacijs nituntur, vt non mireris si tantas in Romanos Pontifices coaceruant calumnias Nouatores, cum videris hos in magnum Athanasium, S. Prothogenem, S. Iulium Romanum Pontificem, S. Paulum Constantinopolitanum Episcopum, Osium tum temporis probatissimum, & sanctum Maximum Episcopum Treuerensem calumniarum plaustra vexisse, & mendaciorum sarcinis onerasse nauigia, adeo vt & quæ ipsi fecissent, adscribere Catholicis non sint veriti. Sed accipe eam, cuius sic se habet inscriptio[a]:

[a] *Hilar. frag. lib. 2. pag. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.*

Incipit Decretum Synodi Orientalium apud Serdicam Episcoporum a parte Arianorum, quod miserunt ad Africam.

Gregorio Alexandriæ Episcopo, Anfioni Nicomediæ Episcopo, Donato Carthaginis Episcopo, Desiderio Campaniæ Episcopo, Fortunato Neapolis Campaniæ Episcopo, Eutichio Ariminiadeno Campaniæ Episcopo, Maximo Salonarum Dalmatiæ Episcopo

Universidad de Deusto

A scopo, Sinferunti, & omnibus per orbem terrarum consacerdotibus nostris, presbyteris & diaconibus, & omnibus qui sub cœlo sunt in Ecclesia sancta Catholica Episcopis, qui a diuersis Orientalium prouincijs, id est, prouincia Thebaida, & prouincia Palæstina, Arabia, Fenice, Syria, Mesopotamia, Cilicia, Isauria, Cappadocia, Gallacia, Ponto, Bithinia, Pamphilia, Paflagonia, Caria, Frigia, Pisidia, & ex insulis Cycladum, Lydiæ, Asiæ, Europæ, Helespontu, Thraciæ, Hæmimontu, ad ciuitatem Serdicam congregati Concilium celebrauimus, in Domino æterna salus.

Est quidem nobis omnibus indeficiens oratio, dilectissimi fratres, primo vt sancta Domini & Catholica Ecclesia dissensionibus omnibus & scismatibus carens, vnitatem spiritus & vinculum charitatis vbique conseruet per fidem rectam: sed & vitam immaculatam quoque tenere, amplecti, custodire, seruare omnibus inuocantibus Dominum est
B quidem iustum, præcipue Episcopis, qui Ecclesijs sanctis præsumus. Secundum, vt Ecclesiæ regula sanctaq. parentum traditio atque iudicia in perpetuum firma solidaq. permaneant, nec nobis semper * gentibus, sectis, traditionibusq. peruersis, maxime in constituendis Episcopis, vel in exponendis, aliquando turbetur, quominus teneat Euangelica sanctaq. præcepta: & quæ sanctis & beatissimis Apostolis iussa sunt & a maioribus nostris atque a nobis ipsis in hodiernum vsque seruata sunt, & seruantur. *

Extitit namque temporibus nostris Marcellus quidam Gallaciæ hæreticorum omnium execrabilior pestis, quique sacrilega mente, ore profano perditoq. argumento velit Chri- CONTRA MARCELLVM ANCYRANVM.
sti Domini regnum perpetuum, æternum & sine tempore disterminasse, initium regnandi accepisse Dominum dicens ante quadringentos annos, finemq. ei venturum simul cum
C mundi occasu. Etiam hoc asserere cœpti temeritate conatur, quod in corporis conceptione tunc factus sit imago inuisibilis Dei, tuncq. & panis, & ianua, & vita effectus. eadem hæc non solum verbis nec loquacitatis assertione confirmat, sed totum quicquid fuerat sacrilega mente conceptum blasphemoq. ore prolatum, concupiscentia * nitenti, libro * *
blasphemijs & execrationibus pleno indens, etiam alia multa peiora, calumniam in ipsis faciens diuinis scripturis cum sua interpretatione & scelerata mente, quæ contra illis ex suo pestifero sensu applicabat. quibus ex rebus aperte manifesteq. constitit hæreticus: quique assertiones suas quibusdam squaloribus miscens nunc falsitatibus Sabellij, nunc malitiæ Pauli Samosatensis, nunc blasphemijs Montani hæreticorum omnium ducis aperte permiscens, vnamq. confusionem de supradictis faciens, vt impudens Galata in aliud Euangelium declinauit, quod non est aliud, secundum quod beatus Paulus tales con-
demnans ait: Et si Angelus de cœlo aliter annunciauerit vobis, quam quod accepistis,
D anathema sit.

Magna autem fuit parentibus atque maioribus nostris sollicitudo de supradicta prædicatione sacrilega. Condicitur namque in Constantinopolim ciuitatem sub præsentia beatissimæ memoriæ Constantini Imperatoris, Concilium Episcoporum qui ex multis Orientalium prouincijs aduenerunt, vt hominem malis rebus imbutum salubri consilio reformarent, & ille admonitione sanctissima correptus a prædicatione sacrilega discederet: quique increpantes illum & exprobrantes, necnon charitatis affectu postulantes multo tempore nec quicquam proficiebant. Namque post vnam & secundam multasq. correptiones, cum nihil proficere potuissent (perdurabat enim & contradicebat rectæ fidei, & contentione maligna Ecclesiæ Catholicæ resistebat) exinde illum omnes horrere ac vitare cœperunt: & videntes quoniam subuersus est a peccato, & est a semetipso damnatus,
E actis eum Ecclesiasticis damnauerunt, ne vlterius oues Christi pestiferis contactibus magis macularet. Tunc namque etiam eius aliquos prauissimos sensus contra fidem rectam Ecclesiamq. sanctissimam, propter memoriam posterorum cautelamque, suis sanctissimis scripturis in archiuo Ecclesiæ condiderunt.

Sed hæc quidem secundum impietatem Marcelli hæretici prima fuerunt. peiora sunt deinde subsecuta. Nam quis fidelium credat aut patiatur ea, quæ ab ipso male gesta atque conscripta sunt, quæque digne anathematizata sunt? Nam cum ipso Marcello a parentibus nostris in Constantinopolim ciuitatem. * Namque liber sententiarum exrat in ipsum ab Episcopis conscriptus, in quo libro etiam isti, qui nunc cum ipso sunt * *
Marcello atque illi faucnt, id est Prothogenes Sardicæ ciuitatis Episcopus & * Siracusanus in ipsa sententia manu propria conscripserunt, quorum manus valens testatur fidem sanctissimam nullo genere mutandam, nec Ecclesiam sanctam prædicatione falsa subuerten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam, ne hoc modo pestes ac lues animalium omnibus grauissima importetur, Paulo di- A
cente: Siue nos, siue Angelus de cœlo aliter annunciauerit vobis, quam quod accepistis, anathema sit. Vehementer autem admirati sumus, quatenus eum qui aliter quam in vero est, audet Euangelium prædicare, quidam qui se Ecclesiasticos esse volunt, facile ad communionem recipiunt, nec blasphemias eius quæ in ipsius libro signatæ sunt, inquirentes, nec illis qui sollicite cuncta inuestigauerunt, & inuenientes iuste damnauerunt, consensum accommodare voluerunt. Etenim Marcellus cum apud suos hæreticus haberetur, peregrinationis auxilia requisiuit, scilicet vt & illos falleret qui & ipsum & eius scripta pestifera ignorarent. Sed quicquid apud illos agit, impia sua scripta sensusq. profanos occultat, falsa pro veris opponens, quæstum sibi de simplicibus atque innocentibus fecit.

Quique sub prætextu Ecclesiasticæ regulæ multos Ecclesiæ pastores induxit, eosq. in B
suam redigens potestatem, Sabellij hæretici sectam inducens callida fraude decepit, restaurans Pauli Samosatensis & artes & dolos. Mixta enim est omnium hæreticorum sectis Marcelli extranea traditio, sicut supra memoratum est. Vnde conuenerat omnes Ecclesiæ sanctæ præpositos memores dictorum Domini Christi dicentis: Cauete vos a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos, vitare ab huiusmodi & horrere, nec illis facile communicare, agnoscere illos ex actibus suis, atque ex eorum scriptis sacrilegis prædamnare. Nunc vero vehementer meruimus, ne nostris temporibus compleatur quod scriptum est: Cum dormiunt homines, venit inimicus & spargit zizania inter frumentum. Cum enim non vigilant hi, quos vigilare oportet in custodia Ecclesiæ, falsa verba nutantia, funditus id quod rectum est, vertunt. C

Quapropter nos qui plene ex libro Marcelli, eius sectam sceleraq. cognouimus, scripsimus vobis, dilectissimi fratres, vt neque Marcellum, neque eos qui illi iunguntur ad communionem sanctæ Ecclesiæ admittatis. memores quoque sitis Prophetæ Dauid dicentis: Dixi eis qui faciunt facinus, ne feceritis facinus, & delinquentibus, ne exaltaueritis cornu. Nolite in altum tollere cornu vestrum: ne loquamini aduersus Dominum iniqua. Et credite Salomoni dicenti: Nolite transferre terminos æternos, quos constituerunt patres vestri. Quæ cum ita sint, nolite supradicti Marcelli prauissimi sequi errores, & ea quæ ab ipso iniusta prædicatione contra Dominum Christum inuenta traditaq. sunt, prædamnate, ne blasphemijs sceleribusq. etiam ipsi participes sitis. Sed propter compendium, & hactenus de Marcello.

Verum de Athanasio quondam Alexandriæ Episcopo accipite, quæ gesta sunt. Accu- D
satus & grauiter iuxta Deum sacrilegus, & iuxta mysteria Ecclesiæ sanctæ prophanus, quique proprijs manibus comminuit poculum Deo & Christo dicatum, ipsumq. altare venerandum confregit, sedemq. sacerdotalem subuertit ipse, atque ipsam basilicam, Dei domum, Ecclesiam Christi demolitus vsque ad solum est. Presbyterum vero ipsum virum grauem & iustum, nomine Narchen tradidit custodiæ militari. Accusatus præterea est de iniurijs, violentia, cæde, atque ipsa Episcopi internecione, quique etiam diebus sacratissimis Paschæ tyrannico more sæuiens, Ducibus atque Comitibus iunctus: quique propter ipsum aliquos in custodiam recludebant, aliquos vero verberibus flagellisq. vexabant, ceteros diuersis tormentis ad communionem eius sacrilegam adigebant (nec actus commissi vmquam ab innocentibus fuerant) sperans hoc modo suos suamq. præualere posse factionem, vt per Duces & Iudices, perq. carceres ipsos, verbera diuersaq. tormenta E
inuitos ad communionem suam cogeret, nolentes adigeret, repugnantes atque resistentes sibi tyrannico more terreret. Erant quidem illa grauia & acerba ab accusatoribus obiecta.

Nam propter hæc necessario Concilium apud Cæsaream Palæstinam primo videtur esse conditum: & cum minime ab ipso vel ab satellitibus ad supradictum Concilium occurreretur, post alterum annum in Tyro, propter eius facinora necessario iterum celebratur. Aduenerunt Episcopi de Macedonia, & de Pannonia, Bithynia, & omnibus partibus Orientis, Imperatoris iussione constricti, quique * Actis Athanasij flagitia criminaq. cognoscentes, non passim nec temere accusatoribus credunt, sed suo de Concilio inlustres & laudabiles Episcopos eligunt, atque in rem præsentem vbi res gestæ erant, de quibus arguebatur Athanasius, mittunt: quique oculata fide cuncta aspicientes atque ve-

ra co-

Universidad de Deusto
Biblioteca

A ra cognoscentes ad Concilium redeunt, eiusq. crimina, quæ ab accusatoribus obijciebantur, suo testimonio vera confirmant. Vnde in præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens, Imperatorem appellat. Audit etiam Imperator, quique interrogatione habita, omnia eius flagitia recognoscens, sua illum sententia in exilium deportauit. His ergo ita cedentibus rebus, cum Athanasius damnatus digne, in exilio haberetur ob meritum facinorum suorum, sacrilegus in Deum, in mysteria sacra prophanus, in basilicæ demolitione violentus, in Episcoporum exitijs innocentiumq. fratrum persecutor horrendus, ab omnibus Episcopis in reijciendis malis seruatur auctoritas legis, canon Ecclesiæ, & Apostolorum sancta traditio.

Sed dum Athanasius post damnationem suam reditum sibi de exilio compararet, de Gallia ad Alexandriam post plurimum tempus aduenit: quique præterita in nihilum du-
B cens, acrius in nequitia præualebat. Nam comparatione sequentium, leuia sunt quæ ab ipso prima commissa sunt. Etenim per omnem viam reditus sui Ecclesiam subuertebat, damnatos Episcopos aliquos restaurabat, aliquibus spem ad Episcopatus reditum promittebat: aliquos ex infidelibus constituebat Episcopos, saluis & permanentibus integris sacerdotibus per pugnas & cædes Gentilium nihil respiciens leges, desperationi tribuens totum: vnde per vim, per cædem, per bellum, Alexandrinorum basilicas deprædatur. Constituto iam in eius locum ex iudicio Concilij sancto & integro sacerdote, vt barbarus hostis, vt pestis sacrilega, adductis Gentilium populis Dei templum incendit, altare comminuit, & clam exit de ciuitate, occulteq. profugit.

Sed de Paulo Constantinopolitanæ ciuitatis quondam Episcopo post reditum exilij sui si quis audierit, perhorrescet. Fuere namque & in Ancyra prouincia Gallaciæ post re-
C ditum Marcelli hæretici, domorum incendia & genera diuersa bellorum: nudi ab ipso ad forum trahebantur presbyteri, & (quod cum lachrymis luctuq. est dicendum) consecratum Domini corpus ad sacerdotum colla suspensum palam publiceq. prophanabat, virginesq. sanctissimas Deo Christoq. dicatas publice in foro, mediaq. in ciuitate, concurrentibus populis, abstractis vestibus, horrenda fœditate nudabat. Sed in ciuitate Gaza prouinciæ Palæstinæ, post reditum suum Asclepas altare comminuit, multasq. seditiones effecit. Præterea Adrianopoli Lucius post reditum suum sacrificium a sanctis & integris sacerdotibus confectum (si fas est dicere) canibus proijciendum iubebat. Igitur cum hæc ita sint, numquidnam lupis tantis ac talibus oues Christi adhucusque credimus, & membra Christi, membra fornicatoriæ faciemus? absit.

Nam postea Athanasius peragrans per diuersas partes orbis terrarum, scilicet seducens
D aliquos, per suam fallaciam adulationemq. pestiferam decipiens innocentes Episcopos qui eius facinora ignorabant, vel Aegyptios aliquos eius actus ignorantes, scripta a singulis emendicando, Ecclesias pacificas perturbabat, aut ipse sibi nouas pro sua voluntate* Nihil tamen hoc valere potuit ad iudicium iamdudum a sanctissimis & inlustribus *
Episcopis consecratum. Non enim commendatio eorum, qui nec in Concilio Iudices fuerunt, nec Concilij iudicium habuerunt aliquando, nec præsentes cum supradictus Athanasius audiretur, fuisse noscuntur, aut valere illi potuit, aut prodesse. Denique cum sibi hæc incassum proueniisse cognosceret, ad Iulium Romam perrexit, sed & ad Italiæ quosdam ipsius partis Episcopos, quos seducens per epistularum falsitatem, ab eisdem perfacile in communione receptus est. Deinde cœpere illi non tam pro ipso, quam pro suis actibus laborare, quod illi perremere credendo communicauerant. Etenim si fuerant illæ
E litteræ aliquorum, non tamen eorum qui Iudices fuerant, aut in Concilio adfederant: quæ quidem etiam si essent aliquorum, temere illi fidem * proferunt credere noluerunt: *
Ideo quia & alij quique * in prætorium pro suis facinoribus detecti sunt, nunc cum Marcello & Athanasio coniuncti sunt. *

Decimus autem Asclepas ante decem & septem annos Episcopatus honore discinctus est. deinde Paulum & Lucium & quotquot talibus coniuncti sunt, circumeuntes simul exteras regiones, persuadebant Iudicibus non esse credendum illis qui in eos digne sententiam protulerunt, vt hoc genere commercij sibi quendam ad Episcopatus reditum procurarent. Nec in ipsis locis in quibus peccauerant, nec in proximis, vel vbi accusatores habebant, se defendebant, sed iuxta peregrinos & longe a regionibus suis positos, ignorantes gestorum fidem, iustam sententiam conabantur perfringere, ad illos referentes actus suos qui illos per omnia nesciebant. Astute hoc faciunt. Scientes enim de Iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicibus, de accusatoribus, de testibus multos decessisse, post tot tantasque sententias, A
putauerunt aliud restaurare Iudicium, volentes apud nos causam dicere, qui neque illos
excusauimus, neque iudicauimus. Qui enim iudicauerunt iam ad Dominum perrexere.
* Voluerunt autem etiam Orientalibus Episcopis * & veniunt pro Iudicibus defensores, pro
defensoribus rei, eo tempore cum eorum defensio non valebat: maxime cum tunc defen-
di minime potuerunt, quando illos accusatores sui faciem ad faciem arguebant, nouam
legem introducere putauerunt, vt Orientales Episcopi ab Occidentalibus iudicarentur.
Et volebant Ecclesiæ iudicium per eos posse constare, qui non tam illorum miserebantur, quam actibus suis. *

Hoc itaque nephas quoniam numquam recepit Ecclesiastica disciplina, quæsumus, dilectissimi fratres, vt sceleratam perniciem conatusque mortiferos perditorum, nobiscum etiam ipsi damnetis. Etenim cum adhuc esset Episcopus Athanasius, Asclepam depositum sua sententia ipse damnauit: sed & Marcellus similiter illi numquam communicauit: Paulus vero Athanasij expositioni interfuit, manuq. propria sententiam scribens, cum ceteris eum etiam ipse damnauit: & quamdiu quisque eorum Episcopus fuit, sua iudicia confirmauit, sed cum diuersis ex causis diuersisque temporibus singuli eorum digne de Ecclesia, suis pro meritis pellerentur, maiorem concordiam vna conspiratione fecerunt, donantes sibi quisque delicta quæ cum Episcopi essent, pro auctoritate diuina damnarunt. Namque quando Athanasius in Italiam & Galliam pergens sibi iudicium comparauit, post mortem aliquorum accusatorum, testium, Iudicumque, & credidit posse se denuo tempore audiri quod eius flagitia vetustas temporis obscuraret, cui consensum commodantes, non recte, Iulius vrbis Romæ Episcopus, Maximus, & Ossius ceterique complures ipsorum Concilium apud Serdicam fieri ex Imperatoris benignitate sumpserunt, occurrimus ad Serdicam litteris Imperatoris conuenti: quo cum venissemus, didicimus in media Ecclesia Athanasium, Marcellum omnes sceleratos Concilij sententia pulsos, & merito singulos pro suis facinoribus prædamnatos, cum Ossio & Prothogene sedere simul & disputare, & quod est deterius, diuina mysteria celebrare. Nec confundebatur Prothogenes Serdices Episcopus communicare Marcello hæretico, cuius & sectam & reprobum sensum in Concilio quater sententijs Episcoporum subscribens, propria voce ipse damnauerat. Vnde manifestum est quia sese ipse sua sententia condemnauit, cum se illi communicando participem fecit. B C

Verum nos tenentes Ecclesiasticæ regulæ disciplinam, & volentes miseros in aliquantulum viuere, mandauimus illis qui cum Prothogene & Ossio fuerunt, vt de suo cœtu damnatos excluderent, neque peccatoribus communicarent: deinde vna nobiscum audirent ea quæ a patribus nostris contra ipsos in præteritum fuerant iudicata; (nam libet Marcelli non expectabat accusationem, per se enim aperte hæreticus noscebatur:) & ne D
* falsis suggestionibus crederent, * non eorum quisquam prauissimam mentem propter
* locum Episcopatus obscurant. * At illi contra hæc resistebant, qua ratione, nescimus: nec se voluerunt ab ipsorum communione secernere, confirmantes Marcelli hæretici sectam, & facinora Athanasij ceterorumq. scelera fidei Ecclesiasticæ paciq. præponebant.

His itaque cognitis nos octoginta Episcopi, qui propter pacem confirmandam Ecclesiæ ex diuersis longinquisque prouincijs cum ingenti exitu & labore ad Serdicam veneramus, videntes hæc non sine lachrymis ferebamus. Leue enim non erat quod a se eos dimittere omnino negabant quos Patres nostri merito suis pro criminibus ante damnarunt. His itaque communicare nephas duximus, neque cum prophanis voluimus sancta Do- E
mini sacramenta miscere, seruantes & tenentes regulam Ecclesiasticæ disciplinæ. Nam vt supradictos Ossium a se Prothogenemque non dimitterent, conscientia forte mala
* quam sibi eorum vnusquisque debebat * nudari aliquo quam adpalam fieri magnopere pertimescebant: nec sic in eis audebat eorum aliquis sententiam dicere, ne & se ipse damnaret quod illis contra interdictum communicassent, quibus communicare nullo genere oporteret. Verum nos iterum illos atque iterum rogabamus, ne firma solidaq. concuterent, ne subuerterent legem, nec iura diuina turbarent, ne cuncta confunderent, atque traditionem Ecclesiæ, ne quidem modica pace, frustrarent: sed nec nouam sectam inducerent, aut Orientalibus Episcopis Concilijsq. sanctissimis de Occidente venientes aliqua in parte præponerent. At illi contra despicientes hæc, nobis minabantur, & se Athanasium & ceteros sceleratos vindicaturos pollicebantur. quasi vero aliud facere aut dicere

A cere possint, qui sceleratos omnes ac perditos in suum consortium reciperent. Praterea ingente hoc tumore proponunt, audacia potius ac temeritate quam legitima ratione possessi. Videntes enim quod ij qui damnatos recipiunt, in offensam crimenq. occurrunt, vt violatores cœlestium legum, tali auctoritate iudicium constituere conabantur, vt sese Iudices Iudicum dicere vellent, atque eorum qui iam cum Deo sunt, si fas est sententiam refricare. Nos vero rogabamus illos per plurimos dies, vt a se damnatos abijcerent, & se Ecclesiæ sanctæ coniungerent, atque Patribus vera dicentibus consensum accommodarent. Sed illi se hoc facturos omnino negabant.

Altercantibus igitur nobis, emerserunt quinque Episcopi ex partibus nostris, qui superstites de sexto numero eorum qui ad Marcotam directi fuerant, remanserant, & talem illis optionem proponunt: mittendos esse ex vtroque Concilio Episcopos aliquos ad
B loca in quibus Athanasius scelera flagitiaq. commisit, vt sub testificatione Dei, cuncta fideliter scriberent: & si falsa inuenta fuerint quæ Concilio nunciauimus, ipsi damnemur, nec Imperatoribus, nec Concilio, nec cuiquam Episcopo conqueramur. Quod si verum constiterit, quod ante diximus, ad numerum nostrum ex vobis quod delegistis, id est, qui Athanasio post damnationem communicauerunt, sed & eos qui Athanasio & Marcello fautores defensoresq. sunt exponamus, nec Imperatoribus, nec Concilio, nec cuiquam Episcopo aliqui vestrum conquerantur. Hanc optionem a nostris propositam Ossius & Prothogenes omnesq. eorum socij suscipere timuerunt. Immensa autem confluxerat ad Sardicam multitudo sceleratorum omnium ac perditorum aduentantium de Constantinopoli, de Alexandria, qui rei homicidiorum, rei sanguinis, rei cædis, rei latociniorum, rei prædarum, rei spoliorum nefandorumq. omnium sacrilegiorum, crimi-
C num rei, qui altaria confregerunt, ecclesias incenderunt, domosq. priuatorum compilauerunt, prophanatores mysteriorum Dei proditoresq. sacramentorum Christi, qui impiam sceleratamq. hæreticorum doctrinam contra Ecclesiæ fidem adserentes, sapientissimos presbyteros Dei, diacones, sacerdotes atrociter demactauerunt: & eos omnes secum collectos in suo conuenticulo habuerunt Ossius & Prothogenes, eosque honorantes, nos omnes diacones & sacerdotes Dei despiciebant, quia nec ipsi volebamus talibus aliquando coniungi, ijque vulgo omnibusq. gentibus, id quod inter nos fuerat, referebant, pro veris falsa fingentes, nec discordiam inter nos ex causa Dei ortam, sed ex humana præsumptione narrabant, diuinis humana miscentes & Ecclesiasticis rebus priuatas adiungentes, ciuitatis nobis concentum seditionemq. conflarunt, dicentes nos grauem schismate ciuitati importasse iniuriam, nisi illis (quod nephas erat) communicaremus:
D & hæc frequenter acclamabant. Nos enim omnino illis communicare noluimus, nisi eos quos damnauimus, proiecissent, & dignum honorem Concilio Orientis tribuerent.

Quæ vero ipsi egerint, vel quale Concilium habuerint, hinc addiscere poteritis. Nam Prothogenes (sicut supra diximus) apud Acta anathematizans Marcellum & Paulum, postea eos in communionem suscepit. Dionysium vero ab Edica prouinciæ Achaiæ quem ipsi exposuerunt, in Concilio habuerunt simul secum & exponentes & expositi, Iudices & rei communicantes mysteria diuina pertractant. Bassum autem de Diocletiana ciuitate in flagitijs sceleribusq. detectum, & merito de Syria deportatum, ordinauerunt Episcopum, quique apud ipsos sceleratius viuens detectus & ab ipsis damnatus, cum ipsis hodie videtur esse coniunctus. Et quia Ioan. Thessalonicensis Prothogeni frequenter probra multa criminaq. obiecit, quod diceret illum concubas & habuisse & habere, cui
E communicare numquam voluit, nunc vero in amicitiam receptus quasi peiorum consortio expurgatus, apud ipsos habetur vt iustus. Asclepas autem cum ad Constantinopolim ciuitatem propter Paulum veniisset, post immanitatem rerum atrocitatemque, commisit quæ media in Ecclesia Constantinopolitana gesta sunt, post mille homicidia quæ altaria ipsa humano sanguine coinquinauerunt, post interfectiones fratrum extinctionesq. Gentilium, hodieq. cum Paulo, cuius causa hæc gesta sunt, communicare non cessat: sed & illi qui per Asclepam Paulo communicant, accipientes ab eodem scripta atque ad illum mittentes.

Ex hac igitur coagulatione atque ex perditorum congregatione quale potuerit celebrari Concilium, in quo flagitia sua non tam puniebant, quam agnoscebant? Non enim secundum nos qui Ecclesijs sanctissimis præsidemus populisq. rectores sumus, donantes & dimittentes quæ ab ipsis nec dimitti vnquam possunt, nec donari: quique etiam Marcello

cello & Athanasio cæterisq. sceleratis flagitia, blasphemia, quæ nephas fuerit dimittere, A
condonarunt, cum scriptum sit: Si peccauerit homo in hominem, orabunt pro eo ad
Dominum: Si autem in Deum peccauerit homo, quis orabit pro eo? Nos autem talem
consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. Sed nec hoc docere aliquos patimur,
nec nouas traditiones inducere, ne proditores fidei traditoresq. scripturarum diuinarum
(quod nephas est) dicamur, ne a Domino & ab hominibus condemnemur. Verum illi su-
pradicti etiam hæc aduersus nos machinabantur; & quoniam sciebant nos non posse sibi
sceleſtorum beneficio communicare: ex scriptis nos Imperatorum terrere putabant, vt
* inuitos ad suam communionem traherent, & * spectabunt diuidi totius mundi profundum
Ecclesiæ, æternamq. pacem propter Athanasium & Marcellum, propter quos nomen Do-
mini blasphematur in Gentibus, quos oportebat, si in se aliquid timoris Dei habuissent,
ne turbo iste qui per ipsos natus est, permaneret, a sua prauissima præsumptione vel sero B
discedere, ne ipsorum causa contra sese scinderetur Ecclesia: aut si in ijs qui pro ipsis cer-
tant, metus Dei esset, etiamsi nihil esse damnabile apud ipsos inueniretur, tamen quod
propter ipsos vnitas Ecclesiæ scinditur, & propter insaniam, rabiem, cupiditatemq. ho-
noris pax profunda subuertitur, execrari eos ac perhorrere deberent.

Cum ita res currere videremus, ad suam patriam regredi nostrum vnusquisque decre-
uit: placuitq. nobis de Serdica scribere, & ea quæ gesta sunt, nunciare, nostramq. sen-
tentiam declarare. Nos enim Athanasium & Marcellum, qui in Dominum impie blasphe-
mantes scelerati vixerunt, expositos olim atque damnatos, non possumus iterum in Epi-
scopatus honorem susscipere, quique crucifigentes verum filium Dei, atque illum denuo
publicantes, acerbis ictibus confixerunt. Alter enim ipsorum blasphemando in filium Dei
atque in eius regno, æterna morte mortuus est semel: Alter in corpus Domini mysteria C
eius prophano more atrociter peccans, cæteraq. flagitia immaniter gerens, Episcoporum
sententia eiectus est atque damnatus. Quamobrem quoniam a parentum traditione dis-
cedere non possumus, quia nec talem auctoritatem sumpsit Ecclesia, nec talé potestatem
a Deo accepit, supradictos ad honorem dignitatemq. Ecclesiæ, nec ipsi susscipimus, & su-
scipientes, digne damnamus. Sed nec alios qui aut olim, aut postea merito damnati sunt,
in Ecclesia recipimus, adhærentes legibus Dei traditionibusq. paternis atque Ecclesia-
sticis disciplinis, credentes Prophetæ dicenti: Noli transgredi terminos æternos quos po-
suerunt patres tui. Quare nos numquam fixa solidaq. concutimus, sed magis ea quæ sunt
a parentibus constituta seruamus.

Post multa igitur, dilectissimi fratres, hæc vobis ex aperto mandamus, ne quis vestrum
ab aliquo circumuentus aliquando communicet, id est Ossio, Prothogeni, Athanasio, D
Marcello, Asclepæ, Paulo, Iulio: sed ne cuiquam damnatorum de Ecclesia sancta reiectis,
neque socijs ipsorum qui illis siue per se, siue per scripta communicant. Quare nec vos ad
illos scribere vmquam debetis, nec ab ipsis scripta susscipere.

Iam quod superest, oramus vos, dilectissimi fratres, vt vnitati Ecclesiæ consulatis &
paci perpetuæ, sanctos Episcopos eligatis, in quibus & fides integra & sancta sit vita, ab-
horrentes eos qui pro criminibus suis ab Episcopatus honore distincti sunt, voluntq. ite-
rum recipere locum, quem digne pro suis facinoribus amiserunt; magisq. hos execramini
quos post facinus videtis peiora committere, nec Dominum audire dicentem: Peccasti,
quiesce: Inhibere nesciunt enim & fortiores de sceleribus efficiuntur, & quanto plus in
gurgitem vitiorum mergunt, tanto plus Orbem subuertunt, seditionibus vacantes, bella
persecutionesq. acerrimas sanctis Ecclesijs ingerunt, & tyrannico more populos Domini E
in suum dominium captiuare contendunt. Namque ex his rebus pessimos eorum conatus
agnoscite, quando talem mundo tempestatis procellam induxerunt, vt Orientem prope
totum, Occidentemq. turbarent, vt relinquentes singuli Ecclesiasticas curas, populosq.
Dei deferentes, atque ipsam Euangelij doctrinam postponentes, de longinquo adueni-
remus senes ætate graues, corpore debiles, ægritudine infirmi, trahebamurq. per diuer-
sa, nostrosq. ægrotantes in itineribus deserebamus propter perpaucos sceleſtos olim digne
* damnatos, primatus Ecclesiæ contra fas appetentes. * geratq. curam de nobis Imperium
atque religiosi Imperatores, Tribuni & Duces diriſſima republica de Episcoporum vita
statuq. exercerentur. Sed nec populi silent. Omnis enim fraternitas omnibus in prouin-
cijs suspensa ac sollicita expectat, in quem finem hæc malorum procella succedat, cursusq.
ipse publicus attritus, ad nihilum deducitur. Et quid pluribus? Ortus, Occasusq. *mundi*

propter

A propter vnum vel duos paucosq. sceleratos, impie sentientes & turpiter viuentes funditus subuertitur, & dura sæuaq. tempestate turbatur, in quibus nulla religionis semina resederunt, quæ si habuissent, imitarentur Prophetam dicentem: Tollite & mittite me in mare, & tranquillabit mare a vobis, quando hæc tempestas propter me facta. Sed ideo hæc non imitantur, quia nec iustos sequuntur, ita autem sceleratorum omnium duces quærunt Ecclesiæ Principatum, quasi aliquod tyrannidis regnum. nec hoc propter bonum quoque iustitiæ inquirunt. Non enim Ecclesijs consulunt, qui leges iuraq. diuina, ceterorum decreta dissoluere perconantur. Propterea hanc nouitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, vt in Concilio Orientales Episcopi quicquid forte statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur: similiter quicquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solueretur. Sed hoc ex illo suo prauissimo
B sensu tractabant. Verum omnium Conciliorum iuste legitimeq. actorum decreta firmanda, maiorum nostrorum gesta consignant. Nam in Vrbe Roma sub Nouato & Sabellio & Valentino hæreticis factum Concilium, ab Orientalibus confirmatum est: & iterum in Oriente sub Paulo* Asonus ait quod statutum est, ab omnibus est signatum. * samosateno

Ob quam rem hortamur vos, dilectissimi fratres, considerantes ordinem Ecclesiasticæ disciplinæ & paci totius orbis consulentes, corripiatis eos qui sceleratis communicant, & malos de Ecclesijs radicitus amputetis, vt tempestate ruente ipsorum causa innatans Christus Dominus omnibus imperet ventis, procellisq. maritimis discedere, & tribuat Ecclesiæ sanctæ pacem perpetuam & quietem. Nos vero nulli iniuriam facimus, sed legis præcepta seruamus. Nam iniuriati grauiter & male tractati sumus, ab ijs qui volebant Ecclesiæ Catholicæ regulam sua prauitate turbare: sed ante oculos habentes timorem Dei, iu-
C dicium Christi, verum & iustum considerantes, nullius personam accepimus, neque alicui pepercimus quominus Ecclesiasticam disciplinam seruaremus. Vnde Iulium Vrbis Romæ, Ossium & Prothogenem, & Gaudentium & Maximinum a Treuiris damnauit omne Concilium secundum antiquissimam legem, vt auctores communionis Marcelli & Athanasij ceterorumq. sceleratorum, quique etiam homicidijs Pauli Constantinopolitani & cruentis actibus eius communicauerunt. Prothogenem namque esse anathematizatum vna cum Marcello, subscribendo frequenter sententiæ in ipsum, vel in eius librum inlatæ, quique etiam in Paulum Constantinopolitanum sententiam dederunt, & illi postea communicauerunt. Gaudentium autem vt immemorem decessoris sui Cyriaci subscribentis sententijs in sceleratos digne inlatis, commixtumq. criminibus Pauli, quem etiam impuden-
D ter defendebat. Iulium vero vrbis Romæ vt principem & ducem malorum, qui primus ianuam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, ceterisq. aditum fecit ad soluenda iura diuina, defendebatq. Athanasium præsumenter atque audaciter, hominem, cuius nec testes nouerat, nec accusatores. Sed Ossium propter supradictam causam & propter beatissimæ memoriæ Marcum, cui graues semper iniurias inrogauit: sed & quod malos omnes pro criminibus suis digne damnatos totis viribus defendebat, & quod conuixerit in Oriente cum sceleratis ac perditis. Turpiter namque Paulino quondam Episcopo Daciæ indiuiduus amicus fuit homini, qui primo maleficus fuerit accusatus, & de Ecclesia pulsus, vsque in hodiernum diem in apostasia permanens cum concubinis publice & meretricibus fornicetur, cuius maleficiorum libros Macedonius Episcopus atque confessor a Mopso, combussit: sed & Eustasio & Quimassio adhærebat pessime & charus fuit, de quorum vitæ infamia turpi dicendum nihil est: Exitus enim illorum eos omni-
E bus declarauit.

His itaque ac talibus iunctus ab initio Ossius sceleratis semper fauens, contra Ecclesiam veniebat & inimicis Dei semper ferebat auxilium. Maximinum vero a Treuiris propter quod collegas nostros Episcopos, quos ad Gallias miseramus, noluerit suscipere, & quoniam Paulo Constantino* nephario homini ac perdito primus ipse communicauit, & quod ipse tantæ cladis causa fuit, vt Paulus ad Constantinopolim ciuitatem reuocaretur, propter quod homicidia multa facta sunt. Causa igitur homicidiorum tantorum ipse fuit, qui Paulum olim damnatum ad Constantinopolim reuocauit. Propter has igitur causas iustum duxit Concilium, vt Iulium vrbis Romæ & Ossium ceterosq. supra memoratos discingeret atque damnaret. * Constantinopolitano

Quæ cum ita sint, custodire vos ab ipsis & abstinere debetis, dilectissimi fratres, nec eos aliquando ad communionem admittere: sed nec ipsorum litteras accipere, nec ad illos lit-

los litteras dominicas dare. Et quoniam Catholicam & Apostolicam fidem voluerunt in- A
* fringere ij, qui cum Ossio erant, inducentesq. nouam sectam * indeo croniti Marcelli mix-
* ta Sabellio & Paulo, Inde * artem necessario ordinauimus Catholicæ Ecclesiæ fidem,
quam negauerunt supradicti qui cum Ossio sunt & Marcello hæretici induxerunt, conse-
quens est, vt acceptis litteris nostris singuli consensum huic sententiæ commodantes, de-
creta nostra propria subscriptione signetis. Est autem fides nostra talis.

Credimus vnum Deum Patrem omnipotentem, institutorem & creatorem omnium, ex quo omnis creatura in cœlo & in terra nominatur. Et in vnum genitum filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui ante æuum ex Patre generatus est, & ex Deo Deus, ex luce lux, per quem facta sunt omnia, quæ in cœlis & quæ in terra visibilia & inuisibilia, sermo qui sit & sapientia, virtus, & vita, & lux vera, qui in nouissimis temporibus propter nos induerit hominem & natus sit de sancta virgine Maria, & crucifixus, & mor- B
tuus, & sepultus sit: tertia die resurrexit a mortuis, & adsumptus in cœlum, sedet in dextra Patris, venturus in fine mundi iudicare viuos & mortuos & reddere vnicuique secundum opera sua. cuius regnum incessabile permanet in æterna sæcula. Est enim sedens in dextera Patris non solum in isto sæculo, sed & in futuro. Credimus in Spiritum sanctum, hoc est in paracletum, quem mittens Apostolis post assumptionem suam in cœlum, misit docens illos & instruens de omnibus, per quem sanctificantur animæ in ipsum fideliter credentes. Credimus & in sanctam Ecclesiam, in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem, in vitam æternam. Illos vero qui dicunt * ex id quod non fuit filius Dei aut ex alia substantia & non ex Deo: aut qui dicunt, fuisse aliquando tempus vel sæculum quando non fuit filius, hæreticos damnat sancta & Catholica Ecclesia. Similiter & illos qui dicunt tres esse Deos, aut Christum non esse Deum, aut ante ea vnum non fuisse C
Christum, neque Filium Dei, aut ipsum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, aut non natum Filium, aut non sententia neque voluntate Deum Patrem genuisse Filium, hos omnes anathematizat & execratur sancta & Catholica Ecclesia. Opto vos in Domino bene valere.

* de non extantibus esse Filium Dei ita apud Hilarium

Stephanus Episcopus Antiochiæ prouinciæ Sprecilæ opto vos in Domino bene valere.
Olimpius Episcopus Doliceus opto vos in Domino bene valere.
Gerontius Episcopus Lamphaniæ.
Menophantus Episcopus ab Efeso opto vos in Domino bene valere.
Paulus Episcopus * opto vos in Domino bene valere.
Eulalius Episcopus ab Amantias opto vos in Domino bene valere.
Macedonius Episcopus ab Amarquetias opto vos in Domino bene valere.
Thelaphius Episcopus a Chalcedonia opto vos in Domino bene valere.
Acacius Episcopus a Cæsarea opto vos in Domino bene valere.
Theodorus Episcopus ab Heraclia opto vos in Domino bene valere.
Quintianus Episcopus a Taxe opto vos in Domino bene valere.
* Aretusa — Marcus Episcopus ab Aretijs * opto vos in Domino bene valere.
Cyrotus Episcopus a Roco opto vos in Domino bene valere.
Eugeus Episcopus a Lisicia opto vos in Domino bene valere.
Antonius Episcopus a Zeumate opto vos in Domino bene valere.
Antonius Episcopus a Docimo opto vos in Domino bene valere.
Dion Episcopus a Cæsarea opto vos in Domino bene valere.
Vitalis Episcopus a Tyro opto vos in Domino bene valere. E
* Germanicia — Eudosius Episcopus a Germania * opto vos in Domino bene valere.
Dionysius Episcopus ab Alexandria * prouinciæ opto vos in Domino bene valere.
Macedonius Episcopus a Iurito opto vos in Domino bene valere.
Eusenius Episcopus ab Dorlani opto vos in Domino bene valere.
Basilius Episcopus ab Anquira opto vos in Domino bene valere.
Proæresius Episcopus a Sinopa opto vos in Domino bene valere.
Eustacius Episcopus ab Epiphania opto vos in Domino bene valere.
Pancratius Episcopus a Pernaso opto vos in Domino bene valere.
Eusemius Episcopus a Pergamo opto vos in Domino bene valere.
Sabinianus Episcopus a Chatimera opto vos in Domino bene valere.
Bitinicus Episcopus a Zelon opto vos in Domino bene valere.

Domi-

Universidad de Deusto

A Dominius Episcopus a Palladiano opto vos in Domino bene valere.
Pison Episcopus a Troada opto vos in Domino bene valere.
Cartherius Episcopus ab Aspona opto vos in Domino bene valere.
Filetus Episcopus a Iuliopoli opto vos in Domino bene valere.
Quirius Episcopus a Mareota opto vos in Domino bene valere.
Filetus Episcopus a Cratia opto vos in Domino bene valere.
Thimasarcus Episcopus * opto vos in Domino bene valere. *
Eusemius Episcopus a Mignenia opto vos in Domino bene valere.
Quirius Episcopus a Philadelfia opto vos in Domino bene valere.
Pison Episcopus a Vanis opto vos in Domino bene valere.
Timotheus Episcopus * opto vos in Domino bene valere. *
B Euthemon Episcopus a Thaneos opto vos in Domino bene valere.
Callenicus Episcopus a Pelusio opto vos in Domino bene valere.
Eusebius Episcopus a Pergamo opto vos in Domino bene valere.
Leucadas Episcopus ab Ilio opto vos in Domino bene valere.
Noconius Episcopus a Troade opto vos in Domino bene valere.
Adamantius Episcopus a Cio opto vos in Domino bene valere.
Eddesius Episcopus a Coo opto vos in Domino bene valere.
Theodolus Episcopus a Neocæsaria opto vos in Domino bene valere.
Sion Episcopus * opto vos in Domino bene valere.
Theogenes Episcopus a Lizia opto vos in Domino bene valere. *
Florentius Episcopus ab Anchara opto vos in Domino bene valere.
C Isaac Episcopus a Lueto opto vos in Domino bene valere.
Eudemon Episcopus * subscripsi pro ipso, opto vos in Domino bene valere.
Agapius Episcopus a Therico opto vos in Domino bene valere. *
Bassus Episcopus a Car opto vos in Domino bene valere.
Narcissus Episcopus ab Anapoli opto vos in Domino bene valere.
Embracius Episcopus a Nisilecto opto vos in Domino bene valere.
Lucius Episcopus a Babtino opto vos in Domino bene valere.
Nonnius Episcopus a Laudocia opto vos in Domino bene valere.
Pantagatus Episcopus a Gallia opto vos in Domino bene valere.
Flaccus Episcopus ab Icropoli opto vos in Domino bene valere.
Sysimius Episcopus a Perge opto vos in Domino bene valere.
D Diogenes Episcopus * opto vos in Domino bene valere.
Cresconius Episcopus * opto vos in Domino bene valere. *
Nestorius Episcopus * opto vos in Domino bene valere. *
Emmonius Episcopus * opto vos in Domino bene valere. *
Eugenius Episcopus * opto vos in Domino bene valere. *
Antonius Episcopus a Gusia opto vos in Domino bene valere. *
Demosilus Episcopus ab Cooe opto vos in Domino bene valere.
Euticius Episcopus a Philopopoli opto vos in Domino bene valere.
Seuerus Episcopus a Cabula opto vos in Domino bene valere.
Timotheus Episcopus ab Anquilo opto vos in Domino bene valere.
Valens Episcopus a Mursa opto vos in Domino bene valere.

E Explicit decretum Synodi Orientalium apud Serdicam Episcoporum a parte Arianorum, quod miserunt ad Africam.] Quo accepto Donatistæ, gloriabantur Concilium Sardicense cum Donato Carthaginensi eorum Episcopo communicasse, ad quod refellendum (vt vidisti superius) laborarunt Catholici, quod nescirent legitimum quodnam fuerit Concilium Sardicense. quasi nonnisi illud spurium in Africam peruenisset, cum germani Sardicensis nulla ad posteros memoria dimanarit. Istud ipsum -

Tom. 3. edit. Rom. posterioris pag. 625. B 7 *post verba ista* in eadem epistola Liberij Papæ ad Constantium postea scripta. *his hæc adde quæ sequuntur.*

Quoniam autem post secundam Romæ cusam Annalium editionem, editus est Parisijs liber sub titulo S. Hilarij De rebus gestis in Concilio Ariminensi, a doctissimo Nicolao Fabro (de quo etiam superius mentio facta est) in quo diuersa fragmenta collecta leguntur, & inter alia epistola Liberij Papæ nomine, ipso ferme suæ sedis ingressu conscripta, qua

signi-

significat, Athanasium a sua communione, quod Romam vocatus venire noluisset, redditum alienum, quæ plane contraria sunt ijs, quæ modo sunt dicta: reddenda hic eadem est epistola & de veritate quam exactissima erit habenda discussio. Sic enim ipsa se habet[a]: eiusmodi affixo titulo.

a Hilar. frag. lib. 2 pag. 30.

Incipit exemplum epistulæ Liberij Episcopi Vrbis Romæ ad Orientales Episcopos.

Dilectissimis fratribus & Coepiscopis nostris vniuersis per Orientem constitutis, Liberius Vrbis Romæ Episcopus Salutem.

Studens paci & concordiæ Ecclesiarum, postea quam litteras charitatis vestræ de nomine Athanasij & ceterorum factas ad nomen Iulij bonæ memoriæ Episcopi accepi, secutus traditionem maiorum, presbyteros vrbis Romæ Lucium, Paulum, & Helianum, e latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, vt ad vrbem Romam veniret, vt in præsenti, id quod Ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur. Litteras etiam ad eumdem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quod si non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiæ Romanæ communione. Reuersi ergo presbyteri nunciauerunt eum venire noluisse. Secutus denique litteras charitatis vestræ, quas de nomine dicti Athanasij ad nos dedistis, sciatis his litteris quas ad vnanimitatem nostram * me cum omnibus vobis & cum vniuersis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere: supradictum autem Athanasium alienum esse a communione mea siue Ecclesiæ Romanæ, & consortio litterarum Ecclesiasticarum.] hactenus Liberij Papæ nomine scripta epistola, cui mox ista subijciuntur in edito codice, ex eodem volumine titulo Hilarij inscripto.

Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex metu Dei eueniens est? &c.] ex his certe intelligas non esse Hilarij verba ista, quibus probatur Athanasij condemnatio per Liberium facta, sed potius Ariani alicuius, Athanasij damnationem præ ceteris omnibus alijs rebus optantis. Ne tu igitur cum audis hanc contineri epistolam sub sancti Hilarij libello scripto de Synodo Ariminensi, putes ab Hilario intextam in commentario illo: audi Fabrum, de eodem libro vndique decurtato, quid scribat, dum in eumdem quam doctissimam præfationem præmisit, cum inter iteratas sæpe querelas de mutilato sæpe inuento volumine, ista habet[b]:

b Eodem volum. in præfat. pag. 4. 1.

Idem etiam perspicere est pagina trigesimaquinta, in qua cum B. Hilarius lucem narrationi suæ allaturam dixisset illam orationem, quam eadem Sardicensis Synodus per Vincentium Capuæ, & Euphratem Coloniæ Agrippinæ Episcopos, Antiochiam vsque ad Constantium missos habuit, magno tamen historiæ detrimento nulla hic extat, sed eius loco quædam Liberij Papæ Romani, & aliorum epistolæ nullo temporis, vel rerum ordine seruato velut in fasciculum congestæ leguntur.] Quod igitur nullam cum superioribus, quæ ex Hilario sunt recitata cohærentiam cum his habere vides, neque ea quæ post eam sequuntur, Hilarij esse possint: quam procul abest, vt nomen Hilarij, ex libro illo Hilarij aliquam ei tribuere quis possit auctoritatem?

Sed idem noster Faber quasi eadem epistola esset Liberij, ista mox subijcit. Nam quæ prima occurrit, a Liberio circa sui Pontificatus initium, quod in annum salutis trecentesimum quinquagesimumtertium incidit, scripta videtur. Par est enim ipsum accusationem coram Iulio præcessore suo inchoatam non diu protraxisse, sed statim vt Pontifex renunciatus est, legatos illos suos ad Athanasium misisse Alexandriam, detrectantemq. iudicium condemnasse.] hæc ipse. Qui quod sciret multa his aduersari, meum hac in re appellat iudicium, & laudibus plus satis ornans ista subijcit: In quo tamen nodus, Deo vindice, id est, ornatissimo illo doctissimoq. Annalium Ecclesiasticorum scriptore dignus subest. Cum enim auctorum omnium scriptis constet, Athanasium iam olim ante Liberium aduersariorum artes versutiasq. detexisse, manifestoq. mendacio traduxisse: quis potuit esse tot Synodis confixorum accusationi, aut tot sententijs absoluti condemnationi locus? Aut quomodo communione sua potuit Athanasio Liberius interdicere, cuius condemnationem ab Orientalibus aliquot Episcopis factam, & ad se Pontificatus sui initio missam, si ratam eam haberet, quemadmodum idem ipse Liberius in epistola ad Constantium, quæ hic edita habetur testis est, accepta eodem tempore septuagintaquinque Episcoporum Aegyptiorum Athanasij innocentiam testante sententia, comprobare noluit? Omitto quod huiusce condemnationis nec Athanasius ipse, qui res suas diligentissime non vno libro complexus est, nec quisquam alius, quod sciam veterum

A rum vsquam meminit.] hæc ipse, quam disertissime disputans, tandem epistolam reddit omni auctoritate vacuam & inanem. Sed subdit de falsitate subdubitans: Falsam autem aut subdititiam esse stylus negat. & præterea cui bono? Adeo verum est illud Tragici.

Ἀπανδ' ὁ μακρὸς καὶ ἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.] hæc ipse quidem & modeste admodum, cum nobis relinquit nodum soluendum, quem ipse ex his quæ præmisit, & alijs addendis soluere facile potuisset, etsi non aliter, eo certe modo, quo Alexander Gordiani nodum præcidendo dissoluit, nimirum negando omnino necessarijs argumentis eam epistolam esse posse Liberij, & ostendere impostoram. Quod cum nos certis demonstrationibus reddiderimus manifestum, erit vt nodus iste insita falsitate patescens, sponte soluatur, vt nec indigeat gladio Alexandri.

B Atque in primis ad id quod noster Faber ait: Falsam autem aut subdititiam esse, stylus negat.] id significare volens ipsum stylum redolere antiquitatem, vt longe abesse videatur de impostura suspicio. Sentio id ipsum, contendoq. (si quis & hoc velit) Liberij tempore scriptam; sed quod Liberij sit, nihil est quod affirmare cogat, & plurima sunt quæ omnino negare compellant. Atque illud primum, quod qui eam illis scriptis inseruit, non solum Hilarius non fuisse (vti diximus) demonstretur, sed plane ex Arianis aliquis esse necessario conuincatur; vtpote qui post recitatam ipsam epistolam eam laudet, quæ plurima execratione digna esset, ea enim significat ipse Liberius, se habere pacem cum omnibus Orientalibus, nempe Arianis, Athanasium vero pronunciasse ab omni communicatione alienum. Ista quidem de Liberio, neque ab Hilario, neque ab aliquo quouis Catholico potuerunt vllatenus commendari. Nam Hilarius, cum hæc reuera po-
C stea contigisse nouit, non ita locutus est: Sed quid tunc ipse in Constantium scribens? Vertisti, inquit, vsque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum. O te miserum, qui nescio vtrum maiore impietate relegaueris, quam remiseris, cum videlicet compulit Liberium communicare cum Arianis, & Athanasium condemnare.] hæc Hilarius adeo facinora ista detestatus, vt plane non nisi Arianus esse potuisse demonstretur, qui in Liberio ista laudarit. Si ergo esse Arianus, qui recitat eam epistolam perspicue auctor ostenditur; quid non falsitatis & impostoræ inesse posse negarit? Moris fuisse Arianis, falsas in causa eiusdē Athanasij scribere, immo & nomine ipsius Athanasij ad Imperatorem fictas litteras dare, iusta querela est eiusdem Athanasij in Apologia ad Constantium scripta.

Sed de falsitate manifesta eiusdem epistolæ, illa erit adhuc perspicua demonstratio, si ostendatur fieri non potuisse, vt ista hoc tempore a Liberio scriberentur; idq. in primis
D ipsius Athanasij assertione, qui in Apologia secunda, vbi agit de Liberio Papa & Osio Cordubensi, antequam in exilium mitterentur, hæc ait: Hi cū viderent ea quæ contra nos agerentur, omnia pati maluerūt, quam aut veritatem, aut causam nostram prodere: idq. bono & sancto consilio fecerunt.] ac rursum de eodem Liberio, de his quæ post exilium acciderunt, hæc ait idem Athanasius in epistola ad Solitarios: Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisq. mortis ad subscriptionem inductus est: verum id ipsum quoque & eorum violentiam, & Liberij in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cum liberos affectus habebat, satis coarguit: Quæ enim per tormenta contra priorem sententiam extorta sunt, eæ iam non metuentiū, sed cogentium voluntates habendæ sunt.] Intelligis qualis semper vsque ad finem exilij Liberius perseuerarit? tantum abesse demonstrans vt ipso suæ sedis initio de damnatione Athanasij &
E communione cum Arianis litteras, ad Orientales dederit. Quin etiam teste eodem Athanasio liquet Liberium pro Athanasio aduersus Arianos antea fortissimas ad Constantium Imp. dedisse litteras, per Eutropium presbyterum, & Hilarium diaconum, quarum causa perturbatus ipse Constantius, presbyterum in exilium misit, diaconum flagellis cæsum fecit extorrem. Hæc quidem & alia ex Athanasio sumpta plane declarant, numquam esse potuisse, vt ipso sedis suæ exordio Liberius communicauerit cum Orientalibus Arianis, & Athanasium anathemate condemnarit.

Equidem sufficere ista possent ad redarguendam tam euidenti demonstratione eamdem epistolam falsitatis. Sed & pro sua causa ipse Liberius defensionē paret. Extat ipsius epistola, post annū sequentem ad Constantiū scripta, tam in defensionē Athanasij, quam in detestationem Arianæ cōmunionis, leges eam inferius suo loco. Quomodo, rogo, potuit ista tam

Universidad de Deusto
Biblioteca

libere Liberius profiteri ad Constantium scribens, si suis litteris ijsdemq. publicis ad A
Orientales omnes scriptis, redargui potuisset, & Athanasium damnasse, & pacem cum
Orientalibus inijsse? Sed & audi quæ de ipsius testificatione Liberij, ingerat Athanasius
in epistola ad solitarios: Profectus igitur Romam Spado, primum incitabat Liberium, vt
contra Athanasium subscriberet & cum Arianis communicaret: id enim Imperatorē vel-
le & pro imperio iubere. Deinde munera ostentans, verbis instabat, manuq. Liberij ap-
prehensa, ita locutus est: Obtempera Regi & ista accipe. Episcopus contra verbis quæ-
rebat, quomodo hoc contra Athanasium posset fieri: Quem enim (inquiens) non vna, sed
iam altera Synodus probe ab omni crimine liberum pronunciauit, & Romana Eccle-
sia cum pace dimisit, quomodo poterimus condemnare? Aut quis nos probaret, si
quem præsentem dileximus, & habuimus in nostra communione, eumdem absentem
auersemur? Non sic se habet Ecclesiasticus canon, neque vmquam accepimus talem a B
Patribus traditionem, quam ipsi a beato & magno Apostolo Petro acceperunt, &c.]
Potuissent ne, rogo, ista a Liberio dici, si iam suæ sedis initio absentem Athanasium con-
demnasset? At tantum abest, vt vel fingi posset, ipsum aduersus Athanasium scripsisse,
vt ibidem paulo post testetur, pro Athanasio se scripsisse, vbi ait: Si scripta a nobis pro
Athanasio deleri iubet, deleantur quoque ea, quæ contra illum scripta sunt, fiatq.
deinde Ecclesiastica Synodus longe a Palatio.] Porro hæc eadem, & his potiora idem
Liberius coram Imperatore Constantio locutus est, quæ ipse lector si vult aspiciat, vbi
etiam Constantij ipsius testificationem, haud dubiam leget de Liberij pro Athanasio
perseuerante ingiter in illud tempus defensione, vt etiam hostium habeat testimonio
demonstratum, mendacem, atque falsam omnino esse dictam Liberij nomine scriptam
epistolam: nec omnino fingi quomodolibet posse, vt vera sit, & Liberio adscribi aliquo C
modo valeat.

Sed audi rursum eiusdem Liberij assertionem de Athanasij semper post obitum Iulij, vs-
que ad vltimum exilij annum a se habita defensione; ea enim quam tunc vere scripsit ad
Orientales de ipsius Athanasij damnatione, hæc habet ipso exordio: Ego Athanasium
non defendo, sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Iulius decessor meus: verebar ne
forte in aliquo præuaricator iudicarer. At vbi cognoui quando placuit Deo, iuste vos
illum condemnasse, mox consensum commodaui sententijs vestris, &c.] Sed quando
hoc? sexto anno ipsius Liberij Pontificatus, qui & secundus fuit annus eius exilij, ad
quod vsque tempus (vt ipse testatur) de Athanasij absolutione secutum se tradit Iulij Pa-
pæ sui prædecessoris Iudicium. vt plane nullus locus sit, vt fingi possit veram eam esse Li-
berij epistolam, qua ipsius suæ sedis initio Athanasius communione Ecclesiæ Romanæ D
priuatur. Quibus his omnibus & alijs nuper ex Athanasio ipso, Liberio, & Constantio
dictis, redarguas pariter epistolam eiusdem nomine scriptam ad Vrsacium, Valentem, &
Germinium, qua dicitur Athanasius Romæ damnatus antequam ad Comitatum trahe-
retur ipse Liberius, cum non ab aliam causam abductus ipse fuerit Roma & ad Constan-
tium ductus, & in exilium inde missus, nisi quod Athanasium damnare noluisset. Vna
plane eademq. fuit manus Scorpij, quæ vtramq. scripsit epistolam nomine Liberij, ea
nimirum occasione, quod diceretur Liberius vi coactus contra Athanasium scripsisse,
atque eum damnasse. ne id igitur dici posset, fictæ sunt epistolæ, quibus assereretur
iam ipso suæ sedis exordio damnatum fuisse Athanasium a Liberio, & Romæ id factum
coram Romanæ Ecclesiæ Presbyterio. hæc de his satis sunto. Sed erit vt & inferius quo-
que aperta luce monstretur, alia adhuc esse, quæ in eodem volumine Hilarij esse dicantur, E
quæ eius esse non possint.

Sed iam-

Tom. 3. Annal. edit. Rom. pag. 706. E 3 *post hæc verba* quasi miraculo est emenda-
tum. *adde*: tum per Concilium Ancyranum, tum per tertiam Sirmiensem professionem,
cuius & si hoc anno fecimus mentionem, quod id exigeret argumentum; haud tamen
existimes hoc anno elaboratam vel editam, quam constat eodem anno, quo Ariminense
Concilium est celebratum, sub Consulatu Eusebij & Hypatij (vt inferius suo loco dicetur)
Sirmij esse conscriptam. Constat quidem Epiphanio auctore, post promulgatam Sirmij
Osij & Potamij perfidiæ professionem, qua dicebatur inter alia Filius Dei a Patre dissimi-
lis secundum essentiam, recessisse inde Orientales Episcopos, & redijsse in Orientem, &

aduersus

A aduersus tantam impietatem Ancyræ celebrasse Concilium, vbi quæ valde impie statuta fuerant Sirmij condemnarent, assertis omnibus quæ pie sancteq. de Filio dici possunt, Consubstantiali dumtaxat voce sublata, esse eum nimirum etiam secundum substantiam per omnia Patri similem. Inde vero accidisse, vt cum Orientales Episcopi rursum in Occidentem venirent, Sirmijq. vbi Constantius Imperator erat consisterent, nouam illam & tertio ordine ederent fidei confessionem, in qua dempto in Filio substantiæ nomine, eum per omnia Patri similem esse conscriberent, occasione inde haud dubium oborta, quod cum Orientales Episcopi, qui post & Semiariani sunt dicti, iterum atque iterum nomen substantiæ in Filio professi fuerint, offensi nonnihil Ariani ea professione, quæ in omnibus esse Catholica videri posset, ijs contradicentes, diuq. disputantes, acquieuerunt tandem, vt ita inter vtramque partem transigeretur, nimirum vt Semiariani relin-
B querent nomen substantiæ, Ariani vero admitterent, vt Filius diceretur Patri per omnia similis, licet Valens id profiteri refugeret, & nisi Constantio iubente, non faceret. Sic igitur tunc Sirmij composita & ornata fidei professio est, quam deferrent Ariminum, ibidem promulgandam, refragante Basilio Ancyrano, qui (vt ait Epiphanius) in sua subscriptione substantiæ nomen apposuit. Acta sunt hæc Sirmij (vt S. Epiphanius tradit) nocte illucescentis sacri diei Pentecostes, vndecimo Kalendas Iunias, sicuti habet Athanasius in libro de Synodis, nec non Socrates.

Quis autem scripserit hanc tertiam formulam Sirmianam, hactenus incognitū fuit, patefactum autem, vbi editus est a viro disertissimo nostroq. amicissimo Fabro liber fragmentorum de Synodo Ariminensi, S. Hilarij Episcopi Pictauiensis titulo insignitus, in quo inter alia vetera monumēta recens edita, est epistola Germinij ad alios Arianos Episcopos,
C qua ipse testatur eiusmodi fidei professionem fuisse a Marco dictatam: hic ille Marcus Arethusiæ Episcopus, qui primo loco subscripsisse ab Epiphanio ponitur. Tribuit Socrates eidem Marco scriptionem primæ Sirmiensis: non enim repugnant ista, cum nihil prohibeat scripsisse primam qui tertiam dictauit, dum idem cum Basilio qui aduersus Photinum disputauit, esset tunc eiusdem de Diuinitate Filij Dei sententiæ, in qua & postea perseueraruntambo, vt apparet ex professione Seleuciensi, cui vterq. primo loco subscripsit, cum & professi sunt eamdem æquipollentem esse primæ confessioni Sirmianæ. sed præstat hic ipsam Germinij integram epistolam reddere, qua etiam cognoscatur, qualis fuerit tertia Sirmiana professio, quam Valens (vt Epiphanius affirmat) Ariminum detulit. sic enim se habet[a]:

[a] *Hilar. frag. lib. 1. pag. 42. 42, 43.*

D Dominis fratribus religiosissimis Rufiano, Palladio, Seuerino, Nichæ, Heliodoro, Romulo, Muciano & Stercorio, Germinius in Domino, Salutem.

Vitalis nunc militantis in officio sublimis Præfecturæ relatione comperimus, desiderare sanctitatem vestram significari vobis aperte, quid est quod de fide nostra Valenti, Vrsacio, Gaio & Paulo displiceat. Necessarium duxi his litteris patefaciendum sanctitati vestræ, & id quod in vobis ipsis ab initio esse confido, dicere, nos hoc quod & a Patribus traditum accepimus, & diuinis Scripturis, quod semel didicimus & quotidie docemus, Christum Dei Filium Dominum nostrum per omnia Patri similem, excepta innatiuitate, Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, integrum de integro, perfectum de perfecto, ante sæcula & ante vniuersa, quæ intelligi vel dici possunt, genitum, cuius natiuitatem nemo scit nisi solus Pater, ipso Filio adserente: Quia nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: per quem
E facta sunt omnia, sine quo factum est nihil, secundum diuinas voces ipsius Saluatoris nostri Filij dicentis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Et iterum: Quæcumque enim Pater facit, hæc & similiter Filius facit. Et iterum: Ego & Pater vnum sumus. Et iterum: Qui me vidit, vidit & Patrem. Et iterum: Quomodo Pater vitam habet a semetipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso. Et iterum: Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, ita & Filius quod vult, viuificat. Et iterum: Creditis in Deum, & in me credite. Et iterum: Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Et iterum cui Pater dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: nec dixit, ad imaginem tuam, vel ad imaginem meam, ne aliquam dissimilitudinem in Filij sui Diuinitate demonstraret, sed propterea coniunxit ad imaginem & similitudinem nostram, vt Filium suum sibi similem per omnia Deum manifestaret. Iterum Euangelista:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre plenum gratia & veritate. Et Apo- A
stolus ad Corinthios: In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non
refulgerent inluminatione Euangelij gloriæ Christi, quæ est imago Dei. Et iterum idem
Apostolus: Et transtulit in regno Filij charitatis, in quo habemus redemptionem & re-
missionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et
iterum idem Apostolus: Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in
forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exina-
niuit formam serui accipiens, in similitudiné hominum factus. Quis non intelligat, quia
quemadmodum secundum serui formam reuera fuit caro nostra in Christo, ita & in Dei
forma vera sit diuinitas Patris in Filio? Et iterum: Videte ne quis vos seducat per philo-
sophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa hu-
ius mundi, & non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis B
corporaliter. Si ergo omnis plenitudo Diuinitatis inhabitat in Christo, iam non ex par-
te similis & ex parte dissimilis, sicut nunc asserunt qui propter contentionem suæ libidi-
nis retrorsum abeuntes, semetipsos a nobis auertunt.

Nam quod putant se pro magno de diuinis Scripturis proferre, vt dicant, Christum
facturam & creaturam: e contrario nos secundum Scripturas dicimus, & viam, & ianuam,
& lapidem offensionis, & petram scandali, & fundamentum, & brachium, & manum, &
sapientiam, & verbum, & agnum, & ouem, & pastorem, & sacerdotem, & virum, &
diem, & alia: Sed hæc omnia sic intelligimus & dicimus, vt virtutes & operationes Filij
Dei intelligamus, non vt diuinam eius ex Patre natiuitatem huiuscemodi nominibus
comparemus, quia ex nihilo omnia per Filium facta sunt, Filius autem non ex nihilo, sed
ex Deo Patre est genitus. C

Miror autem prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certe subdole dissimulare, quid
in præteritum gestum definitumq. sit. Nam sub bonæ memoriæ Constantio Imperatore,
quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu eiusdem Imperatoris
præsentibus Georgio Episcopo Alexandrinorum Ecclesiæ ... * Pelusinorum, Basilio Ep-
scopo tunc Anquiritano, præsente etiã ipso Valente & Vrsacio, & in ea prauitate post ha-
bitam vsque in noctem de fide disputationem & ad certam regulam perductam, Marcum
ab omnibus nobis electum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est: Filium similem
Patri per omnia, vt sanctæ dicunt & docent Scripturæ: cuius integræ professioni consen-
simus omnes & manu nostra subscripsimus. Si autem nunc aliquid spiritus huius mundi
suggerit, ex aperto adhuc scire non possumus. Nam, vt nos professi sumus de Scripturis,
per omnia Filium similem Patri excepta innatiuitate, exponant & illi de Scripturis, D
quemadmodum parte similis sit, parte dissimilis. Et ideo, fratres dilectissimi, hæc intre-
pidanter & sine mora vestræ dilectionis ad conscientiam, per Cyriacum officialem, cuius
prima inuenta occasio est post Carinium diaconum quem ad vos misi, professionem desti-
naui, vt per vestram quoque vigilantissimam deuotionem apud Deum, vniuersæ fraterni-
tati intimetur, ne quis fallacia Diaboli laqueis ignorans implicetur. Iam vestræ est vna-
nimitatis rescribere mihi, quid vobis sanctus Spiritus suggerat. Sane intimo charitati ve-
stræ, me huic epistulæ, propterea quod manus dolerem, subscribere non potuisse: sub-
scribendum autem mandasse fratribus & compresbyteris nostris Innocentio, Octauio, &
Catulo.] hucusque Germinij epistola. Ex quibus pariter cognoscas eumdem Germi-
nium non inter Arianos, sed Semiarianos militasse. Hactenus de Sirmiana tertia confes- E
sione, qua emendatus est deformis error secundæ Sirmianæ professionis per Osium & Po-
tamium editæ, siue subscriptæ.

Sed qualem-

* Pancratius Pe lusij Episcopus, *ita Epiphan. hæres. 73.*

Tom. 3, edit. Rom. secundæ, pag. 708. B 11 ibi exprobare Parmenianus? minime gen-
tium. *his hæc adde:* At quæ dicta sunt de impostura Marcellini ab Isidoro descripta de por-
tentoso Osij obitu, falsa omnino esse, erura a Pithoeo & nuper edita cũ Hilarij Fragmentis
a viro insignis doctrinæ & integræ probitatis Nicolao Fabro epistola Eusebij Vercellensis
in exilio constituti, ad Gregorium in Hispania Episcopum, nempe Eliberitanum, plane
demonstrat, dum Osium non statim defunctum post Sirmiense Concilium, cum redijt
in Hispaniam, sed superuixisse etiam Concilio Ariminensi aperte significat. epistola au-
tem sic se habet[a]:

[a] *Hilar. frag. lib. 2. pag. 4. 5.*

Eusebius

Universidad de Deusto
Biblioteca

A Eusebius ad Gregorium Episcopum Span.

Domino sanctissimo Fratri Gregorio Episcopo, Eusebius in Domino, Salutem.

Litteras sinceritatis tuæ accepi, quibus, vt decet Episcopum & Dei sacerdotem, transgressori te Osio didici restitisse, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis & Vrsacij & ceterorum, quos ipsi agnito blasphemiæ crimine ante damnauerunt, assensum tuum denegasse, fidem scilicet seruans quam Patres Nicæni scripserunt. Gratulamur tibi in hoc, gratulamur & nobis: quia hoc * cuius proposito & hac fide pollens * nostri dignatus es meminisse. Permanenti autem tibi in eadem confessione, & nullam cum hypocritis retinenti societatem, nostram tibi communicationem promitte. quibus potes tractabis quanto labore præuales, transgressores: obiurga infideles, increpa, nihil metuens de regno sæculari, vt fecisti: quia potior est qui in nobis est, quam qui in
B hoc mundo.

Nos vero tui consacerdotes tertio laborantes exilio, hoc dicimus quod manifestum esse putauimus: quoniam omnis spes Ariomanitarum non in * sua aut limitato consensu, * sed in protectione pendet regni sæcularis, ignorantes scripta, quia maledicti sunt qui spem habent in hominem: nostrum autem adiutorium in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. In passionibus perdurare cupimus, vt, secundum quod dictum est, in regno glorificari possimus. Dignare nobis scribere quid malos corrigendo profeceris, vel quantos fratres aut stantes agnoueris, aut ipse monendo correxeris. Salutant te omnes qui mecum sunt, maxime diaconus, simulq. petunt vt cunctos lateri tuo fideliter adhærentes nostro digneris obsequio salutare.] hucusque Eusebius ad Gregorium, vt appareret post Concilium Ariminense, adhuc viuente Constantio, cuius nonnisi post obitum
C solutus est ab eo quo in Oriente detinebatur exilio, & tunc plane temporis cum post lapsum Ariminensem, Episcopi pœnitentes ad suas Ecclesias rediere, quibus Gregorius non communicauit aliquando Luciferi defendens errorem, cum alioqui ipse Eusebius (vt suo loco pluribus dicetur) non solum eos pœnitentes recepit, sed ad eos reuocandos in Ecclesiam legationem suscepit in Orientem. Rursum vero ex dicta epistola elicere potes dilucidam sententiam verborum sancti Augustini, quæ sunt superius recitata, quibus ait: si ab Hispanis Osius est damnatus, ab Hispanis est absolutus.] nimirum quod in Hispania vbi fauente Gregorio vigebat error Luciferianus, Osius non receptus est, in Gallijs vero receptus, cum defendente Hilario lapsi Episcopi in errorem pœnitentes in Ecclesiam admitterentur, vt suo loco diffusius ista patebunt. Sicq. ex his certum redditur quod post lapsum Episcopi, pœnitentia præuia, a Galliæ Episcopis reciperentur. Sed quæ sunt facti
D ignorans S. Augustinus, alijs rationibus Osium excusare atque defendere aduersus Donatistas conatus est. Quando autem obierit-

Tom. 3. edit. Rom. secundæ, pag. 708. C 2 Sirmiensem *corrige* Ariminensem *Eadem pag.* C 6 *ibi* clausisset extremum. *hæc adde:* Porro obitum Osij contigisse eodem ipso anno, quo moritur Constantius, anno scilicet Domini trecentesimo sexagesimo, inde certum deducitur argumentum, quod cum probetur vixisse post Concilium Ariminense, & Athanasius (vt dictum est) de ipso cum meminit, vt defuncti in oratione prima contra Arianos, numeretq. a tempore Concilij Nicæni vsque ad illud tempus annos triginta sex, qui est annus Domini trecentesimus sexagesimus primus, necesse est dicere tempus illud non excessisse, obijsseq. anno sequenti a Concilio Ariminensi, qui numeratur annus Redemptoris trecentesimus sexagesimus. At de Osio-

E *Tom. 3. pag.* 712. E 4 *ibi* ceteris rebus omnibus similem asseuerarent. *his hæc adde:* Ex quibus plane intelliges non esse sancti Hilarij, quæ in recitata nuper epistola Liberij ad Orientales in textu leguntur, apud Hilarium de Synodo Ariminensi in libro Parisijs nuper edito, de quo sæpe superius dictū est: vbi enim profitetur Liberius ipse se recepisse confessionem Sirmiensem a Demophilo sibi oblatam, ista intexuit mira audacia qui exscripsit [a]: *Hæc est perfidia Ariana, hoc ego notaui, non Apostata.*] & paulo post rursus: *Anathema tibi a me dictum Liberi & socijs tuis.*] ac rursus quæ inferius in eadem intexuntur: *Iterum tibi anathema, & tertio prænaricator Liberi.*] Quomodo inquam quis fingere potest, ista esse Hilarij, qui eam non Demophili, vel alterius alicuius superius nominatorum, sed Osij & Potamij fuisse Sirmiensem illam detestandam perfidiam affirmat libro de Synodis, quam ipse Demophilus cū alijs suis Semiarianis est magnopere detestatus, tantum abest, vt obtulerit eam ipse Liberio, & non potius suam ipsorum Semiarianorum, quæ fuit prima

[a] *Hilar. frag. lib. 1. pag. 47, 48*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sirmienſis nominata. Et quis neſciat teſtificatione eiuſdem Hilarij, Epiphanij & aliorum, A eos, qui ſcripſiſſe ponuntur primam profeſſionem fidei, fuiſſe Semiarianos, Baſilium, Marcum, Demophilum, Eleuſium & Euſtathium, quos hæc procuraſſe a Conſtantio, vt Liberius ſuæ ipſorum profeſſioni ſubſcriberet, tradit Sozomenus, hosq. omnes eiuſdem farinæ homines fuiſſe profeſſores eiuſdem Filij cum Patre ſubſtantiæ & perfectæ ſimilitudinis: quam primam Sirmienſem, idem Hilarius cognouit eſſe Catholicam, cum eam eſt interpretatus?

Nullo quidem modo potuit niſi primam Sirmianam approbaſſe Liberius, dum eam epiſtolam ſcribens ad Orientales, ſe cum illis hoc facto pacem habere teſtatur: at per Orientales dici Semiarianos, omnia huius temporis ſcripta, Hilarij, Epiphanij & aliorum teſtantur, atque ea ipſa etiam quæ eodem libello clauduntur, quibus cum certe Liberius pacem habere minime potuiſſet, ſi Photinianæ blaſphemiæ ſubſcripſiſſet, aduerſus quam, ijdem B ipſi Orientales, teſte Hilario, primam profeſſionem Sirmianam, damnando illam hæreſim, edidiſſent. Procul igitur abſit, vt Hilarij eſſe dicamus, quæ aduerſus ea, quæ in germanis Hilarij ſcriptis reperiuntur, pugnare noſcuntur, prout ea quæ nuper ſunt dicta, tum ex ipſo Hilario, tum Sozomeno aperte demonſtrant.

Procul etiã abſit, vt quæ incerto auctore prodita ſunt fragmenta, præferamus germanis ſcriptis certorum auctorum, & ipſiuſmet Hilarij iam de falſo ſibi obiecta calumnia reclamantis. Habet Creſconiana collectio eamdem Liberij epiſtolam cum ijſdem aduerſus eum interpoſitis additamentis anathematis & execrationis non tamen Hilarij nomine, ſed incerto auctore proditis. Optaſſemus iſta a Fabro noſtro fuiſſe paulo accuratius conſiderata, antequam ſententiam ferret, & affirmaret eiuſmodi execrationes in Liberium eſſe ab Hilario eidem epiſtolæ additas; nec rem tantam adeo facile iudicaſſet ſub incer- C ta fide mutilati omni ex parte voluminis, in quo (vt ipſe teſtatur) vix perpaucæ paginæ ſibi cohærent, vt bene ipſe dicat, totum volumen illud inſtar faſciculi, ſe habere, in quem res diuerſæ congeſtæ legantur, vt non vacet periculo, ſi abſque delectu, & exacta rerum cognitione, cuncta quæ in eo ſunt ſub nomine Hilarij admittantur.

Nihil eſt igitur, quod vel fingi poſſit, vel aliquo modo dici eſſe Hilarij execrationes illas in Liberium dictas, dum nonniſi primæ Sirmianæ Liberius ſubſcripſiſſe probetur, quam vt (ſæpe dictum eſt) Hilarius non improbat: Nec eſt quod dici poſſit, ſecundæ Sirmianæ profeſſioni omni impietate refertæ ab Oſio & Potamio ſcriptæ, ſiue ſubſcriptæ, Liberium ſubſcripſiſſe, ſiquidem non potuiſſet illa oblata eſſe (vt ibi legitur) a Demophilo, neque facta opera Eleuſij & Euſtraſij & aliorum, qui communicantes cum Baſilio Ancyrano, Marco Arethuſio, & alijs Semiarianis eamdem ſecundam Sirmienſem ſunt D execrati, tum ibi, tum in Concilio Ancyrano aduerſus eam poſtea celebrato, tum etiam apud Sirmium in edita tertia Sirmienſi, nec non Seleucienſi, vt apud Epiphanium legitur hæreſi ſeptuageſimatertia.

Nec rurſum dici vllatenus poteſt ſubſcripſiſſe Liberius tertiæ Sirmianæ, quæ longe poſt eius lapſum ſcripta eſt, Euſebio & Hypatio Conſulibus, vt ex ijs quæ dicenda erunt, manifeſtiſſime apparebit. Sed & ſi Liberius illi ſubſcripſiſſet, nequaquam hæreſi adſtipulatus eſſet, cum in illa prædicaretur Filij Dei vna cum Patre omnimodo (vt aiunt) & in omnibus perfecta ſimilitudo. Aliquis enim (vt exiſtimo) in illa incidens qui eiuſmodi delectum habere neſciens, vbi illa legit: mox in Liberium percitus zelo ſine ſcientia ea ſcriptis ipſius Liberij litteris interſeruit.

At licet ex- E

Tom. 3. edit. Rom. pag. 731. D 11 ibi egerint pro Catholica fide. *adde quæ ſequuntur.* Vt autem pro ratione temporis cuncta Acta reddantur, iſta ſubijcimus: Antequam quicquam Catholici ſtatuerent contra Arianos, ſex poſt dies a promulgata ab aduerſarijs profeſſione Sirmienſi, contigit Conſtantium Imperatorem alias ad Synodum ſcribere litteras ſexto Kalendas Iunias, quibus Synodum monuit, ne quid de Orientalibus qui ſeorſum conuenirent, præſumerent definire. depromptam igitur hanc epiſtolam ex eodem libro de Synodo Ariminenſi hic reddimus, ſic enim ſe habet[a]:

[a] *Hilar. frag. lib. 2. pag. 44. 45*

Victor Conſtantinus * Maximus triumphator ſemper Auguſtus, Epiſcopis.

* Conſtantius

Continent priora inſtituta, Venerabiles, ſanctimoniam legis rebus Eccleſiaſticis niti: ſatis ſuperq. perſpeximus litteris ad noſtram prudentiam datis ijſdem oportere operam dare: cum profecto & Epiſcoporum id officio congruat, & ſalus omnium longe lateq. po-

pulorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

A pulorum hoc fundamine roboretur. Sed res admonuit instituta rursus existere.* Non enim aliquis definita geminari superfluum iudicabit, cum rebus consueuerit admonitio augere cumulum diligentiæ. His ita se habentibus, de fide atque vnitate tractari debere cognoscat sinceritas vestra, & operam dari vt Ecclesiasticis rebus ordo competens præbeatur. Discurret namque cunctorum posteritas vbique populorum, & concordia fida seruabitur, cum penitus amputatis nec * huiusmodi quæstionibus cunctis sectando commouerit, res ista non debet ita intentionem animi propagare. Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum quæ ad vos pertinere cognoscit grauitas vestra, tractare debebitis, & completis celeriter vniuersis, consentiente consensu, decem mittere ad comitatum meum, vt prudentiæ vestræ prioribus litteris intimauimus. Prædicti enim poterunt omnibus, quæ eisdem Orien-
B talibus proposuerint, respondere, vel tractare de fide, vt exitu competenti omnis quæstio terminetur & ambiguitas sopiatur. Quæ cum ita sint, aduersus Orientales nihil statuere vos oportet, aut si aliquid volueritis contra eosdem prædictis absentibus definire, id quod fuerit vsurpatum inrito euanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur iam nunc robur & * cupiam denegari. Quæ cum ita sint, moderatione religionis venerabilibus Antistitibus consentanea debetis veneranda perficere, vt id quod religio postulat, explicetur, & quod audiri prohibet ratio, nullus vsurpet. Diuinitas vos seruet per multos annos, Parentes K. DAT. VI. KAL. IVNIAS EVSEBIO ET HYPATIO COSS.]

* insistere

* copiam

Paruerunt ipsi quidem nihil de Orientalibus decernentes, nisi quod isti diuersa ab illis statuerunt, licet nullam de illis habuerint mentionem. Orthodoxi vero promul-
C gata ab Arianis in Concilio sua ipsorum perfidia, qua conuellebatur professio Nicæna, qua & condemnatus est Osius, pro viribus obniti cœperunt, nihil antiquius habentes, quam vt bene statutum fidei symbolum confirmarent, Arianamq. hæresim iterum condemnarent, eamq. sectantes anathemate profligarent, nam audi Athanasium [a]:

[a] *Athan. lib. de Synod.*

Omnibus ergo Episcopis-

Tom. 3. Annal. edit. Rom. posterioris, pag. 90. E 8 adde: Contigit inferius in Annalibus de Aniciorum, Olybriorum & Paulinorum Christianitate sæpe fieri mentionem; de Bassorum vero ex sepulchro Iunij Bassi Præfecti Vrbis nuper inuento prope Confessionem Petri Apostoli veterrima docet inscriptio, quam leges inferius ad finem anni trecentesimi quinquagesimi octaui, vbi agitur de eius obitu.

Porro quæ hic-

D *Eodem Tom. 3. pag. 94. E 10* MAGNALIORVM *corrige* MAGNARIORVM
Eodem versu SALAIARIORVM *corrige* SOLAIARIORVM
in fine paginæ eiusdem EIVS *adde quæ sequuntur.* Ita posuimus fidem describentis secuti: sed cum eodem lapide diligenter inspecto, inuenta sit a latere ipsius alia notata his verbis inscriptio.

DEDIC. KAL. IAN. DD. NN. DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO CONSS. Plane repertum est, non esse Constantini eam primam inscriptionem, sed Diocletiani, cuius abraso nomine (vt apparet) in odium persecutoris Ecclesiæ fuerit superinductum Constantini nomen, & deturbato eiusdem Diocletiani simulachro fuerit superposita statua Constantini, cum ageret tertium Consulatum.

Quoniam vero-

E *Eodem Tom. 3. pag. 257. D 4* Auentini *corrige* Palatini

Eodem Tom. 3. pag. 327. A 9 certum est. *adde:* Testatur Felix Papa Tertius in epistola quarta, quæ est Synodalis, ipsum Concilium Nicænum, tunc temporis accepisse confirmationem ab Apostolica sede: sunt hæc enim verba ipsius: Domino ad beatum Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: eam vocem sequentes trecenti decem & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.] hæc Felix Papa cum Romana Synodo, cui præerat. Ceterum quod-

Eodem Tom. 3. pag. 678. E 11 sexagintatrium *corrige* sexagintaquinque

Eodem Tom. 3. pag. 728. B occisum esse. *adde:* Ceterum quod pertinet ad Bassi obitus tempus, corrigendus est Ammianus, dum eum hoc anno esse defunctum tradit,

cum

cum eius ſepulchri inſcriptio potius anno ſequenti ſub Conſulatu Euſebij & Hypatij A
mortuum eſſe doceat. Siquidem anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, menſe Septembris, dū apud Confeſſionem S. Petri terræ aliquantulum, ad ornatum loci opus fuiſſet effodi, detectus eſt ſarcophagus fabre factus, & exculptus ſacris imaginibus exornatus, longitudinis decem pedum, latitudinis ſex, ad cuius ſummitatem, in eius crepidine, vno verſu exarata hæc legebatur inſcriptio.

IVN. BASSVS. V. C. QVI VIXIT ANNIS XLII. MENSES II. IN IPSA PRAEFECTVRA VRBI NEOFITVS IIT AD DEVM VIII. KAL. SEPTEMB. EVSEBIO ET YPATIO COSS. extat adhuc ipſum ſepulchrum apud eamdem Confeſſionem decentius collocatum. Omnibus ergo -

Tom. 3. Rom. edit. ſecundæ, pag. 732. B 4 *ibi* ſed alia plane tranſlatione. *adde*: Sed accipe quæ habētur apud S. Hilarium libro de Synodo Ariminenſi poſteriori, his verbis*: B

* *Hilar. frag. lib. 2. pag. 45. 46*

Incipit Definitio Catholica habita ab omnibus Catholicis Epiſcopis, priuſquam per terrenam poteſtatem territi, hæreticorum conſortio ſociarentur in Concilio Ariminenſi.

Sic credimus placere omnibus poſſe Catholicis a ſymbolo accepto nos recedere non oportere, quod in collatione apud omnes integrum recognouimus: nec a fide receſſuros, quam per Prophetas a Deo Patre per Chriſtum Dominum noſtrū, docente Spiritu ſancto, & in Euāgelijs & in Apoſtolis omnibus ſuſcepimus, vt per traditionem Patrum ſecundum ſucceſſionem Apoſtolorum vſque ad tractatum, apud Nicæam habitum contra hæreſim, quæ tunc temporis exſurrexerat, poſitum nunc vſque permanet. Quibus omnibus nec addendum aliquid credimus, nec minui poſſe manifeſtum eſt. Placet ergo nihil nouum fieri: ſubſtantiæ quoque nomen & rem a multis ſanctis Scripturis inſinuatam mentibus noſtris, obtinere debere ſui firmitatem. Quam rem cum ſuo nomine Eccleſia Catholica, C
cum doctrina Deifica ſemper confiteri & profiteri conſueuit.] Subdit auctor. *Huic definitioni omnes in vnum Catholici conſpirantes ſubſcripſerunt.*

Eodem in Concilio poſtquam ſtatutum eſt nihil debere paternam minui traditionem, etiam qui contra hanc veniebant, omnium in vnum conſpirantium ſpiritali voce ſunt damnati. Cuius tractatus hoc eſt exemplum.

Euſebio & Hypatio Coſſ. duodecimo Kal. Auguſti.

Cum apud locum Ariminenſem Epiſcoporum Synodus fuiſſet collecta, & tractatum fuiſſet de fide, & ſediſſet animo quid agi deberet, Grecianus Epiſcopus a Calle dixit: Quantum dicunt, FF. CC. Catholica Synodus patientiam habuit & piam Eccleſiam totiens exhibuit iuxta Vrſacium & Valentem, Germinium, Gaium, qui totiens mutando quod crediderant, omnes Eccleſias turbauerunt, & nunc conantur hæreticum animum ſuum inſerere animis Chriſtianis: ſubuertere enim volunt tractatum habitum apud D
Nicæam qui poſitus eſt contra Arianam hæreſim & ceteras. Attulerunt nobis præterea conſcriptam a ſe fidem quam recipere nos non licebat. Iam quidem hæretici antehac nobis pronuntiati ſunt, & multis diebus eſt comprobatum: quos & ad noſtram communionem non admiſimus, voce noſtra damnantes eos præſentes. Nunc iterum quid vobis placet, iterum dicite, vt ſingulorum ſubſcriptione firmetur. Vniuerſi Epiſcopi dixerunt. Placet vt hæretici SS. damnentur, quo poſſit Eccleſia fide inconcuſſa quæ vere Catholica eſt, in pace perpetua permanere.] At non ſolum hoc præſtitere Catholici, ſed firmata fide Nicæna, & damnatis eius aduerſarijs, damnationem eiuſdem hæreſis & aliarum appoſuerunt, cui huiuſmodi habetur præfixus titulus*:

* *Apud eumdē lib. poſteriori de Synod. Arim. ex Cod. Deuuent. prodita.*

Damnatio blaſphemiæ Arij & expoſitio integræ & Catholicæ fidei, quam Catholici in E
tractatu Ariminenſi firmauerunt & manu ſua ſubſcripſerunt.

Blaſphemiæ Arij, licet antehac fuerint damnatæ, latebant tamen occultæ, quia eum blaſphemaſſe ignorabatur. Verum fauente Deo, procuratum eſt, vt conſtitutis nobis apud Ariminum, eius peſtifera hæreſis repeteretur. Et ideo ſimul cum eius blaſphemijs omnes quoque hæreſes, quæ ante hac exurrexerunt contra Catholicam & Apoſtolicam traditionem, ſicut iamdudum damnatæ ſunt præteritis Concilijs & diuerſis in locis nos quoque damnamus, & anathematizamus eos, qui dicunt Filium Dei nullis extantibus, & de alia ſubſtantia, & non de Deo Patre natum Deum verum de Deo vero.

Et ſi quis Patrem & Filium duos Deos, hoc eſt, non nota duo principia dixerit, & non Patris & Filij vnam Deitatem profiteatur, anathema ſit.

Si quis Filium Dei creaturam vel facturam dixerit, anathema ſit.

Si quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

A Si quis Deum Patrem ipsum de Maria virgine natum, eumdemq. Patrem & Filium dixerit, anathema sit.

Si quis Filium Dei de Maria initium sumpsisse dixerit, vel fuisse tempus quando non erat Filius, anathema sit.

Si quis Filium Dei non vere inenarrabiliter de Deo Patre natum, sed adoptiuum Filium dixerit, anathema sit.

Si quis Filium Dei aut temporalem, aut hominem solum, & non ante omnia sæcula de Deo Patre natum profiteatur, anathema sit.

Si quis Patris & Filij & Spiritus sancti vnam personam, aut tres substantias diuisas dixerit, & non perfectæ Trinitatis vnam Deitatem profiteatur, anathema sit.

Si quis Filium Dei esse ante omnia quidem sæcula, & non ante omne omnino tempus,
B vt ei tempus assignet, anathema sit.

Si quis creata omnia non per Verbum, sed sine eo vel ante eum facta dixerit, anathema sit.

Si quæ autem aliæ blasphemiæ Arij, vel cuiuslibet repertæ fuerint, similiter anathematizamus.] hactenus ibi. His autem a Synodo Catholica definitis, visum est omnibus Orthodoxis de his certiorem reddere Imperatorem, ad ipsumq. Synodalem epistolam scribere, quod & nauiter præstiterunt. Exemplum autem -

Tom. 3. edit. Rom. secundæ, pag. 734. E 1 *ibi* sed (quod maioris procaciæ est) scriptis suis, Non est Christus Deus. *his hæc adde:* Quod non solum Orthodoxis visum est execrandum, sed hæreticis ipsis Orientalibus, qui Semiariani dicebantur, quorum Germinius præsens aduersatus, diuersam ab illis scripsit fidei professionem, quæ extat apud li-
C brum S. Hilarij Fragmentorum, eiusmodi inscriptione præposita [a]:

[a] *Hilar. frag. lib. 2. pag. 1, 6.*

Incipit epistola Germinij aduersus Arianos, qui iam subscripserant in Concilio Ariminensi, scientes quod male fecerunt.

Ego Germinius Episcopus credo & profiteor esse vnum verum Deum Patrem æternum omnipotentem: & Christum Filium eius vnicum & Dominum Deum nostrum, de vero Deo Patre verum Dei Filium ante omnia genitum, Diuinitate, charitate, maiestate, virtute, claritate, vita, sapientia, scientia Patri per omnia similem, vtpote perfectum de perfecto genitum. Susceptionem etiam hominis ex virgine Maria, sicut Prophetæ futurum prædixerant, & Euangelicæ atque Apostolicæ voces completum docent. Passiones quoque eius & mortem & resurrectionem & in cœlis ascensionem suscipimus, credimus, profitemur: & quod in fine mundi de cœlis descensurus sit iudicare viuos & mortuos, &
D reddere vnicuique secundum opera eius. Et in Spiritum sanctum, id est, Paraclitum, qui nobis a Deo Patre per Filium datus est. Explicit.]

Sed & qui in Oriente erant Semiariani Episcopi, vbi audierunt decem legatos ad Constantium missos, pro confirmatione perfidiæ ab ipsis Arimini constitutæ, statim his pro viribus resistere laborarunt, quorum in hanc sententiam, hoc tempore, data reperitur epistola, cum notis exhibita ab edito volumine Hilarij Fragmentorum, quam hic tibi describimus, sic enim se habet [b]:

[b] *Hilar frag. lib. 1. pag. 51. 52*

Dilectissimis fratribus Vrsacio, Valenti, Magdonio *, Megasio, Gaio, Iustino, Optato, Marciali & ceteris Ariminensis Synodi legatis, Syluanus, Sophronius, Neo, Herodianus, Patricius, Helpidius, Theophilus, Theodorus, Eumacius *, Didimion, Ecdicius, Arsenius, Passumicus, Valetinus, Eucarpius, Leontius, Eortasius *, & Macarius in Domino, salutem.

* Migdonio

* Eumachius

* Protasius

E Vnitati & veræ paci studentes, & ex Synodi mandato hæresi renitentes, manifesta fieri vobis ea quæ circa Ecclesiam aguntur, iustum putauimus, ne ignoratio vos socios tantæ impietatis efficeret. Et quamquam non cessare vos arbitremur, non sine totius Synodi legatis, Episcoporum scilicet numero fere multo amplius centum nunc vsque ingressu huius Ecclesiæ nosmetipsos abstinere: ob quod instructos etiam vos esse volumus, ne penitus dominans iam intra Ecclesiam hæresis inualescat, quæ Dominum nostrum Iesum Christum vere Filium Dei vnigenitum, Deum de Deo Patri similem ausa est denegare: ita quæ prædicationes blasphemiæ de vnigenito * Deo essentialiter ab his prædicetur, cognitum haberetis. Nam & pijssimo Imperatori Constantio hoc ipsum probauimus, & anathematizari hæc omnia commotus religiosissime voluit. Dolus autem hic præparatur, vt Aetius auctor huius hæresis ipse potius, quam hæc impie dicta damnentur, magisq. in hominem quam in doctrinam sententia lata esse videatur. Monemus ergo vos, fratres,

*

vt hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt hæc diligenter retractetis, detisq. operam vt fides Catholica maneat. Ceterum non A
ambigit charitas vestra, vniuersa ita vt geruntur, Occidentalibus esse Ecclesijs nunciandа. Optamus vos fratres, in Domino bene valere.] hactenus Semiariani ad legatos ab Arianis ex Ariminensi Concilio ad Constantium missos. Sed tantum abest vt quicquam isti profecerint, vt hæresim confirmare etiam mentito nomine laborarent. Quod enim scirent apud omnes Orthodoxos Nicænam fidem magno haberi pretio, altisq. fixam radicibus manere apud eos penitus inconuulsam, hoc quod dictum est addiderunt, vt suam ipsorum professionem hæreticam, Nicænam fidem aliquo saltem, vel mentito colore appellare possent, eiusmodi extemporaneum coegerunt Nicææ Thraciæ Conuenticulum, vt superius est demonstratum. De eorum quoque-

Tom. 3. edit. Rom. secundæ pag. 735. B 2 ibi susçipiendas &c.] *adde quæ sequuntur.* extant in nuper edito volumine S. Hilarij fragmentorum, in posteriori libro hæc, ex Actis B
Conuentus Nicææ Thraciæ, de præuaricatione legatorum, qui missi sunt ab Orthodo-
xis, quibus eiusmodi inscriptio præposita legitur[a].

[a] *Hilar. frag. lib. 2. pag. 36. 37.*

Gesta vbi præuaricati sunt Episcopi legati a fide vera, incipiunt.

Eusebio & Hypatio Cos. sexto Idus Octobris.

Dum considissent Episcopi mansionis Nicææ, quæ ante hac Vstodizo vocabatur in prouincia Thracia, Restitutus, Gregorius, Honoratus, Athenius, Iginus, Iustinus, Priscus, Primus, Taurinus, Lucius, Mustacius, Vrbanus, Honoratus, Solutor. Restitutus Episcopus Carthaginis dixit: Scit prudentia vestra, consacerdotes sanctissimi, quòd cum apud Ariminum de fide tractatus haberetur, contentio sic dissidium fecerat, vt de sacerdotibus Dei, immittente diabolo, discordia fieret, atque exinde factum fuerit, vt in fratres nostros ego Restitutus & pars Episcoporum, quæ sequebatur Vrsacium, Valentem, Germinium & Gaium quasi in auctores mali intellectus sententiam promeremus, id est, vt a nostra communione segregarentur: Sed quia in *cominus positi* vniuersa tractauimus, & vniuersa discussimus; inuenimusq. quod nulli displicere debeat, id est, fidem in his Catholicam, iuxta professionẽ suam, cui & nos subscripsimus omnes, neque vnquam hæreticos fuisse. Et ideo quia pacis concordia apud Deum res est maxima, placuit vt communi consensu nostro omnia quæ apud Ariminum tractata sunt, in irritum deducantur, & communio eorum, Deo fauente, integra conueniret, nec quisquam in dissidium remaneat, quod eos aut maculare possit aut debeat. Et ideo, vt dixi, quia præsentes sumus, vnusquisque debet dicere, an dictum sit, quod prosecutus sum, & manu sua subscribere. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Placet: & subscripserunt.] pergit auctor collectionis. D

Quæ sit autem fidei confessio, cui postea subscripserunt, quam etiam Valens secum in Ariminum pertulit, ex infrascripto recognoscis.

Incipit exemplum fidei epistulæ missæ ad Constantium Imperatorem a perfidis Episcopis.

Domino merito glorioſissimo, victoriosissimo Augusto Constantio, Synodus Ariminensis Orientalibus consentiens, id est. *Migdonius, Megasius, Valens, Epictetus & ceteri qui hæresi consenserunt.*

Inlustrati pietatis tuæ scriptis, maximas Deo retulimus & referimus gratias, quod nos beaueris, intimans nobis illa, quæ cum discursione pietatis tuæ facere deberemus, Ne quis Vsiæ, vel Omousij nomina Ecclesiæ Dei ignota aliquando nominet, quod scandalum inter fratres facere solet, plurimum gratulati sumus, quia id quod tenebamus, re- E
cognouimus. O nos beatos quibus occurrit tanta felicitas, vt cognitione tuæ pietatis ceteris qui hæc nomina pro Deo, & Dei Filio assumere solent, modum acceperint reuicti! Nos igitur reddentes obsequium clementiæ tuæ, quod coram veritatis status eluxit, quæ quod nesciat vinci, & obtinuit victoriam, vt indignum Deo nomen, quod nusquam in legibus sanctis scriptum est, iam a nullo dicatur. Vnde oramus pietatem tuam, quoniam in eo loco, vbi Synodus gesta est, vnde responsum per nostros legatos dedimus, adhuc detinemur: iubeat nos qui integram in Orientalibus doctrinam retinemus, iam ad nostras plebes dimitti, vt ex hac parte appareant amatores veritatis, qui Deo non mutant nomen, nec cum eis qui peruersa doctrina infecti sunt, diutius nos qui veritatem Catholicam tenemus, detineamur.

Vnde impense oramus, domine, pietatem tuam ante Deum Patrem & Dominum nostrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

A ſtrum Ieſum Chriſtum Deum & Dei filium, facias nos qui ſubſcripſimus ſanæ doctrinæ, recedentes ab Vſiæ nomine, te imperante, & iubeas nos ad noſtras plebes dimitti, vt lætetur Eccleſia, quæ immutare nomina Dei & Filij eius non admittit, in totum imperio tuæ virtutis & gloriæ, cui tantum Diuinitas contulit, vt apparet * dicationis ſacrilegis * iam Vſiæ & Omousij nomina recedant, quæ in diuinis Scripturis de Deo & Dei filio non inueniuntur ſcripta: Subueni, pie Imperator, Dei ſummi cultoribus: Subueni eis qui per Chriſtum Dei Filium, Deum Patrem omnipotentem orant: Subueni eis, qui iudicio * tuo deuotus * offerunt omnes, qui neſciunt colere niſi Deum Patrem, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum gloriæ eius Filium. Et præcipue, Domine Imperator, ad noſtras nos plebes remeare, datis litteris ad * hunc Præfectum Prætorij Taurum, quia & nos in præ- * dicatione nominis Dei, Orientalibus & tuæ diſpoſitioni plenum reddidimus obſequium B * inhere in qua ſemper tenuimus, iam ad noſtras plebes redire debemus. De hac autem * re ad Archiepiſcopos noſtros Orientales, litteras dedimus, vt ſciant hoc ſemper tenuiſſe, & in fide Catholica cum ipſis permanere. Domini pietas glorioſiſſimum te ſemper & vbique per omnia faciat vindicem, Domine piiſſime Imperator. Explicit.] Sed quæ poſt hæc ſecuta ſunt, audi ex Seuero, qui res tunc geſtas Arimini fideliſsime proſecutus eſt in hæc verba. Ita dimiſsis legatis -

Tom. 3. pag. 738. D 11 *ibi* nullus de his iure dubitandi locus videtur eſſe relictus. *his hæc adde:* In fragmentis S. Hilarij de Synodo Ariminenſi a Pithoeo repertis, & a Fabro vna cum eius vita editis, de damnato Liberio Papa ab Arianis in eodem Conciliabulo Ariminenſi, haud eſt obſcura mentio. Traditur enim, minime contineri potuiſſe illos ab eius condemnatione, licet lectæ eſſent litteræ eiuſdem Liberij nomine, quibus C olim Athanaſium condemnaſſet, & pacem cum Orientalibus inijſſet. Hæc enim ibi leguntur: Potamius & Epictetus, dum damnare Vrbis Romæ Epiſcopum gaudent (ſicut in Ariminenſi Synodo continetur) audire hæc noluerunt. Quinetiam Fortunatianus Epiſcopus epiſtolam eamdem rurſum diuerſis Epiſcopis mittens, nihil profecit.] vt manifeſtum ſit argumentum poſtquam ſolutus ab exilio Liberius fuit, ipſum ab eorum communione penitus receſsiſſe. Quod rurſum -

Eodem Tom. 3. pag. 740. C 7 *ibi* de Liberio ea de cauſa ab Vrbe expulſo; de quo nos nuper egimus. *his hæc adde:* Eſt locus inter Ariminum atque Piſaurum, idemq. Vicus, cui, Catholica, nomen eſt, ad litus maris poſitus, cuius nominis ratio illa redditur, ex traditione a maioribus ad poſteros propagata, quod poſt naufragium quod paſſa eſt fides Catholica in Ariminenſi conuentu, perpauci Orthodoxi Epiſcopi ſi- D mul conuenientes, illic ſeorſum ab Arianis ſacra facerent, & Catholica communicatione Catholicos impertirent. Quod igitur illuc pergentes, ſe ire ad Catholicam, vſitato more veteri loquendi, dicerent; inde factum eſt, vt ſemper idem nomen retinuerit locus ille, vt Catholica diceretur. Ceterum haud diu id facere, conceſſum fuit, perſecutione ſæuiente. Etenim Arimini, vbi -

Quæ pertinent ad Quartum Tomum.

Tom. 4. edit. Rom. pag. 76. B 2 *ibi* inito conſilio, conſulere poſſent. *his hæc adde:* Porro horum omnium primum auctorem & architectum fuiſſe Liberium Romanum Pontificem, paulo inferius hoc eodem anno aperietur. Ipſe enim primus Ariminenſe naufragium reparare ſollicitus, indulgentiæ vexillum erexit, ne qui decepti & Arianorum fraudibus circumuenti fuerant, & timore perterriti, minis ceſſerant Imperatoris, Nicææ E confeſsionem viſi fuerant deſeruiſſe, in magnum Eccleſiæ detrimentum, extra Eccleſiam diutius vagarentur, fierentq. interea lupis præda, ſi quæ inuiti feciſſent, volentes iam obſtinate defenderēt. His inquam bene conſulturus Liberius Pontifex, primum omnium ijs qui in Italia lapſi erant, Epiſcopis erroris pœnitentibus, ſubueniendum putauit, & in Orientem reſpiciens, bene vſus occaſione illios ipſos, qui erant illic fidei cauſa exules Occidentales Epiſcopi magni nominis, Euſebium Vercellenſem Epiſcopum, & Luciferum Calaritanum Epiſcopum, in Sardinia legatos Apoſtolicæ ſedis creat, quorum alteri, nempe Lucifero, Eccleſiæ Antiochenæ, ab Arianis diu poſſeſſæ curam delegat. Dicturi de his ſingulis, primum omnium hic eiuſdem Liberij litteras recitemus, quas eodem argumento dedit ad Italiæ Epiſcopos, nacti ſumus eas ex Petri Pithoei antiquitatum promptuario, eaſdemq. nuper a viro ſinceriſsimæ fidei Nicolao Fabro editas accipe, vt ſe habent iam nimia vetuſtate corroſas [a]. [a] *Hilar. frag. lib. 1. pag. 37. 38.*

Liberius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Liberius Episcopis Catholicis in Italia consistentibus, in Domino æternam S. A
Imperitiæ culpam obliterat resipiscens. Hoc autẽ & de Scripturis sanctis aduertere est. Pietatem ad omnia vtilem esse, legimus, cui cedit corporalis exercitatio, quamuis & ipsa vtilitatis retineat fructus: quam sectandam nobis etiam ratio temporis præsentis exposcit. Non enim si aliqui forte qui hoc studij gerunt, ratione prouisam destruere imprudenter sæuiori censura hoc æstimauerint, & non a re, quod iam ex Apostolica auctoritate munitum est * de pietate cum dictum est, non esse parcendum his qui apud Arianum ignorantes egerunt, quibus nescire inlicitum fuit captum errori incidere *, idcirco veritas repedanda est. Sed mihi cui conuenit, omnia moderate perpendere, maxime cum & Aegyptij omnes & Achiui accusati sententiam receperunt, multis parcendum quidem his, de quibus supra tractauimus: auctores vero esse damnandos, qui obliqua & maligna subtilitate & caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen ob- B
ducerent veritati, tenebras lucem, & lucem tenebras venditantes.

Igitur si quis ignorationis captum * resipiscens sermonis nostræ aduocationis breuissima, illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum fuerat expertus, reparatus exhauriat, condemnet, vehementiusq. in auctores eius insæuiat, quos in se violentos expertus est, totumq. se fidei Apostolicæ & Catholicæ vsque ad Nicænæ Synodi conuentum de integro mancipet. Per quam professionem, etiam si quibusdam leue & remissum videtur, recuperet id quod per astutiam rectitatis amiserat. Verum si aliquis tam stolidæ mentis (quod haud credo) fuerit inuentus, qui non solum nolit conuerti, antidotum recipiens sanitatis, venenum virusq. noxius sese * vindicare crediderat, & ratione vincetur, & auctori perfidiæ perdite deputatus, Ecclesiæ Catholicæ spiritali vigore plectetur.] Hactenus Liberij ad Italiæ Episcopos litteræ, qui dicto obaudiens C
Saluatoris, cum Petro dixit: Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] non tam præsentes in Italia existentes, sed etiam in Oriente longe positos colligere studuit, curans de his vna cum Athanasio haberi Synodum Alexandriæ: quod feliciter per Eusebium Vercellensem Episcopum Apostolicæ sedis legatum, & Athanasium præstitum est.

Quid vero ab eis gestum sit -

Tom. 4. pag. 91. Rom. edit. E 11 *ibi* martyrij exules diem extremum clausisse *his hæc adde:* Quod igitur tum Fortunati testificatione (vt superius dictum est) tum Seueri, vt modo audisti, opera S. Hilarij plura sunt in Gallijs Concilia congregata, quibus Orientalium error aduersus Nicænam fidei professionem in diuersis Synodis comprobatus penitus damnaretur, vna cum suis auctoribus, qui proscripserunt nomen consubstantialitatis in Filio Dei: Quid in vno ex ijs Concilijs in Gallia congregatis factum sit, vt & D
quæ in reliquis pariter acta sunt possumus intelligere, reddimus hic eam, quæ nunc extat Synodalem epistolam missam ex Parisiensi tunc celebrato Concilio ad Orientales, cum illi litteris suis, conarentur Gallicanos Episcopos reddere in omnibus, suæ ipsorum perfidiæ professores; habetur in Pithoei Ecclesiasticarum antiquitatum officina, edita vero
[a] *Hilar. frag. lib. 2. pag. 1. 2. 3.* nuper diligentia doctissimi viri Nicolai Fabri, eius autem sic se habet inscriptio [a].

Incipit fides Catholica exposita apud Fariseam ciuitatem ab Episcopis Gallicanis ad Orientales Episcopos.] pro Farisea autem, restituendam in mendoso Codice Parisiam, probe admonuit idem Faber.

Dilectissimis, & beatissimis consacerdotibus Episcopis Orientalibus omnibus, per diuersas prouincias in Christo manentibus, Gallicani Episcopi, salutem.

Omni quidem vitæ nostræ, fideiq. sensu gratias Deo Patri, per Dominum nostrum E
Iesum Christum confitemur, quod nos in lumine scientiæ confessionis suæ, doctrinis & propheticis & Apostolicis conlocauit, ne sæcularis imperitiæ tenebris detenti iudicio sæculi teneremur: Cum sola spes sit plenissima ad salutem, Deum Patrem omnipotentem per vnigenitum eius Dominum Iesum Christum in sancto Spiritu confiteri. Sed plane non minor quotidie gratulationis nostræ causa cumulatur, quod liberans nos ab errore mundi, nunc etiam inexpiabili hæreticorum admiscèri non patitur societati.

Ex litteris enim vestris, quas dilecto fratri & consacerdoti nostro Hilario direxistis, fraudem diaboli, & conspirantia aduersus Ecclesiam Domini hæreticorum ingenia cognouimus, vt diuisi in partibus Orientis, atque Occidentis, diuersis inuicem opinionibus fallerentur. Nam plures numero, qui aut Arimini, aut Nicææ adfuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad Vsiæ silentium sunt coacti: Quod verbum a vobis quondam contra

Arioma-

A Ariomanitarum hæresim inuentum, nobis semper sancte, fideliterq. susceptum est. Nam Homousiu sermonem ad veram & legitimam ex Deo Patre vnigeniti Dei natiuitatem sumus amplexi, detestantes secundum Sabellij blasphemias ipsam vnionem, neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes, sed ex toto atque perfecto innascibili Deo, totum atque perfectum vnigenitum Deum natum, vnius a nobis idcirco, vel Vsiæ, vel substantiæ cum Deo Patre confessum, ne creatura potius, aut adoptio, aut adpellatio videretur. Et quia ex ipso esset, vt ex Patre Filius, vt ex Deo Deus, vt ex virtute virtus, vt ex spiritu spiritus, vt lumen ex lumine, similitudinem quoque eius ad Deum Patrem non inuiti audientes, quippe cum imago inuisibilis Dei sit, sed eam solam similitudinem dignam ad Patrem intelligentes, quæ veri Dei sit ad Deum verum, ita vt non vnio diuinitatis, sed vnitas intelligatur: quia vnio sit singularis, vnitas vero secun-
B dum natiuitatis veritatem plenitudo nascentis sit, maxime cum Dominus ipse Iesus Christus ad discipulos suos sit professus, dicens: Ego & Pater vnum sumus, quo non solum charitatem quæ ad Patrem est, sed & diuinitatem quæ Dei ex Deo est, significat, secundum illud: Qui me vidit, vidit & Patrem: &, Si mihi non vultis credere, vel operibus meis credite, quia Pater in me est, & ego in Patre.

Hanc igitur fidem semper tenentes, & tenebimus, detestantes quoque eos qui dicunt: Non erat antequam nasceretur: non quod vnigenitum Deum innascibilem prædicemus, sed quod impium sit, maxime Deo temporum, tempus aliquod anteferre, cum ipsum illud, antequam nasceretur, non fuerit, sit temporis. Sed & obedientem quoque Patri Filium etiam vsque ad mortem Crucis, secundum infirmitatem assumpti hominis, non negamus: cum ipse de ascensu suo ad cœlos locutus sit: Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad
C Patrem, quia Pater maior me est; per cuius carnis susceptionem nos sibi fratres connuncupare dignatus est, cum in forma Dei manens, forma serui esse voluit.

Itaque, carissimi, cum ex litteris vestris in Vsiæ silentio fraudem se passam simplicitas nostra cognoscat, etiam pietatem eorum qui Arimino Constantinopolim reuerterunt,
* conuentos sicut epistola nostra contenta testatur, neque eos ad tantam rem blasphe- *
miarum damnationem potuisse compellere; fidelis Dominici nominis prædicator frater noster Hilarius nunciauerit. Nos quoque ab his omnibus, quæ per ignorantiam perperam gesta sunt, referimus, Auxentium & Vrsatium ac Valentem, Gaium, Megasium, & Iustinum excommunicatos habemus secundum litteras vestras, & certe vt diximus, iuxta fratris nostri Hilarij professionem, qui se pacem cum his, qui horum sectarentur errores, habiturum negauit, blasphemiasq. omnes, quas litteris vestris subiecistis, dam-
D namus, maximeq. eorum sacerdotes apostatas respuentes, qui in loca fratrum indignissime exulantium quorundam, aut ignoratione, aut impietate sunt substituti; pollicentes hoc coram Deo, atque etiam confitentes, vt quisq. his quæ statuimus, intra Gallias putauerit renitendum, a communione ac sede sit sacerdotij abijciendus. Neque enim vt alias, aut occasionem prædicandi non damnando permittens, aut contra Deum & Christi vnigeniti Dei maiestatem aliter, quam nos de Homousiu significatione sentimus, obnitens, dignus erit sanctitate sacerdotij nominis iudicandus: a quo etiam Saturninum, qui statutis salubribus impijssime contradixit, secundum fratrum nostrorum geminas iam litteras excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis, charitas vestra cognoscat: quem & vetera dissimulata, iam diu licet, crimina, & cætera edita epistolis suis, nouæ temeritatis inreligiositas indignum Episcopi nomine esse fecerunt.

E Explicit fides Catholica exposita apud Fariseam ciuitatem, ab Episcopis Gallicanis, ad Orientales Episcopos.] hactenus ibi. Ex his plane commendatur sincera fides atque constantia Ecclesiæ Gallicanæ, cum in tanto numero Episcoporum vnus dumtaxat sit repertus Saturninus, qui inhæserit Arianis, reliquis omnibus sequentibus sanctum Hilarium, ex cuius litteris omnes tamquam leunculi post leonem aduersus lupos ingruentes infilierint: Gloria hæc est sancti Hilarij, qui scriptis suis eosdem Galliarum Episcopos in Arianos commouerit, & iugiter aduersus eos in officio continuerit.

At quid Ruffinus -

Tom. 4. edit. Rom. pag. 181. B 6 *& Plantin. pag.* 157. *vers.* 10 *ibi* dicturi sumus anno sequenti, quo id ipsum fieri contigit *his hæc adde*: Illyricis igitur Nicænam fidē recipientibus congratulati sunt Italiæ Episcopi, eiusmodi litteras ad eos dantes, quas liber S. Hilarij fragmentorum Synodi Ariminensis, nuper editus, tibi exhibet istis verbis [a]. [a] *Hilar. frag. lib. 1. pag. 38. 39*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dilectissimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus, Episcopi Italiæ, in A
Domino æternam salutem.

Diuini muneris gratia, vt secundum Apostolum omnes vnum sapere, omnes vnum confiteri cœperimus, & quantum ad Italiam quidem pertinet, cum fidei paternæ, hoc est apud Nicæam scriptæ se reddidit, fraudem quam passa est apud Ariminum recognoscens, Illyricum etiam Deum clementi nutu respexisse, gaudemus, & consortio infidelitatis, quo grauabatur, abiecto, ea quæ sunt rectæ sententiæ probare cœpisse, gratulamur. Nostram igitur, dilectissimi fratres, vnam eamdemq. accipite firmam subscriptione sententiam. Nicæni tractatus aduersus Arium, Sabelliumq. cuius Photinus partiaria hæreditate damnatur, decreta seruamus. Ariminensis Concilij statuta quorumdam tergiuersatione corrupta, consensu omnium prouinciarum iure rescindimus, quorum etiam exemplaria transmittenda censuimus, vt nec in fide retinenda, nec in confutando Arimi- B
nensi Concilio aliqua videretur condissensio.

Quicumque igitur nostræ vnanimitatis optat habere consortium, quicumque indiuiduam pacem nobiscum habere desiderat, quæ sunt nostræ sententiæ comprobare festinet, & fidei nobis memoratæ subscriptionem, & rescissionem Ariminensis Concilij sine ambiguitate mittendo. Id certe petimus, quod complurium harum prouinciarum porrigimus ipsi consensum. Auctores autem hæresis Arianæ, vel Aetianæ Valentem & Vrsacium cæterosq. eorumdem consortes, non nunc esse, quod manifestari apud Illyricum cœperunt, sed olim condemnasse manifestum est. Explicit.] Ita quidem Episcopi Italiæ, vtique Liberij auctoritate isthæc omnia pertractantis, in vnum collecto Concilio.

His itaque in Occidente -

Tom. 4. edit. Rom. pag. 194. E 2 *vel in edit. Plantin.* 168. *vers.* 47 *ibi* & hæreti- C
cos ab ipsorum dogmate discrepantes, *his hæc adde.*

Eodem anno fæces Arianorum Valens & Vrsacius vna cum eiusdem perfidiæ *collegis*, Singeduni in Mysia conciliabulum habuere, non tamen aduersus Catholicos, sed Semiarianos hæreticos, ægreferentes, si quis errans non continuo in eiusdem qua ipsi profundum foueæ mergeretur, ex quo quidem conuentu istam ad Germinium conscripserunt epistolam, quam liber fragmentorum sancti Hilarij de Synodo Ariminensi, nuper editus, exhibet istis verbis [a].

a Hilar. frag. lib. 1. pag. 40. 41.

Domino religiosissimo fratri Germinio, Valens, Vrsacius, Gaius & Paulus, S.

Cum de spe & salute sollicitudo incumbit, magis laudandi esse debent qui solliciti sunt, quam reprehensionem aliquam sustinere. Salus autem ac spes principaliter in fide Catholica consistit. & ideo quamuis conuentione ad omnes nostros fratres & Coepiscopos D
* nostros * Valente & Paulo admonita noluerit, ad id quod rumor latitat de te respondere, domine religiosissime, tamen quia litteris tuis testificatus es, te in eadem charitate perseuerare, & paratum esse inlibatam dilectionem habere erga nos ostendere: propterea in vnum apud Singedunum congregati, iterum his commonefacimus sanctitatem tuam, vt omni occasione ambigui exclusa, digneris rursus rescribere nobis, si a fide Catholica, quæ Arimini a sancto Concilio exposita confirmataq. est, cui etiam vniuersi Orientis Epi-
* apertius scopi consenserunt, sicut iam professus es te non recessurum, apertus * quæritur significes. Est autem hoc, sicut in ea cautum est: Similem dicimus Filium Patri secundum scripturas, non secundum substantiam, aut per omnia, sed absolute. Si enim hæc expositio immutata fuerit, manifeste quondam Basilij perfida adsertio, propter quam Synodus facta est, qua etiam merito damnata est, reparabitur. Dignare igitur hoc, quod quæritur, E
euidenter litteris tuis declarare: non dixisse, aut dicere, vel dicturum, similem esse per omnia Filium Patri, excepta innatiuitate, ne quod perlatores litterarum Iouianus diaconus & Martyrius subdiaconus verbo deprecationis suæ, ante prædictos dominos meos fratres & Coepiscopos nostros Valentem & Paulum adserebant, magis credibile esse videatur, quia per omnia similem esse Filium Patri profitearis. Si enim sic te, sicut optauimus, sentire scriptis tuis manifestaueris, querelam pro iniuria a quibusdam clericis tuis Pallacio & Gaio fratribus & Coepiscopis nostris factam, licet nolueris, sicut prima conuentione admonitus es, exquirere, ad æstimationem tuam pertinet, illis scilicet præstantibus pro sua temeritate rationem. Hæc per Secundianum presbyterum, Pullentium lectorem, & Candidianum exorcistam transmisimus charitati tuæ XV. Kal. Ianuarias, Gratiano nobilissimo P. & Dagalaifo Cos. exemplum penes nos retinentes.

Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

A Quid autem Germinius? num his consensit? minime gentium, nam accipe ab eo scriptam eo argumento epistolam [a]:

[a] Extat apud Hilar. frag. lib. 1. pag. 42. 42. 43.

Dominis fratribus religiosissimis Rufiano, Palladio, Seuerino, Nichæ, Heliodoro, Romulo, Muciano & Stercorio, Germinius in Domino Salutem.

Vitalis nunc militantis in officio sublimis Præfecturæ relatione comperimus, desiderare sanctitatem vestram significari vobis aperte, quid est quod de fide nostra Valenti, Vrsacio, Gaio & Paulo displiceat. Necessarium duxi his litteris patefaciendum sanctitati vestræ, & id quod in vobis ipsis ab initio esse confido, dicere, nos hoc quod & a Patribus traditum accepimus, & diuinis Scripturis, quod semel didicimus & quotidie docemus, Christum Dei Filium Dominum nostrum per omnia Patri similem, excepta innatiuitate, Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, integrum de integro, perfectum
B de perfecto, ante sæcula & ante vniuersa, quæ intelligi vel dici possunt, genitum, cuius natiuitatem nemo scit nisi solus Pater, ipso Filio adserente: Quia nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil, secundum diuinas voces ipsius Saluatoris nostri Filij dicentis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Et iterum: Quæcumque enim Pater facit, hæc & similiter Filius facit. Et iterum: Ego & Pater vnum sumus. Et iterum: Qui me vidit, vidit & Patrem. Et iterum: Quomodo Pater vitam habet a semetipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso. Et iterum: Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, ita & Filius quod vult, viuificat. Et iterum: Creditis in Deum, & in me credite. Et iterum: Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Et ite-
C rum cui Pater dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: nec dixit, ad imaginem tuam, vel ad imaginem meam, ne aliquam dissimilitudinem in Filij sui diuinitate demonstraret, sed propterea coniunxit ad imaginem & similitudinem nostram, vt Filium suum sibi similem per omnia Deum manifestaret. Iterum Euangelista: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre plenum gratia & veritate. Et Apostolus ad Corinthios: In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non refulgerent inluminatione Euangelij gloriæ Christi, quæ est imago Dei. Et iterum idem Apostolus: Et transtulit in regno Filij charitatis, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et iterum idem Apostolus: Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed semetipsum exina-
D niuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus. Quis non intelligat, quia quemadmodum secundum serui formam vera fuit caro nostra in Christo, ita & in Dei forma vera sit diuinitas Patris in Filio? Et iterum: Videte ne quis vos seducat, per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Si ergo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat in Christo, iam non ex parte similis & ex parte dissimilis, sicut nunc asserunt, qui propter contentionem suæ libidinis retrorsum abeuntes, semetipsos a nobis auertunt.

Nam quod putant se pro magno de diuinis Scripturis proferre, vt dicant, Christum facturam & creaturam: e contrario nos secundum Scripturas dicimus, & viam, & ianuam, & lapidem offensionis, & petram scandali, & fundamentum, & brachium, & manum, &
E sapientiam, & verbum, & agnum, & ouem, & pastorem, & sacerdotem, & vitem, & diem, & alia: Sed hæc omnia sic intelligimus & dicimus, vt virtutes & operationes Filij Dei intelligamus, non vt diuinam eius ex Patre natiuitatem huiuscemodi nominibus comparemus, quia ex nihilo omnia per Filium facta sunt, Filius autem non ex nihilo, sed ex Deo Patre est genitus.

Miror autem prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certe subdole dissimulare, quid in præteritum gestum definitumq. sit. Nam sub bonæ memoriæ Constantio Imperatore, quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu eiusdem Imperatoris præsentibus Georgio Episcopo Alexandrinorum Ecclesiæ, * Peluſinorum, Basilio Episcopo tunc Anquiritano, præsente etiam ipso Valente & Vrsacio, & in ea prauitate post habitam vsque in nóctem de fide disputationem & ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis electum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est: Filium similem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Patri per omnia, vt sanctæ dicunt & docent Scripturæ: cuius integræ professioni consen- A
simus omnes, & manu nostra subscripsimus. Si autem nunc aliquid spiritus huius mundi
suggerit, ex aperto adhuc scire non possumus. Nam, vt nos professi sumus de Scripturis,
per omnia similem Filium Patri excepta innatiuitate, exponant & illi de Scripturis,
quemadmodum parte similis sit, parte dissimilis. Et ideo, fratres dilectissimi, hæc intre-
pidanter & sine mora vestræ dilectionis ad conscientiam, per Cyriacum officialem, cuius
prima inuenta occasio est post Carinium diaconum, quem ad vos misi, professionem desti-
naui, vt per vestram quoque vigilantissimam deuotionem apud Deum, vniuersæ frater-
nitati intimetur, ne quis fallacia diaboli laqueis ignorans implicetur. Iam vestræ est vna-
nimitatis referibere mihi, quid vobis sanctus Spiritus suggerat. Sane intimo charitati ve-
stræ, me huic epistulæ, propterea quod manus dolerem, subscribere non potuisse: sub-
scribendum autem mandasse fratribus & compresbyteris nostris Innocentio, Octauio, & B
Catulo.] Hactenus Germinius aduersatus Arianis, militans tamen inter Semiarianos.

Quo tempore -

Tom. 4. edit. Rom. pag. 115. D 10 *& Plantiniana pag.* 100. *vers.* 42 *ibi* omni ac-
ceptatione digniſſima. *his hæc adde:* Ad postremum post alias recensitas ineptias insulsi
legislatoris, vani philosophi, & impij Imperatoris a Gentilibus scriptoribus etiam con-
demnati, addamus his vanitatem illam, quam etiam lege sancire non puduit, cum sta-
tuit, vt liberum esset vxoribus maritos dimittere. Est de his mentio apud sanctum Au-
gustinum, vbi auctor ait[a]: Ante Iuliani edictum, mulieres viros suos dimittere nequibant,
accepta autem potestate, cœperunt facere, quod prius facere non poterant: cœperunt
enim viros suos libenter dimittere.] & inferius: Hic enim in Vrbe Roma & finibus eius
(quæ sacratissima appellatur) licet mulieribus viros suos dimittere, cum cautum sit lege C
diuina, vt ne viri quidem hac potestate vterentur, excepta fornicationis causa. Ecce hac
in re meliores sunt Barbari, &c.] Hæc auctor: & si non Augustinus, certe Iuliani æqualis,
vt qui ibi numeret annos trecentos & circiter (vt ait) a tempore cladis Hierosolymitanæ
in illum diem. Audisti portentum, quo vna illa lege insanus homo, ea indulgens mulie-
rum leuitati, vniuersos homines sub Romano Imperio constitutos illis subiecit.

[a] *Apud Aug. in quæst. ex vtroque mixt q.* 115 *&* 144.

Hoc insuper anno -

Eodem Tom. 4. edit. Rom. pag. 166. A 8 *vel in edit. Plantin. pag.* 144 *ver.* 2.
ibi ad locum Dadastanam dictum, *his hæc adde*: Est locus (inquit Socrates[b]) inter Gala-
tiam & Birhyniam medius interiectus, ibi Themistius philosophus, cum alijs ordinis Se-
natorij viris obuiam factus, orationem suam consularem coram illo recitauit, quam qui-
dem postea etiam Constantinopoli recitauit, coram populi multitudine.] Hæc Socrates, D
qui & superius de eadē oratione verba faciens, hæc habet: Imperator vero qui apud ani-
mum suum proposuerat blanditijs & persuasionibus dissentientium lites dirimere, respon-
dit, se nemini quidem qualemcumque fidem amplexanti, molestiam exhibiturum, sed eos
præter ceteros beneuolentia & honore prosecuturum, qui Ecclesiæ ad concordiam ad-
ducendæ auctores se ostenderent. Hæcq. ab eo ad hunc modum gesta esse, Themistius
philosophus commemorat: nam in ea oratione, quæ Consularis inscribitur, quam de eo
conscripsit, eum propterea magnis ornat laudibus, quod potestate cuiq. pro arbitratu
hanc, vel illam religionem profitendi permissa, assentatorum mores prorsus refutasset:
quod genus hominum admodum facete perstringens, dixit, nemini obscurum esse, eos
non Deum, sed purpuram coluisse.] Nacti sumus eamdem nos orationem, sed mutilatam
magna ex parte, quod illis careat, quæ spectabant ad Consulatum, nuper per Imperatorem E
initum, sed satis hic ea, quæ ad argumentum propositum spectant. Cum igitur Imperator
ad dictum locum peruenisset Dadastanam, qui Bithyniam -

[b] *Socrat. lib. 3. c. 21. 22.*

Eodem Tom. 4. edit. Rom. pag. 263. A 11 *vel Plantin. pag.* 226. *vers.* 51 *ibi* de
quibus anno sequenti agemus. *his hæc adde:* Quoniam autem hæc quæ dicta sunt de Va-
lente, Ioannes Chrysostomus (vt vidimus) testatur contigisse, cum ipse adolescentior es-
set; his hæc pro ratione temporis adijcienda putamus, quæ eadem sua ipsius ætate acci-
disse tradit Antiochiæ memoria digna, de conuersione famosissimæ meretricis: homilia
enim in Matthæum sexagesima octaua habet ista: At non audistis quomodo illa mere-
trix, quæ omnes impudicitia superauit, vniuersos rursus continentia & virtute a tergo
reliquit? Non dico illam de qua in Euangelio scribitur, sed hanc quæ nostra memoria ex
Phœnice omnium ciuitatum iniquissima fuit. Hæc enim pueris nobis apud nos erat, &

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

A cum prima in theatro esset, nomen eius vbique ferebatur; non in vrbe nostra solummodo, sed ad Cilicas vsque & Cappadocas. Hæc multorum patrimonia exhausit, hæc multos parentum orbos tenebat, hæc maleficis quoque vti artibus dicebatur, quasi non eleganti corporis forma solum, verum etiam magicis cantibus & herbis retia tenderet: hæc Reginæ quoque fratrem attraxit: tanta cupidinis tyrannide pollebat. Sed subito nescio qua re, immo vero certissime scio: voluntate namque commutata, & Dei gratia hoc modo impetrata, omnia illa spreuit & calcauit: ita diaboli officina proiecta, facile ad cœlum ascendit: & quamuis nihil erat ea petulantius, dum in scena versaretur, postea tamen continentiæ magnitudine multas antecelluit. Cilicium enim induta per totam reliquam vitam hoc se pacto exercebat. Huius gratia & Præfectus a scenicis perturbatus armatos milites misit, qui non potuerunt eam rapere, nec a numero virginum, quæ ipsam
B receperunt, abducere. Hæc cum ineffabili sacramento communicasset, & condigne suscepta gratia vixisset, vniuersis per gratiam maculis detersis, naturæ demum concessit. Mirabilem enim philosophiam post baptismum ostendit, nec vmquam amantibus antea, eamq. sequentibus, ac diligenter quærentibus visa est: sed postea quam semel se ipsam inclusit, multos annos quasi vincta in carceribus peregit.] hæc de ea Chrysostomus. Iam reliqua prosequamur. Interea vero-

Eodem Tom. 4. Rom. edit. pag. 481. B 6 vel in edit. Plantin. 413. vers. 46 ibi Gratiani decimussextus absoluitur; *his hæc addas*: Horum Consulum nota, consignatum habetur epitaphium a S. Damaso Papa conscriptum versibus istis, hoc anno[a]:

Quid loquar, aut fleam? prohibet dolor ipse fateri.
Hic tumulus lachrymas retinet, cognosce, parentum
C *Proiectæ, fuerat primo quæ iuncta marito*
Pulchra decore, suo solo contenta pudore.
Heu dilecta satis miseræ genetricis amore.
Accipe, quid multis, thalami post fœdera prima
Erepta, ex oculis Flori genitoris abijt
Aetheriam cupiens cœli conscendere lucem.
Hæc Damasus præstat cunctis solatia fletus.

Vix. an. XVI. M. X. dies XXV. Dep. III. KAL. Ian. FL. MEROBAVDE ET FL. SATVRNIN. COSS.] Hæc Damasus, qui licet summus Pontifex, tamen & in his quoque se seruorum Dei seruum exhibuit, vt parentes de filiæ obitu mœrentes, ita (vt legisti) scripto epitaphio consolaretur. His occasione nouorum Consulum positis, iam quæ sub
D ijsdem hoc anno gesta sunt, videamus. Hoc anno Maximus-

Tom. 4. Rom. edit. pag. 515. C 4 vel in edit. Plantin. pag. 442. ver. 49. ibi diximus ex sententia Athanasij. *quibus hæc adde*: Ad postremum autem corrigendus hic error, in quem nos secuti Græcos auctores, incurrisse fatemur in nomine Placillæ, de cuius obitu agimus, ita quidem Græci omnes appellant Placillam, Gregorius Nyssenus in inscriptione funebris orationis, eodem modo Socrates[b], Sozomenus[c], Theodoretus[d], Suidas, Zonaras & alij; ita etiam inemendato errore reddiderunt Latini interpretes, & alij eodem reperiuntur errore decepti, vt Panuinus[e]: Quos secuti æque nos Placillam nominauimus, quæ reuera, Flaccilla dicenda est. Prodit id inprimis vetus numisma, cuius hic tibi formam cudendam curauimus, quæ sic se habet.

[a] *Extat in titulo Equitij, nunc dicto S. Martini in Montibus.*

[b] *Socrat. lib. 5. cap. 12.*
[c] *Sozom. lib. 7. cap. 6.*
[d] *Theodoret. lib. 5. cap. 9.*
[e] *Panuin. de Rom. Prin. lib. 3.*

E





Neque dubitari potest, quin sit ipsa imago coniugis Theodosij, cum præter hanc Flaccillam nulla legatur Christiana eius nominis Augusta. Docet hoc ipsum præterea Claudianus

dianus in carmine de laude Serenæ, vt ibi: Flaccillam, Mariamq. &c.] & inferius: Commotum Flaccilla virum.] Fuisse illi quoque cognomen Aelia, vt in numismate habes expressum, idem docet auctor, vbi ait: His fontibus Aelia fluxit.] Ducebat & ipsa genus ab Hispania, vbi Aelia familia clarissima erat, ex qua pariter Aelius Hadrianus, quem æque ex Hispania traxisse originem, Spartianus affirmat. Rursum vero in emendatioribus voluminibus S. Ambrosij in funeris Theodosij oratione, Flaccillam & non Placillam inuenies appellatam, quem & secutus est Paulus diaconus in Appendice ad Eutropium. Confert ad hæc, quod huius neptem, Arcadij filiam, Prosper & Marcellinus in Chronicis, sub Consulatu Cæsarij & Attici, Flaccillam recte nominant. Idem & constat de pronepte, Theodosij minoris filia, quæ Flaccilla item dicitur a Marcellino, sub Consulatu Antiochi atque Bassi. At quod in corrigendis erratis hic simus, emendamus insuper, quod tres tantum diximus fuisse ex Flaccilla Theodosio filios, duos superstites, vnam defunctam Pulcheriam: addimus & quartam prolem ad superos æque transmissam, nempe Gratianum infantem, eumdemq. cito ex hac vita subductum. De his namque omnibus ista habet S. Ambrosius in oratione habita in funere Theodosij: Nunc te Augustæ memoriæ Theodosius regnare cognoscit, quando in regno Domini Iesu Christi est, & considerat templum eius: Nunc tibi Rex est, quando recipit etiam filium Gratianum & Pulcheriam iam dulcissima sibi pignora, quæ hic amiserat.] hæc Ambrosius. At de Flaccilla hactenus, eiusq. ex Theodosio prole susceptа. Ex quibus non solum quæ sunt dicta corrigas, sed & auctores emendes, siue Latinos, siue Græcos, qui Placillam loco Flaccillæ nominant, & tres tantum tribuunt filios Theodosio Imp. Hoc eodem anno- A

Tom. 4. edit. Rom. pag. 592. A 3 *vel in edit. Plantiniana pag.* 508. *ver.* 58 *ibi* creat appellatione sententiam. *post hæc ponas testamentum S. Gregorij Nazianzeni, quod habetur in Appendice ad Quintum Tomum Annalium.* C

At iam ad-

Tom. 4. edit. Rom. pag. 197. A 7 *vel edit. Plantin. pag.* 170. *ver.* 41 *ibi merito splendescit honore.*] *his hæc adde:* Ad hæc omnia de Liberio posita, addenda est inscriptio nuper reperta Spoleti in tumulo, exarata totidem verbis ac versibus, vt hic legitur.

D. P.
PICENTIAE
LEGITIMAE
NEOPHYTAE
DIE. V. KAL. SEP.
CONSIGNATAE D
A LIBERIO PAPA
FL. HOSPITIVS
MARITVS
VXORI
BENEMERENTI
DVPLICEM
SARCOFACVM
CVM TITVLO
HOC LOCO
. . . OE . . . I
POSVIT E
. . . . MARITO
. . . . . ET] fracta tabula & fragmentis deperditis, desunt reliqua.

Quod autem audis, consignatam fuisse defunctam a Liberio Papa, per consignationem intelligere debes collatum sacramentum, quod dicimus Confirmationis seu Chrismatis, vti vetus loquendi vsus obtinuit, quod accipi consueuit ab Episcopo suo: cum vero *illud* ipsa acceperit a Liberio Papa, placuit marito eiusmodi exhibitum ipsi munus a tanto Pontifice, relinquere perpetua memoria sepulcrali lapide consignatum.

Post obitum Liberij-

Tom. 4. edit. Rom. pag. 465. A 5 *& Plantin. pag.* 399. *vers.* 59 *ibi* & Spiritui sancto, &c. *adde:* At hic opportune admonendus est lector, nequaquam fluxisse ab Oriente (quod multi putarunt) vt in fine cuiusque Psalmi caneretur Gloria Patri. Licet enim *istiusmodi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

A modi glorificatio Trinitatis, quæ & a maioribus appellata est, Hymnus glorificationis (vt superius dictum est) ab exordio nascentis Ecclesiæ, ipsis Apostolorum temporibus, in Ecclesia a Christianis cani soleret, non dum tamen vsu receptum erat in Oriente, vt caneretur in fine Psalmi, sed in fine hymnorum recens conscriptorum, vt in Ecclesia Mediolanensi fecit S. Ambrosius more Orientalium, vti S. Augustinus affirmat [a]: vel in fine Antiphonarum, sicuti Cassianus docet. Vt autem in fine cuiuslibet Psalmi, Gloria Patri, dicatur, vt moris est, peculiaris fuit Occidentalis Ecclesiæ vsus, nam audi Cassianum [b]: Illud etiam quod in hac prouincia vidimus, vt vno cantante, in clausula Psalmi omnes astantes concinant cum clamore: Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: nusquam per omnem Orientem audiuimus. Sed cum omni silentio, ab eo qui cantat, finito Psalmo, orationem succedere. Hac vero glorificatione Trinitatis, tantummodo solere Antiphonam terminari.]

[a] *August. Confess. lib. 9. cap. 7.*

[b] *Cassian. lib. 2. de noctur. orat. mod. cap. 8.*

B hæc ipse.

Quod autem spectat -

Tom. 4. edit. Rom. pag. 486. B 8 *& Plantiniana, pag.* 417. *vers. vlt. ibi* amicitia coniungimur. *adde*: His opportune subijciendum existimauimus epitaphium S. Marcellinæ sororis eiusdem S. Ambrosij, quæ iuxta sanctos fratres maluit sepeliri, quam sepulcris patrijs condi. Accepimus illud ex Codice bibliothecæ Basilicæ S. Petri [c], vbi post vitam eiusdem S. Marcellinæ, hæc habetur inscriptio.

[c] *Vit. sanct. lit. C. pag.* 147.

Incipit epitaphium S. Marcellinæ Virginis.

Marcellina, tuos cum vita resolueret artus,
Spreuisti patrijs corpus sociare sepulcris,
Cum pia fraterni speras consortia somni,
C *Sanctorumq. cupis cara requiescere terra.*
Nil longinqua domus casto decerpsit amori,
Affectus nec morte perit. nam munere leti
Rursus tacta soror, fraternæ redderis aulæ.
Quamuis magna pio suspiret Roma dolore,
Tertia quod sacris patitur iam damna sepulcris,
Nec tamen angustæ sedem quis dixerit aulæ.
Corporis hæc domus est. nam te, pia virgo, supernum
Accipit Imperium, placidæq. ad munera vitæ
Aeternæ Christus pretium tibi destinat aulæ.
Præmia dans castis intactæ matris honore.
D *Te Iuli medius transcendit feruide cursus,*
Et te, virgo tuus transuexit ad æthera sponsus.] Apparet ex his S. Marcellinam Romæ cum virginibus sacris degentem, noluisse paterno sepulcro condi, sed Mediolanum transferri corpus suum, poniq. apud sanctos Satyrum & Ambrosium fratres, ambos æque iuxta sanctos martyres tumulatos. Quanti fecerit -

Tom. 4. Rom. edit. pag. 498. D 6 *& Plantin. pag.* 428. *vers.* 33. perpauca integra. *his hæc adde*: Ex quibus (vt aliquid deguſtes) hic tibi reddimus vnum, quod integrum habetur in titulo Equitij.

Martyris hic tumulus, magno sub vertice montis
Gorgonium retinet, seruat qui altaria Christi.
Hic quicumq. venit, sanctorum limina quærat,
E *Inueniet vicina in sede habitare beatos,*
Ad cælum pariter pietas quos vexit euntes.
Damasi Episcopi.]

Quæ vero fertur -

Tom. 4. edit. Rom. pag. 500. B 5 *& edit. Plantin. pag.* 429. *vers.* 55 *ibi* Roma susceptit. *his adde:* Acceptis hisce S. Hieronymi lucubrationibus in Psalterium Dauidis Damasus, laudem tanti Regis atque Prophetæ his cecinit versibus, quos reperimus in bibliotheca Basilicæ S. Petri, Codice primo S. Hieronymi, qui continet expositionem eius in Psalmos. Habet eosdem Codex Vaticanæ Bibliothecæ, licet vtrobique admodum deprauati legantur.

Versus

Versus Damasi in laudem Dauidis.

Nunc Damasi monitis aures præbete benignas,
Sordibus depositis purgant penetralia cordis,
Curia cum renouant Christo seruire parati.*
Prophetam Christi sanctum cognoscere debes.
Pastorem puerum multis e fratribus vnum,
Angelus ex ouibus rapuit, regemq. dicauit.
Organa qui sciret manibus componere solus.
Psallere per citharam populo cœlestia regna.
Ingentem, clypeoq. graui frustraq. minantem
Impium, maledicum, phaleras ac tela gerentem,
Surdorum demens coleret qui templa Deorum,
Mactauit saxo tereti, truncumq. reliquit.
Iudicioq. Dei ingenti mox cæde peracta
Monstrauit populis, tulerat quæ ex hoste trophæa.
Nam Damasus scit sancte tuos Deus, ipse triumphos.] His subijciuntur sancti Hieronymi versus, quos recinens, ad S. Damasum misit, habent eos ijdem Codices, eiusmodi inscriptione.

Versus Domni Hieronymi presbyteri.

Psallere qui docuit dulci modulamine sanctos,
Nouerat iste, decem legis qui verba dedisset.
Quot digitis citharam chordis totidemq. dicauit,
Nomina vel signum numerum Crux ipsa notaret.
Credere quid dubitas? virtus regit omnia Christi.
Qui varias iunxit vno sub carmine linguas,
Vt pecudes volucresq. Deum cognoscere possint.
Hic sonus est fidei, mentes qui mulcet amaras.
Sic creatura prior tanto de munere gaudet,
Offerat vt Domino, saluet quos gratia vocis.
Quisque sitit, veniat cupiens haurire fluenta.
Inueniet latices, seruant qui dulcia mella.

Oret pro nobis beatitudo tua Beatissime Papa.

Hic etiam quod ad Damasum spectat-

Tom. 4. edit. Rom. pag. 500. E 11 *& Plantiniana pag.* 430. *vers.* 30 *ibi* de ea suo loco *his hæc adde*: Ad postremum autem hic subijcimus tibi eiusdem Damasi epitaphium, quod ipse viuens sibi conscripsit, pium valde: acceptum est ipsum ex peruetusto Codice bibliothecæ Treuericæ Ecclesiæ S. Petri. Exscripsit illud Christophorus Brosperus, Societatis IESV professor, Romam vero ad nos misit Nicolaus Serarius eiusdem Societatis professor, hac inscriptione prænotatum.

Epitaphium Papæ Damasi, quod sibi edidit ipse.

Qui gradiens, pelagi fluctus compressit amaros,
Viuere qui præstat, morientia semina terræ,
Soluere qui potuit Lazaro sua vincula, mortis
Post tenebras, fratrem post tertia lumina solis
Ad superos iterum Mariæ donare sorori,
Post cineres Damasum faciet quia surgere, credo.

Hoc eodem anno-

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX
IN TOMVM OCTAVVM
ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.



A

Abbas non assumendus ex clero. 55.d
Abbates in Concilijs consulendi tantum facultatem habent. 391.c
Abbates custodiant detrusos ad pœnitentiam in monasterium. 122.d
Abbates sæpe admonet S. Gregorius. 37.e
Abimelech Rex Sarracenorum. 601.b.c
Alsagi milites recusant progredi cum Heraclio. 263.d.e. 264.b
Absimarus imperat pulso Leontio creatus ab exercitu Imperator. 627.b.c. Persequitur Ioannem Papam Sextum. 640.b
Absimarus insurgens in Romanam Ecclesiam Imperio priuatur. 644.a.646.c.d
Abundantius Episcopus Paternensis legatus missus a Romano Pontifice ad Sextam Synodum. 529.e
Acca vnus ex duodecim in Germaniam missis ad prædicandum Euangelium. 599.d
Acca presbyter minister S. Vuilfridi. 652.e
Acclamatorius sermo a Synodo datus Imperatori. 557.e
Accusationes Orientalium Orthodoxorum delatæ ad Apostolicam sedem. 389.d.e
Accusationes obiectæ in S. Maximum. 425.d.e. 464.e. 465.a.b. 466.
Accusationes in sanctum Martinum Papam. 419.d.e. 420.
Acephali hæretici conuersio in Concilio Spalensi. 253.b.c
Acephalorum error confutatus. 253.d
Acha soror Regis Eduini. 335.b
Acharius Viromandorum Episcopus. 243.b
Achilles Statius Lusitanus Latinitati tradidit homiliam Anastasij Sinaitæ de sacra Synaxi. 128.d.e
Acoluthus non leuet reliquias sanctorum sed presbyter. 271.d
Acta Concilij Romani sub Martino Papa. 391.d.e. 392.393
Acta Conciliorum in his quæ pertinent ad personas sæpe in iudicium reuocata. 553.b
Acta Concilij Sexti. 540.541.542.543.544.545.549.550.
Acta Concilij Sexti corrupta a Theodoro Monothelita. 551.d.e. 552.553.554.565.d.e.566.567.
Acta Concilij Sexti Romam missa corrupta. 568.a.b.c
Acta Concilij Sexti in damnatione Honorij depravata. 550.a.b.554.a.557.c.d
Acta Concilij Sexti missa in Hispaniam. 574.c.d
Acta Concilij Sexti mutilata. 545.b.c
Acta legatorum Imperatoris Constantij cum Maximo exule. 451.b. 452.453.454.455.456.457.
Acta Pyrrhi cum Theodoro Papa. 371.a.b
Acta Pyrrhi cum Maximo. *Vide* Maximus Abbas.
Acta publica de arreptitia Romæ liberata in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ ad Aquas Salvias. 668.a.b. 669.670.671.672.
Adamnanus Abbas Scotus recipit cum suis Catholicum Pascha. 634.b.c
Adda presbyter Angl. 441.e
Adæ anima an in peccato mortua. 91.a
Adoualdus filius Theodolindæ Reginæ Longobardorum baptizatus a Secundino Arb. 129.e.171.d.e
Adaluualdus Rex Longob. 195.e. Idem mente motus e regno pellitur. 278.e. Successit patri in Regno. 243.d
Adelualdus Rex Anglorum Christianus factus reuocat exules Episcopos. 228.c
Adelbertus diaconus filius Edilbaldi Regis clarus miraculis. 630.c
Adamnani commentarius de locis sanctis qua occasione conscriptus. 635.b.c
Adeodatus Papa creatur. 503.c
Adeodati Papæ priuilegium concessum ecclesiæ S. Martini. 516.c.d.e
Adeodatus Papa moritur. 516.b. Reliquæ res ab eo gestæ. 517.c.d
Adeodatus Episc. in Africa. 117.d
Adeodatus Episc. in Numidia. 50.a
Adeodatus Episcopus Niueruensis sanctitate clarus. 528.c
Adeser occisor Regis Persarum. 292.c
Adilberga non Berta dicta Regina Anglorum. 113.b
Adoletius cognatus S. Lamberti occisus vna cum eo. 632.a
Adolphus Episcopus in Gallia fauet Ariperto Regi Longobardorum. 648.a.b
Adoptiuum filium Dei Christum quis impie primo asseruit. 341.b
Adregin villa regia in Anglia. 290.c
Aegericus Abbas in Gallia. 516.c
Aegyptum Cosrhoes inuadit. 240.b
Aegyptum inuadunt Sarraceni. 331.a.b.c.d.e
Aemilianus Episcopus Germiorum. 120.d.e
Aemilianus monachus sanctitate clarus. 343.b
Aemiliani vita scripta a Braulione. ibid.c
Aetherius Episcopus Lugdunensis. 103.d
Aetherius Episc. Lugdunensis promotor S. Austregisili. 218.a
Aetherius Episc. interfuit cum alijs Concilio Pictauiensi. 58.c
Africa potitur Cosrhoes Rex Persarum. 244.a

Africa subiugata a Sarracenis. 383.a.627.c.d
Africa peste laborat. 135.b
Africana Ecclesia adhuc infestata a Donatistis. 69.a.b
Africana Ecclesia valde collapsa. 25.b
Africana Ecclesia cœlibatus clericorum custos. 608.b.c.d
Africana Ecclesia a Romana sumpsit exordium. 117.c
Africanæ Ecclesiæ intendit S. Gregorius Papa. 110.d
Africana Ecclesia penitus moribus depranata. 627.d.e
Africana Ecclesia penitus prostrata. 627.c.d.e.
Eadem tunc plena Donatistis & Manichæis. d.e
Africanos non ordinandos sanxerunt Gregorius Primus & Secundus Romani Pontifices. 627.d
Africani Episcopi euersores disciplinæ cum vxoribus permanent. 627.d.e
Africani in captiuitatem ducti a Sarracenis. 500.b
Africani a S. Maximo in fide Catholica aduersus Monothelitas stabiliti. 355.e.356.a
Africani Episcopi Concilia congregant aduersus Monothelitas. 374.a.b.c
Africani Episcopi scribunt ad Paulum Episc. Constantinopolitanum Monothelitam. 375.e
Africani Episcopi damnant Ecthesin Heraclij Imp. 354.b.c
Agaliense monasterium celebre in Hispania. 499.b.c
Agapes in dedicationibus ecclesiarum in vsu. 22.e
S. *Agathæ in Suburra ecclesia bonis locupletata.* 73.b. *Dedicata a S. Gregorio Papa.* 29.e. *Eius bona.* 30.c
S. *Agathæ virg. & martyri extructum monasterium a Rege Berthario.* 602.a
Agatho Episc. Liparitanus priuatus. 55.a
Agatho Papa epistolam scribit ad Imppp. Orientis. 530.c.d
Agatho Papa mittit legatos in Orientem. 531.d
Agatho Papa dat mandatum legatis missis in Orientem. 531.d.537.e.550.d
Agatho Papa defendit Honorium prædecessorem. 549.b.c. 550.a.b
Agathonis Papæ testificatio de fide Catholica seruata a prædecessoribus. 324.a.b
Agathonis Papæ sedis tempus incertum. 520.e. 521.a
Agathonis Papæ opera magnum beneficium illatum est Orbi. 561.a.b
Agatho Papa monet Imperatorem vt expellat hæreticos. 535.a
Agathonis Papæ obitus, & reliquæ res ab eo gestæ. 564.d
Agathonis sedes diu vacat. 564.d.e.565.
Agilbertus Episcopus in Anglia. 487.b
Agilei martyris reliquiæ missæ ad S. Gregorium Papam Carthagine. 157.a
Agilolphus Archiepisc. Colonienſis monet Pipinum. 674.e
Agilulphus Rex Longobardorum, idem Paulus dictus. 13.e. *Nominatus & Ago.* 29.b.c
Agilulphus propensus ad pacem visus. 82.a
Agilulphus rupta pace irruit in Vrbem. 76.c.d. *Obsedit eam.* ibid.
Agilulphus sæuit in Romanos. 83.a
Agilulphus pacem concedit S. Gregorio ad breue tempus. 116.a
Agilulphus rursum pacem componit ad duos annos. 124.c.d
Agilulphus curare satagit electionem Episc. Mediolanensis. 137.e.138.a
Agilulphus iterum pacem iniit cum Romanis. 171.d
Agilulphus sauet Ecclesiæ Aquileiensi. 196.a.b
Agilulphus patronus factus schismaticorum. 197.b.e
Agilulphus excipit hospitio S. Columbanum. 226.e
Agilulphi Regis obitus. 243.c
Agilulphus Comes Hasbaniæ pater S. Bavonis. 304.e
Agnellus Episc. Tridentinus missus in Gallias pro redemptione captiuorum. 13.d
Agnellus Episcopus in Istria. 197.a
Agnellus Episc. Ferentinas. 144.c
S. *Agnetis ecclesia ab Honorio Papa restituta & ornata.* 344.c
Agni imago Christum representans a Græcis abolita, a Latinis secus. 613.a.b.614.a
Agni veneranda imago ex cera benedicta. 613.e.614.a
Agnus Dei vt in Missa dicatur decretum fuit a Sergio Papa. 639.d
Agnoitæ hæretici a S. Eulogio confutati. 137.c.d
Agobertus Abbas Diablentis ædificat ecclesiam S. Mariæ. 438.d
Agrestinus pseudomonachus sibi arrogat Apostolatum ad Gentes. 246.c.d
Agrestinus schismaticus insurgit in Eustasium Abbatem. 246.a.b
Agrestinus multorum malorum auctor. 245.e.246.a
Agrestini epistola schismatica. 246.c.d
Agrestinus inhæret Aquileiensibus schismatici. 246.c
Agrestinus fugatur ab Eustasio Abbate. 246.d
Agrestinus in Concilio insurgit contra regulas S. Columbani. 247.a. *Easdemq. superstitiosa scrupulositate lacerat.* b.c
Agrestinus citatur ab Eustasio ad diuinum iudicium. 247.e
Agrestinus seducit Amatum monachum. 248.c.d
Agrestinus pacem simulat cum Eustasio. 248.a
Agrestinus frustra tentat S. Burgundoforam. 248.c.d
Agrestinus iterum turbas mouet. 248.b.c
Agrestini miserandus interitus. 249.a
Agricola Episcopus in Gallia. 58.e.59.a
Agrigentina Ecclesia alteri commissa Episcopo. 72.e
Agrippinus Episcopus in Gallia. 123.d
Agritius Patricius ad quem scribit S. Gregorius Papa. 103.d
Aidani Episcopi res gestæ cum Osuuino Rege. 434.d.e. 435.a.b
Aidanus Scotus Episc. errans in Paschatis ritu cur non censendus inter schismaticos. 333.c.d.e. 334.a.b.c
Aigulphi martyrium. 492.c.d
Airadus Episc. Carnotensis interfuit Concilio Rothomagensi. 587.b
Alachis tyranni votum execrabile. 602.b
Alachis tyrannus dat pœnas suorum scelerum. 602.b.c.d
Albanensis Ecclesia orbata pastore vacans. 37.d
Albinus Episcopus Brixinonensis 347.c
Alchflenda Regina Anglorum. 441.d.e
Alchfridus filius Regis Osiui. 441.d
Alcisonus Episcopus altercatur cum Episcopo Epidauri. 174.c
Aldagisus sanctitate clarus. 447.b
Aldegondis virgo sancta. 481.c
Aldhelmus successor S. Heddi Episcopi. 653.c
Aldfridus Rex accusator S. Vuilfridi. 652.a.b.c. 653.
Aldiberga Regina Anglorum. 149.a
Aldiberthus Rex Anglorum accipit litteras S. Gregorij. 148.a.b
Alexandrino Episcopo subiecta Ecclesia Constantinopolit. 84.b.c.
Alexandrini hæretici ab Eulogio conuersi ad fidem Catholicam. 114.b

Universidad de Deusto

INDEX.

Alexandrina Ecclesia purgatur hæresibus a S. Ioanne Eleemosynario 212. e. 213. a.b. Ab eodem purgata etiam a Symonia. 213.a.b.

Alexandrinæ Ecclesiæ numerus pauperum. 213.c

Alexandrina Ecclesia rursum vexata a Symoniacis. 167.d.240.d

Alexandrinum Concilium a Cyro Monothelita coactum. 308.e

Alexandri martyris ecclesia incensa a Chaiano Rege Barbaro. 136. e. Eius reliquiæ iniuria affectæ. ibid a

Alfridus Rex Nordhumbrorum. 599.c

Alimenta præstanda Episcopis sede priuatis. 55.a

Allouuinus aliter dictus Bauo sanctitate clarus. 304.e

Allouuini res præclare gestæ. 305.a.b

Alpais concubina Pipini eiecit Episcopos Pipino iusta suadentes. 675.a

Alpais pellex Pipini Principis. 631. a.b. Molitur necem S. Lamberto Episc. Tugrensi. c.d. Quæ passa ob scelus commissum. 632.b.c

Alpes Cottiæ donatæ Rom. Ecclesiæ. 648.a.b.666.d.e

Alphonsus Rex Hispan. paret Gregorio Papæ Septimo. 643.e

Althemus Episc. Schireburgensis moritur. 658.e. 659.a

Altare Romanorum Constantinopoli existens ab hæretico Imp. euersum. 389.c.d

Altaria plura in vna ecclesia. 104.e

Altaria nudare ad impetrandam vindictam vetitum. 574.a.b.

Amalgisilo thesaurario S. Lambertus apparuit. 632.a

Amandus Tungrensis Episcopus sanctitate clarus. 305.a.b.

Amandus reprehendit Dagobertum Regem. 306.a.b

Amandus prædicat Sclauis. 307.c

Amandus expulsus a Dagoberto Rege. 305.e. 306.a.b

Amandus reuocat defunctum ad vitam. 307.a.b

Amandus acersitur a Dagoberto Rege ut baptizet filium suum. 353.e

Amandus baptizat Sigebertum filium Dagoberti Regis. 354.a

Amandus vacationem obtinet ab Episcopatu a Martino Papa. 403.e

Amandus accipit reliquias sanctorum a Martino Papa. 405.a

Amandus Romam venit ad Martinum Papam & ab eo munus prædicationis accepit ad Gentes. 418.d

Amandi legatio ad Martinum Papam. 403.b.c

Amandi obitus. 481.a.b

Amantius Diaconus socius S. Landolini. 418.d

Amator Episcopus Gerundensis quid cum Paulo Tyranno. 513.b.c

Amathuntis ciuitas in Cypro sepulchrum continet S. Ioannis Eleemosynarij. 256.b

Amatus monachus seducitur ab Agrestino Schismatico 248.c.d.

Amatus monachus reuocatur ad pœnitentiam. 249.a.b

Amati monachi confessio Catholica. 249.b.c

Amatus monachus inter sanctos adnumeratus. 249.d

Amati monachi pœnitentis sanctitas & epitaphium. 249.c.d.

Amatus Episc. Senonensis exulat. 583.b

Ameria ciuitas a Longobardis capta. 76.e

Amiras nomen dignitatis primariæ apud Sarracenos. 307.e

Ammonius Episcopus interfuit Concilio Rothomagensi. 567.b

Amos Episcopus Hierosolymorum electus. 93.e

Amos Episcop. Hierosol. defunctus. 145.d

Anastasiopolis sub Ancyra Galatiæ. 14.e

Anastasia Augusta loris verberata a Theodoro monacho. 617.c

Anastasia Aug. mater Iustiniani frustra laborat eripere Tiberium nepotem a nece. 662.b.c.d

Anastasia affinis Iustiniani Imp. 90.a

Anastasius Abbas legatus ad redimendos captiuos. 232.c

Anastasius Abbas magister Anastasij Persæ Martyris. 260.a.b

Anastasius Apocrisarius discipulus S. Maximi. 427.b.c

Anastasius excerptor Actorum S. Maximi. 451.a

Anastasius discip. S. Maximi pellitur in exilium 427.c.d

Anastasius discipulus sancti Maximi subijcitur quæstioni. 467.a.b

Anastasius discip. S. Maximi inducitur contra eum. 426.b.c

Anastasio discip. S. Maximi lingua præciditur, & manus dextera. 470.c.d

Anastasij duo ijdemque simul discipuli Sancti Maximi. 427.b.c

Anastasij discipuli S. Maximi flagellantur, & relegantur exilio. 470.b.c.d.e

Anastasius Antiochenus Sinaita exul. 10.a.11.a.b

Anastasius Episcopus Antiochenus Senior Synaita dictus redit ad sedem Antiochenam. 75.c.d.

Anastasius Antioch. Synaita restitutus in suam Ecclesiam. 93.c.d

Anastasius Antioch. Synaita assertor veritatis Catholicæ de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio. 54.a

Anastasius Antiochenus Synaita dictus scribit ad S. Gregorium. 107.e. Paruifacit causam tituli Vniuersalis. 107.e.108.a

Anastasius Antiochenus Synaita monetur a S. Gregorio de causa Ioannis Constantinop. Episcop. 89.a

Anastasius Antiochenus transtulit in Græcum librum pastoralis S. Gregorij. 158.d

Anastasij Antiochen. Episc. dicti Synaitæ obitus. 127.b.c.d

Anastasij Synaitæ scripta. 127.c.d.128.a.b.c

Anastasius iunior mittit fidei professionem ad S. Gregorium Papam. 128.d

Anastasius iunior Episcopus Antiochenus successor Synaitæ grauia passus ab hæreticis. 110.b.c

Anastasius iunior occisus a Iudæis. 209.e.210.a

Anastasius iunior relatus inter martyres. 211.a

Anastasij Episcopi probata depositio. 85.e

Anastasius Monothelita Romam missus detrusus in monasterium. 568.e

Anastasius prodit coniurationem contra Phocam factam. 210.c

Anastasius Episcopus Ticinensis ex Arianismo ad fidem Catholicam conuersus. 347.b

Anastasius Episc. Ticinensis sanctitate clarus interfuit Concilio Ticinensi. 529.c

Anastasius Imp. cognomento Artemius creatur. 667.c. Mittit fidei Catholicæ professionem ad Constantinum Papam. 667.d

Anastasius Persa miles tyro sub Cosrhoe. 238.c

Anastasius Persa ex Mago Christianus effectus. 273.c

Anastasij Persæ patria. 274.b

Anastasij Persæ conuersio quando contigit. 238. b.c.d. 239.a

Anastasius Persa quando transiit ad Christianos transfuga. 217.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anastasius Persa Hierosolymam proficiscitur & baptizatur. 259.c.d.e
Anastasius Persa instituitur vita monastica. 260.a. 273.a
Anastasij Persæ libera fidei confessio. 272.e.273.a. 469.b.c
Anastasius Persa redarguit Magos Persarum. 273.c
Anastasius Persa martyrij cupidus pergit Cæsaream. 273.b.c
Anastasius Persa detruditur in carcerem. 273.d.e
Anastasij Persæ iterata confessio. 273.e.274.a
Anastasius Persa attritus laboribus non succumbit. 274.d.e
Anastasius Persa subijcitur quæstionibus. 274.c.d.e 275.a
Anastasius celebrat Cæsareæ festum diem sanctæ Crucis. 275.a
Anastasius Persa visitatur ab Angelo in carcere. 275.a
Anastasius Persa mittitur ad Cosrboen Regem Persarum. 282.c.d.e
Anastasius Persa mirifice Christi Crucem illustrat, a qua illustratur. 282.d
Anastasius Persa denuo subijcitur quæstionibus in Persida. 283.c.d
Anastasius Persa quæ passus tormenta. 283.d.e. 284.c
Anastasius Persa martyrium consummauit. 284.d.e
Anastasij Persæ martyrium quo anno contigit. 282.c.d.e
Anastasij Persæ corpori canes parcunt. 285.a
Anastasius Persa occisus pugnat pro Romanis. ibid.b.c
Anastasij Persæ rerum gestarum scriptor quis fuerit. 285.a.b
Anastasij Persæ triumphus post mortem. 286.d.e
Anastasius Persa occisus vincit Cosrhoen Regem. 286.b.c
Anastasij Persæ corpus translatum Cæsaream. 286.d.e
Anastasij Persæ imago Cæsareæ posita. 286.e
Anastasij Persæ imago Romam translata. 287.c
Anastasij Persæ caput Romam translatum. 287.b.c.d
Anastasij Persæ precibus curatur femina a Deo percussa. 287.a.b
Anastasius Persa ejcit Romæ dæmonẽ ab arreptitia virgine. 668.a.669.670.671.672.
Anastasij Senioris martyris reliquiæ a Ioanne Papa ex Dalmatia Romam translatæ. 358.e
Anathematismi Romani Concilij sub Martino Papa. 395.a.396.
Anatolius Primatum malis artibus arripit. 84.c
Anatolius Apocrisarius mittitur a S. Gregorio Constantinopolim. 107.e
Anatolij antiqui Theologi sententia de Paschate. 488.c
Ancyra in Galatia ciuitas capta a Persis. 253.e
Andabastus nobilis Græcus venit in Hispanias. 543.e
Andreas educator filiorum Mauritij Imp. 109.b.c
Andreas mittit Romam pecuniam ad S. Gregorim pro redemptione captiuorum. 102.c.d
Andreas Notarius accusator sancti Martini Papæ. 429.a
Andreas monetur a S. Gregorio tranquillam vitam agere. 109.e
S. Andreæ ecclesia & monasterium in Vrbe sacrosanctum. 142.c.d
S. Andreas ipse custos sui monasterij. 142.e.143.144.a
S. Andreæ ecclesia ornata ab Honorio Papa. 344.c. *A Sergio Papa restituta.* 639.d. *Aucta ambone a Ioanne Papa.* 650.e
Andreas legatus missus ad Regem Sarracenorum. 498.a.b
Andreas pseudomonachus nomine S. Gregorij scripta fingit. 153.e.154.a.b
Andreas Colossensis Episcopus, vir doctus interfuit Concilio Ferrariensi. 54.b
Andreas Nicopolitanus Episcopus. 48.b.86.a
Andreas Tarentinus Episcopus suspensus a Gregorio Papa. 49.d *Ab eodem redargutus.* 54.c
Andreas Sanctocrobes iussu Phocæ occisus. 202.a
Angelus Dei visus pugnare pro Francis. 154.d
Angelus super molem Hadriani visus tempore pestis. 6.b.c.d
Angeli visionem fingit Mahometus. 296.b.c
Angelus malus pestis annunciator. 542.e
Angelus liberat S. Suuibertum de carcere. 621.e
Angelorum superstitiosi cultores qui vetiti. 56.a
Angelus Notarius Ecclesiæ Carthag. 33.c
Agilbertus Episcopus Parisiensis. 501.a
Anglia fide Christiana augetur sub Osualdo Rege. 333.a.b
Anglæ virgines mittuntur in Galliam ad S. Faram Abb. 231.e
Anglia quæ acceperit ab Ecclesia Romana. 647.b.c.d
Angli accipiunt architecturam fabricandarum ecclesiarum a Romana. 647.d
Angli Angeli dicti a S. Gregorio Papa. 95.a
Angli captiui instituti fide Christiana a sancto Gregorio. 94.e
Anglorum conuersio per S. Gregorium quando cœpta. 102.e.103.a
Anglorum Borealium conuersio ad fidem Christi. 268.b.c.290.d
Angli Deirorum prouinciæ ad fidem conuersi. 290.e
Angli Mediterranei ad fidem conuersi. 441.d.e
Angli Nordhumbri ad fidem conuersi a sancto Paulino. 290.c
Angli Orientales ad fidem conuersi. 449.a
Anglis concessum mutare templa idolorum in Ecclesias. 201.c
Anglorum Ecclesiæ propagata sub Eadbaldo Rege. 357.d.e
Angli Nouatores hæretici ab auctore redarguuntur. 112.b.c
Angli inuadunt suo damno Hibernos. 577.c.d
Anglorum Reges impij expellunt Episcopos. 227.e
Angli Reges persecutores in bello corruunt. 227.e.228.a
Angli Reges ad limina Apostolorum. 659.a
Anglorum Ecclesia bellorum incursionibus vexata. 518.c. 519.d.e
Anglorum Regum consultatio missa ad Vitalianum Papam. 493.b.c
Anglicana Ecclesia notitiam locorum sanctorum quomodo consecuta. 635.d
Anglicanæ Ecclesiæ cunabula diuinis charismatibus abundantia. 112.c.d.278.b.c. 563.d.e. *Referens Dei paradisum.* 647.d.e.648.e
Anglicanæ temporis nostri Ecclesiæ status miserandus. 278.d
Anglicana Ecclesia nouis plantationibus aucta. 192.c.d
Anglicana Ecclesia floret cœtu sanctarum virginum. 518.e
Anglicanæ Ecclesiæ tempora felicissima. 504.d.e. 505.a.b
Anglicana Ecclesia cantum Ecclesiasticum accipit ab Ecclesia Romana. 527.a

Universidad de Deusto

INDEX.

Anglicana Ecclesia collapsa resurgit. 228.c
Anglicana Ecclesia per sanctum Furseum exculta. 365.b.c
Anglicana Synodus sub Theodoro Archiepisc. habita. 507.d.e.508.a.b
Anglicanæ Synodi canones. 508.a.b.c
Anglicana Synodus contra Monothelitas. 525.d.e
Anglicana Synodus decernit legationem ad Rom. Pontificem. 527.c
Anglicana Ecclesia ab exordio recepit imaginum sacrarum cultum. 674.a.b.c
Anglicana Synodus in causa S. Vuilfridi. 653.b
Animas fidelium defunctorum ex loco sepulturæ non liberari a pœnis inferni. 189.c.d.e
Anna Rex Orientalium Anglorum. 450.b
Annales vbi elaborati & recitati. 1.d
Annales ope Dei genitricis parti. ibid.
Annobertus Episcopus Sagiensis. 567.b
Ansbertus Abbas successor S. Audoeni. 520.a.b
Ansbertus Archiepiscopus Rothomagensis. 567.a.b. *Persecutionem patitur a Pipino Principe, moritur sanctitate clarus.* 622.d.e
Ansegisus filius S. Arnulphi postea Metensis Episcopi. 302.c.d
Ansegisus pater Pipini perimitur. 580.d
Ansoaldus Episcopus Pictauiensis. 567.b
Antarith Rex Longobardorum idem Aptacharius dictus. 13.c
Antarith Rex Longob. clauem auream mittit Romam ad S. Petrum. 109.d.e
Antarith Rex Longob. fauet Arianis. 12.b
Antarith Rex Longob. edictum promulgat vt Longobardi baptizentur ab Arianis. 12.b.c
Antarith dat pœnas impietatis. ibid.c
Anthelmus Episcopus Schireburgensis Romam vocatur a Sergio Papa. 633.c.d. *Liberat eum ab illata calumnia.d. Altare fractum restaurat. e. Eiusdem scriptorum monumenta.* 634.a
Anthemius subdiaconus curat patrimonium S. Ecclesiæ. 16.a
Antichristi aduentus qualis. 169.a
Antichristi tempora visa proxima. 420.d.e. 421.a
Antiochia capta a Sarracenis. 343.d.e
Antiochia translatæ reliquiæ sanctorum Romam. 343.e
Antiochiæ seditio Iudæorum in Christianos. 209.e. 210.a
Antiochenorum Episcoporum adhiberi solita in litteris salutatio. 93.d
Antiochena Ecclesia ab hæreticis infestata. 110.b.c
Antiochus Abbas Lauræ in Palæstina. 114.a
Antiochus monachis profugis elaborauit homilias. 235.b
Antiochi epistola ad Eustathium Abbatem. 235.c
Antiochi lamentationes de capta Hierosolyma a Cosrhoe Rege. 232.c.d.233.a.b
Antiochi preces siue exomologesis pro capta Hierosolyma. 232.c.233.a
Antiochus scriptor rerum Anastasij Persæ. 282.d
Antiochi anachoretæ legatio ad Mauritiũ Imperatorem. 113.c.d
Antisiodorense Concilium Diœcesanum. 14.b
Antonia femina clarissima neptis Rusticianæ. 153.b *Eadem S. Gregorio coniuncta.* 134.d
Antonius Episcopus Bacalborum pœnitens ad Ecclesiam redit. 412.c
Anus Galata miræ sanctitatis. 203.a
Apamea Syriæ capta a Persis. c
Apocrisarij Apostolicæ sedis sæpe electi Pontifices. 198.d
Apocrisarij Apostolicæ sedis a Paulo Episc. Thessalonicæ decepti. 414.a
Apocrisarij Apostolicæ sedis a Theodoro Papa missi quæ sint passi a Constante Imp. 389.c.d
Apocrisariorum sedis Apost. simulatus aduentus & communio ab hæreticis. 467.d.e
Apocrisarij Constantinopolim missi a Theodoro Papa. 380.e
Apocrisarius sedis Apost. nullus repertus est a Phoca. 164.a
S. *Apollinaris Ecclesia restituta ab Honorio Papa.* 344.e
Apollinaris Episc. Bituricensis. 100.c.218.a
Apollinaristæ hæretici fauent Monothelitis. 293.a.b
Apollonius insectator prophetissarum Montani. 61.d
Apostasia Vuitizæ Regis ab Ecclesia Romana. 642.a.b.c
Apostata misere perit. 237.a.b.c
Apostolorum canones qui probati sint ab Ecclesia Romana. 614.c.d
Apostoli noui in Germaniam missi. 597.d. 598.a. *Eorum nomina.* 599.d. *Quem finem singuli sint consecuti.* 630.b.c
Apostolatus ad Gentes decerni a Rom. Pontifice. 598.c. 599.a.628.a.b
Apostolatum accipiunt duodecim in Germaniam. 598.e. 599.a
Apostolatus qui verus ac legitimus dicendus. 598.e
Apostolica sedes quos recipit pœnitentes. 538.a.b
Apostolica sedes tantum recipit hæreticos pœnitentes. 456.b
Apostolica sedes confugium omnibus Orthodoxis. 364.c.d
Apostolicæ sedis auctoritas semper vigens. 364.c. 365.a
Apostolicæ sedis decus non in regio apparatu tantum fulgere. 57.a.b
Apostolorum canonum falsus sumptus a Græcis prætextus. 606.b.c
Apostolorum limina osculis petunt peregrini. 303.e
Apostolorum imagines a Sergio Papa renouatæ. 639.c
Apostolorum limina frequentata a Regibus. 592.c.d.e. 594.c.595.a
Apostolorum reliquiæ delatæ ab Vrbe in Gallias. 13.b
Appellatio ad sedem Apostolicam facta a condemnatis a Sexta Synodo. 558.b.c
Appellatio ad sedem Apostolicam Hadriani Episc. Thebani. 35.a.b
Appellatio ad sedem Apostolicam Hispanorum Episcoporum. 169.d
Appellare ad Rom. Pontificẽ concessum etiam ab Ariano Rege. 281.c.d.e
Appellatio ad sedem Apostolicam ab Isidoro facta. 36.b
Appellatio S. Heimerammi ad Rom. Ecclesiam. 645.a
Appellationes frequentes ad Apostolicam sedem ex omni loco & omni tempore. 157.a
Appellationes frequentes ad S. Gregoriũ Papam. 36.d.e
Appellinus Episcopus Genuensis. 246.e
Appendix ad Quintam & Sextam Synodum. 602.c.603. 604.
Aptacharius Rex Longobardorum idem dictus Antharit. 13.e
Aqua saluia locus martyrij S. Pauli. 175.e. 176.a. *Nobilitata ecclesiis & reliquijs S. Anastasij martyris, & ibi curata arreptitia.* 668.a.b.669.
Aquam benedictam in ecclesia ad Purificationem populi solitam esse. 127.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aquileia incensa a Longobardis sub Seuero schismatico eorum Episcopo. 31.c.32.a.b
Aquileiensi Ecclesiæ fauet Rex Longobardorum. 196.a.b
Aquileiensis Ecclesiæ sedis translatio Gradus. 156.a.b. 196.c.d
Aquileiensis Ecclesiæ iura integrata in Concilio Mantuano. 196.c.d
Aquileiensis Ecclesiæ thesaurus translatus Gradus. 300.a
Aquileiensis Ecclesia perfecte curata a Sergio Papa. 632.d.e
Aquileiensis Eccles. impugnari solita ab Exarchis. 300.a.b
Aquileiense Concilium sub Sergio Papa. 632.d
Aquileiensis Patriarcha Seuerus. 195.e
Aquileiensis Ecclesiæ Patriarcha Ioannes. 195.e
Aquileiensis Ecclesiæ Patriarcha Paulus. 196.d
Aquileiensis Ecclesiæ Patriarcha Probinus & alij. 196.d
Aquileiensis Patriarcha transtulit sedem ad Forum Iulij. 197.c
Aquileiensis Patriarcha dictus etiam Patriarcha Fori Iulij. 195.e
Aquileiensis Patriarcha Cormone habitat. 481.d
Aquileienses Patriarchæ diu fuere propugnatores schismaticorum. 196.a.b
Aquileienses Patriarchæ quamdiu schismatici. 246.c
Aquilinus Episc. Ebroicensis sanctitate clarus. 567.b.c.d
Arabes Sarraceni Romanum Imperium inuadunt. 301.a.b. *Vide* Sarraceni.
Arabes potiti sunt Africa. 627.b
Aranearum telæ delapsæ in locum Synodi. 546.e
Arcadius Archiepiscopus Cypri agit contra Paulum Seuerianum. 295.a
Arcadius pseudomonachus carnifex sanctorum martyrum. 492.c.d
Arcanum captum a Gisulpho Duce Beneuentano. 644.d
Archinus idem quod Cartophylacium. 26.d
Architectura fabricandarum ecclesiarum Romana Ecclesia communicauit Ecclesiæ Anglicanæ. 647.d
Areulæ reliquiarum sanctorum in classe Heraclij Imp. 211.b
Arculfus Episcopus Gallicanus peregrinatus Hierosolymam in reditu delatus in Angliam. 635.c
Ardagastus Dux Sclauorum victus a Prisco Duce. 117.a
Arduinus occidit S. Maxellendem. 505.e
Aredius in Gallia sanctitate floret. 98.e
Aredio morituro apparent martyres. 99.e
Aregius Episcopus Nemausensis dira passus ab Hilderico Tyranno. 512.d
Arete femina impia dat pœnas impietatis. 286.e.287.a.b
Argimundus cubicularius parat insidias Reccaredo Regi. 29.a.b
Argentius Lamigensis Episcopus. 25.e.26.a
Ariana hæresis viget Mediolani sub Longobardis. 226.e
Ariana hæresis a Rege Longobardorum vim accipit. 12.b
Ariano Regi salutanti Catholici monachi non respondent. 279.d.e
Arianus Rex Longobardorum arguitur a presbytero Catholico. 279.d.e
Arianus Rex veneratus Romanæ Ecclesiæ priuilegium. 281.c.d
Arianus percussor arreptus a dæmone. 280.b.c
Arianorum baptisma sub trina mersione. 27.b.c
Arianorum Ecclesia Catholico cultui mancipata. 29.e. 30.a.b
Arianus Episcopus in vnaquaque ciuitate Longobardorum constitutus. 347.b
Aribertus frater Dagoberti Regis. 305.e
Ariminenses redarguuntur a S. Gregorio. 55.e
Ariminensis Ecclesia vacans. 22.d
Arioualdus Rex Longobardorum creatur. 278.e
Arioualdus Rex Longob. insequitur Catholicos. d.e
Arioualdo fauent Episcopi Cisalpini. 279.a.b
Arioualdus Rex Longob. sibi timens postulat veniam delicti. 280.c
Arioualdus Rex Longobard. reueretur Romanam Ecclesiam. 281.c.d
Arioualdus Rex Longobard. frustra commotus aduersus monachos Bobienses. 281.a.b
Arioualdus Rex Longob. quid in S. Blidulphum. 279.e. 280.a
Arioualdus Rex Longob. ad meliorem frugem conuersus. 281.a
Arioualdus Rex Longob. moritur. 347.b
Aripertus Rex Longobardorum. 479.e. *recipit regnum.* 647.e. 648.a. *donat Alpes Cottias Romanæ Ecclesiæ.* 648.a
Aripertus Rex Longob. moritur. 666.b. *eius regni temporis ratio.* c
Aristobolus conciliator exercitus Imp. 30.e
Ariulphus Dux Spoleti vincit Romanos. 154.e
Ariulphus Dux Spoleti rogat S. Sabinum martyrem a quo exauditus. 155.b
Ariulphi Ducis Spoleti obitus. ibid.
Armazon legatus a Mauritio Imp. ad Gaianum missus. 137.c
Armenia a Manichæis polluta. 578.b.c.d
Armenia a Sarracenis deuastata. 442.d
Arnulphus Episcopus Metensis claret sanctitate. 231.a.b
Arnulphum Episc. Metens. Pipinus coluit. 303.c
Arnulphus Episc. Metensis educator Dagoberti Regis. 278.d
Arnulphus Metensis Episc. distrahit vasa sacra in cibos pauperum. 242.b.c
Arnulphus Episcopus Metensis intimus Clotharij Regis. 241.e.242.a
Arnulphus patitur insidias in curia Regis. 242.b. *Missionem petit ab Episcopatu.* ibid.d
Arnulphus Episcopus Metensis eremum petit. 304.b.c.d
Arnulphus Dux Longob. Vrbem infestat. 31.a.b
Arnulphus Dux Longob. parat exercitum ad expugnandam Vrbem. 170.b
Arnulphus Dux Longob. pacem iurat. 124.e.125.a
Aroges Dux Beneuenti Longob. 31.e.158.a.b
Aruernensis Ecclesia liberata a pensitatione tributi. 14.e
Arpinum captum a Gisulpho Duce Beneuentano. 644.d
Arreptitij occasione multi gentiles ad fidem conuersi. 654.a.b.c
Arreptitiæ Romæ curatæ Acta publica. 668.a.669
Arreptitiorum quæ sint certa signa. 670.a.b
Artemius Imperator dictus Anastasius. Vide Anastasius Imp. 667.e
Asinæ missæ ex Sicilia ad S. Gregorium Papam. 57.a
Aspasius custos Ecclesiæ. 221.d
Asprandus tutor Regis Luithberti in bello superatur. 647.a. *Succedens Ariperto cito moritur.* 666.b.c
Asterius Episc. Cenuensis. 338.a.b
Asturius Episc. Toletanus. 341.d
Athanasius Patriarcha Iacobitarum decipit Heraclium Imperatorem. 293.e.294.a.b.c
Athanasius simulans se Catholicum efficitur Patriarcha Antiochenus. 294.c.d
Athanasij presbyteri causa. 90.b
Attala Abbas monasterij Bobiensis. 279.d.e

Universidad de Deusto

Attala Abbas successor S. Columbani sanctitate claret. 243.a.b
Attala Abbas respuit dona Ariani Regis. 280.c.d
Auares Barbari deuastant Europam. 167.a
Auares inuadunt Italiam. 135.d.e
Auares superant Romanos. 15.c
Auares inuadunt Constantinopolim. 267.d.e
Auares vocati aduersus Lupum Ducem Longobardorum. 485.b
Auaritia in sacerdotibus detestanda. 146.a.b
Auaritiam in Mariniano Episcopo Rauennate redarguit S. Gregorius. 96.b
Audentius Episcopus Toletanus prædecessor Austurij. 341.c
Audobaldi Regis conuersio. 269.d.e. 270.d
Audoenus Episc. Parisiensis. 483.e
Audoenus idem & Dado dictus Episcopus Rothomagensis. 146.d.e. 494.e
Audoenus clarus in curia Dagoberti Regis. 383.e.384.d
Audoenus & Eligius decernuntur legati ad Martinum Papam. 390.e
Audoenus cum Eligio damnat hæreticum. 423.e. 424.a
Audoenus scripsit vitam S. Eligij. 494.d
Audoeni peregrinatio ad limina Apostolorum. 507.a.b
Audoeni obitus. 520.a.b
Audoenus inter sanctos relatus. 520.b
Audomarus Abbas interfuit Concilio Rothomagensi, 567.d. *Episcopus factus Morinorum, dictus Apostolus Taruanensium moritur.* 622.e.623.a
Audomarus Episc. Danouiensis alumnus Luxouiensis cœnobij. 243.b
Augustinus monachus mittitur a S. Gregorio in Angliam. 103.c. *Reuertitur ad eumdem Gregorium.* 103.c
Augustinus cum socijs venit in Britanniam. 111.b
Augustinus cum Cruce & imagine Saluatoris ingreditur in Angliam. ibid.e. 112.a
Augustinus cum suis quomodo exceptus ab Edilberto Rege. 111.c.d.e
Augustini & sociorum in Anglia vitæ institutum. 112.c
Augustinus mittit Romam Petrum atque Laurentium. 147.c
Augustinus ordinatur Episcopus iussu S. Gregorij ab Episcopo Arelatensi. 147.b
Augustinus de multis consulit S. Gregorium. 150.b
Augustinus accipit pallium a S. Gregorio. 150.b.c.d
Augustinus ecclesias restaurat & monasterium ædificat. 150.e.151.a
Augustinus habet Synodum in Anglia. 190.d. 191.a.b
Augustinus viuens ordinat sibi successorem Laurentium. 193.a.b
Augustinus in Anglia multa operatus miracula. 147.e
Augustinus illuminat cæcum. 191.a
Augustini Episc. obitus. 192.a
Augustini Episcopi epitaphium. 193.a
Augustini Doctoris Ecclesiæ scripta legenda suadet sanctus Gregorius. 138.e
Auicenna quo anno floruit. 341.b
Auitus Episcopus soluit captiuos vinctos. 13.e.14.a
Aunacharius Episc. præfuit Cœlio Antisiodorensi. 14.b. 58.c.59.a
Aunarius Episc. Antisid. ordinat Subdiaconum S. Austregisilum. 218.a
S. *Aureæ ecclesiæ apud Ostia Tiberina a Sergio Papa renouata.* 639.d
Auraſius Episcopus Toletanus. 342.a
Aurelianense Concilium. 423.e.424.a
Aurelianus pro Massiliense monasterio priuilegium petit. 103.e
Aurelia petit scripta S. Gregorij. 110.d
Aurelius Episcopus Bellouacensis. 98.e
Aurum cur aliquando feruet Ecclesia. 345.d.e
Aurum ex melle redditum. 254.e
Aurum & gemmæ missæ ab Heraclio ad Sergium Patriarcham in mare mersæ. 288.c
Austrebertha virgo sanctitate clara. 623.a
Austregisilus Episcopus Bituricensis sanctus. 100.b.c
Austregisili Episc. Bituricensis res gestæ aduersus Guarnerium Regium ministrum. 218.b.c. *Claudit portas eidem.c.d. Et post mortem in eum vlciscitur.d.e*
Austregisili obitus. 217.e.218.a. *Eius memoria.* 219.a
Ausoaldus Defensor Ecclesiæ Pictauiensis. 383.d.384.c
Authbertus Episcopus Cameracensis. 447.b. *Monetur ædificare Ecclesiam S. Michaelis.* 659.b
Auctoris fiducia in sanctis. 1.a.b.c. *Eiusdem iugis occupatio.* 53.d

B

Babanes Dux Romani exercitus sub Heraclio Imp. 308.a
Babanes ab exercitu acclamatus Imperator. 331.b.c
Balnea non adeunda, sumpta Eucharistia. 207.a
Balneorum vsus in monasterijs. 61.c. *Haud probatus.* 669.e
Βαλὼν μετάνοιαν *quid proprie significet.* 453.e.454.a
Balsamum, & alias odoris species offerri solitas sanctis martyribus. 130.c
Baptismus Anastasij Persæ Hierosolymis. 273.c.d
Baptismus Anglorum Berniciorum. 290.d
Baptismus Anglorum Deirorum. ibid.e
Baptismus Anglorum Nordhumbrorum. 290.b.c
Baptismus Ceaduallæ Regis Angl. 592.c.d
Baptismus Sigeberti Regis. 354.a
Baptismus cum trina mersione. 27.c.d
Barahanes filius Cosrhoes Rex creatur. 292.c
Barames Dux Persarum exercitus. 41.b. 42.c
Barbara neptis Rusticianæ nobilis feminæ. 153.e. *eadem S. Gregorio coniuncta sanguine.* 134.d
Barbari infidi. 81.e
Barbari cur præualeant in Romanos. 80.a.b
Barbari præualent cum hæreses ab Impp. fouentur. 293.c.d
Barbaris vrgentibus Litanias indixit sanctus Gregorius. 151.d.e
Barbaricini populi in Sardinia qui fuerint. 70.a.b
Barbaricinorum conuersio curanda etiam eorum afflictionibus. 70.b.c.71.a
Barbaricinorum Dux factus Christianus. 70.c.d
Barbaricinorum conuersio. 71.b
Barbatus Episcopus Beneuentanus interfuit Rom. Concil. sub Agathone Papa. 529.b
Barcinonense Concilium contra Symoniacos. 133.b.c
Bardanes Philippicus acclamatur Imperator. 662.a. *Eius promotio per diabolum facta.* 669.d.e. *Rebellans contra Iustinianum Imp. potitur Imperio.* 662.d.e. *pugnat contra Sextam Synodum.* 662.e. *Eius praui mores.* 662.e.664.a. *Mittit hæreticam fidei professionem ad Constantinum Papam.* 663.b.c. *Cogit Synodum hæreticorum contra Sextam Synodum.* 664.c.d.e. 665.c.d.e. *Mittit in exilium Cyrum Episc. Constantinopolitanum.* 664.e. *Subrogat Ioannem hæreticum Monothelitam.* e. *Delusus a Mago priuatur Imperio.* 667.a.b. *Excæcatur.* c.
Barrazas Rex Persarum post Syroen. 292.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Basilius Episcopus Capuanus reprehensus a S. Gregorio. 138.b.c
Basilius Gortynæ in Creta Episcopus. 604.c
Basilius V.C. minister Imperatoris. 125.b
Basina filia Chilperici Regis Francorum monialis & res ab ea gestæ. 57.c.58.a.59.d.60.a
Basina profuga & contumax veniam petens redit in monasterium. 75.a
Bassus Dux Eduini Regis. 328.e
Bathano Episc. Scoto scribit Ioannes electus Papa. 349.a
Bathildis Regina. 495.a.b.c
Bathildis monetur dimittere ornamentum Regium. 496.a
Bathildis profitetur vitam monasticam. 496.b
Bano idem Allouuinus dictus sanctitate clarus. 304.e
Banonis præclaræ res gestæ. 305.a.b
Baudolfus missus a Theodorico Rege ad S.Columbanum. 221.b. Expellit eum e monasterio. 222.b
Beclam villa Cosrhois Regis Persarum. 285.c
Beda in compendium redegit librũ de locis sanctis. 635.d
Bedæ commendatur modestia.638.b. Habuit magistrum & institutorem Ceolfridum Abbatem. 638.b. An Romam venerit. ibid. d
Bedæ error corrigitur ex S. Gregorio. 113.a.b
Begga filia Pipini Principis. 302.c.d
Begga filia Pipini vitam arctiorem sectatur. 305.a
Beggæ matris Pipini de Herstallo ad Deũ transitus.632.c
Beibal villa Cosrhois Regis Persarum. 285.e
Bellum in Africa aduersus Phocam ab Heraclio paratur. 210.e
Bellum ciuile Antiochenum. 209.e.210.a
Bellum Boructuariorum cum Saxonibus. 657.a.b.c
Bellum Francorum aduersus Longobardos. 13.d
Bellum inter Francorum Reges. 154.d
Bellum Longobardorum. Vide Longobardi.
Bellum Mauritio Imp. illatum ab Auaribus. 64.c
Bellum nauale Constantis Imp. cum Sarracenis. 446.b
Bellum Persicum cæptũ post necem Mauritij Imp. 167.a
Belli Persici ab Heraclio illati annus primus. 257.a.b
Belli Persici annus secundus. 261.b.c.d
Belli Persici annus tertius. 263.d.e
Belli Persici annus quartus. 265.b
Belli Persici annus quintus. 266.d.e
Belli Persici annus sextus. 272.a.b
Belli Persici causa pecunia ab Ecclesiis mutuo accepta. 254.b.c.d
Bellum Persicum sacrum & sanctum omniumq. iustissimũ. 258.d.e.259.a
Bellum Sarracenorum aduersus Romanos quando cæptum. 301.b
Bellum Theodorici cum Theodeberto Rege Franc.226.a.b
Bellum Venetorum aduersus Longobardos. 300.b
Bellorum causa populi non grauandi. 80.b.c
in Bello facta cædes aliqua pœnitentia expianda. 212.a
in Bello occisos frustra inter martyres collocare studuit Phocas. 211.e.212.a
Bellorum occasione monachismus dissolutus. 19.c.d
Bellicæ feriæ tempore Paschatis custoditæ. 136.d.e
Bellica virtus cum iustitia & pietate elucet. 258.c.d
Benedictio ceræ imaginem Agni mystici præferentis. 613.e.614.a
S. Benedicti Abb. Cassinens. corporis translatio an facta in Gallias. 492.a.b
S. Benedicti regula probata a S.Gregorio Papa. 91.c
S. Benedicti de Vrbis Rom. excidio prædictio. 8.b
S. Benedictus Abbas ex Anglia sæpe Romam venit. 647.b.c.d. Profuit mirum in modum Anglicanæ Ecclesiæ. b. c. Moritur clarus sanctitate. 647.a.b
Benedictus Episc. Mediolanensis venit Romam pro iuribus sibi debitis ab Ecclesia Ticinẽsi sanctitate clarus.664.b
Benedictus Papa creatur. 575.d
Benedictus Papa liberauit Rom. Ecclesiam a tyrannide Orientalium Principum de confirmando Pontifice. 575.e
Benedicti Papæ epistolæ in Hispaniam missæ. 576.a.b. 578.c.d. 579.a
Benedictus Papa recipit in suos filios natos Constantini Pogonati Imp. 577.a
Benedictus Papa parat restituere sedem Macario haretico si resipiscat. 579.d.e
Benedictus Papa exigit ab Hispanis Episcopis declarationem suorum scriptorum. 579.c.d
Benedicti Papæ reliquæ res gestæ. 579.e
Benedicti Papæ obitus. 578.d
Benedictus Papa defenditur a calumnia Roderici Epis. Toletani. 579.a.b.c
Benedictus Papa temere sugillatus a Iuliano Episcopo Toletano. 580.b
Beniamin Hebræus baptizatus monente Heraclio Imp. 291.e
Berectuualdus Episcopus successor S. Theodori. 600.c.d
S. Bernardus admiratus S Gregorium. 77.a.b
Berniciorum prouinciæ Angli ad fidem conuersi. 292.d
Bertha dicta Aldiburga Anglorum Regina. 110.d. Eius sepultura. 227.b
Bertaridus Rex Longobard. regnare cœpit. 511.d. Erectæ ab eo ecclesiæ. 512.a
Bertaridus Rex Longob. asciuit in regnum filium Cunipertum. 564.b
Bertaridus Rex Longob. moritur. 601.e. 602.a
Bertaridi Regis laudes. 602.a.b
Bertharius Comes missus ad S. Columbanum a Rege Theodorico. 222.b
Bertheramnus Episc. in Gallia. 58.a. 59.b
Bertichramnus Episc. Cenomannensis. 438.c
Bertini Abbatis obitus & res ab eo gestæ scriptæ a Folcardo. 632.c
Bertolfus Abbas Bobiensis. 281.a
Bertolfus Abbas proficiscitur ad Honorium Papam. 281.c.d.e
Bertolfus Abbas curatur a S.Petro. 282.a.b
Berectualdus Episc. Dorouernensis ordinatus a Sergio Papa. 639.e
Bethlehem occupata a Sarracenis. 337.a.b.c.d
Betsaloe locus carceris in Perside. 282.e. 284.d
Betti presbyter in Anglia cooperator in Euangelio S. Finano Episcopo. 441.e
Bibianæ martyris ecclesia. 575.c.d
Biclarensis Abbas historicus. 2.b
Biclarense Chronicon vsque ad annum octauum Mauritij. 29.a
Bindois nobilis Persa. 41.a
Bisi Episcopus Orientalium Anglorum. 507.e
Bismantum castrum. 282.a
Bituricensis Ecclesia plures Sulpitios habuit. 100.b.c
Byrinus Episcopus conuertit Occidentales Saxones. 337.e
Byrini Episcopi ingens miraculum. 338.c
Byzacena prouincia & Ecclesia. 125.d
Byzaceni Primatus causa ad S.Gregorium delata. 125.d
Byzacenum Concilium in causa Primatus. 156.c
Byzaceni Concilij epistola ad Constantin. Imperatorem. 375.d
Byzaceni Concilij epistola ad Paulum Episcop. Constant. 375.e
Byzancenus pro Byzaceno errore positum. 125.d

Universidad de Deusto

Byzacenum Concilium aduersus Monothelitas. 374.a
Byzacium ciuitas in Africa. 125.d
Byzya ciuitas in Thracia. 451.d. Locus exilij S. Maximi Abbatis. 427.b
Blandes mia Ecclesia vacans pastore. 37.d
Blandus Episcopus Hortensis. 17.e
Blecca Lindocolinæ ciuitatis Præfectus ad fidem conuersus. 291.b
Blidulfus presbyter Catholicus redarguit Regem Arianum. 279.d.e
Blidulfus quæ passus a ministro Regis Ariani. 280.a.b
Blidulfus pene extinctus diuina virtute sanatur. 280.b
Bobiensis Abbas appellat ad Rom. Pontificem. 281.d.e
Bobienses monachi persecutionem passi a Cleronensi Episcopo. 281.a.b
Bobienses monachi viri sancti. 279. d. Eorum constantia aduersus Arianos. e
Bobij monasterium ædificatum a S.Columbano. 226.e
Bobilon occisor Childerici Regis. 506.b
Boisil Abbas in Anglia præpositus monasterij Mailroscensis. 598.a.b
Bonifacius consiliarius Benedicti Papæ. 579.e
Bonifacius consiliarius Sedis Apostolicæ Constantinopolim ductus. 611.d
Bonifacius Defensor Rom.Eccles.sub Gregorio Papa.97.b
Bonifacius diaconus Rom. Eccles. sub Gregorio Papa.51.e
Bonifacius diaconus S.R.E.mittitur Apocrisarius Constantinopolim. 164.b.c
Bonifacius Episcopus Herbipolensis eleuat corpora sanctorum martyrum. 596.e
Bonifacius Episcopus Regiensis reprehensus a S.Gregorio. 36.e. 37.a.b. 55.a. De eodem. 138.e
Bonifacius Archiepisc.Moguntinus antea Vuinfridus appellatus.630.a
Bonifacius Papa Tertius creatur. 198.d.e
Bonifacius Papa Tertius, quæ obtinuit a Phoca Imp. aduersus Patriarcham Const. 198.e. 199.a
Bonifacij Papæ Tertij de electione Rom. Pontif. decretum. 200.d.e
Bonifacij Papæ Tertij obitus. 200.e
Bonifacij Papæ Quarti creatio. 201.b
Bonifacius Papa Quartus suam domum in monasterium commutauit. 201.b
Bonifacius Papa Quartus obtinet a Phoca Imp. Pantheon templum. 201.b
Bonifacius Papa Quartus moritur. 228.b
Bonifacius Papa Quintus creatur. 245.d.e.
Bonifacius Papa Quintus scribit ad Iustum Archiepisc. in Anglia. 250. b.c.d.e
Bonifacius Papa Quintus mittit pallium Iusto Archiepisc. Roffensi. 250.c.d
Bonifacius Papa Quintus scribit ad Eduinū Regem Angl.269.b.c. Mittit munera ad eundem. 270.c
Bonifacius Papa Quintus scribit ad Edelburgam Reginam Angl. 270.c.d.e. Mittit munera eidem. 271.c
Bonifacij Papæ Quinti virtutes. 271.d
Bonifacius Papa Quintus moritur. ibid. Eius sedis tempus & reliquæ res gestæ.d.e
Bonitus Aruernensis Episcopus fauet Ariperto Regi Longob. 648.a.b. Peregrinatur ad limina Apostolorum. ibid. Sedat maris tempestatem. ibid. Loca sancta inuisit & redimit captiuos. d
Bona Ecclesiæ curanda fideliter non auare. 23.b.c
Bona Romanæ Ecclesiæ in Gallia. 56.d
Bonorum Ecclesiæ ministri quales esse debeant. 23.b.c.d
Bonorū Ecclesiæ distributio quomodo fieri solita. 139.b.c
Bonosus Comes Orientis.209.a. Eiusdem cum S.Theodoro congressus. b. c. Correptus ab eo. c. d
Bonosus Comes ob ciuile bellum detinetur Antiochiæ. 209.e. 210.a.b
Bonus Abbas monasterij Lirinensis. 154.b
Bonus Episcopus Mediolanensis. 479.e. 480.a
Bonus presbyter testis miraculi S.Amandi. 306.e
Boructuarij populi adhuc Pagani. 597.e
Boructuarus prædicat S.Suuibertus. 653.d. 654.a. Bellum gerunt aduersus Saxones. 657.a.b.c
Boson Dux Francorum victus ab Hispanis. 28.d.e
Bosochindus Abbas interfuit Concilio Rothomag. 567.b
Bostrensis ciuitas capta a Sarracenis. 307.e
Bothelmus monachus Hagustaldensis ecclesiæ. 332.e
Brabantia accepit Euangelium per sanctum Suuibertum. 626.d
Bracarense Concilium Tertium. 515.d
Brandeum quid significet. 74.a
Braulio Episcopus Cæsaraugustanus. 343.a.b
Breue, matricula, inuentarium idem. 54.e
Breuiarium Hispanum a S.Isidoro collectum. 330.e
Brigittæ de anima Traiani reuelatio dicta qualis. 187.e. 188.a
Britannis Schismaticis quæ cōditiones propositæ. 191.d.e. De ijsdem. 193.b.c
Britanni Schismatici quomodo a Deo puniti. 193.c.d
Britannorum vltimus Rex dictus Ceadualla. 594.c.d
Britanni iure ab Anglis superati. 191.e. 192.a.b
Britannia in quattuor nationes & linguas diuisa. 344.e
Brocoriacus villa in Gallia habitatio Brunichildis Reginæ, 220. b
Brunichildem Reginam Francorum monet S. Gregorius. 94.b. 111.a.b. 146.c.d.e. 147.a.b
Brunichildis nimio amore regnandi tenetur. 106.b
Brunichildis persequitur S.Columbanum. 106.b. 209.e. 220.a. 221.a
Brunichildis legationem ad S.Gregorium mittit. 167. e. 168. a
Brunichildis multa religiosa loca ædificauit. 167.e.168.a
Brunichildis consilium pessimum. 220.a.b
Brunichildis redarguitur a S.Columbano. 220.b
Brunichildis commouet Regem & Episcopos in S.Columbanum. 220.e
Brunichildis quæ impie in S. Desiderium Episcop. Viennensem perpetrauit. 224.c.d
Brunichildis iubet sanctum Columbanum in exilium duci. 222. a. b
Brunichildis multipliciter sacrilega. 228.e.229.a
Brunichildis frustra excusatur. 229.b
Brunichildis dirus & infamis interitus. 230.d
Brunichildis decem Regum interfectrix. 230.e
Brunichildis scelera diu tolerata, punita vero cum in Dei seruos sæuijt. 230.e
Bruno Satrapa Saxonum. 657.a
Brutium corrige in S.Gregorio pro Britannia. 157.e
Brutia vina grata. 18.c
Bulgari in Romanos a Cosrhoe immissi. 266.d.e.267.a
Bulgari pacem ineunt cum Imperatore. 523.e
Bulgarorum irruptio prima. 523.b
Bulgari vincunt Iustinianum Imp. 655.b
Burkardus Episcopus Herbipolensis. 596.e. 597.a
Burgoaldus legatus Brunichildis Reginæ. 167.e
Burgunda matrona pie colit sanctos martyres. 595.e
Burgundofara eademq. Fara. 357.e. Sanctitate celebris mater sanctarum virginum. 357.d
Burgundofara tentata frustra ab Agrestino pseudomonacho. 248.c.d
Buscfrea filius Eduini baptizatus a sācto Paulino.290.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

C

Caballarij qui milites apud Persas. 42.d.e. 273.d
Cabilonense Concilium sub Clodoueo. 482.e
Cadoenus Episcopus interfuit Concilio Rothomag. 567.a.b
Cæcus illuminatur a S. Aug. Episc. Anglorum. 191.a
Cælibatus sacrorum ministrorum sæpe sancitus. 21.c.d
Cælibatus clericorum abrogatus in pseudosynodo Constantinop. 607.a.b. Collapsus etiam in Ecclesia Africana. 627.d.e
Cælibatu clericorum abiecto, collapsa est Ecclesia Orientalis. 614.e
Cæsaraugustanum Concilium. 40.e
Cæsara Regina Persarum Christiana. 44.c.d
S. Cæsarij oratorium vbi. 162.e. 163.a. De eodem. 187.c.d
Caianus, siue Chaianus, vel Gaianus, aut Gaganus dictus Rex Auarũ, idemq. in Romanos immittitur a Cosrhoe Rege Persarum. 266.d.e. 267.a
Caianus occidit captiuos omnes redimi neglectos. 137.b
Caianus inuadit Istriam & Forum Iulium. 135.e
Caianus pacem init cum Heraclio. 253.e. 254.a
Caianus fœdifragus Suburbia Constantinopolis deprædatus. 251.b
Caianus quando inuasit Thraciam. 64.d
Caianus vastat Pannoniam. 136.d
Caianus violat reliquias S. Alexandri martyris. 136.e. 137.a
Caiani septem filij vlciscente martyre peste extincti simul. 137.a.b
Caiani ope Iustinianus constituitur in Imperio. 644.b
Caietam translatum corpus S. Erasmi martyris. 11.c
Calcei compaginati inter insignia numerati Romanorum clericorum. 122.a. 179.e
Calligraphus Alexandrinus obitum Mauritij ex prodigio nouit. 161.b
Callinicus Patriarcha excæcatus corpore sicut & mente. 604.a. 646.d.e
Callinicus Exarchus Rauennæ sub Gregorio Papa. 126.d
Callinicus creatur Episc. Constantinopolitanus. 602.d
Callinicus Patriarcha restitit Imperatori demolienti Ecclesiam. 617.d
Callinici ingens odium aduersus Occidentales. 604.d
Calliopa Exarchus. *Vide* Theodorus Calliopa.
Calumniæ iactatæ in S. Gregorium. 177.d.e
Calumniæ structæ contra S. Martinum Papam. 419.d.e. 420.b.c.d
Calumniæ in S. Maximum martyrem compositæ. 425.d.e. Aliæ superadditæ 464.e. 465. 466.
Calumnia in Romanam Ecclesiam de Pyrrho vim passo. 371.a.b.c
Calumniæ Schismaticorum in Catholicos de Concilio Chalcedonensi damnato. 95.e
Calumniatores a Deo puniti. 242.a.b
Camisia missa a Bonifatio Papa ad Eduinũ Regem Angl. 270.c
Campanæ vsus in Ecclesia. 242.e
Campana Senonensis Parisios translata. 242.e. Miranda de ea.
243.a
Campania vastata a Longobardis. 102.b.c
Campus cælestis in Anglia locus dictus. 332.c.d
Candidianus Gradensis Episcopus calumnijs Schismaticorum exagitatus. 196.d.e. 197.a.b. Primus ipse Gradensis Patriarcha. 196.b.c
Candidus Abbas ex Arabia missus Romam ad reliquias sanctorum accipiendas. 141.c.d
Candidus presbyter a sancto Gregorio in Gallias missus. 94.c.d.e
Canes parcunt corpori S. Anastasij martyris. 283.a
Canes depasti corpus Mahometis pseudoprophetæ. 298.e
Canones Anglicani Concilij sub Theodoro. 508.a.b.c
Canones Antisiodorensis Concilij. 14.b.c.d
Canones Apostolorum nomine plures additi. 606.b. Qui probati sint ex illis ab Ecclesia Romana. 614
Canones Narbonensis Concilij. 122.a.b.c. 123.a
Canones Romani Concilij sub Gregorio Papa. 91.c.d.e
Canones Concilij Romani sub Martino Papa. 395.b.c.d. 396.a
Canon Sextæ Synodi de coniugio sacrorum ministrorum erroneus. 607.a.b.c
Canon Sextæ Synodi de diaconis erroneus. 609.c.d
Canon Sextæ Synodi de imagine agni. 613.d.e. 614.a
Canon Sextæ Synodi de ieiunio sabbati abrogãdo erroneus. 609.c.d
Canon Sextæ Synodi de suffocatis non manducandis erroneus. 610.a
Canone Sextæ Synodi cur vsi Romani Pontifices. 613.a.b.c. 614.a
Canones Sextæ Synodi repugnant doctrinæ Apostolorum. 609.a.b. Iidemque reiecti ab Ecclesia Romana. 610. 611. 612. 613.
Canonum omnium Conciliorum abrogatio facta per Canonem Sextæ Synodi. 606.e
Canones Sextæ Synodi damnati a Sergio Papa. 611.a.b
Canon Sextæ Synodi cur citatus reperitur a Romanis Pontificibus. 613.a.b.c.d
Canon Sextæ Synodi de Imagine Agni numquam receptus ab Ecclesia Romana. 613.d.e. 614.a
Canones Sextæ Synodi a nulla trium sedium Patriarchalium recepti. 614.a.b
Canones omnes qui sunt secundum decreta Romanorum Pontificum et sacra Concilia probantur. 614.c.d
Canones Sextæ Synodi vt confirmentur a Ioanne Papa Septimo frustra laborat Imp. Iustinianus. 651.d.e. Qui recepti sint ex eis. 614.b.c
Canones Sextæ Synodi confutati Constantinopoli a Gregorio diacono postea Romano Pontifice. 612.c.d.e. 660.a
Canones Concilij Toletani Vndecimi. 514.e
Canonum custodes, & defensores esse debent Romani Pontifices. 411.b
Cantum Ecclesiasticum Romanum accepit Ecclesia Anglicana. 327.a. Idem per Stephanum eidem traditus. 505.a.
Cantus psalmorum in translatione reliquiarum. 13.b
Capilli S. Ioannis Baptistæ in Hispaniam missi. 134.b
Capillorum cirri mitti soliti in signum filiationis adeptæ. 577.a.b
Capita tria Chalced. Concilij rursum deducta in controuersiam. 33.d.e. 34.a.b. 50.c.d.e. 67.d.e
Capraniæ in Campania insulæ monachi. 19.d
Capræ caput solitum immolari a Longobardis. 111.b
Capricanæ insulæ monasterium visitatur iussione S. Gregorij. 169.e
Captiui vincti virtute Dei soluuntur. 13.a. 14.a
Captiui redempti a sancto Gregorio. 32.a
Captiui redempti a Ioanne Papa Sexto. 644.d
Captiui nec vili precio a Mauritio Imp. redempti. 137.b
Capuana Ecclesia Episcopo vacans. 72.e
Carcer aperitur vinctis opera S. Columbani. 221.c.d
Carcer S. Anastasij Persæ Martyris. 283.e. 284.a.b.
Carcer Constantinopolis vnicus, & angustus vsque ad Phocæ tempora. 203.e
Carcer S. Martini Papæ. 431.b.c.d
Cardariga Dux Persarum contra Heraclium Imp. 285.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cardinalium S. R. E. constantia. 349.c.d
Cardinales vt plurimum ex Orientalibus allecti. 651.a.b
Cardinales diuersarum licet nationum, omnes eiusdem spiritus. 651.a.b
Cardinales omnes in exilium missi sub Seuerino Papa. 346.d.b
Carduella idem quod Ceadualla. 329.b.c. 593.e. *Rex Christianissimus.* 328.c
Carellus vindex calumniæ illatæ Reginæ Longob. 479.c.d
Carlomannus senior pater Pipini primi. 302.d. *Idemq. frater Agilulphi.* 304.e
Caroli Martelli Pipini secundi filij genus. 302.c.d
Carolus Martellus succedit Pipino patri. 674.d.e.675.a
Carolus Princeps Francorum dat Pipinum filium Liudprando Regi Longob. in filium. 577.a.b
Carpetaniæ regio sub Carthaginensi prouincia Hispan. 216.d.e.217.b.c.
Carpualdus Rex Christianissimus. 290.e. *Suum regnum reddidit Christianum.* 291.a
Carthago à Cosrhoe Persarum Rege inuasa. 240.b. *Ab eodem capta.* 244.a
Carthagine missa legatio ad S. Gregorium Papam. 33.c
Carthaginense Concilium a Græcis labefactatũ. 608.b.c.d
Carthaginense Concilium aduersus Monothelitas. 374.a
Carthaginensis Concilij epistola ad Paulum Patriarcham. 376.b
Carthaginensis prouincia subiecta Toletanæ Eccles. 215.d 216.d.e.217.b.c
Cassiope castrum recipit corpus S. Donati martyris. 136.d
Castorius Magister militum. 83.b
Castorius Responsalis libello perstrictus. 101.e
Castus Exarchus tempore S. Gregorij Papæ. 129.c
Castus vir religiosus commendatur Prisco a S. Gregorio. 65.c
Catena S. Pauli Romæ custodita. 74.d.e
Catenæ S. Petri limatura missa a S. Gregorio ad Columbũ Episc. Numidiæ. 50.a
Catenarum SS. Petri & Pauli limatura missa à S. Gregorio ad Eulogium Episc. Alex. 167.e
Catholicum nomen antiquitus debitum Hispaniarum Regibus. 346.d.e. 347.a
Catholicum idem quod Vniuersale. 90.a
Catholici per antonomasiam dicti Christiani. 663.d
Catholicam veritatem lacerant qui Romanæ Ecclesiæ iura violant. 3.b.c
Catholicis esse recedendum a vitijs hæreticorum. 27.d.e
Ceaddæ Episcopi ordinatio cõfirmata a Theodoro Apost. Sedis legato. 505.b
Ceaddæ Episcopi obitus. 508.e
Ceadualla Rex Britannus potius quam Anglus. 593.c.d.e.594.a.b. *Cur dictus Rex Saxonum.* 594.c.d
Ceadualla Rex Romã peregrinatus & batizatus moritur in Albis. 592.c.d. *Eius sepulchri epitaphium.* 592.e 593.a
Ceadualla Rex idem quod Carduella. 329.b.c. 593.e. 594.c. *Eius successor in Regno.* 594.e. 595.a
Ceadualla Rex appellatus Petrus in baptismo. 593.b
Ceaduallæ Reges plures. 593.d. 594.a
Cedd Episcopus prædicator Euangelij in Anglia. 449.b
Cedda presbyter in Anglia. 441.e
Celsus Abbas interfuit Concilio Rothomag. 567.b
Celsus Episcop. Carthaginensis. 341.d
Ceolfridi Abbatis epistola de obseruatione Catholici Paschatis. 634.e. 635.a.b.c. *Idem magister Bedæ.* 638.b
Cera vinculis martyris admota. 284.a
Cera imagine agni impressa solita benedici. 613.e.614.a
Certamen singulare Heraclij Imp. cum gigante in bello Persico. 265.b.c.d
Chaganus Rex idem Caianus dictus. Vide Caianus.
Chagnoaldus Episc. Lugdunensis alumnus monasterij Luxouiensis. 243.b
Chalcedo infestata a Persis. 257.e
Chalcedo obsessa a Persis. 264.d. *Liberata ab obsidione.* 285.d
Chalcedonense Concilium depranatum fuisse a Catholicis calumniati sunt hæretici. 95.e
Chalcedonense Concilium nullum passum est dispendium. 34.e.35.a
Chalcedonensis Concilij sanctus Gregorius propugnator. 34.e
Chalcedonense Concilium nullam passum iacturam per Quintam Synodum. 50.d 52.a.b. 67.68.a.b.c
Chalcedonense Concilium obtulit Rom. Pontifici titulum Vniuersalis. 89.b
Chalcedone templum S. Euphemiæ martyris. 66.e.67.a
Chalcedonensis Concilij nõ Acta sed fidei decretum probatum. 68.d.e. 69.a
Charismatibus cælestibus abundat Ecclesia Anglicana. 563.d.e
Chartophylax idem quod Chartularius. 26.b
Chartophylacium idem quod Archiuus. 26.d
Chartularij Ecclesiæ Constantinopolitanæ dignitas. 26.b.c.d
Chartularius præcedebat Episcopis. 26.c.d. *Eius insignia.* 26.b.c
Chersonam deportatus S. Martinus Papa. 435.c.d
Chersonenses rebellantes grauia passi sunt a Iustiniano Imp. 660.b.661.c.662.a. *Bardanem Philippicum acclamant Imperatorem.* 662.a.b
Childeberti Regis Franc. munificentia erga ecclesias. 14.a
Childebertus Rex laborat pro pace monialium. 60.d
Childebertus Rex inquirit de criminibus illatis Abbatißæ 63.b.c
Childebertus Francorum Rex laudatus a S. Gregorio. 14.a
Childeberti Regis obitus quando contigit. 124.b
Childeberti Regis hæredes. 106.a
Childeberti filij Brunichildis auiæ consilio reguntur. 220.a
Childebertus Rex Franc. succedit Clodoueo tertio. 615.e
Childebertus tertius Rex Francorum moritur. 659.b
Childericus Rex Austrasiorum. 501.e
Childerici Francorum Regis obitus. 506.a.b
Childericus filius Sigeberti regnat. 477.d.e
Childericus Rex Franc. aduersatur Theodardo. 477.e 478.a.b
Childericus filius Clodouei cum fratribus regnat. 491.c
Chindasuindus Rex Hispan. Taionem Romam mittit pro libris S. Gregorij. 416.d.e
Chindasuindi Regis Hispan præclara gesta. 417.e
Chindasuindi Regis Hisp. obitus & epitaphium. 418.b
S. Chrysanti martyris delatæ reliquiæ ab Vrbe in Gallias. 13.c
Chrismate vngere fronte baptizatos aliquando indultum presbyteris. 71.c
Chrysolocæ dicti milites Persæ. 266.e
Christus apparuit tamquam leprosus. 39.b.c
Christus descendens ad inferos, quos liberauit. 101.d
Christum non esse naturalem Dei Filium sed adoptiuum, impia assertio. 341.b
Christi imago per agnum representata per Græcos in probata. 613.a.b.c

Christi imago præcedens Heraclij exercitum. 258.b. Vide Imago.
Christi negationem Cosrhoes ab Heraclio petit si pacem velit consequi. 250.a
Christiana fides in Britannia propagata. 289.c. 290.a 333.a.b. 334.c.
Christiani a Iudæis occisi. 231.c. 232.a
Christianorum iniquorum defectio ad Iudæos, vbi Christi Crucem captam a Persis viderunt. 236.c
Christiani captiui pretio vili venundati Iudæis a Cosrhoe 231.c
Christianorum nonaginta millia occisa a Iudæis. 232.a
Christianus nullus absque pœnitentiæ Sacramento decedat. 11.c.d
Christophorus Abbas imaginem S. Theodori pingi fecit. 207.b.c
Christophorus Dux Vrbis pugnat contra Petrum Ducem. 663.c.d
Chrodieldis filia Chariperti Regis monialis. 57.c.58.a
Chrodoaldus affinis Regis Theodorici. 223.b
Chromanus presbyter Scotus. 349.a
Chromanus alius Episcopus Scotus. 349.a
Chronicon Biclarense vsque ad octauum annum Mauritij Imp. 29.a
Chuldericus saxo a Deo punitus ob sacrilegium. 75.a
Chunibertus Archiep. Coloniensis carus Pipino. 303.c
Chunibertus Archiep. Colon. profuit Dagoberto Regi. 304.d
Ciborium factum a S. Gregorio. 181.d
Ciceronis in historia scribenda ratio. 53.d
Cimiburga filia Pendæ Regis. 441.c
Cintbilanus Rex Hispan. 340.c.d
Cintbilani Regis pietas insignis. 346.d.e
Circumcisi homines Imperij Romani destructores prædicti. 239.c. 240.a
Cynegius locus appellatus. 646.c
Cyclus Victoris mendax inuentus. 75.b
Cynigilsus Rex Geuissorum in Angliæ. 337.c. Factus Christianus. 338.a.b
Cyprianus diaconus curator patrimonij Rom. Eccles. 69.d idem inquiri iubet maleficos. 174.b
Cyprianus Episc. Arelatensis monet Sigebertum Regem. 230.a
Cyprium Concilium sub Theodoro Papa. 363.b.c
Cyprijs Episcopis præulegium concessum. 600.c.601.a
Cyprij ob ingruentes Sarracenos migrare coacti. 600.c. 601.a
Cyriacus Abbas in Gallias missus a S. Gregorio pro reformanda Ecclesia Gallicana. 132.c. Missus & in Hispanias. 132.c.133.a
Cyriacus Abb. mittitur a S. Gregorio ad cõuersionem Barbaricinorum. 70.b.c
5. Cyriaci ecclesia facta ab Honorio Papa. 344.c
Cyriacus Patriarcha Constantinopol. legatos Romam mittit ad S. Gregorium Papam. 101.a.b
Cyriacus Constantinopol. professionem fidei mittit ad S. Greg. Papam. 106.c.d
Cyriaci Episc. Const. laudes. 101.b.c
Cyriacus Episc. Const. accipit litteras a S. Greg. 165.c
Cyriacus Episc. Const. exigit a Phoca Imp. fidei Catholicæ professionem. 160.d
Cyriacus monetur relinquere nomen Oecumenici. 101.c.d
Cyriacus Episc. Const. infensus redditus Phocæ Imp. 198.c. 199.a.b.c
Cyriaci Episc. Const. obitus. 200.a
Cyrus monachus creatur Episc. Constantinopolitanus post Callinicum. 646.c
Cyrus Patriarcha Constantinop. cum clero occurrit Constantino Papæ venienti Constantinopolim. 659.d. ejicitur a Philippico Imp. hæretico. 664.c
Cyrus Lazoris Episc. factus amicus Heraclio Imp. 265.a
Cyrus dum dubitare se simulat in errorem pertrahit Sergium. 294.d. 295.b.c
Cyri epistola ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum. 295.c
Cyrus creatus Patriarcha Alexandrinus. 299.c
Cyrus sub nomine Catholico seducit multos. 299.c. Sub nomine pacis decipit Orthodoxos. 308.a
Cyri decretum de vnica voluntate in Christo prædicanda. 308.c
Cyrus celebrat Concilium Alex. vbi satisfacit per nouem capitula. 308.c
Cyri epistola alia ad Sergium Const. Episc. 309.a.b
Cyro aduersatur S. Sophronius Episc. Hieros. 309.c. 310.a 320.c.d.e
Cyrus spondet tributum Sarracenis. 331.d
Cyri tempore capta Aegyptus a Sarracenis. 331.d
Cyrus confirmat Ecthesin Heraclij Imp. 351.d
Cyri obitus. 357.b
Cyri scripta cognita, & confutata in Concilio Romano. 394.a.b
Citonatus Episc. Calaritanus ordinat Episcopum Tunitinum sine licentia Rom. Pontificis. 583.a
Cixilon filia Erwigij Regis nupta Egicani Regi. 589.a
Clades Hierosolymitana valde funesta sub Cosrhoe. 231.a 232.a 236.c. 237.a
Clades per Sarracenos illata Rom. Imperio. 434.b.c
Classense monasterium exemptum. 119.a
Classis Iustiniani Imp. submersa. 660.b
Classis Sarracenorum incensa a Vuamba Rege. 515.c
Claudius Abbas missus ad redimendos captiuos. 32.a 158.b
Claudius Hispanus vir insignis ad quem S. Gregorius scribit. 132.d.e
Claudius vicit Francorum ingentem exercitum. 28.d.e
Claues S. Petri mittit S. Greg. ad Childebertum Regem. 94.b. De claui sancti Petri miraculum. 109.c.d.e
Clauis missa a Rege Longob. Romam ad S. Petri basilicam. 105.d
Clauis S. Petri cum limatura catenarum eius missa ad Clamlium Episc. in Numidia. 50.a
Clauis S. Petri missa ad Theodorum. 110.a
Clemens Papa VIII. restituit titulum S. Cæsarij. 163.a
Clemens Episcopus ex Vualbrordo nominatus a Sergio Papa cum ordinaretur. 623.c.d. 628.a
Clementia Clarissima fœmina Neapoli. 36.c
Clementina odio indulgens corripitur a S. Gregorio. 141.a
Clementius Patricius accusatus. 156.c.d
Cleri Romani erga suum Pontificem amor. 422.a.b
Clerus Rom. restitit Eugenio Papæ ne acciperet Synodalem hæretici Patriarchæ. 439.d
Cleri Rom. epistola ad Scotos. 349.a
Cleri Rom. constans defensio S. Martini Papæ. 419.e 420.a
Clero Rom. inconsulto nihil facere consueuisse Pontificem. 584.e
Clerus a S. Gregorio reformatur. 19.e
Cleri Romani constantia. 349.d. 354.d.e
Cleri Rom. Ecclesiæ insignia. 179.e
Clerici discoli detruduntur in monasterium. 22.c
Clerici ne abutantur patrocinio laicorum. 122.c
Clerici vel monachi agere iubentur vigilias in custodia Muro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

murorum ciuitatis. 116.b
Clerici inerudiri nullo modo ordinentur & ordinati discere compellantur. 122.c
Clerici inobedientes a suo Episcopo puniantur. Ibid.
Clerici in publicis non morentur. 122.b
Clerici ne sua crimina publice prodant. 465.d.e
Clerici omnium Ecclesiarum sub ditione Rom. Pont. 86.a
Clerici ne cohabitent cum feminis suspectis. 20.e
Clerici seculares ne assumantur in Abbates. 55.d
Clericorũ cælibatus abrogatus a pseudosynodo. 607.a.b
Clericorum numerus Eccles. Constantinop. ab Heraclio Imp. præscriptus. 251.b.c.d
Clericorum auaritia cohibetur. 146.a.b
Clericorum Scotorum soleis disciplina. 489.d.e
Clericum illiteratum erudiendum tradit S. Greg. 105.e
Clodoueus filius Dagoberti Regis regnum accipit cum fratre. 384.e. Eius obitus. 490.e
Clodoueus spoliat argento apsidem S. Dionysii & dat pœnas. 480.b.c.d.e
Clodoueus tertius Rex Francorum. 592.a.b
Clodonei Regis Francorum obitus. 615.e
Clotharius filius Childerici Rex Frãc. uictus in bello. 154.d
Clotharius Rex benigne excipit S. Columbanum. 223.c.d
Clotharius consilio S. Columbani abstinet a bello. 223.d
Clotario prædicta monarchia Frãc. à S. Colũbano. Ibid. a
Clotharius uincit Sigebertum Regem. 230.d
Clotharius Regum filios spurios perimit. 230.c.d
Clotharius dire punit Brunichildem Reginam. 230.d
Clotharius studiosissimus seruorum Dei. 231.a.b
Clotharius legationem mittit ad S. Columbanum. 230.e. 231.d
Clotharius obtinet monarchiam Galliarum. Ibid.
Clotharius proficit monitis S. Columbani. 231.a. Maxime cultor pietatis. 241.e
Clotharius coluit S. Gaudericũ Episc. Cameracen. 242.d
Clotharij epistolæ fragmentum. 242.d
Clotharius aduersus Burgundos bellum gerit, cui S. Lupus Episcopus Senonensis restitit. 242.d.e
Clotharius transfert Campanã Senonensẽ Parisios. 242.e
Clotharius familiariter usus Eustasio Abbate. 243.b
Clotharius tentatur agere in regulas S. Colũbani. 246.e
Clotharius celebrari curat Concilium Matisconense. 246.a.b. 247.a
Clotharius filium Dagobertum consortem Regni facit. 278.d.e
Clotharius in exilium mittit S. Lupum Episc. Senonens. 301.c.d.e. Quem reuocatum recipit multa reuerentia. 301.e. 302.a
Clotharij Regis obitus. 301.e. Eius laudes. Ibid.d
Clotharius filius Clodouei cum fratribus regnat. 490.e. 492.a
Clotharius Rex ægrotat. 495.a.b. Eius obitus. 501.d
Clypiacense Concilium sub Clodoueo Rege. 482.a.b
Coadiutor cui Episcopo dandus. 168.b
Cœmeterium S. Nicodemi. 271.d
Cœmeterij locus diutius designatus. 563.e.564.a
Cœmeteria SS. Martyrum a Ioanne Papa Septimo bene culta. 655.d
Cœmeterium Marci & Marcelliani a Ioanne Papa Septimo cultum. 655.d
Coenredus succedit Edilredo Regi Anglorũ 648.e.653.b Venit Romam ad limina Apostolorum. 699.a
Cognationis spiritualis iura seruanda illæsa. 245.b
Colsi Pontificis Gentilitatis scitum responsum ad Regem suum. 277.d.e.278.a.b. Demolitur templum & aras deorum efficiturq. Christianus. 278.b.c.d
Collatio habita in Anglia de celebratione Paschatis. 486.c.d.487.488.489.
Colman defensor Scotorum in errore de Paschate. 487.b.c.488.489.
Colomannus præsbiter socius S. Kiliani. 585.c.d
Colomanni martyrium. 595.c.d.e.596.a.b.c
Colossus Rhodius a Sarracenis confractus. 442.c
Columba ad aurem S. Gregorij. 177.d.e
Columba monachus sanctus prædicator Euangelij apud Pictos Anglos. 598.b
Columbanus Abbas Scotus. 194.a
Columbanus comparandus Eliæ prophetæ. 219.d.e
Columbanus ex Hibernia in Gallias uenit. 219.e
Columbanus persecutionem patitur sub Theodorico Rege. 219.d.220.a.
Columbanus reprehendit Theodoricum Regem ob concubinatum. 220.a.b
Columbanus redarguit Brunichildem Reginam. 220.b.cd
Columbanus comminatur excommunicationem Theodorico Regi. 220.d.e
Columbanus detestatur munera Theodorici Regis. 220.c
Columbanus noluit benedicere filiis Theodorici Regis ex adulterio natis. 220.b
Columbani uaticinium de Regibus Francorum. 223.a.b. Et de filijs Theodorici & monarchia Clotharij. 223.d
Columbanus de quibus redargutus a Theodorico Rege. 220.e.221.a
Columbani congressus cum Theodorico Rege. 221.a
Columbanus non paret Regi iubenti vt egrediatur ex monasterio. 221.b
Columbanus expellitur tandem e monasterio. 221.b.c
Columbanus liberat vinctos in carcere. 221.c.d.e
Columbanus sponte reuertitur ab exilio. 221.e
Columbanus factus militibus inuisibilis. 221.e. 222.a
Columbani res gestæ cum Berthario & Baudolpho ministris regijs. 222.b.c
Columbanus rursus exulat. 222.e
Columbanus Theodoricum Regem Canẽ appellat. 223.a
Columbanus uenit ad Theodobertum Regem. 223.e
Columbanus expulsus uenit ad Clotharium Regem. 223.c
Columbanus Idololatras ad fidem Christi cõuertit. 224.a
Columbanus cogitat conuertere Sclauos. 226.d
Columbanus suadet Theodoberto Regi Clericatũ. 226.a.b
Columbanus per uisum absens uidit bellum inter Reges Francorum. 226.b
Columbanus bene excipitur ab Agilulpho Rege Longob. 226.e
Columbanus in Bobio sedem firmat. 226.d.e
Columbanus frustra rogatur redire in Gallias. 231.a
Columbanus litteris monet Clotharium Regem. Ibid.
Columbani obitus. 243.a.b. Clarus miraculis. Ibid.
Columbani regulas monasticas impugnat Agrestinus schismaticus. 246.a
Columbanus Episc. Scotus. 349.a
Columbus Episcopus Primas in Numid. 32.c.33.b.50.a. Donatus a S. Gregorio claui cum reliquiis sacris. 50.a
Columbus Primas Episc. prouinciæ Bizacenæ. 374.a
Columbus pseudomonachus. 492.c.d
Columna ignea detegit S. Gregorium fugientem. 7.b
Columnæ Gethsemani seruatæ. 601.c
Colinduch martyr in Perside. 67.b.c
Cometa gladij formam habens præunciat futuras clades. 305.d
Cometa mensibus tribus durauit. 562.b
Commentiolus Dux occisus a Phoca. 161.b
Commentiolus Prætor Thraciæ occisus a Phoca. 205.a.b
Comitiolus vir illustris persecutor Episcoporum. 169.d
Commatres facere vetitum monachis a S. Gregorio. 72.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conantius Episcopus Palentinus. 343.c
Concilium Africanum S. Gregorius indicit. 25.e
Concilium Alexandrinum pro Monothelitis. 308.c.d
Cõcilia Anglicana duo habita ab Augustino. 190.d.e.191
Concilium Anglicanum sub Theodoro Episcopo Dorouernen. 507.d.e.508.a.b
Concilium Anglicanum contra Monothelitas. 524.e. 525.e.527.b.c
Concilium Anglicanum in causa S. Vulfridi Episc.653.b
Concilium Aquileiense sub Sergio Papa. 632.d
Concilium Aurelianense. 423.e.424.a
Concilium Barcinonense contra Simoniacos. 133.d
Concilium Bizacenũ in Africa in causa Primatis Episc. Bizaceni. 156.d
Concilium Bizacenum aduersus Monothelitas. 374.a
Concilij Bizaceni Synodalis ad Constantem Imp. 375.d
Cõcilij Bizaceni Synodalis ad Paulum Episc.Const.375.e
Concilium Bracharense tertium. 515.d
Concilium Cabilonense sub Clodoueo Rege. 482.e
Concilium Cæsaraugustanum secundum. 40.e
Concilium Chalcedonense cur S. Gregorius sæpe commemorat. 16.e
Concilium Chalcedonense nullam esse passum iacturam a Quinta Synodo. 34.e.35.a
Concilium Carthaginense aduersus Monothelitas. 374.a
Concilij Clypiacẽse in Gallia sub Clodoueo Rege.482.a.b
Concilium Constantinop. hæreticum pro confirmanda Ecthesi Imp. Heraclij. 351.e. 352.a. Non meruit dici Concilium. 352.c
Concilium Constantinop. Erraticum dictum. 602.e. 603. 604.
Concilium Constantinop. œcumenicum Quintum a S.Gregorio probatum. 16.17. Non necessaria eius professio, eo quod de personis, & non de dogmatibus tractauit. 68.c.d
Concilium Constantinop. œcumenicum Sextum vbi & quando celebratum. 539.d.e
Concilium Constantinop. œcumenicum Sextum celebratũ ex petitione & auctoritate Agathonis Papæ.560.a
Concilij Constantinop. œcumenici Sexti Actiones. 540. b.c.541.542.543.
Concilij Constantinop. œcum. Sexti canones quales. Vide Sexta Synodus. & supra Canones. Damnatur sub Philippico Imp. 664.d.e
Concilium Cyprium contra Monothelitas. 163.a.b.c
Concilium Emeritense in Hisp. 497.b.c
Concilia Francorum Regum petitione congregata in Gallijs. 168.c.d
Concilium Gallicanum tyrannicum. 580.c.581.582.
Concilium Hispalense sub Sisebuto Rege. 252.e
Concilium Londinense an re uera habitũ.673.e 674.a.b
Concilium Mantuanum sub Eugenio Papa. 196.a.b.c
Concilium Matisconense sub Clothario Rege.246.a.b.c.d. 247.a
Concilium Mauritanum aduersus Monothelitas. 374.a
Concilium Mediolanense contra Monothelitas. 524.e
Concilium Metense in Gallia. 74.e.75.a
Concilium Narbonense in Gallia. 121.d.e.122.a
Concilium in Numidia sub S. Gregorio generale. 25.d 26.a.32.c. Aliud. 136.e
Concilium in Numidia aduersus Monothelitas.374.a.b.c
Concilium Oscense in Hispania. 121.c
Concilium Pictauiense. 57.c.58.a
Concilium Quintũ œcumenicũ. Vide. Quinta Synodus
Concilium Romanum sub Agathone Papa. 528.d.e. 529.530.Eius Acta recitata in Concilio Romano sub Ioanne Pap. Septimo. 652.c.d
Concilium Romanum sub Bonifacio Papa Tertio.200.d.e
Concilium Romanum sub Bonifacio Papa Quarto. 214.b
Concilium Romanum sub Gregorio Papa in causa Schismaticorum. 12.a.b
Concilium Romanum Secundum sub Gregorio Papa. 91.c.d.e 92.
Concilium Romanum Tertium sub Gregorio. 143.c.d.f
Concilium Romanum aliud sub Gregorio. 153.d.e
Concilium Romanum sub Ioanne Papa Quarto. 354.b.c
Concilium Romanum sub Martino Papa contra Monothelitas. 387.c.d.390.b.c.d.391.a.b
Concilium Romanũ sub Martino Generale dictum .391.c
Concilium Romanum sub Martino magnæ suæ æstimationis 405.b.c.d
Concilium Romanum sub Martino allatum in Anglium. 526.c.d.527.b.
Concilium Romanum sub Vitaliano Papa. 498.d.e
Concilia Romana quomodo sæpe celebrata. 16.e
Concilia Romana cognouerunt semper Honorium Papam Orthodoxum. 323.e 324.a
Concilium Romanum sub Ioanne Papa Septimo. 651.c.d
Concilium Rothomagense. 367.a.b
Concilium Toletanum aliud sub Reccaredo Rege. 113.b
Concilium Toletanum tertium. 215.e
Concilium Toletanum quartum. 329.e
Concilium Toletanum quintum. 340.b
Concilium Toletanum sextum. 346.d
Concilium Toletanum septimum. 382.e
Concilium Toletanum octauum. 439.e
Concilium Toletanum nonum. 450.c
Concilium Toletanum decimum. 462.d
Concilium Toletanum vndecimum. 513.e.514.a
Concilium Toletanum duodecimum. 515.b
Concilium Toletanum decimumtertium, idemque generale dictum. 573.d.e.574.
Concilium Toletanum decimumquartum. 576.b.c.d
Concilium Toletanum decimumquintum. 589.d.e
Concilium Toletanum decimum sextum generale. 616. a. Deponitur in eo Sisbertus Archiep.Tolet. Ibid.
Concilium Decimumseptimum Toletanum.619.d e.620. a. Contra rebellantes Iudæos quæ statuta in eo. Ibid.
Concil. um Tolet. decimum octauum cur nõ extet.641.d.e
Concil.Traiectense a Vuillebrordo Episc. habitum .629.e
Conciliabulum Monothelitarum aduersus Sextam Synodum. 665.b.c.d
Conciliorum Vniuersalium imago expressa Romæ in ecclesia S.Petri. 663.d
Conciliorum Vniuersalium imago depicta Constãtinopoli a Philippico hæretico Imp.abrasa. Ibid.
Concilia ab Imperatoribus facta absque auctoritate sedis Apostolicæ non recipienda. 454.b
Concilij cogendi auctoritatem petunt Reges a Romano Pontifice. 168.e
Concilia probantur & improbantur a Romano Pontifice. 50.a
Concilia cogi nõ debere absque auctoritate Romani Pontificis. 125.e.126.a
Concilia diuersarum prouinciarum aduersus Monothelitas. 373.e.374.a
Conciliorum celebrandorum formula ab Isidoro conscripta. 330.e
Conciliorum œcumenicorum Acta quæ sint reuocata in iudicium. 553.b
Concilia quæ in Ecclesia probentur. 454.c
Concio S. Gregorij Papæ tempore pestis. 4.e.5.a.b
Concubinatus causa redarguitus Theodorici Regis a S.Columbano. 220.a.b.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confessio fidei aperta non sub inuolucris facienda. 460.a
Confessio locus sub altare ad S. Mariam ad Præsepe. 40.d
Confessio peccatorum facienda. 127.c.
Confirmationem Pontificum Romanæ Ecclesiæ sibi vindicauerunt tyranni. 2.c.3.a.b
Confirmationi Romanorum Pontificum vsurpatæ renunciat Constantinus Pagonat. Imp. 575.c
Coniectura probatissimæ de impostura Sextæ Synodo apposita de condemnatione Honorij Papæ. 550.d.e.551.a. 554.a.b.557.c.d
Coniurationes plures in Reccaredum Regem. 28.c.d. 29.a.b
Coniuratio in Phocam Imp. proditur & coniurati ab ipso occiduntur vna cum proditore. 210.d
Conon Papa creatus. 583.c
Cononis Papæ probata electio. 584.a
Conon Papa accipit litteras a Iustiniano Imp. 584.b
Conon Papa legatos mittit Constantinop. 584.b.615.b
Cononis Papæ legati sunt coacti prænaricari. 584.c
Conon Papa ordinat S. Kilianum Episcopum. 585.c
Conon Papa creat Constantinum Episc. Antiochenum, 584.e
Cononis Papæ obitus. 587.a
Consecratio Ecclesiæ vbi diuinitus facta. 214.d.e. *Eademq. probata.* Ibid.
Consiliarius S. Gregorij dictauit aliquas epistolas nomine ipsius S. Gregorij. 96.c.d
Constantinopolis obsessa a Dei genitrice liberatur. 267.d.e.268.a
Constantinopolis septemnalis obsidio. 510.a.b
Constantinopolis a peste bubonum afflicta. 627.e
Cõstantinopolis quãdo potita ligno sanctæ Crucis. 308.b.c
Constantinopolim transferre bellum Cosrhoes curat. 267.a
Constantinopolitanæ vrbis suburbia a Caiano rege Auarum prædata. 251.b
Constantinopolitana Ecclesia multos habet Patriarchas hæreticos. 108.a
Constantinopolitana Ecclesia quomodo creuit honoribus. 84.b.c.d
Constantinopolitanum Concilium appendix ad Sextum, 602.e. 603.604. *vide.* Concilium.
Constantinopolitanus Episcopus subiectus Alexandrino. 84.b.c
Constantinopolitani Episcopi nimis gloriæ cupidi. 84.b.c
Constantinopolitani Episcopi vsurpatum nomen Vniuersalis retinuerunt. 89.d
Constantinopolitani deficiunt ad Bardanem tyrannum ob sæuitiam Imp. 662.a
Constans, ab alijs Constantius, vel Constantinus dictus nepos Heraclij Imp. 358.c
Constans Imp. commotus in Theodorum Papam, ob damnatum ab eo Paulum Episc. Constantinop. 388.e. 389.a
Constans Imp. hæreticus promulgator Typi pseudofidei. 384.e
Constans Imp. commotus aduersus S. Maximum. 424.c.d.e. 455.456.
Constans Imp. contra S. Martinum Papam Theodorum Calliopam Romam mittit. 419.d
Constans Imp. nauali prælio a Sarracenis superatur. 446.b. *Eiusdem turpis fuga.* d
Constans Imp. simulans se Catholicum mittit dona ad basilicam S. Petri Romam. 447.e.448.a.b
Constans Imp. satagit vt S. Maximus transeat ad Monothelitas. 450.d.e.451.452.453.
Constans Imp. fratrem occidit. 478.d
Constans Imp. fratricida exagitatur vltione diuina. 478.e.479.a
Constans Imp. timore correptus cogitat Siciliam. 479.a.b
Constans Imp. Romam venit bene exceptus a Vitaliano Papa. 483.a.b.c.d
Constans Imp. abstulit tegulas æreas a Pantheone. 483.c.d
Constans Imp. bellum gessit aduersus Grimoaldum Regem Longob. 484.c.d.e.485.a
Constans Imp. occiditur. 499.e.450.a
Constantiæ clarissimæ fœminæ sponsæ obitus. 109.e
Constantina Augusta petit a S. Gregorio caput S. Pauli. 73.c.d. *Petit & Sudarium eiusdem.* 74.d
Constantina Aug. mouetur suasione Ioannis Episc. Constantinop. 84.d.e
Constantina Aug. rogatur a S. Greg. cohibere Ioannem. 88.e. 89.a
Constantinæ Aug. cum Germano consuetudo. 201.e
Constantina Aug. torquetur iussu Phocæ. 202.a. *Confugit ad Ecclesiam.* 199.b
Constantina Aug. vna cum filiabus occiditur. 202.a
Constantij Episc. Mediol. electio. 48.b.51.b.c.d
Constantius Episc. Mediolan. in crimen vocatur ob Tria capita a schismaticis defensa. 50.d.51.d.e. *Damnat Tria capitula cum Catholicis.* 51.d.e
Constantius Episc. Mediolan. multa patitur a Schismaticis 67.e
Constantius Episc. Mediolanen. a S. Gregorio reprehensus 72.c.
Constantius Episc. Mediolanen. moritur. 137.e
Constantius diaconus Pudentianæ Ecclesiæ in Numidia. 32.d
Constantius Patricius occisus a Phoca Imp. 158.e
Constantius subdiaconus missus cum aliis ad Sextam Synodum ab Imp. 529.e
Constantinus creatus Episcopus Antiochenus. 584.d.e
Constantinus Episc. Constantinop. 485.c. *Eius obitus.* 497.a
Constantinus filius Martinæ Augustæ. 244.b
Constantinus Heraclius filius Heraclij Imp. 217.e
Constantinus Heraclius Consul creatus. 244.b
Constantinus Heraclius imperat. 358.b
Constantini imago lapidata. 162.e
Constantinus Magnus laudatus a S. Gregorio. 148.b
Constantini Manichæi subdolæ artes. 443.a.b. *Idem occiditur.* c
Constantinus Papa creatus 656.b
Constantinus Papa noluit probare canones editos a Græcis nomine Sextæ Synodi. 612.d.e
Constantinus Papa vocatus Cõstantinopolim a Iustiniano Imp. magno cum honore ductus atque susceptus. 657.d.e.658.a.b.c.659.c.d. *Eius pedes osculatus Imperator.* 659.d.e. *Missas celebrat Cõstantinopoli.* 659.e. *Redit Romã* 660.e. *Diuersis in locis ordinauit Episcopos.* 660.d. *Consecrat Romæ Felicem Episcopum Rauennatem.* 656.b
Constantini Papæ absentia Romana Ecclesia diu vexata a Ioãne Rizocopo Exarcho. 658.b. *Non recipit professionem fidei hæretici Philippici Imp.* 663.b.c. *Sedat bellum ciuile Romæ inter Duces conflatum.* 663.d.e
Constantinus Pogon. imperat. 500.a
Cõstantinus Pogonatus Imp. agit de pace Ecclesiæ. 521.a
Constantinus Pogon. Imp. scribit ad Donum Papam. 521.b
Covstantini Pogon. epistola ad Georgium Patriarcham. 539.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Constantinus Pogon. fratres suos ab Imperio amouet. 556.d.e
Constantini Pogon. epistola ad Romanum Concilium. 558.a.b
Constantinus Pogon. remisit pecunias Imp. dari solitas pro confirmatione Rom. Pontif. 560.c.d. *Renunciatq. confirmationi ipsius Romani Pontificis.* 575.e
Constantini Pogon. epistola ad Leonem Papam Secundum. 569.b.c.d.e.570
Constantinus Pogon. dat suos filios Benedicto Papæ in filios. 577.a
Constantinus Pogon. Imp. moritur. 577.e
Constitutio Gundemari de Primatu Ecclesiæ Toletanæ. 216.b.c.217.a
Consularis honoris emptio sub Mauritio. 194.d
Contemplationis studium non remittat Episcopus. 175.b
Consultatio Regum Anglorum ad Romanum Pontif. 493.a.b.
Consultatio Augustini ad S. Gregorium Papam. 150.b
Controuersia inter Aquileiensem & Gradensem Ecclesiam. 195.c.196.a.197.a.b
Conuersio Audobaldi Regis. 269.d.e.270.d.e
Conuersio Anglorum Borealium. 268.b.c
Conuersio Barbaricinorum. 71.b
Conuersio Iudæorum tentanda blanditiis. 69.d.e
Conuersio populorum per feminas facta. 29.d
Conuersiones non obiurgatione, sed blanditijs tentandæ. 69.e
Conuiuia in dedicationibus Ecclesiarum. 22.e
Corbeiæ monasterium a Bathilde Regina constructum. 496.b
Corcyranæ Ecclesiæ causa ad S. Gregorium delata. 174.c
Cormon apud Forum Iulij locus, vbi habitabat Patriarcha Aquileiensis. 481.d
Corona cum delphinis ad vsum luminum. 22.c
Corpora defunctorum Pontificum ne deferantur cum dalmatica. 91.d
Correctio seuera non proficit. 69.b.c
Corsicæ insulæ sacerdotes S. Gregorius monet. 20.e
Corsica insula valde afflictata ob tributorum solutionem. 80.a.
Corsicæ insulæ monasterium. 19.e
Cosmæ feminæ a creditoribus oppressæ S. Gregorius subuenit. 56.a
Cosmas Sacellarius comitatus Constantinum Papam proficiscentem Constantinopolim. 658.a
Cosmas Persa cognomento Margarita. 265.d.e
SS. *Cosmæ & Damiani martyrum cultus.* 203.a.639.c
SS. *Cosmæ & Damiani ecclesia a Sergio Papa renouata.* 639.c
Cosrhoes Rex Persarum creatus. 41.a.b
Cosrhoes Rex Persarum confugit ad Christianos. 41.c.d.e
Cosrhoes restituitur in regnum. 42.b.c.d
Cosrhoes votum vouit S. Sergio. 41.d. *Donatq. ei crucem auream.* 42.c. *Alteram ablatam eidem martyri restituit.* ibid.
Cosrhoes multa beneficia accepit a S. Sergio martyre. 42.d.e.43.a.b.44.a. *Eiusdem sancti cultor.* 285.b
Cosrhois in multis elucet pietas. 43.b.c.d
Cosrhoes creditus a multis Christianus. 44.b.c
Cosrhoes ob necem Mauritij Imp. rumpit fœdus initum cum Romanis. 166.e.167.a
Cosrhoes aduersus Phocam Imp. expeditionem parat. 194.e
Cosrhoes vincit exercitum Phocæ. 198.e
Cosrhoes expugnat Hierosolymam. 231.e 232.a.b
Cosrhoes subacto Aegypto & Libya Carthaginem peruenit. 240.b
Cosrhoes occupat Carthaginem. 244.a
Cosrhoes potitur Africa. Ibid.
Cosrhoes respuens pacem ab Heraclio, improbam conditionem adiecit. 245.a.272.e
Cosrhoes Rex omnium potentissimus ac bellicosissimus. 258.a
Cosrhoes paruipendit Heraclium Imp. 261.c.d
Cosrhois simulacrum diuinum quid representat. 262.e
Cosrhoes diuinitatem affectat. 262.d.e
Cosrhoes fugatur ab Heraclio. 262.d
Cosrhoes iterum fugam capessit. 262.d.e. *Fugit rursum.* 272.d.e. 285.d.
Cosrhoes suis redditur infectus. 263.e
Cosrhoes expoliat Ecclesias Christianorum. 265.e
Cosrhoes cogit omnes profiteri hæresim Nestorianam. 265.e
Cosrhoes mouet Bulgaros & Sclauos, & Auares aduersus Rom. Imperium. 266.d.e.267.a
Cosrhoes ægrefert suos effici Christianos. 272.e. *Quæ in S. Anastasium.* 283.a
Cosrhoes dum studet Mardazani filio minori, maiorem contra se prouocat. 285.e
Cosrhoes occiso S. Anastasio miseranda patitur. 285.b.c.d.
Cosrhois interitus miserandus. 266.a.b
Cosrhoitæ milites sub duce Sarablaca in bello Heracliano. 263.d
Cresi Lydorum Regis thesaurus. 262.d.e
Crescicurus Notarius Ecclesiæ Carthaginen. 377.e.378.a
Crispus gener Phocæ Imp. conspirat in necem eius. 211.d. *Præses Cappadociæ factus, insidians Heraclio Imp. punitur.* 211.d.e.
Chrodieldis monialis procacitas. 59.e. *Extra monasterium vitam agit.* 75.a
Crotonensis ciuitas a Longobardis capta. 102.e
Crotonensis Ecclesia vacans. 37.d
Crucis lignum asseruatum in monasterio S. Radegundis. 59.c.d.60.a. *Iniuriam passum.* 60.e.62.e
Crux a Theodora Augusta dicata S. Sergio. 429.c.d
Crux cum limatura catenarum missa in Gallias ad Dinamium. 56.d
Crucis lignum a S. Gregorio Papa ad Reccaredum Regem missum. 134.b
Crux dat oleum. 119.d.e
Crucis signo sanantur infirmi. 99.e
Cruce præuia Augustinus ingreditur in Angliam. 111.e
Cruces in Ecclesia poni solitæ. 127.e
Crux missa a S. Gregorio ad Eulogium Episc. Alexandr. 167.d
Crux pectoralis S. Gregorij Papæ. 181.e
Crucis lignum donatum a Thoma Episc. Constantinop. S. Theodoro. 203.d.e
Cruces magno miraculo inter se collisæ. 203.d.204.a.b
Crux capta Hierosolymis a Cosrhoe Rege Persarum & ducta in Persidem. 232.a
Crux superat Persas dum captiua tenetur. 260.d.e
de Cruce capta a Cosrhoe lamentatio Antiochi monachi. 232.d.233.b.c.234.d.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Crucis festum S. Anastasius Cæsareæ celebrat. 275.a.b
Crucis ligni illæsum redditum Romanis. 287.c.d.e
Crucis Christi summa potentia. 237.d. e. 238. a.b.c
Crux captiua terrorem incutit Persis. 237.e. 238.a.b
Crucis gloriam prædicat Anastasius. 282.d.e
Crux aurea cum ligno Crucis donata a Domitio S. Theodoro. 203.d
Crux omnia vincit cum visa est vinci. 237.d.e. 238.a
Crux delata in Persidem nec minimum læsa. 237.e.b
Crucis Exaltationis dies festus. 292.b
Crucis vis magna in Perside demonstrata. 260.e. 262.a.263.a.
Cruce in Persis capta scandalum passi sunt pusilli. 236. e.237.a.
Crucis triumphus longius ductus. 287.c.d.e
Crucis virtus teneri & vinciri non potest. 238.a.b
Crucis signum frequenter repeti a schismatico reprehenditur, sed defenditur ab Eustasio. 247.a.b.c
Crucis gloria illustrata per S. Anastasium martyrem. 282.e
Crux magno cum honore reportatur Hierosolymam 291. e.292.a.b
Crux reposita in loco Caluariæ. 292.b
Crucis signum in omnibus Heraclij numismatibus. 289. c.d.e
Crux transfertur ab Heraclio Constantinopolim. 308.a.b
Crucis cultus Constantinopoli celebris. 308.b.c
Cruces Hierosolymis a Sarracenis iussæ deponi. 361.a.c
Crucis oratorium Traiecti. 621.c
Crux & calix Ecclesiæ Cantij. 328.e
Crux erecta ab Osuualdo Rege in Anglia miraculis coruscat. 332.d.e
Crux quæ reperta a Sergio Papa. 638.e
Crux in basilica Saluatoris adorari solita. 639.a
Ctesiphon ciuitas Cosrhoi infausta. 285.c
Cuichelmus Rex Occidentalium Saxonum. 275.b.c
Cultus sacrarum imaginum. 130.d.e. 131.a. *Vide* Imago.
Cumanæ ecclesiæ iuncta Misenas. 37.d
Cunipertus regnat cum patre Bertarido. 364.b
Cuniperti Regnum. 602.a.b
Cunipertus Rex Longob. patitur Alachim tyrannum. 602.b
Cunipertus Rex Longob. recipit hospitio Ceaduallam Regem. 592.e
Cunipertus superat Alachim tyrannum 602.c.*Eius obitus & reliquæ res gestæ.* 646.e.647.a
Cursatar locus prope Damascum. 224.e.225.a
Cuthbertus Episcopus in Anglia monet Ecgfridum Regem. 577.e.d
Cutpertus Episcopus Turonensis. 516.d.e
Cutperti Lindisfarnensis Episcopi obitus. 588.e

D

Dado vir illustris apud Regem Dagobertum. 353.e
Dado idem Audoenus Episcopus Rothomagens. 494.e
Dæmones nuncij rerum gestarum longe positarum. 161.b
Dæmoniacus Arianus curatur a Catholicis. 280.a. *Eius obitus & epitaphium.* ibid.c
Dæmones horrent reliquias martyrum. 669.a. 670. 671.
Dæmones balneis insident. 669.c
Dæmones sunt promotores impiorum Principum. 669.d.e
Dæmones coguntur laudare martyres. 670.d
Dæmoniaca sanata Romæ ad aquas Saluias. 668.a. 669. 670.
Dæmoniaci occasione multi Gentiles ad fidem conuersi. 654.a.b
Dæmoniaci certa signa. 668.a.670.a.b
Dagobertus filius Clotharij regis a patre regni consors factus. 278.d.e
Dagobertus Rex a S. Arnulfo educatus. 278.d
Dagobertus solus regnat post patris obitum. 302.c
Dagobertus relictus Pipino Principi in custodiam. 302.e
Dagobertus legationem mittit ad Heraclium Imperatorem. 292.d
Dagobertus sub Pipini cura optimus, ea solutus fit pessimus. 302.e.303.a.b
Dagobertus commotus in S. Arnulfum placatus veniam petit. 304.b.c.d
Dagobertus studiosus S. Eligij Episcopi Nouiomen. 304.e
Dagobertus repudiat coniugem ob sterilitatem, & ducit Nantildem. 305.e.306.a.b
Dagobertus ad meliorem frugem conuersus. 353.b.c
Dagobertus legationem mittit ad Sclauos. 357.c
Dagoberti munificentia in ecclesias. 365.c.d.e.366.a.b
Dagoberti concio ad suos pro Ecclesiis. 365.d.e
Dagoberti testamentum. 366.a.b.c
Dagoberti donatio facta monasterio S. Benedicti. 366.d.e
Dagoberti obitus & sepultura. 383.e
Dagoberti anima cruciata pœnis liberata ob dona collata ecclesiis. 383.e.384.a.b.c
Dagoberti Regis successores. 384.d
Dagobertus iunior Rex ædificat ecclesiam S. Thomæ Traiecti. 621.b. *Eius regnum.* 659.b
Dalmatica vestis peculiaris est Ecclesiæ Romanæ diaconorum. 122.a.179.d.e
Dalmatica tegi uetita corpora Pontificum defunctorum. 91.d.
Dalmatiæ Episcopi reprehensi a S. Gregorio Papa. 55.a
Damascus capta a Persis. 224.e
Damascus capta a Sarracenis. 331.b
Damasceni cultores S. Ioannis Baptistæ. 331.d
Damasceni assertio de liberatione animæ Traiani ab inferis qualis. 185.d.e.186.a
Damasi cœmeterium. 655.d
Damiana soror Mauritij Imp. 202.e.203.b
Damianus Episcopus Ticinensis sanctitate clarus. 525.d.e
Damianus Episcopus Rauennas ordinatus Romæ a Sergio Papa. 639.e
Damnati in infernum non liberati a Christo cum descendit ad inferos. 101.d
Damnati a Sexta Synodo appellant sedem Apostolicam. 558.b.c
Dani ad fidem conuersi per S. Suuibertum & Vuillebrordum. 629.a.b. *Danorum Princeps prædicatores Euangelij bene tractat.* 629.b
Daniæ populi adhuc Pagani. 597.e
Dariæ martyris reliquiæ delatæ Roma in Gallias. 13.c
Dauid Carthophylax occisus iussu Phocæ Imperatoris. 202.a
Decorosus Episcopus Capuanus sanctitate clarus interfuit Romano Concilio sub Agathone Papa. 529.e
Decretum de electione Romani Pontificis. 200.d.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decretum de spirituali cognatione. 245.b.c.d.
Decretum de Metropoli Ecclesiæ Toletanæ. 215.c.
Deda Abbas monasterij Peartan. 291.b
Dedicandi ecclesiæ ius & potestas apud summum Pontificem. 119.c. *Ne fiat inconsulto Rom. Pontifice.* 22.e.
Defensorum Romanæ Ecclesiæ dignitas. 118.a.b.c.d.
Defensores Ecclesiæ ne aliena iura inuadant. 23.b.c.
Definitio de dogmatibus non præcipitanda sed magnopere consideranda. 317.d.e.
Defunctis non detrahendum. 497.d.
Defunctus reuocatus ad vitam. 307.a.b. *Alius per S. Suuibertum idem consecutus.* 626.a.b. *Alius in Anglia.* 626.e.
Defunctus reuocatus ad vitam per S. Suuibertum. 661.a.b.
Deirorum prouinciæ Angli ad fidem conuersi. 290.d.
Deiuirilis operatio in Christo quomodo accipienda. 322.e.
Dagamus Scotus Episc. non communicat cum Catholicis. 193.e.194.a.
Delinquentem in persona & non in bonis puniri vult S. Gregorius. 23.d.e.
Delfinus Episcopus Lugdunensis occiditur iussu Brunichildis. 229.a
Demarchi Prasinæ & Venetæ factionis necantur a Phoca Imp. 201.d.
Demetrius creatus Episc. Neapolitanus. 12.a. *A sancto Gregorio priuatur.* 20.b.
Demosthenes curialis quæstionem habet de S. Martino Papa. 431.d.e.
Desiderius Episcopus interfuit Concilio Rothomag. 567.b.
Desiderius Episc. Viennen. reprehenditur a S. Gregorio quod Grammaticam doceat. 146.b.
Desiderius Episcopus Viennensis tyrannice iussus deponi in Concilio Cabilonensi. 224.c.d
Desiderius Episc. Viennensis exulat & necatur studio Brunichildis. 224.c.d.
Deus & Dei genitrix in castris militant Romanis. 272.e.
Deus fauet rebus Heraclij Imp. 262.a.b.
Deus quando castris præsit & præsto sit. 264.b.
Deus pugnat pro barbaris quando Imp. fauet hæreticis 332.b.
Deusdedit Papa creatur. 228.b.
Deusdedit Papa suscipit Eleutherium Exarchum. 241.c.d.
Deusdedit osculo sanat leprosum. *ibidem* d.e.
Deusdedit Papæ epistola ad Gordianum. 245.b.c.
Deusdedit decretum de cognatione spirituali. 245.b.c.d.
Deusdedit Papæ obitus & res ab eo gestæ. 245.a.b.
Deusdedit Papa adnumeratus inter Sanctos. 245.b.
Deusdedit Dorouernensis Archiep. 442.a.
Dezeridan villa in Persida Cosrhois Regis. 285.c.
Diabolus in specie porci fugatur a loco sancto. 30.a
Diabolus æmulator gloriæ sanctorum. 100.a
Diabolus incendit Arianum percussorem. 280.b.c. *Qui curatur a Catholicis.* 280.d.
Diaconia S. Mariæ in Via lata insignis memoria Pauli Apostoli a Sergio Papa dedicata. 639.e.
Diaconus Gregorij Turonensis accipit & transfert sacras reliquias. 13.b.c.
Diaconi ne cantent cum ministrant. 91.d.
Diaconi sunt oculi Episcoporum: lustrant omnia ut referant Episcopo. 37.c.
Dialogi S. Gregorij quando scripti. 52.e.53.a.
Dialogos vt scribat S. Gregorius secedit a tumultu. 52.e.53.a.
Dialogorũ scribendi occasio vnde orta S. Gregorio. 53.b.c.
Dialogi S. Gregorij e Latino in Græcum translati. 53.e.
Dialogi S. Gregorij a Græcis deprauati. 53.e.54.a.
Dialogus dictus Gregorius Secundus. 185.e.187.c.
Diddo minister Ebroini ad necem S. Leodegarij martyris. 582.b.
Didymothicum ciuitas capta à Barbaris. 64.e.
Dies festa Exaltationis S. Crucis. 292.b.
Dies iudicij proxima semper a Sanctis credita. 148.d.e.
Dij Gentium falsi redarguti ab eorum sacerdote 277.d.e. 278.a.
Dinamius Patricius Massiliensis petit a S. Gregorio priuilegium monasterij. 105.e.106.a.
Dinamius petit scripta S. Gregorij. 110.d.
Dinamius curat gratis res Eccles. Rom. in Gallijs. 56.d.
Dinamius accipit successorem Candidum. 94.c.
Dio Cassius fidelissimus historicus. 182.e.184.d.e.
Diomedis carcer ita dictus Constantinopoli. 430.e.
S. *Dionysij scripta semper cognita nec de eis dubitatum.* 394.b.c.
S. *Dionysij martyris violator Clodoueus dat pœnas.* 480.b
Discartha locus in Persida. 282.e.
Discus aureus donatus S. Gregorio Episc. Antioch. a Cosrhoe Rege Pers. 43.b.c.
Dispensatio quando & cum quibus adhibenda. 411.e. 484.a.b.
Dispensatio in matrimonio quam arcta censura contracta. 172.e.172.a.d.e.173.
Disputare de sacris dogmatibus non esse secularium Principum. 294.a.b.c.295.d.
Disputare de diuinis dogmatibus non esse Imperatorum sed sacerdotum. 426.b.
Disputatio S. Maximi martyris cum Pyrrho Monothelita. 367.c.d.368.a.b.c.
Disputatio de tempore Paschatis in Anglia. 486.b.487. 488.
Diuma presbyter. 441.e.
Doctorum virorum hoc sæculo ingens inopia. 530.e. 531.c.d.537.b.
Dodo interfector S. Lamberti Episcopi a Deo punitus. 632.a.b.
Dogmata magno cum cõsilio & mora tractanda. 317.d.e.
Domentiolus frater Phocæ fugam iniit. 211.b.
Dominicam diem semper præcedebant vigiliæ publicæ. 14.c.d.
Dominicæ diei cultus qualis. 169.a.
Dominica dies feriata omnibus. 122.b.
Dominicalis mappa quæ. 14.d.e.
Dominicalis oratio in Missa. 131.d.e.132.a.
Dominica illustris femina. 57.e.
Dominicus Episcopus Carthag. legationem mittit ad S. Gregorium. 33.e.
Dominicus Episc. Carthag. seuerus in exigendis pœnis insolitis ab Episcopis. 693.b.c.
Dominicus Epis. Carthag. cõtra Donatistas laborat. 69.b.c.d
Dominicus Episc. Carthag. obseruat plurimum S. Gregorium. 117.c.
Dominicum Episc. Carthag. consolatur S. Gregorius de lue ingruente. 135.b.c.
Domitia filia Phocæ Imp. nupta Prisco Patricio. 201.d.
Domitianus Episc. Melitinæ ciuitatis mittitur in Persidem. 41.d.e.
Domitianus Episc. nihil profecit in conuersione Persarum. 45.b.c.
Domitius Patricius crucem auream cum ligno S. Crucis donat

Universidad de Deusto

donat S. Theodoro. 203.d.
Domitius Patricius liberos obtinet precibus S.Theodori. 207.c.d
Domitius Magister militum Phocæ incolumis euadit precibus S.Theodori. 194.e. 195.a
Domnolus Episc. subrogatus Desiderio Episcopo Viennensi. 224. c. d
Dona Cosrhois missa S.Sergio martyri. 42.d.e.43.44
Donatio Alpium Cottiarum facta Romanæ Ecclesiæ.648 a.b. 666. d
Donatus Archidiaconus electus Episcopus Rauennas. 95.d
S. Donati corpus translatum in Corcyram insulam. 136.d 174.c
Donatus Episcopus Africanus vnus ex legatis missis ad S. Gregorium Papam. 33.c
Donatistarum hæresis dilatata. 32.e
Donatistæ inualescunt in Africa. 24.d.e.104.e.105.a
Donatistæ perdunt Africanam Ecclesiam. 69.b.c.627.d
Donatistæ in Numidia potentes. 32.b.c
Donatista Episcopus Primatum Numidiæ affectat.24.d.e
Donatistæ dato præmio præficiuntur Catholicis. 25.b.e. 26.a
Donatistæ legibus Mauritij Imp. perstricti. 105.a.b
Donus Papa, siue Domnio. 517.d.e
Donus Papa creatur. 517.d.e
Donus Papa a Constantino Pogon.Imp. accipit litteras de pace Ecclesiæ. 521.b.c
Donus Papa moritur. 520.e
Donus Papa Nestorianos in Vibe reperit. 520.e
Donus Magister militum in Italia. 361.d.e
Dorotheus Patricius contra S. Martinum Papam testimonium perhibet. 429.b
Dorotheus subdiaconus sequitur Constantinum Papam Constantinopolim. 638.a
Dorouernensis Metropolis in Anglia. 112.e
Dotto Comes non consentit S. Amando. 306.e.307.a
Drizipara ciuitas a Chaiano capta. 136.e
Drogonis Pipini filij obitus. 632.c.674.e
Ducatus Romanæ ciuitatis loco præfecturæ successit. 663.d.e
Duces præficiebantur Romanæ ciuitati loco Præfectorum. 663.d.e
Duces Romanæ ciuitatis inter se pugnant. 663.c.d
Dumnolus ædificator Basilicæ S. Vincentij Cenomannis. 438.d

E

Eadualdus Rex in Anglia. 328.e. Scribit ad Bonifacium Papam Quintum. 250.e
Eadualdi Regis in Ang. obitus. 357.d
Eadualdus Rex successor Edilberthi. 227.c. Eius impietas & turpitudo.c.d. Diuina vltio in eum. d
Eadfridus filius Eduini Regis baptizatus a S. Paulino. 290.b
Ealredus Abbas scriptor historiarum. 214.c
Eanfled Regis Eduini filia baptizata a S.Paulino. 275.d
Eappa sanctus Episcopus in Anglia. 562.d
Eanfreda filia Eduini Regis. 328.e
Eanfridus Rex Berniciorum occisus a Carduella. 329.b.c.d
Earcombertus Rex Cantuariæ defunctus. 489.e
Eartongatha filia Regis Anglorum sanctitate celebris. 357.d
Eboracensis Ecclesia primaria. 150.d.e
Ebregisilus Episc. Agrippinensis. 60.e
Ebroinus cogendum curat Cœlium tyrannicum. 580.c.d
Ebroini summa tyrannis. 581.e. Quid in S. Leodegarium. 582.c
Ebroinus nequissimus ex milite factus monachus. 501.e Idem ex monacho factus miles. 506.b
Ebroini interitus. 588.d.e. De eius damnatione visio. e. De eo prædictio S. Leodegarij. 581.b
Eububezer successor Mahometis. 297.e
Ecclesia Africana collapsa. 25.b. Vide Africana.
Ecclesiæ Anglicanæ primitiuæ vita redditur. 112.c.d
Ecclesia S. Agathæ dedicatio. 29.e.30.a
Ecclesia Aruernensis a tributo liberata. 14.a
Ecclesiæ consecratio in Anglia diuinitus facta. 214.d.e
Ecclesiæ dedicandi facultas apud Rom.Pont. 22.e.119.c
Ecclesiæ bona quomodo distribuenda. 139.b.c. Quatuor partes ex eis faciendæ. 97.e
Ecclesiæ pecuniam accipere nõ esse nisi tyrannorum Principum. 480.c.d
Ecclesiæ bona qualiter custodienda. 56.b.c
Ecclesia an & quando conseruauit pecuniam. 345.d
Ecclesia Catholica quæ sit dicenda. 426.e
Ecclesia Catholica semper eadem perseueranit. 636.a
Ecclesiæ Hierosolymitanæ restauratæ. 244.d.e
Ecclesiarum Hispanarum facta diuisio. 544.c.d.e
Ecclesiæ Hispanæ status sub Vuamba Rege. 514.b.c
Ecclesiæ Italiæ vastatæ a Longobardis. 11.c
Ecclesiæ Occidentalis status miserandus. 537.b
Ecclesiæ Orientalis bonorum sterilitas. 121.b.
Ecclesiæ Orientis fædissima facies. 359.d.e.560.a
Ecclesia Romana libera & domina. 3.a.b.c
Ecclesia Romana ingentem passa cladem sub Isacio Exarcho. 345.d.e. 346.a.b
Ecclesiæ Romanæ erga pauperes munificentia. 371.b.c. 431.e
Ecclesia Romana reconciliat hæreticos pœnitentes 456.b.c. Ipsa semper eadem & numquam immutata.636.a
Ecclesia Romana numquam probauit canones Sextæ Synodi. 611.d.e.612.c.d
Ecclesiæ Romanæ præconia. 532.e
Ecclesiæ Romanæ Primatus prædicatus a S.Heimerammo martyr. 645.a
Ecclesia Syriæ a S.Martino Papa subleuata. 410.b
Ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum. 266.a
Ecclesia Dei super petram ædificata. 426.e.427.a
Ecclesiarum ornatus Deo gratus. 384.a.b
Ecclesiæ habebant loca separata virorum & mulierum. 639.a
Ecclesiarum architectura accepta a Romana Ecclesia. 647.d
Ecclesia aliena non possideat. 23.a.b
Ecclesiarum priuilegia dantur & auferuntur arbitrio Romani Pontificis. 562.a.b
Ecclesiæ censura non admittit supplicium fustium. 49.a.b.c
Ecclesiæ pecunia reddenda in mare mersa. 288.e
Ecclesiæ vasa in alimoniam pauperum distracta. 242.b.c
Ecclesiæ persecutor dicitur qui eius iura perturbat. 3.c
Ecclesia Vniuersalis quæ & cur dicta. 85.b.c
Ecclesiasticæ immunitatis violatores nostri temporis arguuntur. 281.b.c
Ecclesiasticum regimen non niti prudentia carnis. 241.a
Ecclesiasticæ causæ non discutiendæ a Regibus. 281.b.c
Ecclesiastica immunitas a Phoca Imp. violata. 199.b
Ecclesiastica bona suo damno Principes inuadunt. 643.d.e
Ecclesia non abstinuit a scriptis Gentilium vel hæreticorum si quando in illis aliqua reperta est veritas.613.d

Egfridus

Ecgfridus magno suo damno affligit Hybernos. 577.c.d
Ecgfridus Rex inimicus Edilrhedi Regis. 527. c
Ecgfridus Rex Angl. curat cogi Concilium Anglicanũ. 507. d. e
Ecgbertus sanctus cupidus conuersionis Germanorum. 597.d.e. Diuinitus reuocatur ab instituto. 598.a
Ecgbertus Rex Cantuariorum mittit legationem ad Vitalianum Papam. 489. e
Ecgbertus diuinitus seruatus a morte. 490. a
Ecthesis Heraclij Imp. 349.e.350.a
Ecthesis Heraclij promulgata. 347.d.e
Ecthesis Heraclij a Seuerino Papa reiecta. 348.a.b
Edeluuad filius Regis Osuualdi. 450.b
Eddi idemque dictus Stephanus magister cantus in Anglia. 505.a
Edelburga Regina cum Paulino Epis. missa ad Eduinum. 268. e
Edelburga Regina nupta Eduino Regi. 268. d
Edelburga Regina accipit litteras a Bonifacio Papa Quinto. 270. c.d.e
Edelburga Regina dona accipit a Bonifacio Papa Quinto. 270. c
Edelburga Regina recedit cum Paulino Episc. 328.d.e
Edelfridus Rex victus ab Eduino. 277.a.b
Edessa ciuitas capta a Persis. 212.c
Edilburga virgo soror Erconuualdi Episc. 518. d.e
Edilredus Rex relinquens regnum fit monachus. 648.e
Peregrinatur ad limina Apostolorum. 649.e. 650.a.
Recipit S. Vuilfridum absolutum Romæ. 653.b
Edictum Antharit de baptizandis ab Arianis. 12.b.c
Edictum Mauritij aduersus Schismaticos. 12.a
Edilberthus Rex Angliæ quomodo excepit S. Augustinum. 111.c.d.e
Edilberthi Regis Anglorum obitus. 227.b
Edilberthi Regis leges proficuæ. 227.c
Ediltridis filia Eduini baptizata a S. Paulino. 290.b
Edilfridus persequitur Eduinum. 276.a
Edilbere frater Annæ Regis Oriental. Angl. 450.b
Edilredus Rex Merciorum persecutor. 518.c.519.e
Eduinus Rex ducit vxorem Edelburgam. 268.d
Eduinus Rex accipit litteras cum muneribus a Bonifacio Papa. 269. b.c.d. e. 270. a.b.c
Eduinus Rex natam sibi filiam Christo vouit. 275. c.d
Eduinus Rex magno liberatus periculo Christianus efficitur. 275.e. 276. a.b.c
Eduinus Rex vincit aduersarios. 275. d.e
Eduinus Rex vulneratus a sicario. 275.e
Eduino Regi visio facta diuinitus de sua liberatione. 276. d. e
Eduinus Rex consulit Gentiles sacerdotes. 277.c.d
Eduinus Rex quæsitus ad necem ab Edelfrido Rege. 276. a.b
Eduinus Rex vincit Edelfridum Regem. 277.a.b
Eduinus Rex instruitur a S. Paulino in fide Christiana. 275. b. c
Eduinus Rex a S. Paulino secretum audit. 277. b.c
Eduinus Rex Christianus efficitur. 290.a.b
Eduinus Rex donat sedem Episcopalem S. Paulino. 290. a. b
Eduinus Rex legatos Romam mittit ad Honorium Papam. 326. d. e
Eduinus Rex occiditur. 328. b. c.d. Eius caput allatum Eboracum. 328.d
Eduini Regis successores. 329.b
Eduini Regis filij baptizati a S. Paulino. 290. b. c
Educatio filiorum Regum qualis esse debeat. 109.c
Educatores filiorum Mauritij Imp. monet S. Gregorius. 109. b
Egicanis Regis successio. 589. a
Egicanes Rex iuramentum præstat Eruigio. 589.b.c 591. b. c
Egicanes Rex defenditur a caluvnia. 591. e
Egicanes Rex consobrinus Bambæ Regis. 589. a
Egicanis Regis virtutes. 591. e
Egicanes Rex humi stratus veneratur sacerdotes. 589.e. 590. a
Egicanes Rex patitur insidias a Sisberto Archiepiscopo Toletano. 616. c. d. Cogit Concilium generale aduersus Iudæos rebellantes. 619.d.e. Eius obitus. 640.d
Egidius Rhemensis Episcopus. 74.e
Eguuinus monachus cultor sacrarum imaginum. 674.a
Elbuinus Rex Angl. occisus. 527.c.d
Eldiburga Abbatissa sanctitate clara. 509. a
Electio Romani Pontificis per Bonifacium Papam reformata. 200.d
Electio Romani Cleri facit Pontificem non confirmatio Imperatoris. 2. c
Electio Rom. Pontificis non ante triduum post mortẽ Pontificis tractanda. 200. d.e
Electus in Pontificem Rom. ante confirmationem habet administrationem. 4. b
Elephantis quatuor vectus Heraclius in triumphum. 288. b. c
Elephantiæ morbus infestat Italiam. 241.d
Eleemosyna hostibus Ecclesiæ quando facienda. 31. c
Eleutherius curat S. Gregorium a morbo. 191.a
Eleutherius Exarcus suscipitur a Deusdedit Papa. 241. d
Missus in Italiam post Ioannem. 241.b
Eleutherius Exarchus tyrannidem parat. 241. b
Eleutherius Exarchus occidit Ioannem Compsinum. 241. c. d
Eleutherius Exarchus tyrannus occisus. 245. e
Eleusius qui & Georgius discipulus S. Theodori. 14. e
Eleusius scriptor vitæ S. Theodori. 225. d. e
Elias Abbas magni nominis. 83.d. 86.a
Elias Abbas in Isauria accipit a S. Gregorio munera. 97. d. e
Elias Episcopus Aquileiensis successor Probini. 196.d
Elias Episc. Sedem Aquileia Grados transfert. 156. b.c
Eliæ prophetæ altare cur erigi vetitum. 55. e
Elias presbyter Hierosolymitanus. 259. e
Elias Spatharius rebellat contra Iustinianum Imp. 662. a.b. Occidit eum. d
Eligius vir illustris in Palatio Dagoberti Regis. 353. e
Eligius Episc. Noviomensis charus Dagoberto Regi. 304. e
Eligius Episc. reliquias S. Bauonis elevat. 305. b
Eligius Episc. cum Audoeno eligitur legatus ad S. Martinum Papam. 390. e
Eligij Episc. visio de Franc. Regibus. 491. a.b
Eligius Episc. insequitur & damnat hæreticum. 423. e 424. a
Eligij Episc. obitus. 494. d.e. Miracula. 495.a.496
Eloquius vir sanctitate clarus. 447. b
Enchonius Episc. Maurienensis invenit corpus S. Victoris mart. 208. d
Ephesina pseudosynodus loco germanæ accepta a Ioanne Episc. Const. 90. e 91. a. b
Ephesina legitima Synodus ignorata a Ioanne Episc. Constantinop. 90. e. 91. a. b
Epiphania mater Heraclij Imp. 211. b
Epiphania filia Heraclij Augusta dicta. 219. c
Epiphanius Gradensis Patriarcha. 195. e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epiphanius Patricius quid in S. Maximum. 459. d. e. 460. a. b. c. d
Episcopatus dimissionem quærit S. Amandus a S. Martino, sed non accipit. 403. c. d
Episcopatum nolentem suscipere non coegit S. Gregorius. 97. b
Episcopatuum diuisio facta in Hispania. 515. b. c
Episcopus electus homo simplex reiicitur a S. Gregorio. 139. a
Episcopus electus habens filiam paruulam reiicitur a S. Gregorio. 139. a
Episcopus qualis eligendus. 51. c
Episcopi Cisalpini fauent Arioualdo Regi Ariano. 279. a. b
Episcopi Dalmatiæ reprehensi a S. Gregorio. 55. a
Episcopi curiales reprehensi. 138. c
Episcopi Hispaniarum in exilium trusi per S. Gregorium reuocati. 169. c
Episcopi Hispani Romano tantum Pontifici subesse voluerunt. 562. a. b
Episcopi Hispani Regem maxime deligant. 440. b. c
Episcopi Narbonensis Concilij. 121. c
Episcoporum Numidiæ Concilium a S. Gregorio improbatum. 50. a
Episcopi Lateranensis Concilij sub Martino. 391. a
Episcopi Orientales a Sarracenis fugati. 601. a. b
Episcopi Orientis exploratores. 18. d. e
Episcopi Orientales dant pœnas de admissis aduersus Romanam Ecclesiam. 663. a. *Iidem in prælio cerui, in pace leones.* b. c. *Dant manus omnes Monothelitis.* 665. a. b. 666. a. b
Episcopi Palæstini iuncti Monothelitis. 340. a
Episcopi Rothomagensis Concilij. 567. b. c
Episcopus quomodo esse debeat bonis socius, malis aduersarius. 20. a
Episcopi quibus sint imbuti moribus inquirit S. Gregorius. 37. b. c
Episcopi vltimo loco post Laicos adorant Crucem Constantinopoli. 308. b. c
Episcopis felicius cedit ira quam gratia Principum. 302. b
Episcopi pestis tempore quid agere debeant. 135. b. c
Episcopi ægrotantes non priuandi redditibus sed iuuandi. 168. b
Episcopi agant mutuam commemorationem in Missis. 68. a. b
Episcopi incedant pluribus stipati. 169. b
Episcopi contemplationis studium non remittant. 175. b
Episcopi quibus se pares, quibus vt superiores se agnoscãt. 114. d. 115. a. b
Episcopi assurgere debent pro defensione pauperum. 138. d
Episcopi non litigent cum Præfectis. 138. e
Episcopos seueros non patiuntur libenter Principes. 4. a
Episcopi quomodo se gerant cum Magistratibus. 104. c. d. e
Episcopi duo in ciuitatibus Longobardorum erant, vnus Catholicus, Arianus alter. 347. b
Episcopi animi robur præseferant cum pro iustitia certant cum Principibus. 302. a. b
Episcopi ministros laicos non habeant. 252. c. 253. a
Episcopi non debẽt occurrere Principibus sæculi. 301. d. e
Episcopi causam per Rom. Pontificem iudicari mandat Mauritius Imp. 125. d
Episcopi fornicatores ab altari repulsi. 439. e
Episcopi non immisceant se monasteriis. 143. e. 144. a. b
Episcopi præcipui ministri Sacramenti Chrismatis. 71. e. 77. a
Episcopi ciuitatibus non dentur ab Imperatoribus. 269. c. 544. d. e
Episcopo algorem patienti subuenit S. Gregorius. 157. c
Episcopi Catholici pressuram passi ab Arianis Longobardis. 347. b. c
Episcopis sede priuatis alimenta præstanda. 55. a
Episcopi inuentur, non pressuram patiantur a ministris Rom. Pontificis. 118. e
Episcopum neminem eligere voluit S. Gregorius. 51. b. c
Episcopi quomodo æquales & quomodo subditi dicti sint Romano Pontifici. 115. d
in Episcopos culpa redundat ex delictis suorum affinium. 54. e
Episcopi sancti qui interfuerunt Concilio Rom. sub Agathone. 529. b. c. d
Episcopis tutius subijciuntur monachi. 517. b. c
Episcopis defunctis non detrahendum. 497. e
Episcopium Lateranense a militibus inuasum & depræda-tum. 345. d. e
Epistola Africanorum Episcoporum ad Theodorum Papam. 374. c. d
Epistola Agrestini schismatici. 246. c. d
Epistola Antiochi monachi ad Eustathium. 235. c. d. 336. a
Epistola Benedicti Papæ ad Episcopos Hispaniæ. 576. a. b
Epistola Byzaceni Concilij ad Constantem Imp. 375. d
Epistola Byzaceni Concilij ad Paulum Episc. Const. 375. e
Epistola Bonifacij Papæ Quinti ad Eduinum Reg. Anglorum. 269. b
Epistola Bonifacij Papæ Quinti ad Edelburgam Reginam. 270. c. d
Epistola Bonifacij Papæ Quinti ad Iustum Episc. in Anglia. 250. c. d
Epistola Cleri Romani ad Scotos. 349. a
Epistola Cyri Episc. Alexandrini ad Sergium Episc. Constantinop. 294. e. 295. a. *Alia ad eundem.* 309. a. b
Epistola Constantini Pogon. Imp. ad Donum Papam. 521. b. c
Epistola Constantini Pogon. Imp. ad Georgium Constantinop. Episc. 530. a
Epistola Constantini Pogon. Imp. ad eundem Georg. 539. b
Epistola Constantini Pogon. Imp. ad Romanum Concilium. 558. a. b.
Epistola Constantini Pogon. ad Leonem Papam Secundum. 569. b. c. 570
Epistola Deusdedit Papæ ad Gordianum. 245. b. c
Epistola S. Gregorij ad Aldibergam Reginam Angliæ. 140. a. b. c
Epistola S. Gregorij ad Aldibertbum Regem Angliæ. 148. a. b. c
Epistola S. Gregorij Papæ ad Agilulphum Regem de pace. 124. d. e
Epistola S. Gregorij ad Augustinum de perseuerantia. 103. e. 104. a
Epistola S. Gregorij ad Augustinum in Anglia prædicantem. 147. d. e
Epistola S. Gregorij ad Barbaricinorum Ducem. 70. d
Epistola S. Gregorij ad Cyriacum Episc. Constantinopol. 165. c
Epistola S. Gregorij ad Constantinã Augustã. 88. e. 89. a
Epistola S. Gregorij ad Leontiam Augustam. 164. d. e. 165. a
Epistola S. Gregorij ad Phocam Imp. 163. c. d. *Alia ad eundem.* 164. b. c
Epistola S. Gregorij ad Columbũ Numidiæ Epi. 32. d. 33. a
Epistola S. Gregorij ad Orientales. 16. b

Epistola

Epistolæ S. Gregorij ad Priscum Ducem exercitus. 65.a.b
Epistola S. Gregorij ad Theoctistam. 9.e. 10. a.b.c
Epistolæ S. Gregorij graues. 15. d
Epistolarum S. Gregorij quæ ab ipso dictatæ, quæ vero ab eius Consiliario. 96.c.d
Epistolæ S. Gregorij nonnullæ loco non suo positæ. 172.c.d
Epistolæ S. Gregorij ad diuersos datæ de suo Pontificatu. 9.e.10.a.b
Epistola Honorij Papæ ad Sergium. 316.d.e.317.a.318
Epistola Honorij alia ad Sergium. 321.e.322.a.b. Quæ obijciantur. 322.d. e
Epistolæ Honorij Papæ ad Sergium cur a Monothelitis sæpe citatæ. 324.d.e
Epistolæ Honorij Papæ ad Eduinum Regem Anglorum. 326.e.327. a.b
Epistola Honorij Papæ ad Honorium Episc. Doruernensem. 327.b
Epistola Honorij Papæ aduersus Cisalpinos Episcopos. 279. b. c
Epistola Honorij Papæ ad Episcopos Venetiæ & Istriæ. 299. d. e
Epistola Ioannis Patriarchæ Aquileiensis. 196.e.197.a
Epistola Ioannis Eleemosynarij ad Nicetam. 254. e. 255. a
Epistolæ Laurentij Episc. ad Scotos Schismaticos. 193. e. 194. a
Epistola Leonis Papæ Magni ab Eulogio defensa. 208. b. c
Epistola Leonis Secundi ad Constantin. Pogon. Imp. ficta probatur. 571. c. d
Epistola Leonis Secundi nomine ad Hispanos refellitur. 572. d. e
Epistola Leonis Secundi nomine ad Quiricum ficta conuincitur. 573. d. e
Epistola Leonis Secundi nomine ad Simplicium Comitem non probatur esse germana. 573.b.c
Epistolæ Leonis Secundi haud certæ fidei. 568.e. 569. 570.571.572
Epistola S. Martini Papæ & Romani Concilij. 398.b. 399.400. 401. 402
Epistola S. Martini Papæ ad S. Amandum Episcopum. 403. c. d
Epistola S. Martini Papæ ad Constantem Imp. 406.e. 407. 408
Epistola S. Martini Papæ ad Paulum Episc. Thessalonicæ 413.d.e.414
Epistola S. Martini Papæ ad Theodorum. 419.c.420.a
Epistola vnius ex comitibus S. Martini de rebus gestis in via cum Constantinopolim duceretur. 422.e.423.a
Epistola S. Martini Papæ ad Thessalonicenses de condemnatione Pauli eorum Episcopi. 415. d. e
Epistola S. Martini Papæ ad Ioannem Epis. Philadelphiæ. 409.e
Epistola S. Martini ad Theodorum Episc. 412. c.d
Epistola S. Martini Papæ scripta ab eo in carcere de rebus suis. 428. c.d
Epistola S. Martini Papæ de suo exilio prior. 435. c.d.e
Epistola S. Martini Papæ posterior de suo exilio. 436.a.b.c
Epistola Pauli Episcopi Constantinop. ad Theodorum Papam. 380.c.d
Epistola Pauli tyranni ad Amatorem Episc. 513. b.c
Epistola Romani Pontificis deprauata a Paulo Episcopo Thessalonic. 414.c
Epistola Sergij Episc. Constantinop. ad Honorium Papam. 313 b.c
Epistola Siculorũ monachorũ nomine scripta. 503.e.504.a
Epistola Synodalis ex Concilio Cyprio ad Theodorum. Papam. 363.b.c.d
Epistola Synodalis S. Gregorij Papæ ad Crietis Episc. 16.b
Epistola Synodalis Sextæ Synodi ad Agathonem Papam missa. 558.e.559.a.560
Epistola Synodalis Concilij Pictauien. ad Episc. 58.d.e.59
Epistola Synodalis Concilij Pictauiensis ad Reges Francorum data. 61. a
Epistola Synodalis ex Romano Concilio sub Agathone ad Constantinum Pogon. Imp. 536.e.537.a
Epistola Synodalis ex Concilio Romano sub Martino Papa. 403.a.404.d.e
Epistola Theoctistæ ad S. Gregorium Papam. 144.d
Epistola Victoris Episc. Carthagin. ad Theodorum Papam. 378. a
Epistola Vitaliani Papæ ad Osuui Regem Angl. 493.d 494
Epistola Vitaliani ad Panlum Archiep. Cretens. 498.d.e
Epitaphium Ariani hominis. 280.d
Epitaphium Ceaduallæ Regis Angl. 592.e.593.a
Epitaphium S. Augustini Episcopi Doruernen. 193. a
Epitaphium S. Eugenij Episc. Toletan. 474. a.b
Epitaphium SS. Kiliani & sociorum martyrũ. 596.e.597
Epitaphium Mauritij Imp. coniugis & filiorum. 202.c.d
Epitaphium Reciuergæ Reginæ Hispan. 418. a.b
Epitaphium S. Theodori Episc. Doruernen. 600. c
Epitaphium S. Vincentij martyris. 300.c.d.e
Epitaphium ad sepulchrum S. Wulfridi Episc. Eboracẽsis. 658.c.d.e
Epitaphium ad sepulchrum S. Felicis Episc. Rauennatis. 664.a
Equus strigosus missus ad S. Gregorium ex Sicilia. 57. a
S. Erasmi mart. corpus vbi erat & quo translatum. 11. c
S. Erasmi monasterium in monte Cœlio ædificatum. 517. c
Erconualdus Episcopus Londini sanctitate clarus. 518. d.e
Erinus actusator S. Martini Papæ. 429. b
Ermensridus occisor Ebroini. 588. d. e
Ermentrannus Archidiac. Rothomagensis. 567. b
Erpulion filius Vuitizæ Regis ejicitur a Ruderico. 671. e
Erratica Synodus quæ dicta. 602.e.603.604
Errores Armenorum. 578.d
Error communis in Era correctus. 27.d.e.28.a.b
Eruigius Rex succedit Vuambæ. 543.d e
Eruigius Rex interfuit Concilio Tolet. decimo. 573.d.e
Eragius Rex generum obligat iuramento. 589. b.561.b
Eruigij Regis obitus. 589. a
Ethelbertus Rex Cantiæ patruus Seberti Regis. 214.d
Etton Hibernus prædicator sanctitate clarus. 447.b
Euagrii historiæ ratio. 75.d.e
Euagrij historici Præfectura. ibid. Post Euagrium quis scripserit. 75. e. 76.a
Euangelij inspectione Heraclius occulta nosscere consuenit. 263.a. b
Euantius Toletanæ Ecclesiæ Archidiaconus. 475.e
Eububezer successor Mahometis. 707.e
Eucharistiam ad collum suspensam ferre solitus S. Birinus. 338.c.d
Eucharistiam in Dominicali sumere vetus vsus. 14. d
Eucharistiã sumit Theodosius mox capite truncãdus. 166.a
Eucharistiam manu sumere in vsu fuit. 14.d
Eucharistiam sumendi vetus ritus ex Anastasio Synaita. 127.d.e.128
Eucharistia negata impiis Regibus. 227.d
Eucharistia in mari consecta. 636.e.637.a
Eucherius Episcopus in Gallia fauet Ariperto Regi Longob. 648.a
Eudocia Augusta vxor Heraclij. 211.b. Moritur. 217.e

Eudo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eudoxius superstue damnatus a Cyriaco. 107.b
Eufridius diaconus quid ausus in S. Eugenium Episc. Toletan. 474.c. *Pœnas dedit.* ibid.
S. Eugeniæ martyris ecclesia restituta a Ioanne Papa Septimo. 635.d
Eugenij Papæ electio non legitima. 437.c d
Eugenius Papa prohibitus dicere Missas nisi ante promitteret non recipere epistolam hæretici hominis. 439.d
Eugenij Papæ legitimus Pontificatus quando cepit. 446.a
Eugenij Papæ tempore Concilium Mantuanum. 196.a.b
Eugenius Papa moritur. 447.d
Eugenius Toletanus Episc. successor Iusti. 341.c.342.c. 343.a
Eugenius Tolet. Episc. quæ passus ab Eufridio diacono. 474.c
Eugenius Episc. Toletanus præest nono Concilio Toletano. 450.c
Eugenius Episc. Toletanus moritur 473.d. *Eius mores & lucubrationes.c. Sepulchri epitaphium.* 474.a.b
Eulalius Comes vinctos custodit. 13.c
Eulogius Episc. Alexan. mittit munuscula ad S. Gregorium. 108.d.e
Eulogius Episc. Alexan. defensor epistolæ S. Leonis. 208.b
Eulogius Episc. Alexan. laborat aduersus hæreticos. 108.e *Eos conuertit.* 114.b
Eulogius Episc. Alexan. agit de prærogatiua sedium Patriarchalium. 108.b
Eulogius Episc. Alexan. mittit librum suum probandum a S. Gregorio. 137.c
Eulogius Episc. Alexan. monetur de causa Ioannis Episc. Constantinop. 89.a
Eulogij Episc. Alexan. obitus et eius scripta. 207.c.280.a *Inter sanctos receptus.* 208.c
Eulogius martyr quæ de Mahomete habet. 298.a
Eumerus sicarius quid in Eduinum Regem. 275.b.c
S. *Euphemiæ martyris ecclesia Romæ a Sergio Papa tecta.* 639.c
S. *Euphemiæ martyris templum Cæsareæ.* 273.c
S. *Euphemiæ martyris corpus manat vnguentum mixtum sanguine.* 66.d.e
Euphemius Episc. Toletanus interfuit Concilio tertio Toletano. 215.d
S. *Eupli martyris oratorium via Hostiensi.* 390.b
Europa barbarica clade afflictata. 88.c
Eusebiam claram feminam consolatur sanctus Gregorius. 167.b.c
Eusebium Abbatem monet S. Gregorius. 37.d.e
Eusebij Pamphili Liber de martyribus non inuentus. 115.e
Eusebius Episc. Thessalonicensis. 48.b.117.c.d
Eustasius discipulus S. Columbani & scriptor rerum ab eo gestarum. 222.e
Eustasius a S. Columbano iubetur redire Luxouiū. 226.e
Eustasius factus Abbas Luxouiensis mittitur a Clotbario Rege ad S. Columbanum. 230.e. 232.a. 243.b
Eustasius Abbas Luxouiens. vexatur ab Agrestino schismatico. 246.a.b
Eustasius Abbas defendit regulas S. Columbani. 247.a.b
Eustasius Abbas Luxouien. citat Agrestinum schismaticum ad diuinum iudicium. 247.e
Eustasius Abbas Luxouien. fugat impium Agrestinum. 246.d.e. 247
Eustathius Abbas in Palæstina fecit vt Antiochus monachus suas scriberet homilias. 235.b
Eustolia Mauritij filia sancta. 202.e
Eutychius Episc. Hierosolymorum creatus fidei professionem ad S. Gregorium mittit. 145.d
Eutychiani auctores hæresis Monothelitarum. 293.a.b
Eutychiani hæretici conuersio. 253.b.c
Euualdi duo fratres in Germaniam missi cum alijs decem ad prædicandum. 599.d. *Iidem passi martyrium in Saxonia.* 617.e.618.a. *Eorundem corporum inuentio & translatio.* 618.d *Sepulta Coloniæ.* 618.d.630.b
Euulus Comes de Roceio recuperare cepit Hispanias a Sarracenorum manibus. 642.c
Exactiones Imperialis fisci durissimæ. 80.a.b.c
Exarchi infideles. 81.e
Exarchus Italiæ fauet Ecclesiæ Gradensi. 196.a.b
Exarchi Rauēnates impugnare soliti Ecclesiam Aquileiensem. 300.a.b
Exarchorum vires quando diminutæ. 640.c
Excommunicatio non festina esse debet. 174.e
Excommunicatione punitur maledicens Regi. 340.c
Excommunicationem non tollit necessitas. 145.b
Excommunicatis non communicandum. 449.d
Excommunicatio in eum qui libellum famosum affixit. 101.e. 102.a
Excommunicationem contemnentes ab Ecclesia eiiciendi. 145.b
Excommunicato communicans Rex punitur a Deo. 449.d
Excommunicationem contemnentes Christiani non sunt habendi. 145.b
Excubiæ S. Martini Papæ in ecclesia. 421.e.422.a
Exemptio monachorum ab obedientia Episcoporum haud satis probata. 517.c
Exercitus ab Imperatore deficiens per Aristobolum reconciliatur. 30.e
Exercitus Heraclij Imp. in discrimen adductus dum parere recusat. 263.d.e
Exercitus Romanus quando soleret vincere & quando vinci. 264.e
Exercitus Romanus reficitur adueniente pluuia. 262.b
Exercitus Romanus in tres partes diuisus. 267.a.b
Exilium primum S. Columbani & secundum. 221.d. 222.c
Exilium S. Martini Papæ. 419.a.b
Exilium S. Maximi Abbatis. 470.d.e
Exomologesis Antiochi monachi de capta Hierosolyma. 232.e.233
Exorcismus relatus in Acta publica. 668.a.b.669.670. 671.672
Expeditio militaris prima Heraclij Imp. in Persas. 257.a.b
Expeditio secunda Heraclij in Persas. 261.b.c
Expositio fidei perperam facta ab Heraclio Imp. 349.c. 350.a

F

Fabula de mersis infantibus in piscinam inanis ostenditur. 21.a b.c
Fames ingens in Anglia. 562.b
Fames valida vexat Italiam. 195.d.e
Fames infestat Vrbem. 2.c.8.b.c
Fara Abbatissa mater sanctissimarum virginum. 357.e
Fara Abbatissa soror S. Faronis Episc. 231.d. *Fratri suasit abdicare se a sæculo.* ibid.
Fara Abbatissa educat Anglicanas virgines. 231.d
Fara eadem Burgundofara. 231.e
Faro Episcopus Meldensis sanctus. 231.b
Faro hospes Hadriani Abbas missus in Angliam a Vitaliano Pap. 231.d.e
Faroaldus Dux Spoleti. 155.b
Farulfus Clotharij Regis minister. 301.d.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vaila Dux Cantabriæ occisus a Vuitiza Rege. 641.c.d.
Eius filius Pelagius fuga saluus. ibid.
Faustinus Defensor Ecclesiæ missus a S.Gregorio ad conuertendos Iudæos. 117.d
Faustus monachus scriptor vitæ S.Mauri Abb.quam obtulit Bonifacio Papæ. 261.a
Federicus Metius transtulit in Latinum epistolam Antiochi. 235.b.c
Felix Episcopus Sirmij redargutus. 72.c
Felix Episcopus Hispalensis translatus in Ecclesiam Toletanam loco Sisberti depositi. 616.c.617.a
Felix Episcopus Spoletinus sanctitate clarus. 529.c
S. Felicis martyris corona a tyranno sublata. 512.b.c
Felix Papa restitit Acatio Constantinopolitano Episc. 84.d
Felix Episc.Orientales Anglos baptizat. 291.a
Felix missus a S. Gregorio ad conuertendos populos. 70.b.c
Felix Episcopus Messanensis agit de gradibus in matrimonio contrahendo vetitis. 172.c. 173.a
Felix Episcopus Rauennæ consecratur Romæ a Constantino Papa.656.b. Eius cautio supra corpus S.Petri posita reperta est tetra in signum duplicis animi. ibid.c.d. Recedens a promissione a Deo punitus luminibus pri- ibid.d. Reuocatus ab exilio claruit sanctitate. 663.c. Eius obitus & epitaphium. 664.a
Felix Episcopus Sipontinus redarguitur ob peccatum nepotis. 54.c
Felix Episcopus Gallicanus.58.c.59.a. Interfuit Concilio Pictauiensi,alter Felix Beliocensis Episc. Ibid.
Felicissimus diaconus Lamigensis Eccl.in Africa. 25.c
Feliculæ martyris reliquiæ. 95.b.c.Eius epitaphium.ibid.
Feriam quintam obseruantes puniuntur. 123.c
Ferrariæ Episcopatus quando erectus. 503.a
Ferrobanes Dux Hormisdæ Persarum Regis. 41.a
Ferrocinctus Archidiaconus. 567.b
Festus Episcopus Capuanus. 72.c
Ficus nauale apud Constantinopolim. 627.c
Fide Catholica Imperium bene disponitur.409.b.293.c.d
Fide Catholica læsa Imperium corruit. 409.b
Fidei Catholicæ professio aperte facienda. 460.a
Fidei professio S.Gregorij. 16.d.e
Fidei expositio perperam ab Heraclio facta.349.c.350.a
Fidei professio reuertentis ad Ecclesiæ vnitatem. 155.d
Fides in Anglia propagata per S.Furseum. 365.b.c.Item per S. Laurentium. 193.c
Fidei esse, Vniuersitatis titulum assertionem. 86.c
Filacteria mittit S. Gregorius ad Adulouualdum infantem filium Theodolindæ. 172.a
Filacteria quæ reperta cum corpore S.Gregorij. 181.b
Filij Mauritij Imp.ante patris oculos necati. 160.c
Finanus Episcop. baptizat Anglos Mediterraneos. 441.d.e.Idem defensor ritus Paschatis Scotorum.486.b.c.d 488.489
Fiscus Ecclesiæ nullum sentiat ex delicto commodum. 23.c.d
Flandria accipit Euangelium. 626.d
Flora Abbatissa domum suam recipit opera S. Gregorij. 55.e
Florentius Anconitanus Episcopus electus non admittitur ob auaritiam. 172.c
Florentij Ep.dauritanæ Ecclesiæ Episc.causam iterum cognosci S. Gregorius voluit. 36.d
Fœdus cum Longobardis initum ad breue tempus. 116.a
Feminæ duæ in carcere S. Martino posito opem ferunt Papæ. 431.a.b
Feminæ seorsum a viris in ecclesia. 639.a
Follianus venit Romam vt a S. Martino Papa prædicationis munus acciperet. 418.c.419.a
Folliani & sociorum martyrium. 447.a
Folchardus scriptor rerum S. Bertini Abb. 632.c
Foroiulienses cur dictus Patriarcha Aquileienses.195.c
Forum Iulij obsidet Chatanus. 135.c
Forum Iulij translata sedes Aquileiensis. 197.c
Forum Traiani quale tempore S.Gregorij. 184.c.185.a
Fontanellæ monasterij priuilegium. 567.c
Formiana Ecclesia possidebat corpus S.Erasmi martyris. 11.c
Fornicatione redarguitur Theodoricus Rex Francorum a S.Columbano. 220.a.b
Fortianus Archidiaconus interfuit Concilio Rothomag. 567.b
Fortunatus Carthaginēsis Episc.communicauit cum Monothelitis. 377.d
Fortunatus Episc. Gradensis ab Honorio Papa deiicitur. 299.d
Fortunatus Episc.Neapolitanus eligitur. 55.c. Moritur. 139.a
Fortunatus Episc.Fanensis obtinet a S. Gregorio distractionem sacrorum vasorum pro redemptione captiuorum. 102.b
Fossores inueniunt corpus S.Laurentij. 73.c
Fostelandia insula vnde dicta. 620.c. 621.a. Liberata a cultu idolorum. 621.a
Franci aduersus Longobardos bellum gerunt. 13.d
Francorum exercitus re infecta redijt in Gallias. ibid.
Francorum exercitus victus a Claudio Duce. 28.d.e
Francorum exercitus deuastat Galliam Cisalpinam. 51.c
Franci cum Austrasiis pacem ineunt. 520.b.c
Franci fœdus ineunt cum Mauritio Imp. 13.d
Francorum Regum laudes ex fide Catholica. 94.b
Francorum Regum filiæ moniales. 57.c. 58.a
Francorum Reges ex stirpe Clodouei quomodo imbelles redditi.592.a.b.Cur a Deo reiecti. 480.d.e
Francorum Principes coadiutores verbi Dei in Frisia. 636.b.c
Francorum Regū ventura quæ vidit S.Eligius. 493.a.b.c
Francorum Reges pacem petunt a Phoca per S. Gregorium. 168.a
Franconijs prædicat S. Kilianus & ad fidem conuertit. 585.c.586.a
Franciscus Feuardentius illustrator scriptorum S. Ildefonsi Episc.Toletani. 475.b
Franciscus Turrianus disputationem S. Maximi cū Pyrrho in Latinum vertit. 367.c
Fridiburga a S. Gallo a dæmone liberata respuit nuptias regias. 229.d.230.a
Fridiburga desponsata Regi Sigeberto confugiens ad altare liberatur & monasticam vitam amplectitur. 229.c.d.e.230.a
Fridiburga præficitur monasterio Metensi. 230.b.c
Frisij siue Frisones adhuc Pagani. 597.c
Frisij audium Euangelium a S.Vulfrido Episcopo. 524.b.c.d
Frisiorum Ecclesia ex sanguine martyrum coaleuit. 620.c.621.a
Frisij cooperante Pipino Principe accipiunt Euāgelium. 621.b.628.c
Frisij sanciunt pœnam capitis sorte. 629.d.637.b.c.d
Frisij per S.Vulframnum conuersi.636.c.637.d.e.Immolabant homines dijs. 637.a
Frithebualdus Rex in Anglia. 442.b
Fructuosus in locum Potamij subrogatur in Ecclesia Damiense

Universidad de Deusto
Biblioteca

mienſe. 463.c. Eius laudes. 464.a
Frumentum ex Sicilia Alexandriam aduectum. 241.a
Fuga Coſrhois Regis Perſarum. 262. c.d. Sæpe inita. Vide Coſrhoes.
Fuga S. Gregorij cum electus eſt Papa. 6.e.7.a
Fugientes ad Eccleſiam quomodo reddendi ſint. 138.e
Fugitiuus Epiſc. Hiſpalenſis interfuit Concilio Toletano nono. 464.a
Fulcramnus Epiſcopus interfuit Concilio Rothomagenſi. 567.b
Fulmen ſchiſmaticos terret. 248.e
Fulmina prodigioſa in Vrbe. 517.d
Furmalus filius Vuitizæ Regis a Roderico eijcitur. 671.e
Furſeus monachus ſanctitate celebris. 447.b
Furſeus magnus in Anglia prædicator. 365.b
Fuſtium ſupplicium alienum a cenſura Eccleſiæ. 49.a.b
Futura præuoſcere per Euangelij apertionem in more habuit Heraclius Imp. 263.a.b

G

Gabaſta genus poculi quo vtebatur Phocas Imp. 210.b
Gabrielis Archang. viſionem ſimulat Mahometus. 296.b.c
Gaganus, ſiue Gaianus. Vide Caianus.
Gaiinus frater S. Leodegarij ab Ebroino lapidari iuſſus. 581.b.c.d
Galatia a Perſis occupata. 253.e
Gallia infeſtata bello ciuili. 210.e
Gallia laborat peſte inguinaria. 12.d
Gallia infici cæpta errore de Tribus capitulis. 110.e
Gallia laborat ſimoniaca hæreſi. Vide Simoniaca hæreſis.
Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina collapſa. 94.a.b
Galli complures ſeducti a pſeudopropheta. 98.a.b
Gandenſe monaſterium conſtructum a S. Amando. 305.a
Garſias illuſtrator Conciliorum Hiſpaniarum. 239.b.c.
Garibaldus Dux Baioariorum. 29.b
Gaudericus Epiſc. Cameracenſis. 242.d
Gazari iidem Turcæ. 267.b.c
Gazacores ciuitas in Perſide capta ab Heraclio 262.a.b
Gazenſes incurſionem patiuntur Sarracenorum. 305. c.d
Geila execrabilis femina. 595.d.e. 596.a. Eius miſerandus interitus. ibid.c.d
Gelaſius Papa reſtitit Acatio Epiſcopo Conſtantinopolitano. 84.d
Gelaſius auctor libri, qui inſcribitur Ordo Romanus. 613.e
Geloſus Epiſc. Africanus vna cum alijs ſcribit ad Paulum Epiſc. Conſtantinop. 376.b
Gemelli oratorium in Oriente. 209.a
Genardus Epiſc. Rothomagenſis. 567.b
Geneſius filius Pauli Manichæi, idem Timotheus dictus. 578.b.c
Gennadius Exarchus in Africa vincit hoſtes. 24.c.d. De Eccleſia Romana benemeritus. ibid.b.c.d
Gennadius in Africam miſſus. 17.e. 50.b. 105.c
Gennadius excitatur aduerſus Donatiſtas. 25.c.d
Gentiles quomodo compellendi ad conuerſionem. 71.a
Gentilium ritus ad pietatem conuertendi. 149.d.e
Gentiles etiam colunt martyres. 44.b
Gentiles per S. Suitbertum miracula operantem conuertuntur ad Chriſtum. 626.b.c
Gennimus Epiſc. Sabionen. exilium paſſus a Longobardis. 347.c
Georgius Archimandrita ad quem S. Martinus Papa ſcripſit. 413.a
Georgius Arſan Paulinianiſta. 325.c
Georgius creatus Epiſc. Conſtantinop. 523.d. Fidem Catholicam profitetur 545.e. Ad eum ſcribit Imperator de Synodo facienda. 539.b.c
Georgius Cappadox quæſitus ad necem inuiſit S. Theodorum. 166.c
Georgius Epiſc. Conſtantinop. moritur. 564.e
Georgius conſobrinus Ioannis Eleemoſynarij contumelia affectus. 256.c.d.e. Idem Epiſcopus Alexandr. ſucceſſor Ioannis moritur. 299.c
Georgius qui & Eleuſius ſcriptor rerum S. Theodori. 14.e
S. Georgij martyris reliquiæ acceptæ a S. Theodoro Siceota. 14.c.d
Georgius martyr militum Patronus. 195.b. 647.a
Georgij monaſterium in campo Coronatæ a Cuniberto Rege Long. erectum. 646.e. 647.a
Georgius Portuenſis Epiſc. comitatus Conſtantinum Papam Conſtantinopolim proficiſcentem. 658.a
Georgius presbyter Card. comitatus Conſtantinum Papam proficiſcentem Conſtantinop. ibid.
Georgius Secundicerius comitatus Conſtantinum Papam proficiſcentem Conſtantinopolim. ibid.b
Georgius Notarius occiſus a Phoca Imp. 158.e
Georgius presbyter legatus a Cyriaco Epiſc. Conſtantinop. ad Gregorium Papam. 101.b
Georgius presbyter legatus ad Concilium Conſtantinop. miſſus ab Agathone Papa. 529.e.b
Georgius Philippici filius occiſus a Phoca. 161.b
Georgij Piſidæ vaticinium de Perſis debellandis. 257.d.
Georgius Piſida laudator Sergij Patriarchæ. 206.c.d
Georgius Piſida laudator Anaſtaſij martyris. 285.b
Georgij Piſidæ preces pro Heraclio Imp. ſcriptæ Iambis. 288.e
Georgij Piſidæ preces ad Deum pro filiis Heraclij Imp. 289.a.b
Georgius Piſida ſcripſit hiſtoriam de rebus Perſicis & de bello Abarico. 288.d
Gerebaldus Epiſc. Baioc aſſinæ vrbis interfuit Concilio Rothomagenſi. 567.b
Germaniæ regiones Euangelij adhuc expertes. 597.e
Germaniæ decernuntur noui Apoſtoli. 597.c.d.e. 598.a
Germania Euangelium recipit. 627.e. 628.a. 629
Germanorum Eccleſia florens. 628.a.b.c
Germanus Patricius affectat Imperium. 199.b
Germanus Patricius confugit ad eccleſiam. 160.d
Germanus Præfectus Vrbis laborat pro confirmatione electionis S. Gregorij. 3.e
Germanus Prætor aduerſus Narſetem miſſus occiditur. 194.e
Gerontius presbyter quid in Iuſtum Epiſc. Toletanum. 474.c
Geruaſius & Protbaſius martyres patroni ciuitatis Cenomanenſium. 438.b
Gertrudis filia Pipini primi. 302.c.d
Gertrudis vitam auſteriorem amplectitur. 305.a. Eius obitus. 492.d.e
Gerundenſis Eccleſia facta Metropolis. 156.a.b
Gethſemanis columnæ ſeruatæ. 601.a.b
Geniſſi populi in Anglia facti Chriſtiani. 337.e. 338.a
Gigas occurrit Heraclio & ab eo ſingulari certamine vincitur. 265.b.c.d
Giſulphus Dux Beneuentanus inuadit res Occidentalis Imperij. 644.c. Quæ oppida ceperit. 644.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gislemarus filius Vuarratonis Magistri domus Regis Franc. 622.d
Giselbertus cæcus natus illuminatur. 622.b
Gladius Sarracenorum euaginatus aduersus Christianos visus. 305.d.e
S. *Glyceriæ martyris sepulchrũ Heracleæ in Thracia.* 66.a.b
Vnguentum ex eius sepulchro manans. ibid.
Gloriæ hymnus ad finem cuiusque Psalmi. 122.b
Gloria vitanda in omnibus. 36.e.37.a
Godoberta virgo sancta Clothario Regi chara. 242.d
Gordianus Episcopus in Hispania. 245.b
Gordiani patris S. Gregorij imago. 178.e.180
Gordiani patris S. Gregorij habitus ipsum monstrat diaconum. 179.d.180.a
Gorgoniæ insulæ monachi. 19.d
Goricius Episcopus Metensis sanctitate mirandus successor S. Arnulfi. 304.d
Gosbertus polluitur coniugio vxoris fratris sui. 595.b. *Eius interitus.* 596.d
Gosuintha Regina insidiatur Reccaredo. 28.d
Gothorum Reges oppresserunt Romanam Ecclesiam 2.e
Gothorum Regnum in Hispania cur collapsum. 672.d.e. 673.a.b.c. *A Sarracenis inuasum.* 672.e.673.
Gradensis Ecclesia ex Aquileiensi aucta. 156.a.b. *Eius Patriarchatus quando cœptus.* 195.e.196.a.b
Gradensi Ecclesiæ fauent Exarchi Italiæ. 196.a
Gradensis Ecclesia eisdem potitur priuilegijs, quibus Aquileiensis Ecclesia. 299.e
Gradensis Ecclesia semper impugnata a Longobardis. 300.a.b
Gradensis Eccl. Exarcho semper paruit. 197.b
Gradensis Patriarchatus priuilegia. 299.e
Gradus siue Grados insula a Longobardis nunquam capta. 197.b
Gradus affinitatis in matrimonio contrahendo vetiti. 172.e.173.a
Græci adulantes Imperatori tribuunt ei, quæ sunt sacerdotum. 610.b.c.d
Græci monachi reliquias martyrum Romæ quærunt. 74.b
Græci antiquitus subripere conati corpora Apostolorum. 74.b.c
Græci dubitantes de reliquijs martyrum, miraculo sunt instructi. 74.a
Græci iuste gemunt sub Turca. 54.b
Græci æmuli Latinorum gloriæ. 84.d.e
Græci suis ipsorum armis a Latinis conuicti. 613.a.b.c
Græci corrumpunt locum in Dialogis S. Greg. 53.e.54.a
Græci corrumpunt locum Cœcilij Carthaginensis. 608.b.c
Græcæ linguæ cultus collapsus. 57.c.d
Græcorum fraudes in compingendis Canonibus nomine Sextæ Synodi. 604.b.c.d.605.606.
Græcorum redarguitur leuitas. 187.b.c
Græcorum nouitas deturpat Ecclesiam Orientalem. 610.a.b
Græcorum odium in Romanam Ecclesiam. 346.e
Græcorum supputatio diuersa a Latinis inita. 211.a
Græcorum stultitia in abrogando cælibatu clericorum. 607.a.b.c. 608
Græci ex quo tempore in deterius lapsi, vt subiici mererentur tyranno. 614.d.e
Græci abiecto cælibatu in deterius lapsi. 614.e
Græcorum sacerdotum coniugia quomodo ab Ecclesia Romana tolerata. ibid.
Græci errantes sæpe moniti a Romanis Pont. 615.a
Græci Schismatici quid in Legatos Apostolicos. 615.b
Græcorum Imperatorum artes compositæ ad subijciendam Ecclesiam Romanam. 651.a
Grammaticam docere Episcopum indecens. 146.b
Grando diuinitus immissa contriuit Persas. 267.b
Gratiarum actio Romanorum pro victoria aduersus Persas. 259.c
Gratiosa Abbatissa Romæ. 55.c
Gregoria cubicularia Augustæ consulit S. Gregorium de certitudine suæ salutis. 109.a
Gregorius Episcop. Agrigentinus Romam vocatus. 36.e *Accusatus venit causam dicere apud S. Gregorium Papam.* 72.e.73.a
Gregorij Agrigentini vitæ Acta confusa. 72.e.73.a
Gregorius Episc. Antiochenus legitur ad Persas. 41.d
Gregorius Episc. Antiochenus affert Cruces donatas a Cosrhoe ad S. Sergium martyrem. 43.a
Gregorius Episc. Antiochenus visitat monasteria. 45.a
Gregorius Episc. Antiochenus transfert tunicam Domini. 48.e
Gregorius Episc. Antiochenus moritur. 75.b.c
Gregorius diaconus Card. comitatus Constantinum Papam proficiscentem Constantinopolim. 658.a
Gregorius monachus Astronomus quid de Leontij Imperio. 619.e
Gregorius Papa ante Pontificatum qualis. 2.c
Gregorij Papæ ordinationis dies. 2.e
Gregorij Papæ electio qualis. 2. *In quem annum Imperij Mauritij inciderit.* ibid.b. *Et in quæ mala tẽpora.* 2.d.e
Gregorius Papa deplorat miserandum statum Ecclesiæ Romanæ. 2.d.e.3.a.b.8.c.d.e
Gregorij Papæ germanus. 3.e
Gregorius studet litteris irritam reddere suam electionem. 3.d.e
Gregorius tolerat interdum quod non potest auferre malum. 3.d
Gregorij summa prudentia in regimine Pastorali. 3.d
Gregorij littera ad Mauritium de Ecclesia Romana a tyrannide oppressa. 3.e.4.a
Gregorius pestem precibus auertere curat. 4.e.5.e.6.a
Gregorius quando habuit concionem tempore pestis. 5.e
Gregorij edictum de litania Maiori. 6.e
Gregorius electus Pontifex parat fugam. 6.e.7.a.b
Gregorius fugiens diuinitus manifestatur. 7.b.c.d
Gregorij Apologia de fuga sua. 8.e. *Imitatus Gregorium Nazianzenum.* 8.e
Gregorius librum de Cura Pastorali quando & qua occasione scripserit. 8.c.d. *Translatus in Græcum ab Anastasio Episcopo Antiocheno.* 158.d
Gregorio adgratulantur multi de Pontificatu suo. 9.c.d.e 10.a.b.c
Gregorij expostulatio cum amicis ob gratulationem præmissam de Pontificatu. 9.d.e
Gregorij querelæ de sua electione. 9.d.e.10.a.b
Gregorij ærumnæ ex cura pastorali. 10.b.c
Gregorius scribit ad Theoctistam sororem Imp. 10.a.b.c
Gregorij Papæ scripta qualia. 9.b
Gregorius indicit Synodum causa schismatis. 12.a
Gregorius vocat Seuerum Aquileiæ Episcopum schismaticum. 12.a.b
Goegorius laborat pro Anastasio Episc. Antiocheno. 11.a. *Cupit eum venire Romam.* ibid.b.c
Gregorius comparatus aquilæ & Angelo. 15.d.e
Gregorij cura etiam erga minima. 15.e.105.a
Gregorius diuersis eleemosynam impertit. 15.e.16.e
Gregorius Synodalem epistolam mittit in Orientem. 16.b.c
Gregorius subleuat Episcopos oppressos. 17.e
Gregorius ad diuersos amicos mittit clauem cum reliquijs. 17.c.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gregorius professionem fidei suæ Catholicæ mittit ad Patriarchas. 16.e
Gregorij epistolæ quales. 15.d
Gregorius increpat super Episcopos. 18.b.c
Gregorius missum ab Episcopo sibi vinum vendidit & pretium remisit. ibid.
Gregorius vult Episcopos Episcopis præstare beneficia. 18.d
Gregorius solicite curat salutem Venantij exmonachi. 19.b.c.153.b.c
Gregorius priuat Laurentium Archidiaconum. 19.e. 20.a
Gregorius priuat Demetrium Episc. Neapolitanum. 20.b
Gregorius curat reuocare desertores monachos. 19.a.b
Gregorius clerum studet reformare. 19.e
Gregorius admonet Corsicæ insulæ sacerdotes. 20.c
Gregorius semper assertor cælibatus sacrorum ministrorum. 21.c.d.e
Gregorius indicit Synodum in Africa conuocandam. 25.e
Gregorius corripit Argentium Episcopum de collusione cum Donatistis. 25.e.26.a
Gregorius hortatur Gennadium Patricium in Africa agere contra Donatistas. 25.c.d
Gregorius quales esse voluit ministros bonorum Ecclesiæ. 23.b.c.d
Gregorius agit cum Exarcho Africæ aduersus Donatistas. 24.d.e
Gregorius coercet Episcopos ne Iudæos cogant ad fidem. 26.d.e.27.a.b
Gregorius scribit ad Leandrum de Rege Reccaredo. 27.d.e
Gregorius mittit libros Moralium ad Leandrum. 29.b
Gregorius dedicat ecclesiam S. Agathæ. 29.e
Gregorius sui Pontificatus exordio ægrotat. 31.a
Gregorius pacem cupit cum Longobardis. 31.b.c
Gregorius redimit captiuos. 32.a
Gregorius excipit legatos ab Ecclesia Carthaginensi. 33.c
Gregorius Numidiæ Ecclesiam purgare curat. 32.b.c. *Scribit ad Numidiæ Episcopos.* 32.d.33.a.b
Gregorius studet reuocare Hibernos schismaticos ad unitatem. 33.d.e
Gregorius scribit ad Ioannem de schismaticis. 34.c.d
Gregorius cognoscit causam Natalis Episc. Salonitani. 35.d.e.36.a
Gregorius paratus corrigi ab omnibus. 36.a
Gregorij sententia pro Hadriano Episcopo Thebano. 35.c
Gregorius pro causa Neapolitani Episcop. laborat. 36.c.d
Gregorius propugnator acerrimus Concilij Chalcedonensis. 34.e.35.a
Gregorius quem redarguit dono demulcet. 37.e
Gregorius accusat auaritiæ Marinianum Rauennæ Episcopum. 37.b
Gregorius reuocat monachos ad obseruantiam regularem. 37.d.e
Gregorius etiam de leuibus corrigit Episcopos. 36.c.37.a
Gregorius suos iubet ministros vigilare super mores Episcoporum. 37.a.b.c
Gregorius hortatur ad peregrinationem locorum sanctorum. 38.a
Gregorius monet sæpe Abbates. 37.e
Gregorius præsto est pauperibus aduersus potentes. 38.b
Gregorius monet Rusticianam Patritiam. 38.a.b
Gregorij homeliæ in Euangelium quando habitæ et quando absolutæ. 38.d.e.39.a.b.c
Gregorius pro concione exempla sanctorum recolebat. 39.d.e.40.a.b
Gregorius consolatur Domitianum Episcopum. 45.b.c
Gregorius quid in Mauritium legem iniustam ferentem. 45.b.c.d.46. *Eius legem abrogat.* 48.b.c
Gregorius humilitate visit Mauritium Imp. 45.b.c. 46.a.b
Gregorius mittit Sabinianũ diaconum Constantinopolim. 48.c.
Gregorius ad tempus dissimulare consueuit. 48.a
Gregorius redarguit Ioannem Episc. Constantinop. ob causam monachorum Isaurorum. 49.b.c.d
Gregorius necessitatis tempore vult monachos custodire muros ciuitatis. 48.a.b
Gregorius defenditur a calumnia Nouatorum de lege Mauritij. 46.e.47.a.48.
Gregorij ratio tractandi cum Imperatore. 46.e.47
Gregorius assertor Ecclesiasticæ libertatis & defensor maiestatis. 48.a.b.49.a.b
Gregorius scribit ad Mellitum in Anglia prædicantem. 49.d.e
Gregorij res gestæ in causa Isaurorum monachorũ. 49.b.c
Gregorius legatos mittit ad Theodolindam Reginam Longobardorum. 50.d.e
Gregorius irritum reddit generale Concilium in Numidia celebratum. 50.a
Gregorius laborat pro Constantio Episcopo Mediolanensi. 50.d.e
Gregorius nemini fauere voluit in Episcopatu adipiscendo. 51.b
Gregorius etiam ex quo laicus erat, professus est Quintam Synodum. 51.e. *Eius contestatio de fide illibata seruata.* 52.b
Gregorij ratio ac studium in scribendis Dialogis. 52.e. 53.a
Gregorius bene habuit schismaticos ad ecclesiam reuocatos. 52.c.105.d.e
Gregorius scribit ad Priscum Ducem exercitus. 65.a.b
Gregorius redarguit Ioannem Episc. Rauennatem ob usum pallij. 54.c.d
Gregorius redarguit Episcopos ob diuersa peccata. 54.e. 72.a.b
Gregorius improbat electionem Maximi Salonitani 55.b
Gregorius equum mitti petit sibi e Sicilia. 56.e
Gregorius comminatur Regi priuationẽ regni. 63.e.64.a
Gregorius recusat titulum Vniuersalis. 63.d.85.b.114.e 115.a
Gregorius infectatur Donatistas. 69.a.b
Gregorius redarguit Ianuarium Episcopum Calarit. ob Barbaricinos adhuc non conuersos ad fidem. 70.e
Gregorius suos mittit ad conuertendos Barbaricinos. 70.b.c
Gregorius indulsit vt presbyter Chrismate signare posset. 71.d.e.72.a
Gregorius ecclesias Vrbis lustrat. 73.b
Gregorius petitum caput S. Pauli denegat Augustæ. 73.d.e.74.a.b
Gregorij nutrix adhuc superstes. 74.e
Gregorius ægro animo tulit obitum Maximiani Episc. Syracusani. 76.a.b
Gregorius quando scripsit super Ezechielem. 76.d.e
Gregorius tumultu bellico reuocatur a scribendo super Ezechielem. 76.e.77.e
Gregorius admirandus contemplatione, inter turbas quietus. 76.d.e.77.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gregorius in quo antecelluit S. Hieronymum. 77. *b.c.d*
Gregorius solitus conferre cum fratribus de diuinis scripturis. 78.*d.e*
Gregorij humilitas immensa de scriptis suis. ibid.
Gregorius se peccatorem cognoscit. 82.*e.*83.*a.*88.*e.* 89.*a.*115.*c.d.* 142.*a*
Gregorius custos linguæ tenacissimus. 78.*c*
Gregorij luctus de clade Vrbis & totius Italiæ. 78.*e.*79 *a.* 82.*d.e.*83.*a.*88.*c*
Gregorius Papa monet Imp. vt corrigat nimiam tributorum exactionem. 80.*a*
Gregorius quot simul laboraret angustiis. 81.*e.*82
Gregorius abstinens a fundendo sanguine. 81. *d.*93.*a.b*
Gregorius pecunia redimit Vrbis excidium. 81.*a.b*
Gregorius pro pace cum Longobardis habenda solicitus. 82.*a*
Gregorius a Mauritio simplex appellatur. 82.*c.d*
Gregorius quanta mala passus a Longob. 83. *a.b*
Gregorius contra Ioan. Constantinop. agit ob titulum Vniuersalis. 83.*e.*84.*a.*85.
Gregorij insignis patientia. 83.*a.b*
Gregorius res Vrbis curat vt Dominus. 83.*b.c*
Gregorij desiderium ex hac vita migrandi. 83.*d.*167.*e*
Gregorius dicit ius super eos qui se nominant Vniuersales. 86.*c*
Gregorius semper se Vniuersalem Episcopum exhibuit. 85.*d.e.*86. *a.b*
Gregorius vaticinatus obitum Ioannis Episcopi Constantinop. 86.*c*
Gregorius mittit pallium ad Virgilium Episc. Arelatensem. 86.*a.*Et ad Nicopolitanum Episc. ibid.
Gregorius vetat suum Apocrisarium communicare cum Ioanne. 86.*c*
Gregorius sibi iure vendicat clericos aliarum Ecclesiarum. 86.*a*
Gregorius rursus agit cum Ioanne in spiritu lenitatis. 87.*a.b.c*
Gregorius agit cum Mauritio Imp. de Ioannis arrogantia reprimenda. 88. *c. d. Item de eodem agit cum Constantina Augusta, & de titulo Vniuersalis.* 88.*e.*89.*a*
Gregorius quid est, quod se negat Vniuersalem. 89.*c. Et quomodo etiam neget se sacerdotem.* 89. *c.d*
Gregorius absoluit damnatum ab Episcopo Constantinopolitano. 90. *c.d. e. Et aliam iudicat causam iudicatam ab eodem.* 91.*a*
Gregorius cito occurrit ne Pelagiana hæresis reuiuiscat. 91.*c*
Gregorius Papa confirmat regulas S. Benedicti. 91.*e*
Gregorius monet Orientales Patriarchas de Concil. Ephesino falsato. 91.*a.b*
Gregorius celebrat Concilium Romæ. 91. *c.d.*92.*a.b*
Gregorius laborat in causa Maximi Episc. Salonitani. 92.*a.b.*93.*Pallium ei mittit.* ibid.*c*
Gregorij magna tolerantia. 92.*e.*93.*a.Eius ærumnæ.* *d*
Gregorius calumniam passus de Episcopo in carcere mortuo. 93.*a*
Gregorius abstinuit a cæde Longobardorum. 93.*a.b*
Gregorius iubet emi captiuos Anglos. 94.*e.*95.*a*
Gregorius mittit ad Leandrum petitum librum Regulæ Pastoralis. 94.*c*
Gregorius a Dominico Episc. Chartaginensi communionem expetit Sanctorum. 94.*d*
Gregorius laborat pro restituenda Ecclesia Gallicana in antiquam disciplinam & mores. 94.*a.b.*132.*c.d*
Gregorius mittit Ioanni Episc. Rauennati reliquias SS. martyrum. 95. *b.c. Eundemq. corripuit.* Ibid.
Gregorius arguit Martinianum Episcopum Rauennæ auaritiæ. 96. *b.c.*137.*b.c*
Gregorius explorat vitam Episcoporum. 96. *a.b.c*
Gregorius quas ipse soleret dictare litteras, quas vero Consiliarius eius. 96.*c.d*
Gregorij nomine scriptum priuilegium Eccles. Rauennatis. 96. *d.e.* 97
Gregorius neminem coegit accipere Episcopatum. 97.*b*
Gregorius studiosus Eliæ Abbatis in Isauria, cui & munera mittit. 97.*d.e*
Gregorius iterum corrigit monachos desertores. 110.*d*
Gregorius luget interitum Ioan. Episc. Constant. 101.*a*
Gregorius probat electionem Cyriaci Episc. Const. 101.*b Non communicat in omnibus ipsi, nisi relinquat nomen Vniuersalis.* 101.*c*
Gregorius prohibet Apocrisarium suum interesse sacris Cyriaci Episc. Constantinop. 101.*d*
Gregorius infligit anathema affigentibus libellum famosum. 101.*e.*102.*a*
Gregorius laborat pro redẽptione captiuorum. 102. *b.c.d*
Gregorius prohibet sua scripta publice in mẽsa legi. 102.*c*
Gregorius gerit curam propensiorem monialium in Vrbe degentium. 102.*d*
Gregorius adiicit animum ad conuersionem Anglorum. 102.*e. Quibus permotus.* 102.*d*
Gregorius mittit in Angliam Augustinum & socios, quos commendat Gallicanis Episcopis. 103.*c. d. Nec non Regibus Francorum.* 103.*e*
Gregorius litteris roborat Augustinum & socios ad perseuerantiam. 103.*c.*104.*a*
Gregorius non tantum dicendus Magnus, sed Maximus. 103. *c*
Gregorius mittit reliquias martyrum Palladio Episcopo Santonen. 104.*e*
Gregorius rursum languore corripitur & sanatur. ibid.
Gregorius admonet Episcopos quomodo se gerant cum Magistratibus. 104.*c.d.e*
Gregorius vocat Paulum Episc. Africanum Romam ad dicendam causam. 104.*e.*105.*a*
Gregorius quid de Sozomeno historico. 107.*b. Defenditur ab Auctore contra oblatrantem.* 107.*b.c*
Gregorius reuocat Romam Sabinianum diaconum, & mittit Anatolium Apocrisarium. 107.*e*
Gregorius de Eudoxij nomine suspectus. 107.*b*
Gregorius recipit ad communionem Responsales Cyriaci. 106.*c.d. Quid de his ad Anastasium Antioch. Episc.e*
Gregorius redarguit Gregoriam feminam curiositatis, scire cupientem, an esset prædestinata. 109.*a*
Gregorius mittit clauem de sepulchro S. Petri ad Theodorum. 110.*a*
Gregorius consolatur Narsetem Patricium. ibid.
Gregorius curat res Ecclesiæ Africanæ. 110.*d*
Gregorius mittit sua scripta ad Dinamiũ in Gallias. ibid.
Gregorius accipit a multis pecuniam erogandam in pauperes. 109.*e.*110.*a.b*
Gregorius cur non miserit pallium ad Syagrium Episcop. Augustodunensem. ibid. *d*
Gregorius contulit priuilegium Classensi monasterio. 119.*a*
Gregorius cito occurrit hæresi in Gallia serpenti. 110.*e* 111. *a*
Gregorius admonet Brunichildem de corrigendis prauis moribus in Galliis. 111.*a.b.*132.*c.d*
Gregorius de conuersis Anglis ad fidẽ scribit ad Eulogiũ. 113.*a.*114.*c.d. Ad eundem munuscula mittit.* 108.*e*
Gregorius quod alios docuit, primus ipse perfecit. 114.*e.* 115.*a.b.*
*Gregorius humi prostratus ad pedes Anachoretæ.*115.*c.d*

Gregorius cur ea curet quæ sunt Præfectorũ prouinciarum. 116.b. c. *Solicitus de custodia ciuitatum.* 116.b
Gregorius reprehendit Ianuarium Episc. Calaritanum de segete exarata & alijs. 119.b.c
Gregorius scribit ad Agilulphum de pace facta. 124.d
Gregorius ægrotat rursum podagra. 129.d.e.134.c.d.e. 135.a. *Grauius laborat.* 141.d.e.171.e
Gregorius dat ad Secundinum munuscula. 130.b
Gregorius ægrotans non parcit negotijs Ecclesiasticis. 134.e. *Missasque diebus festis celebrat.* 135.a
Gregorius mittit reliquias sanctorum ad Reccaredum Regem. 134.b
Gregorius mittit pallium ad Leandrum Episc. Hispalensem. 134.b.c
Gregorius sequester emptionis Exconsulatus. 194.d
Gregorius consolatur Dominicum Episc. Carthaginensem de pestc ingruente. 135.b.c
Gregorius prædicit maxima mala futura. 136.b.c. 204.e
Gregorius probat scripta Eulogij Episc. Alexandrini aduersus hæreticos. 137.c.d
Gregorius reprehendit Episcopum Curialem. 138.c
Gregorius intercedit pro Libertino Expræfecto, quem & consolatur. 139.e.140.d.e
Gregorius monet Leontium Præfectum mitius agere in iudicandis reis. 139.e.140.a.b
Gregorius corripit Guidiscalcum Ducẽ fœuientem in monasterium. 141.a
Gregorius consolatur Rusticianam Patriciam podagra laborantem. 141.e
Gregorius corripit Clementinam Patriciam odio indulgentem. 141.a
Gregorius se uere seruum seruorum esse sentit & haberi vult. 142.a
Gregorius licet ægrotans colligit Synodum. 143.c.d.e
Gregorius Reges Francorum rursus admonet de extirpãda Simonia. 146.b.c
Gregorius quos secunda vice misit in Angliam. 147.c
Gregorius scribit ad Augustinum prædicantem in Anglia de humilitate seruanda. 147.d.e.148.a. *Respondet ad consultationes eius.* 150.b
Gregorius scribit ad Aldiberthum Regem Anglorum. 148.a. *Aliam epistolam ad Aldibergam Reginam.* 149.a.b
Gregorius mittit pallium S. Augustino in Angliam 150.b.c. *Mittit et dona ad Ecclesiã Anglicanam.* 150.c
Gregorius respondet ad consultationem Hibernorum. 151.b
Gregorius precibus resistit Barbaris. 151.d.e
Gregorij impensa cura de Maximiano Episc. Rauennate ægrotante. 152.b.c.d
Gregorij Papæ nomine scripta ab impostore nonnulla. 153.d.e.154.a
Gregorius priuat Hilarium subdiaconum & in exilium mittit. 154.b
Gregorius Græcarum litterarum ignarus. 154.a
Gregorius rursus vrgetur bellis Longobardorum. 155.a
Gregorius quem corripit consolatur. 157.b.c
Gregorij sermones ab alijs excepti. 158.c
Gregorius non vult legi publice libros suos. 158.c.d
Gregorius vestit Episcopum frigore afflictatum. 157.c
Gregorius ad Cyriacum Episc. Constantinop. rursum scribit. 165.c
Gregorius scribit ad Leontiam Augustã. 164.d.e.165.a
Gregorius cur laudet Phocam Augustum. 162.e.163.e. *Epistola ad eundem.* 163.c.d.164.b.c
Gregorius prohibet cultum sabbati. 168.e.169.a
Gregorius ad Eulogium crucem cum limatura catenarũ SS. Petri & Pauli mittit. 167.e. *Eundem monet de Simonia eradicanda.* 167.d.e
Gregorius solicitus in curis bellicis cohortatur milites ad pugnandum. 170.b.c.d.e
Gregorius tribunum mittit pro custodia Neapolitanæ ciuitatis. 170.e
Gregorius gratulatur Theodolindæ de nato filio. 171.d.e *Munera mittit ad eundem.* 172.b
Gregorij epistolæ non suis locis semper positæ in regesto. 172.c.d
Gregorius dispensando in matrimonio cum Anglis infert nonnullis scandalum. 172.e.173
Gregorius Dei seruos litteris & muneribus frequentare solitus. 175.d.e
Gregorius insequitur maleficos. 174.b
Gregorius ex consortio aliorum et collatione cum ipsis habita & lectione profecit in sacris litteris. 175.c.d
Gregorij donatio facta ecclesiæ S. Petri pro luminaribus. 176.b.c
Gregorij obitus tempus. 176.e.177.a
Gregorij sedis tempus. 176.e
Gregorij epitaphium. 176.e.177.a
Gregorij laudes. 177.c.d
Gregorij mira sanctitas testata. 177.a
Gregorij ad aurem visa columba. 177.d.e
Gregorij ordinationes. 181.e
Gregorius post obitum calumnijs aspersus. 177.d.e
Gregorij scripta combusta an fuerint. 178.a.b.c
Gregorij imago. 179.a.b.180. *Eius corporis habitudo.* 141.e
Gregorius quando pingi fecit miraculum S. Eleutherij. 181.a
Gregorius pingi fecit ecclesiam S. Agathæ. 181.a
Gregorij corpus translatum. 181.b
Gregorij oratorium vbi. 181.d
Gregorius fecit ciborium precioſum. 181.d
Gregorij Papæ reliquiæ a populo honore habitæ. 181.b
Gregorij Papæ obitum elementa sensere. 195.d.e
Gregorij historia de liberatione animæ Traiani ab inferni pœnis vt falsa reijcienda. 184.b.c.185
Gregorius nec Christum aliquem liberasse ab inferis cum illuc descendit concedit. 185.b
Gregorij librorum Moralium pars desiderata inuenta Romæ. 417.a.b
Gregorij scriptorum locus depravatus corrigitur. 4.e
Gregorij constitutio de non vendendo locum sepulchri per contrarium vsum abrogata. 252.c.d
Gregorius post obitum redarguit per visum Sabinianum Papam. 197.d.e
Gregorius Papa Secundus cum esset diaconus confutauit canones Sextæ Synodi nomine editos. 612.c.d.e. 660.a
Gregorij Papæ Septimi epistolæ de recuperatione Regni Hispaniæ. 642.a.b.643.a
Gregorius Papa Secundus successor Constantini. 673.e
Gregorius Papa Secundus misit Constantinopolim legatos contra Iconoclastas. 615.b
Gregorius Papa Septimus duas legationes in Hispaniam misit pro recuperandis Romanæ Ecclesiæ iuribus. 643.c.d
Gregorius Cappadox Archimandrita. 619.b
Gregorius cognomento Buramphus exulat. 667.c
Gregorius Patricius Præses in Africa. 367.a.b.368.c.d. *Idemque tyrannus.* b.379.c.d.383.a.465
Gregorius Photini filius testis cõtra S. Max. 465.e.466.a
Gregorius Præses scriptor belli Heracliani. 211.b
Gregorius Præses citat Martinum. 431.b

Gregorius Rinocurorum Episcopus legatus ad redimendos captiuos. 232.c
Gregorius Turonensis assistit Ingobergæ Reginæ testanti. 64.b
Gregorij Turonensis diaconus reliquias Sanctorum Roma transtulit in Gallias. 13.b
Gregorij Turonensis vbi finem imposuit suæ historiæ. 100.a.b
Grimoaldus filius Pipini primi. 302.c.d.674.e
Grimoaldus Rex Longobardorum. 484.c.d. *Fuit fide Catholicus.* 485.a
Grimoaldus Græcos superat. 485.a.b
Grimoaldi Regis obitus. 511.d.e
Guaimerus quæ egerit in S. Leodegarium. 582.b.c
Guarnerius minister Theodorici Regis quid in S. Austregisilum. 218.a.b.c
Guarnerij cum Sulpitio Episcopo res gestæ. 218.c.d
Guarnerij visio de ira Dei in se conuersa. ibid.e. 219.a
Guarnerius percutitur a S. Austregisilo Episc. 218.e
Guarnerij infelix obitus. 218.e.219.a
Gudoinus Dux redarguitur ob inultum sacrilegium. 174.d.e
Guidiscalcus Dux sæuiens in monasterium corripitur a S. Gregorio. 141.a
Gulfarus Magister militum ad quem scribit S. Gregorius. 126.d
Gundegisilus Episc. Burdegalensis. 58.b.c.d
Gundemarus Rex tertius Hisp. a Reccaredo. 215.c
Gundemari Regis constitutio de Ecclesia Toletana. 216.b. 217.a
Gundericus Episc. Toletanus sub Vuitiza Rege. 641.d
Guntheramnus Rex cultu religionis pestem auertit. 12.d.e *Eiusdem prædicata pietas & miracula.* 12.e.13.a
Guntheramnus Rex Franc. incaute iniustum bellum mouit aduersus Reccaredum Regem Hisp. 28.d.e
Guntheramnus Rex laborat pro pace monialium. 60.e
Guntheramni Regis obitus. 123.d.e
Guntheramni Regis prædicata pietas. 124.a
Guntherus Ethnicus frustra offert sacrificium pro filio excitando. 625.a.b
Guntherus rogat S. Suuibertum pro filio. 625.b. *Laborat in Euangelio.* 628.e

H

Habdimelech Rex Sarracenorum. 601.c
Hadoindi Episc. Cenomannensis testamentum. 437.e.438.439
Hadriani Episc. in Achaia causam Gregorius Papa cognosci iubet. 55.d
Hadrianus Episc. in Anglia. 500.e. *A Vitaliano missus.* 494.c.500 d.e 501.b.c.504.d.e.600.d
Hadriani Abbatis in Anglia obitus. 600.d
S. *Hadriani ecclesia ab Honorio Papa erecta.* 345.b
Hadrianus Episc. Thebanus appellat ad S. Gregorium. 35.a.b
Hadriani moles illustrata memoria S. Angeli. 6.c.d
Hæreses vnde ortæ. 376.c
Hæresis Ariana in Italia Longobardorum Regis auxilio pollet. 12.b
Hæresis Monothelitarum difficilis captu. 367.e. 368.a
Hæresis symoniaca prima in Ecclesiam insurrexit. 3.a
Hæreses cum dominantur Romanum Imp. decrescit. 293.c.d
Hæresum causa Christiani dati Sarracenis. 336.e
Hæresis accusatus satisfacere tenetur. 145.e.d
Hæretici Alexandrini conuersi per sanctum Eulogium. 114.b
Hæretici Angli ab auctore perstringuntur. 112.b.c
Hæretici Monosophytæ ad Ecclesiam reuersi. 156.b.c
Hæretici Samaritani in Sicilia. 105.d
Hæretici infestant Ecclesiam Thessalonicensem. 117.b.c
Hæretici in hæreticos declamare soliti. 381.d
Hæreticos ab Imp. plectendos esse. 535.a
Hæreticorum Iureconsultorum stoliditas & inepti æ. 200.b
Hæretici soliti falsa scripta supponere. 454.d.e
Hæretici pœnitentes quid facere debeant vt a sede Apostolica recipiantur. 538.a.b
Hæreticorum mos in decipiendis Catholicis. 294.e
Hæretici dubitare se simulãt, vt alios ad dubitationem inducant. 294.d
Hæretici affectant scissionem ab Ecclesia, vt libere viuant. 110.e
Hæretici haud pollicitationibus inuitandi. 294.e. *Pollicitationibus conuersi raro proficiunt.* ibid.
Hæreticis non communicandum nec in bonis. 27.d
Hæreticorum scripta qualia esse soleant. 349.d
Hæretici Imperatores cur honesto titulo nominati reperiuntur. 357.a
Hæretici volunt videri Catholici. 382.a
Hæretici turbant Ecclesiam Antiochenam. 110.b.c
Hæretici magno periculo se insinuant Principum auribus. 294.a
Hæretici de Primatu Romanæ Ecclesiæ a Phoca accepto garriunt. 199.c.d
Hæretici recentiores quam deteriores antiquioribus. 280.a
Hæretici & hæreses quomodo conuinci soleant. 377.c. 379.c
Hæreticorum semper inconstans sententia. 534.a
Hæreticorum mellita eloquia. 380.b.c.d
Hæreticorum scripta quando citata ab Orthodoxis 613.d
Hæretici damnati a Sexta Synodo appellãt ad sedem Apostolicam. 558.b.c
Hæreticus confutatus ab Heraclio Imperatore. 260.c. 261.a
Hæretici deceperunt Heraclium Imp. sub spe concordiæ. 293.a
Hæretici æque ac dæmones blasphemi in martyres. 669.d 670.a
Hæreticus damnatus in Concilio Aurelianensi. 423.e. 424.a
Hali pater Mahometis. 296.a
Halidulphus Abbas monasterij Altimontis. 622.c
Hasbanij populi ad fidem conuersi per S. Trudonem. 640.a
Haumar Princeps Sarracenorum. 307.e. 335.e
Haumar Princeps Sarracenorum Hierosolymam capit. 339.b.c
Haumar Princeps Sarracenorum templum ædificat. 339.d.e
Haumar Cruces aduersarias deponi iussit. 361.a.b.c
Haumar Princeps Sarracenorum occiditur a Persa. 373.d
Heanfreda filia Regis Eduini baptizata a S. Paulino. 328.e
Hebba Regina Angliæ. 335.b
Hector Patricius Massilienensis a Rege Francorum iussus occidi. 505.c
Heddi Episc. Occidentalium Saxonum moritur sanctitate clarus. 653.b.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Heimeramnus Episc. Ratisponensis. 644.d.e. *Persecutionem passus appellat iudiciũ Romanæ Ecclesiæ.* 645. a.
Eius martyrium. *Ibid.*
Helladiæ Episcopos monet S. Gregorius. 86.a
Helladio Episcopo insultans diaconus a Deo punitus. 474.d.e
Helladius Episcopus Toletanus successor Aurasii, magister Eugenij. 342.b.c
Helpidius contra Phocam conspirans proditus occiditur. 210.e
Heraclius Prætor in Africa excitatur aduersus Phocam. 205.b.c
Heraclius ducit vxorem in Africa Eudociam filiam Rogati. 211.b
Heraclius acclamatus Imperator in Africa. *Ibid.*
Heraclius Imp. classe comparata Constantinopolim venit aduersus Phocam. 211.c
Heraclius recipit omnes exules a Phoca expulsos. 211.b
Heraclius vincit Phocam, quem & necauit. 211.c.d
Heraclius auctus filio. 217.e
Heraclij statura & effigies. 212.b
Heraclius barbam radit cum imperare cœpit. *Ibid.*
Heraclius coronatur Imp. a Patriarcha. 211.b
Heraclius creat filium suum Imperatorem. 119.c
Heraclius parare incipit expeditionem in Persas. 219. c.254.a
Heraclius nefarie ducit neptem suam in coniugem. 225.b.c
Heraclius destructionem Iudæorum meditatur. 239.e
Heraclius Astronomiæ studiosus, quid in Iudæos. 239.e.
Eos coegit baptizari. *Ibid.*
Heraclius ad Dagobertum scribit aduersus Iudæos. ibid.
Heraclij sugillatur ignauia. 244.b
Heraclius legatos mittit ad Cosrhoem Regem Persarum. 249.e
Heraclij sanctio de numero clericorum. 251.b.c.d
Heraclius pacem componit cum Rege Auarum. 253. c.254.
Heraclius pro bello parando ab Ecclesiis mutuam pecuniam accipit. 254.b
Heraclius exercet milites ad prælium. 257.b
Heraclij expeditio in Persas. 257.a.b.258.259
Heraclius in bellum proficiscens secum vexit Christi imaginem. 257.d. *Ad eam iuramentum factum.* 257.b
Heraclius in procinctu monet milites seruare iustitiam. 257.c
Heraclij verba ad Sergium Patriarcham. *Ibid.*
Heraclius fugat Persas Chalcedonem vsque. 257.e
Heraclij magna in Deo fiducia 258.b.c.d. *Religione vtitur magis, quam armis.* d.e.261.d.e
Heraclius longe imparibus copijs aggreditur Cosrhoem. 258.b *Idem rursus patitur a Cosrhoe.* 261.c
Heraclius in Armenia vincit hostes. 259. a. *Persidem inuadit.* b. *Vincit Sarbarum Ducem.* b.c
Heraclius Byzantium sedit hiematurus. 259.b
Heraclius obuium hæreticum confutauit. 260.e.261.a
Heraclij secunda expeditio in Persas. 261.b.c
Heraclius interiorem Persidem inuadere tentat. 261. d.e.262.a
Heraclius concionem habet ad milites. 261.d.e
Heraclio Deus mirifice fauit. 262. a.b
Heraclij exercitus recreatur pluuia. 262.a.b
Heraclio vni datum penitus vincere Persas. 262.a
Heraclius comburit Ignis templum in Perside. 262.e
Heraclius fugat Cosrhoem. 262.b
Heraclius in ambiguis diuinum numen quomodo solitus consulere. 263.a.b
Heraclius captiuos Persas dimittit. 263.b
Heraclij exercitus in discrimen adductus. 263.d.e
Heraclius hiemat in Albania. 263.b
Heraclius hortatur milites timore consternatos. 263.d.e. 264.b.c
Heraclium reuertentem in Armeniam insequitur Persa 264.c.d
Heraclij noua victoria aduersus Persas. 264.a.b.c.d
Heraclius nocte irruit in Sarbaram Ducem Persarum & fugat eum. 264.d.e
Heraclius litteris suis consolatur Constantinopolitanos. 265.b
Heraclius iniit amicitiam cum Cyro Lazorum Episcopo. 265.a
Heraclius peruenit ad Euphratem. 265.c
Heraclium pugnantem admirati sunt hostes. 265.d.e
Heraclius subuenit exercitui periclitanti. 265.d
Heraclius compulsus cum gigante certare. 265.b.c.d
Heraclius hiemat apud Sebastiam. 265.d.e
Heraclius nititur Dei auxilio. 272.b
Heraclius victor contra Cosrhoem properat. 272.d
Heraclij exercitus deseritur a Turcis. *Ibid.c*
Heraclius aduersus Razatẽ pugnat ante aciem. 272.c.d
Heraclio auctæ vires per martyrium S. Anastasij. 285.b.c
Heraclius potitur diuitijs Cosrhois: 285.c.d
Heraclius fauet Syroi filio Cosrhois. 285.e
Heraclius rediit Constantinopolim. 287.d.e. 288.a.b.
Eius filiorum occursus. 288.b
Heraclius pecuniam ab Ecclesijs acceptam restituere parat. 288.c
Heraclij triumphus de bello Persico. 277.e.278.a
Heraclij præclara merita. 287.e.288.a.b
Heraclij & eius filij numismata. 289.c.d.e
Heraclius pellit Nestorianos ab ecclesijs Catholicorum. 288.a
Heraclius duxit quatuor elephantes e Perside. 288.b
Heraclium victorem Reges legationibus frequentant. 292.d
Heraclius reportat humili habitu Crucem Christi Hierosolymam. 292.b
Heraclius suadet Iudeo prædiuiti fieri Christianũ. 291.e
Heraclij ruina vnde cœpta. 292.d.e
Heraclius visitans Syriam de fide disputat suo damno. 292.e.293.a
Heraclius consulit Sergium Patriarcham de dogmatibus. 292.e
Heraclius spe pacis decipitur ab hæreticis. 292.e.293.a
Heraclius declinans in hæresim pessundat Imperium. 293.c.d
Heraclius triplici vinculo hæreticorum captiuus ductus. 294.b
Heraclius captus ab hæreticis lenitatis arguitur. 294.b
Heraclius deceptus ab Athanasio Iacobita. 293.e.294.295.
Heraclius magno suo damno se immiscet disputationibus dogmatum. 294.a.b.295.d
Heraclius obuiam habuit Maumethanum Principem & pseudoprophetam. 296.c
Heraclius sugillatur inertia dum non insurgit in Mahometanos statim, sed intentus totus fuit quæstionibus dogmatum. 299.b
Heraclius licet hæreticus perseuerat Catholico nomine. 301.b
Heraclius vrgetur a Sarracenis, & relicta Syria signa pergit Constantinopolim. 307.e.308.a

Heraclius perinfensus Romanæ Ecclesiæ. 346.c
Heraclius promulgat nouam fidei expositionem hæreticam. 347.d.e.349.e.350.a. *Ecthesin eam nominauit. ibid.*
Heraclij expositio fidei reijcitur a Seuerino Papa. 348. b.c.d
Heraclius ruina factus Romani Imperij. 335.c.d
Heraclius recantans palinodiam in exemplum adducitur a S. Maximo, 468.e. 469.a
Heraclius de fidei expositione confusus negauit eam esse suã. 356.b.c. *Eius pœnitentia imperfecta.* 356.e. 357.a
Heraclij Imp. obitus. 358.a.b
Heraclius iunior imperat. 500.a. *Eius natalis.* 217.e. *Idẽ filius spiritualis Ioannis Episcopi Alexandrini.* 219.e *Quando coronatus Imp. a patre puer. ibidem. Idem Constantinus dictus Consul creatus & Cæsar.* 244.b
Heraclius frater Pogon. ab Imperio dimouetur. 556. d.e
Heraclius frater Absimari Imp. copijs Præfectus. 627.c
Heracleonas imperat. 358. b
Herbipolensis Ecclesia illustrata sanguine martyrum. 596.e-597. a. b
Hermannus presbyter Scotus ad quem litteræ Apostolicæ sedis. 349.a
Hermannus Episcopus Colonienſis. 630. e. *Scriptor vitæ S. Lamberti. ibid.e*
Herodianus prædicit Mauritio interitum. 159.d
Herũdo sancta femina in montibus Prænestinis eremiticam uitam excoluit. 39.e
Hesychius Episcopus in Gallia Synodo Pictauiensi interfuit. 58.c.59.a
Hesychius Episcopus Hierosolymorum moritur. 210.d
Hiems aspera infesta arboribus. 195.d
Hierosolyma capta a Cosrhoe Rege Persarum. 231.e. 232.a. *Deploratur Threnis Antiochi monachi.* d.e. 233.a. b
Hierosolymitanis capiuis subuenit Ioannes Eleemosynarius. 232.b. *Eius clades prænunciata.* 264.d
Hierosolymæ restauratio facta a Modesto. 244.b.c.d
Hierosolyma capta a Sarracenis. 335.d.e. 336. a.b. 339.c.d
Hierosolymitana Ecclesia iuuasa a Sergio hæretico vendicata a Theodoro Papa. 364.c.d
Hierosolymorum Episcoporum post Sophronium successio interrupta. 339.e
Hieronymus reuocatur ab interpretatione Ezechielis. 77.b.c
Hiberni Episcopi scribunt ad S. Gregorium. 33.d.e
Hiberni schismatici redeunt ad Ecclesiam. 34.b.c
Hiberni consulunt S. Gregorium Papam. 34.c
Hiberni Catholico ritu celebrant Paschа. 334.a
Hiberni grauia ab Anglis passi. 577.c.d
Hilarius Archipresbyter Rom. Ecclesiæ. 4.c. 349.a
Hilarius Carthularius missus in Africam eam curat Ecclesiam. 25.e.26.b. 32.d. 156.e. 157.a
Hilarius subdiaconus subiectus verberibus damnatur exilio. 154.a.b
Hilda Abbatissa quid de Paschate. 487.a
Hildæ Abbatissæ obitus. 543. a. *De eius anima visio. ibid.*
Hyppolitus Notarius a S. Gregorio missus ad Theodolindam Reginam. 50.d
Hispania laborat peste inguinaria. 12.d.e
Hispanæ Ecclesiæ felix status sub Chindasuindo Rege. 417.e
Hispaniæ Episcopi cupiunt Romano tantum subesse Pontifici. 562.a.b
Hispaniæ Episcopi a Benedicto Papa monentur. 578.d. 579. a.b. c
Hispaniæ Episcopi legationem mittunt ad Leonem Secundum Rom. Pont. 574.e.575.a
Hispani Episcopi cur se ignorare profitentur Quintam Synodum. 576.e
Hispaniæ Episcopatuum facta distinctio. 515.b.c
Hispaniæ Reges vnde sint dicti Catholici. 346.d.e. 347.a
Hispaniæ a Iudæis pressuram passæ. 619. d
Hispaniæ regnum cum defecit ab obedientia sedis Apostolicæ penitus corruit. 642.a.b.643.a. *Traditum Sarracenis.* 640.e.641.a
Hispaniæ ciuitatum muros destruit Vuitiza Rex Longob. 641. b
Hispaniæ Regnum oblatum Ecclesiæ Romanæ. 642.a.b.c. *Ablatum a Vuitiza. ibid. Vendicatum a Gregorio Septimo.* 642.e.643.a.b
Hispaniæ Regnum sicut inobedientia Romanæ Ecclesiæ perditum, ita obedientia restitutum. 643.d.e
Hispanias inuadunt Sarraceni, eisq. sunt potiti. 671. b.c. 672.a.b
Hispania proditione Iuliani Comitis nudata armis. 672.a
Hispaniarum perditionis causa quæ verior extitit. 672.d.e
Hispalense siue Spalense Concilium. 252.e
Historia Gregorij Turonẽsis quousque producta. 100.a.b
Historiæ scriptio postulat solitudinem. 53.c.d
Histriæ schismatici. 52.c.d. *Reuocati ad Ecclesiam.* 126. c.d.e. 127.a
Hoamen Rex Sarracenorum. 373.d
Hollandiæ pars accipit Euangelium prædicatione S. Suuiberti. 626.d.628.e
Homeliæ ab Antiocho monacho cur scriptæ. 235.b
Homeliæ in Euangelia quando a S. Gregorio habitæ. 38. d
Homeliæ per Notarium recitatæ. 38.e
Homeliæ S. Gregorij super Ezechielem quando scriptæ, & quando intermissæ. 76.d.e.77.a.b.c
Homur discipulus Mahometis. 297.c.d
Honoratus Episcopus Hispalensis. 341.d
Honorius Papa creatus. 272.e
Honorius Papa commotus aduersus Episcopus Cisalpin. 279.b. *Eius ad ipsos epistola.* c
Honorius Papa laborat pro restituendo Adalualdo Rege. 279.a.b
Honorius Papa commouet Isacium Exarchum aduersus Transalpinos Episcopos. 279.a.b.c
Honorius Papa concedit priuilegium monasterio Bobiensi. 281.e
Honorij Papæ laudes per scriptorem eius temporis. 281.e
Honorius Papa deijcit Fortunatum Gradensem Episcopum. 299. d
Honorij Papæ epistola ad Episcopos Venetiarum & Histriæ. 299.d.e
Honorius Papa creat Primogenium Episcopum Gradensem. 299.e
Honorius Papa ordinat Scotos Episcopos. 304.a.b
Honorij Papæ consuetudo cum Sergio & communio in crimen deduci non potest. 313.a
Honorij Papæ arbitrio se subijcit Sergius. 315.e.316.a
Honorius Papa non potuit improbare Sergij epistolam. 316.a.b
Honorius Papa inter Catholicos Pontifices adnumerandus. 316.c
Honorij epistola prior ad Sergium lapis offensionis. 316. d.e.317. 318.
Honorius quomodo asserat voluntatem vnam in Christo. 317.a.b.322.d.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Honorius cur silentium indixit de vna vel duabus voluntatibus in Christo. 318.a.b.c.319.b.c.320.a.b. 323.d.e.326.a.386.e.387.a
Honorium damnantes in quo decepti sint. 318.e.319.a.b.c.d.e
Honorij Papæ atque Sophronij Episc. Hieros. eadem sententia. 319.e.320.a.b
Honorius magis excusabilis quam Sophronius si communicauit cum Sergio. 319.e.320.a.b
Honorius scribit ad Cyrum, & ei silentium imponit. 321.c.d
Honorij ad Sergium epistola posterior. 321.e.322.a
Honorij epistolis ad Sergium quæ obiecta. 322.d.e
Honorius defenditur a S. Maximo. 323.a.368.d.e
Honorij Catholicæ fidei firmitas. 323.d.e
Honorius Orthodoxus a Synodis & Romanis Pontificibus comprobatur. 323.e.324.a
Honorius inuidiam passus ob laudes ipsi a Monothelitis illatas. 324.d.e
Honorius Papa corrigit Scotos deuiantes. 329.d.e
Honorij Epistolæ percaræ Monothelitis. 324.d.e
Honorij nomen inuidiose retentum in Diptychis a Monothelitis. 324.e.Cur ita 519.a.b.c.d
Honorius a Sophronio in honore habitus. 325.a
Honorius ab Agathone & Martino successoribus cultus. 325.a
Honorij epistola ad Sergium probata Catholica a Ioanne Papa. 355.a.b
Honorium defendit Agatho Papa. 549.a.b.c.550.551.
Honorius manifestam calumniam passus. 548.a.b
Honorij damnatio Actis Sextæ Synodi inserta a Theodoro impostore. 537.e.550.a.551.a.b.565.d.e.566.
Honorij fides Catholica bene cognita a successoribus. 533.c.d
Honorius in Sexta Synodo falso accusatus a Monothelitis. 547.c
Honorij epistolæ lectæ in Synodo. 548.d.e
Honorij innocentia fidesque Catholica, perspicue demonstrata atque plus satis probata. 550.d.e.551.552.553.c.d.554.559.a.b.568.b.c.d.e
Honorij Papæ opera propagatur Euangelium in Geuissis 337.e.338.339.
Honorij Papæ epistola ad Eduinum Regem Angl. 326.e.327.
Honorij Papæ epistola ad Honorium episc. Dorouernensem. 327.d
Honorius Papa pecuniã coegit in Patriarchium. 345.d
Honorij Papæ versus in basilica S. Agnetis. 344.c.d 345. *Eam ecclesiam restituit & ornauit.* 344.c.345.
Honorij Papæ obitus, ordinationes, & reliquæ res gestæ. in cultu Ecclesiarum. 344.b.c.345.
Honorius Episcopus Dorouernensis accipit pallium ab Honorio Papa. 326.e.327.
Hormisdæ Papæ qui tituli oblati. 90.b
Hormisda Rex Persarum pulsus a Sarracenis. 292.c.d
Hormisda vltimus Rex Persarum se abdicat. 353.b
Hormisda Rex Persarum occisus. 40.e
Horta ciuitas a Longobardis capta. 76.c
Hortana Ecclesia Episcopo vacans. 72.e
Hospitalia ab Episcopis curanda. 170.a
Hostibus Ecclesiæ quando danda Eleemosyna. 31.e
Hubertus Episcopus Leodiensis successor S. Lamberti martyris Romanæ Ecclesiæ obseruantissimus. 633.a.b.*Qui sigillo munire voluit suam Ecclesiam.* ibid.b
Hugbaldus monachus scriptor. 305.e
Hugo Card. legatus in Hispanias a Gregorio Papa Septimo. 642.d.e
Humilis Episcopus Belitrensis. 144.c
Humilitatem insinuat & custodit S. Gregorius. 114.e. 115.a.b
Humilitas custodienda in operatione signorum. 147.e 148.a
Hunni qui adhuc Pagani. 597.e

I

Iacobus diaconus Paulini Episcopi in Anglia. 291.c
Iacobus diaconus Eboracensis vir sanctus. 329.a
Ianuarius episc. Calaritanus reprehenditur a S. Gregorio quod non defendat pauperes. 138.d.*Et ob Barbaricinos non conuersos.* 70.e.71.a. *Item propter hospitalium neglectam curam.* 170.a. *Et ob iniuste excommunicatum Isidorum.* 36.b.c. *Et ob exaratam segetem & alia indigna Episcopo perpetrata.* 119.b.c
Ianuarij Episc. Malacitani causa Romam perlata. 169.d
Iarumannus Episcopus in Anglia. 490.e
Iconoclastæ suis ipsorum armis confossi a Latinis. 613.b.c
Idolorum destructa ara ab idolorum pontifice. 278.b.c
Idolorum templa non destruenda, sed in diuinum cultum mutanda. 149.d.e
Idolorum templũ incensum a Moroueo monacho. 280.d.e
Idolorum templa conuersa in ecclesias per S. Suuibertum Episc. 644.c
Idololatria pullulat diuersis in locis. 111.b
Idololatræ rustici, quam sint passi diuinam vltionem. 280.c
Iesdin Persæ filij curant corpus S. Anastasij martyris. 284.e.285.a.b
Iffi Regis Eduini nepos filius Osfridi baptizatur a S. Paulino. 290.c.328.e
Ignatij martyris reliquiæ quando translatæ Romam. 343.e
Ignatij martyris signum in epistolis. 93.d
Ignis marinus inuentus quo naues Sarracenorum sæpe combustæ. 510.b
Ignis templum in Persida. 262.d.*Ab Heraclio Imp. combustum.* 262.e
Ildefensus Abbas postea Episc. Toletanus. 441.c
Ildefonsius creatus Episc. Toletanus. 473.d.474.c
Ildefonso apparet S. Leocadia. 475.c.d
Ildefonsius veste sacra donatus a Dei genitrice Maria. 475.a.b.476.a.b
Ildefonsi Episcopi Toletani obitus, laudes, & scripta. 499.a.b.c.d
Ildericus tyrannus in Gallia Narbonensi, auferens coronam S. Felicis martyris, & suo capiti imponens male periit. 512.b.c.*Eius nefanda scelera.* d.e
Imago agni Christum repræsentantis a Græcis vetita, a Latinis retenta. 613.a.b.c.d.614.a.b.*In cera & alijs exprimi solita.* c.614.a
Imago Anastasii martyris Cæsareæ posita. 286.e.*Romam translata.* 287.c
Imagines Apostolorum a Sergio Papa renouatæ. 639.c
Imagine Christi præuia Augustinus ingreditur in Angliam. 111.c
Imagines sacræ Roma allatæ in Angliam. 647.d
Imagine Christi præuia Heraclius pugnat contra Phocam Imp. 211.c
Imagine Christi præuia Heraclius proficiscitur ad bellum Persicum. 257.b.c.d
Imagine Christi præuia victor semper extitit exercitus Romanorum. 260.c
Imago Christi ærea in porta Palatij Constantini. 159.c
Imago Gordiani patris S. Gregorij. 179.d.e

Imago Heraclij Imp. & filij. 289.c.d.e
Imagines Imperatorum deferri solitæ in prouincias. 162.c.
Imago Mariæ Virginis propulsatrix pestis Romæ. 6.c.d
Imago Mariæ Virginis allata ad Heraclium a Stephano Episc. 211.b
Imago Mariæ Virginis in classe Heraclij Imp. ibid.
Imago Mariæ Virg. cum Cruce allata in Synagogam. 118.a
Imago Synodorum Vniuersalium depicta Constantinopoli, abrasa a Philippico hæretico Imp. 663.c
Imago Synodorum Vniuersalium depicta Romæ in ecclesia S. Petri. 663.c
Imago S. Petri a Sergio Papa facta. 639.a
Imaginum sacrarum vsus ab exordio Ecclesiæ Anglicanæ. 674.a.b.c
Imagines in sacro linteo intexi solitæ. 524.a
Imagines Sanctorum erectæ super turres a Vuamba Rege Hisp. 513.d.e
Imagines Christi & Dei genitricis Mariæ salutat S. Maximus. 456.d.e
Imagines sacræ missæ ad Secundinum a S. Gregorio Papa. 130.b.c
Imaginum sacrarum cultus qualis esse debeat. 130.b.c.d. c.131.
Imagines Sanctorum in Ecclesia. 127.e
Imago S. Sebastiani in basilica S. Petri ad Vincula. 542.e
Imago S. Siluiæ matris S. Gregorij. 178.e.180.
Imago Theodori Siceotæ adhuc viuentis depicta. 207.b
Imerites & Erinus accusatores S. Martini Papæ. 429.b
Immunitas Ecclesiastica illæsa seruata ab Ariano Rege. 281.b.c
Immunitas Ecclesiastica violata a Phoca. 199.b
Imperium proficit & deficit pro ratione fidei Catholicæ custoditæ, vel lasæ. 293.c.d.305.d.e. 409.b.434.
Imperium Orientale cur maioribus affectum cladibus. 305.d.434.b.c
Imperatorum non esse dare Episcopos ciuitatibus. 544.d
Imperatorum esse seruare Ecclesiam ab erroribus immunem. 535.d.e
Imperatores moneri debent a Rom. Pontifice. 533.d.e
Imperatorem esse etiam sacerdotem dicebant Monothelitæ hæretici. 466.c.d.e. *Quos redarguit S. Maximus.* ibid.d.610.b.c.d
Imperatores hæretici defuncti, cur titulo pietatis nominati. 357.a
Imperatores Orientales desistunt confirmare electionem Romani Pont. 575.e
Imperatorum imaginum cultus. 162.e.165.a
Imperatorum non esse, sed sacerdotum de dogmatibus definire. 292.e.293.426.b.
Imperatores vnde sibi vsurparunt auctoritatem condendarum legum Ecclesiasticarum. 469.a.b
Imperatores venerentur non persequantur sacerdotes. 82.e.83.a
Imperatores curare debent concordiam sacerdotum. 80.d.e
Imperatores non pati libenter rigidos sacerdotes. 4.a
Imperatores subiecti sint sacerdotibus. 466.c
Imperatorum Orient. consensus requirebatur pro confirmatione Romani Pontif. 2.e.3.a.b.c.4.a
Imperatores Orientis hostes Romanæ Ecclesiæ. 2.e.3.a.b.
Imperatores Orientales quibus sint vsi artibus, vt subiiciant sibi Romanam Ecclesiam. 651.a. *Studuerunt vt crearentur Orientales Romani Pontifices.* ibid.b. *Omnes eorum conatus elusi.* ibid.
Imperatores Orientales, qui prosecuti sunt honore Ecclesiam Romanam. 615.d
Imperatores indigni Imperio, qui persequuntur Rom. Ecclesiam. 3.a.b.c
Imperatores non sibi vsurpent quæ sunt sacerdotum. 610.b.c.d
Imperatores hæretici promouentur a dæmone. 669.c
Imperitia Ecclesiarum huius sæculi. 530.c. 531.c.d. 537.b
Impostura de Honorio Papa facta in Sexta Synodo. 550.a.b.c. 551.a.b. 554.a.b. 557.a.b. *Vide* Honorius.
Impostura de cæmeterio S. Gregorij Papæ. 189.b.c.d
Indeberga mater Gertrudis Ita dicta. 492.d.e
Indiæ Regis legatio ad Heraclium Imp. 292.d
Infantes baptizandi. 111.d
Inferni pœnæ ostensæ monacho impœnitenti. 650.c.d
Ingenuinus Episcopus Sabionensis exilium passus a Longobardis Arianis. 347.c
Ingobergæ Reginæ pietas & obitus. 64.b
Inguinaria pestis Romæ. 5.a.b. *In Italia vniuersa.* 12.c.d. *Et in Hispania & Gallia.* 12.c.d.e
Iniuriarum remissio aditum ad gloriam parat. 128.a
Innocentius Consul interpres in causa S. Martini Papæ. 429.e
Innocentius Episcopus Emeritensis subscripsit Concilio Toletano sub Gundemaro Rege. 217.b
Innocentius Præfectus in Africa cupidus librorum S. Gregorij Papæ. 138.d.e
Inscriptio sepulchri Ceaduallæ Regis. 592.e. 593.a
Inscriptio in Cruce posita donata a Cosroe S. Sergio martyri. 42.d.e.43.a
Inscriptio in ecclesia S. Ioannis Bapt. a Rege Recesuinthone erecta. 481.e
Inscriptio in ecclesia S. Pancratij posita. 345.
Inscriptio in sepulchro S. Eugenij Episcopi Toletani. 474.a.b
Inscriptio in sepulchro posita SS. Kiliani, & sociorum martyrum. 596.c.597.a
Inscriptio sepulchri Reciuergæ Reginæ. 418.a.b
Inscriptio sepulchri S. Theodori Episcopi. 600.c
Inscriptio sepulchri Theodori. 252.b
Inscriptio Vuambæ Regis super mœnia Toletanæ ciuitatis 513.d.e
Inscriptio posita in sepulchro S. Vuilfridi. 658.d.e
Inscriptio ad sepulchrum S. Felicis Episc. Rauennatis posita 664.a
Insignia clericorum Romanæ Ecclesiæ, quæ fuerint. 122.a. 179.e
Insulani monachi relaxati occasione bellorum. 19.d
Intercessiones Sanctorum proficuæ. 669.e
Inuentio corporis S. Laurentij martyris. 73.e
Inuentarium de rebus Ecclesiasticis. 54.e
Ioannes Abbas Biclarensis historicus. 2.b
Ioannes Abbas indicat de tunica S. Ioannis reperta S. Gregorio. 39.c
Ioannes Abbas a S. Gregorio ad Theodelindam Reginam missus. 50.d
Ioannes Abbas Persa quomodo exceptus a S. Gregorio. 115.c.d
Ioannes Archicantor S. Petri interfuit Concilio Anglicano. 520.c.647.c
S. Ioannis Baptistæ capilli in Hispaniam missi. 134.b
S. Ioannis Baptistæ ecclesia in Modoetia a Theodelinda constructa. 243.d
S. Ioannis Bapt. ecclesia erecta a Recesuinthone Rege. 481.d
S. Ioannes Baptista electus patronus Gentis Longebardorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum. 243.d.e.284.e
S. Ioannes Bapt. redarguit violatorem sepulchri Rotharis Regis Longobardorum. 446.e
S. Ioannis Bapt. ecclesia ad aquas Saluias. 668.a.b. De miraculis in ea. ibid.c.d.e.669.
Ioannes diaconus scriptor vitæ S. Gregorij quo tempore. 186.d
Ioannis Euang. tunica reperta & Romam missa. 38.c
Ioannis Damasceni assertio de liberata Traiani anima cuius ponderis. 185.d.e.186.a
Ioannis Damasceni parentes liberi permanserunt. 331.b.c
Ioannes diaconus Card. legatus ad Sextam Synodum ab Agathone Papa. 529.e
Ioannes Eleemosynarius Alexandrinus Episc. creatur. 212.c.d.e
Ioannes Eleemosynarius Alex. Episc. singulos pauperes describit & alit. 213.b.c
Ioannes Alex. Episc. extirpat Simoniam ab Ecclesia Alexand. 213.a.b. Aliæ res ab eo gestæ initio Episcopatus. 212.e.213.a.b. Hæreses euellit. ibid.e
Ioannes Alex. Episc. duobus diebus hebdomadis publice omnes audiebat. 213.d
Ioannes Alex. Episc. subuenit Hierosolymitanis a Cosrhoe captis 232.b.c. Recipitque profugos Syros. ibid.
Ioannes Alex. Episc. respuit oblationem Simoniaci Episcopi. 240.c.d.e.241.a
Ioannes Alex. Episc. non vult dare pecunias Ecclesiæ ad bellum Persicum. 254.c.d
Ioannis Episc. Alexand. res gestæ cum Georgio Arsa. 325.c
Ioannis Episc. Alexand. res gestæ cum Niceta Patricio. 254.c.d. Eiusdem ad Nicetam epistola. 255.a.b
Ioannes Episc. Alexand. quam vindictam exercuit pro suo nepote contumelia affecto. 256.d.e
Ioannis Episc. Alex. testamentum. ibid.a.b.c
Ioannes Episc. Alex. moritur in Cypro. 255.e.256.a.b. Inter Sanctos relatus. ibid.c
Ioannes Aquileiensis Episc. creatus. 195.e. Idemq. schismaticus. 196.b.c. Eius epistola ad Agilulphum Regem Longob. 196.e.197
Ioannes Arelatensis Episc. 501.a
Ioannes Bergomensis Episc. interfuit Concilio Romano sub Agathone. 529.c
Ioannes Bergomensis Episc. conuertit Grimoaldum Regem ad fidem Catholicam. 485.a
Ioannes Bergomensis Episc. resistens Arianis martyrium est consecutus. 469.e.480.a
Ioannes Cæsaraugustanus Episc. 342.b.343.a
Ioannes Cytri Episc. extorris in Hellesponto ob Sarracenos. 600.e
Ioannis Cypri Episc. responsa edita. 26.d
Ioannes Consiliarius Romanæ Ecclesiæ. 4.b.c
Ioannes Constantinop. Episc. redarguitur a S. Gregorio ob iniquum iudicium monachorum Isaurorum. 49.a.b.c
Ioannis Constantinop. Episc. conatus pro vsurpando Primatu. 84.c.d.e
Ioannes Constantinop. Episc. Vniuersalis titulum vsurpat. 83.e.84.a.
Ioannes Constantinop. Episc. caput S. Pauli cupit transferri Constantinopolim. 84.d
Ioannes Constantinop. Episc. subditum se fatetur Romano Pontifici. 85.e
Ioannes Constantinop. Episc. dolis agit aduersus Gregorium. 86.d. Inuitus paret eidem. ibid.b.c
Ioannes Constantinop. Episc. corripitur a S. Gregorio ob titulum Vniuersalis vsurpatum. 87.a.b.88.a
Ioannis Constantinop. Episc. superbia depressa. 89.d.
Ioannes Constantinop. Episc. falsam Ephesinam Synodum pro vera supponit. 90.c.91.a
Ioannes Const. Episc. Ieiunator dictus. 100.d.e
Ioannes Constantinop. Episc. moritur, & a Græcis pro Sancto cultus. 100.d.e.101.a
Ioannes alius Constantinop. Episc. post Thomam. 476.e. An probatus Catholicus. 477.a.b
Ioannes Corinthi Episc. sub Gregorio. 48.b.85.e.86.a
Ioannes Cretensis Episc. sub Gregorio. 48.b
Ioannes Defensor sequitur Constantinum Papam Constantinopolim. 658.a
Ioannes Eremita quid in visu vidit de anima Dagoberti Regis. 383.e
Ioannes Exarchus occisus. 241.b
Ioannes Exarchus Italiæ studet parti Paschalis Schismatici. 588.a.b
Ioannes in Gallia Episc. interfuit Concilio Rothomagensi 567.b
Ioannis Episc. Lappæ causa per appellationem delata ad Vitalianum Papam. 498.c.d.e
Ioannes Lariss æus Episcopus sub Gregorio. 35.c.48.a
Ioan. Mariana Historicus laudatus. 590.b.c.d
Ioannes monachus S. Theodosij legatus a S. Martino Papa. 411.e
Ioannes Neapoli Præfectus arripit tyrannidem, & occiditur. 241.b.c.d
SS. Ioannis & Pauli martyrum reliquiæ delatæ in Gallias. 13.c
Ioannes Papa Quartus creatur. 348.d.e.349.a
Ioannes Papa Quartus transfert martyres e Dalmatia Romam. 358.d.e
Ioannes Papa Quartus collecta Synodo damnat Ecthesin Heraclij Imp. 354.b.c
Ioannes Papa Quartus redimit captiuos. 358.c.d
Ioannes Papa Quartus quid ad Scotos. 349.a.b.c
Ioannes Papa Quartus de Honorij Papæ epistola suspicionem purgat. 354.e.355.a
Ioannis Papæ Quarti constantia. 354.d
Ioannis Papæ Quarti obitus, & sepultura. 358.c.d
Ioannis Papæ Quarti oratorium in Laterano. 358.d.e 359.a
Ioannes Papa Quintus creatur. 580.b. Olim diaconus legatione functus Constantinopoli sub Agathone. 580.b
Ioannis Papæ Quinti obitus & res gestæ. 583.c.d
Ioannes Papa Sextus quando creatus. 640.a.b. Persecutionē passus ab Absimaro Imp. 640.b. Defensus ab Italiæ militibus aduersus Exarchum. 640.b.c. Sedat milites contra Exarchum permotos. b. Redimit captiuos a Gisulpho Duce Beneuentano detentos. 644.c
Ioannes Papa Sextus moritur. 650.e. Res ab eo gestæ ordinatio, & sepultura. ibid.
Ioannes Papa Septimus creatur. 650.e. Accipit legationem a Iustiniano Imp. 651.c. Concilium Romæ cogit. c.d. Non approbat nec reprobat canones Sextæ Synodi. 651.d.e.652. Timiditatis arguitur. 651.d. Absoluit in Concilio Rom. S. Wilfridum Episc. 652.c. Ioannis eiusdem obitus, res gestæ & sepultura. 655.d
Ioannes Papa Septimus noluit probare canones nomine Sextæ Synodi editos. 612.c.d
Ioannes Exconsul Patricius & Quæstor, ad quem S. Gregorius clauem cum reliquijs mittit. 17.c
Ioannes Patricius occidi iussus a Phoca. 202.a
Ioannes Patricius missus in Africam aduersus Sarracenos. 627.b.c
Ioannes Platyn Exarchus pecuniam exigit ab Ecclesia Romana. 588.a

Ioan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannes Philadelphiæ Episcopus Vicarius Apostolicus in Oriente a S. Martino Papa creatus. 409.e
Ioannes Portuensis Episc. Legatus missus a Romano Pontif. ad Sextam Synodum. 529.e
Ioannes Portuensis Episc. Constantinopolim ductus. 611.d
Ioannes Episc. Primæ Iustinianæ a S. Gregorio monetur. 72.c. De eodem. 48.b. 157.a
Ioannes Spatharius cognomento Strutus in Tiberium filium Iustiniani Imp. immissus. 662.b.c Occidit ipsum. d
Ioannes Episc. Syracusanus. 76.b. Mittit pecuniam ad S. Gregorium pro redimendis captiuis. 102.b.c. Admonetur a S. Gregorio. 104.c.d
Ioannes Exarchus cognomento Rizocopus quæ nefanda in Romanam Ecclesiam commisit. 658. b. Obitus eius. ibidem.
Ioannes monachus astronomus & magus prædicit Imperium Philippico. 662.e. Cæcus effectus. 663.a. Bellum gerit aduersus Sextam Synodum. 662.c. 663. 664. Creatus Episcopus Constantinopolitanus electo Cyro. 664.e. 665.a
Ioannis presbyteri causa a Gregorio Papa cognita contra Orientale iudicium. 90.b.c.d
Ioannes Primicerius Rom. Ecclesiæ sub Gregorio. 4.c
Ioannis Primicerij Rom. Ecclesiæ constantia. 349.a.b
Ioannes Rauennas Episc. quæ ad Gregorium de fuga. 8.e
Ioannes Rauennas Episc. laborat aduersus schismaticos. 34.c.d. Acerrimus defensor Quintæ Synodi. 67. e. 68.a
Ioannes Rauen. Episc. sequester pacis cum Longobardis. 31.b.c.
Ioannes Rauennas Episc. arguitur a S. Gregorio de abusu pallij. 54 Et ob prauos mores. 72.b
Ioannis Rauennatis Episc. obitus. 95.b.c
Ioannes electus Rauennas Episc. reijcitur ob Psalmorum imperitiam. 95.d
Ioannes Rauennatis Eccles. subdiaconus. 158.b
Ioannes Regitanus Episc. legatus ad Sextam Synodum. 529.e
Ioannes Sacellarius Petri. 464.c
Ioannes Scyllacenus Episc. sub Gregorio Papa. 33.b
Ioannes scripta ad Honorium Papam mittit. 281.e
Iobinus Præfectus Illyrici. 18.e
Ionas Abbas accuratus scriptor rerum sui temporis. 279.c.d
Ionas scriptor rerum gestarum S. Columbani & Attalæ eius successoris. 243.b
Ionas monachus scriptor vitæ S. Vulfranni Episc. Senonensis. 636.b
Irenes vxor Domitij Patricij reddita fœcunda precibus Theodori. 207.c.d.e
Irenæi scripta quæsita & non inuenta. 146.b
Isacius Exarchus ab Honorio Papa excitatus aduersus schismaticos Transpadanos. 279.b.c
Isacius Exarchus aduersus Mauritium tyrannum mouetur. 361.d.e
Isacij Exarchi obitus & sepultura. 362.a.b.c
Isaurorum monachorum causa per appellationem cognita a S. Gregorio Papa. 49.a.b.c. 91.a.b
Isidorus appellat Romanum Pontificem 36.b
Isidorus creatus Episcopus Hispalensis præfuit Synodo Hispalensi. 252.e. 253.a
Isidorus interfuit Concilio Toletano quarto. 330.c
Isidorus sacros ritus & preces Ecclesiasticas in Hispania ad meliorem formam redegit. 330.c
Isidori obitus & vitæ tempus. 340.c.d.e. Eiusdem scripta. 340.e. 341.a
Istriæ Episcopi petunt iter tutum ad Vrbem. 91.e.92.a
Istriæ Episcopi per Exarchum compulsi inhærere Gradensi Episcopo. 196.c.d. 197.a
Istriæ Episcopi reducti sub Gradensi Patriarcha. 196.e
Italia Arianorum peste inficitur per Longobardos. 12.b.c
Italia laborat peste inguinaria. 12.c.d
Italiæ status luctuosus sub Longobardis. 51.c. 97.a.b.c. 82.d.e. 647.e 648.a
Italiam inuadunt Sclaui siue Sclauini dicti. 135.d
Italia liberata ab Eleutherio Exarcho. 241.d
Italica Patricia femina insignis. 56.b.c
Itta religiosissima femina vxor Pipini Principis. 302.d
Iudæi ne cogantur inuiti ad fidem. 26.e.27.a.69.d.e. 117.e 118.a. 169.b
Iudæi a Gallis coguntur ad fidem. 26.e.27.a.b. 239.d.e
Iudæi in Hispania coguntur ad fidem. 239.c.d.e
Iudæorum ancillæ & serui confugientes ad Ecclesiam ne reddantur. 56.a
Iudæi ne ducant funera psallendo. 122.d
Iudæi quo præuio catechismo debeant baptizari. 117.d.e
Iudæi quæ a neophyto passi fuerint. 117.e. 118.a
Iudæi emunt Christianos captiuos in Palæstina & occidunt eos. 231.e. 232.a
Iudæis conuersis necessaria suppeditanda. 117.e
Iudæis ab Heraclio Imp. ad baptismum compulsi. 239.e
Iudæi in Christianos grassantur Antiochiæ. 209.e
Iudæi occidunt Anastasium Patriarcham Antiochenum 210.a
Iudæorum neophytorum iuramentum Regi præstitum. 441.a.b
Iudæi apostatæ quibus conditionibus recepti. 440.e
Iudæi vexant Hispanias. 586.b
Iudæi rebellant in Hispanijs aduersus Regem Egicanem. 619.d
Iudæi reducti in seruitutem in Hispania. 619.e. 620.a.b.
Iudæorum filij septennes a parentibus ablati. 620.b.c
Iudæi reuocati in Hispaniam per Vuitzam & aucti priuilegijs. 641.d
Iudicandum neminem de occultis. 128.a
Iudices cohibeant iram in iudicando. 140.b.c
Iudices mali magis quam Barbari obsunt. 80.e
Iudicium durum faciendum impœnitentibus. 649.e
Iudicij magni dies proxima semper credita. 148.d
Iudicij futuri & infernarum pœnarum tetles non pauci. 627.a
Iudocus filius Regis Britanniæ. 442.b
Iustinianus Apostata fugillat Traianum. 183.c.d
Iulianus nimis incaute res Persarum tentauit. 262.a
Iulianus diaconus Toletanus scriptor rerum S. Ildefonsi. 475.a.b. 586.e
S. Iuliani martyris nomine signa edita. 99.d
Iulianus Pomerius longe diuersus a Toletano. 586.d.e
Iulianus Scribon dat pœnas. 136.b.c.d
Iulianus subdiaconus sequitur Constantinum Papam proficiscentem Constantinopolim. 658.a
Iulianus Toletanus Episc. natus ex Iudæis. 590.d.e
Iulianus Toletanus Episc. aduersus Iudæos laborat. 586.d
Iulianus Toletanus Episc. legatos Romam mittit. 590.e 591.a
Iulianus Tolet. Episcopus insultans Rom. Pontifici corripitur. 590.a.b.c
Iuliani Toletani Episc. obitus. 600.d
Iulianus tertius huius nominis Episcopus Toletanus exulat sub Vuitiza Rege impio. 641.d
Iulianus Comes Prouinciæ Tingitanæ proditor regni Hispanici. 671.e. 672.a. Fauet Sarracenis. 673.a

Iulien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iulienſis Patriarcha cur dictus Aquileienſis. 197.c
Iulius Epiſcopus Herbipolenſis. 597.b
Iuramentum ſupra corpus S. Petri. 168.a
Iuramentum ſuper corpus S. Apollinaris. 93.c
Iuramentum ab Egicane præſtitum Ernigio Regi. 589.b.c. 591.b.c
Iuramentum militibus præſtitũ ab Heraclio Imp. 257.b.
Iuramentum de non acceptando Epiſcopatum, Gregorius haud irritari uoluit. 172.e
Iuramentum Neophitorum Iudæorum. 441.a.b
Iuriſconſultorum hæreticorum ſtoliditas. 200.b
Iuriſdictio Eccleſiaſtica proculcata tẽpore auctoris. 171.b
Iuſtinus Abbas monaſterij S. Anaſtaſij laudatus. 260.b.c *Idem inſtitutor S. Anaſtaſij Perſæ. ibid.*
Iuſtinianus Imperator inſequitur Manichæos. 578.b
Iuſtinianus Imp. oppreſſor Romanæ Eccleſiæ. 2.e.3.a
Iuſtinianus filius Mauritij Imp. 158.e
Iuſtinianus iunior imperat. 577.e.578.a
Iuſtinianus Imp. in hæreſim lapſus. 584.c.d
Iuſtinianus Imp. ſcribit ad Cononem Papam. 584.b
Iuſtinianus Imp. inſequitur Sergium Papam. 611.b.c.d
Iuſtinianus Imperator legationem mittit ad Ioannem Papam pro confirmatione Canonum ſextæ Synodi. 612.b.e
Iuſtinianus Imp. dum perſequitur Sergium Romanum Pontificem, inſte ipſe perſecutionem paſſus. 615.d. *Odium incurrit ciuium ob ſæuitiam miniſtrorum.* 617.c.d. *Ob publica ædificia conſtruenda diruit templum Deiparæ.* 617.d. *Captus a Leontio truncatis naribus eijcitur in exilium Cherſonam.* 618.e.619. *Cauſa malorum ipſius. ibid. Quum non ignorans ſepoſita corona pedes exoſculatur Rom. Pontificis.* 619.a
Iuſtinianus naſo præciſus iterum imperat. 644.a.b *Caiani ope nititur ibid.b. Item & Trebellij Regis Bulgarorum. ibid.b. Sororẽ Caiani accipit in uxorem.* 644.b. *Eius implacabile odium aduerſus inimicos ſuos.* 644.b. 646.c.d. *Eius legatio ad Ioannem Papam Septimum.* 651.c. *Iuſtinianus laborat apud Ioannem Septimum pro confirmatione Canonum Sextæ Synod.* 651.d.e
Iuſtinianus Imp. præciſis naribus mittitur in exilium. 619.b.c.d *Quid in Sergium Papam.* 617.b.c
Iuſtinianus Imp. proditionem parans aduerſus Eccleſiam, proditionẽ paſſus ipſe. 615.d.617.e.618.e.619.a.b.c
Iuſtinianus Imp. ingratus in Bulgaros ab illis uincitur. 655.b. *Accerſit Cõſtantinum Papam.* 657.d.e.658.a. *Excepit cũ honorifice, proſtratus oſculatur pedes eius.* 659.d.e. *Accipit Euchariſtiam de manu Pontificis.e. Renouat Eccleſiæ priuilegia. ibid.e*
Iuſtinianus ulciſcitur in Cherſonenſes. 660.b 661.e. *Eius claſſis naufragium. ibid.b.c. Sæuit in propinquos Bardanis.* 662.a.b. *Occiditur.* 662.d. *Caput eius delatum Romam.* 662.d
Iuſtus cum ſocijs a S. Gregorio miſſus in Angliã. 147.e.d
Iuſtus creatus Epiſcopus in Anglia. 192.e.d
Iuſtus Epiſcopus præceſſor Honorij. 327.c
Iuſtus Roffenſis Epiſcopus. 228.d. *Accipit pallium a Bonifacio Papa V.* 250.c.d.e
Iuſtus Manichæus detegit Manichæos. 444.e.d
Iuſtus diaconus Toletanus ob ſuperbiam dat pœnas. 474.d.e
Iuſtus Epiſcopus Toletanus. 341.b. 342.d.e. *Quæ paſſus a Gerontio presbytero.* 474.e

K.

Kilianus monachus Romam profectus pro licentia prædicandi Euangelium Gentibus. 585.b
Kilianus Apoſtolatus officium a Cononе Papa accepit. 584.e.585.a
Kilianus Franconijs prædicat. 585.d
Kiliano oſtenſa viſio. 595.d
Kiliani & ſociorum martyrium. 595.a.b.c. *Eorundem epitaphium ſepulchrale.* 596.e.597.a
Kiliani & ſociorum Acta illuſtrata a Nicolao Serario. 595.b.596.d.e
Kiliani duo. 586.a.b

L

Laicos miniſtros Epiſcopus non habeat, ſed clericos. 252.e.253.a
Laici vetiti ſeruire cubiculo Pontificis. 91.d
Laici ne clericos affligerent S. Gregorius curauit. 17.e
Laici ne aſſumantur ad Epiſcopatum. 94.a
Laico habitu probandi antea, qui profiteri uolunt monachiſmum. 91.e
Laici Principes magno periculo ſe immiſcent ſacris dogmatibus diſquirendis. 292.e.293.a
Lambertus Tungrenſis Epiſcopus martyrio coronatus. 630.e. *Scriptæ res ab eo geſtæ a Stephano Epiſc. Leodienſi.* 630.e. *Arguit Pipinum ob pellicem.* 631.a.b. *Prepinat Pipino & non pellici.* 631.c.d
Lambertus Epiſcopus Traiectenſis ſucceſſor S. Theodardi. 478.c
Lamberti Epiſcopi Traiectenſis ſeceſſio. 580.e. *Eius martyrium.* 631. *Pellices non admittit ad ſepulchrum ſuum.* 632.b.c
Lamberti martyris translatio. 674.d
Lamentationes Antiochi de Hieroſolyma capta. 232.c.d.e.233
Lãpades deferri ſolitæ in occurſum in ſignũ lætitiæ. 288.b
Landericus Epiſcopus Pariſienſis. 482.e
Landoaldus Archipresbyter miniſtrer S. Amandi in prædicatione. 481.b
Landolinus Epiſc. Cameracen. a S. Martino Papa munus prædicationis accepit. 418.d
Lantbertus filius Theodonis Principis trucidat S. Heimerammum Epiſc. 644.e.645
Lapſi quo pacto reſtituendi in Eccleſiam. 410.e
Lateranenſe Concilium generale ſub Martino Papa. 390.c.391.392.393. *Vide* Concilium.
Lateranenſe Epiſcopium deprædatum ab Iſacio. 345.d.e. 346.a
Latinæ linguæ cultus collapſus penitus. 57.c.d
Lauræ S. Sabæ monachi occiſi a Sarracenis. 236.b.c.d.e
Lauratæ imagines Imperatorum. 162.e
Laurentius Archidiaconus Romanæ Eccleſiæ depoſitus a S. Gregorio. 19.e.20.a
Laurentius & Petrus ab Auguſtino Romã miſſi. 147.c
Laurentius Epiſcopus Doruernienſis ſucceſſor Auguſtini. 193.a.b. *Propagator fidei in Anglia. ibid.b.c*
Laurentius receſſurus ab Anglia uerbera patitur a ſancto Petro. 228.c.d
Laurentius Epiſcopus ſcribit ad Scotos de Paſchate. 193.e.194
Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus aſſertor damnationis Trium capitulorum. 51.e
Laurentij martyris corpus ſub Pelagio inuentum. 73.e
Laurentij martyris corpus effodientes pereunt. 73.d.e
Laurentij martyris reliquiæ miſſæ in Angliam et in Gallias a Vitaliano Papa. 13.c.494.b.496.e
Laurentij in Lucina eccleſia reſtaurata a Benedicto Papa. 579.e
Lauſtranus presbyter Scotus. 349.a
Lazi milites recuſant procedere cum Heraclio. 263.d.e. 264.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Leander Episc. Hispalensis accipit a S. Gregorio pallium. 134.b.c. *Nec non librum Curæ Pastoralis.* 94.c
Leander Episc. Hispalensis consulit S. Gregorium. 27.b.c
Leander Episc. Hispalensis podagra laborat. 134.b.c
Lebuinus unus ex duodecim in Germaniam ad prædicandum missis. 599. d. *Martyr prope Gandauum factus.* 630.b
Legatio Agathonis Papæ ad Sextam Synodum. 529.e
Legatio S. Amandi ad S. Martinum Papam. 403.b.c
Legatio Anglicani Concilij Vuilfrido Episcopo credita ad Romanum Concilium. 527.c
Legatio Antiochi anachoretæ ad Mauritium Imperatorem. 113.b.c.d.e. 114.a
Legatio a Cyriaco Episc. Constantinopolitano ad Sanctum Gregorium Papam. 101.a.b. *Alia ab eodem.* 106.c
Legatio a Clothario Rege ad S. Columbanũ. 230.e.231.a
Legatio a Conone Papa Constantinopolim missa præuaricata est. 584.c
Legatio Carthaginensis Episcopi ad S. Gregorium. 33.c.
Legatio a Constante Imper. ad S. Maximum exulem. 450.e.451.452
Legatio Constãtis Imp. ad Regem Sarracenorum. 498.a.b
Legatio Dagoberti Regis ad Heraclium Imperatorem. 292.d
Legatio Dagoberti Regis ad Sclauos. 357.c
Legatio Eduini Regis ad Honorium Papam. 326.d.e
Legatio a Conone Papa missa Constantinopolim coacta præuaricari. 615.a
Legatio Elborensis Episc. in Hispania missa a Gregorio Papa Septimo. 643.c
Legatio missa a Gregorio Secũdo Papa Constantinopolim aduersus Iconoclastas. 615.b
Legatio Francorum Regum ad S. Gregorium Papam. 167.e.168.a
Legatio a Gregorio Papa missa ad Theodolindam. 50.e
Legatio Heraclij Imp. ad Cosrhoem Regem. 249.e
Legationes ad Heraclium a diuersis Regibus missæ. 292.d.e
Legatio Hispanorum Episcoporum ad Leonem Secundum. 574.e.575.a
Legatio Indorum Regis ad Heraclium Imp. 292.d
Legatio a Iuliano Episc. Toletano missa Romam. 590.e. 591.a
Legatio a Iustiniano Imper. ad Ioannem Papam Septimum. 612.b.c
Legatio a Iusto Episcopo Angl. ad Honorium Papam. 328.e
Legatio Martini Papæ ad Regem Francorum. 390.d.e
Legatio Mauritij Imp. ad Caianum Regem Auarum. 137.b
Legatio a Numidiæ Episcopis ad S. Gregorium. 32.b
Legatio ab Osuui Angliæ Rege ad Vitalianum Papam. 493.a
Legatio a Rauennate Episcopo. 392.d.e
Legatio Reccaredi Regis ad S. Gregorium Papam. 133.e
Legatio a Romano Concilio ad Sextam Synodum. 529.e
Legatio a Romana Ecclesia falsò asserta a Græcis. 605.b.e
Legatio a Saxonum Rege ad Clotharium Regem. 231.b
Legatio a Saporio tyranno ad Regem Sarracenorum. 498.a
Legatio a Scotis missa ad Seuerinum Papam. 348.e
Legatio a Sophronio Episc. Hierosol. 312.c.d.320.d.e
Legatio Taionis Episcopi Romam. 416.d.e.
Legatio Hugonis Card. ad Hispaniam missa a S. Gregorio Papa Septimo. 642.c.d.e.643.a
Legatio Iustiniani Imp. ad Ioannẽ Papam Septimũ. 651.c
Legatio Victoris Episcopi Carthag. ad Theodorum Papam. 377.e.378.a
Legati Apostolicæ sedis quæ passi sint Constantinopoli. 615.b
Legati Apostolicæ sedis haud adeo docti esse excusantur. 530.e.531.a. *Quid eis ab Agathone præceptũ.* 531.d. 537.e.550.d
Legati Apost. sedis quo honore excepti Constantinopoli. 538.e
Legati Cyriaci admoniti a S. Gregorio. 101.d
Legati a Constante Imp. ad S. Maximum quid cum eo. 450.e.451.452.453.*usq. ad* 458
Legati ab Heraclio Imp. ad colligendam pecuniam. 254.b.c.
Legati a Ioanne Eleemosynario missi ad redimendos captiuos. 232.b
Legati Saxonum in discrimen positi liberantur opera Sancti Faronis. 231.b.c
Legati qui a Sophronio Episc. Hierosolymit. missi. 312.c.d.
Legati qui missi a Victore Episcopo Carthag. ad Theodorum Papam. 377.e
Legati a Conone Papa missi Constantinopolim præuaricati sunt. 615.b
Legati missi a Gregorio Papa Secundo missi Constantinopolim ab Imp. in exilium missi. 615.b
Lena Ancyrana missa a Bonifacio Papa ad Regem Eduinum. 270.c
Leocadia martyr apparet S. Ildefonso. 475.c.d
Leocadiæ martyris ecclesia fundata a Sisebuto Rege. 253.e
Leodegarius Præfectus domus Regiæ. 502.a. *Patitur persecutores, & efficitur martyr.* 580.e.581.a.b. *Signum super caput eius.* 582.d.e.583.a
Leodiensis Ecclesia peculiaris filia Ecclesiæ Romanæ. 633.b
Leo Catanensis Episcopus a S. Gregorio reprehensus Romam uocatus. 36.e.138.c
Leo Magnus gratias agit per uisum Sancto Eulogio. 208.b
Leo Magnus Concilij Chalcedonensis tantummodo probauit Decretum fidei. 68.d.e.69.a
Leo Magnus miraculo sanat incredulos. 74.a
Leo Magnus de manuum impositione iudicio obnoxius. 93.e
Leo Magnus usus titulo Vniuersalis. 89.e.90.a
Leo Magnus restitit Anatolio Episc. Constantinop. 84.c
Leonis Magni Epistola defensa ab Eulogio. 208.b.c
Leo Papa Secundus creatur. 568.a
Leonis Papæ Secundi Epistola ad Constantinum Pogonatum ficta conuincitur. 571.c.d. *Sic & aliæ eius Epistolæ* 568.e.569.a.570.571.
Leonis Papæ Secundi epistola ad Hispanos ficta. 572.d.e.
Item epistola ad Quiricum Toletanum Episc. d. e.
Item ea ad Simplicium Comitem data. 573.b.c.
Item ea ad Eruigium Regem data. 573.d.e
Leo Papa Secundus mittit Acta Sextæ Synodi in Hispanias. 574.c.d
Leo Papa probibuit commemorationem agi Mauri Episc. Rauennatis schismatici. 575.c
Leonis Papæ Secundi obitus & sepultura. 575.b.c
Leontia Augusta coronatur. 160.d.e
Leontia Augusta uxor Phocæ. 158.e
Leontia Augusta accipit litteras a S. Gregorio Papa. 165.a
Leontius ex Præfecto hæreticus, tyrannus inuadit Imperium expulso Iustiniano. 618. e. 619. a *Ejicitur ab Abstimaro.* 627.b.c.d. *Atq. præciso naso monasterium*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sterium detruditur. ibid. Quibus pœnis affectus a Iustiniano Imp. 646.c.d
Leontius diaconus Ecclesiæ Hierosoly. 312.c
Leontius Episc. Constantiæ Cypri scripsit Historias post Euagrium. 76.a.212.c.254.c.255.c
Leontius monachus monasterij S. Theodosij. 411.e
Leontius contra Narsetem missus. 194.e
Leontius Exconsul mittit ad S. Gregorium munuscula. 119.d. *Missus in Italiam ab Imp.* 139.d
Leontius Exconsul sœuit in Libertinum uirum clarissimũ. 139.d.e. *Corrigit eum S. Gregorius.* 140.a.b.c
S. *Leontius Prætor missus in Armeniam a Iustiniano Imp. recuperat prouinciam ablatam a Sarracenis.* 578.a
Leonis Papæ corpus a Sergio Papa eleuatum & honorificentius conditum. 639.b
Leprosi formam Christus accipit. 39.b.c
Lethe ita uocatus carcer Persarum. 238.e
Leubouera Abbatissa monasterij Pictauiensis S. Radegundis. 57.e.58.a.59.d.e.60
Leudesius Maiordomus Childerici Regis. 502.a
Leuparius Episcopus Turonensis excepit mensa S. Columbanum. 223.a
Leges Edilberthi Regis Franc. 227.b.c
Lex Heraclij de numero clericorum. 251.c.d.e
Lex Mauritij de militibus inique lata. 45.c.d
Lex Mauritij ne miles possit ingredi monasterium. 42.a
Lex Mauritij aduersus Donatistas. 105.b
Lex Sisebuti Regis de Iudæis ad fidem conuertendis. 239.c.d.
Legis Ecclesiasticæ sanciendæ rationem quomodo sibi uindicauerunt Imperatores. 469.a.b
Libellus affixus contra Castorium Responsalem. 101.e
Libellus confici solitus de miraculis sanctorum per Notarios Ecclesiæ. 668.a
Libyam Cosrboes inuadit. 240.b
Librum de cælo lapsum finxit Mahometus. 296.b
Liber qui inscribitur Ordo Romanus a Gelasio Papa scriptus. 613.e
Liber uitæ in Ecclesia obseruari solitus quis. 365.e
Libri Moralium S. Gregorij missi ad S. Leandrum. 29.b. *Qui desiderabantur inuenti Romæ.* 417.a.b.c
Libros scriptos aduersus hæreticos probat Romana Ecclesia. 137.c.d
Liberatus diaconus Calaritanus cohibetur a S. Gregorio. 22.c
Libertinus Expræfectus quæ passus a Leontio. 139.e
Ligna pro basilicis Apostolorum ex Calabria allata Romam. 157.e.639.c
Lilia genus lampadum in ecclesia. 22.c
Lilius familiaris Phocæ Imp. occisor Mauritij Imp. 166.e
Lilla fidelis minister sua morte Regem Eduinum liberat. 275.c
Limina Apostolorum frequentata a Regibus. 592.c.d.e. 594.e.595.a. *Ea exosculantur peregrini.* 303.e
Lindocolini populi in Anglia ad fidem conuersi. 291.b
Lineatores qui fuerint. 201.d
Linguæ Latinæ & Græce cultus deperditus. 57.c.d
Linguæ quatuor in Britannia. 334.e
Linteum cum sacris imaginibus a Dei genitrice contextum. 524.a
Liparitana Ecclesia uacans pastore. 37.c
Lirinense, siue Lerinense monasterium per Bonum Abbatem restitutum. 154.b
Litaniæ ab Honorio Papa institutæ. 344.e
Litania Maior a S. Gregorio indicta. 6.e
Litania septiformis qualis fuerit. 5.d.e.6.a.b
Litaniæ institutæ a Sergio Papa in Purificatione S. Mariæ. 638.e
Litaniæ indicendæ tempore belli. 151.d.e
Litteræ tam Græcæ quam Latinæ collapsæ. 57.c.d
Liuinus Flandrorum Episcopus sanctus. 305.b
Liuba Rex Hispaniæ post Reccaredum. 215.c
Lixica Episc. Toletanus successor Vrbani. 476.d
Londoniensis Ecclesia in Anglia nulli subiecta. 150.d.e
Londoniense Concilium an renera sit habitum. 673.e. 674.a
Longinus Strator Imp. Mauritij. 45.c
Longobardi Vrbem vexant. 2.d.3.a.76.c.77.e.79.a.b. 102.a.b.164.c
Longobardi Ariani. 12.b
Longobardi vexati a Francis. 13.d.e
Longobardorum in Italia Regnum quantum. 29.c
Longobardi conuersi ad fidem Catholicam per Theodolindam. 29.c.d
Longobardi uetiti a S. Petro Vrbem capere. 81.d.e
Longobardi clementia S. Gregorij seruati in uita. 93.a.b
Longobardi Gentiles immolabant caput capræ. 111.b
Longobardi pacem Romanis concedunt ad breue tempus. 116.a
Longobardi soliti impugnare Ecclesiam Gradensem. 300.a.b
Longobardi sub protectione Sancti Ioannis Baptistæ. 484.e
Longobardorum Rex quando eligendus ab Episcopo Mediolanensi. 138.a.b
Longobardos quanto tempore passa est Roma. 164.c
Longobardi rursum turbant Italiam. 167.e. 647.e. 648.a
Longobardorum ciuile bellum in Italia. 647.e. 648.a.
Lotherus Rex Cantuariorum. 518.d
S. *Luciæ ecclesia in Vrbe ab Honorio erecta.* 345.b
Luciferi stellæ cultor Mabometus & Sarraceni. 297.a.b
Luceoli ciuitas a Longobardis capta. 76.e
Ludere tabulis indecorum religiosis. 61.d
Luidhardus Episc. comes Berthæ Reginæ. 111.e
Luitbertus filius Cuniperti Rex Longob. pupillus. 647.a. *E Regno sublatus.* 647.e.648.a
Liudprandus Rex Longobard. Pipinum oblatum a patre recepit in filium. 577.a.b. *Regnat post Ansprandum.* 666.c.d. *Confirmat donationem Alpium Cottiarum factam Romanæ Ecclesiæ.* ibid.d
Luminaria in Ecclesia frequentia. 175.e.176.a.b
Luminaria diuinitus accensa. 30.b.c
Lunæ cultores Mahometani. 297.a.b
Luna profuit Romano exercitui. 259.a.262.b
Lupi insurgunt in Schismaticos. 248.e
Lupus Dux Foroiulienſis Grados deprædatus. 300.a. 481.c. *Occiditur a Barbaris.* 485.d.e
Lupus Episcop. Senonensis non uult occurrere ministro Clotharij Regis. 301.d.e
Lupus Episc. Senonensis mittitur in exilium. 301.d.e. *Reuocatur ab exilio.* 301.e
Lupus Episc. Senonensis fugat exercitum Clotharij. 242.e
Luxouiense Cœnobium erectum a Sancto Columbano. 219.e
Luxouiensi Cœnobio progressi multi Episcopi. 243.b
ex *Luxuria inquinatus non amplius ad altare accedat.* 71.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

M

Macarius Episc. Antiochen. impugnat fidem Catholicam. 519.a.b
Macarij Episc. Antioch. causa cognita. 540.e. Eius impostura detecta a Patribus. 542.b.c
Macarius Episc. Antioch. in Concilio pallio nudatur. 546.d.e. Sententia in eum lata. 547.a
Macarius Episc. Antiochen. missus Romam retruditur in monasterium. 568.e
Macarius damnare hæresim noluit, vt restitueretur. 579.d.e
Maceo Comes. 60.e
Macedonius intrusus Episc. Antiochenus. 409.e
Eius causam iudicat Martinus Papa. 411.d
Macrobius Scribo a Phoca Imp. sagittari iussus. 210.b.c
Madegisilus Abbas aduersatur S. Lupo. 301.e
Masors quid significet. 61.e.62.a
Magi Persarum redarguuntur a S. Anastasio. 273.c
Magistri militum laborant pro conuersione Schismaticorum. 126.e.127.a
Magistratus in Oriente venales. 194.c. d
Magundat vocatus S. Anastasius ante baptismum. 238.b
Mahometanæ sectæ mala antea prænunciata. 204.d.e
Mahometus præcursor Antichristi. 295.e. Typum gerit Antichristi. 420.e.421.a
Mahometus creditur a suis propheta. 296.a. Eius origo. b.c. Fingit de cælo accepisse librum. ibid.c.d
Mahometus occurrit Heraclio Imp.e Persida redeunti. 296.c.d
Mahometus armorum potentia propagat Imperium. 297.d.e
Mahometis secta nefanda. 296.c.d.e. 297.a.b.298.a.b
Mahometis obitus. 295.e.296.a
Mahometis sepulchri impostura. 297.c.d.e
Mahuuias Rex Sarracenorum capit Rhodum. 442.c
Mahuuias superat Constantem Imp. nauali prælio. 446.b.c
Mahuuias aduersus Romanos erigitur. 479.b.c
Mahuuias moritur. 523.e.
Mala uentura a S. Gregorio prædicta. 167.b
Malchus Episcopus in Dalmatia. 17.e. In carcere falso assertus necatus. 93.a
Malefici puniti a Mauritio Imp. 66. d. Eos insecutus S. Gregorius Papa. 174.b
Mallones dicti cirri capillorũ minti soliti in signum adoptionis. 577.a
Mancipia Christiana Iudæis vendita vendicentur in libertatem. 55.e
Manichæorum hæresis in Armenia reuiuiscit. 442.d.e 443.444.c.d
Manichæi iussi comburi. 578.b
Manichæi abundant in Africa. 627.d.e
Mansuetus Episc. Mediolanensis interfuit Concilio Romano sub Agathone Papa. 529.b
Mansuetus Episc. Mediolanen. suis scriptis monet Imperatorem. 525.a
Mansur cognomentum familiæ Damascenæ. 601.c.d
Manuel Augustalis. 331.d
Mantuanum Concilium sub Eugenio Papa. 196.a
Mappulis vti solitos tãtum clericos Rom. Ecclesiæ 122.a
Mardesan filius Cosrhois minor natu. 285.e
Marchionis nomen incognitum tempore S. Gregorij Papæ. 97.a
Marci sedes Eccles Aquileiẽsis trãslata Gradus. 196.c.d
Marci corpus quãdo trãslatũ Venetias ex Aegypto. 344.a
Eius ecclesia Romæ aucta coopertorio per Ioannem Papam Sextum. 650.e
Marci & Marcelliani martyrum reliquiæ missæ Rauennam. 95.b.c. Eorundem cœmeterium. 655.d
Marcellinus unus ex duodecim in Germaniã missis. 599.d
Marcellinus comes S. Suuiberti in prædicatione. 621.d.e. 622.a.b
Marcellinus presbyter & prædicator Euangelij in Germania et scriptor rerũ S. Suuiberti, quid de se ipso. 630.e
Maria Virgo inuocata ab auctore. 1.d
Maria Virgo liberat Constantinopolim ab obsidione. 267.e.268.a. Iterum. 510.a
Maria Virgo apparet S. Ildefonso. 476.a.b
Mariæ Virgini dicatum Pantheon a Bonifacio Papa. 201.b. A Benedicto Papa ornatur. 580.a
Mariæ Virginis imagine delata solemni ritu fugata pestis. 6.c.d
Mariæ Virginis in Via lata ecclesia dicata a Sergio Papa. 639.e
Mariæ Virginis antiqua basilica Romæ quæ fuerit appellata. 655.d
Mariæ Virg. imago delata in classe ab Heracl. Imp. 211.c
Mariæ Virginis imago ab Episc. Cyzici delata ad Heraclium Imp. 211.b.c
Mariæ Virginis veli particula donata a Thoma Episc. Constantinop. S. Theodoro Siceotæ. 203.d.e
Mariæ Virg. ope vincitur Persa. 267.b.272.b.c.d
Mariæ Virgini dicata basilica Ticinensis. 602.a
Mariæ Virginis basilica Constantinopoli destructa ob publica ædificia. 617.d
Mariæ Virg. ecclesia ex templo idolorum facta. 624.d
Mariæ Virg. intercessione S. Vuilfridus sanatur. 653.a
Mariæ Virg. oratorium in ecclesia S. Petri a Ioanne Papa Septimo factum. 655.e
Marinianus electus Episc. Rauẽnæ. 95.d.e. Laudatus antea, reprehẽditur a S. Gregorio. 138.b.c. 152.b.c. Laborat sputo sanguinis. 152.c.d.e. Epitaphiũ. 152.e.153.a
Marinus amicus S. Maximi ab ipso laudatus. 372.d.e. 373.a.b
Marinus primus Episc. Ferrariensis. 503.a
Marinus Scribo minister Isacij Exarchi. 362.a
Martina Augusta coronata a Sergio Patriarcha. 225.b.c
Martina Aug. veneno necat Constantinum Imp. 358.b. Dat pœnas scelerum. ibid. c.
S. Martini Episc. Turon. vetus ecclesia in Anglia. 112.d. Eius ecclesia dedicata a SS. Vuillebrordo & Suuiberto Episcopis. 628.d
S. Martinus Papa creatur. 390.b.c. Synodum statim indicit contra Monothelitas. ibid. b.c.
Martinus Papa laudat fidem Catholicam prædecessorum omnium. 324.c.d
Martinus Papa tentatur ab Imp. de confirmatione Typi. 390.d
Martinus Papa Legatos mittit ad Regẽ Frãcorũ. 390.e
Martini Papæ ad Synodum oratio. 392.b.c
Martinus Papa quid de ecclesijs Sardiniæ. 583.d
Martini Papæ epistola ex Concilio Romano. 398.b.c. 399.340.341.342
Martini Papæ epistola ad S. Amandum. 403.d.e.404.a
Martini Papæ mira constantia pro fide Catholica. 405.c
Martinus Papa tẽtatus occidi diuinitus ereptus de manu Spatharij. 406.c.d
Martini epistola ad Constantem Imp. 406.e.407.a
Martinus Papa scribit ad Africanos Episcopos. 409.c
Martinus Papa scribit ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ, quem creat Vicarium in Oriente. 409.e
Martinus subuenit Ecclesijs Syriæ ab hæreticis occupatis. 410.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Martinus Papa de lapsis restituendis quid decernat. 410.e
Martini Papæ sæpe laudata virtus. 412.a.b.416.a.b
Martinus Papa scribit ad Theodorum Episcopum. 412.c.d 419.e. 420.a
Martinus Papa deponit Paulum Episc. Thessalonicensem 413.c.d.e
Martinus Papa scribit ad diuersos Orientis Episcopos. 413.a.b
Martinus scribit ad Thessalonicenses de damnatione Pauli eorum Episcopi. 415.d.e
Martinum Papã conuenit Taio Episc. Cæsaraugustanus pro libris Moralium S. Gregorij. 416.e. 417.a
Martinus Papa S. Amando munus prædicationis impertit. 418.d
Martinus Papa Folliano munus prædicationis impertit. 418.e.419.a
Martinus Papa Landolino munus prædicationis impertit. 418.d
Martinus Papa a Theodoro Calliopa Exarcho abstrahitur a sede. 418. c. *Quo tempore accidit.* 419. a. b. 421.b.c.d
Martinus Papa quibus accusationibus impetitus. 419. d. e. 420. b. c. d. *Eius excubiæ in Ecclesia.* 421. e. 422.a
Martinus Papa dat se persecutoribus & abducitur ab Vrbe ad Portum Romanum. 422. a.b.c 423.a.b
Martinus Papa nauigio impositus ducitur Constantinopolim. 422.c.d. *Quæ contigerunt in via.* 422.e
Martinus Papa perducitur in Naxum insulam. 422.d. 423.c
Martinus Papa ductus Constantinopolim quæ passus ibi. 427.e.428.a.b. 429.430.
Martinus Papa scribit e carcere ad Eliterum de rebus suis. 428.d.e.429.
Martinus Papa subijcitur quæstionibus. 428.d.e. 429.
Martinus Papa probibet periurantes a iuramento. 429.a.b
Martinus Papa sistitur publico iudicio. 430.a.b.c
Martinus Papa exuitur insignibus Pontificijs & derisus exponitur. 430.c.d.e
Martini Papæ constantia hostibus admiranda. 432.a.b
Martinus Papa damnatus in exilium consolatur suos. 432.b.c.d. *Chersonam ducitur.* 433.c.d
Martini Papæ gloria ex martyrio. 432.e.433.a
Martinus Papa scribit ad suos de his quæ passus est exul. 435.c.d.e.436.a.b.c
Martino Papa exuli adhuc viuenti quomodo successor datus. 436.d.e
Martinus Papa in exilio extrema consumitur inedia. 436.b.c
Martinus Papa decoratus corona martyrij moritur. 444.e.445.a.b.c
Martinus Papa miraculis post obitum illustratus. 445.a.b.c.446.a
Martinus Papa defensus a S. Maximo contra hæreticos. 470.a
Martyres assistunt S. Aredio morienti. 99.e
Martyres septuaginta cum Anastasio Persa. 284.c.d
Martyres baberi milites in bello cæsos Phocas optauit. 211.e.212.a
Martyrum reliquias colit Gunthcrammus Rex. 122. e. 124.a
Martyrum reliquiæ a Martino Papa S. Amando missæ. 405.a
Martyrum corpora e cœmeterijs translata in Pantheon. 201.c
Martyrum reliquijs offerebantur balsama & aliæ odorum species. 130.c
Martyrum cultus etiam apud infideles. 44.b
Martyrium S. Anastasij & sociorum. 284.d.e
Martyrium sancti Eimerammi Episcopi Ratisponensis. 644.d.e. 645.a.b
Martyrium S. Kiliani & sociorum. 595.a.b
Martyrium S. Leodegarij. 582.e.583.a
Martyrium S. Maximi Abbatis & sociorum. 464. b. 465.466.
Martyrium Palæstinorum monachorum a Sarracenis occisorum. 235.e.236.a.b.c.
Martyrius monachus sanctus leprosi forma Christum excepit. 335.c
Martyrologium Romanæ Ecclesiæ. 115.e
Martyropolis ciuitas expugnata. 30.e
Massilense monasterium munitum priuilegio S. Gregorij. 105.e
Massilienses peste infecti. 12.e
Mastalonus vir illustris sub Mauritio. 126.d
Mathildis de anima Traiani reuelatio cuius ponderis. 183.e.184.187.e.188.a
Matrimonium quo gradu concessum Anglis. 172.e. 173.a.174.a
Matrimonium Heraclij cum nepte detestabile habitum. 225.b.c
Matisconense Concilium sub Clothario. 246.a.b. 247.a
Maurulanes Episc. Palentinus. 343.c
Maurentius Episcopus in Africa. 117.d
Maurentius Magister militum sub Mauritio Imperatore. 158.a
Maurentius Chartularius. 8.b
Maurus Abbas sub Gregorio Papa S. Pancratij Romæ. 73.b
Mauri Abbatis vita scripta a Fausto et oblata Bonifacio Papæ. 201.a
Maurus Episcopus Cæsenas legatus a Mauro Episcopo Rauennate sanctitate clarus. 392.d.e
Maurus Episc. Rauennas aduersus Vitalianum contumeliosus Episcopatu priuatus. 503.a.b. *Eius anniuersaria memoria uetita.* 575.c.d
Mauri martyris reliquiæ ex Dalmatia Romam translatæ 358.c.d.e.359.
Maurus loco Mauritij positum. 159.d
Mauritanum Concilium aduersus Monothelitas. 374.a
Maurius Chartularius inuadit Episcopium Lateranense. 345.d.e
Mauritius Chartularius euadens tyrannus male periit. 361.d.e
Maurition Dux Longobardorũ. 76.d. *Ad Romanos transfuga perit.* ibid.
Mauritius quibus saltibus peruenit ad Imperium. 45.c
Mauritij Imp. annorum ratio. 2.b
Mauritius Imp. quid in confirmatione electionis S. Gregorij Papæ 4.a
Mauritius Imp. edictis vrget schismaticos. 12.a
Mauritius Imp. deficit Francis. 13.d
Mauritius Imp. pugnat contra Auares. 15.c.64.c
Mauritius Imp. bellum gerit aduersus Persas. 15.c. *Vincit eos.* 30.e
Mauritius extorres Episcopos nutriri iubet. 18.e
Mauritius creat Theodosium filium Imp. 28.a
Mauritius fauit Cosrhoi Regi Persarum. 41.c.d.e. *Restituit eum in Regnum.* 40.d.e.42.b.c
Mauritij iniqua lex ne milites monasterium ingrediantur. 42.a

Mauritius insequitur maleficos. 66.d
Mauritius scrutatur de miraculo fluëtis vnguenti de corpore S. Euphemiæ. 66.e.67.a
Mauritius deridet S. Gregorium simplicem nominans. 82.e.83.a
Mauritij Imp. peccata quæ. 80.d.e. *Dat pœnas ob irrisum a se S. Gregorium.* 83.c
Mauritius sequester pacis inter Ioannem & Gregorium. 86.d.e
Mauritius intrudit Maximum in Ecclesiã Salonitanam. 92.a.b.
Mauritius coluit Ioannem Episc. Constantinopolitanum defunctum. 100.e
Mauritius sancit leges aduersus Donatistas. 105.a.b
Mauritius filios suos pie educandos curauit. 109.b
Mauritius Imp. vincit Sclauos. 116.e
Mauritij lex de schismaticis non cogendis ad vnitatem perperam lata. 117.b
Mauritij Imp. filius lepra laborans curatur a S. Theodoro Siceota. 120.b.c
Mauritius Imp. Episcoporũ causas iudicari vult a Rom. Pontifice. 125.d.e
Mauritij Imp. laudata fides Catholica. 128.e. 129.a. 162.b
Mauritius Imp. eleemosynam Romam mittit. 129.b.c.d
Mauritius Imp. sibi parat interitum ex contemptu sacerdotum. 129.a
Mauritius legationem mittit ad Regem Auarum. 137.b
Mauritius negligit redimere captiuos. 137.b
Mauritij affines pij satis. 145.d.202.e
Mauritius hic pœnas dare pro peccatis delegit. 159.e. 160.a
Mauritius preces seruorum Dei quæsiuit. 159.d.e
Mauritij Imp. de Phoca somnium. 160.b.
Mauritij Imp. necem, quæ visiones præcesserunt. 159.b.c.d
Mauritius a Mauro homine delusus. 159.d
Mauritius cur iram Dei promeruit. 159.a
Mauritius Imp. occisus a Phoca. 158.e. *Eius quoque filij ab eodem necati.* 159.e
Mauritij constantia in cæde filiorum. 160.e
Mauritij iudicium de Phoca. 160.b
Mauritius prohibet matrem suum filium dare neci pro filio ipsius. 160.c
Mauritij Imp. anni. 161.c.d
Mauritij malorum causæ plures. 162.c.d. *Eiusdem facta probata.* ibid.b.c
Mauritij Imp. tempore quæ mala vrgebant. 163.e
Mauritij vxor & filiæ confugiunt ad ecclesiam. 199.b
Mauritij & coniugis & filiorum epitaphium. 202.c.d
Mauritius Chartularius frustra confugit ad ecclesiam. 361.e
Maurus Patricius contra Tiberium filium Iustiniani Imperatoris immissus, sacra violat occidens eum. 662.b.c.d.
Maxellendis virgo & martyr. 505.e
Maximilianus Abb. S. Andreæ monasterij S. Gregorij. 53.a
Maximiani Syracusani Episc. obitus. 76.a
Maximianus Arabiæ Episc. mittit Romam pro sacris reliquijs. 141.c
Maximianus Episc. in Numidia. 32.d. *Corruptus præmio a Donatistis.* ibid.
Maximus Abbas & martyr defendit Honorium Papam contra Monothelitas. 322.e.323.a.b.368.d.e
Maximus Abbas defensor Sophronij. 325.b
Maximi triumphus de Pyrrho. 370.c.d
Maximus cur se a Sergio alienauit. 325.d.e
Maximi disputatio cum Cyro in Africa. 367.a.b.c.d
Maximi & sociorum exilium. 427.b.c
Maximus agit cum S. Martino Papa de Synodo cogenda. 391.a.b
Maximus tentatur a Constante Imp. transire ad Monothelitas. 450.d.e.451.452.453.
Maximus renuit communicare cum hæreticis. 452.b
Maximus detegit blasphemias Monothelitarum. 451.c
Maximus conuertit ad se missos ab Imperatore. 450.e. 451.452.453.454.455.456.457.
Maximus impugnat pseudosynodum hæreticorum sub Sergio. 352.c
Maximus quibus agitatus calumnijs. 425.d.e
Maximi acta scripta ab Anastasio. 451.a.b. *A Petro Morino in Latinum translata.* ibid.a.b
Maximi primordia. 355.c. *Eius in Africam aduentus.* ibidem d. e
Maximus vinctus adducitur Roma Constantinopolim. 425.a.426.a.
Maximi prudens consilium datum Imperatori. 356.d.e
Maximi ingentes labores pro fide Catholica. 356.a.b
Maximus salutat sanctam Crucem, & imaginem Saluatoris, & Dei genitricis. 456.d.e
Maximus rursum per Paulum Consulem tentatur ab Imperatore. 458.e
Maximus apud milites inuenit misericordiam. 461.a
Maximus iubetur reduci Constantinopolim. 459.e. 460.a.b.c
Maximus pollicetur ire Romam cum Theodosio. 458.d.e
Maximus illiberaliter et crudeliter tractatur. 459.e
Maximus causam dicit coram Iudicibus. 425.a.b
Maximus magni nominis in Oriente & Occidente. 459.c
Maximus calumnia exagitatur de blasphemia in Deiparam. 460.d.e.461.a
Maximus Thomæ Patriarchæ numquam voluit communicare. 462.a.b.c
Maximus se purgat ab illatis calumnis. 464.e. 367. 466.
Maximus causas prodit cur non communicet cum Monothelitis. 467.c.d
Maximo obijcitur amor quo prosequebatur Romanam Ecclesiam. 469.c
Maximus defendit Martinum Papam. 470.a
Maximus dirissime verberatur. 470.b
Maximus se excusat de laudato antea Pyrrho. 371.d.e 372.a.b
Maximus pro fide Catholica calumniam passus. 372.c.d.e.373.c.d
Maximi scripta. 471.e.472.473.d
Maximi martirij consummati tempus. 480.a.b. *Et Acta.* 464.b.c.465.466.
Maximus reuocatur ad quæstiones. 464.e.465.a.466
Maximus iterum relegatur exilio. 470.d.e.
Maximus lingua ac manu præciditur. 470.c.d
Maximi obitus & corona martyrij. 471.a.b. *Interpellatur ab auctore vitæ eius.* ibid.b.c
Maximus Episc. Aquileiensis interfuit Concilio Rom. sub Martino. 391.d.394.e
Maximi Episc. Salonitani electio illegitima. 55.b.c.d. 72.a
Maximus intrusus in Ecclesiam Salonitanam. 92.a. *Eius facinora.* 92.b.c.d.e. *Delegata eius causa Episcopo Rauennati.* 93.b. *Absolutus per iuramentum.* 93.b.c
Mecha locus in Arabia vbi defunctus est Mahometus. 297.c

S. Medar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX.

S. Medardi monasterium primum omnium monasteriorum Galliarum ex priuilegio S. Gregorij. 63.c.d
Mediolanense Concilium contra Monothelitas. 524. e. Eius Epistola Synodalis. 524.e.525.a
Mediolanensibus Episcopis concessa electio Regum Longobard. 138.a.b
Mediolanenses bello vexati confugiunt Genuam. 51. d
Mediolanensium regio destituta habitatoribus. 51.c
Mel in aurum versum. 254.e
Melchtildis mater Splinteri ad vitam reuocati. 625.d
Melchior Canus erroris arguitur. 553.c.d.
Mellitus monachus mittitur in Angliam a S. Gregorio. 103.c
Mellitus & socij a S. Gregorio in Angliam missi. 147.c.d
Mellitus creatus Episcop. Dorouernensis in Anglia. 192.c.d
Melliti Episcop. tempore ecclesia diuinitus consecrata. 214.d.e.215.a.b
Mellitus Romam venit ad Bonifacium Papam. 214.b
Mellitus interfuit Romano Concilio. 214.b
Melliti Romam aduentus causa. 215.b
Mellitus & Iustus recedunt ab Anglia. 227.e.228.a
Mellitus & Iustus reuocantur in Angliam. 228. c. d. e.
Iustus non recipitur a suis. 228.e
Melliti Episcop. obitus, & miracula. 265.e.266.a.b
Mellosus Gippensis Episc. in Africa Legatus Romam. 377.c
de Mennæ scriptis impostura hæreticorum. 541.d.e. Eadem quæsita ab Heraclio. 292.e
Mennas Episc. Romam missus iudicandus a S. Gregorio. 168.a
Menna Tolosanus Episcopus. 147.d
Mensores qui fuerint. 201.d.e
Merulana domus in regione tertia. 30.e
Mersio trina in baptismo. 27.c.d
Mesembria ciuitas Thraciæ locus exilij Anastasij. 427.b
Metense Concilium. 74.e.75.a
Mezentius tyrannus in Sicilia. 499.e.500.a
Michaelis Archangeli ecclesia in monte Gargano. 485.a.b
Michaelis Archangeli imago visa in exercitu. 602.b.c
Michaelis Archangeli ecclesiam ædificare monetur S. Autbertus Episc. Cameracensis. 659.b
Michael Archangelus apparuit S. Vuilfrido morituro. 653.a
Michael Imp. quæ in Nicolaum Pontificem de scriptura Græcorum ab Ecclesia Romana. 614.e.615.a. Redarguitur mendacij à Nicolao Papa. ibid.c
Michael Cardinalis missus Apocrisarius Constantinopolim à Constantino Papa. 667.e
Migetius Episc. Narbonensis. 123.c
Milites vincunt cum alij orant. 46.b
Milites vetiti à Mauritio ingredi monasterium. 45.c.d.e 46.a.b.c
Milites cæsi in bello vt martyres colerentur Phocas conatus instituere. 211.e.212.a
Milites Exarchi inuadunt Palatium Lateranense. 345.d.e
Milites Italiæ insurgunt pro Ioanne Pontifice Rom. aduersus Exarchum. 640.b.c
Militis impœnitentis horribilis visio. 649.a.b
Milites compassi Maximo martyri. 461.a.b
Milites Rauennates liberant Sergium Papam ab Imperatore. 611.d.e.612.a.b
Militum in Vrbe discordia. 8.b
Milites deficiunt à Mauritio. 15.c
Ministri bonorum ecclesiarum quales esse debeant. 23.c.d.e
Ministri quatuor curabãt res Romanæ Ecclesiæ sede vacante. 4. b
Minturnensis Ecclesia clero & populo destituta. 11. c
Minulphus Longobardus pius valde. 109.e
Miracula ex vestimentis Apostolorum. 38.d
Miracula multa Augustinus operatus in Anglia. 147. e
Miracula in ecclesia S. Agathæ Romæ facta. 29. e. 30. a
Miracula ex ligno Crucis in Anglia. 332.c.d e
Miracula de captiuis a vinculis solutis. 13. e. 14. a. 221.b.c
Miracula S. Columbani. 221.c.224.a.b
Miracula de Crucibus se inuicem collidentibus. 204. d. 204.b.c.d
Miraculum de oleo ex Cruce fluente. 119.d.e
Miraculum de claue S. Petri à Longobardo direpta. 109.d.e
Miraculum de edulijs in lapidem conuersis. 198.a
Miraculum de mortuo ad vitam reuocato. 307. a. b
Miracula ex puluere S. Osualdi. 360.e
Miraculum Guntheramni Regis Francorum. 12. e. 13. a
Miraculum de campana Senonensi. 242.e.243.a
Miraculum de sanguine ex imagine S. Theodori fluente. 224.e.225. a. b
Miracula S. Theodori Siceotæ. 120.a
Miracula ad sepulchrum S. Victoris martyris. 208.e
Miraculorum operatione fides in inferiori Germania coalescit. 626.d. e
Miracula ex reliquijs Sanctorum martyrum Ennaldorum. 618.b.e
Miraculum de patena in mare demersa supernatante. 636. e
Misenas Ecclesia vnita Cumanæ. 37.e
Missa quotidiana pro Rege decernitur. 497.c
Missæ sacrificium proficuum viuis atque defunctis. 527.e.528. a
Missarum pluralitas quando damnata. 561.d. Vel quando concessa. 497.e
Missæ celebratæ pro gratiarum actione. 563. a. b
Missa quando dici cœpta apud Anglos. 112.d
Missa in domo priuata dici solita. 104. d
Missa non deserenda antequam compleatur. 123.a
Missam non celebret ægrotans. 170. b
Missa pro defunctis celebrata, viuentibus prodest. 239.a
Missa quotidie in Hispania pro salute Regis celebranda ex decreto Concilij Toletani. 617.a.b
Missa non celebratur in Parasceue Maioris hebdomadæ. 617.b
Missa dicenda pro defunctis, non celebretur superstitiose pro viuis. 620.e.d
Missa in mari celebrata à S. Vulframno Episcopo Senonensi. 636.d.e.637.a
in Missa vt dicatur Agnus Dei decretum a Sergio Papa fuit. 639. d
Missa celebrata à Constantino Papa Constantinopoli. 659. e
Missale Hispanum à S. Isidoro conscriptum. 330.d.e
Mixtarabes Christiani in Hispania dicti. 330.d.e
Modestus loco Zachariæ curat Hierosolymitanam Ecclesiam. 236.b.c. Non Episcopus sed administrator eius

Ecclesiæ. 244.e
Modestus restaurat ecclesias Hierosolymorum. 244.c.d.e
Modestus baptizat Anastasium Persam. 259.e
Modoaldus Archiepiscopus Treuerensis. 302.c.d
Moduenna Abbatissa in Anglia sanctitate clara. 442.b.
in Modoetia ecclesia S. Ioannis Baptistæ. 243.d.e
Monachi Insularum Capraríæ, Gorgoniæ, Palmariæ, Orsianæ. 19.d
Monachi desertores à S. Gregorio reuocãtur in monasterium. 19.a.b.110.d
Monachi fugitiui diuinitus reuocati. 142.c.d.143.a
Monachi antequam fiant in laico habitu probandi. 91.e
Monachorum quieti consulit S. Gregorius. 97.e.143.d.e
Monachus studens peculiaritati non deligendus Abbas. 158.d
Monachus non iudicans, non iudicatur. 128.a
Monachi & clerici tenentur custodire muros ciuitatis. 116.b
Monachus non condat testamentum. 119.a
Monachi ante biennium non inittentur tonsura. 138.d
Monachi in claustro sancti, aliquando in Episcopatu deficiunt. 96.c.d
Monachismus in Anglia propagatus per S. Benedictum iuniorem. 647.d
Monacho impœnitenti terribilis ostensa visio. 650.a.b
Monachorum Siculorum litteræ ad Rom. Pont. 503.e. 504.a
Monachus Sinaita lapsus in Iudaismum misere perit. 237.a.b.c
Monachos a quibus S. Gregorius voluit abstinere. 72.c
Monachos ad obseruantiam regularem reuocat S. Gregorius. 37.d.e
Monachi vetiti commatres facere. 72.c
Monachorum Isaurorum iudicium Romæ. 49.b.c
Monachorum Scotorum vigens disciplina. 489.d.e
Monachorum exemptiones ab Episcopis haud probatæ. 517.b.c
Monachi nullum ad Sacras virgines debent accessum habere. 253.a
Monachi Lauræ S. Sabæ necati a Sarracenis. 235.d.e. 236.a
Monastico habitu atque tonsura suscepta amplius dimitti non debet. 544.a.b
Monastico habitui quantum detulerit Anastasius martyr. 274.e. 275.a
Monasterium S. Anastasij prope Hierusalem. 260.a.b
Monasterium S. Andreæ in Vrbe. 142.c.d
Monasterium S. Aredij. 99.b
Monasterium S. Benedicti apud Argentinam. 366.d
Monasterium S. Cassiani. 105.e. aliud 668.c
Monasterium Cassiodori Castellense dictum. 119.a
Monasterium Classense exemptum. 119.a
Monasterij S. Dionysij priuilegium. 482.c
Monasterium S. Georgij in Campo Coronatæ. 646.e. 647.a
Monasterium S. Medardi auctum priuilegijs. 63.c.d.e
Monasterium S. Radegundis quæ passum. 57.e.58.a.b. 59.60.
Monasteria erigere nemo licere absque licentia sedis Apostolicæ. 119.c
Monasteriorum priuilegia vnde. 19.a
Monasteriorum monialium mala vnde proueniant. 57.e. 58.60.b.c.d
Moniales monasterij Radegundis excommunicatæ. 62.e
Regem adeunt. 63.b.c
Moniales nobiles turbas ciunt. 57.e.58.a
Monialium cura ab Episcopis propensius agenda. 72.d
Monialium precibus Roma ab hostibus seruata. 102.d.e. Earum numerus. ibid. Gerit curam earum S. Gregorius. d
Monomachiæ detestatio. 479.c.d
Monophisitæ hæretici ad fidem perducti. 156.b.c
Monothelitarum hæresis quando cœpta. 308.e.293.a.b.c
Monothelitarum hæresis perdifficilis intellectu. 367.e. 368.a
Monothelitæ dici nolunt hæretici. 459.d.e
Monothelitarum impostura de scriptis Mennæ ad Vigilium. 541.d.e
Monothelitæ contra Maximum mendacijs agunt. 467.d.e
Monothelitarum hæresis quot absurda contineat. 457.b.c.d
Monothelitæ damnati in pluribus Concilijs. 524.e
Monothelitæ introducunt quaternitatem. 455.c
Monothelitarum hæresis mala prænuntiata. 204.d.e
Monothelitarum Concilium de vnica voluntate. 326.b
Monothelitæ dolose Honorium Papam sibi vendicant. 324.d.e
Monothelitarum fraus in asserenda vnica voluntate. 309.e.310.a
Monothelitæ profitentur se defensores esse Concilij Chalcedonensis. 301.b
Monothelitarum hæresi qui hæretici fauerint. 293.a.b
Monothelitarum hæresis triplex. 326.b
Monothelitarum hæresis auctores Eutychiani. 293.a.b
Monothelitarum Patriarcharum odium contra Vitalianum Papam. 522.e
Monothelitarum hæresis non tetigit Hispanias. 514.e.
Monothelitæ innalescunt sub Philippico Imp. hæretico. 664.c.d.e
Monothelitarum conciliabulum aduersus Sextam Synodum. 665.b.c.d.e
Montanus Episc. Toletanus. 341.d
Moralium libri S. Gregorij ad S. Leandrum missi. 29.b. 94.c.d. Quæsiti Romæ inuenti. 417.a.b
Mores Episcoporum inuestigandi a Summo Pontifice. 37.a.b.c
Moroueus Episc. Pictauiensis. 58.b
Moroueus monachus incendit fanum idolorum. 280.d
Moroueus quæ a rusticis passus. 280.d.e
Morouingorum Regum genus cur Deus extingui permisit. 480.d.e
Mortui suscitationem promittit stulte Polychronius. 555.d.e
Mozarabe Sacrum officium quando cœptum & a quo & cur sic dictum. 330.d.e
Mulieres confugientes ad Ecclesiam a Cyriaco Episcop. defensæ. 199.b
Munera missa a Bonifacio Papa ad Eduinum. 270.c. Alia ad Reginam. 271.c
Munera Eulogij ad S. Gregorium. 108.d.e
Munera missa a S. Gregorio ad Reccaredum Regem. 134.b. Reccaredi ad S. Gregorium. 133.e
Munera missa ab Osuui Rege ad ecclesiam S. Petri Romam. 494.a.b
Murorum ciuitatum custodiæ S. Gregorius noluit monachos esse immunes. 116.a.b
Muza Dux Sarracenorum mittitur in Hispanias. 673.a

Naa-

Universidad de Deusto

N

Naamanes Sarracenorum Princeps. 44.e.45.a
Naitanus Rex Pictorum corrigēdum curat errorē de Pascate & de tonsura. 634.d.e.635.a.b. Idem studiosissimus Romanæ Ecclesiæ. 634.e
Narbonensis Ecclesiæ antiquitas. 544.d
Narbonense Concilium. 121.d.e.122.a
Narbonensis prouincia infestata ab Ilderico tyranno. 512.b.c.d
Narnia præsidium contra Longobardos. 31.b.83.a
Narses Patricius amicus S.Gregorij. 10.e. 49.e. 57.b. 110.a
Narses Patricius consolatorias litteras accipit a S. Gregorio. 110.a
Narsetis nomen Persis tremendum. 198.b
Narses Patricius aduersus Phocam Cosrhoem incitat. ibid. 149.e
Narses iuramento deceptus exuritur a Phoca Imper. 198.b.c
Nasates Iudæus cultum Eliæ introducere conatus. 55.e
Natalis Episcopi Salonitani causa. 35.c
Natalis Episc. reprehensus a S.Gregorio emendatur. 36.a. Eiusdem obitus. 55.a.b
Natildem virginem e monasterio tractā Dagobertus sibi iungit vxorem. 306.a.b
Naues ex Sicilia Alexandriam missæ. 241.a
Nauale bellum. Vide Bellum.
Nauis ex Hispania defert pestem in Gallias. 12.d
Naufragium vitatur beneficio sacrarum reliquiarum. 13.b.c
Naufragium classis Iustiniani Imp. 660.b.c
Neapolis ciuitas custodita ab impetu Longobardorum diligentia S.Gregorij. 170.d.e.171.a
Neapolitanus Episc. priuatur a S. Gregorio. 20.b
Nepesina Ecclesia Pastore vacans. 37.c.d
Nestorio fauent Monothelitæ. 326. c. d. Et Nestoriani fauent Monothelitis. ibid. 393.a.b
Nestoriani pulsi ab Heraclio Imp. 288.a
Nestoriani in Vrbe inuenti a Dono Papa. 520.e
Nicander Episcopus de Sacris dogmatibus admonetur a S. Maximo. 373.d
Nicasius Episc. Engolismensis. 58.b
Nicænam fidem ex obliquo damnant Monothelitæ. 466.b.c
Nicephori historici error de Anastasio Antiocheno. 210.a
Nicetas Patricius missus aduersus Phocam. 205. b. 211.b
Nicetas Patricius Quæstor missus ab Heraclio Imp. colligere pecuniam pro bello Persico. 254.b.c
Nicetæ Patritij res gestæ cū Ioan. Eleemosynario. 212.d. 254.c.d. Curat mittere eundem ad Imp. 255.d
Nicetas restituit ablatas pecunias Ecclesiæ Alexandrinæ. 255.a.b
Nicetas Episc. Syluæcandidæ comitatus Constantinum Papam proficiscentem Constantinopolim moritur in via. 658.a
Nicetius Episcop. Treuerensis sanctus conuertit Areduum. 98.e
Nicetius Episc. Lingonensis annunculus Eustasij. 222.e
Nicolaus Serarius illustrator rerum gestarum S.Kiliani & sociorum martyrum. 595.b.596.d
Nicolaus Papa arguit mendacij Michaelem Imper. 615.b
Nobilitas vera ex virtute. 256.d.e
Nolanum monasterium monialium. 15.c
Nominatio Episcoporū fieri solita a Regibus Hisp. 561.e
Nomina Episcoporum recenseri solita in Missa. 68. a. b
Nordanhumbri Angli fidem suscipiunt. 268.d. Baptizantur a S. Paulino. 290.c
Notarij Ecclesiæ recitare soliti homilias Pontificum Romanorum. 38.e
Nothelmus Anglus sub Gregorio Papa Secundo Romam venit. 638.d
Nouitas in Ecclesia semper suspecta. 319.b
Numidum Concilium iussu S. Gregorij factum. 156.e. 157.a
Numidum Concilium contra Monothelitas. 374.a
Numidiæ Episcopos hortatur S. Gregorius. 24.e.25.a.b
Numidiæ Episc. legationē mittūt ad S.Gregoriū. 32.c.d.e
Numismata Heraclij Imp. & filij. 289.c.d.e
Nuptiæ incestuosæ Heraclij cum nepte. 225.b.c
Nuptiæ Eduini Regis cum Edelburga. 268.d
Nutritij filiorum Mauritij Imp. 109.b.c
Nutrix filij Mauritij subtrahere studet filium a nece, dans suum pro illo. 160.c
Nutrix S. Gregorij Papæ. 74.e

O

Oblatio Ariani hominis respuitur ab Attala Abbate. 280.c
Oblatio simoniaci respuitur a Ioanne Eleemosynario. 240.d.e.241.a
Obsidio Chalcedonis soluitur. 285.d. Vide Chalcedo.
Obsidio ciuitatis Constātinopolitanæ. 267.b.c.d. 510.a.b
Obsidio ciuitatis Hierosolymitanæ sub Zacharia Episc. 231.e.232.a
Obsidio ciuitatis Hieros. sub Sophronio Episc. 335.c
Oecumenicum quid importet. 85.a.b
Oecumenici titulo solum dignum esse Romanum Pontificem. 198.c.199.a.b
Oleum Crucis quod dictum. 119.d.e
Oliuæ rami in signum victoriæ ferri soliti. 288.b
Olympius Exarchus Rauennas successor Platonis. 387.e. 388.
Olympius Exarchus seducit Pyrrhum. 387.e
Olympius Exarchus aduersatur S. Martino Papæ. 405. a.b.c. Consentit eidem. 406.d
Olympius Exarchus spatharium mittit ad occidendum S.Martinum Papā. 406.c.d. Frustra nititur schisma te diuidere Ecclesiam Romanam. 406.b.c
Olympius Exarchus profectus contra Sarracenos morbo interijt. 406.d
Ongendus Danorum Princeps prædicatores Euangelij bene habet. 629.a.b
Opilio Rom. Patricius patruus Venantij tempore S.Gregorij. 194.c
Operatio in Christo una, Deiuirilis dicta quomodo accepta. 322.e
Operationum duarum, vel vnius in Christo silentium cō mendatum. 315.a
Operatio vna & voluntas vna in Christo quo sensu prædicata ab Honorio Papa. 322.d.e
Oppa filius Vuittizæ Regis Episc. Toletanus & Hispalensis. 641.d
Oppa Episcopus Toletanus intruditur. 673.c
Oratio Antiochi monachi de capta Hierosolyma. 232.e. 233.234
Orationis Dominicalis in Missa vsus. 131.d.e.132.a
Oratorium S.Cæsarij in Palatio. 163.a.587.c.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Oratorium Ioannis Papæ Quarti. 358.d.e.359.a
Oratorium S.Gregorij Papæ. 181.d
Oratorium S.Crucis Traiecti. 621.c
Oratorium S.Mariæ in ecclesia S.Petri. 655.c.d
Oratorium S. Siluestri in basilica Iulij. 587.c
Ordinatio S.Gregorij quando accidit. 7.c.d
Ordo Romanus, sic dictus liber Ritualis a Gelasio Papa collectus. 613.e
Ordo Ecclesiasticus officij et precum in Hisp. a S. Isidoro emendatus & auctus. 330.c
Orentius Episc. Emeritensis. 382.e
Orsianæ insulæ monachi. 19.d
Orientalis Ecclesiæ & Imperij turpissima facies. 359.d.e. 360.a
Orientales Orthodoxi Romam confugiunt. 363.a
Orientalis Imperij mala sub Phoca. 205.a
Ornatus ecclesiarum Deo gratus. 384.a.b
Orosius Abbas reformator monachorum. 19.d.e
Orthodoxi commoti in Honorium Papam. 324.c
Oscense Concilium in Hispania. 121.c
Osfridus filius Eduini Regis baptizatus a S. Paulino. 290.b.328.c
Osithæ Reginæ martyrium. 442.a.b
Osredus Rex recipit S. Vulfridum Romæ absolutum. 653.b
Osrichus Rex Deirorum occisus. 329.b.c.d
Ostrulphus Abbas monasterij Fontanellæ. 637.d
Osuualdus Rex fungitur munere interpretis in prædicatione Aidami. 334.b. *Eiusdem Regis laudes.* 335.a
Osuualdus Rex religione superat aduersarios. 332.a.b.c
Osuualdus Rex occisus. 360.b.c.d
Osuui Rex Nordhumbrorum. 441.d
Osuui Rex Anglorum legationem mittit ad Vitalianum Papam. 493.a.b. *Regem Pendam superat.* 449.e. *Eius votum pro victoria.* 450.a
Osuui Regis pietas insignis. 449.e.450.a. *Mittit munera Romam ad ecclesiam S. Petri.* 493.a
Osuui Rex studet sedare de Paschate controuersias. 486.c.d.487.a
Osuui Regis Nordhumbrorum pietas. 505.d.e
Osuuinus Rex successor Osuualdi. 360.c
Osuuini Regis obitus & laudes. 434.d.e.435.a.b
Otgerus diaconus comes S. Vuironis in Vrbem venit. 303.e. *Interfuit Concilio Traiectensi cum S. Vuirone.* 630.a
Ota filia Theodonis Principis Bauariæ ex stupro concepit. 644.e
Ouo puer ab immolatione liberatus & baptizatus. 637.a.b
Ouo presbyter scriptor egregius. 637.d
Ouuinus monachus magnæ uirtutis. 509.a

P

Pagani. Vide Gentiles.
Palatij Trullus locus qui dictus. 539.e.540.a
Palæstinorum Episcoporum legatio ad Theodorum Papam. 364.c.d
Palladius Episcopus Santonensis. 104.e
Pallium missum a S. Gregorio ad Augustinum in Anglia. 150.b.c
Pallium S.Gregorij ex byssо candenti. 181.c
Pallium ad Honorium Episcopum in Anglia missum. 326.e.327.a
Pallium missum ad Iustum Episcopum Roffensem. 250.e
Pallium missum ad S.Leandrū Hispal.Episcopū. 134. b.c
Pallium datum Maximo Episcopo Salonitano. 93.c
Pallium missum ad Episcop. Nicopolitanum. 86.a
Pallium missum ad SS.Paulinum & Honorium Episcopos in Anglia. 326.d.e.327.a
Pallium missum ad Virgilium Episcopum Arelatensem. 86. a
Pallium petendum aliter non dandum. 110.d
Pallium absque pecunia dandum. 91.e
Pallij usus illegitimus. 54.c.d.251.a
Palmariæ insulæ monachi. 19.d
Palmaria sic dicta porticus S.Petri. 344.e
Palmatianum vinum quid sit. 18.b.c
Pamphilus Demarchus. 201.d
S. *Pancratij ecclesia ædificata ab Honorio Papa.* 345.a
S. *Pancratij ecclesia a S. Gregorio monachis tradita.* 73.b
S. *Pancratij martyris reliquiæ missæ in Gallias & in Angliam.* 13.c.494.b.496.e
Panis purissimus ab Ecclesia Romana exhiberi solitus peregrinis. 371.b.c
Pannonia a Caiano Rege Auarum deuastata. 136.d
Pantaleo Episcop. in Africa ad quem scribit S. Gregorius. 69.a.
Pantheon Dei genitrici ac SS.Martyribus dedicatum. 201.b. *Largitum a Phoca Bonifacio.* 201.a
Pantheon a Constantio Imp. æreis tegulis denudatum. 483.c.d
Papa ex subdiacono semel reperitur creatus. 228.b
Papa confirmat Concilia oecumenica. 560.a.b
Papæ solius est mittere ad Gentes Apostolos. 598.e. 599.a
Papæ summa potestas. 558.d.e
Papa tantum dicitur Vniuersalis Ecclesiæ Episcopus & quomodo. 85.b.c.d
Papa summus & super omnes & authoritate & honore. 558.d.e
Papa tantum pœnitentes absoluit hæreticos. 456.b.c
Papa. Vide Pontifex.
Papirij Masonis historici diligentia in quo commendata. 516.b
Paschа a Scotis alio tempore quam ab Ecclesia celebrata. 193.b.c.486.b.c.487.e.488.489. *Quando abiecto errore sedata est controuersia.* 634.d.e
de *Paschate error Scotorum aliquando toleratus.* 333.a.b
Quis iste fuerit. 348.e.349.a.b.
Paschalis Cycli Victoris occasione erratum in celebratione Paschatis. 75.b
Paschales feriæ cusloditæ etiam a Barbaris. 136.e
Paschalis Schismaticus nititur fauore Exarchi. 587.a.b. 588.a.b. *Eius finis miserrimus.* 588.b.c
Paschasius Episc. Neapol. electus. 139.a.b. *Redarguitur a Sancto Gregorio.* 169.b
Pastor pastorum Romanus Pontifex. 9.a
Pastorale S. Gregorij quando scriptum. 8.d.e. *Ex Latino in Græcum translatum.* 158.d. *Missum ad S.Leandrum.* 94.c.d
Patena mersa in mare supernatat. 636.e
Paterius Notarius S. Gregorij recensuit scripta ipsius S. Gregorij. 178.a.b
Paterichia clarissima femina. 16.a
Paternus legatus Dagoberti Regis ad Heraclium Imp. 292.d
Patriarcha Oecumenicus quid. 85.a.b
Patriarchæ quatuor numerati a sancto Gregorio. 89.c
Patriarchæ Aquileiensis & Gradensis quando ita nominari cœperunt. 195.e.196.a.b

Patriar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Patriarchales sedes tres cum Romana Ecclesia non receperunt Canones Sextæ Synodi. 614.a.b
Patriarcharum sedium prærogatiua. 108.b
Patricius Episcopus. 208.d
Patrum fides tenenda. 377.c.379.c
Patrimonium S. Petri in Gallia. 56.d
Patrimonium S. Petri in Sicilia. 56.e
Patrimonia Romanæ Ecclesiæ in diuersis Prouincijs. 24.a.b
Pauliani hæretici ijdem & Manichæi. 578.b.c
Paulinus cum socijs a S. Gregorio in Angliam missus. 147.c.d
Paulinus quãdo creatus Episcopus Eboracensis. 268.c.d.e
Paulinus Episc. conuertit Anglos Boreales ad fidem. 268.b.c.d.290.a.b. Eius studium in propaganda fide. 269.a
Paulinus Episc. missus cum Edelburga ad Eduinum. 268.e. Cum Edelburga recedit. 328.d.e
Paulinus baptizat filiam Regis quam Deo offert. 275.d. Nunciat Eduino secretum. 277.b.c
Paulinus conuertit Lindocolinos populos. 291.b. Accipit pallium ab Honorio Papa. 326.c.327.
Paulinus Episc. baptizat Eduinum Regem. 290.a.b. Consecrat Honorium Episcopum. 291.b
Paulini Eboracensis Episc. obitus. 365.a.b.
Paulini effigies qualis. 291.c
Paulinus Aquileiensis Episc. transfert Grados thesaurum Ecclesiæ Aquileiensis. 300.a
Paulinus Impostor quid tentauit. 66.a.b
Paulus idemque Agilulphus Rex Longobardorum. 13.e. 29.c
S. Pauli Apostoli basilicæ quæ Sanctus Gregorius donauit. 175.e
S. Pauli basilica communes habet reditus cum basilica sancti Petri. 175.e
Pauli basilica ornata a Sergio Papa. 639.c
Pauli Apostoli reliquiæ missæ in Gallias. 13.c
Pauli Apostoli Caput et Sudarium petitum a Constantina Augusta. 73.c.d.74.d
Pauli Apostoli hospitium Romæ in ecclesiam conuersum. 639.c
SS. Pauli & Ioannis reliquiæ ab Vrbe delatæ in Gallias. 13.c
Pauli diaconi histor. error de Tribus capitulis. 34.d.196.d
Pauli diaconi incuria. 76.d
Paulus diaconus Rom. Ecclesiæ Vicedominus iugulatus a Ioanne Exarcho. 658.b
Paulus Consul idemque Monothelita quid cum S. Maximo. 458.e.459.a
Paulus Aquileiensis Episc. tempore irruentium Longobardorum. 196.c.d
Paulus Episcopus Constantinopolitanus Monothelita substituitur in locum Pyrrhi. 359. d.e. Ex laico factus Episcopus Constantinop. 577.b
Paulus Episc. Const. quid cum Heraclio Imper. molitus. 313.c. Eius fraudes. 385.c.434.a. Redarguitur. 376.d.e. Cur silentium procurat ab imp. 385. b.c
Paulus Episc. Constantinopolitanus scribit ad Theodorum Papam. 380.c.d. Condëmatus a Theodoro Papa. 382.d
Paulus Episcop. Constantinopolitanus quid de S. Martino ad Imp. 433.d.e.434.a
Paulus Episc. Constantinopolitanus ægrotans rogat dimitti S. Martinum. 431.c.d
Paulus Episc. Constantinopolitanus diem obijt. 431.c.d. 602.d
Paulus Cretensis Episc. redarguitur a Vitaliano Papa. 498.c.d.500.b.c
Paulus Africanus Episc. uocatus Romam ad dicendam causam. 104.e. Idemq. innocens iudicatus. 117.d
Paulus Ancyræ Episcopus. 15.b
Paulus Episc. Diaclmus. 157.a.b
Paulus loco Episcopi Neapolitanæ Ecclesiæ administrator. 36.c.55.c
Paulus Manichæus a quo Pauliani nominati. 578.b.c
Paulus Mauritij Imp. filius. 158.e
Paulus Narbonensis Episcopus primus. 544.d.e
Paulus Patricius Monothelita missus ad Maximum. 450.e
Paulus monachus Callistratici monast. hæreticus et astronomus prædicit Imperium Leontio. 619.b
Paulus Seuerianus monoculus. 325.c. In Armenia conuenit Heraclium Imp. 295.b.c. Impugnatur ab Arcadio Episc. Cypri. 295.a
Paulus Episc. Thessalonicensis Monothelita decipit Apocrisarios Apostolicæ sedis. 414.a.b. Depennat litteras Rom. Pontificis. ibid. e. Recusat esse Vicarius Apostolicæ sedis. 415.c.d. Deponitur a Martino Papa. 413.c.d.e.414.a
Paulus tyrannus in Hispania natione Græcus. 512.e. Eius epistola ad Amatorem Episcopum. 513.b.c. Dat pœnas scelerum. 513.c
Pauperis imprecatione edulia conuersa in lapides. 198.a
Pauperes numerati a Ioanne Episcopo Alex. 213.c
Pauperum cura propensior S. Gregorij. 15.c.16.a. Eorundem Canonica portio bonorum Ecclesiæ. 56.c.
Pauperum curam gerant ministri bonorum Ecclesiasticorum. 23.e
Pax inter Anglorum Reges per Theodorum Episcopum composita. 527.c
Pax summa in Britannia. 291.c
Pax cum Bulgaris facta. 523.c
Pax cum Chagano Rege Auarum composita. 65.e
Pax cum Cosrboe Persarum Rege facta post necem Mauritij Imp. 166.e.167.a
Pax inter Dagobertum Regem & Heraclium Imper. 292.d
Pax Francorum cum Austrasijs. 520.b.c
Pacem cum infidelibus inire nefandum. 357.c
Pax cum Longobardis a S. Gregorio tractatur. 82.a.b. Eadem sæpe rupta. 83.a. Iterum frustra tentata. 101.e. Impedita ab Exarcho. 110.e. Iterum ad breue tempus sancita. 116.a. Rursum ad duos annos statuta. 124.c.d. Eadem simulata. ibid. e. 125.a.b. Iterum facta. 171.b.c.d
Pax cum Rege Longobardorum Ariano cur inita a Romanis. 279.e
Pax inter Sarbaram & Constantinum filiũ Heraclij Imp. 285.e
Pax cum Sarracenis ab Imperatore Constantino expetita. 517.e.518.a.b
Pax cum Sarracenis a Iustiniano Imperatore facta. 600.d.e
Peccatores contra seipsos laborant. 672.b
Peccatorum confessione abluuntur peccata. 127.e
Peccatori impœnitenti quæ ostensa. 649.a.b
Pectinem eburneum donat Bonifacius Papa V. Reginæ Anglorum. 271.c
Pecunia mutuo accepta per Heraclium Imperatorem ab Ecclesijs pro bello Persico. 254.a.b
Pecuniæ ablatæ ab Ecclesia Alexandrina pro expeditione Persica. 254.b.c
Pecunia ecclesijs debita a fisco soluitur. 288.c.d. In mari pecunia

pecunia reddenda mergitur. 288.c
Pecunia solui solita a Romana Ecclesia Imperatori pro confirmatione Romani Pontificis remissa. 550.c.d
Pecunia missa Constantinopoli ad S. Gregorium erogan-da pauperibus. 109.c.110.a
Pecunia missa ad S. Gregorium pro redimendis captiuis. 102.c.d
Pelagiana hæresis instaurata in conciliabulo Ephesino. 91.a.b.107.b.c
Pelagianismum instaurat Ioannes Episcopus Constanti-nopolitanus auctoritate Concilij Ephesini. 91.b.c
Pelagiana hæresis in Scotia reuiuiscit. 349.b
Pelagius Episcopus Nemausensis interfuit Concilio Narbonensi. 123.d
Pelagius Papa quid de nomine Vniuersalis. 89.b.c
Pelagius Papa aduersus Ioannem Episcopum Constan-tinop. primus insurrexit. 84.e
Pelagius Papa uetuit subdiaconos uxorem ducere. 21.a
Pelagij Papæ tempore corpus S. Laurentij fortuito in-uentum. 73.e
Pelagius Taurinensis Episc. tempore sancti Gregorij. 103.d
Pelagius Vuitizæ manus effugit. 641.c.d
Pellices non admittuntur ad sepulchrum S. Lamberti. 632.b.c
Penda Rex Merciorum Gentilis. 328.c.d. Occidit Sige-bertum Regem. 365.b.c
Pendæ Regis insignis superbia. 449.c. Vincitur ab Osu-ui Rege. 450.a
Pendæ Reges duo pater & filius. 441.e
Penda iunior factus Christianus ostium aperit Euange-lio. 441.d.e
Penuria ingens uexat Orientem. 205.a. Vide, Fames.
Peregrinationes frequentes in Vrbem. 37.a
Peregrinatio S. Boniti ad limina Apostolorum. 648.b
Peregrinatio ad loca sancta. 38.a.b
Peregrinatio frequens Hierosolymam etiam cum a Sar-racenis possideretur. 635.e
Peregrinatio ad sepulchrum S. Martini. 99.d.e
Peregrinatio ad limina Apostolorum frequens. 37.a. 507.a.b.592.c.d.e.594.e.595.a.659.a
Peregrinantes in Vrbem panem purissimum accipere soliti a Romano Pontifice. 371.c
Peregrinatio ad sepulchrum impij Mahometis. 297.c.d
Periculum imminens ex cura animarum. 10.d.e
Perinthus ciuitas inuasa a Barbaris. 64.e
Perozitæ milites Persæ. 263.d
Perusium præsidium. 31.b.83.a. A Longobardis adem-ptum. 76.c
Perusina Ecclesia uacans tempore S. Gregorij. 22.d
Persæ victi a Romanis sub Mauritio Imp. 30.e
Persarum Rex Hormisda occisus. 40.e
Persarum Rex creditus Christianus. 44.b
Persarum Regina Christiana. 44.c.d
Persarum bellum cœptum post necem Mauritij. 167.a
Persarum grassatio usque Chalcedonem. 205.a.b.c
Persæ nece Narsetis exultant. 198.b.c
Persæ superant Romanos sub Phoca. 212.c. Perueniunt usque Antiochiam. 212.c
Persæ inuadunt Cæsaream Cappadociæ. 217.d.e
Persæ grassantur in Armenia. 217.d
Persæ capiunt Damascum. 224.e
Persæ capiunt Hierosolymam & Crucem auferunt, a qua uincuntur. 237.d.238.a.b.c
Persarum carcer Lethe dictus. 238.e
Persæ inuadunt Africam, & occupant Carthaginem. 244.a
Persæ capiunt Ancyram in Galatia. 253.e
Persarum ingentes uires. 258.a.b.c
Persicum bellum sub Mauritio Imp. 15.c
Persici belli per Heraclium moti annus primus. 257.a.b
Annus secundus. 261.b.c.d
Annus tertius. 263.d.e
Annus quartus. 265.b
Annus quintus. 266.d
Annus sextus. 272.a
Persæ primo victi a Romanis sub Heraclio. 259.b.c. Se-cundo vincuntur ab eodem. 262.c.d. Iterum victi. 264.a.b.c.d. Iterum superati & ingenti clade prostrati ope Dei genitricis Mariæ. 272.c.d
Persarum superstitio dissipata ab Heraclio. 262.e
Persarum Duces in discrimen adducti. 263.a.b
Persæ captiui dimissi. 263.b.c
Persæ militantes sub Duce Sain terrorem incutiunt Ro-manis. 264.a.b.c. Incidunt in loca palustria. 264.c
Persarum milites Chrysolocæ dicti. 266.e
Persæ frustra obsident Chalcedonem. 267.d
Persæ ingenti clade prostrati. 264.c.d
Persarum Reges post Cosrhoem. 202.c.d
Persarum Regnum penitus deficit occupatum a Sarrace-nis. 292.c.d
Persarum Regnum licet fortissimum, tamen excisum. 264.e
Persarum Regnum simile arbori, cuius est mentio in Da-niele. 264.e
Persarum Regnum penitus collapsum. 392.b.c
Persecutores Ecclesiæ dicti, qui inuadunt iurisdictionem eius. 2.c.3.a.b.c
Personæ vnius in Christo vnus uolens, non vna volun-tas. 317.a
Perticæ locus basilica S. Mariæ dicta. 602.a
Pessinuntium ciuitas liberata a siccitate per Theodorum Siceotam. 120.e
Pestis in Anglia. 508.e.509.562.d.e. Ad eam propul-sandam remedia. ibid.
Pestis depascit Anares ob uiolatum sepulchrum mari-tis. 136.e.137.a
Pestis in Italia Gallia & Hispania. 12.d
Pestis in diuersis locis Italiæ. 494.c.d.542.d.e
Pestis vexat Orientem. 134.c.d.205.a
Pestis Romæ tempore S. Gregorij. 2.d.e.6.b
Pestis Romæ alio tempore. 134.c.d.542.d
Pestis tempore concio S. Gregorij. 4.e.5.a.b
Pestis curata precibus, vigilijs & ieiunijs. 12.e
Pestis post siccitatem. 524.b
Pestis tempore quid agere debeat Episcopus. 135.b.c
Pestis bubonum dicta inuadit Constantinopolim. 627.e
Petronia internuncia Constantinæ Augustæ. 201.e
S. Petri Apostoli fides tenenda in successoribus. 489.a.b.c
Petrus Apostolus quomodo dictus fundamentum Eccle-siæ. 426.e.427.a
Petrus Apost. custodit Vrbem. 81.d.e
Petri Apostoli tres peculiares sedes. 108.b.c
Petri & Pauli Apostolorum imagines a Sergio Papa fa-ctæ. 639.a
Petrus Episcopus Ticini S. Sabini liberatus precibus, ei erigit ecclesiam. 666.e
Petri Apostoli ecclesia arcta columnis per Ioannem Pa-pam Sextum. 650.e
Petrus defunctus reuocatus ad uitam. 661.a.b
Petrus Apostolus apparet piscatori. 214.d
Petrus Apost. sanat S. Bertolfum Abbatem. 282.a.b
Petri Apostoli basilica tecta æreis tegulis ab Honorio Papa

Universidad de Deusto
Biblioteca

Papa 344.c. Trabes longissimæ ex Calabria quæsitæ. 639.b.157.c. A Sergio Papa renouatæ. 639.a
Petri Apostoli ecclesia ornata a Sergio Papa. 639.a
Petri & Pauli Apostolorum apparitio tempore pestis in Anglia. 562.c
Petri & Pauli corpora a Græcis sublata. 74.b.c
Petri & Pauli reliquiæ missæ in Angliam et in Gallias. 494.b.496.c
Petrus & Paulus promotores Imperatoris Orthodoxi. 669.d.e
Petri & Marcellini cœmeterium renouatum ab Honorio Papa. 345.a
Petrus Arcarius Romanæ Ecclesiæ occisus a Ioanne Exarcho. 658.b
Petrus diaconus interlocutor in Dialogis S. Gregorij. 53.c
Petri diaconi testimonium de columba ad aurem S. Gregorij visa. 177.e
Petrus Episcopus Alexandinus Monothelita creatus. 357.b
Petrus Episcopus Constantinopolitanus Monothelita creatur. 439.c
Petrus Episcopus Constantinopolitanus scribit Synodicam epistolam Romam. 439.d. Non recepta a Vitaliano Papa. ibid.
Petri Episcopi Constantinop. obitus. 461.d
Petrus monachus missus in Angliam cum Laurentio. 147.b.c
Petrus Dux Vrbis pugnat contra Christophorum Ducem. 663.c.d
Petrus S. Lamberti cognatus occisus. 632.a
Petrus Morinus vertit in Latinum Acta Maximi. 451.a
Petrus Mauritij Imperatoris frater. 158.c
Petrus Mauritij Imperatoris filius. 158.e
Petrus Notarius Regionarius in Hispaniam missus. 576.a
Petrus Numidiæ Prætor. 464.e
Petrus Siculus antiquus historicus. 442.d.e
Petrus subdiaconus curator patrimonij S. Petri in Sicilia. 56.e
Petrus subdiaconus curator rerum Romanæ Ecclesiæ in Campania. 38.b
Petrus Tarracinēsis Episc. a S. Gregorio monitus de conuersione Iudæorum. 27.b
Petrus Tracolitanus Episcopus Visitator constitutus a S. Gregorio. 72.e
Philippicus in suspicionem adductus apud Mauritium Imperatorem. 160. a. b. Detrusus in monasterium. 161.a
Philippicus Imperator cognomento Bardanes. Vide Bardanes.
Phocas miles legatus ab exercitu ad Imperatorem. 137.c. Miles timidus. 160.b
Phocas occiso Mauritio imperat. 158.e.159.a.160.d
Phocas profitetur Catholicam fidem. 180.d.e.165.e
Phocæ Imperatoris & Leontiæ Aug. imagines delatæ Romam. 162.e. Mittit ad Gregorium Papam fidei professionem. 163.a.b
Phocas Imperator accipit litteras a S. Gregorio. 154. b. c.
Phocæ mores & aspectus qualis. 165.e
Phocas quæ scripsit ad Cosroem Regem Persarum. 166.e
Phocas rogatur acquiescere iudicio Episcoporum. 174.e
Phocas studiosissimus Bonifacij Papæ. 198.d.e
Phocas repressit temeritatem Cyriaci Episcopi Constantinop. de titulo Vniuersalis. 198.e.199.a
Phocas quæ uere contulerit Romanæ Ecclesiæ. 198.e.
Phocas periurus in Narsetem, quem exuri iubet. 198.b.c 199.a.b.c.d.200.a.b
Phocas tyrannus potius, quam Imperator habitus. 198.e
Phocas violat immunitatem Ecclesiæ. 199.b
Phocæ parantur insidiæ. .210.b.c
Phocas donat Pantheon Romanæ Ecclesiæ. 201.b
Phocas sæuit in nobiles ciues. 202.a.b. Curat occidi Commentiolum Prætorem Thraciæ. 205.a
Phocæ tempore carcer dilatatus. 203.b.c
Phocas ægrotans sanatur a Theodoro Siceota. 203.c.d. 204.a
Phocas inuisit Thomam Patriarcham morientem. 205.e
Phoca imperante multa mala occupant Orientem. 205.a
Phocas in coniuratos vlciscitur. 210.a.b.c
Phocas tyrannice imperat vsque ad necem. 210.d
Phocas Macrobium Scribonem sagittari iubet. 210.b
Phocæ conatus ut cæsi in bello, inter martyres scriberentur. 211.c.212.a
Phocas uxorem & matrem Heraclij in carcerem trudit. 211.b
Phocas quæ passus a Photino interfectore. 211.d
Phocas occiditur. 210.e. 211.b. Eius fratres & affines cum eo necati. 212.a
Photij de epistola Honorij iudicium. 312.e
Pictauiense Concilium. 57.e.58.a
Pictauiense monasterium S. Radegundis turbatum valde. 57.e.58.a.b
Picti populi in Anglia recipiunt legitimum Pascha. 634.c.d
Pileus auratus gestari solitus a Chartularijs. 26.c
Pipini primi genus & propagatio. 302.c.d
Pipinus primus moderator Regni Dagoberti, & Sigeberti 302.c.d.e. Eiusdem laudes. ibid.e
Pipini tres. 302.c
Pipinus secundus filius Beggæ & Ansegisi. 302.c.d
Pipini tertij genus. 302.c.d
Pipini magna religio in confitendis peccatis suis. 303.d
Pipinus a Carolo patre datus in filium Luidprando. 577.b
Pipinus cooperatur S. Suuiberto in conuersione Gentium. 621.b
Pipinus trāsfert corpora SS. martyrum Euualdorum Coloniam. 618.d
Pipinus fugat a Frisia Radbodum Regem. 620.e
Pipini Præfectura quando contigit. 622.d
Pipini opera Frisij accipiunt Euangelium. 621.b
Pipinus deceptus persequitur S. Ansbertum Episcopum Rothomagensem. 622.d.e
Pipinus donat sedem Episcopalem Vuillebrordo a Sergio Papa ordinato. 623.d. Eius pellex molitur necem S. Lamberto. 631.a.b
Pipinus moritur relicto hærede Carolo Martello. 674. d.e.
Pipini mortis tempus & Præfecturæ ipsius anni. 675.b
Pyrrhus Episcopus Cōstantinopolitanus calumniator Sophronij Episcopi Hierosolymorum. 325.b
Pyrrhus quando creatus Episcopus Constantinopolitanus. 353.a.b
Pyrrhus frustra tentat inducere in errorem Ioannem Romanum Pontificem. 354.c
Pyrrhus fugit Constantinopoli in Africam priuatus ab Imperatore. 359.c.d.e
Pyrrhus in Africa disputans cum Maximo superatur. & efficitur Catholicus. 367.a.b.c.368.a.369.b.c. Cur cesserit Maximo. 371.d.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pyrrhus cupit admitti ad limina Apostolorum. 369.e. 370.
Pyrrhi pœnitentia. 369.d.e.370.a.b
Pyrrhus Romam veniens quomodo exceptus a Theodoro Papa. 370.a.b.c
Pyrrhus a Theodoro Papa in pristinam dignitatem restitutus & auctus. 370.d.e
Pyrrhum passum uiolentiam a Romano Pontifice calumniati sunt hæretici. 370.e.371.a.b.c
Pyrrhus quando & cur laudatus a S. Maximo. 371.e. 372.b.c
Pyrrhus illectus ab Exarcho relapsus in hæresim. 387.e 388. a
Pyrrhus damnatur iterum a Theodoro Papa. 387.e. 388.b.c.d
Pyrrhus post obitum Pauli restitui nisus est in Patriarchatum Constantinopolitanum. 431.d.e
Pyrrhi obitus. 437.d
Placidus Patricius occisus a Phoca. 158.e
Plato Exarchus post Isacium. 362.b. 371.d
Plereus schismaticus laqueo se suspendit. 248.e
Plechelmus Scotus Romam ueniens ordinatur Episcopus. 303.e.304.b
Plechelmus Episcopus Candidæ casæ interfuit Concilio Traiectensi. 630.a
Plechelmus Episcopus in Anglia tempore Bedæ. 653.c.
Plectrudis Pipini uxor pia femina excipit sanctum Suuibertum. 657.c. *Curat uiri salutem per Episcopos.* 674.e
Plinij in scribenda historia ratio. 53.d. *Rerum Traiani exactus scriptor.* 184.e
Pluuia recreat Romanum exercitum. 262.b
Podagræ morbus uexauit etiam sanctos uiros. 134.e
Pœna ab Episcopis statuta & applicata Comitibus. 123.b
Pœnam exilij infligendam subdiacono curat S. Gregorius. 154.b
Pœnam fustium ab Episcopo non infligendam. 49.b.c
Pœnitentiam suscipere idem est, quod monasticam uitam profiteri. 544.a
Pœnitentiæ Sacramẽtum omnibus impertiendũ fidelibus. 11.d
Pœnitentia Pyrrhi Monothelitæ. 369.e.370.a
Pœnitentes detrusos in monasterium recipere coguntur Abbates. 122.e
Polimatium oppidum a Longobardis captum. 76.c
Politici sic affectant religionem, ut decipiant. 168.c.d.e
Polychronij impostoris causa. 554.e.555.a.b.c
Polychronij uana promissio de excitatione mortui. 554. d.e.
Polychronius a Sexta Synodo damnatus. 555.e
Polychronius missus Romã detrusus est in monasterium. 568.e
Polyeuctus legatus a Sophronio missus. 312.c
Pomerius quis Iulianus dictus. 586.d.e
Pompeius cognatus Iustiniani Imperatoris. 90.a
Pontifex Romanus electus, ante confirmationem quomodo se gerebat. 4.b
Pontificem facit electio, non confirmatio Imperatoris. 7.d
Pontifex non ordinatur absque consensu Imperatoris. 2.e.3.a.b.4.a. b. *Redimebat pecunia executionem Pontificatus.* 7.d
Pontifex Romanus pastor pastorum. 9.a
Pontificis Romani confirmatio usurpata ab Imperatoribus. 2.e.3.a.b.c
Pontificis Romani summa potestas. 320.c. *Eius Primatus prædicatus a S. Helmerammo.* 645.a.b
Pontificis Romani apparatus regius haud adeo necessarius. 57.a.b
Pontifici Romano cura imminet totius Orbis. 26.e
Pontificis Romani potentia. 81.d
Pontifex Romanus supplet quod ab electoribus omittitur. 22.d
Pontificis Romani familiares non sint laici. 91.d
Pontificum Romanorum corpora deferebantur cum dalmatica. 91.d
Pontifices Romani custodes & defensores canonum sint. 411.b
Pontifices Romani necquicquam agãt inconsulto Clero. 584.d.e
Pontificum Romanorum est, mittere ad Gẽtes Apostolos. 598.e.599.a
Pontificum Romanorum est, confirmare Synodos œcumenicas. 560.a.b
Pontifices Romani temporalia & spiritualia curant. 116.c.d
Pontificum Romanorum est, monere Imperatores. 533.d.e
Pontificum Romanorum est, ferre leges in Reges transgressores. 168.d.e
Pontificum Romanorum quando uires auctæ. 640.c.d
Pontifices Romani cur tam sæpe ex Græcis siue Orientalibus. 651.a.b
Pontifices Romani licet diuersarum et aduersarum essent nationum, omnes tamen unius spiritus. 651.a.b
Pontifex Romanus summus auctoritate & honore. 558.d.e
Pontificis Romani ministri custodire debent iura Episcoporum. 118.e
Pontifices Romani qui erasi e diptychis Constantinopolitanæ Ecclesiæ a Monothelitis. 519.a
Pontifices Romani aduersati sunt canones Sextæ Synodi. 610.a.611.612.613.a.b.c
Pontifex idolorum contra suos deos disputat, & dirruit templa eorum. 277.e.278. a. b. *Efficiturque Christianus.* ibid.
Populus Constantinopolitanus occurrit Heraclio Imp. uictori redeunti. 288.a.b
Populi Romani studium erga defunctos Romanos Pontifices. 91.d
Populi diuersarum nationum cõuersi ad fidem a feminis. 29. d
Populonensis Ecclesia in Tuscia multa passa a Longobardis. 11.c
Portæ S. Petri basilicæ uestitæ argento. 344.b
Portentum de Crucibus sese mutuo collidentibus a S. Theodoro interpretatum. 203.d.204.a.b.c
Porticus S. Petri ad Palmaria dictus. 344.e
Potamij Episc. Bracarensis causa tractata in Concilio Toletano decimo. 462.d e.
Potamius publice sua cõfessus in Synodo peccata. 462.d.e 463.a.b
Prasini infectantur Phocam Imperatorem, dantque pœnas. 210.b
Prasini incendunt Prætorium. 210.a.b
Prædicatio illegitima sæpe impedita. 598.d.e
Prædicatio ad Gentes conceditur a Romano Pontifice. 418.d.e
Prædicator auulerus non accipitur. 333.b.c
Prædicatores qui uere dicendi legitimi. 598.e.599.a
Prædicatores duodecim in Germaniam missi. 598.e. 599.d. *Quem finem singuli sint consecuti & quibus in locis.* 630.b.c

Universidad de Deusto

Prædictio malorum futurorum facta a S. Theodoro Siceota. 204.b.c
Prædictio S. Columbani de Regibus Francorum. 223.a.b
Prædictio S. Gregorij de malis uenturis. 136.b.c
Præmio digni pro Ecclesia laborantes. 56.d
Præstantissimi montis habitatio Sanctorum. 39.e
Præsides prouinciarum mali quantum obsint Imperio. 80.c.d.e. *Iidem sub Mauritio Imperatore ueluti tyranni habiti.* ibid.
Præsides prouinciarum male consulunt suis Principibus, cum inuadunt iura Ecclesiæ. 643.d.e
Precibus ad Deum factis auertendi hostes. 151.d.e
Presbytera ejicitur ab Vrsino presbytero cum moritur. 20.d.e
Presbytero iniungitur munus Chrismatis a S. Gregorio. 71.c.
Presbyteri ad pœnitentes recipiendos, & ad baptismum infantium semper parati sint. 22.d.e
Primatem alium quam Romanum Pontificem cognoscere nolunt Hispaniarum Episcopi. 562.a.b
Primatus Constantinop. Ecclesiæ malis artibus quæsitus. 84.d.e
Primatus Romanæ Ecclesiæ non a Phoca acceptus, ut garriunt Nouatores. 199.c.d.e.200.a.b.c. *A Deo datum omnes profitentur.* ibid.
Primatum Romanæ Ecclesiæ Patriarchæ Constantinopolitani semper sunt professi. 200.a.b.c.d. *Vide* Romana Ecclesia.
Primi & Felicitani martyrum translatio. 390.a
Primogenius Gradensis Episcopus creatus ab Honorio Papa. 299.d.e
Principes magno suo damno delinquunt in seruos Dei. 223.e
Principes magno periculo disputant de sacris dogmatibus. 292.e.293.295
Principes mali velamento religionis tegunt scelera sua. 480.c.d.
Principes magno periculo audiunt hæreticos. 293.a. 294.a.b 295.643.d.e
Principes nullum sibi ius in Ecclesijs uindicēt. 480.c.d
Principum hæreticorū dæmones sunt promotores. 669.e
Principes ad sacerdotes accedere debent, non sacerdotes ad ipsos. 351.d.e
Priscus Dux exercitus Mauritij Imp. 64.e. *Idem amicus S. Gregorij.* 65.a.b
Priscus Dux aduersus Caianum Regem Auarum ducit exercitum. 136.d
Priscus Patricius Constantinopolitanus. 49.e
Priscus Dux irruit in Sclauinos Barbaros. 116.e.117.a
Priscus Patricius gener Phocæ Imp. 201.d. *Redditur infensus eidem.* ibid.e. *Excitat Heraclium Prætorem in Africa aduersus Phocam.* 205.b
Priuilegium concessum Cypri Episcopis extorribus. 600.e.601.a
Priuilegium concessum a S. Gregorio monasterijs. 143.e 144.a.b
Priuilegia monasteriorum petit Brunichildis Regina a S. Gregorio. 164.e.165.a
Priuilegium monasterij Fontanellæ. 567.c
Priuilegium monasterij S. Medardi a S. Gregorio datum. 63.c.d
Priuilegium datum a Clodoueo monasterio S. Dionysij. 482.c
Priuilegium datum Ecclesiæ S. Martini a Deodato Papa. 516.c.d.e.517.a
Priuilegium uetus Ecclesiæ Rauennatis cuius sit fidei. 96.d.e.97.a
Priuilegia Ecclesiarum dantur & auferuntur arbitrio Romanorum Pontificum. 562.a.b
Priuilegia Romanæ Ecclesiæ confirmata a Iustiniano Imp. 659.e
Probinus successor Pauli in Patriarchatu Aquileiensi. 198.d
Probus Abbas sequester pacis cum Longobardis. 116.c.d.e.
Probus Abbas accipit a S. Gregorio testandi facultatem. 154.c
Probus Episcopus in Africa scribit una cum alijs ad Paulum Episcopum Constantinopolitanum. 376.b
Proclus Episcopus Cleronensis improbus aduersarius monachorum Eobiensium. 281.a.b.c
Processio Spiritus Sancti a Patre & Filio a S. Gregorio testata. 54.a.b.c
Processio ad S. Petrum cum imagine Dei genitricis Mariæ. 6.c.d
Professio fidei Schismatici reuertentis ad Ecclesiam. 155.d.e
Professio monastica per susceptionem habitus & tonsuræ. 544.a.b
Professio monastica in extremo vitæ articulo suscipi solita. 544.b
Prophetiæ spiritus non semper latur prophetis. 206.b
Prophetia S. Columbani de Regibus Francorum. 220.b. 223.a.b.c.d
Prophetia S. Gregorij de malis uenturis. 136.b.c
Proiectus martyr Episcopus Aruernensis. 505.e.506.a
Protasius Episcopus Aquensis. 103.d
Protocursor qui fuerit. 201.d
Prouinciæ Romano Imperio restitutæ. 578.a.b
Protosymbolus magistratus apud Sarracenos. 627.b
Prouidentius seu Agnellus Episcopus in Istria. 197.a
Prudentia carnis male consulitur rebus Ecclesiæ. 241.a
Prudentia S. Gregorij in regimine pastorali. 3.d
Pschmon quid significet. 430.b
Psalmorum imperitus indignus Episcopatu. 95.d
Psalmi omnes gloriæ hymno finiuntur. 122.b
Psalmodia in translatione reliquiarum sanctorum. 13.c.d
Pseudoprophetа in Gallia quæ fecerit. 98.a. *Occisus tandem.* ibid.c.d
S. *Pudentianæ ecclesia in Numidia.* 32.d
Puella barbara cremata quod ex pueris in feretrum Eudociæ Augustæ. 217.e
Purificationis solemnitas aucta litanijs per Sergium Papam. 638.e
Purpura non omnibus concessa clericis. 122.a
Putta Episcopus in Anglia. 507.a

Q

Quadragesimæ obseruatio ex Concilio Toletano. 440.a
Quadraginta Homiliæ S. Gregorij quando habitæ ab eo. 38.d.e.39.a.b *quando absolutæ.* ibid.d
Quaternitatem introducunt Monothelitæ. 455.c
Quatuor Coronatorum martyrum ecclesia facta ab Honorio Papa. 344.e
Quatuor administratores Romanæ Ecclesiæ ante confirmationem Romani Pontificis. 4.b
Quæstio de anima Traiani uentilata. 181.e.182
Quæstio de nomine Vniuersalis Episcopi ad fidem pertinet. 86.e.87.a
Quæstiones de S. Martino Papa Constantinopoli. 428.d.e.429.
Quæstio de S. Maximo habita. 425.b.c.d.e.426.c.d.e

Quæstio de S. Anastasio Persa. 283.c.d.284.b.c.d
Quæstores missi ad colligendam pecuniam ab Ecclesiis pro bello Persico. 254.b.c
Quinta Synodus non recipitur a Longobardis. 129.c.d. 130.a.131.a.b
Quinta Synodus cur a schismaticis improbata. 67.d.e
Quintæ Synodi professio cur omitti potuit absque iactura fidei Catholicæ. 68.c.d
Quinta Synodus ignota Hispanis. 576.e
Quinta Synodus a S. Gregorio missa ad Theodolindam. 172.a. *Pugnat pro ea S. Gregorius.* 16.e.17.a
Quinta Synodus nihil statuit contra Concilium Chalcedonense. 50.d.e.68.d.e.69.a.b
Quinisexta Synodus, eademque erratica dicta. 602.e. 603.604.
Quiricus Episcopus Toletanus quando vixit. 572.e. 573.a
Quodvultdeus Episcopus in Africa legatus ad S. Gregorium. 33.c.

R

Rachmacarius Episcopus Augustoduni & Basileæ alumnus cœnobij Bobiensis. 243.b
Radbertus Episc. interfuit Concilio Rothomagensi. 567.b
Radbodus Rex Frisiæ per Pipinum Principem expulsus. 620.c. *Occidit S. Vuigberum martyrem.* 621.a. *Quid in S. Vuillebrordum Episcopum.* 629.c.d
S. *Radegundis monasterium quid possum ab ipsis monialibus.* 57.e.58.
S. *Radegundis sepulchrum profanatum.* 60.a
Ragamundus missus a Theodorico Rege ad S. Columbanum. 223.a.b
Ragnegisilus Archidiaconus agit pro S. Lupo Senonensi. 301.e
Ragnomirus lector Ecclesiæ Rothomagensis. 567.c
Ragenbertus Dux Taurinorum occupans regnum Longobardorum moritur. 647.a
Rami oliuæ in signum victoriæ. 288.b
Raminus Abbas tyranni socius intruditur in Episcopatum Nemausensem. 512.d.e
Raptor impunitus non relinquatur, 174.d
Rasis Arabis historia De rebus Christianorum haud fidelis. 544.c.d
Rauennas Ecclesia se subijcit Romanæ. 520.c
Ratisponensis Ecclesia illustrata martyre. 644.d.e 645.646.
Rauennas Ecclesia sæpe resiliens, ut subijciatur Romanæ Ecclesiæ, actum in Synodo Romana. 538.b.c
Rauennatis Ecclesiæ priuilegium quale. 96.e.97.a
Rauennates milites liberant Sergium Papam ab Imperatore Orientis. 611.c.d.e
Rauennates deficientes ab Imperatore grauia passi. 636.d.e
Rauennas Ecclesia in meliorem statum reducta. 636.d.e
Razates Dux Persarum ingenti prælio victus. 272.b.c
Razech regio in Perside. 238.b.c
Rebaptizationis hæresis restituta per canones Sextæ Synodi. 606.c.d
Reccaredus Rex quando regnare cæpit, & eius conuersio quando contigerit. 27.d.28.a
Reccaredo Regi insidiatur Segga Episcopus Arianus. 28.c
Reccaredus Rex patitur inuidiam coniuratorum. 28.c.d. 29.a.b
Reccaredus Rex sollicitus pro religione & Ecclesiasti-
ca disciplina propaganda. 121.c.d
Reccaredi Regis legatio ad Romanum Pontificem. 133.e
Reccaredus Rex donatur muneribus a S. Gregorio Papa. 134.b
Reccaredus Rex minor filius Sisebuti & eius obitus. 253.e
Recceswinthus Rex Hispaniarum quando regnare cæpit. 418.b
Recceswinthus Rex Hispaniarum. 439.e. *Aedificat ecclesiam S. Ioannis Baptistæ.* 481.d.e
Recceswinthi Regis obitus & laudes. 510.c.d
Reciuergæ Reginæ Hispaniarum obitus & epitaphium. 418.b
Redempta sancta femina. 39.e
Redemptus diaconus Ecclesiæ Carthaginensis. 377.e 378.a
Redituum Ecclesiarum quatuor partes faciendæ. 97.e
Redualdus proditor Eduini. 276.a.b
Redualdi Regis conuersio, & lapsus. 290.b. *Deos ma cum Christo coluit. ibid. e. Occisus a Richberto.* 290.e
Regentrudis mater Sigeberti Regis. 453.c
Rex Arrianus cognoscit & reueretur immunitatem Ecclesiarum. 281.b.c
Reges Francorum bello ciuili inter se pugnant. 154.d
Reges Francorum ex genere Clodouei quando, & quam ob causam defecerunt. 480.d.e
Reges Hispaniarum quando appellati Catholici. 3.d.6.d.e.357.a
Reges Hispaniarum ab Episcopis eligendi. 440.e
Reges Hispaniarum iurare soliti de fide Catholica seruanda. 346.d.e
Reges Hispani defunctis uxoribus prohibiti transire ad secunda vota. 601.e
Reges Longobardorum in Italia potentes. 29.c.d
Regi maledicens excommunicandus. 340.e
Reges indigni nomine Regum, qui insurgunt in Romanam Ecclesiam. 3.a.b.c
Regibus comminatus S. Gregorius Regni priuationem. 63.e. 64.a
Regum laus potissima ex Catholico nomine. 94.a.b
Regum decreta de Episcopatibus inualida, nisi confirmentur auctoritate Romani Pontificis. 562.a.b
Regum non esse causam sacerdotum cognoscere. 281.c
Regibus leges præscribunt Romani Pontifices. 168.d.e
Reginæ moniales destruunt obseruantiam monasticam. 60.e.
Regina Angliæ Bebba. 335.b
Regnum quodlibet ædificio comparatum. 640.d
Regnum cum deficit ab Ecclesia Romana, corruit. 640.d.e
Regnum Hispaniæ cur traditum Sarracenis. 640.e. 641.a.b.c
Regnum Hispaniæ a Regibus pijs oblatum Romanæ Ecclesiæ. 642.a.b.c.643.
Reginaldus Episcopus Rothomagensis. 637.d
Regionarij diaconi qui dicti sint. 118.a.b.c
Regionarij Defensores qui dicti sint. 118.c. *Eorum priuilegium.* ibid.c.d
Regulæ monasticæ S. Cæsarij Episcopi Arelatensis. 57.e
Regulæ monasticæ S. Columbani a Schismatico labefactatæ. 246.a.b.c.d
Regulus Episcopus interfuit Concilio Rothomagensi. 567.b
Religione læsa collabitur Imperium. 293.c.d
Religio exercitus Romani sub Heraclio Imperatore. 258.d.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reliquiæ S. Agilei martyris missæ Carthagine Romam. 157.a
Reliquiæ S. Anastasij pie curatæ. 284.e.285.a.b
Reliquiæ SS. Apostolorum missæ in Gallias. 104.e
Reliquiæ S. Georgij martyris acceptæ a Theodoro Siceota. 120.c.d
Reliquiæ S. Gregorij Papæ a populo magno honore habitæ. 181.b
Reliquiæ petitæ a S. Gregorio Papa per Candidum Abbatem ab Episcopo Arabiæ. 141.c.d
Reliquiæ a S. Gregorio missæ in Angliam. 150.e
Reliquiæ a S. Gregorio missæ ad Reccaredum Regem. 134.b
Reliquiæ concessæ a S. Martino Papa S. Amando. 405.a
Reliquiæ S. Laurentij missæ in Gallias. 104.e
Reliquiæ S. Seuerini quæsitæ a S. Gregorio. 30.d.e
Reliquiæ quæ dari solitæ a Romano Pontifice. 73.e.74
Reliquiæ martyrum missæ a Vitaliano Papa ad Regem Anglorum. 494.b. Aliæ ab eodem missæ ad Vuandregisilum. 496.d.e
Reliquiæ S. Pancratij missæ in Gallias. 104.e
Reliquiæ quomodo probatæ. 40.e
Reliquiarum Apostolorum causa non adeptus Primatus Ecclesiæ. 84.e
Reliquijs S. Anastasij martyris abiecti dæmones. 668. a.669.670. 671. 672. Vide, Anastasius Persa.
Reliquijs martyrum dæmones abiguntur. 668.a. 669.
Reliquias martyris æque hæretici ac dæmones exhorrent 671.a
Reliquiarum beneficio vitatur naufragium. 13.a.b.c
Reliquiarum cultus miraculis comprobatus. 74.a.b
Reliquias sanctorum non leuet acoluthus, sed presbyter. 271.d
Reliquiæ sanctorum liberant a naufragio. 124.a.b
Reliquiæ Orientalis Ecclesiæ translatæ in Occidentem. 343.e.344.a
Reparatus Primas prouinciæ Mauritaniæ. 374.a
Reparatus Episc. Rauennas. 503. b. Impetrat ab Imp. rescriptum contra Rom. Ecclesiam. ibid. c
Responsales Cyriaci Episcopi Constantinop. ad S. Gregorium missi. 106.c. Ab eodem in communionem accepti. 106.d.e
Respublica Veneta Christianissima nuncupata. 299.e
Reuelationes de anima Traiani ab inferis reuocata, penitus inanes conuincuntur. 183.e.184.a.187.c.188.
Rhodus a Sarracenis capta. 442.
Rhotaris Rex Longobardorum. 347. b. Eius obitus. c.
Richarius legatus ad Sclauos sanctitate clarus. 304.a 357.c
Richbertus occidit Redualdum. 290.e
Rictrudis res gestæ scriptæ ab Hugbaldo. 306.b
Rioldus persecutor S. Lamberti Episcopi Leodiensis. 631.b
Ritus Ecclesiasticos quos mutuata est Ecclesia Romana ab Orientali. 131.c.d.e
Rixæ monialium Pictauiensium turbāt Episcopos et Reges. 58.b.c
Rizocopus Exarchus quāta mala intulit Romanæ Ecclesiæ. 658.b. Eius obitus. ibid.
Rocilo uxor Theofridi Ducis Cordubensis. 641.c
Rodelinda Regina Longobardorum. 512. a. Aedificat ecclesiam S. Mariæ. ibid.b
Rodericus Episcopus Toletanus erroris arguitur. 417. d.e.
Rodericus siue Rudericus Rex Hispaniarum succedit Vuitizæ. 660. c. Expellit eius filios. 671. e. Prodi-
tione Iuliani decipitur. 671.e. 672.a. Pugnat contra Sarracenos. 672.c. 673. a. Eius obitus & sepulchrum. 673.b
Rodericus siue Rudericus Toletanus inique carpit Benedictum Papam. 579.a.b
Rodoaldus Rex Longobardorum moritur. 479. b.c
Romæ status tempore ordinationis S. Gregorij. 7.e
Roma a ventis diruta. 7. e. 9. a. b. Eius prædictio, 8. b
Romæ salus pecunijs redempta a Longobardis. 81.c.d.
Roma dira passa a Longobardis. 2.d.e. 3. b.c. 77.e. 78. 79.
Roma relicta absque præsidio militum. 83.a
Roma commissa curæ S. Gregorij. 83.c
Romæ custos S. Petrus. 81.d.e
Romæ excidium cui comparatur a S. Gregorio. 79. a.b.c. Eius interitus deploratus ab eodē. 78.b. 79.a.b.
Roma cur non expugnata fuerit a Longobardis. 81.a.b
Roma fame dire vexata. 8.b.c. Roma ab Arnulpho infestata. 31.a.b
Romanum Concilium sub Agathone Papa. 528. 529. 530. Eius Acta recitata in Concilio Rom. sub Ioanne Papa Septimo. 652.c.d
Romanum Concilium sub Bonifacio Papa Tertio. 200.d
Romanum Concilium sub Bonifacio Papa Quarto. 214.b
Romanum Concilium sub Gregorio Papa. 91.c.d.e.
Romanum Concilium sub Gregorio Papa. 143.c.d.e
Romanum Concilium sub Gregorio Papa. 153.d.e
Romanum Concilium sub Ioanne Papa Quarto. 354.b.c
Romanum Concilium sub Martino Papa, idemq. Generale dictum. 390.b.c. 391.d.e. 392. 393. Eius Canones. 395.b.c
Romanum Concilium sub Theodoro Papa, in quo Paulus Episcopus Constantinopolitanus damnatus est. 387.c.d
Romanum Concilium sub Vitaliano Papa. 494.d.e
Romanum Concilium sub Ioanne Papa Septimo. 651.c.d
Romana Ecclesia ab Arianis Regibus sub tributo facta. 2.e.3.a
Romana Ecclesia qualiter custodienda. 56.b.c
Romana Ecclesia ab Imperatoribus Orientis oppressa. 2.e. 3.a.b
Romanæ Ecclesiæ status deploratus exordio Pontificatus S. Gregorij. 8.b.c.d
Romana Ecclesia libera ac domina. 3.a.b.c
Romanæ Ecclesiæ impugnans iura, extra veritatem Catholicam ducitur. 3.e
Romanæ Ecclesiæ summa auctoritas. 374.d
Romanæ Ecclesiæ Primatus. 88.c.d
Romanæ Ecclesiæ præconia. 532.e
Romana Ecclesia quid consecutus a Phoca Imperatore, 198.e.199.a. b. Redarguuntur hæretici dicentes ab eo ipsam Primatum assecutam. 199.c.d.206.
Romana Ecclesia sola conciliat hæreticos pœnitentes. 456.b.c.d
Romana Ecclesia liberata a pensitatione pecuniæ, dari solita Imperatoribus Orientis. 584.d. 560.c. d. 575. e. 584.d.
Romana Ecclesia non dedignata alias Ecclesias imitari. 132.b Quæ sit mutuata ab Orientalibus. 131.c.d
Romanæ Ecclesiæ patrimonia in diuersis prouincijs. 24.a.b
Romanæ Ecclesiæ oblatum Regnum Hispaniarum. 642. b.c.d.643.
Romanæ Ecclesiæ oblatæ Alpes Cottiæ. 648.a.b
Romana Ecclesia grauiter afflicta a Ioanne Rizocopo Exarcha. 658.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanæ Ecclesiæ consuetudo in dandis reliquijs. 73. c. 74. a.
Romana Ecclesia semper immota. 636.a
Romanæ Ecclesiæ erga pauperes munificentia. 431.e
Romana Ecclesia legitimos mittit ad Gentes Apostolos. 628.b. c
Romanæ Ecclesiæ relictus usus purpuræ. 122.a
Romanæ Ecclesiæ splendor non in regio apparatu tantum fulget. 57.a.b
Romanæ Ecclesiæ continuus usus de imagine Agni. 613.d.e.614.a
Romanæ Ecclesiæ uires quando auctæ. 640.c d
Romanæ Ecclesiæ usus in benedicendis ceris imagine Agni impressis. 613.e.614.a
Romana Ecclesia quos recipit Canones Sextæ Synodi. 614.a.b.c. d
Romanæ Ecclesiæ clericorum insignia. 122.a
Romanus exercitus superatus a Persis. 212.b.c
Romanus exercitus victor aduersus Persas Deo gratias agit 259. b.c. *Olim semper solitus succumbere eisdem Persis.* 260.d.e
Romanus exercitus ob temeritatem in discrimen adductus sub Heraclio Imperatore. 265.c. d. *Idem diuisus in tres partes.* 267. a. b. *Idem uincit Dei genitricis ope.* 267. b
Romanus exercitus superatus a Sarracenis. 406.d
Romanus populus quanta passus a Longobardis. 83.a.b. 102. a.b.154.e
Romanus populus fidei Catholicæ studiosissimus execratus Imperatorem hæreticum. 663. c.d.666.a.b.
Romana Vrbs per Duces administrata. 663.d.c
Romanæ feminæ nobiles extorres ob mala a Longobardis illata. 16.a
Romani captiui uenditi Francis. 83.a
Romani captiui liberati. 644.c
Romanus populus ad Gregorium conuersus. 2.c.d
Romanus populus aduersatus hæreticos. 439.d. *Quid in Romanum Pontificem ne reciperet Synodalem hæretici hominis.* Ibid.
Romanum Imperium tunc stat, cum fides Catholica custoditur. 293.c.d
Romanum Imperium cur a Barbaris excisum. 80.a
Romani Imperij prouinciæ sub Heraclio restitutæ a Persis debellatis. 578.a.b
Romani Imperij destructores Sarraceni. 239. e. 240.a
Romanus ordo sic dictus liber ritualis creditus collectus a Gelasio Papa. 613.e
Romani Pontificis futuri electio non tractanda uiuente Pontifice. 200.d.e
Romani Pontificis confirmatio usurpata ab Arianis Principibus, & Orientis Imperatoribus. 2.e.3.a. *Remissa a Constantino Imperatore.* 575. e
Romanus Pontifex confirmat Concilia oecumenica. 50. a. b
Romanus Pontifex adeundus ab hæreticis pœnitentibus. 456. b.c.d
Romani Pontificis esse monere Imperatorem. 533.d.e
Romani Pontificis auctoritas & potentia. 81.d
Romanum Pontificem errare in fide non posse. 71.d
Romanus Pontifex abrogat aliarum Ecclesiarum consuetudines. 22.e
Romani Pontificis auctoritas etiam in politicis administrandis. 171.a.b
Romani Pontificis auctoritatis est dare & auferre pro arbitrio concessa priuilegia. 562.a.b
Romanus Pontifex abhorrens a fastu imitatur interdum minores Ecclesias. 132.b
Romani Pontifices restitere Episcopis Constantinop. Primatum sibi usurpantibus. 84.c
Romani Pontifices qui sint usi titulo Vniuersalis. 89.e.90.a
Romani Pontificis opera Sexta Synodus habita. 561.a.b
Romani Pontificis auctoritati regius apparatus non necessarius. 57.a.b
Romani Pontificis summa auctoritas. 558.e. *Ipsi cura totius Orbis.* 26.e. *Ipse pastor pastorum.* 9.a
Romani Pontificis esse probare et reycere celebratæ Concilia. 50.a.b.c
Romani Pontificis tãtum esse delegare usum Sacramenti Chrismatis presbyteris. 71.c
Romani Pontificis auctoritate priuari Reges trangressores. 168.d.e
Romani Pontificis tituli insignes. 363.c
Romani Pontifices ab hæresi semper immunes. 533.b.c
Romani Pontificis esse probare aliorum scripta aduersus hæreticos. 137.c.d
Romani Pontifices fauerunt Venetis. 300.b.c
Romanus Pontifex adiri permittitur ab Ariano Rege. 281.c.d
Romani Pontificis Primatus prædicatus a S. Heimerammo Episcopo & martyre. 645.a.b
Romani Pontifices numquam receperunt Canones Sextæ Synodi de imagine Agni. 613.d.e
Romana quæ & Eustolia, filia Mauritij Imp. sancta. 202.e
Romanus Episcopus Legatus missus ad Honorium Papam. 328.e
Romanus Exarchus Rauennæ. 51.d. *Quid in Longobardos.* 76.c.d
Romanus Defensor Ecclesiæ sub Gregorio. 118.e
Romanus Patricius Constantinopolitanus iussu Phocæ torquetur & decollatur. 201.e.202.a
Romanus Spatharius defert caput Iustiniani Imperatoris Romam. 662.d
Romaricus monachus seducitur ab Agrestimo. 248.b.c. *Reuocatur ad pœnitentiam.* 249. b. *Adnumeratus inter sanctos.* 249.d
Romildæ Reginæ proditio & libido punita. 135. e. *Eius filiæ virgines honestissimæ.* 135.e.136.a
Romoaldus Dux Beneuentanus. 484.b
Romula uirgo sancta. 39.e
Ronan Scotus Paschæ Catholici defensor. 486.b.c 588. 589.
Rosellana Ecclesia in Thuscia. 11.c
Rotharit Dux Bergomi. 648.a
Rothomagense Concilium. 567.a.b
Rudericus Vide Rodericus.
Ruffinianus cum socijs a S. Gregorio in Angliam missus. 147.c.d
Ruffus primus Strator quid in Philippicum Imp. ausus. 667 c
Rugini populi adhuc Gentiles. 597.e
Rusius Patricius minister scelerum Iustiniani Imperatoris. 619.a.b
Rustici idololatræ quæ sint passi ex diuina ultione. 280.e
Rusticiana Patricia peregrinata in montem Sion. 74.e. *Admonita a S. Gregorio.* 38.b. *Laborat podagra.* 141. e. *Mittit uela & eleemosynam Romam ad basilicam Apostolorum.* 142.a.b.c.d
Rusticus Episcopus. 208.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

S

S. Abbati cultus a S. Gregorio prohibitus. 168.c. 169.a
Saberethi Regis Saxonum Orientalium obitus. 227.d.
Eius filij idololatræ. ibid.e
Saberethus nepos Edilberthi Regis. 192.d
Sabinianus diaconus Apocrisarius missus Cõstantinopolim a S. Gregorio. 48.c. Prohibetur communicare cũ Ioanne Episcopo Constantinopolitano. 86.c. Reuocatur Constantinopoli Romam. 107.c
Sabinianus Papa creatur. 190.b
Sabiniani Papæ obitus. 197.d. Quid in eum per uisum S. Gregorius. d.e. Funus eius ignobile.e. Reliqua eius gesta. ibid.e
S. Sabinus Episcopus Spoletinus prædicit Petro Episcopatum Ticinensem. 666.e
Sabinus martyr exaudit Ducem Spoletanum etiam Gentilem. 155.b.c
Sabinus subdiaconus Romanæ Ecclesiæ. 157.e
Sabinus subdiaconus in schisma adductus. 34.e
Sabinum uinum. 18.c
Saccelli quid. 81.b.c
Saccellarius quis fuerit. 81.a.b.c
Saccellarius idem quod Sacellarius. 81.a.b
Sacerdoti felicius cedit ira, quam fauor Principum. 302.b
Sacerdotes idolorum frustra laborant in excitando defuncto. 625.a
Sacerdotibus occurrere debent Principes, non Principibus sacerdotes. 301.d.e
Sacerdotes idolorum conuersi ad fidem Christi. 626.d.e
Sacerdotum concordia proficua Imperio. 80.d.e
Sacerdotes nihil remittere debent sacerdotalis uigoris in gratiam Principum. 302.a.b
Sacerdotes ab Imperatoribus honorandi. 82.e.83.a
Sacerdotum quæ sint officia erga Principes sæculi. 301.d.e
Sacramentum pœnitentiæ impertiendum omnibus. 11.c.d
Sacrificium Missæ proficuum uiuis atque defunctis. 527.e. 528.a.b. Vide Missa.
Saffarius Episcopus Petragoricensis. 58.b
Sagoleus Sacellarius procurator Fiscalis contra S. Martinum Papam. 428.c.429.d.e
Sagonensis Ecclesia in Corsica. 22.d
Salamonis templi ruinam luget Rex Sarracenus. 339.d.e
Salamonis anima an salua sit, curiosa inuestigatio. 187.e.188.a.b.c
Salonitani Episcopi causa coram S. Gregorio. 35.d. Vide Maximus.
Saluius in Gallia Episcopus doctissimus. 424.a
Saluius Episc. interfuit Concilio Rothomagensi. 567.b
Salutatio Episcoporum Antiochenorum in litteris qualis fuerit. 93.d
Saluatoris imago ærea in porta Palatij. 159.e. Vide Imago.
Sain Dux Persarum usque Chalcedonem uenit. 257.e
Sain Dux Persarum missus aduersus Heraclium. 264.a.b Victus a Theodoro Duce Romanorum. 267.b.c. Auctis uiribus procedit in Heraclium. 266.e. Mœrore consumptus interijt. 267.b.
Sammaria Neapolis dicta. 291.e
Sammaritanos hæreticos S. Gregorius exagitat. 105.d
Sampsonis anima an salua sit, curiosa inuestigatio. 188.a.b.c
Sancti ubique mirabiles. 266.b.c
Sanctorum reliquiæ quomodo probatæ. 40.e. Vide Reliquiæ.
Sanctorum intercessio petita in mutua communicatione. 94.d
Sanctio Heraclij Imperatoris de numero clericorum Constantinopolitanæ Ecclesiæ. 251.b.c.d
Sanctuli presbyteri admirandi obitus. 64.c.d
Sancius Rex Hisp. paret Gregorio Papæ Septimo. 643.e
Sanguis fluit ex uelo, quo inuolutæ erant reliquiæ. 74.a
Sanguis fluens e corpore sanctæ Euphemiæ. 66.e. 67.a
Sanguinis Christi in atramentum destillatio symbolum æternæ damnationis. 388.d.e
Sanguis ex percussa imagine fluens. 225.a
Sanctorum intercessiones proficuæ. 669.e
Saporius Armeniæ Præfectus euadit tyrannus. 498.a.b. Eius interitus. ibid.c.d
Sarano Abbati Scoto scribit sedes Apostolica. 349.a
Sarbarus Dux Persarum aduersus Romanos missus. 258.a Vincitur ab Heraclio. 259.b. Nudus aufugit. 264.d.e. Occiditur. 264.a.d
Sarbarus alius in Heraclium pergit. 265.b.c. Aduersus urbem Constantinopolitanam missus. 267.a. Obsidet Chalcedonẽ. 267.d.e. Occidit Syroen Regem Persarum. 292.c
Sardorum quærelæ ad Phocam Imperatorem per Vitalem Defensorem missæ. 169.e.170.a
Sardiniã incolunt Barbaricini populi ex Africa extorres. 70.a.b.c
Sardiniæ Ecclesiarum dispositio varia. 583.c.d
Sarmanzaris Dux exercitus Persarum. 261.b.c
Sarracenorum Princeps conuersus ad fidem. 44.e.45.a
Sarraceni grassantur in Syriam. 219.c
Sarraceni infideles profanantes ecclesiam dant pœnas. 225.a.b
Sarraceni occidunt monachos Lauræ S. Sabæ. 235.e. 236.a.b.c
Sarraceni deuastatores Romani Imperij prædicti. 239.e.240.a
Sarraceni cultores astri luciferi. 297.a
Sarraceni occupant Regnum Persarum. 292.c.d. Potiuntur illo. 353.b
Sarraceni inuadunt Romanum Imperium. 301.a.b
Sarraceni Arabes irruunt in regionem Gazensem. 305.c. Vincunt fratrem Heraclij Imp. 307.e. 308.a. Capiunt Bostras. 307.e
Sarracenus percutit suo damno sagitta imaginem sancti Theodori. 225.a.b
Sarracenis ingruentibus Sophronius Episcopus Hierosolymitanus precibus aduersatur. 312.b
Sarraceni potiuntur Aegypto. 331.b.c.d.e
Sarraceni deuastant Armeniam. 442.d
Sarraceni obsident Hierosolymam. 335.d.e. 336.a.b. Capiunt eam. 339.b.c
Sarraceni Cyprum inuadunt. 389.e
Sarraceni capiunt Antiochiam. 343.d.e
Sarraceni capiunt Rhodum, & Colossum æreum in frustra diuidunt. 442.c
Sarraceni iusto iudicio Dei prævalent in Romanos. 434.b.c. Aduersus eosdem insurgunt in Sicilia. 406.d. Eam insulam deuastant. 503.d. 506.e
Sarraceni superant Constantĩ Imp. in bello nauali. 446.b
Sarraceni inuadunt Thraciam & urgent Constantinopolim. 510.a

Sarraceni petunt pacem a Constantino Pogonato Imperatore. 517.e. 518. a.b. Tributum pendunt eidem. 518. b
Sarraceni classe tentant Hispaniam. 515. e. Iidem victi a Vuamba Rege. ibid.
Sarraceni pacem petunt a Iustiniano Imperatore. 577.e.578.a
Sarraceni potiti sunt Africa. 627.b
Sarracenorum ingens clades sub Abdimaro Imp. 632. e.
Sarracenorum numerosa multitudo toto Orbe diffusa. 632. e
Sarraceni non sunt molesti peregrinantibus ad loca sancta. 635.e
Sarraceni inuadunt Hispaniae. 671.b.c. Quando id contigerit. 672. Prævalent contra Gothos. 673.b
Saturninus Episcopus lapsus. 72.c
Saturninus Episcopus Alatrinus. 519.e
Saturninus monachus pictor. 179.c
Saxones Australes in Anglia ad fidem cõuersi per Vuilfridum Episcopum. 562.b.c
Saxones in Germania adhuc Pagani. 597.c.599.e
Saxonia aucta martyribus. 617.e.618.a
Saxones bellum gerunt aduersus Boructuarios populos. 657.a.b.c
Saxonum ecclesia erigi cœpta per S. Suuibertum. 660.e.661.a.
Saxones hæretici redarguuntur ab auctore. 661.d
Saxonum Rex legationem ignominiosam mittit ad Clotharium Regem Francorum. 231.b.c
Scandalum passi complures ob captam sanctam Crucem a Cosrhoe. 236.e.237
Schisma inter Theodorũ & Paschalem in Romana Ecclesia. 587.a.b
Schisma inter monachos ab Agrestino suscitatum. 245.e 246.a
Schisma ob Tria capitula obortum ualidatur per Lõgobardos. 50.c.d. 51.e. 197.b.c
Schisma quam maxime uitandum. 87.d
Schismaticos ob Tria capitula Mauritius Imp. urget Edictis. 12.a. Vigent in Italia. 11.d.e. Et in Hibernia. 33.c.d 34.c.d.e. Laborat ualde S. Gregorius ut tollatur schisma. 11.e.12.a
Schismaticum tutum reddit S. Gregorius. 11.e.12.a
Schismatici ad Ecclesiam reuertentes bene habiti a S. Gregorio. 52.c
Schismatici non omnes hæretici. 52.c
Schismaticorum prætextus de læso Concilio Chalcedonensi. 67.d.e
Schismatici uexant Catholicos. 67.d.95.c
Schismatici Istrici petunt accessum securum ad Vrbem. 91.e.92. Reuersi ad Ecclesiam. 126.c.d.127.a. 155.c.d
Schismatici reuersi ad Ecclesiam fidei professio. 155.d.e
Schismatici in Britannia a Deo sæpe puniti. 192.a. b. 193.b.c
Schismatici conuincuntur deos colere alienos. 193.d
Schismaticorum conuersio difficilis. 194.a.b
Schismatici & hæretici raro uere pœnitentes. 249.d
Schismaticus homo diabolicis furijs agitatur. 248.e
Schismatici patiuntur lupos internos. 248.e
Schismatici cedunt Sergij Papæ electioni. 587.e.d
Schismatici diuisionem affectant ne subiaceãt censuræ Romanæ Ecclesiæ. 110.c
Scholasticus eunuchus sub Phoca Imp. 199.b
Scholasticus Patricius Exarchus missus in Italiã ab Anastasio Imp. 667.d
Scholasticæ sanctæ corpus assertum translatum in Gallias. 491.d
Scladio Abbas interfuit Concilio Rothomag. 567.b
Sclaui barbari Auaribus iuncti. 64.e
Sclaui uicti a Mauritio Imp. 116.e
Sclaui inuadunt Italiam. 135.d.151.d.e
Sclauos conuertere cogitat S. Columbanus. 226.d
Sclaui in Romanum Imperium per Cosrhoem mouentur. 266.d.e.267.a
Sclauis prædicat S. Amandus. 307.c.d
Sclaui uincuntur a Longobardis sub Duce Vuecthari. 485.e.486.a
Sclaui quid in Francos. 357.a
Scotia uocata Hibernia. 577.d
Scoti moniti litteris Laurentij Episcopi. 193.e.194.a. Diuersum ab Ecclesia Romana celebrãt Pascha. 333.d Non tamen Schismatici uere habiti. 333.d.e. Quamdiu error ille uenialis. 486.b.c.d.487.a
Scoti Episcopi electi Romam mittuntur consecrandi. 303.d
Scoti deuiantes corriguntur ab Honorio Papa. 329. d.e
Scoti prædicant Anglis uocati ab Osuualdo Rege. 333.b.c
Scoti scribunt ad Seuerinum Papam. 348.e
Scotus prædicator rigidus nihil proficit. 333.b.c
Scotorum monachorum & clericorum disciplina exactissima. 489.d.e
Scoti recipiunt legitimum Pascha. 634.a.b
Scripta S. Gregorij qualia. 9.b
Scripta appensa in ecclesia sublata. 386.a.b
Scriptura diuina scrutanda. 455.a.b
Scripturæ diuinæ uerba in laudes hominum non torquenda. 101.c
Sebastianus Episcopus Episcopatu a Barbaris priuatus solitariam uitam agit. 97. b.c. Eximiæ sanctitatis uir. 83. d
Sebastiani martyris uetus imago in ecclesia S. Petri ad Vincula. 542.e. Eiusdem frequentes imagines ad propulsandam luem. 542.e
Sebastiani martyris oratorium in Episcopio Lateranensi. 390.b
Sebberius Rex Orientalium Anglorum. 214.d.e. Fabricat monasterium sancti Petri & ecclesiam sancti Pauli, ibid. d.e.
Sebbi Rex Orientalium Saxonum conuersio. 490.d.e. Eius laudes & obitus. 509.b.c. Eius conuersio et monasterij habitus. ibid. c. Eius uisio & miracula ad sepulchrum. ibid.d.
Secundinus Abbas accipit a S. Gregorio homilias in Euangelia. 38.e
Secundinus Abbas baptizat filium Theodolindæ Reginæ. 129. e. Haud in omnibus acquieuit Gregorio monenti. 131. a. b. De Quinta Synodo nacillat. 130.a. Eius scripta corrigenda. 171.e.172.a
Secretarium Palatij Constantinop. Trullus dictus, cur ita. 539.e.540.a.b
Secta Mahometana nefanda. 297.a.b
Sæculi huius homines rudes litterarum ualde. 531. b. 537.b
Sæculum septimum a Christo nato quomodo inchoatur. 635.e. 636.a
Sedatius Episcopus Biterrensis. 123.e
Sedis Apostolicæ summa auctoritas. 374.d. Vide Romana Ecclesia.
Sedium Patriarchalium prærogatiua. 108.b
Sedeleuba Regina Burgundionum. 208.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sellarius custos carceris. 283.e.284.a.e
Sellarij qui sint apud Persas. 273.d
Sententia Sextæ Synodi lata in Macarium Antiochenum. 547.a
Sententia Sextæ Synodi lata in Polychronium. 555.e. 556.a
Sententia Sextæ Synodi lata in omnes Monothelitas. 548.e.549.
Sententia Toletani Concilij in Sisbertum Archiepiscopum Toletanum. 616.e
Septiformis Litania quæ fuerit. 5.d.e.6.a
Septima Synodus usa canone Sextæ Synodi de imagine Saluatoris. 613.a.b.c.d
Septuaginta martyres cum sancto Anastasio passi. 284.c.d
Sepulchrum aureum & argenteum S. Austregisili contemnitur a Guarnerio, qui dat pœnas. 218.e
Sepulchrum argenteum S. Victoris. 208.d
Sepulturæ locus ut ematur, abusus contra decretum S. Gregorij Papæ. 252.b.c
Sepultura tantum non liberat quemquam a pœnis inferis. 189.d.e.190.a
Sepulturæ Mahometi impostura. 297.c.d.e
Sereno Episcopo Massilienſi commendat S. Gregorius missos a se in Angliam. 103.d
Sergius Abbas Romæ occisus a Ioanne Exarcho. 658.b
Sergius creatus Episcopus Constantinopolitanus. 205.e.206.a.
Visitat Theodorum. 206.a. Laudatus ab eodem Theodoro. 206. b. c. Laudatus etiam a Georgio Pisida. c.d. Eius egregiæ uirtutes. 206.c.d.e
Sergius Episcopus Constantinop. coronat Epiphanium Augustum. 219.c. Occurrit Heraclio triumphanti. 288.b
Sergij priora laudabilia posteriora pessima. 206.b.c.d.e
Sergius Episc. Cōst. genere Iacobita assertor unius uoluntatis in Christo. 294.d. Occulte fuit hæreticus. 261.a.b. Quid de dogmatibus ad Heraclium. 292.c. Cum esset hæreticus uult uideri Catholicus. 301.b.c. Quousque perseueranit Catholicus. 294.d. 313.a. 316.b. 318.c. 319.a. Firmat numerum clericorum sanctione Heraclij præfinitum. 251.b.c.d
Sergius Episcopus Constantinop. scribit de dogmatibus ad Honorium Papā. 313.b.c.d. 315.e. 316.a. Eius epistola non potuit reijci. 316.a.b. Prima eius scripta ex posterioribus damnata sunt. 319.d.e. Malorum omnium auctor. 325.c.d
Sergius Episcopus Constantinop. abusus est silentio Honorij Papæ. 326.d. Quod ipse ante suasit. 314.e. 315.a. Homo natura leuissimus. 325.d.e. 326.a
Sergij Episcopi Constantinop. opera promulgata est ab Heraclio Imp. Ecthesis. 347.d.e. Eius ascitantia redarguitur. 369.b.c
Sergij Episcopi Constantinop. obitus. 352.e
Sergij duo hæretici, alter Syrus, Armenus alter. 311.c
Sergius Episcopus Arsenois. 325.b
Sergius Episcopus Carcasonensis. 123.d
Sergij Episcopi in Cypro Orthodoxi epistola. 363.b.c.d.e
Sergius Episc. Ioppensis hæreticus inuadit Ecclesiam Hierosolymitanam. 339.e. 340.a. 364.c
Sergius Euphrata Præfectus mensæ regiæ quid in Maximum. 467.b
Sergius Magister militum legatus ad Regem Sarracenorum. 498.a.b
Sergius martyr fauet Cosrhoi. 41.e.42.a.b.43.a
Sergio martyri uota persoluit Cosrhoes offerens Cruces & uasa pretiosa. 42.d.e
Sergij martyris nomine monasterium in Perside. 285.b
Sergius Mansur cognomento uir pius pater Ioannis Damasceni. 601.c.d
Sergius Magudas falsus testis contra S. Maximum martyrem. 465.b
Sergius Magistrianus missus a Iustiniano Imperatore. 611.d.e
Sergius Ordinator occisus a Ioanne Exarcho. 658.b
Sergius Dux Romani exercitus occiditur. 335.e
Sergij Patricij interitus. 195.a
Sergius Papa creatur. 587.c.d. 588.a.b. Eius uitæ primordia & institutio. 588.c.d
Sergius Papa probat Acta Concilij Toletani. 590.e. Indicatq. de scriptis Iuliani Episcopi Toletani. 591.a
Sergius Papa baptizat Ceaduallam Regem. 592.d.e. 593.a.b
Sergius Papa concedit munus prædicandi Euangelium Vuillebrordo & socijs. 599.b.c
Sergius Papa damnat Canones Sextæ Synodi nuncupatos. 611.a.b. Et restitit Iustiniano Imperatori. 611.d.e. 612.a.b
Sergius Papa liberatur per milites a Zacharia Protospathario misso a Iustiniano Imperatore ad perducendum eum Constantinopolim. 611.c.d. Ipse uero liberat a nece persecutorem suum. 612.a
Sergius Papa per uisum admonitus ordinat S. Vuillebrordum Episcopum & nominat eum Clementem. 623.e. 624.a. 628 c.d. Curat Aquileiensem Ecclesiam in errorem relapsam. 632.d.e. Consecrat S. Hubertum Episcopum Leodiensem. 633.a
Sergius Papa calumniam passus liberatur. 633.c.d
Sergij Papæ epistola ad Ceolfridum Abbatem. 683.b
Sergius Papa iubet Bedam uenire Romam. 638.b.c
Sergius Papa auctor Litaniarum in die Purificationis Domini. 638.e
Sergius Papa diuersa ornamēta donat Ecclesijs. 639.a.b. Fecit imaginem S. Petri. 639.a. Eleuauit & recondidit corpus S. Leonis Papæ. 639.b
Sergius Papa moritur. 638.a.b
Sergij Papæ decretum, vt in Missa dicatur Agnus Dei. 639.d
Sergij Papæ ordinationes & sepultura. 639.e
Sergius Scriniarius sequitur Constantinum Papam Constantinopolim. 658.a
Sermo acclamatorius a Sexta Synodo oblatus Imperatori. 557.e
Sermo S. Gregorij tempore pestis. 5.a.b
Seruatius legatus missus a Dagoberto Rege ad Heraclium Imperatorem. 292.d
Serui facti monachi libertate donati. 97.e
Sesostris Rex Aegypti quo dicto prudentior factus. 65.c.d
Seuerianus hæreticus ab Heraclio Imperatore confutatus 260.e. 261.a
Seuerus Episcopus Aquileiensis iterum lapsus vocatus ad Synodum. 12.a.b. Indigens eleemosynæ. 31.e.32.a. Non vult parere S. Gregorio Papæ. ibid.a.b. Eius obitus. 195.e
Seuerus Scholasticus. 82.a.
Seuerini Confessoris Ecclesia reddita Catholico usui. 30.d.e
Seuerus Gradensis Episcopus schismaticus. 156.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seuerini ecclesia iuxta Tibur. 345a.
Seuerini Confess. reliquiæ petitæ a S. Gregorio. 30.d.e
Seuerinus Papa creatur. 345.c.d. Nequaquam confirmatur ab Imperatore. 345.c.d. 348.c.d
Seuerinus Papa damnat Ecthesin Imperatoris Heraclij. 348.b.c
Seuerini Papæ obitus & res gestæ. 348.c.d.e
Sextæ Synodi tempus & locus. 539.d.e
Sextæ Synodi Actiones singulæ. 540.b. 541. 542. 544.c. 545. 546. 547. 548. 549 550.
Sextæ Synodi Actiones mutilatæ. 545.b Et depravatæ per Theodorum Monothelitam. 462.a.b.c. 550.a.b. 551.d. 552.a.b.c. 553.a.b. 554.a.b. 564.e. 565. 566. 567. 568.b.c
Sextæ Synodi sententia aduersus Monothelitas. 548.e. 549. Eiusdem sermo acclamatorius datus Imperatori. 557.e
Sextæ Synodi epistola ad Agathonem Papam. 558.d.e. 559.a.b. 560.
Sexta Synodus cur audiuit Polychronium spondentem miracula. 556.b.c.d.e
Sextæ Synodi Acta Synodalia missa in Hispaniam. 574.c.d
Sexta Synodus cur ab Hispanis dicta est Quinta. 576.e
Sextæ Synodi iudicium auctoris. 560.e. 561.a
Sextæ Synodi compendium per Anastasium. 560.b.c
Sextam Synodum confirmat Romanus Pontifex. 560.a.b
Sextæ Synodi Appendix. 602.e. 603. 604. Eadem dicta Erratica Synodus 604.b. Sepulta silentio. 606.a. Damnata a Romanis Pontificibus. 606.e. 607. Eius Canones improbati penitus. 603.d.e. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 631.d.e. 660.a
Sextæ Synodi Canones a nullis trium sedium Patriarchis recepti. 614.a.b. Qui ex eis dicantur esse recepti Canones & quare. ibid.c.d.
Sexta Synodus damnatur Constantinopoli a Monothelitis sub Philippico Imp. 664.e
Siccitas triennalis. 524.b
Sicilia deuastata a Sarracenis. 503.d
Siculi Episcopi plures depositi a S. Gregorio. 22.e
Sidonius Scotus peregrinatus ad limina Apostolorum. 507.b.c
Sigebertus filius Theodorici Rex Francorũ creatur. 229.c Eius exordia laudabilia. 230.a.b.c. Sinit coniugem sibi desponsatam profiteri vitam monasticã. 229.e. 230.a. Captus a Clotario. 230.d
Sigebertus Rex in Anglia factus monachus. 365.b.c
Sigibertus filius Dagoberti infans cum baptizatur a sancto Amando respondit Amen. 354.a. Post mortem patris regnat cum fratre. 384.e. Eius obitus atque virtutes. 476.d.e. 477.c
Sighertus Rex Anglorum occiditur a suis. 449.a.c.d
Sighardus monachus Regis filius. 509.e
Sighere Rex Apostata. 490.d
Sigillum Sanctæ Crucis in Persidem translatæ seruatum & inuentum illæsum. 287.d
Sigillum S. Huberti Episcopi Leodiensis. 633.b
Signum ignis diuinitus ostensum manifestat S. Gregorium fugientem. 7.b.c
Signum de uera doctrina falsum, datum a Scotis. 191.c
Silentium de duabus in Christo uoluntatibus permissum. 308.d. Suadet illud subdole Sergius. 314.e. Item illud Paulus cur procuret. 385.b.c
Silentium de quæstione orta quamdiu indici potuit, vt in culpam non veniretur. 319.c.d. Silentium quando idem sit quod negatio. 466.a.b.c.d
Silentium de vna, uel duabus uoluntatibus indictum a Constante Imperatore. 385.e. 386.a.b
Silentium Honorij Papæ de una, uel de duabus voluntatibus in Christo. 318.a.b. 319.b.c. 320.a. Longe diuersum a silentio ab Imperatore indicto. 386.e. 387.a. Silentium Honorij laude dignum. 326.a Idem est proclama assertionis Catholicæ. 323.d.e
Siluanum Pauli discipulum, Manichæus se esse iactat. 443.c.d. Idem occiditur. ibid.e
Siluestri Papæ oratorium. 587.c.d
Siluiæ matris S. Gregorij imago. 178.e. 180
Simeon Manichæus se Titum nominat. 444.a
Simeon Iudæus tunicam Domini Iesu Christi propalat. 48.d.e
Simeon missus ab Imperatore aduersus Manichæos & ipse Manichæus efficitur. 443.d.e. 444.a
Simoniaca hæresis uiget in Ecclesia Orientali. 128.e. Potissimum in Palæstina. 145.e. Magis uero in Gallijs. 132. 133.a.b. 146.a. Inualescit quoque in Ecclesia Alexand. 167.c. 213.a.b
Simoniacus occasione inopiæ parat sibi aditum ad Ecclesiam. 240.c.d. Reiicitur a S. Io. Eleemosynario. 240.d.e
Simplex aliquando pro fatuo accipitur. 82.c
Simplicij Faustini & Beatricis martyrum corpora recondita. 575.c.d
Simplicius Comes, ad quẽ Leo Papa scripsisse dicitur non inuentus. 573.b.c
Simaita monachus diabolica illusione delusus. 237.a.b.c
Sirmundus Parisiensis Societatis Iesu in Latinum uertit Petrum Siculum auctorem historicum. 442.d.e
Sisibertus, uel Sisbertus Episcopus Toletanus rerum nouarum inuentor. 600.d. Conspirat in Regem. 601.e. A sede deponitur. 616.b.c.d.e.
Sisinnius Papa creatur. 655.e. 656.a. Podagra laborans cito obijt. ibid.a
Sisinnius Nomenclator sequitur Constantinum Papam proficiscentem Constantinopolim. 658.a
Sisebutus Rex Hisp. quãdo regnare cœpit. 239.b.c. Iudæos conuertit ad fidem uiolentia adhibita. 239.c.d. Eius lex de iisdem. d.e. Relaxat captiuos sua pecunia redemptos. 253.e. Romani Imperij Vrbes capit. 239.b.c. Fundat ecclesiam S. Leocadiæ Toleti. 253.e. Eius obitus. 253.e
Sisenandus Rex Hisp. procumbit ante pedes sacerdotum. 330.a.b
Sittas Dux Persarum male perit. 42.c
Syagria religiosa femina quid passa. 133.d
Syagrius Episcopus Augustodunensis. 103.e. Cur pallium a S. Gregorio non acceperit. 110.d
Symmachus Defensor Eccles. 20.c
Symmachus missus Romam a Rusticiana Patricia. 142.b
Synaxes pro defuncto celebratæ. 239.a
Synaxes conferendo de diuinis Scripturis agi solitæ. 175.c.d
Synderedus Episcopus Toletanus Romã profectus ingruentibus Sarracenis. 674.e
Synodus. Vide Concilium.
Synodalis epistola trium Africanorum Conciliorum. 374.c.d.e
Synodalis epistola ex Concilio Cyprio. 363.c.d
Synodalis epistola Petri Cõstantinopolitani Episcopi non recipitur Romæ. 439.d
Synodalis epistola ex Romano Concilio ad Imperatorem. 536.e. 537.a
Synodalis epistola ex Concilio Romano sub Martino Papa. 403.a
Syri ob grassationem Cosrhois fugiunt Alexandriam. 232.a.b

Universidad de Deusto

INDEX.

Syria a Sarracenis capta. 331.a.b
Syriæ Ecclesiæ a S. Martino Papa subleuantur. 410.b.c
Syricius diaconus. 321.e
Syra coniux Cosrhois. 285.e
Syroes filius Cosrhois maior natu. 285.e. Patrem conijcit in uincula. 286.a.b. In eundemq. dirissime sæuijt. ibid.c Quanta præstitit Romanis. 287.c.d. Eiusdē obitus. 292.c
Smaragdus Exarchus. 156.a
Sodomitici criminis rei dati in reprobum sensum. 183.b
Solis templum in Persida. 262.e
Sopatra filia Mauritij Imperatoris sancta. 202.e
Sophronius Episcopus Hierosolymitanus creditur scriptor Actorum S. Anastasij Persæ. 282.d
Sophronius quando factus est Episcopus Hierosol. 310.b. Luctus eius de amissa quiete. ibid.d.e. Aduersatus est Cyro Episcopo Alexand. Monothelitæ. 309.e. 310.a.b
Sophronij Episcopi epistola ad Honorium & ad Sergium et alios Patriarchas. 310.c.d.e. 311.a.b. Scribit ad Sergium cōtra Decretum Cyri. 313.b. 314.b.c. 320.c.d.e
Sophronius Epis. Hierosol. aduersus Sarracenos Deum precatur. 312.b. Eiusdem labores pro fide Catholica. 320.e
Sophronius Episcopus Hierosol. legationem mittit ad Honorium Papam. 320.c.d.e. 321.b. Conflatur Stephanum legatum ut Romam ueniat. 320.d. Coluit Honorium Papam mirifice. 325.a. Sophronio consentit Honorius Papa. 319.e. 320.a. 321.c.d
Sophronius uindicatur a calumnia hæreticorum. 325.b
Sophronius Episcopus Hierosol. quibus conditionibus dari finit tandem Hierosolyma Sarracenis. 339.c. Familiaris S. Ioannis Eleemosynarij. 213.e
Sophronij lamētatio de obsessa ciuitate Hierosol. 336.a.b.c
Sophronij Epis. Hierosol. obitus & laudes. 339.d.e. Inter sanctos relatus. 340.b. Eius scripta deperdita. 340.a.b
Sora domus Valeriorum dicta. 529.e
Sora capta a Gisulpho Duce Beneuentano. 644.c.d
Sorte sancitur pœna capitis apud Frisios. 629.d. 637.b
Sozomenus male audit apud S. Gregorium. 107.d
Spalense siue Hispalense Concilium sub Sisebuto. 252.e
Soarbarius immittitur ab Olympio Exarcho ad occidendum S. Martinum Papam. 406.b.c
Spectaculum ingens edidit de se Pyrrhus Episcopus Constantinopolitanus in Africa. 370.a.b
Speculum missum a Bonifacio Papa V. ad Edelburgam Reginam. 271.c
Spiritum sanctum a Patre Filioq. procedere, tam Latini, quam Græci professi sunt. 53.e. 54.a. Hoc ipsum & confessio Anglicana fatetur. 526.d
Splinterus defunctus reuocatus ad uitam per S. Suuibertum. 625.d.e. 626.a
Statuæ sanctorum super turres a Vuamba Rege erectæ. 513.d.e
Statua aurea Veneris destructa & in pauperes erogata. 44.e. 45.a
Stellanus & Segienus presbyteri Scoti, ad quos scriptæ literæ Apostolicæ. 349.a
Stephania femina iniuste oppressa. 55.e
Stephanus Abbas scriptor Ecclesiasticus. 302.c
Stephanus Episcopus legatus a Sophronio Episcopo Hierosol. ad Honorium Papam. 321.a.b. Acquiescit Honorio Papæ de silentio indicendo. 321.d
Stephanus Dorensis Episcopus Romam missus ad Theodorum Papam pro Ecclesia Hierosol. 364.c.d. Interfuit Concilio Romano sub Martino. 393.b.c. Bis eadem functus legatione. 413.a
Stephani Dorensis Episcopi libellus ad Martinum Papam. 364.c.d. Factus Vicarius Apostolicus a Theodoro Papa. 364.d.e
Stephanus Episcopus impeditus exequi iussa Pontificis. 410.d.e
Stephanus Episcopus Cyzici defert imaginem Dei genitricis Mariæ ad Heraclium Imperatorem. 211.c
Stephanus Episcopus Hierapolis scriptor uitæ S. Colinducbi martyris. 67.b.c
Stephanus Primas prouinciæ Byzacenæ. 374.c
Stephanus Episcopus Leodiensis scriptor uitæ S. Lamberti Episcopi Tungrensis. 630.e
Stephanus hæreticus damnatus in Sexta Synodo. 546.e. 547.a. Detrusus Romæ in monasterium. 568.e
Stephanus Neapolitanus schismaticus a S. Gregorio curatur. 11.e. 12.a
Stephanus Chartularius malus minister arguitur a S. Gregorio. 80.a.b
S. Stephani oratorium in Palatio. 212.b
Stephanus monachus S. Theodosij una cum alijs, missus a S. Martino Papa in Asiam. 411.e
Stephanus Persa Sacellarius, eunuchorū Princeps Anastasiam Augustam loris cædit. 617.c
Stephanus Patricius minister scelerum Iustiniani Imp. 619.a.b
Stephanus Romanus cantor, primus post Iacobum docet in Anglia. 505.a
Strategius Patricius maritus Eusebiæ. 167.b
Sualua fluuius loco Baptisterij inseruiuit. 290.d
Subdiaconus prohibitus uxorem ducere. 21.a
Suburra regio in Vrbe. 29.e
Sudarium capitis Domini quādo, & ubi repertum. 523.e. 524.a
Sudarium S. Paulī petitum a Constantina Augusta. 74.d
Sueui conuersi ad fidem per S. Columbanum. 224.a.b
Suinthilla Rex Hispaniæ. 253.e
Sulpitij Episcopi Bituricenses plures. 100.b.c
Sulpitius Episcop. Bituricensis successor S. Austregisili. 218.c.d. Restituit Guarnerio. ibid.d. Liberat Clotharium. Regem a morbo. 301. Eius obitus. 110.b
Sūna Episcopus Arianus insidiator Reccaredi Regis. 28.c
Superbia magis detestabilis tempore humilitatis. 88.e
Superflitio cohibenda. 123.b
Supplicatio publica præuia Cruce fieri solita. 286.d.e
Supputatio annorū Domini admodum diuersa Græcorum a Latinis. 211.a
S. Susannæ ecclesia a Sergio Papa ornata. 639.e
Susanna coniux Isacij Exarchi. 362.c
Suscitatio mortui proposita Sextæ Synodo a Polychronio Monothelita. 555.d.e
Suuibertus unus ex duodecim missis in Germaniā ad prædicandum Euangelium. 599.d
Suuibertus prædicans Euangelium Barbaris multa miracula edidit. 622.b.c.d
Suuibertus reuersus in Hiberniam ordinatur Episcopus a Vuilfrido Episcopo. 621.c. 622.b.c. Reuersus in Frisiam detrususq. in carcerē ab Angelo liberatur. 621.e. Idem Episcopus Traiectensis dictus Apostolus Theisterbandiæ Vuesphaliæ & Boructuariorum. 622.c. Eius prædicatio & profectus ingens. 624.b.c. Reuocat ad uitam adolescentē defunctum. 624.d.e. 625.c.d. 626. Occurrit S. Vuillebrordo. 628.d. Dedicant simul ecclesiam S. Martini. 628.d. Celebrat Concilium Traiectense. 629.e. 630.a
Suuiberti Episcopi prædicatio ad Boructuarios. 653.d. 654.a.b.c. A Saxonibus impedita. 657.a.b. Venit Coloniam Agrippinæ. ibid.c. Aedificat Vuerdense monasterium. 657.c. Iacit fundamenta Ecclesiæ Saxonum. 660.e. 661.a. Suscitat Petrum defunctum. 661.a.b. Suuiberti cum Pipino morituro congressus. 674.e

Tabulis

Universidad de Deusto
Biblioteca

T

Tabulis ludere indecorum religiosis. 61.d
Taio Episcopus Cæsaraugustanus uenit Romam pro libris Moralium S. Gregorij perscrutandis, qui desiderabantur. 416.d.e.417.a
Tarasij sententia de tempore Erraticæ Synodi refellitur 603.a.b
Tariffus Dux Sarracenorum inuadit Hispanias. 672.e
Tarracinensis Ecclesia destituta pastore. 37.d
Taruanensium Apostolus S. Audomarus. 622.e
Tatto vir illustris curatur a S. Aredio. 99.d
Taurinus Episcopus interfuit Concilio Rothomag. 567.b
Tegulas æreas Pantheonis abstulit Constans Imp. 483.c.d
Tegulis æreis tectum ab Honorio Papa templum S. Petri. 344.c
Telæ aranearum dilapsæ in medium Conuentus Patrum Sextæ Synodi. 546.e
Templa idolorum antea indigna existimata, quæ in Christianorum ecclesias mutarentur. 201.c. Secus postea usum. 249.d.e
Templa idolorum conuersa in ecclesias per S. Sunibertum Episcopum. 624.c.d
Templa Hierosolymitana intacta a Sarracenis. 361.c.
Templum Deiparæ Cæsareæ. 273.b
Templum Deiparæ Constantinopoli destructum ob publica ædificia ab Imperatore Iustiniano. 617.d
Templum S. Euphemiæ Cæsareæ. 275.c
Templi Salamonis ruinam luget Rex Sarracenorum. 339.d.e
Templum Ignis in Perside incensum ab Heraclio Imperatore. 262.d
Templum Solis in Perside. 262.e
Templum Hierosolymis frustra a Principe Sarracenorum erigi tentatur, subsistentibus Crucibus. 361.a.b.c
Tempora sancti Gregorij Pontificatus exordio qualia. 7.d.e
Tergestinus Episcopus ad Ecclesiam Catholicam ex schismate redijt. 155.c.d
Terræmotus frequentes uexant Italiam. 241.d
Terræmotus concutit Regiam Theodorici egressu S. Columbani. 220.b.c
Testamentum Dagoberti Regis Francorum. 366.a.b.c
Testamentum Hadoindi Episcopi Cenomanensis. 437.e. 438.439.a
Testamentum Ingobergæ Reginæ. 64.b.c
Testandi facultas a S. Gregorio Probo Abbati concessa. 154.c
Testes falsi contra S. Martinum producti. 429.a
Testes falsi in S. Maximum producti. 464.e.465.466
Theandrica uoluntas & operatio in Christo. 322.e
Thebatma ciuitas in Perside. 262.d
Theodardus Episcopus Traiectensis martyr. 477.c.d.e. 478.a.b
Theodiscus Pseudoepiscopus Hispalensis degradatur. 341.a.b. In exilium missus a Chindasuindo Rege. 417.e
Theodobertus Rex Franc. successor Childeberti quando regnare cœpit. 124.b
Theodobertus & Theodoricus fratres pugnant contra Clotharium. 154.d
Theodobertus Rex Austrasiorum. 220.a
Theodobertus & Theodoricus inter se ipsos pugnant. 223.d
Theodobertus bene habuit S. Columbanum. 223.e.224.a
Theodoberti clericatus uiolentus. 226.b.c. Idem occisus a Theodorico fratre. 226.b.c
Theodolinda nubit Agilulpho Regi Longobar. 29.b. Ornamentum Baioariarum feminarum. 29.d. Conuertit Longobardos ad fidem Catholicam. 29.c.d.e
Theodolinda in partes defensorum Trium capitulorum perducitur. 50.c.d
Theodolinda pariens filium, in fide Catholica eum uult baptizari. 171.d. Eiusdem pietas. 243. Construit ecclesiam S. Ioannis Bapt. Modoetiæ. 243.d.e. Eiusdem oblatio facta eidem. 243.e
Theodolindæ obitus quando accidit. 278.e.279.a
Theodolindæ filia Regina erigit basilicam Ticini S. Ioannis Baptistæ. 479.c.d
Theodora uxor Iustiniani Imperatoris coronatur. 646.e
Theodoricus Abbas scriptor Ecclesiasticus. 304.e
Theodoricus Rex Francorum successor Childeberti Regis quando regnare cœpit. 106.a. 124.b. Amicus fuit aliquando S. Columbani Abbatis. 106.a. Pugnat contra Clotharium Regem. 154.e. Interfuit inuentioni corporis S. Victoris martyris. 208.d. Auaritia eius. 218.a. Dat pœnas ob persecutionem fratris. 219.a.b
Theodoricus Rex Francorum persequitur S. Columbanum. 219.c.d.e. A quo arguebatur ob concubinatum. 220.a.b.c. Idem potitur Regno Burgundionum. 220.a. Grauia passus ob persecutionem S. Columbani. 223.e. Luxouium uenit ad S. Columbanum. 220.e. Eius munera respuit S. Columbanus. 220.d. Canis nominatur ab eodem S. Columbano. 223.a
Theodoricus cum Brunichilde quid in Desiderium Episcopum Viennensem. 224.c.d. Eiusdem sacrilegia. 228.e. 229.a. Occidit fratrem Childebertum. 225.e.226.a. Eius interitus. 229.b.c
Theodoricus iunior Francorum Rex regnat. 506.a.b. Contemnitur a Francis. 501.e. Suasu Ebroini dominatur tyrannice. 580.c.d. Eiusdem obitus. 592.a.b Eius regni anni. 615.c
Theodora Augusta donat S. Sergio martyri Crucem auream. 42.c.d
Theodorus Abbas Aprocrisarius Martini Papæ. 411.e.
Theodorus Archipresbyter aduersus Paschalem in schismate creatur Papa, sed cessit Sergio. 587.a.b. 588.a
Theodorus Episcopus Alexandrinus moritur. 212.e
Theodorus Episcopus Amathuntis legatus ad redimendos captiuos. 232.c
Theodorus Balsamon schismaticus defensor Pseudosynodi Erraticæ Quinisextæ. 604.d.e. Erroris redarguitur multipliciter. 605.606.610.d.e
Theodorus Cæsariensis Episcopus missus ad peruertendum S. Maximum. 450.e
Theodorus Calliopa Exarchus quando missus in Italiam. 362.b
Theodori Calliopæ aduentus in Vrbem contra S. Maximum. 419.d.e.420.a.b.c.421.b.c
Theodorus Chilan falsus testis contra S. Maximum. 465.d.e.
Theodorus Comes quid cum Heraclio. 211.b
Theodorus Dorouernensis Episcopus quando a Vitaliano Papa missus in Angliam. 494.c. 500.d. 501.b.c. Quando peruenit. 504.d.e. Confirmat ordinationem Ceaddæ Episcopi, & alios ordinat Episcopos. 505.b. Agens legatum sedis Apostolicæ deponit Vuinfridum Episcopum. 518.d
Theodorus Episcopus Dorouernensis uocatur Romam ab Agathone Papa ad Concilium Romanũ. 525.e.526.a. 528.e.529.a. Ipse cogit Concilium in Anglia contra Monothelitas. 525.d.e. Pacem componit cum Regibus Angliæ. 527.c.d
Theodori Episc. Dorouernensis obitus et res gestæ. 600.a.b.

Eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eius sepulchrum & epitaphium. ibid.c
Theodorus legatus a Cyriaco Romam missus. 101.a.b
Theodorus Massiliensis Episcopus accipit litteras a S. Gregorio Papa, de Iudæis non cogendis ad fidem. 26.c
Theodorus contra Rauennates missus ab Imperatore. 656.d
Theodorus Patricius quid ausus in Philippicum Imperatorem. 667.c
Theodorus Manichæus Pauli filius. 578.b
Theodorus Monothelita creatur Patriarcha Constantinopolitanus. 497.a. *Hortatoriam epistolam mittit ad Donum Papam.* 517.c. *Impugnat fidem Catholicam.* 519.a.b. *Deponitur ab Episcopatu.* 523.d.
Theodorus Monothelita cur non scripserit Synodicam ad Romanum Pontificem. 521.d. *Idem erasit nomen Vitaliani Papæ.* 523.d
Theodorus Monothelita factus Catholicus per speciem tantum, restituitur in Episcopatum. 564.d. 565.a. *Actorum Sextæ Synodi corruptor.* 551.d. 552.d.e, 553.a.b. *Euidenter probatur depranator Actorum Sextæ Synodi.* 564. 565.a.b. 566. *Laborat ut Honorius recenseatur inter hæreticos.* 566.a.b. *Moritur.* 577.b.c
Theodorus monachus generalis Logothetæ homo sæuissimus. 617.d
Theodorus Myancij, quid passus cum Philippico Imperatore. 667.c
Theodori Episcopi Pharanitæ Monothelitæ scriptorum damnatio. 393.c
Theodorus Esbuntiorum Episcopus pœnitens reuertitur ad Ecclesiam, adquem S. Martinus Papa scripsit. 412.c.d. 419.e. 420.a.b
Theodorus frater Heraclij Imperatoris Præfectus exercitui contra Sarracenos. 267.a.b. *Ope Dei genitricis uincit hostes.* 267.b.c. *Vincitur a Sarracenis.* 308.a
Theodorus medicus pius, ualde carus Mauritio Imperatori. 46.c. *Eius cum Chagano Rege Auarum sermo.* 65.c.d. *Mittit Romam pecunias erogandas in pauperes.* 109.e. 110.a
Theodorus Papa eligitur. 359.b. *Consurgit pro Ecclesia Hierosolymitana ab hæreticis conculcata.* 364.d.e. *Eius erga pauperes clementia commendata.* 370.d.e
Theodorus Papa quomodo Pyrrhum pœnitentem redeuntem ad Ecclesiam excepit. 370.d. *Restituit ei Patriarchatum Constantinopolitanum, & honoribus cumulauit.* d.e. *Eundem uero relapsum condemnat.* 387.e
Theodorus Papa condemnat Paulum Constantinopolitanum Episcopum. 382.d
Theodorus Papa mittit Apocrisarios Constantinopolim. 363.e. 380.a
Theodorus Præfectus Cappadox coniurat contra Phocam Imp. 210.c. *Proditus occiditur. ibid.d*
Theodorus Præfectus Orientis capitur iussu Phocæ. Imp. 202.a
Theodorus presbyter Cardinalis legatus ad Sextam Synodum missus ab Agathone Papa. 529.e
Theodorus presbyter legatus ad Sextam Synodum missus ab Episcopo Rauennate. 529.e
Theodorus Curator Rauennæ, a sancto Gregorio Papa de rebus Longobardorum monitus. 125.a
Theodorus Rauennas Episcopus obsequentissimus Romanæ Ecclesiæ. 503.b. *Mittit legatum ad Sextam Synodum.* 529.e
Theodorus Siceota Archimandrita sanctus. 14.c. 15.a. *Creatur Episcopus Anastasiopolis.* 14.e. 15.a. *Sese abdicat ab Episcopatu.* 119.e. 120.a
Theodorus Siceota miraculis claret. 120.a. *Eius cum Antiocho anachoreta congressus.* 113.d.e. *Admonet Georgium Cappadocem.* 166.c. *Quid cum Bonoso Præfecto Orientis.* 209. *Comprimit uiri fastum. ibid.e. Salubres admonitiones impertit. ibid.e. Præcognouit interitum Mauritij Imperatoris.* 159.b.c.
Theodorus Siceota pluuiam a Deo impetrat. 121.a.b. *Accersitur Constantinopolim ab Imperatore et Cyriaco Patriarcha.* 120.a.b
Theodorus Siceota petit Constantinopolim. 203.e. 204.a. *Inuisit Thomam Constantinopolitanum Episcopum proxime moriturum.* 205.d.e. *Quos cum eo sermones habuit.* 204.a.b. *Curat dæmoniacos.* 207.b.d. *Eius ibi imago depicta.* 207.b.c.
Theodorus quæ Domitio Patricio & eius familiæ bona contulerit. 207.c.d. *Degens Constantinopoli proficuus multis.* 207.a
Theodori Siceotæ prædictio de futuris malis. 204.b.c. *Quid cũ Sergio Constantinopolitano Episcopo.* 206.a.b. *Sanat Phocam Imperatorem.* 203.e. 204.a. *Domitius Theodori precibus liberatus.* 194.e. 195.a.b. *Eius obitus, & memoria celebris.* 225.c.d.e.
Theodosia femina iniusta passa ab Episcopo Calaritano. 55.e
Theodosiani milites dicti custodes Vrbis. 31.d
Theodosius Mauritij filius creatur Imperator. 28.c. *Coronatur.* 67.b. *Occisus a Phoca tyranno.* 161.a. *Creditus uiuere.* 202.b. *Eius obitus.* 166.a
Theodosius frater Constantis Imperatoris ab ipso occiditur. 478.d.e
Theodosius Patricius missus ad peruertendum S. Maximum. 450.e
Theodosius Subadiuua a Phoca Imperatore iussus occidi. 202.a
Theofridus Dux Cordubensis, quæ passus a Vuitiza Rege Hispaniarum. 641.c
Theophanes Demarchus. 201.d
Theophanis historici de tempore Sextæ Synodi Appendicis sententia reijcitur. 603.c.d.e
Theopentus Episcopus Syrus extorris Romam venit cum suis. 668.c. *Eius filia a dæmone obsessa liberatur.* 669. 670. 671. 672.
Theophanius Regionarius missus ab Imperatore, occurrit Constantino Papæ Hydrunti. 658.b
Theophylactus Exarchus contra Ioannẽ Papam VI. uenit. 640.b. *Aduersus eum milites Italiæ insurgunt.* 640.b.c
Theophilus Patricius ab Imperatore missus in occursum Constantini Papæ. 659.c
Theoctista Patricia, soror Mauritij Imperatoris, scribit ad S. Gregorium creatum Pontificem. 9.e. 10.a.b. *Hæresis accusata, monetur a S. Gregorio, ut satisfaciat.* 144.d.e. 147.a.b.c.d
Theotistus Patricius in aula Mauritij Imperatoris pius ualde. 109.b. *Pecunias mittit ad S. Gregorium Papam pro redimendis captiuis.* 102.c.d
Theotimus medicus Mauritij Imperatoris. 49.e
Thesaurus Aquileiensis Ecclesiæ translatus Grados. 300.a
Thesauros non consueuit Ecclesia congregare. 345.d.e. 346.a.b
Thesaurarius idem quod Saccellarius. 81.b.c
Thessalonicensis Ecclesia immediate subiecta Romanæ Ecclesiæ. 415.c
Thessalonicenses a S. Martino Papa monentur. 415.d.e
Threni Antiochi monachi, de capta a Cosroe Hierosolyma. 232.d.e. 233.a.b

Thomas creatus Episcopus Constantinopolitanus. 200. d. Benigne excipit Theodorum Siceotam. 203. e. 204. a. Donat ei particulam veli S. Mariæ. 203. d. e. Necnon lignum S. Crucis. ibid. e. Quæ ab eo petierit. 204. b. c. Eius obitus. 205. d. e

Thomas iunior Episcopus Constantinopolitanus Monothelita. 461. d. e. Sedet Iudex contra Maximum. 469. b. Perperam nominatus Catholicus. 461. e. 462. a. b. Moritur. 476. e

Thomas Episcopus Hierosolymorum transfert tunicam Domini Hierosolymam. 48. c.

S. Thomæ ecclesia ædificata a Dagoberto Rege Traiecti. 621. b

Thomianus Episcopus Scotus, ad quem datæ litteræ a sede Apostolica. 349. a.

Tiberius filius Mauritij Imperatoris. 158. e

Tiberius filius Iustiniani Imperatoris coronatur. 646. e

Tiberius filius Iustiniani Imp. missus a patre obuiam Constantino Papæ. 659. d. Confugit ad sacram aram ob insequentes tyrannos, munituq. sacris reliquijs crudeliter occiditur. 662. b. c. d

Tiberius imperat cum Constantino. 500. a. A fratre priuatus. 556. d. e

Tiberius Absimarus. Vide Absimarus.

Ticinensis Ecclesia subiecta tãtum sedi Apostolicæ. 664. b

Tigridius Episcopus Agathensis interfuit Concilio Narbonensi. 123. e

Tilmon ex milite monachus. 618. c

Tilmon socius Euualdorum martyrum, inuenit eorum corpora. 618. e

Timotheus Episcopus Anastasiopolis, prædecessor Theodori Siceotæ. 15. a

Titus Manichæus uendicat sibi nomen Apostoli. 444. a. b

Tituli qui oblati reperiuntur Romano Pontifici. 90. a

Titulus S. Cæsarij in Palatio. 163. a. b

Tnulus Vniuersalis Episcopi. 83. e. 84. Dupliciter accipi potest. 85. a. b. S. Gregorius reuera illud non respuit. 85. b. c. Cur autem recusasse uisus sit. 63. d. e. 114. d. e. Idẽ a multis usurpatus Romanis Põtificibus. 89. e. 90. a

Typum fidei promulgat Constans Imp. 384. e. 385. d. Quale fuerit de Typo iudicium. 386. d. Damnatus fuit ab Orthodoxis. ibid. d. e. Vt pote multa fraude plenus. 387. a. b. Idemq. improbatus ab ipsis etiam Monothelitis. 453. a. b

Tyranni qui oppresserunt Romanam Ecclesiam. 2. e. 3. a

Toletanum Concilium sub Reccaredo Rege. 113. b

Toletanum Concilium sub Gundemaro Rege. 215. c

Toletanum Concilium quartum. 329. e

Toletanum Concilium quintum. 340. b

Toletanum Concilium sextum. 346. d

Toletanum Concilium septimum. 382. e

Toletanum Concilium octauum. 439. e

Toletanum Concilium nonum. 450. c

Toletanum Concilium decimum. 462. d

Toletanum Concilium undecimum. 513. e. 514. a

Toletanum Concilium duodecimum. 515. b. c

Toletanum Concilium decimumtertium, idemq. generale dictum. 573. d. e. 574

Toletanum Concilium decimumquartum. 576. b. c

Toletanum Concilium decimumquintum. 589. d. e

Toletanum Concilium decimumsextum generale, pro damnatione Sisberti Archiepiscopi Toletani collectũ. 616. a.

Toletanum Concilium decimumseptimum aduersus rebellantes Iudæos collectum. 619. d. e. 620. a

Toletanum Concilium decimumoctauum sub Vuitiza Rege habitum, cur non extet. 641. d. e

Toletana Ecclesia Metropolis prouinciæ Carthaginensis. 215. d. 216. b. c. Celebris Ecclesia, eademq. terribilis cur dicta. 474. c. d. Quomodo consecuta est Primatum totius Hispaniæ. 217. b. c. Quid a Romano Pontifice est consecuta. 417. e

Toletanæ Ecclesiæ tempore Sarracenorum status. 673. e

Toletanorũ Episcoporum series ex S. Ildefonso. 341. e

Toletanus Episcopus ordinatur nominatus a Rege. 561. e

Tonsuræ monasticæ & habitus susceptione, professio monastica agebatur. 544. a. b

Totnanus diaconus, socius sancti Kiliani. 585. c. d. Eius martyrium. 595. d. e. Vltio diuina in sacrilegos. 596. b. c

Trabes pro basilicis Apostolorum ex Calabria petitæ. 639. b

Tractatio de successore uetita, uiuente Pontifice. 200. d

Traditio Patrum tenenda. 377. c. 379. c

Traditiones male sibi arrogant hæretici. 381. a. b

Traiani anima falso asseritur reuocata ab inferis, precibus S. Gregorij. 181. e. 182. 183. b. c. d. 184. 185. b. c. 186. 187. 188.

Traiani sugillatur turpitudo. 183. a. b. c. d. De filio uiduæ historia Traiani antiquis incognita. 186. c. 187. d

Traiectum ciuitas antea Vuiltenburg dicta. 621. b

Traiectense Concilium. 629. e

Translatio corporis S. Benedicti in Gallias, an probetur. 491. d. e. 492

Translatio facta Dalmatia sanctorum martyrum Romam. 358. d. e

Translatio Dominicæ tunicæ. 48. e

Translatio Primi & Feliciani martyrum in Vrbem. 390. a

Translatio S. Scholasticæ in Gallias asserta. 491. d. e

Translatio reliquiarum sanctorum cum psalmodia. 13. b

Trebellij Regis Bulgarorũ ope, Iustinianus in Imperium restitutus. 644. b. Donatus muneribus a Iustiniano Imperatore. 646. e. Vincit Iustinianum Imperatorem fœdifragum. 655. b

Tributorum dira exactio, quam damnosa Reip. 80. a. b. c. d

Tributum remittitur Ecclesijs a Childeberto Rege. 14. a

Trithelmus uir nobilis defunctus, reuocatur ad uitam. 626. e

Trium capitulorum controuersia inutilis. 68. e. Idem error serpit in Gallia. 110. e

Trium tabernarum Ecclesia uacans. 37. d

Triumphus Anastasij martyris. 286. e. 287. a

Triumphus S. Crucis de Persis debellatis. 287. c. d. e

Triumphus Heraclij Imperatoris de Cosrhoe. 286. c. 272. e. 288. a

Triumphus S. Maximi de Pyrrho deuicto. 370. c. d

Tryphon aduersus Manichæos assumptus a Simeone. 443. e. 444. a

Troilus Quæstionarius, quid in S. Maximum. 464. e. 465. 466. Stulte Maximum interpellat. 459. b. c. d. 460. a. b. c.

Troilus Præfectus Iudex in causa S. Martini Papæ, tyrannice agit. 429. c. d

S. Trudonis Apostoli Hasbaniorum obitus, quando contigit. 640. a

Trullus idem quod Trulla. 540. a. b. Locus in Palatio dictus Secretarium. 539. e. 540. a

Trullus ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani. 540. a. b

Trumbere Episcopus in Anglia laudatus. 490. e

Tuda Episcopus Nordhumbrorum. 489. c. d

Tudertum a Longobardis ademptum. 76. e

Tunica Domini inuenta, & translata Romam. 48. e

Universidad de Deusto

Tunica S. Iohannis Euangelistæ inuenta. 38.c
Tuna presbyter, ex quo Tunaceſtir ciuitas dicta eſt. 527.e
Turca a Deo vocatus in vindictam Græcorum. 54.b. *Dominatur Patriarchis Conſtantinopolitanis.* 89.e
Turcæ veniunt in auxilium Heraclio Imp. 267.b.c. *A tergo inuadunt Perſas. Ibid.* c. d. *Venerantur Heraclium Imp.* *Ibid.*
Turcæ iidem & Gazari. 267.b.c.d. *Trans portas Caſpias habitant. Ibid. Deſerunt caſtra Romanorum.* 272.b
Turibij Epiſcopi Aſturicenſis ſcripta. 341.e
Turitana Eccleſia vacans. 37.d

V

VAlentini martyris eccleſia inſtaurata a Benedicto Papa. 579.e. *Alia facta a Theodoro Papa.* 390.b
Valentinus Epiſcopus Potauionis Noricorum a Romano Pontifice, accepit prædicandi licentiam. 418.e
Valerianus Epiſcopus Soranus interfuit Cõcilio Romano, ſub Agathone Papa. 529.c
Varnefridus Dux Foroiulienſis occiſus. 485.d
Vas ad vſum magicum inſeruiens deteſtabile. 66.a.b
Vaſa ærea in Anglia publico uſui mancipata, intacta a furibus. 291.d
Vaſa ſacra erogata in cibos pauperum a ſancto Arnulfo Epiſcopo. 242.b.c
Vaſa ſacra conflata in pecuniam pro Perſico bello aduerſus Coſrhoen. 254.b.c
Vaſa ſacra S. Petri oppignorata ad ſoluendum, quod Exarchus male exigebat. 588.a
Vaſconia S. Amandi prædicatione culta. 306.b.c.d
Vaticinium ſancti Gregorij de venturis malis. 204.e
Vaticinia S. Theodori de venturis malis. 204.b.c
Vaticinium Georgij Piſidæ de Perſis debellandis. 257.d
Vaticinium de regno Longobardorum. 484.e
Vela miſſa Conſtantinopoli a Ruſticiana Patricia pro ornatu eccleſiæ S. Petri. 142.a
Veli ſanctæ Dei genitricis particula donata S. Theodoro. 203.d.e
Velina Eccleſia vacans. 37.d
Velox Magiſter militum. 170.b. *Scribit ad eum S. Gregorius ibid.* b.c
Venafranæ eccleſiæ vtenſilia furto ſublata. 22.c
Venantius Epiſcopus Peruſinus. 157.b
Venantius nepos Opilionis Patricij, emptor Exconſulatus. 194.c.d
Venantius Præfectus in Sicilia. 104.d
Venantius illuſtris exmonachus a S. Gregorio monetur. 19.b. *Eius obitus.* 153.b.c.d
Venantij martyris reliquiæ Romam translatæ. 358.c
Veneris ſimulachrum aureum in pauperes diſtractum. 44.e.
Venetiarum prouincia inuaſa a Chaiano Auarum Rege. 135.e
Veneta Reſpublica Chriſtianiſſima dicta a Romanis Pontificibus. 299.c. *Eadem aucta auxilijs Romanorum Pontificum.* 300.a.b.c
Veneti pro Romanis Pontificibus aduerſus Longobardos inſurgunt. 300.a.b
Venti proſternunt Vrbem. 7.e. 8.a.b
Veranus Epiſcopus Cabelicenſis in Gallia. 59.a.b
Verba otioſa uitanda Pontifici. 78.c.d
Vexatio redempta per Romanos Pontifices ab Imperatoribus, exigere pecuniam pro confirmatione eorundem, conſuetis. 7.d
Vibiana honeſta femina. 16.a
Victor diaconus Africanus. 33.c
Victor Epiſcopus Carthaginenſis quando creatus. 377.e. 378.c. *Scribit ad Theodorum Papam.* 378.a. *Eius legatio ad eundem. ibid.* d.e. *Laudatur.* 379.d
Victoris Cyclus Paſchalis mendax inuentus. 75.b
Victor Epiſcopus Numidiæ iniuſte deponit Donadeum diaconum. 156.e.157.a
Victoris martyris corpus inuentum. 208.c.d
Victor Epiſcopus Panormitanus a S. Gregorio reprehenſus ob neglectam curam monialium. 72.d
Victoria Eduini Regis aduerſus Edelfridum. 277.a.b
Victoria Heraclij Imp. aduerſus Coſrhoem. 259.b. 262.c.d. *Aliam adeptus.* 264.c.d. *Rurſus aliam conſecutus.* 272.c.d
Victoria ingens Hiſpanorum ſub Duce Claudio. 28.d.e
Victoria Longobardorum aduerſus Sclauos ſub Duce Vuetlari. 485.e.486.a
Victoria Oſuui Regis contra Pendam. 450.a.b
Victoria Pogonati Imp. aduerſus Sarracenos. 510.a.b
Victoria precibus a Deo concedi ſolita. 46.b
Victoria obtenta in Perſide ope Dei genitricis Mariæ. 267.b. 272.c.d. *Vide* Maria Virgo.
Victoriæ ſignum oliuæ rami. 288.b
Vicarius Romani Pontificis in Oriente, eſſe conſueuit Epiſcopus Theſſalonicenſis. 415.b.c
Viciſſitudine rerum edocemur. 65.d
Vicoabentiæ Epiſcopatus translatus Ferrariam. 503.a
Vigiles Coſrhois cæduntur a militibus Heraclij Imp. 262.c.d
Vigiliæ Eccleſiæ cuſtoditæ. 14.b.c. *Earum frequens vſus in eccleſia.* 14.c.d
Vigiliæ profanæ abrogatæ. 14.b.c
Vigilij Papæ ſcripta a Monothelitis deprauata. 541.d.e
Villæ Coſrhois Regis in Perſide. 285.d.e
Vincentius Abbas martyr in Hiſpania. 300.c.d.e
Vincentius Comes Hannoniæ ſanctitate præclarus. 447.b
Vincentius & Feliciſſimus diaconi Eccleſiæ Lamigenſis in Africa. 25.e
S. *Vincentij eccleſia ex templo Idolorum facta.* 624.c
Vinctus e vinculis liberatur, perſacram oblationem Miſſæ. 239.a
Vincula captiuorum Dei virtute ſoluta. 13.c. 14.a
Vindicta Diuina in Romanum Imperatorem. 434.b.c
Vindictam a ſanctis petere vetitum. 574.a.b
Vina Brutia qualia. 18.c
Vina Palmatiana quæ fuerint. 18.b.c
Vina e palmæ fructibus. 18.b
Vina Sabina. 18.c
Virgilius, non Aetherius Arelatenſis Epiſcopus dictus. 103.d. *Ordinat Auguſtinum Epiſcopum Angliæ.* 147.b. *Idem accipit a ſancto Gregorio pallium.* 86.a
Virgines ex Anglia mittuntur in Gallias inſtituendæ, ad S. Faram Abbatiſſam. 231.e
Virgines Anglicanæ ſub Eldiburga Abbatiſſa. 509.a
Virginibus ſanctiſſimis floret Eccleſia Anglicana. 357.d.e
Virorum doctorum ingens penuria huius ſæculi. 531.c.d. 537.b
Viſio Apoſtolorum apparet Vrſino presbytero morienti. 20.e
Viſio Apoſtolorum, quæ annunciatur liberatio a peſte. 562.c.563.a.b
Viſione demonſtratus eſt locus cœmeterij conſtruendi. 563.c. 564.a

Visio horribilis Constanti Imp. fratricidæ ostensa. 478.e. 479.a
Visio de damnatione nefarij Ebroini. 588.d.e
Visio de Ecgberti prædicatione. 598.b
Visio Eduino Regi ostensa. 276.c.d.e
Visio S.Eligij de Regibus Francorum. 491.a.b
Visio de anima S.Hildæ Abbatissæ. 543.b
Visio ostensa Ioanni eremitæ de anima Dagoberti Regis. 383.c.d.e
Visio ostensa S.Kiliano. 595.d
Visio signi super S.Leodegarium. 582.d
Visiones ostensæ de nece Mauritij Imp. 159.b.c.d
Visione Sinaita monachus delusus, transijt ad Iudæos, & male perijt. 237.a.b.c
Visio ostensa piscatori de ecclesiæ dedicatione in Anglia. 214.d.e
Visiones ostensæ ante pestem. 542.d.e.
Visio ostensa morienti. 40.b.c
Visio S.Autberto Episcopo Cameracensi ostensa, de ædificanda ecclesia sancti Michaelis Archangeli. 649.a
Visio terribilis ostensa monacho impœnitenti. 650.a.b
Visio ostensa S.Vulfrido morituro. 652.e.653.a
Vitalianus Papa creatur. 447.e. *Apocrisarios mittit Constantinopolim.* 447.e. *Hortatur Petrum Patriarcham Constantinopolitanum ad fidem Catholicam.* 448.d
Vitalianus Papa honorifice excipit Constantem Imp. Romam venientem. 483.b.c.d. *Cur adeo benigne excepit nefarium hominem.* 483.e.484.a
Vitalianus Papa legationem accipit a Rege Anglorum Osuuino. 493.a.b. *Ad eundem Regem scribit epistolam.* 493.e.494.a
Vitalianus Papa mittit reliquias martyrum ad S.Vuandregisilum. 496.d.e. *Alias ad Regem Angliæ.* 494.b
Vitaliani Papæ epistola ad Paulum Cretensem Episcopum. 498.d.e.500.c
Vitalianus Papa dat primum Episcopum Ferrarienſibus. 503.a
Vitalianus Papa excommunicat Maurum Episcopum Rauennatem, & priuat sacerdotio. 503.a.b
Vitaliani Papæ nomine litteræ ad Siculos monachos. 504.b.c.d
Vitaliani Papæ obitus. 502.e. 503.a. *Quid passus post mortem a Monothelitis hæreticis.* 522.e.523.a. *Eius nomen erasum e Diptychis Ecclesiæ Constantinopolitanæ.* 519.e. *Postea restitutum.* 546.a.b
Vitalis diaconus negãs potum S.Heimerammo dat pœnas 645.e.646.a
Vitalis Defensor Romanæ Ecclesiæ. 118.d. *Mittitur ad Phocam Imperatorem.* 169.e
Vitæ præsentis sæculi descriptio. 277.e
Vldaricus sanctus Augustanus Episcopus, quando vixit. 21.b.c. *Eius nomine falsa enulgata epistola.* 21.b.c.d 22.a
Vldila Episcopus Arianus coniurat contra Reccaredum Regem. 28.c.d
Vlit Rex Sarracenorum in Africa, inuadit per suos Duces Hispanias. 672.e
Vltio diuina in schismaticos. 248.e
Vltio diuina in Cosrhoem Regem Persarum. 286.a.b
Vltio. Vide Vindicta.
Vniuersalis nomen dupliciter sumitur. 85.a.b
Vniuersalis titulus in vsu Romanis Pontificibus. 88.b. 89.e. 90. *Esse fidei de his agere.* 86.e.87.a
Vniuersalis Episcopus dici vult Ioannes Episcopus Constantinopolitanus. 83.e.84.a. *Nomen impugnatum, & denegatum male retentum ab Episcopis Constantinopolitanis.* 89.d
Volens vnus Christus dicitur, & non vna voluntas in Christo. 317.a.b
Voluntas vna & operatio vna in Christo, quo sensu dicta ab Honorio Papa. 322.d.e. *Vide* Honorius Papa.
Voluntatem vnam vel duas non asserendas, vel negandas Sergius proponebat. 314.e.315.a
Voluntates duæ in Christo quomodo prædicandæ. 309.d.e 310.a.b
Voluntas Deiuirilis in Christo, quomodo a Dionysio dicta. 322.e
Voluntas in Diuinis an generet voluntatem. 179.b.c
Voluntates tres in Christo cur non ponendæ, cum tres sint in eo substantiæ. 579.e
Votum continentiæ non soluendum. 133.c
Votum S.Sergio martyri a Cosrhoe Rege Persarum nuncupatum. 41.e.42.a.b
Vrbanus Episcopus Toletanus. 475.e
Vrbanus alius Episcopus Toletanus. 673.e
Vrbis obsidio ab Agilulpho Rege Longobardorum. 83.a.b.c
Vrbis excidium a S. Benedicto prædictum quale. 8.b. *Vide* Roma.
Vrbicius Episcopus in Gallia. 58.e. 59.a
Vrsinus presbyter eijcit a se presbyteram tempore obitus. 20.d.e
Vtensilia ecclesiæ ad vsum luminum. 22.e
Vttan Abbas. 441.e
Vualburgis soror SS. Vuillibaldi, & Vuinibaldi. 630.b
Vualericus Abbas Luxouiensis monasterij sanctitate clarus. 226.e. *Propagator monastici instituti.* 227.a
Vuamba Rex Hispaniæ electus. 510.d.e.511.a
Vuamba Rex pugnaturus aduersus tyrannos, adulteros punit milites. 512.e. *Superat tyrannum ope diuina* 513.a.b. *Ablata a tyranno restituit.* 513.c.d. *Muros Toletanos sanctorum statuis muniuit, & ornauit.* 513.d.e
Vuamba Rex quomodo nesciens professus est monachismum. 543.e.544.a.b. *Eius abdicatio a Regno.* 543.d.e. *Eiusdem Regis laudes.* 544.b.c
Vuando diaconus, & cooperator S. Vulfranni in prædicatione. 636.d
S. *Vuandregisili obitus.* 496.c.d
Vuarmaricarius legatus Brunichildis Reginæ Francorum ad S.Gregorium Papam. 167.e
Vuarrato Magister domus Regis Francorum. 622.d
Vuectaris Dux Longobardorum Sclauos superat. 485.e.486.a
Vuerdense monasterium erigitur a sancto Suuiberto. 657.e
Vuerenfridus socius sancti Suuiberti in prædicatione Euangelij. 621.e.622.a. *Prædicator in Elst.* 630.b
Vuerenfridus vnus ex duodecim Apostolis in Germaniam missus. 599.d
Vuffa Rex Orientalium Anglorum. 290.e
Vuffitæ dicti Angli Orientales. Ibid.
Vuighardus presbyter Anglus Romam missus ad Vitalianum Papam a Rege Anglorum. 493.e. *Diem obijt.* 494.e
Vuighertus unus ex duodecim in Germaniam missis Apostolis. 599.d
Vuinebaudus agit pro sancto Lupo. 301.e

Universidad de Deusto

Vuilfridus Episcopus Nordhumbrorum interfuit legatus Concilio Anglicano. 507. e. Idem prædicat Frisijs. 524. b. c. Legatus interfuit Romano Concilio sub Agathone Papa. 527. c. 529. a. Defensor aduersus Scotos Catholici Paschatis. 487. b. c. d. 488. 489. Conuertit ad fidem Saxones Australes. 562. b

Vuilfridus Episcopus Merciorum legatus Apostolicus consecrat sanctum Suuibertum Episcopum. 622. b. c. Interfuit Romano Concilio sub Ioanne Papa Septimo, vbi absolutus. 527. c. 529. a. Aegrotans ad mortem Dei uirtute sanatur. 652. d. e. 653. a.

Vuilfridus Episcopus Eboracensis institutor Ceaduallæ Regis. 594. e

Vuillibaldus unus ex duodecim Apostolis in Germaniam missis. 599. d. Episcopus Eistatensis. 630. b

Vuillebertus Episcopus interfuit Concilio Rothomagensi. 567. b

Vuillebrordus in Germania Apostolus ad Sergium Papam iterum proficiscitur. 623. b. Præcedenti prophetia ordinatur Episcopus ab eodem Sergio Papa, nominatus Clemens in ordinatione. 622. b. c. 623. b. c. d. 628. e. 629. a. Vna cum sancto Suuiberto dedicant ecclesiam sancti Martini. 628. d. Prædicat Frisijs Euangelium. 628. e. Celebrat Concilium Traiectense. 629. e. 630. a.

Vuiltenburg Traiectum appellatū. 621. b. Facta sedes Episcopalis. 623. d

Vuilteburga filia Pendæ Regis Merciorum. 442. b

Vuiltenburgensis Episcopatus quando erectus. 623. d

Vuinibaldus unus ex duodecim Apostolis in Germaniam missus. 599. d. Abbas Heyndelamensis. 630. b

Vuilfridus Episcopus Merciorum. 507. e. Depositus a Theodoro. 518. d

Vuinfridus ex Canonico Traiectensi factus Episcopus Moguntinus & Bonifacius appellatus. 630. a

Vuiro Scotus Episcopus, Confessarius Pipini Principis. 303. c. d. Quomodo ad Episcopatum promotus. 303. d. Eius Romam aduentus. ibid. e. Interfuit Concilio Traiectensi. 630. a

Vuibertus nihil proficit prædicando Gentilibus. 598. e

Vuitiza Rex Hispaniarum succedit patri. 640. d. e. Eius scelera. 640. d. e. 641. a. b. c. Eius impium edictum, ne quis Romanæ Ecclesiæ obediat. 640. e.

Vuitizæ primordia satis bona. 641. e. Congregat Concilium Toletanum decimumoctauum. 641. d. e. Deijcit mœnia ciuitatum. 641. b

Vuitiza Rex expellit Iulianum Episcopum Toletanum, & filium Oppam creat Toletanum Episcopum. 641. d. Reuocat Iudæos in Hispaniam & priuilegijs munit. 641. d

Vuitiza Rex moritur. 660. c

Vuitericus Rex Hispaniæ. 215. c

Vulefrea filius Eduini Regis. 328. e

Vulfrannus Senonensis Episcopus Frisijs prædicat. 636. c. Missam celebrat in naui. ibid. d. e. Eius miraculum de patena. 636. e. Liberat puerum ne idolis immoletur. 637. a. b. c

Vulmarus Abbas. 592. c

Vulfhere Rex in Anglia laborat pro fide Catholica. 490. d Eius obitus. 518. d

Vultanus sanctitate clarus. 447. b

Vxentina Ecclesia vacans. 37. d

Vxorati asciri in clericos consueti. 20. c

Z

Zacharias Episcopus Hierosolymorum creatus. 210. d. Captiuus ducitur in Persidem. 232. a. Absque successore vsque ad obitum. 204. e. Liberatur ab Heraclio Imperatore. 287. c. d. In suam Ecclesiam restituitur. 292. a. Monet Heraclium reportantem Crucem. 292. a. b. De tempore obitus eius variæ sententiæ. 287. d. e

Zacharias Papa in Græcum vertit Dialogos S. Gregorij. 53. e

Zacharias Protospatharius missus Romam ab Imperatore contra Sergium Papam. 617. b. c

Zadespra Dux Persarum. 42. e

Zeno Ticinensis Ecclesiæ diaconus bellicosus. 602. b

Ziebil Turcarum Princeps obtulit filium suum Heraclio Imperatori. 267. b. c. d

Zizæ Patricius occidi iussus a Phoca Imperatore. 202. a

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag.	Lin.	Mendum.		Emendatio.
158	A 11	includuntur	*adde*	a littore Hydruntino Campanum vsque, locis aliquibus exceptis, quæ adhuc Orientali Imperio subiecta erant.
171	D 1	Idem Rex auctus est		eum idem Rex auctus fuisset
ibid.	2	quam		eam
184	A 6	par		parem
185	C 6	Christo ipsi		a Christo ipso
ibid.		descendenti		descendente
ibid.		concessum		factum
ibid.	E 4	tribuenda essent	*adde*	ex sententia Græcorum auctorum. Sed de his nobis disserendum erit in Gregorio Secundo, Tomo sequenti.
199	C 1	imperatam	*adde*	fuisse
200	A 7	sunt		sint
202	E 8	Eustolia Romana		Eustolia & Romana
217	E 5	spatham		sputum
233	A 7	prauui		praui
240	A 6	quo		quos
243	D 8	illi	*adde*	omni anno in die natiuitatis suæ, hoc est, VIII. Kal. Iulij, de nostris facultatibus transmissuros honorifice ad oraculum eius.
261	D 9	intemptricem		interemptricem
288	C 9	erat		Cesserat
295	E 6	Mahometes	*adde*	vel Mahumetus
310	A 1	personam	*adde*	operantem
ibid.	6	vnam dicendam esse operationem		vnum dicendum esse operantem
312	E 8	Magnum		Arium
325	E 1	Maximo		Heraclio

Pag.	Lin.	Mendum.		Emendatio.
340	C 6	Regem		gregem
348	E 7	ad eum		ad eos
357	B 2	Antiochena quis successerit.		Macedonius successit illi Arian-
ibid.	3	&		sed
ibid.	5	Anastasius		Macarius
358	A 6	quadraginta		triginta
389	A 9	conteminens		contendens
394	D 5	Decembris		Nouembris
422	C 3	eadem die		ante diem
477	C 3	Traiectensis		Leodiensis
ibid.	8	Traiectensis		Leodiensis
503	A 2	Vicehabentiæ		Vicoabentiæ
511	D 9	pergeret		degeret
536	D 2	Romam		Roma
539	D 9	ad Agathonem		ad Georgium Patriarcham
540	E 8	lectus est		lecta est
547	E *in marg.*	HAERETICO.		HAERETICIS
550	B 10	aliqua		aliquam
627	E 2	populos		populus
628	E 12	Lotharingiam		Thuringiam siue Heruingiam
632	C 9	Campanienſium	*adde*	verum ipsum superuixisse Pipino parenti, Marcellinus affirmat, vt suo loco dicetur
647	A 9	sumus	*adde*	Quod ad dictum monasterium pertinet, creditur quod est vetustissimum atque nobile admodum, in suburbiis Ferrariæ ciuitatis, quæ & sub eiusdem S. Georgij protectione dicata permanet
672	E 8	Taleptensis		Teleptensis

IN INDICE.

In littera C, col. 2. lin. 46. Crux a Theodora, &c. 429 corrige 42
In littera I, col. 2. lin. 47. *Iustinianus* corrige *Iulianus*

† *Pag.* 479. C 8 hæc ipse. *adde*: Ceterum quod Paulus diaconus affirmat, hanc filiam Theodolindæ nomine Gundibergam fuisse vxorem Rodoaldi, errasse videtur, cum id ratio temporis minime patiatur: nam duodequadraginta intercedunt anni ab obitu Agilulphi eius patris vsque ad regnum Rodoaldi: vt potius ipsa dicenda sit vxor fuisse Arioaldi, qui successit Adaloaldo, cuius sententiæ est Aimoinus lib. 4. c. 10. & auctor Appendicis ad Gregorium Turonensem c. 50. & 51. Quod vero pertinet ad singulare certamen initum —



Universidad de Deusto
Biblioteca



REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq
a b c d e f.

Omnes ſunt Terniones, præter a, & Kkk, Quaterniones;
Nnn, Qqq, & *f*, Duerniones.

ROMAE
Excudebat Aloyſius Zannettus M. D. XCIX.

DE SVPERIORVM CONCESSIONE.





Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca